Digitized by Google

8
4 F
11

ILLUSTRISS.mi ET EXCELL.mi DOMINI

D. F. IOANNIS THOMAE DE ROCABERTI,

DE INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS IN DEFINIENDIS REBVS FIDEI EXTRA CONCILIUM.

Digitized by Google

DE ROMANI PONTIFICIS AVTHORITATE,

TOMVS PRIMVS,

COMPLECTENS DVOS LIBROS;
QUORUM IN PRIMO
DE AVTHORITATE ROMANI
Pontificis Infallibili extra Concilium agitur:
IN SECUNDO
ILLIBATA ROMANORVM
Pontificum in Fide Constantia à calumniantium
telis vindicatur.

AVCTORE
D. F. IOANNE
THOMA
DE
ROCABERTI,
PRÆLATO DOMESTICO ASSISTENTE SACRO SOLIO
ab Innocentio XI. Archiepiscopo Valentino, olim in eius Vrbis Vniversitate
Sacræ Theologiæ Primario Professore, Ordinis Prædicatorum in Provincia
Aragonię Provinciali, postmodum totius Religionis Generali
Magistro, semel, iterumque Valentini Regni
Pro-Rege.

VALENTIÆ:
In Palatio Archiepiscopali, Typis IACOBI DE BORDAZAR & ARTAZU, Archiepiscopalis Typographi. Anno M. DC. XCI.

SANCTISSIMO, BEATISSIMOQVE PATRI AC DOMINO NOSTRO INNOCENTIO XII. ECCLESIÆ CATHOLICÆ PONTIFICI MAXIMO.

QVID faciemus (BEATISSIME PATER) *Sorori nostræ* (videlicet Ecclesiæ Sanctæ Dei, vt fert communior Patrum Latinorum sensus, Cassiodori, Gregorij Magni, Iusti Orgellitani, Bedę, Ruperti, Anselmi, Thomæ Aquinatis, & aliorum) *in die quando alloquenda est?* perquirit Divinus Sponsus: *Si murus est* (inquit) *ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Consilio directione, & ope æget Ecclesia (vt docent Theodoretus, Honorius, Philoque Carpathius) dum, impugnantium errore, atra concutitur tempestate. Quid igitur nos faciemus vltimi, & novissimi, quos Divina dignatio ad Præsulatum evexit, post toties errorum ariete impetitas Æacidum Romanæ Ecclesiæ turres? Præcipuè cum nostri muneris sit pro Sancta Dei Ecclesia militare? *Ego murus*; (ait Dominus) attamen propugnacula argentea, & ostia ex tabulis cedrinis indeficientis fortitudinis, incorruptibilisque doctrinæ compacta, peroptat; Ecclesiæ Pastorum scilicet (docente Ruperto) quorum potissimè indefessa sollicitudine roboratur. Cant. 8.

Reverà non semel haud exili pressus angore, cum mecum ipse nutabundus calamum pro defensione Romanæ Sedis arripere meditarer diù, multumque incedebam anceps, ob Priscorum, Neòthericorumque scripta, ingenti eruditione referta. Impulit me nihilominus, defensionem aggredi, aliquorum in Gallia nova, detestandaque disciplina, magnopere de Romani Pontificis Summi Hierarchæ nostri Potestate detrahens, & Authoritate. Quid non sæva sibi voluit præscripta licere audacia? Horresco, Beatissime Pater, horresco, inquam, eam inter Christicolas inesse fœditatem, vt Summi Ecclesiæ Capitis Authoritas, Potestas, & Infallibilitas vertatur in dubium. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia*; Ecclesiastici iubet Authoritas. Id exequor, dum provolutus ad Vestræ Beatitudinis pedes, Opus istud sacrandum exhibeo, iustum equidem arbitrans, etiamsi oportuerit mori, non te negare, caput pro Capite ponere, nec vtcumque pro Capite disceptare. *Zelus*, enim, *domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*. Et: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum, & Altaria destruxerunt.*

Ecclesiastici 4.

Psalm. 68.

3. Regum 19.

Stimulus tamen animum angit, angorque stimulum premit, dùm de Supremi Apostolici Verticis, Romanique Pontificis Authoritate susceperim disserendum. Et meritò quidem; si enim Baptista, quo (Divina Sapientia testante) inter natos mulierum non surrexit maior, Sacrosanctum Christi verticem manibus attrectare pertimuit; cuius Cæsareus non formidet animus, calamo, labiisque in cœlum ferri, atque de Summi Capitis Potestate disputare? quantoque potiori iure ego, vermis cum sim, & cinis, contremiscere debeo, dùm animo insidet, tàm sublimia Fidei nostræ Mysteria perscrutari, ac tàm arduum difficultatis nodum, in quo Sancti, celebrioresque Orbis Doctores, adeò fœliciter insudarunt, solvere, & aliquid etiam de Supremi Capitis Potestate balbutiendo potiùs, quàm disputando aggredi? Novi enim scriptum esse: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Quod non modò de sensibili manuum tactu, sed etiam de verbali creditur intelligendum, prout Eusebius Papa exposuit. Divino tamen aspirante lumine, vt spero, respirare conabor ad meridianam auram è Salvatoris fontibus hauriendam; & tam-

1. Paralip. 16.

In Cap. Oves.

tamquàm Corvorum pullus, os aperiam ad cęlicum rorem deguſtandum: qui enim Iſaiæ labia calculo mundavit ignito, linguaſque infantium fecit eſſe diſertas, dignabitur, & mihi, eſtò immerito, è Cœlis ſapientiam infundere veritatis, ad ſuę Eccleſię cauſam tutandam, & Pontificia iura, quantùm mea tenuitas valuerit, pro aris & focis vindicanda.

Quàm adverſis fluctuarit vndis Eccleſia ſub S. Gregorio VII. quantumque illo in ævo, D. Petri navicula mergi proxima naufragium propemodum pateretur, idem Sanctus Pontifex optimè deſcribit: *Non ignorare (inquit) credimus prudentiam tuam, quantis perturbationum fluctibus Eccleſia ſit vſquequaque concuſſa, & penè deſolationis ſuæ calamitatibus naufraga, & ſubmerſa. Rectores enim, & Principes huius mundi, ſinguli quærentes, quæ ſua ſunt, non quæ IESV CHRISTI, omni reverentia conculcata, quaſi vilem ancillam opprimunt, eamque confundere, dùm cupiditates ſuas explere valeant, nullatenùs pertimeſcunt: Sacerdotes autem, & qui regimen Eccleſiæ accepiſſe videntur, Legem Dei ferè penitùs poſtponentes, & Officij ſui debitum Deo, & commiſſis ſibi ovibus ſubtrahentes, per Eccleſiaſticas Dignitates ad mundanam gloriam nituntur.* Optimus ergo Divinæ Providentię Pater, vt tot, tantiſque Eccleſiæ malis occurreret, prefatum Grægorium illius ſæculi Athanaſium, aut Ioannem Chryſoſtomum, vna omnium voce acclamatum, ſacriſque Divorum tabulis meritò adſcriptum, acerrimum Eccleſiaſticę Dignitatis propugnatorem, ac defenſorem ad Summum Poteſtatis apicem ſuffragantibus meritis aſſumpſit, ipſique regendam Eccleſiam commendavit.

In Litteris ad Sichardum, Aquileia Patriarcham datis.

Si autem illo S. Gregorij ævo, adeò ſæva concutiebatur Eccleſia procella (nondum ſedata, aut aliter denuò iterum ſuborta tempeſtas eſt) multò namque vehementioribus tribulationum vndis quatitur, inque procelloſo huius ſæculi mari fluctuantem eam hac noſtra tempeſtate cernimus (vt ex Apoſtolicis didicimus Litteris à Sanctiſſimo Innocentio XI. ad Gallicanum Clerum, & Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XIV. ardentiſſimo, quo flagrabat Zelo, conſcriptis, & in huius Voluminis Prologo adducendis) ob prætenſam Regaliam, Eccleſiaſticam libertatem, Apoſtolicamque Iuriſdictionem in Chriſtianiſsimo

Regno

Regno labefactantem, ac ferè penitùs convellentem. Vnde gravissima dissidia suborta sunt: in illo enim Regno vertitur in dubium Infallibilis Romanorum Pontificum in rebus Fidei Authoritas, supremaque illorum super Reges, Regna, & Concilia Potestas, quam Sancti Patres, Sacrique Doctores, indubitatam, certissimamque depredicant. Quarè dubitare non possum, quin Beatitudo Vestra in hac temporum calamitate, in hoc lacrymabili sæculo, superno Spiritus Sancti impulsu ad Apostolicum Thronum evecta sit, vt Pastorali vestra sollicitudine, sævissima ista pacata procella, Ecclesiaque vniversa optata tranquilitate potita, in Vestræ Sanctitatis culmine, inexpugnabilisque defensionis arce protecta, quasi in Gregorio altero, *Acerrimum Ecclesiasticæ libertatis propugnatorem, & defensorem*, se invenisse lætetur.

Nec Beatitudinis Vestræ frangatur animus, tametsi Ecclesia turbidis impingatur procellis: Divinus namque Spiritus, qui Sanctitatem Vestram ad tantæ Dignitatis apicem evexit, strenuas vires pariter & Constantiam, inexpugnabilemque Fortitudinem tribuet, vt possit turbulentissimos istos motus, quibus D. Petri navicula agitatur, fœliciter sedare, & perniciosa dogmata, ab hostibus Ecclesiæ contra Pontificiam Authoritatem disseminata, divellere, & à Christiano Orbe penitùs eliminare. Ad id facit Angelicus Doctor, vbi inter alia, hæc ad rem nostram aptissimè scribit: * Divina verò Sapientia, quæ ad sui fruitionem hominem fecerat, cum sui inexpertem esse non sinens, totum se in humanam naturam contulit, eam modo sibi assumendo mirabili, vt errantem hominem ad se totaliter revocaret. Huius igitur Sapientiæ claritatem, nube mortalitatis velatam, primus Apostolorum Princeps Fide conspicere meruit, & eam constanter absque errore, & plenariè confiteri, dicens: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* O beata confessio, quam non caro, & sanguis, sed Pater Cęlestis revelat! Hæc in terris fundat Ecclesiam, aditum præbet in Cęlum, peccata meretur solvere, & contra eam portæ non prævalent inferorum. Huius igitur Fidei, ac confessionis hæres legitimè, Sanctissime Pater (nunc noviter ad Pontificatum assumpte), pro studio Mens Vestra invigilat, vt tantæ sapientię lux Fidelium corda perfundat, & Hęreticorum confutet insanias, quæ portæ inferorum

In Epistola, qua Catenam Auream Sanctissimo Urbano IV. dicavit.

me-

meritò designantur. Sanè, si secundum Platonis Sententiam, beata censetur Respublica, cuius Rectores operam sapientię dare contigerit, illi siquidem sapientię, quam imbecillitas intellectus humani, erroribus plerumque commaculat. Quantò magis sub Vestro Regimine Beatus censeri potest Populus Christianus, vbi tanta diligentia excellentissimæ illi Sapientiæ curam impenditis, quam Dei Sapientia carnalibus membris induta, & verbis docuit, & operibus demonstravit?*

Omnium sæculorum memoria novis semper erroribus, Hęreticorum perfidia, in Apostolicam præcipuè Authoritatem excogitatis, & in illius dedecus collimantibus oppugnata est Ecclesia, dicente Irenęo: *Recentiores hæreticos semper novum aliquid per dies singulos adinvenire, quod numquam quisquam excogitavit;* vt ita Fideles ab vnione cum Capite, ac debita illius reverentia distracti, in prava schismata dilabantur, iuxta illud Sancti Cypriani: *Initium hæreticorum est sibi placere, Præpositos superbo tumore contemnere, vndè prosilitur ad schismata: inde foris novum altare collocatur.*

Quid tamen interest, Ecclesiam turbulentissimis errorum flatibus concuti, Divique Petri Naviculam, & infallibilem eius Authoritatem tartareis hæresum fluctibus agitari, dùm semper invicta perstat, solidissimo innixa fundamento Petræ, *quam non vincunt superbæ inferorum portæ,* vt aiebat Augustinus, cui consonat Venantius Fortunatus, sic de illa canens: Psal contra Donatum.

Petra supra quam fundata Ecclesia regnat, Lib. 3 de Vita S. Martini.
Quam nec flabra movent, neque vertit turbo procellæ,
*Nec trahit vndivagam pluvialis imber arenam.**

Spe magna inducimur Catholici omnes, dum Beatitudinem Vestram, Supremi Ecclesiæ Regiminis Clavum tenentem, fœlici omine intuemur, fore, vt huiusmodi errorum monstra à toto Christiano Orbe pellantur, & veritatis lumen, sedentibus in vmbra mortis feliciter suboriatur: quod enim ipse Venantius de Summa Pontificis Dignitate quondam cecinit, id modo nobis de vestra Pontificia Authoritate decantandum esse, iure optimo iudicamus, quòd sit

Petra viva tenens fundamenta salutis.

Petra, inquam, tantæ soliditatis, ac stabilitatis credentibus, quantæ formidinis, & horroris eam improbantibus,

 adeo

adeo vt de hac Pōtificia Authoritate iure asserere possimus, quod olim de ea Melchisedech, Armenorum Consdicus, seu Patriarcha prędicavit: *Ista est Petra, de qua scriptum est: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum.**

Matth. 21.

Qui libros publici iuris fecerint, tenentur rationem reddere, cur illios ediderint, & cur tali Mæcenati dicaverint. Primùm Prologus latiùs, fusiùsque explicat: secundum verò, quæ nempè me impulerit ratio, vt opus istud sub Beatitudinis Vestræ Præsidio in lucem ederem, cuilibet sciscitanti in promptu vltro sese offert. Cum enim precipuus operis huius scopus sit, de Romani Pontificis Authoritate Infallibili agere; mirari meritò quis posset, si alterius nomini consecraretur, quàm Sanctitatis vestræ, quæ per totum Orbem gloria Capitis Vniversalis Ecclesiæ, CHRISTIQVE in terris Vicarij, ac D. Petro in Apostolica Cathedra succedentis, condecoratur, cui communi Sanctorum Patrum, Sacrorum Conciliorum, ac totius Ecclesiæ plaudente consensu Infallibilitatis Privilegium Deo donante, hereditario iure concessum tuemur.

Summus enim Pontifex ab Ivone Carnotensi commendatur, quod sit *Successor Petri in arce Sancti Pontificis positus*; à S. Anselmo *Successor, & Vicarius Petri Apostoli*; & à D. Hieronymo, *Successor Piscatoris*. At successionem istā dilucidiùs explicuit D. Bernardus, Summum Pontificem *potestate Petrum* appellans: cū ergo D. Petrus iure Divino obtinuerit Infallibilitatis donū, ipsius CHRISTI ore pollicitum, & illis verbis concessum: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*, hinc hæc eadem Infallibilitas in Petri Successores, & illius Potestatis hæredes, Romanos nempè Pontifices, transfunditur, vt apertè ostendunt non modo ea, quę ex D. Bernardo adduximus, sed & quæ S. Leo de Summo Pontifice dixit, dum eum *Sancti Petri hæredem* vocavit; cui consonat Alcuinus, Caroli Magni Magister, qui Summum Pontificem commendans, hęc scribit: *Hæres mirificæ potestatis, sicut Vicarius Sanctissimæ Sedis D. Petri.* Est quidem Summus Pontifex tantę Authoritatis hęres, vt eum iure optimo appellare possimus Zeli Apostolorum, & spiritus ac doctrinæ Patrum hæredem: vnde à D. Bernardo. *Hæres Apostolorum*, & ab Albino Flaco (qui & Alcuinus dicitur) *hæres Patrum*, con-

Epist. 188.
Lib. ad trat Valer. quæst.
Epist. ad Damas. 17.
2. de consid. cap. 8.
Matth. 16.
Ser. 2. de sua Assump.
Epist ad Adrian. 36.
Epist. 77. ad ad Leō. Pap.

cla-

clamatur. Hæc autem D. Petri potestas, in quam Summus Pontifex hæreditario iure succedit, adeò protenditur, vt de Romano Pontifice dixerit Bernardus: *Hæres, cui Orbis hæreditas.* Sic enim habet: *Orbe exeundum ei, qui fortè volet explorare, quę non ad tuam pertinent curam. Parentes tui destinati sunt, non aliquas Regiones, sed ipsum debellaturi Orbem: *Ite in vniversum Orbem* dictum est illis.* Lib. de cons. cap. 1.

Hìnc Romanus Pontifex (Vestraque pro suo Supremo munere Beatitudo) præstantissimo Infallibilitatis dono, in docenda Fide, insignitur. Idcircò eum S. Damascenus *Petram Fidei*, & S. Ambrosius *Ecclesiæ Petram* appellant, cuius quidem nominis rationem reddens. *Ecce, inquit, consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis, & pro soliditate devotionis *Ecclesiarum Petra* dicitur.* Quibus consonat S. Paulinus, dum D. Petri Successores, adeò firmas, solidas & infallibiles, in fide Petras existimat, vt certissimè credat, nullam inferi Potestatem contra eas prevalituram: *Petra est Christus, *bibebant enim de spiritali sequente eos Petra. Petra autem erat CHRISTVS.* Etiam Discipulo suo huius vocabuli Gratiam non negavit, cui dicit: *Super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Sed quid miramur, eum famulis suis indulsisse sua nomina, quibus & Patrem suum participat & Regnum?* At pro re nostra S. Augustinus hoc Infallibilitatis donum clarioribus hisce verbis explicuit.* Petra de Petro, eò quòd primus nationibus, Fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile, totius corporis Christiani compagem, molemque contineat.* Quod innuere voluit S. Ioannes Chrysostomus, dum D. Petrum *Petram firmissimam* prædicavit, & Theophanes Cærameus, dum eum commendat.* Quòd sit Petra Fidei verbi, & Ecclesiæ firmatæ fundamentum, ac spiritualis edificationis primus aditus: *Quò spectat illud D. Augustini.* Saxum immobile, &c.

In Histor. Barl. & Iosaph. Lib. 6. in Luc. ad c. 9.

Epist. 4. ad Sever.

1. ad Corin. 10.

Matth. 16.

Serm. 16. de Sanctis.

Hom. de Petro. & II a. Hom. de S. Petro, & Paulo.

Hancce Infallibilem Romani Pontificis Authoritatem apposité confirmat Sancta VI. Synodus, dum Imperatorem Constantinum alloquens, sic Pontificem depredicat: **Adamas Fidei*, cuius solida mens aggresionibus, atque conflictibus alienę à Fide opinionis non est vulnerabilis.* Alludit ad indomitam Adamantis duritiem, quæ tanta est, vt rationes, quæ frangi nequeunt, & expugnari, *Adamantinæ* Apud Platon. in Gor.

di-

dicantur, sicuti & animus tenax propositi, duritiæque invictæ *durus*, & ex *solido Adamante creatus*, appellatur. Quarè Romanus Pontifex, quia in bono, & maxime in Catholica Fide vndequaq; infractus, *Adamas Fidei* iure optimo nuncupatur. *Basis* etiam *Fidei* dicitur à S. Ioanne Chrisostomo, & meritò quidem; estò enim reliquos Sanctos angulares Fidei Bases, solidaque Catholicæ Religionis fundamenta reputet Hieronymus, iuxta illud: *Super quos bases illius solidatæ sunt*; attamen S. Petrus, illiusque Authoritatis Successores, singulari quadam præstantia sunt æneæ, æternaque Fidei, & Ecclesiæ Basis, vtpotè stabile fundamentum, firmaque Petra, super quam Ecclesia extructa consurgit, iuxta illud Christi: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quod luculentius exprimit S. Ioannes Chrysostomus D. Petrum *Basim immobilem* appellans: duplex quippè immobilitas potest distingui; alia in Fide, & hæc est illa Fidei indefectibilitas, pro qua Petro, istiusque Successoribus obtinenda oravit CHRISTVS, & *exauditus est pro sua reverentia*; alia in stabilitate Sedis Petri, & hęc est indefectibilitas eius; cum enim aliæ pleræque Ecclesiæ etiam Apostolorum cura, & sollicitudine fundatę, ipsorumque sanguine irrigatę, dilapsę sint, ac corruerint, hęc sola perstat immobilis, perstabitque firma, ac infinem vsque sæculi, firmante CHRISTO permanebit: Vndè factum est, vt omnibus alijs Sedibus, etiam per Apostolos, quandoque stabilitis, miserè, ac fœdè per varias heręses contaminatis, in sola Sede Petri Beata Apostolorum Successio defenderit susceptę semel Religionis integritatem, & fidem, vt eleganter docent Lirinensis, Cardinalis Bellarminus, Pamelius, & alij plures, de quibus infrà. Hinc S. Petrus Damianus meritò asseruit, Romanum Pontificem esse *Christianæ Religionis Caput*, quod elegantiùs explicat Chrysostomus, dum illius infallibilitatem expressurus, eum vocat: ★Caput Ecclesię, Adamantis naturam firmitate superans.★ Quod vtique dicit, propter miram, & portis inferi penitùs insuperabilem huius Petræ firmitatem, quam nulli vnquam inflexere errores, nulla heresis fregit, nullumque falsum Dogma superavit, vt profitentur Monachi secundę Syrię, in precibus ad Iustinum Imperatorem pro exoranda eius apud Hormisdam Papam intercessione.

Præclarè Beata Ildegardis; ★Adversus omnes Diaboli

Apud. Hesiod.
Hom. 1. in Psal. 50.
Iob. 38.
Matth. 16. Hom. de Petro, & Elia.
Ad Hebr. 5.
In commonit. c. 5. lib. de Rom. Pont. cap. 3. Epist. 55. Hom 55. in Matth.
Epist. 55 ad Hormis. Pap.

li partiarios, etiam extra res Fidei infracti, debent esse Romani Pontifices.★ Et est hac de re insignis locus apud S. Cyprianum. Ex hoc insuperabilium Pontificum numero præcipuè fuere S. Damasus, qui idcircò in VI. Synodo Constantinopolitana, *Fidei Adamas* est appellatus; & S. Martinus, qui in *Epist. Anonymi ad Occidentales*, de eius exilio, dicitur: ★Spiritualis Pater, Beatus, & Adamantinus, Sacerdotumque Princeps.★

Epist. 5 ad Corne. Pap.

Apud Anast. Bibliot. pag 53. in collect.

Idipsum apertè demonstrant magnifica illa encomia, quibus propter hanc Infallibilitatem in Fide, D. Petrus, sicque & Romanus Pontifex illius Cathedræ Successor, à Sanctis Patribus commendatur: *Solidum Fundamentum, Firma Columna, Tutissimum Fulcimen,* ac *Securissima Basis,* cui Ecclesię Fides innititur, sic à S. Ioanne Chrysostomo prędicatur: *Columen Ecclesiæ, Fundamentum Fidei, Columna & Stabilimentum Christianæ Religionis, Columna Ecclesiæ, & Fidei Basis.* Sic à Basilio Imperatore dicitur: *Columna incorrupta Ecclesiarum.* Sic tandem à Theodoreto asseritur: *Electus à Deo, tamquàm area Basis, Securissimum Sustentaculum,* ac *Firma Columna*; vt Ecclesia illius Fidei firmitati innixa, & soliditate firmata, in nullos prolabatur errores; explicans namq; gravissimus iste Author illa CHRISTI verba: *Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua,* in persona CHRISTI sic loquitur: ★Sicut ego te non despexi, cum fluctares, & labares: ita sis tu quoque sustentaculum fratribus, qui circumaguntur::: & ne eos pellas, qui labuntur:::: ea enim de causa concedo, vt tu quoque labaris, sed te non sino cadere;, procurans, vt qui labant, per te stent, & erigantur. Ita Orbem terrarum, qui lababat, & agitabatur, magna hac columna fulsit, & vt omninò caderet, non permisit, sed erexit, stabilemque reddidit, Dei oves pascere iussus.★

Hom. 1. in Psalm. 50. Hom 3. in Act. Apost. & Hom. de Petr & Elia

Enclyt. post 8. Synod.

Luc 22.

Orat. de Charit.

Huius firmitatis, & stabilitatis in Fide, quam D. Petro vti Ecclesiæ Capiti concessit CHRISTVS, participes efficiuntur omnes D. Petri Successores, Romani Pontifices, qui sunt *Potestate Petrus*, vt cum S. Bernardo asservimus; ideòque Apostolorum Princeps, à S. Dionysio dicitur *Columna*; & *Vertex Antiquissimus Theologorum. Columna*, quia omnis revelata doctrina ab illius Sede firmitatem obtinet, & stabilitatem; iuxta illud Sancti Augustini: ★Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ doceret Au-

Lib. 3. Hier. var. Eccles.

thoritas.* *Antiquissimus Theologorum vertex*, quia est omnium summus, & primus. Quare quia Romani Pontificis Doctrina adeò secura, firma, & stabilis est in Fide, & ab omni errore libera, illum nuncupat S. Cyrillus: *Caput à quo membra, quid credendum, quid observandum, quid tenendum sit, quærere debent.* Hinc S. Petrus, sicut & quilibet eius Successor, à S. Chrysostomo appellatur: *Crepido immobilis, Petra infragilis, Magnus Apostolus*; & à S. Leone Summus Pontifex dicitur: *Consors Divinę Veritatis, * quia Cathedræ D. Petri hæres, & Ecclesię Caput. Ad quod alludens ipse: *Vt à Beatissimo Petro (inquit), quasi quodam Capite, dona sua (scilicet CHRISTVS) velut in Corpus omne diffunderet: vt exortem se Mysterij intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in cõsortium individuæ Veritatis assumptum, id, quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; vt æterni Templi ædificatio ::: in Petri soliditate consisteret; ac Ecclesiam suam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam, inferi prævalerent. *

In lib. Thesaur. apud D. Thom. opusc. 1. & 19.

Homil. 9. de Poenit.

Epist. 89.

Matth. 16.

Hùc spectat illud Ruperti, qui murum, contra quodlibet hæreseos monstrum, inexpugnabilem reputat D. Petrum, eiusque Romanam Ecclesiam, de qua, hæc habet: *Quæ Beata quòd in fundamento suo Petram illam excepit, quam suo veritatis ore laudavit, & beatificavit, tali structura super illam ædificata est, vt contra omnes hæreses perstaret murus inexpugnabilis, & quacumque mundi ex parte periclitata fides ad illam confugit, mille clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium, qua se defenderet, pendentem, & pręparatam invenit. *

Lib. 2. de Offic. cap. 2.

Totam hanc inexpugnabilem Fortitudinem nacta est Ecclesia à Supremo suo Capite, Romano Pontifice, qui ab Imperatore Constantino Pogonato celebratur: * Propugnator firmus veritatis, accinctus verbi gladio, cuius est omnem hæreticum auditum, atque doctrinam præcidere, sicut & Petrus olim iudaici auditus sensorium gladio percutiens, abstulit: & attollere securim spiritus, & omnem arborem ferentem fructum hęreseos, vel institutionibus transplantare, vel canonicis pœnis excindere, & igni gehennæ futurę transmittere. *

In Epist. ad S. Leonem.

In

In hanc rem egregiè faciunt, mira illa verba, quibus Romanus Pontifex à Chalcedonensi Concilio, Imperatorem Martianum alloquente, dicitur: *Propugnator impenetrabilis ab omni errore (& alia interpretatio habet insauciabilis) quem Deus providit, doctrinis eum per omnia veritatis adstringens, vt quemadmodum Petrus, ita & hic, affectu ferventiore decertans omnem ad Deum sensum, intelligentiamque perducat.* Nec id mirum videri debet, cum à S. Ioanne Chrysostomo, *Turris stabilis*; & à S. Bernardo: *Turris fortitudinis* celebretur, ob firmitatem, & stabilitatem, qua semper in Sancta Sede, & Apostolica D. Petri Cathedra, Fidei puritas, ab omni errore, & macula, immunis conservata est, vt inquit Imperator Iustinianus: *Sedes, in qua semper extra maculam servata est Catholica Religio.* Et S. Theodorus Studites.* Sedes Princeps, in qua Christus Claves Fidei posuit, adversus quas non prævaluerunt, nec prævalebunt portę inferi.* Videlicet hæreticorum errores vt alij Patres censent, & præcipuè Theodoretus, sic eam deprędicans: *Sedes Sanctissima, omnium per Orbem Ecclesiarum Ducatum, & Principatum, multis quidem de causis habens, præcipuè verò, quòd ab hęretica labe immunis permansit, & nullus, qui contraria sensit veritati, in illa vmquam sedit, sed Apostolicam gratiam integram, immaculatamque servavit.*

Act. 19. *Hom. de Pet. & Elia.* *Epist. 157.* *Epist. ad Agapet. Pap.* *Epist. ad Naucras.* *Epist. ad Renat. Catnat.*

Vndè mirandum non est, Gallicanos Episcopos ad S. Leonem, de Apostolica Cathedra dixisse, *Sedes vnde Religionis nostræ fons, & origo manavit; * est enim Sancta Apostolica Sedes, & Romana D. Petri Cathedra, fons, origo, & initium, vndè cęterę omnes Ecclesiæ Fidei lumen accipiunt, ipsaque Solis instar omnes Fideles suis radijs illustrat, omnes Ecclesias suo splendore irradiat, totumque Christianum Orbem, in Fide erigit, roborat, & confirmat, vt S. Maximus mirificè expendit.* Omnes termini terræ, & quicumque vbique terrarum CHRISTVM Dominum pura mente, & Orthodoxa Fide confitentur, quasi ad Solem æterni luminis, ad Sanctissimam Romanorum Ecclesiam, & eius confessionem, ac Fidem intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem respicientes spiritualium, & Sanctorum Dogmatum, quemadmodum sex illæ Sanctæ Synodi, Sacræ, & a Deo dilectæ disertis verbis magna cum Religione exposuerunt, apertissimè pronuntiantes

Epist. ad S. Leonem P. *Epist. ad Marin.*

Fi-

Fidei Symbolum. Ab initio enim Adventus Incarnati Verbi, vniversæ, vbique terrarum Christianorum Ecclesiæ hanc originem habuerunt, & Fundamentum solum, & maximum, contra quod, nullo pacto portę inferi pręvalebunt, iuxta ipsiusmet Salvatoris Nostri promissionem, vt habeat scilicet Claves Orthodoxę in ipsum confessionis, & aperiat illis, qui ad ipsam Romanam Ecclesiam, cum pietate accedunt, veram, & realem, & solam pietatem quęrentes, & claudat è contra, & obstruat omne os hæreticum, quod loquitur iniquitatem in Cælum.*

In cuius confirmationem Apostolica Sedes à S. Theodoro Studite asseritur: *Thronus Supremus verticalis, in quo CHRISTVS Fidei Claves posuit, adversus quem non prævalebunt, vsque ad consummationem portæ inferi, ora scilicet hæreticorum; *ex quibus apertè colligitur quàm meritò ab ipso nuncupetur.* Portus securus totius Ecclesiæ, *Et à S. Ioanne Chrysostom.* Portus Fidei, *vbi Fideles maiori securitate, & firmitate fruuntur, ne hęreticorū fallacijs circumventi, in immanes errorum scopulos impingant, vt expendit S. Vincentius Lirinensis, sic exclamans: *Heu miseranda conditio! Quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur! Nunc enim quà ventus impulerit, incitato errore rapiuntur, nunc in semetipsos reversi, tamquam contrarij fluctus eliduntur, &c. (Et *infrà*:) Quæ quidem dubij, & malè penduli cordis afflictio, Divinę erga se miserationis est medicina, si sapiant. Idcircò enim extra tutissimum Catholicæ Fidei portum diversis cogitationum patiuntur, verberantur, ac penè necantur procellis, vt excussa in altum elata mente vela, deponant, quæ malè novitatum ventis expanderāt, seseque intra fidissimam stationem placidæ, ac bonæ Matris reducant, ac teneant, atque amaros illos, turbulentosque errorum fluctus primitùs revomant, vt possit deinceps vivę, & salientis aquæ fluenta potare.*

Epist. ad Naucras.

Epist. ad Paschal.

Hom. de Petro, & Elia.

In commonitor. de Exterib. ab Eccles.

Ex dictis manifestè patescit, quàm securum Asylum sit Apostolica Sedes, Romanusque Pontifex in ipsa præsidens, huius enim Oracula in materia Fidei sunt tutiores, validioresque Clypei, quibus possint Fideles Tartarea errorum monstra retundere, & contra hostiles hæreticorum impetus stare, ideòque Chrysostomus Romanum Pontificem *Inexpugnabilem portum* iure optimo nuncupavit, vt rectè

ex-

explicat Gennadius pro Concilio Florentino elucidans illa S. Theodori Studitę verba ad Paschalem Papam: *Vos ab omni hæreticorum procella longè positi totius Ecclesię portus.* Intelligis (inquit Gennadius) quo pacto securum portum appellat, totius Ecclesię, Romanum Pontificem? Ad quem vt navigia ab vndis in medio maris agitata, in portum perfugiunt, nè foris relicta, à fluctibus, atque ęstu mergantur. Sic & omnes Ecclesiæ, ab hęreticis tanquam à fluctibus vexatæ, ad Romanum Pontificem, veluti ad Portum salutis confugiunt, vbi tranquillitatem, & quietem omnem nanciscantur. Nam eo loci Fidei claves CHRISTVS apud Petrum Apostolorum deposuit, vt Ecclesiam totam pasceret, atque gubernaret: nec apud illum tantum, sed etiam apud eius Successores, ipsi dicens: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ quidem, non soli Petro contigerunt, sed & eius Successoribus. *Vnde SS. Athanasium, & Petrum Alexandrinos Antistites Romam ad Pontificem confugisse, tamquam ad suę, id est Catholicæ Communionis portum tutissimum, dixit S. Hieronymus, id quod æque ab alijs multis factum demonstrat Pamelius.

Cap. 5. sect. 16.

Luca 22.

Epist. 61. S. Cyprian. n. 17.

Epist. 16.

Qui in causa Fidei aliquando vexati sunt, & afflicti, nullum sibi securiorem portum in procelloso hæreseos mari repererunt, quàm Apostolicam Sedem, Romanumque Pontificem. Hac se obfirmavit Anchora, frementi tribulationum procella impetitus Chrysostomus ad Innocentium, huius nominis I. fidenter confugiens; quem fuisse sibi *Portum absque fluctibus*, aureę suæ vocis sono deprędicat, vt illius ad prædictum Pontificem à remotissimis, vbi exulabat, oris, ad vrbem datæ litteræ probant, quæ sic se habent: * Tertium nunc annum in exilio versamur, expositi pesti, fami, bello, continuis obsidionibus, solitudini indicibili, quotidianæ morti, & Isauricis gladijs: & non mediocriter nos consolantur Solida Vestra Fides, & Charitas, quæ se in me tàm tenui, & simplice oblectant. Hic noster murus, hæc securitas, hic Portus absque fluctibus, hic multorum bonorum Thesaurus, hæc letitię, mirificęque voluptatis causa est, etsi in desolatiorem, quam iste est, locum iterum abigemur, non parvam hinc habentes nostrarum afflictionum consolationem, abibimus.*

Epist. ad Inn. I.

Cum ergo (vt tot Sanctorum Patrum, & Conciliorum

Authoritatibus hucusque probavimus) sit Beatitudo Vestra vti meritissimus D. Petri Successor, Infallibilis illius Authoritatis tot titulis hæres, Opus hoc, in quo de Infallibili Romanorum Pontificum Authoritate sermo instituitur, vmbræ, Patrocinio, & Aris illius, qui vniversæ Ecclesiæ regimen, Apostolicum Thronum, Infallibilitatisque Solium fœliciter tenet, reverenti animo sacrare, quis meum esse, non videat?

Scio equidem, Beatissime Pater, me inter ignem, & ensem huius Operis studio coarctari, multosque in me ęmulos excitare, vt in hanc rem eleganter dicebat S. Ioannes Capistranus *in lucem edens Opusculum suum de Authoritate Papæ*: Verùm ad hæc (vtar eiusdem Sancti Verbis) * Apud Deum formidine nulla concutiar, qui ad intentionem magis respicit, quàm ad Opus, cum non intendam, nisi sincera, recta, & solida concientia (iuxta Sanctorum Patrum, ac pręcedentium Doctorum, Traditiones, & Dogmata) perquirere veritatem, nulla mentis passione commotus, nulla formidine penæ, nulla spe premij, nisi Cęlestis, nulla affectione privata, non odio, non amore cuiusquam, nisi quantum Divina Charitas, & proximi dilectio, me compellit pro gloria Redemptoris, & Catholicę Sponsę CHRISTI. * Quibus addendum censui, me nulla ęmulorum detractione, nulloque, obtrectantium timore cuiuscumque potentiæ sint, ab incepto labore destiturum; pręcipuum enim huius mei Operis institutum est, Infallibilis Romanorum Pontificum in docenda Fide Authoritas, quam cum indubitatam agnoscam, vtpotè Divinę Scripturæ, Sanctis Patribus, Sacrisque innixa Concilijs, debeò, omni semota formidine, eam etiā in cōspectu Regum fateri: multòque minùs me ęmulantium obtrectationes terrebunt, si Opus istud eo fœlicitatis devenerit, vt Beatitudinis Vestræ præsidio protegatur, & vmbra, Vestrum enim Apostolicum Thronum, in afflictorum perfugium, & solamen esse à Deo constitutum ostendit S. Theodorus Studites, illis ad Paschalem Pontificem verbis: * Vos igitur, verè illimis fons, ac sincerus, iam inde à principio Fidei verę, vos ab omni hereticorum procella longè positi, securus totius Ecclesiæ Portus: vos à Deo electa Civitas, ad salutis refugium.*

In Epist. ad Cardin. Bonon.

Epist. ad Paschal. P.

Hancque Apostolicæ Sedis, & Romanorum Pontificum, Protectionem in suis afflictionibus, & laboribus præclariores

res

res Ecclesiæ Prælati, priscis temporibus semper experti sunt: sic Basilides in Hispania ab Episcopatu deiectus, Romā ad S. Stephanum Papam adijt, a quo Sedi suæ restitutus est, vt testatur S. Cyprianus, qui & si dolet D. Stephano, impositum esse à Basilide; tutum tamen, ac legitimum fuisse in Stephano perfugium, non diffitetur. Sanctissimi Episcopi Athanasius, & Petrus Alexandrinus, teste Hieronymo, in suis angoribus ad Apostolicā Sedē, tamquā ad vnicam fortunæ suæ Aram, & securissimum Portum adnavigarunt, & ab ipsa protecti sunt. Quam suppliciter, & fidenter ad S. Leonis tutelam per litteras Theodoretus confugerit, illius Epistolę, quæ modò extant, apertè ostendunt, idemque de S. Ioanne Chrysostomo produnt istius litteræ ad Innocentium I. Vnicuique etiam obvium est S. Ignatium Constantinopolitanū Photij malignitate oppressum fœlix, & optatum pręfugium in Nicolao I. reperisse. Cum igitur in Beatitudine Vestra, Supremū Apostolicæ Authoritatis soliū sit *Turris fortitudinis*, vt aiebat Bernardus, quis sub tantæ protectionis inexpugnabili muro extimescet, tantoque Asylo trepidabit?

Epist. 11.

Epist. 16.

Epist. 157.

Verùm estò hęc ita se habeant, meque ab exteris securum reddant, nulloque externo timore crucier: non tamen possum meam non timere inscitiam, ad res tanti momenti pertractandas. Cui enim timorem non incuitiat illa S. Ambrosij Sententia de suis scriptis adeò parum fidentis, vt hæc ad Sabinum scripserit: *Vnumquemque fallunt sua scripta, & Authorem prętereunt, atque vt Filij etiam deformes delectant, sic etiam Scriptorem indecori sermones sui palpant.* Quarè in hac tàm iusta meæ tenuitatis formidine, pro maiori securitate, ad supremum Beatitudinis Vestrę Magisterium fidens recurro, vt ab ipso, quid credendum, quid docendum, quid tenendum, quidque in hoc opere, emendandum, & corrigendum, edocear. Cum enim altissima Dei Providentia Beatitudinem Vestram in D. Petri Cathedra, constituerit *Magistrum inter Magistros*, vt tenet Cassianus; *Magistrum militiæ Dei, Primorum Principem, & Ducem*, vt docet Eusebius; *Magistrum Christianæ Fidei*, vt tradit Innocentius III. *Vniversalem Episcoporum Magistrum*, (quorum omnium me indignissimum fateor) vt prodit S. Bonifacius; *Magistrum, & Gubernatorem Navis Eclesiæ*, vt loquitur S. Avitus, ac tandèm: *Episcopum Romanæ Ecclesiæ*, quę iuxta S. Bonifacium est: *Ecclesiasticæ rationis Magis-*

Lib. 3. de Incarnat. cap. 11.

Lib. 1. Hist. cap. 14.

Epist. ad Catholicum Arma Mer. Epist. 51. Concil. 71. Bur. c. 10.

gis-

gistra. Meritò ad Beatitudinis Vestræ Pedes humiliter provolutus opus istud devolvo, sperans ab innata Vestra Pietate, & Apostolico Magisterio, ignorantiæ mçę instructionem, & errorum meorum, quos plures esse non dubito, emendationem: prout me docuerunt Celebriores Ecclesiæ Doctores, qui pro sui muneris debito, id ipsum humiliter prestitisse leguntur.

Ingeniorum apex, & Ecclesiæ lumen, Augustinus, Librum contra duas Epist. Pelagianorum, profitetur se Bonifacio Pontifici, *examinandum, & vbi forsan aliquid displicuerit emendandum* transmittere. Innocentio similiter Papę alium mittit librum de *Gratia, & peccato originali*, contra Pelagium, & Cælestium, vt si *quidpiam* (inquit) *ignorantia obrepserit, tua Sententia corrigatur*: idque ipsum alibi sæpe repetit.

In Prologo.

Idem reverentiæ obsequium Apostolicæ Sedi exhibuit D. Hieronymus: *Cupiens, si minus peritè, aut parùm cautè, aliquid fortè positum est, emendari.* Quod & fecit S. Bonifacius Martyr, etenim Stephano Papæ XXVI. hæc scripsit: *Si minus peritè aliquid, aut iniustum à me factum, vel dictum reperitur, iudicio Romanæ Ecclesiæ prompta voluntate, & humilitate emendaturum me spondeo.* Nec minoris in Apostolicam Sedem obsequij specimen exhibuit S. Bernardus, ita scribens: *Romanę præsertim Ecclesię Authoritati, & examini totum hoc, sicut & cætera, quæ huiusmodi sunt, vniversa reservo, ipsius, si aliquid aliter sapio, paratus iudicio emendare.*

Tom. 4. in Epist. ad Damasum Pap.

Apud Naucler.

Epist. ad Canon. Lugdunen.

Pari humilitate, & honore, Apostolicum Thronum veneratus est Angelicus Doctor in Epist. qua Vrbano IV. *Catenam auream*, vel expositionem in Evangelia, hisce verbis dicavit: *Suscipiat Sanctitas Vestra presens Opus, vestro discutiendum, corrigendumque Iudicio.* Rufinus, apud antiquos comendatissimus Author, qui S. Hieronymi ætate floruit, in Apologetica Epist. ad Athanasium Papam, sua opera tāti Pontificis discusioni summittit; Originem hac eadem observantia Apostolicam Sedem prosecutum in Epistola ad Fabianum Pontificem, testatur S. Hieronymus *in Epist. ad Pammach. in fine*; Possessor item Africanus Episcopus in *Litteris ad Hormisdam Papam* Codicem suarum explanationum in Epist. Pauli, ei recognoscendum obtulit. Ioannes etiam Diaconus, in exordio Vitæ B. Gregorij, Opus suum ad Ioan-

Epist. proœmiali.

Ioannem Papam direxit, *tamquam ad eum, cuius sit scripta quacumque probare, aut explodere*: eamdem Reverentiam Romano Pontifici detulit S. Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, vt refert S. Gregorius, simili venerationis affectu Faustus D. Mauri condiscipulus, eiusdem Mauri, à se conscriptam Historiam, à Bonifacio Papa obsecrat examinari, &, vt in Prologo profitetur, ipse Pontifex, opus illud approbans, laude dignum dixit, suaque Sanctissima Authoritate roboravit: idemque prçstitit Ioachimus Abbas, in sua Protestatione, quæ legitur *in Directorio Inquisitorum, in initio*, subiungens aliquos etiam libros suos à Clemente, & Vrbano III. approbatos.

In exordio vita S. Gregorij.

Lib. 8. Regestum Ep. 42.

Anastasius, Apostolicus Bibliotecharius, Vir antiquitate, & doctrina clarissimus Nicolaum Papam alloquens, sic præfatur: *Licet membranas inciderim, schedulas præparaverim, non hunc Codicem configere ausus sum, antequam à Dominatione Vestra, ò millies Beate, licentiam adipisci promerui; neque enim fas est absque Vicario Dei, &c. absque Te, omniũ arbitro, aliquid cõsummetur, aut divulgetur: Tu enim tenes Claves David: Tu accepesti Claves scientiæ.* Nec obsequiũ istud Apostolicæ Sedi adeò debitum, à se prætereundum arbitratus est celebris ille Author, Gothofridus Viterbiensis, qui Vrbanum III. sic adloquitur: *Dum Sacrosanctæ Matris nostrç Romanæ Ecclesiæ culmen inspicio, & eius eminentiæ considero Maiestatem, illud ante omnia necessarium esse intueor, vt sicut ipsa omnibus noscitur prçesse Principibus, ita omnes doctrinæ eius Regimine adornentur, & ab ea, tamquam Iustitiæ fonte, totius sapientiæ regulis instituantur, quia nullum Scripturarum elogium noscitur esse authenticũ, nisi ab eius sapientiæ fluminibus, sitientibus propinetur; quare opus antequam in publicum deveniat, Apostolico examini præsentetur, quatenùs si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato, & Iudicio approbetur, & ab eo vires, Authoritatemque recipiat, cui terrena, & Cœlestia divinitùs sunt commissa.*

Ad Vitam S. Ioann. Eleemosyn.

In Præfat. sua Histor.

Si ergo celeberrimi, & præstantissimi Ecclesiæ Patres, tot Sanctitatis, & Doctrinæ dotibus instructi, ingenij sui fœtus Apostolicç Sedi sacrare, eiusque Censuræ, & correctioni submittere, adeò sedulò curarunt, eò certè potiori iure debeo idipsum præstare, quò me ab illorum ingenij sublimitate inferiorem agnosco; fateor, quippe, me vel

ipsam esse inscitiam, sicque Solis Veritatis in Ecclesię firmamento splendentis, Pontificij nempè Throni, & Apostholicæ D. Petri Cathedræ radijs, ac luce prę cęteris omnibus indigere. Tandem si Paulus Doctor Gentium, Divinæ lucis splendoribus illustratus (*circumfulsit* enim *eum lux de Cælo*) suę pro doctrinæ munimine ad D. Petrum advolavit ; quid mirum quòd ego, tot obsitus inscitiæ tenebris, pro meorum voluminum correctione, ad veritatis lucem, Pontificiæ celsitudinis culmen accedam ? Quemadmodum docuit Magnus Theodoretus: *Si Paulus (inquit) ad Petrum accurrit: multò magis nos, qui pusilli sumus, ad Solium Apostolicum accurramus.*

Act. 9.

Epist. ad Leonem Papam.

Vndè cum Divino aspirante lumine, Ecclesię consultum sit fœlici Beatitudinis Vestræ electione ad Supremam Apostolicę Cathedrę Sedem, ac vniversale Fidei, & Religionis Magisterium, vt ab ipsa, tamquam à Summo Ecclesiæ Principe fœliciter regatur, gubernetur, ac tueatur ; ad quem meliori omine, quàm ad Sanctitatem Vestram possum recurrere, quanta valeo animi demissione Sanctissimam Vestram Benedictionem, ad istud, cæteraque Volumina, quę in Apostolicæ Sedis obsequium mea imbecillitas ediderit, correctionemque, si quid emendandũ occurrerit, quàm maxima veneratione deprecaturus ? Malo enim correctus vivere, quàm à Catholicæ Veritatis tramite, Vestræque Sanctitatis indefectibili Censura vel leviter discedere. Beatitudini igitur Vestræ id, humilitatis meæ quantulumcumque monumentum, defero corrigendum, D. Anselmi exemplum sequutus, qui Vrbano II. his verbis suum Opus exhibuit: *Quoniam Divina Providentia Vestram elegit Sanctitatem, cui & vitam, & Fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, &c. Nulli alij tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius Prudentia examinetur. Quapropter nulli libentiùs præsentem Epistolam, quàm Vestræ destino Sapientiæ, quatenùs si quid in Opere corrigendum est, Vestra Censura castigetur, & quod regulam veritatis tenet, vestra Authoritate roboretur.*

Lib. de Incarnat. Verbi, cap. 1.

Cui enim meliùs, aptiùsque duci potest consecrandum quàm Sanctitati Vestræ: *In cuius potestatem, tamquàm in Solem, omnes fines terræ respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ Fidei recipiunt ; (teste S. Maximo.)

In Epist. ad Oriental.

mo.) A quo (docente D. Thoma) Catholicorum Doctorum Doctrina Authoritatem habet; ita vt nefas sit absque Dei Vicario, absque Clavigero Cæli, absque curru, & auriga spiritualis Israelis, absque vniversali Pontifice, absque omnium arbitro aliquid consummare, vel divulgare.* Quapropter ad Sacros Vestros Pedes provolutus, ea, qua par est, animi submissione hoc Opus, vt debeo, dico Vestræ Beatitudini, cuius Apostolicæ Sedi innumeris sanè non exiguis titulis obstrictum me, ac devinctum agnosco. Vndè cum Abbate Goffredo Vindocinensi, ad S. Ivonem Carnotensem Episcopum scribente, dicere possum: ★Romanæ Ecclesię totum me debeo, omnique tempore Fidem servabo, cum qua, & adversitatem sustinere opto; & sine qua, prosperitatem habere recuso.★ Tibi enim, qui Claves scientiæ accepisti, & quod ligas, nemo solvit; quod aperis, nemo claudit; quod claudis, nemo aperit (Vices namque in terris tenes Dei) iurè, meritòque debet Volumen istud sacrari. Tibi ergo, ★qui Petri Fidem, & Cathedram tenes,* (vt cum Hieronymo loquar) quod pro Ecclesiæ defensione, adversus hæreses, elaboravi Volumen Tuo Nomini dicatum, post Beatorum Pedum oscula, offero, consecro, dico.

1.2. quæst. 10. art. 12.

Anast. Bibliotch. in Præfat. ad Vitam S. Ioan. Eleemosyn.

Anast. vbi sup.

Epist. ad Damas.

Interim Divina Bonitas Militanti suæ Ecclesiæ Sanctitatem Vestram diutissimè servet incolumen, ac fœlicem, prout suo, omniumque suorum obsequentissimo voto deprecor.

BEATISSIME PATER,

Sanctitatis Vestræ,

Humillimus, & Obsequentissimus Filius, & Servus

Fr. Ioannes Thomas, Archiep. Valen.

OPE-

OPERIS CENSURA COMMITTITUR.

DOctor D.Marcus Antonius de Alcaraz & Pardo, Presbyter, I.V.D. Protonotarius Apostolicus, Iudex Ordinarius Nunciaturæ Hispaniæ, in hac Diœcesi Valentina, pro Illustrissimo, & Excelentissimo Domino D.Fr.Ioanne Thoma de Rocaberti, Archiepiscopo Valentino, Domino meo, in Spiritualibus,& Temporalibus Officialis, & Vicarius Generalis, hoc volumen *de Infallibilitate Summi Pontificis in rebus Fidei extra Concilium definiendis*, quod opus idem Excellentissimus Præsul indefesso salutaris Doctrinæ propagandæ,ac Catholicæ Reipublicæ iuvandæ studio elaboravit,atque editioni parat, prælegendum committimus Reverendissimo P. M. Fr.Marcello Marona, S. Theologiæ Doctori, Sac. Ord.Prędicator. D.Josepho de la Torre & Orumbella,I.V.Doctori,ac in Metropolitana Valentina Canonico Doctorali; atque A.R.P.M.Fr.Ioanni Nolasco Rison, S.Thelogiæ Doctori,Ord.Beatissimę V.Mariæ de Mercede;vt Operis Censuram proferant, ac subscribant. Valentiæ, die 7. mensis Julij 1691.

D.Marcus Antonius de Alcaraz,
Vic.Gen.

APPROBATIO, A.R.P.M.Fr.MARCELLI Marona, Sacri Ordinis Prædicatorum, in Vniversitate Valentina Sacræ Theologiæ Doctoris, & Censoris, ac Cathedræ S.Thomæ emeriti Antecessoris, Examinatoris Synodalis Archiepiscopatus Valentini, & ad Episcopatum Oriolensem iam pridem Electi.

RANDE hoc opus, iussu Valentinę Curiæ lustrandum libenter suscepi, ab Illustrisimo, & Excellentissimo Principe Archiepiscopo nostro, inter Pastoralis regiminis Curas infatigabili studio elaboratum, & ingenti eruditione congestũ,& ex Sacris Litteris, Sanctis Patribus, vetustissimis,& gravissimis quibusvè Scriptoribus Ecclesiasticis haustum,& deprromptum. Huius vero elucubrationis,in quem collimat,scopus præcipuus est, videlicet *Vrim*,& *Tumim*;*Doctrinam*,& *Veritatem*,quibus Sũmi Pontificis Legis gratię Sacrum Rationale ornatur, & indeficienter protegitur, ab omnis deficientię in rebus Catholicæ Fidei, & morum diffiniendis discrimine, & periculo propugnare,cõtra Ecclesiæ hostes *Doctrinæ*,& *Veritati* eius infensos.

Consulto opere planè obstupui, & demiratus sum,pro asservandis his duobus limpidissimis, atque pretiosis lapidibus à novo isto Beseleel, tantum laborem insumptum, & tantam diligentiam adhibitam, tantam denique impositam nubem testium,quos vel recensere,arduum, & operosum negotium esset. Ad encomium magnificentissimæ Vrbis Ierusalem, Regius Psaltes his verbis inspectores advocans admonuit: *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius*.Vbi celebris lectio septuaginta habet: *Narrate turres eius*; quasi dicens, frequentiam,& multitudinem turrium miramini, quibus inexpugnabilis cingitur, & insuperabilis ęternatur.His quoque videtur protegi opus hoc, si turres dinumeres editissimas Sanctorum, & Catholicorum Patrum in defensionem Apostolicæ Doctrinæ,& indefectibilis Veritatis, & ad hostium terrorem erectis, & fastigiatis tanto Authoris laboriosissimo conatu.

¶6 Ad

Ad structuram Templi quanta præparaverit David, quanta Salomon, Sacræ Litteræ testantur: eorum magnificentiam, & opulentissimum apparatum demonstravit Reginæ Sabbâ summa admiratio, quæ etsi ditissima esset, Templo cōspectō, quasi in extasim rapta, non habebat vltra spiritum, & ad illius commendationem, quasi aphona, & elinguis reddita est. Sed quid simile his contingere posse videtur qui attentè opus hoc consideraverint, visa copia, & pretiositate rerum, & sententiarum quas continet: sufficere namque possunt ad stuporem, suspensionem, & silentium: multi namque in hanc rem divitias innumeras congregasse constat, sed Author noster videtur vniversos supergressus.

Et quidem nisi hæreticorum importuna audacia, & dementia, & obstinatio persisterent, nec vno facto agmine, in opugnationem Doctrinæ, & Veritatis, atque Constantiæ Pontificię decertarent in totius Fidei ruinam, sufficere debebant ad eorum perfidiam deponendam, verba illa Domini ad Petrum, *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, vt toto hoc opere validè, & elegantissimè expenditur: sed cum Aspides istæ surdæ sint, & obturantes aures suas, compulsus est Archipręsul noster in defensionem Doctrinæ, & Veritatis, & cōstantiæ illius, tot, tantaque congregare, & conscribere, vt tandem deposito furore resipiscant, & proprij Pastoris agnita voce ad caulam Domini revocentur.

Sanè ex indeficiente Oratione Christi pro indeficientia Fidei Petri, ita derivata est in ipsum in confirmationem aliorum, vt ipsum inter alios Discipulos selegerit pro Fide astruenda Mysterij suæ Resurrectionis in reliquis Discipulis, sine qua tota Fides prorsus inanis esset: vnde egregius ille Evangeliorum, & numquam pro dignitate satis laudatus Lucas Brugensis, expendit Christum primò apparuisse Petro suo Vicario ob varias causas: * *Vnam* (inquit) *vt consolaretur lugentem. Alteram, vt constitutum a se Ecclesiæ caput præ cæteris honoraret. Tertiò, vt Apostoli, & discipuli, qui mulieribus non crediderunt Resurrectionem, Petro viro gravi. & authoritate pollenti, adeoque primas inter ipsos tenenti, Fidem adhiberent.**

Constitutum autem Ecclesiæ Caput præ cæteris honorari voluit, dum & ipsam totam Ecclesiam beatificandam, & sublimandam promisit, ob tanti Capitis eminentiam. Hinc hanc sibi dilectam Sponsam alloquens, *Canticorum cap.4.* ad Coronam Fidei Petri obtinendam, his vocibus eam hortatur: *Veni de Libano Sponsa mea, coronaberis de capite Amana.* Vbi ex septuaginta Patrum lectione habetur: *Veni beatificaberis, celebraberis de Capite Fidei*, id est de Petro, & Successoribus, qui in ipsum Capitis Fidei præcelsum officium, & fastigium conscensuri essent. Vndè Martinus Delrius in hunc locum vigilanter excogitavit, triplicato *Veni coronaberis*, Pontificiam Tiaram significari, triplici Corona insignitam: *Hinc* (ait) *fortasse Caput visibile Ecclesiæ, triplicis Coronæ Tiara exornari receptum est.* His verò Coronis illas significare constat victorias, quas præsertim ex Leonibus, & Pardis, id est Hereticis, & Mahometanis Fides Petri insuperabilis reportatura erat, vt dissertissimè noster Almonazir ibi prosequitur.

Et vox *Amana*, vt Hæbræis notum est, varia significatione exprimitur, nempè idem est quod *veritas, certitudo, firmitas, constantia, perseverantia, continuatio*, quarum insignis Author noster fortissimus assertor est de Fide Catholica Petri, & Doctissimus Encomiastes, pro eius Doctrina, & Veritate decertans, & immortali laude, & Corona donandus.

In cuius eruditissimo opere tot textibus gravissimis pro Doctrina Ecclesiæ, & Veritate videtur erexisse vnam & alteram Turrim, quarum meminit Sacra Scriptura, aliam Davidis, & alteram Salomonis. Prima sic describitur *Cantic. 4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Alia littera apud Doctissimum Maluenda, *quæ ædificata est ad armamentaria, seu ad suspensionem orium, sive vt omnium intuentium ora suspensa maneant, præ admiratione tam admirandi operis, & armamentarij.* Ipse autem Maluenda, per collum doctrinam Ecclesię, & Prædicatorum interpretatur, pro quibus instruendis armamentaria parata sunt, & mille clypei pendent ex ea, omnisque armatura fortium, illa scilicet de qua *Apostolus ad Ephesios 6.* dixit: *Induite vos armaturam Dei.*

De

De altera Turri Regis Salomonis sic legimus *Cantic. 7. Sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*, in qua eruditissimus Maluenda, significatum Romanum Pontificem esse conscripsit, Petri Successorem, & Christi Vicarium: *Qui*, addit, * *sagacitate ineluctabili errores indagat, & condemnat, & tamquam inexpugnabilis Turris stat in specula contra omnes portas inferorum:* * & subiungit: *Quidam exponunt: facies tua, seu vultus tuus, id est continuatio Doctrinæ Catholicæ per successionem ab Apostolis, & aliæ notæ, seu dotes Ecclesiæ, quibus ipsa facile cognoscitur, & pugnat contra omnem scientiam extollentem se adversus scientiam Dei*, id est, scientiam Hęreticorum, quæ est diabolica, animalis, & sanguinaria, rectè significata per Damascum.

His pręcelsis arcibus, & turribus, in quibus parata sunt arma in præsidium, & subsidium, contra infensos hostes Doctrinæ, & Veritatis, & cõstantiæ vtriusque Ecclesiæ, videtur obumbratum hoc ipsum opus varijs propugnaculis munitum, ex quibus mille clypei pendent, & omnis Evangelica Panoplia; nec dubium, præclarissimum Archipræsulem nostrum ex his operibus immortali laude sublimandum, pro Zelo Fidei: & in ipso adimplendum, quod iuxta corticem litteræ, & vocuum sensum deprehenditur: *Coronaberis, celebraberis de capite Fidei, de capite Amanà, de Doctrina, & Veritate, Firmitate, Continuatione, & Perseverantia.* Totum ergo hoc opus pro Fide stat invinciviliter, nihil ab ea devium, nec moribus adversum, & omne tanto Præsuli dignissimum: qui & Sancti Patris Nostri DOMINICI Nobilissimus Alumnus, & quõdam in totius Prædicatorij Ordinis regimine, & Generali Magisterio, meritissimus Successor, atque ipsius celeberrimus amplificator, Sanctissimi Patris instar, qui ab Innocentio tertio visus est Lateranensem Basilicam, quasi collabentem, suis humeris valdè sustinere, ipsum ęmulatus, id quoque noster Antistes præstare videtur his duobus Libris Doctrinę, & Veritatis quasi duabus illis columnis *Iachin*, & *Booz*, sic Hebraicè dictis ab indeficientia, & constantia: his enim constructis, id etiam quod de Simone, Oniæ filio, Sacerdote Magno habetur *Ecclesiast. cap.* 50. in nostro quasi compleri videmus, scilicet: *In vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit Templum.* Ex hoc Regali Conventu Prędicatorum Valentiæ 14. Julij 1691.

Fr. Marcellus Maronai

APPRO-



APPROBATIO D. D. IOSEPHI DE LA TORRE ET Orumbella, in Sancta Metropolitana Ecclesia Valentina Doctoralis Canonici, Iudicis, & Examinatoris Synodalis, olim iam primi totius Regni Valentini Deputati, ac pro Ecclesiastico Brachio Syndici.

D Elegante D. D. Marco Antonio de Alcaraz & Pardo, I. V. D. ac pro Illustrissimo, & Excellentissimo D. D. Fr. Joanne Thoma de Rocaberti, Archiepiscopo Valētino, &c. in spiritualibus, & temporalibus Officiali, & Vicario Generali legi libenter, avidèque oculis lustravi egregium iuxtà & incomparabile Volumen *de Rom. Pontif. Infallibilitate, in rebus Fidei definiendis extra Concilium.* Autore Illustrissimo, & Excellentissimo Domino D. Fr. Joanne Thoma à Rocaberti, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Valentino, Prçlato Assistente Sacro Romano Solio, huiusque Regni Valentini non semel Prorege, &c. Vidi equidem, nec pigebit vmquam, sed in operis consistens vestibulo, nec minus erubescens hærebam anceps, delatumnè munus obirem, an religiosius detrectarem. Ambiebam quippè, nihilque oppido in votis erat, quam vt summç observantiæ, & grati animi argumentum erga Excellentissimum Præsulem relinquerem testatum: tantum abest, vt Censorias partes agere studerem; quin potiùs in librum omnium disciplinarum ornamentis instructum arbitra Crisis haud proletarium eflagitabat iudicium, vel dupondium laudatorem. *Ob id Lisippus Appellem ad Tabellas admitebat, & Apelles Lysippum.* Numquid Gigantis proceram speciem potis est pumilio metiri? Humilis myrica sublimem palmam? Aut cçcus, iubar Solis suspicere est ausus? *Quemadmodum si Etherei axis in numerum redigere ornamenta voluissem, & Trionum fulgore comprehenso, Cæli decorem impotenti lingua describerem, cederet Divino Splendori mortalis obscuritas, iubaris lampadi non sufficeret humilium scintilla Sermonum. Hæc me conditio signat imparem, quæ testata est obsequentem.* Impar ergo oneri, atque obsequens imperio (*liceat inter olores canoros anserem strepere*) legi sanè diligenter eruditum Opus, & vt à primo limine iudicium proferam, Imperatoris verbis vtar, queis Libanio, inpaucis tempestate illa erudito, de scriptis suffragabatur: *Legi* (inquit) *& sine vlla intermissione reliquum absolvi: O te fœlicem, qui ita possis dicere, aut sentire potius! O Orationem! O mentem! O prudentiam! O partitionem! O argumenta! O dispositionem! O aditus! O verba! O numerum! O compositionem!* Addere possum ex Ennodio: *O Artificem scientiam bonis Cælestibus institutam!* Subjicere etiam iuvat ex D. Athanasio: *Accepimus, itaque Epistolas, & Libros religiosissimæ, ac sapientissimæ animæ tuæ, in quibus perspeximus imaginem Apostolicam, fiduciam propheticam, Magisterium veritatis, Doctrinam veræ Fidei.* Verùm vt vlteriùs progrediar paucula cursim delibabo. Liber prior Rom. Pontif. Infallibilitatem Sacrarum Litterarum, Veteris, Novi-

Synesius Cyren. Epist. 1. Ennod. Ticinen. in Panegyric.

Symach. lib. 1. Epist. 1.

Iul. Imper. Epist. 14.

Ennod. lib. 4. Epist. 13. D. Athanas. Epist. ad Luciferum Calaritan.

que

que Testamenti testimonijs, nedum suadet, sed convincit; Sanctorum Patrum, Sacrorumque Interpretum suffragijs, Apostolica Traditione, Sanctissimorum Pontificum, Eminentissimorum Cardinalium, Illustrissimorum Episcoporum, & primę notæ Scriptorum calculis, Imperatorum, Regumque Rescriptis, & postremo quadraginta non minus, ratione prȩeunte argumentis, Hem quam nervosa, & erudita! firmam, & ad saturam inexpugnabilem reddit, consilio Salviani vsus: *Addamus tamen aliquid si placet quippiam, quia melius est plus probare aliquid quam necesse est, quam minus forsitan quam negotio debetur.* Salvian. de Gubernat. Dei.

Liber alter, nedum numero, sed Doctrinæ foelicitate secundus, *Propugnaculū Pontificiū* meritò posset indigitari, in quo Divos Petrum, Apostolorum Principem, Linum, Anacletum, Clementem, Zephyrinum, Marcellinum, Liberium, & Felicem, huius nominis secundum, invincibilis assertor pro aris focisque propugnat, hæreticorum versutias, penitissimas latebras, sinuosa involucra, technasque palam producit, & detegit, nec minus rationis, & Authoritatis filo, Theseus alter in labiryntho, viarum ambagibus inflexo, iter facile, & pervium sternit. Luculenter D. Athanasius: *Vt est lumen á tenebris, ita separasti veritatem á calliditate, & hypocrisi hæreticorum; defendisti Catholicam Ecclesiam.* Varias quæstiones in hac secunda parte discutit, nec dumtaxat Sacrę Theologiæ abdita, sed quidquid in Iuris Canonici penetralibus delitescit, mirà industria reserat, atque expandit, & vt Sacer Mysta Oracula, & Mysteria affabrè interpretatur, vt iam hoc ornamento Valentinū Antistitem, *Pontificio Litterati honoris auctum*, atque etiam *Virtutum, & Litterarum Sacerdotio præditum*, (vt alibi aiebat Symmachus) fateamur. In testem huiusce rei advoco cap. 3. lib. 2. vbi Ecclesiæ vetustissimum morem Basilicas Sanctis, & eorum Sacris exuvijs asservandis, nedum conditoria, sed Templa construendi, dilucidè probat, & ab adversantibus argumentis strenuè vindicat, quibus cęmentis celebri suo nomini, & famæ Templum adstruit Venerabile: *Nec miror, quód vtile, & pulchrum Opus sanctorum, ac beatorum pignorum condidisti. Cum enim eximium in eis Templum Deo ædificaveris, Doctrina novæ Eruditionis quasi summum Ædificij tui culmen ornasti.* At nuper memoratum Assertum non modo Doctrina, sed Exemplo etiam prædocuit; à fundamentis sanè Domum, & Collegium erexit, oculos eleganti structura amoenans, ac D. PIJ V. Pontificis Maximi nuncupatione sacravit:

D. Athanas. Epist. ad Lucifer.

Symach. lib. 3. Epist. 17. Idem lib. 7. Epist. 58.

Salvian. Massilien. Epist. 8.

Si Salomoniaci memoretur machina Templi,
Arte licet par sit, pulchrior ista Fide.

Fortunat. lib. 3. Poemat.

Intrinsecus verò politiori cęlatura effigiatum Templum adornat: *Templum vtique non lapidum structura compositum, non auro tectum, non gemmis ornatum, sed virtutibus, sed morum probitate, sed Spirituali exercitatione fabrefactum.* Sacerdotes in eo, & vitę integritate, & litteris pręstantes, Sacris Ministerijs initiandos, Divinorum meditatione, Ritibus, documentisque, ex Sacrorum Canonum pręscripto informant, atque statis anni temporibus disseminando Divino Verbo, vt mala serpentia eradicent, & ad Virtutum amorem animos alliciant, egregiam operam navant, qua in Dominico agro cultura, nec steriles dominabuntur avenæ, neque

D. Laurent. Iustin. de Casto Connub. Verbi, & animæ, cap. 15.

Carduus, & spinis surget Paliurus acutis.

Severiores inter, & oportunas cogitationes liberalia studia, amoenioresque Musas sibi comites haud aspernatur, Sacrisque Litteris, humanas foelici sodalitio maritat; ita vt Illas ad Imperium, hasce ad officium asciscat, Hieronymiani consilij memor. Phoenicis, Antipodarumque mantissas, nova luce secularium disciplinarum lineamentis sparsim exornat: Quamobrem eius in scriptis, *& sydera radiasse, & lumina floruisse* video, *scintillare acuminibus, atque sententijs* circunspicio. Romanę facundiæ, omniumque Charitum, leporumque, cultiora, quibus scripta solent venustari, compendiariam viam adinvenit: *Quomodo enim* (inquit D. Hieronymus) *latæ segetes, & vberes agri, interdum culmis, aristisque luxuriant: ita* *præcla-*

S. Hieron. Epist. 26.

Tertul. in Apol. c. 11. Symach. l. 9. Epist. 9. Tertul. de Resurrect. c. 15. D. Hierony. Epist. 3. ad Heliodor.

præclara ingenia, & mens plena virtutibus, in variarum artiam redundat elegantiam. Phœnix, Solis Ales, *Orientis pecularis, de singularitate famosus, de posteritate monstrosus,* sub dubijs Scriptorum tenebris occulebatur, potius Symbola inter, & Hieroglyfica accenseri solitus; potius noctis, quam Solis Avis: At Authoris indefesso studio, novæ vitæ halitu coalescit. Non Solis lumine percussa pyra flagrat, non Assirij lucci, non odores Arabici, non Cinnamus, Acanthus, Casia, aut Nardi Aristæ, Palmæ verticem odorifera mole premunt, sed porrò scripta hæc, Sole splendidiora, ornamentis queis affluunt, cuncta aromata superantibus, ingenij sublimioris, Palmæ ad instar, culmine composita, bustum extruunt Aliti, Authoris clarissimo nomine diutius perennaturo. Tertullian. Phœnicem *vitæ, & morti obnoxium* adumbrat. O fortunate de hinc Phœnix! iam fati expers, vitæ iugiter consors, à sæculis profecto prædicabere, & puriori eruditionis aura pervolantem te suspiciet posteritas.

Tertul. de Resurrect. Carn. c. 13.

Antipodas sic dilucidè ob oculos ponit, moresque eorum depingit, ac si *in aliû terrarũ Orbẽ delatus,* corũ litora peragrasset, sed nihil inhospitum, aut diffitum peregrino eius studio, vt cũ Ennodio dicam: *Non tibi ignotus est algor Scytiæ, non Meroe æstum, vt alterius possessor Orbis, ignoras.* Miranda sanè Operis compages, stuporeque dignum est, virum occupationum mole ferè obrutum, Pastoralibus ministerijs addictum, Verbi Divini præconio intentum, animarum saluti, oviumque incrementis sedulò invigilantem, Musis, & studijs vacare, litteris cùm Divinis, tùm humanis iugiter incumbere. Est Præclari Antistitis indefessus hic genius, censetque piaculum, vel momento hebescere mentis aciem, aut feriatum otio indulgere, dumtaxatque in laborum, curarumque vicissitudine, placidam quietem aucupatur: tanto proficiendi studio exardet: *Mentiuntur* (ait Seneca) *qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt.* Et infra: *Quocumque constiti locò, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid animo salutare verso.* Optimè id expressit V. P. Bartholomęus à Martyribus Braccharensis Archipræsul, Sac. Prædic. Ordinis Insigne ornamentum, mores Prælatorum informans: *Gregorius* (inquit) *Ambrosius, Augustinus, &c. regebant Ecclesias suas, prædicabant, scribebant.* Nunc verò in nostro Excellentissimo Antistite respirantes, ac redivivos Gregorium, Ambrosium, Augustinum intuemur; siquidem eorum mores præseferens, regit, prędicat, scribit, quo animarum lucro! quo Reipublicæ litterariæ ornamento! Hoc meritò iterare possumus verba, quæ D. August. de Ecclesia eleganter profert: *Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata ès, de prole tua tibi crevit paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Tantum abest vt ab Episcopali munere alienam hanc scriptionem arbitter, quod nihil antiquius, nihil proprius animadvertam. Episcopi *Canonum Magistri*, atque *Custodes* à Gelasio Papa appellantur. At nullum Magisterij Officio insitum ministerium potius quàm edocendi; nullum Custodis, quam Doctrinæ Clavibus aditum hostibus arcendi, obstruendi fores, &, si opus fuerit, conserendi manus. Episcopi tamquam *Filij Ecclesiæ primogeniti* honorantur, Patris igitur Dignitatem filius tenetur vindicare, & asserere.

Petron. in princip. Sat. Ennod. in Panegyr. ad Theodoric.

Senec. Epist. 61.

P. Barthol. à Martyr. Archiep. S. Bracar. de Mor. Prelat. p. 1. c. 7.

S. Aug. in Psal. 44.

Gelas. Pap. in C. Cum quibus. 36. 24 quæst. 3.

At non vltrò, & suopte genio tantum, Ecclesię honori propugnando animum, viresque admovit, quinimò Pontificis imperio audiens, illius morem gessit voluntati, atque offendiculis, quæ morabantur, disiectis, demandatam Provinciam alacriter suscepit: Dixi Pontificio iussu; at qualis, quantique viri! vniversalis Ecclesiæ Pastoris, Sanctissimi Innocentij XI. cuius interitus (nondum obducta qua in præcordijs sęvit cicatrice, nec detersis lacrymis) magnum sui reliquit desiderium. Ille igitur Sanctissimus Pontifex (*Innocentiæ Templum, Temperantiæ Sacrarium, Ara Iustitiæ*) Litteris in forma Brevis datis Romæ 10. Novembris 1680. nostro Excellentissimo Antistiti, hisce verbis rescripsit: *Innocentius Papa XI. Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ex litteris Fraternitatis tuæ, secunda Octobris datis, magno cum animo nostri gaudio, cognovimus ea, quæ ad tuendam, propugnandamque Immunitatem Ecclesiasticam, strenuè, ac viriliter egisti, vnaque Decreta, quæ*

Cassiodor. Var. lib. 1. Epist. 12.

ab

ab eximia Catholici Regis Pietate, adversus eiusdem Immunitatis violatores retulisti. Vteres verò, sicuti par est, insigni Zelo tuo laudes tribuentes, persuasum tibi esse volumus nulli Nos occasioni defuturos re ipsa, declarandi quam propensam erga te, hoc præsertim nomine, geramus voluntatem. Quod attinet ad facultatem absolvendi reos à Censuris, quam à Nobis requiris, cum transmissa iam hæc tibi fuerit, illud superest, vt similis tui esse pergas, animoque forti, ac inconcusso, Ecclesiæ iura custodire, ac sarta tecta servare continenter studeas, Dum Nos Fraternitati tuæ ad id alacrius præstandum Apostolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datis Romæ, apud Sãctam Mariam, sub Annulo Piscatoris, die 10. Novẽbris M.DC.LXXX. Pontificatis Nostri Anno quinto. Marius Spinula. Expendo dumtaxat postrema verba: *Illud superest, vt similis tui esse pergas, animoque forti, ac inconcusso, Ecclesiæ iura custodire, ac sarta tecta servare continenter studeas,* quæ licet de Valentina sponsa exaudiri queant, non immeritò, Vniversalis Ecclesia curam complecti facilè mihi persuadeo, præsens augurante discrimen, Sanctissima Divinis donis illustrata mente, futurorum (vt piè credi potest) præsaga, ac si cum D. Bernardo animum ad hæc scripta excitaret: *Quidquid habes virium, quidquid Zeli, quidquid sollicitudinis, quidquid Authoritatis, quid Potestatis impendes. Singulare periculum, singularem exigit operam. Fundamentum concutitur, & tamquam imminẽti ruinæ totis est nisibus occurrendum.* Quanti pendendum sit Sanctissimi Pontificis testimonium edisserit Symmachus: *Bonum de me indicium Parentis publici, conservatoris mei.* Et Sidonius: *Propter quæ omnia bona in viro sita lætor, ad puncta Censoris omnium voce concelebrati.* Cunctis placet Excellentissimus Prælatus, sed omnium optimo placere rarum honoris testimonium, secundum Heraclitum Physicum: qui summam laudis arbitrabatur placere vni, si esset optimus qui probaret. Infallibilitas Pontificij Oraculi, strenuè Volumine isto stabilitur; quæ ergo humana testatio honorificentior, aut sublimior Authoris Dignitatem efferet, & certò certius optimè de Ecclesia meritum poterit commendare?

S. Bernard. lib. 1. de Consider. ad Eug.

Symach. l. 1. Epist. 30. Sidon. Apol. lib. 8. Epist. 6.

At quamvis exoriente Sole siderum lumen marcescat, lubet obiter nonnulla lectissima subnectere suffragia, quæ eximium nostri Antistitis Zelum extulere. Sacra Congregatio, Immunitatis causis præposita, Litteris datis Romæ, septimo Kalendas Novembris ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Carpeña subscriptis; idem præstant Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales Cibo, & Altieri suis Litteris, datis Romæ, quarto, & quinto Idus Novembris anno 1680. Nec mirum hæc post Supremi Capitis Oraculum subijciamus, *non quo sententiæ illius ex aliorum consensu quæratur Authoritas, sed quia non patet suspicionibus iudicatum, á quo nemo dissentit.*

Symach lib. 1. Epist. 71.

Magni æstimabat Theodoricus attestationem Viri Purpurati apud Ennodium: *Vsus es in tuorum fide meritorum, teste Purpurato.* Porrò in Authoris laudem coniunctissimi conspirant Viri, nedum Purpura, & Ostro insignes, sed qui Purpuræ potius, virtutibus, ornamentum adferunt, quam à Purpura mutuentur.

Ennod. in Panegyr.

Sermonem datá opera compressi de Excellentissimi Præsulis avita, & spectata Nobilitate; de gentilitijs imaginibus, de Familiæ Heroibus, cum in temporali, tum in cœlesti militia præstantibus: *Isset per avitas tibi stylus noster Curules, &c. Qui si etiam in scribendis maiorum tuorum virtutibus fuisset hebetatus, tuis denuo meritis acuminaretur. Sed salutationem tibi debitam destinaturus, non quid fuisses, sed quid potius nunc esses considerabit.* Hanc si adlegissem Provinciam, dies, noctesque insumerem, & interminatam relinquerem, cum tantæ Gentis decora notiora sint, quam vt rudis meæ linguæ infantia exprimat, *vincitur sermo rei magnitudine, & minus est omne quod dicimus.*

Sidon lib. 7. Epist. 12.

D. Hierony. Epist. 3. ad Heliodor.

Sed iam quo me vertam nescio, aliò me vocat ingens Virtutum gloria, aliò Dignitatum vltrò ei delatum fastigium. Sacra Prędicatorum Familia Generalem Administrum, Valentina Ecclesia Archipræsulem, Regnum semel, iterumque

Symach lib. 10 Epist. 1.

Protegem veneratur: *Præconia virtutum tuarum presso dente constringo, præclaræ conscientiæ tuæ pendendum relinquens, quid vel ipse merearis, cuius ductu Provincia mihi amica respirat.* Illum adventantem vota cunctorum excepere, nutu, plausu, vocibusque conclamantium: *Videres refecta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum, & instabile vestigium caperet, oppletas vndique vias, angustum tramitem relictum tibi, alacrem hinc, atque inde populum, vbique par gaudium, paremque clamorem. Tam æqualis ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta est, quam omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu tuo, crevit, ac prope in singulos gradus adaucta est.* Mira expectatio! at illam affluenter superasse mirabilius. Dein Protege renuntiato, sibimetipsis omnes gratulabantur sæcula illa in memoriam revocantes, queis, apud Ægyptios, Sacerdotes Iudicum munus obibant; Ecclesiastica quippè, & Regalia iura sic amico fœdere sociavit, vt hisce innoxijs, illa sarta tecta servaret.

Plin. in Panegyr. Traj. dict.

Ælian var. Histor. lib. 14. cap. 34.

Et, vt iam ad metam proprius accedam, fas mihi sit Excellentissimum Antistitem reverenter iisdem met verbis compellare, quibus Synesius Cyrenensis, Theophilum Archiepiscopum: *Longa te, & felix senectus maneat, Vir Sanctissime, ac Sapientissime. Nam & alioqui ingens vita tua lucrum eris, superstes, & maxima scholæ Christi accessio, solemnium librorum numerus vna cum annis excrescens. Nam qui hocce anno missus est liber* (liceat auspicatò presagire) *& voluptate Civitates affecit, & profuit; hoc quidem, sententiarum gravitate; illud verò, suavitate verborum.*

Synes. Cyrenen. Ep. 9. iuxta Dionys. Petav. interpret. anno 1612. Paris. edit.

Verum vt ad præscriptum agam, nihil hocce in Opere Catholicæ Religioni, moribusque Christianis adversans offendi, quinimò maximum vtrisque emolumentum allatum iri, ex animi sententia censeo; nec minus fidenter sponsor adsum. Valentię, quinto Kalend. Augusti, Anno à Christo nato 1691.

D. Iosephus de la Torre, & Orumbella.

APPRO-

APPROBATIO A. R. P. M. Fr. IOANNIS *Nolasci Rison, Valentinæ Provinciæ, Sacri, Regij, ac Militaris Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ de Mercede, Redemptionis Captivorum Exprovincialis, eiusdem iam Definitoris, Regalis Valentini Conventus, & Collegij S. Petri Nolasco studiorum olim Præfecti, istius non semel Rectoris, bis Definitoris Generalis, ac Visitatoris, Reverendissimi Patris Magistri Generalis Socij, Baroniarum de Algar, & Escales Procuratoris Generalis, & vocis in per illustris Regni Ecclesiastico Stamento; in Valentina vniversitate septem liberalium Artium Magistri, Sacræ Theologiæ Doctoris, vtriusque facultatis Censoris, Cathedræ Metaphysicæ proprietarij, atque Moderatoris emeriti, & Valentini Archiepiscopatus Synodalis Examinatoris.*

OLUMEN istud *de Romani Pontificis Infallibilitate in rebus Fidei extra Concilium* ab Illustrissimo, & Excellentissimo D. D. Fr. Joanne Thoma de Rocaberti, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Valentino, Prçlato Assistente Sacro Romano Solio, huiusque Regni Valentini non semel Prorege, &c. elucubratum, quod mihi potiùs veneraturo, quàm censorium calculum, ob impares tanto muneri vires, prolaturo prælegẽdũ cõmisit D. Marcus Antonius de Alcaraz & Pardo, I. V. D. ac pro eodẽ Illustris. & Excellẽtis. Præsule in spiritualibus, & tẽporalibus Officialis, & Vic. Gen. summa animi exultatione legi, & à carceribus ad metas percurrens, à principio ad coronidem sitiens absolvi, materiæ nobilitate, & styli, ac eloquentię dulcedine illectus, vt possim iterare quod Ennodius: *Potior sitis est, quam vndarum gustus exaggerat.* Et quia, vt scripsit S. Sidon. Apoll. *Sic mens videtur in Libro, velut vultus in speculo* in huius operis elucubratione, velut in perspicua crystallini speculi area, Ingenij vivacitatem, Iudicij maturitatem, Memoriæ felicitatem, Theologię profunditatem, Sacræ Scripturæ intelligentiam, Juris Canonici peritiam, Antiquitatis Ecclesiasticæ reconditam eruditionem, & præcipuè insignem tuendæ Romanę Ecclesiæ Zelum, præclari Antistitis decora lineamenta, verboque vt absolvam, perfectissimi Scriptoris Imaginem perspexi. *Quod enim* (Nazianzeni verbis loquor) *disciplinæ genus non calluit? Imò quod non ea excellentia, tamquàm ipsi vni animum adiecerit? Sic quidem omnes comprehendit, vt nullus vnam; sic ad summum singulas, vt alias nihil omninò videatur curasse.* Perculsit splendida lux debilem meę mentis aciem, *& tantus exerciti claritate colloquij vestræ linguæ iubar affulsit, tanta se renidentis eloquentiæ lux vibravit, vt converso*

Ennod. Ep. Ticin. lib. 1. Epist. 15.
S. Sidon. Apoll. lib. 7. Epist. 11.
S. Gregor. Naz. Orat. in Magn. Basil.
Ven. Fort. Epist. ad Fel. Episc.

ordine mihi videretur verbis radiantibus ab Occidentali parte, te loquente, Sol nasci. Propugnat Excellentissimus Princeps, & omnigenæ doctrinæ paratura exornat Provinciam quam suscipit, ac validissimis momentis convincit, Romani Pontificis Authoritatem omnis erroris expertem esse, idque non solum Divinis testimonijs, Traditione, Secularium Principum Rescriptis, ineluctabili ratiocinationum pondere, luculenta Conciliorum Generalium in propria causa confessione præcipuè Tridentini *Sessione 7. de Bapt. cap. 3.* Lateran. sub Leone X. *Sessione 1.* & (quod non parvipendendum est) Gallorum Præsulum, qui in hoc stadio (proh dolor!) adversas partes agunt, apertis sententijs, fœliciori sæculo prolatis. Muneris sui memor, altera dextra (sinistrum enim nihil habet) tenens Baculum, quo gregem sibi commissum pascit, alia calamum pro gladio exerit, velut Paradisi Angelus, Ecclesiæ hostibus fores recludens, & subdolis doctrinis, quæ cardinem Ecclesiæ concutere intendunt, exilium indicit, nè in Catholicum Hispaniæ Regnum, alibi serpens pernicies, imò serpentis virus subrepat, gloriosam Immunitatem labefactans, de qua iam diù iure gratulabatur Hispanis Eminentissimus Cardinalis Historicus his verbis: *Hoc planè sibi laudis vindicavit Ecclesia Catholica in Hispania, vt non ab erroribus tantum, sed à suspicionibus esse voluerit immunem, quo factum est vt ex hoc ipso nostro sæculo cum longè, latèque facibus hæreticorum Orbis inflammaretur ipsa illæsa perstiterit, accurrentibus summa celeritate Dei Ministris, si vel tenuem scintillam viderint, latentis ignis inditium, ipso præcipuè Rege super omnes naviter incumbente.* (Baron. Ann. 589.)

Nec modò fulmineum ensem in dextera, sed splendidam in ore facem huius libri Doctrinam indigitare possumus. Præfert enim Archipræsul noster Sancti Parentis Dominici vestem, & Sacræ defensionis Fidei Tesseram, tantique Patris gloriosum successorem egit, cum ad totius Ordinis clavum sublimia ipsum merita, non tàm evexerunt, quàm dignè collocarunt. Quid mirum igitur, & Pastoris, & vigilantis canis Symbola gestantem luporum insidijs obsistere, defecatam, & ab omni errore purgatam Doctrinam, digito ad fontem (id est Cathedram Pontificiam) intento, posterorum memoriæ relinquere? & Apostolicum præceptum ad vnguem exequi: *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere?* (D. Paul. ad Tit. cap. 1.)

Non hic pertimescendæ Propheticæ minæ: *Canes muti non valentes latrare*, (Isai. 56.) cum in hoc opere, non stertentis catuli, sed vigilantissimi canis fures à vestibulo Vaticano abigentis, strenuas partes agat. Præcipua ovium custodis cura est, lupos à caulis avertere, & Agricolæ pinguia erudeerantis culta, colubros calcaneo insidiantes conterere. Quid magis lupos exprimit, quam Hæreticorum sub obscura errorum nocte grassantium prædatrix insania? quid serpentes, quam in eorum asseclis, versipelles doctrinæ, quæ sub specioso extollendæ Conciliorum, & Regiæ Authoritatis prætextu, Pontificiam Cathedram deprimunt, pessundant, & nihil minus quam Ecclesiæ Naviculam (irrito tamen, & infelici conatu) submergere intendunt? Utraque debellat validissimus Fidei Pugil, exclamans cum Divo Augustino adversus Neothericorum impias sententias: *Lupus est, agnoscite; serpens est, eius capita conquassate; blanditur, sed fallit; multa promittit, sed decipit.* (S. Aug. lib. 1. de Symb. cap. 11.)

Miranda sanè Operis structura, pijssimoque Principi gratulandum, quod subcisivas Pastoralis muneris horas elaboratissimo huic Libro concinnando, tàm benè collocaverit. Non secessum, aut gratam ruris quietem quæsivit.

Scriptorum Chorus omnis amat nemus, & fugit vrbem. (Horat.)

Sed obstrepente negotiorum, & Urbis frequentia placidissimum Musis otium invenit; somno, & quieti subtraxit (nescit enim Sol palpebras luminibus obtegere) pretiosissimas ingenij sui vigilias, quibus Fidelium mentes inexpugnabili recto hoc Propugnaculo, & Fidei Clypeo securiùs quiescant, & quod de Cæsare Seneca, possimus eloqui de nostro Præsule: *Omnium domus illius vigilia defendit;* (Senec. de consol. ad Polyb.) om-

omnium otium illius labor, *omnium delitias illius industria*, *omnium vocationem illius occupatio.* Nec minus merenter Sulpicij Severi elogium sibi adscribat : *Totus in lectione* , *totus in libris* , *non nocte requiescens*; *aut legis aliquid* , *aut scribis.* Cæteras illius virtutes, nè Herois magnitudinem tenui laude deteram, prudens omitto; sileo illius Prudentiam in rebus gerendis, Constantiam in adversis, modestiam in prosperis, comitatem erga omnes, austeritatem in se, & in subditorium vitia sævientem, generis splendorem virtutum fulgore certantem. Iuvat tamen pro omnibus extollere nominis, quo insignitur, gloriosissimum Emblema, vel potiùs præsagum omen, *Ioannis* quippè, & *Thomæ*, insignium huius Urbis Prçsulum, imò toto Orbe splendorum, doctrinam, mores, nedum præclarus Antistes transcribit, sed exactè refert, & repræsentat, vt licet in cæteris magnus sit, vel hoc solo maximus, audire possit

Sever. Sulp. Dial. 1. de mor. Mon. Oriental.

Ovid.

Maximé, qui tanti mensuram nominis imples.

Quid etiam quod in *Ioanne* Dei Gratia fulget; in *Thoma* abundantia doctrinę, & Angelicæ vitę typus radiat?

Extruxit Antiochenus Patriarcha V. Joannes à Ribera insigne erudiendæ iuventi Collegium; Pijssimus Prçsul S. Thomas à Villanova aliud, iuxta huius Urbis Atheneum, erexit. Præclara reliquit vterque Antistes doctrinæ monumenta, tùm libris editis, tùm in lucem (eam potius vt conferant, quàm vt accipiant) quantociùs prodituris. Herculeos Prædecessorum greges, premere certat, fœlici Pietatis audacia, noster Antistes, & quia amborum non vacua suscepit nomina, imitari cupit & gesta. Divino cultui, animarum profectui, & paupertatis subsidio invigilans, Collegij, Sanctissimo Pontifici PIO V. dicati, nunc pridem fundamenta iecit, in magnam Diœcesis vtilitatem provehenda.

S. Sidon. lib. 4. Epist. 18.

Creveruntque simul, valido tribuente Patrono;
In spatijs ædes, conditor in meritis.

Erudiuntur quippè illic adolescentes omnibus perfecti operari Apostolici artibus, instruuntur pijs exercitijs Sacris Ordinibus initiandi, emittuntur perstata tempora Concionatores Zelo Dei ferventes, qui Diœcesim fructuosissimè excolant.

Venant. Fortun. ad Leont Episcop lib. 1. carm. Ennod. Ep. Ticin. lib. 4. Epist. 7.

Et probat esse tuum, quod modo culta placet.

Ad ripam Turiæ sita est Ædes, auspicio vberis animarum proventus, spargitur quippè incolentium virorum Charitas, ad irriganda Fidelium corda, *magni more fluminis, qui quoties ab alveis, vt ariditatem finitimam temperet, ad obliqua invitatur, optanti tenuem rivulum totus illabitur, & marcida profundo squalore terga, per ebrietatem vndæ salutaris infundit.*

Horat. D. Hierony. in Cathalog. log. script. Eccles. de Quadrat. Apost. Discipulo.

Hac spirituali munificentia non satiatus animus magni Antistitis, vt *monumentum ære perennius*, *Regalique situ Pyramidum altius* extruat, Librum hunc, *pro Religione nostra compositum*, *valdè vtilem*, *plenumque rationis*, *& Fidei*, *& Apostolicæ Doctrinæ dignum* (vt cum D. Hieronymo, & meum iudicium proferam) in lucem edere parat, non tàm propriam, quàm aliorum. Quarè nedum Prçlo, sed pulvino dignum censeo. Plaudat igitur Dominicana Religio, hoc fœtu Polemici sui muneris adversus Ecclesiæ debellatores recenter nobilitata. Gratuletur Valentina Academia, quæ pridem Philosophiæ, ac Sacrę Scientiæ Professorem, Censoremque per plures annos agnovit, nunc veneratur Cancellarium, & pijssimum Patrem, bis quinquaginta studiosorum quotannis nuditatem tegentè, & *scrupea* illa Chironis *schola* gloriosior, exultet tanto Achille. Lætetur Metropolitana Sponsa, non modo pretiosis monilibus, sed novo scientiæ splendore ditata.

Tertull. de Pall.

Venant. lib. 3. ad Eufron. Episc.

Ecclesiæ lampas sub te radiante coruscat;
Lumine Pontificis fulget vbique Fides.

Gaudeat

S. Hieron. Epist. ad Heliodor.

Gaudeat tandem Romana Sedes; & Ecclesiæ Navicula; quia *iam pandenda vela sunt ventis, & quæstionum scopulis transvadatis, lætantium more nautarum Epilogi Celeusma cantandum est*. Et vt cunctorum lætitia diutius prorogetur.

Venant. carm. ad Felicem Episcop.

Vive decus Patriæ, Fidei lux, Auctor honoris,
Splendor Pontificum, noster, & Orbis amor.

Sic censebam. In hoc Regali Cœnobio Beatissimæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum. Die 25. Julij. Anno 1691.

Fr. Ioannes Nolascus Rison.

Imprimatur
Doct. Alcaraz
Vic. Gñl.

Imprimatur
Pons, R. F. A.

PRAE



PRAEFATIO·

AM tibi in votis erit, chariſſime Lector, ſcire, quid me ad hoc aggrediendum opus impulerit. Non vna dumtaxat, ſed pluribus adductum rationibus, id me laboris ſuſcepiſſe, credas, quas ſub brevitate præſtringam. Primò quidem ex cryſtallinis Sanctorum Patrum Fontibus hauſiſſe, pręcipuum cuiuſcumque Catholici Scriptoris munus, męęque Dignitatis propriſſimum eſſe, improbam, ac pravam Hæreticorum doctrinam Mundo detegere, eorum errores proſcribere, illorumque ſequaces argumentorum telis confodere. Quàm præclarè ingeniorum Apex AUGUSTINUS! *Fides ſaluberrima, quæ ad veram Beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua ſcientia non pollent Fideles plurimi, quamvis polleant ipſa Fide plurimùm. Aliud eſt enim ſcire tantummodò, quid homo credere debeat, propter adipiſcendam vitam Beatam, quæ non niſi æterna eſt; aliud autem ſcire, quemadmodum hoc ipſum & pijs opituletur, & contra impios defendatur.* Catholicus Author non ſolum debet eſſe veritatis Doctor, & ſanæ, Catholicæque Doctrinæ Magiſter, ſed & contradicentium profligator, eorum errores patefaciens, né Catholici falſis circumveniantur doctrinis, iuxta illud S. LEONIS MAGNI: *Magna eſt pietas prodere latebras impiorum (videlicet Hæreticorum) & ipſum in eis, cui ſerviunt, diabolum debellare.* Et quidem vt NAZIANZENUS inquit: *Magnum eſt, invidiam reprimere, adulterium coercere, furtum caſtigare; quantò maius pietatem promulgare, ſanamque Doctrinam elargiri?* At quomodò, id pręſtandum ſit, eleganter tradit ipſe Sanctus, Orthodoxum Scriptorem commonens, vt veritates Catholicas firmitèr ſtabiliat, & errores eis oppoſitos, quos communitèr ſequuntur Hæretici, funditùs evertat: *Vnum, quo Dogmata noſtra confirmamus; alterum, quo adverſariorum dicta ſubvertimus.*

De Trinitate, lib.14.cap.1.

Serm.4 de Colle& & Eleemosyn

Orat in dictũ Evangelij: Cũ conſummaſſet, &c.

Orat 1. de Theolog.

Egregiè facit illud S. GREGORII MAGNI dicentis, ſic debere Orthodoxos in Fidei & Eccleſiæ hoſtes inſurgere, vt pro viribus conentur: *Aſſertiones hoſtium, falſas oſtendere, & tunc pędicamenta veritatis aperire.* Iam S. Gregorio Nazianzeno florente, inventi fuerunt aliqui, qui doctrinæ ſuę falſitatem, veritatis ſpecie obumbrarent; alij, qui ſectas, quas à maioribus didicerant, quaſi traditiones quaſdam firmitèr tenere, ac pervicacitèr teneri conabantur, mortiferum illorum errorum venenum, quaſi potabile lac ebibentes; alij tandèm, qui inanis, & popularis gloriæ ſtudio, & dominandi cupiditate illecti ſeſe falſitatum magiſtros, contra veram Dei, Eccleſiæque Doctrinam, exhibuerunt. Multi enimſunt (docet Sanctus) qui à veritatis ſtudio, ſub ſpe inveniendæ veritatis, aberrarunt, qui etſi ad veritatem faciliùs revocari poſſint, ſi quis eos, vt ferrum ſilicem, tempeſtivus ſermo pulſaverit, tamen dum adhuc ſub veritatis vmbra quieſcunt, numquam intelligentiæ lux ſuper illos effulget: Alij verò ſunt, qui ſectas ſuas, ſibi à maioribus traditas, pertinaciſſimè tueri, ac defendere, ſatagunt; nec conſiderant, quales ſint, ſed ex hoc probatas accipiunt, veraſque eſſe confidunt; quia ita à parentibus didicere; ita fit, addita conſuetudine, à teneris annis pueribus animis impreſſa, vt ſuperſtitiones ſuas defendant,

lib.5.Moral. cap.2.

Apologet.1.

parati potiùs vitam profundere, quàm opinionum, quas è domo secum afferunt, & pravorum Dogmatum, quæ vnà cum lacte biberunt, abjiciant disciplinam.

Alij etiam sunt qui inanis gloriæ studio, dominandique libidine in excelsum loquuntur, adversus agnitam veritatem insurgunt, rebelles lumini, dicentes Deo: *Scientiam viarum tuarum nolumus.* (*Iob* 21.) & hi diabolo affines sunt, quorum intellectus constringitur, quasi lapis, & induratur, quasi malleatoris incus, vt illos efficax Dei sermo, qui est malleus conterens petras, solum possit effringere. Et sunt nonnulli, qui per imperitiam, eiusque comitem temeritatem, adversus omnem veritatem suillo quodam affectu gradiuntur, pulchrasque veritatis margaritas conculcant. Hæc ille. Huiusmodi sunt perniciosissimi Hæretici, Lutherus, Calvinus, & alij, quorum execrandos errores, contra Supremam Pontificiam Authoritatem, assiduè subnascentes, toto hoc Primo Tomo suscipimus profligandos.

Secundæ, & principaliori rationi, quę nostrum animum induxit, vt de Romani Pontificis Infallibilitate ageremus, ansam præbuit Gallicani Cleri declaratio, Parisijs facta *anno* 1682. infrà adducenda. Et quamquam præteritis hisce temporibus, certissimè sperabatur, Illustrissimos illos Gallicanæ Ecclesiæ Proceres, Doctrinę, & Sanctitatis dotibus plenè instructos, acuratè perpensis, ac præmaturè consideratis gravissimis incommodis, perniciosissimisque effectibus, proculdubio suborituris, si Doctrina Catholico Dogmati, venerationi, & respectui Apostolicæ Sedi debito, Fideiquè certitudini adeò nociva, diutiùs in eo Regno perstaret, accedentibus præcipuè, tùm paterno Amore, quo Sanctissimus INNOCENTIVS XI. illis Regnis semper consuluit, tùm Pastoralibus admonitionibus, quibus pro suo Apostolico munere, nè huiusmodi Doctrinę latiùs in illo Regno grassarentur, impensè conatus est, prædictas Propositiones, vel temperaturos, vel D. Augustini, aliorumque inhęrentes vestigijs, cum *prudentis sit mutare consilium*, retractaturos: attamen cum manifestè constet, eos *ab anno* 82. quo huiusmodi doctrinę monstrum erupit, ad hodiernum vsque diem, *novem* hisce *annis*, ab exitiosa illa Sententia neutiquam discessisse, nec aliter sensisse, vt apertè deducitur ex Sanctissimi ALEXANDRI VIII. Diplomate *die* 13. *Ianuarij præsentis anni* evulgatò; cùmque, & insuper ad nos perlatum sit, huiusmodi Propositiones, quarum Doctrina reliquos Christiani Orbis incolas, Catholicæque Fidei Professores graviter offendit, in omnibus illius Regni Vniversitatibus, Superioris pręcepto, publicè edoceri; nè tam pestifera lues hæc Hispaniarum Regna, ex intimis pręcordijs Catholica, sua vicinitate inficiat, operæpretium duximus, venenum in prędictis Propositionibus latens in ipso Operis limine prodere, nè incauti, qui libros in quibus prædictæ Propositiones continentur (quorum vtinam nullus in Hispaniarum Regnis extitisset) casu aliquo inciderint, hisce dolis innectantur, ac huiusmodi antidoto faciliùs possint, sese pręmunire, pręcipuè in his nostris Regnis, in quorum Religiosissimis Regibus, & invictissimis Monarchis, innatus Christianæ Religionis Zelus, Fidei Puritas, ac summa veneratio erga Supremum Sanctæ Sedis, & Apostolicę D. Petri, illiusque Successorum Thronum, singulari quadam excellentia adeò semper effulgent, vt quæcumque Propositio, quæ vel levissimam Pontificiæ Authoritatis offensionem, aut minimum tantæ Dignitatis dedecus continet, non modo non toleretur, sed execrabiliùs etiam existimetur delictum, & improbissimum facinus iudicetur, statimque in Sacrosanctæ Fidei Tribunali proscribatur, eiusque Author digna tanto scelere pœna mulctetur. Vtinam in reliquis Christiani Orbis Regnis religiosissimum istud in Fidei perduelles exerceretur Iudicium; sic enim, nec hæreses in illis tam latè diffunderentur; & Catholicæ Fidei, ac religionis Vexillum gloriosiùs in Fidelium animis triumpharet.

Velle ergo comminationum vi, & pœnarum, suppliciorumque minis has Propositiones, & Doctrinas, adeò à Christiana Pietate, & communi Orthodoxorum sensu alienas, in Christianissimis illius Regni cordibus intrudere, non potest, non summam admirationem afferre, vt sequentibus rationibus demonstra-

ſtrabitur. Primò ; quia in omnibus Chriſtianiſſimis Regibus ; qui Ludovicum XIV. nunc Sceptra gerentem, præceſſerunt, ferventiſſimus Chriſtianæ Religionis Zelus, & ſumma erga Pontificiam Authoritatem veneratio, ac præſentiſſimum in arduis rebus ſolatium, adeò ſemper enituit, vt præclariſſima eorum hac in re facinora, heroicaque geſta immortale illis nomen compararint, vt ex ſequentibus innoteſcet. Præclarum enim Galli Regis ſtudium, præcæteris expertus eſt Gregorius II. qui cum CAROLO MARTELLO fœdus inijt, vt ſi opus eſſet in Italiam ſeſe conferret, proque Romana, adverſus impugnantem eam Imperatorem, Eccleſia, defenſionem ſuſciperet. Huius autem ſancita Carolum inter Pontificemque confœderatio totius Italiæ commodis, incolumitatique adeò profuit, vt mox Imperator ab inferendis in Italiam armis abſtinuerit, teſte Cardinali BARONIO. *Ad annum 726.*

Et quidem in Summi Pontificis veneratione, primum ſibi vindicat locum, corpore quidem brevis, ſed animo ingens, PIPINUS REX, cuius humillimam erga Zachariam Pontificem ſubiectionem, promptamque in Stephanum Papam III. obedientiam, nemo eſt, qui non miretur. Vbi primùm Beatiſſimus Pater Longobardis Eccleſiæ terras depopulantibus, Vrbemque obſidere parantibus, ipſius opem inclamaſſet, protinus ovis vocem Paſtoris audivit; nam ſuos ad eum Legatos Galliam pro aſylo, armaque pro defenſione oblaturos, quàm primùm deſtinavit; idem BARONIUS. *Ad annum 753.*

Adfuit iterùm ad eiuſdem Stephani III. Pontificis Maximi defenſionem idem Rex PIPINVS, cum Aiſtulphus, Longobardorum Rex, ingenti Vrbem, ac Pontificem exercitu obſediſſet: mox Pontifex in Franciam Nuntios miſit, ac litteris Pipinum adverſus tyrannum excitavit, quibus excitus Pipinus, qui nihil vnquam antiquiùs habuit, quàm vt Romano Pontifici, cui & obtentum Regnum adſcribebat, deſerviret, ipſique Romanæ Eccleſiæ ſuppetias ferret, comparatis copijs, expeditionem in Italiam adverſus Longobardum Regem paravit. Sed iam fœliciſſimum huiuſce certaminis exitum ab ipſo Stephano Papa ad Pipinum, eius, & Apoſtolicæ Sedis acerrimum propugnatorem, ſcribente, audiamus ex BARONIO: * Explere lingua, excellentiſsime Fili, non valemus, quantùm tuo opere, tua vita delectamur, facta quippè diebus noſtris Virtute Divina miracula vidimus, quod per excellentiam tuam Sancta omnium Eccleſiarum Dei Mater, & Caput, Fundamentum Fidei Chriſtianæ, Romana Eccleſia, quæ valdè ab hoſtium impugnatione lamentabatur, magna nunc gaudij ſoliditate, nimiùm eſt confirmata, & mœrentes Chriſtianorum animæ, tuo fortiſsimo præſidio maxima ſunt relevatæ lætitia, &c. (Et infra:) Libet omninò, excellentiſsime Fili, tuæ bonitati magnas gratiarum perſolvere laudes, & nomen Domini, pro tam magna benignitate, glorificantes, exhilarata voce canere: *Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitavit plebem ſuam*; & redemptionem facere cupiens Populo ſuo, ſuſcitavit te nobis, Chriſtianiſsime Victor Rex, diebus noſtris fortiſsimum liberatorem, &c.* *Ad annum 756.*

Apud omnes perſpectum eſt, Pipinum Regem, ob ſingularem Religionis cultum, munificentiamque, qua Romanam Eccleſiam ſemper fuit proſequutus, immortalem ſibi apud homines laudem, æternamque apud Deum gloriam peperiſſe: vndè inter cætera veterum Scriptorum monumenta, quibus hocce tanti Principis ſtudium, ſummis laudum præconijs celebratur, Ravennæ antiqua legebatur Tabula, cuius tamen hæc ſolummodò verba integra remanſere.

** Pipinus Pius primus amplificandæ*
Eccleſiæ viam aperuit, & Exarchatum
*Ravennæ cum ampliſsimis, &c.**

Hæreditario pietatis, atque in Apoſtolicam Sedem Devotionis Zelo, incenſus CAROLVS, ter Magnus, Adriani Pontificis maximi monitis vltrò obtemperans, adverſus Deſiderium, Longobardorum Regem, Pontificiæ ditionis perturbatorem, caſtra direxit, ac glorioſiſsimum de eo triumphum reportavit.

Nec ſolus Adrianus Papa regalem tanti Principis munificentiam expertus fuit, Sanctiſſimus quoque ipſius Succeſſor Leo III. in magnis ærumnis non

alium

alium asylum poposcit; nisi Caroli Magni Aulam, ac Francorum, sibi favens, Regnum adivit; vt testatur ANASTASIVS. Carolus deinde Romam, cum Pontifice, adveniens *propter reparandum qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum (vt ait Eginhardus) Pontificis iura egregiè propugnavit.* In tantum verò Apostolicæ Sedis Decreta est reveritus, vt hæc prolata ab eo verba afferat GRATIANVS: *In memoriam B.Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis ::: Vt licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.*

Apud Baronium ad annum 779.

19. distinct. cap.3.

Sed nec prætereundum est, aliud huius Christianissimi Principis maximè memorabile facinus, illud nempè præceptum tribus ab eo filijs publica, solemnique testificatione, in hæc verba relictum, vt testatur BARONIVS. *Super omnia autem iubemus, vt ipsi tres fratres curam, & defensionem Sanctissimi Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab Avo nostro Carolo, & beatę memoriæ genitore, Pipino Rege, & à nobis postea suscepta est, vt cum omni adiutorio, ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam, quantùm ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant.*

Ad annum 806.

At si CAROLUS MAGNUS, illiusque maiores Apostolicam Sedem singulari honore, & reverentia prosequuti sunt, non minori certè studio, & observantia, illius Successores eamdem Sedem coluerunt, pro tuendo enim Summo Pontifice diligens in Ludovico Pio Imperatore studium mirificè enituit. Quo enim ardore ipsius effervescere Zelus cœpit, vbi primùm barbaras Apostolicæ Sedis terrarum depopulationes, luctuosasque Leonis Papæ erumnas audivit? Nequissimos ipsius persecutores, omnesque tanti sceleris socios digna percussit animadversione: Stephanum verò Papam V. (licet quartus fuerit nuncupatus) in Franciam adventantem, summo accepit honore, in tantum (teste Cardinali BARNNIO: *Vt pro illius amore in finibus Franciæ super omnia dona, quæ ei largitus est, curtem de suo proprio Fisco B.Petro Apostolo perpetuali vsu perceptionis paginam concesserit.* Vti ANASTASIUS Bibliothecarius etiam affirmat.

Ad annum 816.

Pręclarum huiusmodi ingentis erga Apostolicam Sedem Cultus, Venerationis, & Observantiæ exemplum posteris dereliquit Imperator LOTHARIUS, Natione Gallus. Quis enim vnquam maiori ea, qua ipse ad Nicolaum Papam reverentia, scribere possit? *De vestro (inquit) tamquam Spiritualis Patris regimine, spiritualia, ac salubria inhianter audire, desideravimus, imò quasi de Paradisiaco fonte, vitæ pocula in posterum haurire, parati simus.*

Ex Epist. Lothar. ad Nicol. Pap.

Sempiterna namque memoria dignus est honor, & cultus, quo magnanimus HUGO CAPETUS, regali sua in Ioannem XV. modestia, se verum, ac germanum Imperialis secundæ stirpis, non nisi Pontificum commodo fructus proferentis, germen demonstravit; nam cum Arnulfo, Rhemensi Archipresule, in exilium acto, timeret, nè Summus Pontifex de ipsius in Apostolicam Sedem studio dubitaret, confestim Legatos de tota re ipsum edocturos misit, cum his filialis in Patrem timoris indicibus literis. *Beatitudini Vestræ ego; & Episcopi Regni mei, per Ioannem Archidiaconum Rhemensis Ecclesiæ scripta direximus, in quibus Arnulphi rationes vobis explanavimus; sed nunc obsecrando superaddimus, vt mihi, meisque iusta decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra Apostolatum vestrum egisse scimus, &c.*

Ex Epist. Reg. Hugon Capet. qua reperitur inter literas Gerberti Rhemen. Archid. postea Sylvestri II. PP.

PHILIPPVM I. etsi inordinatus Amor in vltimas anathematis angustias deduxerit, obsequentissimum tamen Apostolicæ Sedi semper perstitisse, testes sunt Bertoldus, & Glaber sinceræ Fidei Authores; legatos namque pro reatuum venia deprecanda ad Paschalem II. misit, atque *in gratiam receptus est, seque in servitium Domino Papæ promptum exibuit.* Cum insuper Vrbanus II. opem contra Henricum imperatorem, Ecclesiam perturbantem, ac invadentem quærens in Galliam adventaret: *Occurrit (Sugerio teste) Rex Philippus, & Dominus Ludovicus Filius ejus gratanter, & votivè amore Dei Maiestatem Re-

Bertold in Histor. anno 1096.

In Vita Philip. I.

Regiam pedibus eius incurvantes, quemadmodum consueverunt ad Sepulchrum Piscatoris Petri Reges, submisso diademate, inclinati; quos Dominus Papa manu erigens, tamquam devotissimos Apostolorum filios, ante se residere fecit.*

Gloriosi istius in Pontificiam D. Petri Cathedram obsequij, humillimæque erga Apostolicam Sedem subiectionis (cuius in ipso iam ætatis flore præclara specimina dederat) nullatenùs expers censendus est LUDOVICUS CRASSUS cuius protectione, securumq; Galliæ Asylum, cõtra Petri Leonis, Antipapæ, Romanam Sedem per summam vim, ac nefas occupantis, insolentiam Innocentius II. petiit: *Vt autem (prosequitur idem Sugerius S. Dionysii Abbas) vsque ad S. Benedictum super Ligerim descendit Dominus Rex, cum Regina, & filijs, ei (id est Innocentio II.) occurrens, & nobilem diademate sępius coronatum verticem, tamquam ad Sepulchrum Petri Inclinans, pedibus eius procubuit, Catholicum filij affectum, & devoti Officij effectum, ei, & Ecclesiæ promittit.* *In Vita Ludo v. 6.*

Verùm si Pipinus, Carolus Magnus, cæterique Francorum Reges, & Principes miram illam, quam diximus, reverentiam Sanctæ, & Apostolicæ D. Petri Sedi detulerunt, haud minora huius pijssimi Zeli, erga Apostolici Throni defensionem indicia prębuit LUDOVICUS VII. qui Eugenium III. ab Anorldistarũ seditiosa factione, Roma pulsum, summo cum honore suscepit protegendum: atque Alexandro item III. Octaviani Antipapæ insolentiam, Friderici que Imperatoris, ipsi faventis, sævitiam declinanti, idem præstitit officium; Imperatorisque Legatis de ipsius in Alexandrum studio conquęrentibus, tale dedit responsum: *Miror prudentem virum vana mihi, & fabulosa verba misisse. An ignorat pręfatus Imperator, quod Dominus noster IESUS CHRISTUS cum esset in terris, B. Petro, & per eum vniversis Successoribus eius, oves suas pascendas commisit? Nonnè audivit in Evangelio, ab eodem Dei Filio, eidem Principi Apostolorum dictum: *Simon diligis me? Pasce oves meas.* Numquid sunt hi Francorum Reges, vel antiqui Prælati excepti? An Episcopi Regni mei non sunt de ovibus, quas Filius Dei B. Petro commisit? * Et nè verbis tantummodò Supremi Capitis salutem tutari videretur, armis etiam, toto Regno evocatis copijs, insanum Imperatorem ad saniorem adducere sensum, collato cum Regni Proceribus consilio, decrevit. Sed iam BARONIVM audire liceat, eiusdem Pontificis in Parisiorum Vrbem ingressum, ita graphicè describentem: *Adveniente Quadragesima, colloquium habiturus Alexander Papa, cum ingressurus esset, tamquàm pius, & mitis Rex (Ludovicus scilicet) cum Baronibus, & Militibus suis per duas leucas illi occurrit, quo viso, statim descendit, ad streguam eius festinantèr occurrens, humilitèr deosculatus est pedes ipsius, & statim ad eius oscula cum devotione fuit receptus, &c. * *Robert. de Monte in Actis Alexand. III. anno 1166.* *Ad Annum 1162.*

Inter cæteros tamen Galliæ Reges mirificè effulsit Sanctissimi Regis LUDOVICI IX. pietas, qua summam erga Apostolicam Sedem venerationem, observantiamque filio suo commendavit; sic enim ipsum alloquitur (apud GAUFRIDUM DE BELLO LOCO, Ordinis Prædicatorum Theologum, qui iussu Gregorij X. vitam scripsit eiusdem Sancti Regis, cui annis viginti à sacris Cõfessionibus, ac Consilijs fuerat:) * Sis devotus, & obediens Matri nostræ, Romanæ Ecclesiæ, & Summo Pontifici, tamquam Patri Spirituali. * Quæ quidem non verbotenùs prolata, solique linguæ inserta, sed intimis etiam præcordijs Sancti Regis in fixa, testatur GUILLELMUS CARNOTENSIS, eiusdem S. Regis Capellanus, Prædicatoriæque Familiæ alumnus: * Sanè (inquit) quàm reverenter, & humilitèr erga Sanctam Romanam Ecclesiam semper se habuit, quàm devotè, & obedienter Rescripta, & mandata Apostolica consuetus erat, suscipere, quàm obedientèr, & efficaciter, sicut verus filius obedientiæ adimplere, norunt illi, qui familiaritèr ei adhærebant; ipse enim negotia Matris Ecclesię, plusquam propria, reputans, ea totis affectibus promovere curabat. * *Cap. 15. de Vita S. Ludovici.* *Lib. de vita & Mirac. S. Ludovici.*

Præclaram quoque sibi laudem meretur eximia illa erga Apostolicam Sedem veneratio, quæ in Rege CAROLO VII. sub Amadæi Pseudo-Papæ schismate enituit: ipse enim à vero CHRISTI Vicario Nicolao V. legitimo Euge-

mi IV. successore semper stetit; quamobrem POGIUS hoc illum dignissimo decoravit elogio: * Regis Franciæ (scilicet Caroli VII.) animus semper firmus, & inconcussus stetit pro servanda vnitate Ecclesiæ; semper hęsit vero Vicario Christi, semper Eugenium, & Nicolaum, Viros Sanctissimos, Pontifices summa coluit veneratione. *

Invectiva contra Amadeum Pseudo Papam.

Non minus PIO II. studium præstitit LUDOVICUS XI. cum de Pragmatica ageretur, cuius vsum à se tollendum, cum ipsius mos sibi planè odiosus videretur, litteris significavit, maiorem eius in Religionem, quam in proprij commoda Regni ardorem continentibus: quarè Sanctissimus Pontifex, viso eius erga Ecclesiastici iuris defensionem desiderio, incredibilem lætitiam continere non potuit, quin eam, notatu dignis hisce verbis, ad Regem directis, testaretur: * Carolus Magnus, & plures ex Progenitoribus tuis immortale nomen, & inextinguibilem conservarunt gloriam, quia Romanam Ecclesiam, Matrem suam, debito sunt honore prosequuti; quorum te vestigijs inhęrentem, & diligimus totis pręcordijs, & laudamus, & omnis te posteritas celebravit.* Hæc Pontifex. Ad quem Devotissimus Rex ita rescripsit: * Tibi Sanctissimo, & Beatissimo Patri nostro Papæ, Obedientiam filialem, & plenos devotionis affectus deferimus, promittimusque in filiali erga vestram Sanctitatem Obedientia, Decessoribus nostris, haud quaquam inferiores futuros. &c.*

Epist. 387. ad Lud. XI.

Tandèm celebratu dignum est, quod sub Gelasio II. contigit, vt refert S. DIONYSIJ ABBAS, haud ignobilis Author: * Cum tyrannide Imperatoris, per Romanos à Sede Romanæ Ecclesiæ arceretur, ad protectionem Serenissimi Regis Ludovici, & Gallicanæ Ecclesię compassionem, sicut antiquitùs consueverunt, confugit.* A quo perhumanitèr susceptus, amplissimoque in honore habitus, ac tandèm in Apostolicum Thronum vindicatus, tanti beneficij memor, obsequiosissimum Gallorum Regum erga Apostolicam Sedem obsequium, ardentissimumque studium, quo Christianissimi Principes, Romanæ Ecclesiæ iura, Summique Pontificis Authoritatem defendere, tuerique solebant, summis laudibus commendavit, vt testatur PANDVLPHUS, vbi hæc Pontificis verba leguntur: * Viri fratres, & filij, sicut nec longè malum, ita nec longo opus est, nec novo sermone. Sequamur Patres nostros; quoniam valdè bonum est, antiquos sequi parentes; siquidem illud vnicum, vsitatum, obvium, certumque refugium fuit semper Romanis Pontificibus, persecutione vexatis, Regnum Francorum, ipsosque Reges adire, à quibus, & dignè consuevissent suscipi, dignius retineri, atque dignissimè, cum adessent, compressis hostibus ad Romanam Ecclesiam revocari: Adeò, vt si quis dicat, Portum Romanæ Ecclesiæ, & fluctuantis Naviculæ Petri Galliam esse, non mentiatur. *

Apud Baron. in Gelas. II.

Cum ergo pijssimi illi æquè, ac Christianissimi Principes hisce, alijsque plurimis memorabilibus factis, ęterna memoria dignis, Successores suos ad Romanam Ecclesiam protegendam, istius iura tuenda, & maiorem Apostolico Throno, ac D. Petri Cathedræ honorem, venerationem, & cultum exhibendum, quasi quibusdam stimulis incitarint, non potest non summum dolorem, admirationemque afferre, Christianissimum Regem LVDOVICUM XIV. denigrare velle gloriosissimum illud nomen, quod sibi præclarissimis rebus gestis conciliarat, dum patitur in suo Regno, singulari quadam excellentia, Christianissimo ipsius iussu, & præscripto, publicè defendi doctrinas, non quidem defensivas, sed potiùs directè offensivas Supremæ Pontificiæ Authoritatis, cuius sese acerrimos tutores, atque propugnatores gloriosissimi illius Prædecessores, invicto animo, commendabilique veneratione, & obsequio exhibuerunt.

Secundò, admirationem excitat, Christianissimi illius Regni Antistites non ea, qua par est, animi gratitudine satisfecisse pręclarissimo illi Zelo, quo Summi Pontifices protegenda Gallicanæ Ecclesiæ iura, eaque tuta, ac sarta servanda diligentèr curarunt, ipsi in durioribus fortunæ casibus paterna semper charitate patrocinantes. Plura possem præsentissimæ huius opis exempla ex antiquis monumentis proferre; vitandę tamen molestiæ ergo, duo tantummodò adducam, eaque recentissima.

Primum

Primum sit, quod sub Innocentio X. contigit. Perniciosissimis Iansenij propositionibus, quas illius asseclæ, contra Fidem, probosque mores disseminabant, Francorum Regnum turbulentissimè agitabatur; & quamvis magnam huius perniciei partem, iam Sanctissimi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. atque Urbanus VIII. suis, contra Michaëlis Bay propositiones, Pontificijs Diplomatibus compresserant, denuò tamen, nocivis hisce Iansenij erroribus tota Gallia commovebatur. A prædictæ ergo perturbationis decennio GALLICANI ANTISTITES ad Innocentium X. confugerunt, vt in tanta rerum commotione, Gallicum mare, hisce ventorum flatibus concitatum, paterna Providentia sedaret; vt ex illorum Epistola patescit, in qua Innocentium Pontificem sic alloquuntur: * Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia, magno nostro mœrore, commovetur, ob librum Posthumum, & doctrinam R. Cornelij Iansenij, Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat, tum Concilij Tridentini Authoritate, tum Bullæ illius, qua Vrbanus VIII. Fœl. Mem. adversus Iansenij dogmata pronunciavit, & Decreta Pij V. & Gregorij XIII. in Baium edita confirmavit. Atque huius quidem Bullæ veritatem, ac robur, novo Diplomate vindicasti, &c. *

Epist. Episcopor. Gallic. ad Innocen. X.

Nihilominùs tamen, quoniam Iansenistæ novis, futilibusque cavillationibus Innocentij X. Diploma eludere conabantur; denuò eundem Pontificem humilitèr deprecati sunt, vt præcipuas Iansenij propositiones in specie condemnare, & vnicuique earum illam, quam merebatur, Censuram dignaretur inurere: * Obtestamur ergo (inquiũt) vt has, præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, ac perspicuam, & certam de vnaquaque sententiam ferat. (Et *infra*:) Experta est nuper Beatitudo Tua, quantùm Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ capitis errore profligando valuerit Authoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad CHRISTI vocem, & imperium, venti, & mare obedierunt. * Huic Epistolę non minus, quàm 85. Gallicani Antistites subscripserunt.

Hisce ergo pijssimis precibus, quibus Sanctissimi illi Gallicanæ Ecclesiæ Proceres, æquissimo dolore commoti, opem ab Apostolica Sede implorarunt, præstò adfuit Sãctissimus Põtifex INNOCENTIUS X. ipsisque suppetias tulit, prædictas propositiones condemnans; quò omnis illa tempestas toti Galliæ, Belgio, & reliquo Christiano Orbi perniciosa, penitùs sedata est. Gallicani verò Præsules, nè prę̨sentissimum istud auxilium, quo eis Apostolica Sedes fuerat suffragata, aliqua deleret oblivio, gratulatoriam Epistolam præfato Papæ Innocentio X. scripserunt, qua debitas ipsi rependunt grates, quod ipsis, in tot angustijs constitutis, paterna Charitate fuerit opitulatus, seseque tanti beneficij memores, hisce verbis, profitentur: * Beatissime Pater, optata pervenit ad nos tandem Constitutio illa, qua vestræ Sanctitatis Authoritate, quid sentiendum sit de controversis quinque Propositionibus, quæ sunt excerptæ ex Cornelij Iansenij, Iprensis Episcopi, libris, perspicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones, flagrabant etiam in Gallijs, & latissimum incendium per vniversas Ecclesiæ partes minabantur, ni pesti grassanti, & certissimam perniciem allaturæ obstitisset Beatitudinis Vestræ indefessum studium, & ex alto petita Potestas, quę sola acerrimam illam animarum collusionem compescere poterat. *

Gratulatoria Epist. eorund. ad eund. PP.

At si Innocentius X. diligentem navavit operam, vt periculosum illud incendium, quod Iansenij Propositiones in Gallia excitarant, otiùs extingueretur; non minori Vigilantia, & studio Innocentius XI. Gallicanis Ecclesijs nova Regaliæ extensione afflictis, subsidium præstitit, & grata favoris, ac solatij aura aspiravit; cum enim Ecclesię, quæ novum illud ius admiserant, intandis laboribus, intolerabilibusque premerentur angustiis, nullum aliud in tanto rerum conflictu reperere Asylum, quo fortunas suas ab invadentium iniurijs vindicarent, quàm ad Sacratissimas Innocentij XI. aras involare, eique gravissima incommoda, acerbasque iacturas, quibus immeritò obruebantur, aperire, vt pijssimus tanti Pontificis Zelus, ad eas protegendas, vehementiùs inflammaretur, illisque tanto mœrore oppressis solamen, quod ab Apostolica illius Pietate sperabant, non dimoveret. Lectu

Lectu certè dignissimà est Epistola, quam Zelantissimus ille ALECTENSIS EPISCOPVS ad Sanctissimum Patrem Innocentium XI. *die 3. Iulij anno 1677.* hisce direxit verbis: * Beatissime Pater, præstitum ab humilitate nostra vestræ in Petri Cathedram exaltationi gratulationis, ac devotionis officium benignè adeò, & peramanter excepit Sanctitas vestra, vt hoc ipso animatus, maiori cum fiducia, iterum ad illam de Gravissimis Ecclesiæ Gallicanæ malis, nec nisi ab Apostolica Authoritate, & Charitate sublevandis scribere instituerim.*

Epist. Episcop. Alecten. ad Innocent. XI.

Et infrà: * Inter alia verò, Beatissime Pater, turbas occasione iuris, vt vocant, *Regaliæ* huic nostræ Diœcesi invectas addiscet Sanctitas Vestra. Huius iuris vltrà antiquas metas, extensione, aliquot ab hinc annis, Narbonensis nostræ, & aliarum quatuor, aut quinque Ecclesiasticarum Provinciarum, & nonnullarum prætereà Diœcesum nativam, & Canonicam libertatem evertere ijdem assentatores moliuntur. Equidèm cum Edicto Regio, hac de re promulgato parere, conscientia prohibente, renuerim, præcipua nostræ Diœcesis beneficia in Regalia, vt volunt, vacantia per Regium Diploma pleno iure, pulsis legitimis, & pacificis possessoribus, collata sunt. Quod etiam in Apamiensi Diœcesi, & fortè alijs quibusdam sic, vbi Episcopi non paruere Edicto, factum est. Cum autem, Beatissime Pater, ex Decreto Concilij Generalis Lugdunensis II. quod incipit: *Generali Constitutione*; & pro solemni Sacramento, à me in Episcopali Consecratione præstito, iura, & libertates Ecclesiæ mihi commissæ per Censuras Ecclesiasticas tueri vellem, eò res adducta est, vt duorum Ecclesiæ Cathedralis Canonicorum, è familiaribus nostris, Archidiaconi scilicet, & Promotoris, indicta per Sigilli Regij litteras relegatione, vno ab hinc anno mulctatus fuerim. Et ecce mihi hanc Epistolam meditanti, & præ manibus habenti nova advenit mulcta, nova orbitas, dum simili iussione longè amandatur Canonicus, quem in priorum locum suffeceram, & in ministerij Episcopalis subsidium, lateri meo adsciveram. Imò & mihi eadem sors, iam hinc à priori anno, impendebat, &c.*

Nec minùs apertè acerba dispendia, deflendaque præiudicia, quibus ob præfatam *Regaliæ* extensiorem Ecclesiastica violabatur Immunitas, eidem Innocentio XI. significavit APAMIENSIS ANTISTES, illius opem debita humilitate implorans, vt tantæ Authoritatis subsidio, tot, tantaque cohiberentur incommoda. Illius verba audiamus: * Beatissime Pater, in legendis Ecclesiasticis Historijs, sæpesæpiùs animadverteram, Sanctissimam Sedem, Episcopos ad se confugientes, maxima cum benignitate semper suscepisse, Summosque Pontifices, paternis visceribus, eos esse complexos, si pro tuendis Ecclesiæ iuribus laborarent. Verùm id clariùs intellexi, & iucundiùs expertus sum, quandò me Sua Sanctitas litteris Apostolicis consolari, imò & hortari dignata est, ad propugnandam Diœcesis Apamiensis libertatem, contra servitutem, quam nostri *Regaliam* vocant, de qua semèl, & iterùm ad Vestram Sanctitatem scribere non dubitavi.*

Epist. Episcop. Apamien. ad eund. PP.

Et infrà: * *Regaliæ* negotium, Beatissime Pater, ad aures Suæ Sanctitatis, vtpotè maximis Ecclesiæ vniversæ negotijs intentæ, deferre vix vmquam ausus fuissem, nisi & hoc, ipsi Ecclesiæ Vniversæ maximi referre perspexissem. Cum enim Rex Christianissimus, iure, vt ait, Coronæ, seu Supremi Dominij, non solum fructus, seu reditus huius Diœcesis, cui regendæ à triginta tribus annis præfectus sum, sed etiam Beneficia Ecclesiastica, pleno iure, & absque Canonica institutione, conferre intendat, quamvis in ea, *Regalia* numquam locum habuerit, imò nullibi, nisi Sede vacante habere possit; valdè metuendum est, nè reliqui Principes, imò & Respublicæ idem sibi vendicent.

Quod quidèm (prosequitur) Regaliæ ius, Beatissime Pater, quanta sequantur incommoda, iam sum expertus. Iacturam quidèm bonorum temporalium etiam cum gaudio sustinui, quippè, quibus tamquam oneribus premebar, veritùs nè non satis accuratam Deo rationem reddere, de illorum dispensatione possem. Doleo autem plurimùm, quod his deficientibus, & immisericorditer ablatis, nequeam, vt hactenùs, pauperes penè fame confectos, & infantes expositos, seu abiectos alere,

alere, aut Templa restaurare; quodque maximè necessarium est, Clericos litteris, & virtutibus instruere, aliaque huiusmodi Pietatis opera, omninò necessaria, præstare. Verùm adhuc maiorem doloris causam pręcbet tumultuaria Cleri corum, tùm sæcularium, tùm ex diversis Ordinibus, seu Congregationibus Regularium turba, qui Ecclesiæ Cathedralis Apamiensis Beneficia invadunt,&c.*

Et quamvis prædicta Epistola scripta fuerit *die* 4. *Maij*, *anno* 1678. accrescentibus tamen Gallicanę Ecclesiæ laboribus, novisque afflictionibus supervenientibus, compulsus fuit ipse Apamiensis Antistes, preces iterum fundere, atque ab eodem Sanctissimo Innocentio impensè deposcere, vt Gallicanis Ecclesijs, ac pręcipuè Apamiensi, tot angustijs circumdatæ, paterna sua sollicitudine provideret. Dolore certè disrumpitur, acerbitatumque copia contabescit Christianum pectus ad horribilia ea, quę in Christianissimo illo Regno patrati prædictus Pręsul enarrat.

Illius verba omni attentione digna audiamus: * Beatissime Pater, in paternum Sanctitatis Vestrę sinum cor meum effusurus circa libertatem Ecclesiæ, quam vobis vehementissimè cordi esse, scio, *Regaliæ*, scilicet, negotium Apostolico Zelo commendaturus, ad humillima Beatorum pedum oscula, maxima cum fiducia iterum accedo. Res est maioris momenti, quàm vt verbis meis queat declarari. Agitur enim, Beatissime Pater, de concedenda Regi Christianissimo facultate, qua nondùm in maiori Regni sui parte vsus fuerat, vacantium scilicet Ecclesiarum Cathedralium reditus percipiendi, omniaque Beneficia, quę interim vacare contigerit (saltèm si eorum Collatio ad Episcopum pertinebat) pleno iure conferendi, donec novus Episcopus Fidelitatis iuramentum pręstiterit, præstiti iuramenti publicum instrumentum in Regesta Curiæ Computorum fuerit relatum, Decretum, ceu nostri vocant, *Arrestum*, quo restituenda mandentur bona Episcopalia, soluta priùs certa pecuniæ quantitate, fuerit obtentum, & Episcopus personalem, non autem per Procuratorem tantum, possessionem fuerit adeptus. *Alia eiusd. Rever Epis. ad Innocen. XI.*

Maximum, Beatissime Pater, Ecclesiæ (prosequitur) vulnus infertur, cum laici Ecclesię reditus temporales dispensant, quod modis omnibus impedire, semper conata est vniversa Ecclesia. Hac de causa Summi Pontifices gravissimos labores, imò & pericula sæpissimè susceperunt; verùm multo graviùs læduntur Ecclesiæ iura, dum Beneficia Ecclesiastica, sine Canonica institutione, inconsulto Summo Pontifice, spretis Episcopis, demùm absque Authoritate Ecclesiastica, pleno iure conferuntur. In hunc abusum acriùs insurrexerunt, & fortiùs pugnaverunt, tùm Summi Pontifices, tùm Concilia, tùm seorsim Episcopi, non pauci. Testis est celebris illa, de Investituris, controversia, circa quam per annos circiter quinquaginta decertatum est, quamvis ius Regaliæ plura, & maiora mala, & incommoda afferre, certum sit, & evidens. Nam Investiturarum solemnitatibus Potestatem spiritualem nullatenùs conferre, præsumebant Principes, vt asserit Ivo Carnotensis: cui tamen cęremonię viriliter restiterunt Summi Pontifices, vel eo solo nomine, quod Traditio Baculi Pastoralis, & Annuli, Authoritatis imaginem præseferret.

Iure autem Regaliæ (prosequitur idem) non imaginem, sed titulum Beneficiorum pleno iure tradit Rex Christianissimus, adeò vt in ipsis Ecclesijs Cathedralibus Archidiaconatus, Archipresbyteratus, & Præbendas Theologales, aliasque Dignitates, aut Personatus conferat Clericis, vt plurimùm ambitiosis, & aliàs indignis, quorum tamen Fidem, mores, ætatem, aliasque tùm animi, tùm corporis dotes, nec Capitulo, nec novo Episcopo, cuius futuri sunt Senatores, & quasi membra, explorare, minimè licet.*

Et infrà: * Qua in Beneficiorum provisione, Beatissime Pater, Rex maiorem sibi Potestatem arrogat, quam exerceant Summi Pontifices. Non modò enim eum Resignationes in favorem admittere posse, tradunt Aulici Doctores, seu veriùs Assentatores, quod hæreditariam successionem sapit, à quo Ecclesia maximè abhorret, quodque soli Summo Pontifici, propter Potestatis plenitudinem, competit: non solum etiam pensiones constituit Rex Christianissimus

E contra

contra Ius Canonicum, quod Beneficia sine diminutióne conferri præcipit, verùm etiam Beneficia permutata compermutantibus conferre, non teneri se, arbitratur. Iuri quæsito derogat: nam quomodocumque vacet Beneficium, sive de iure, sive defacto; imò licet quis, obtento Canonico titulo, possessionem per Procuratorem sit ingressus, nisi personalis, & corporalis fuerit possessio, vacuum reputatur Beneficium, vt ab alio Regia Provisione munito possit occupari. Nulla regulæ de triennali possessione habetur ratio; nam etiam post viginti novem annos, à possessione sub Canonico titulo, nedùm colorato obtenta, potest Clericus iure Regalię deturbari. Siquis in aliquod crimen, propter quod Beneficio privandus sit, inciderit, vel Censuram, aut irregularitatem contraxerit, Beneficio spoliari potest á Regalista, etiam ante sententiam declaratoriam; qua via causæ criminales Clericorum ad Tribunal sæculare trahuntur, cui soli omnium causarum Beneficialium, interveniente Regaliæ iure, non tantum in possessorio sed etiam in petitorio cognitio est attributa; isque servatur ordo, vt possessio semper Regalistæ adiudicetur lite pendente.*

Relatis tandem gravissimis incommodis ex Regaliæ vsu, illiusque ad Ecclesias, illi oneri non assuetas, extensione, subortis, sic asserit: * Scio equidêm, Beatissime Pater, periculosum esse, Regibus potentibus contradicere, idque iam aliquatenùs expertus sum. Verûm *non facio animam meam pretiosiorem, quàm me.* Vtinam ob peccata mea, indignus non essem, qui non solum cum B. Anselmo bonis spoliarer (quod, misericordia Divina, mihi iam contigit) sed & cum B. Thoma, Cantuariensi Archiepiscopo, etiam mortem pro iuribus Ecclesię subirem.* Concludit tandêm, paternam Beatissimi Patris Pietatem exorans, quatenùs Suprema sua Authoritate Gallicanis illis Ecclesijs, ac Pręlatis de oportuno dignetur remedio providere. * Dabit (inquit) Beatissime Pater, veniam Sanctitas Vestra, si res tanti momenti, cuique aliundè remedium, quàm à Sanctissima Sede non possit adhiberi, breviori Epistola non potuit exponi. Scio Sanctitatem Vestram plurimis, hisque gravissimis, negotijs distineri; sed cum Rex Christianissimus invictissimas rationes, & humillimas preces (vt causę meritum postulabat) non audierit, ad solitum afflictorum Episcoporum præsidium recurrendum fuit, nec vanam fore spem, licet secus vociferentur adversarij, vt & meum, & aliornm Episcoporum frangant animum, confidit. *Dat. in Ædib. B. M. de Sab. die* 8. *mensis Novembris, anno* 1678. B. P. Sanctitatis Vestræ humillimus, & obedientissimus in CHRISTO filius, & famulus, Franciscus, Episcopus Apamiensis.*

Et quamquâm creditu difficile sit, Christianissimum Regem in cuius ditione adeò floret Ministrorum iustitia, inque eorum operationibus rectitudo, quique suarum Ecclesiarum iura diligentissimé colit, constanterque propugnat, adeò apertè velle, eas tot incommodis vexare, totque dispendijs opprimere, vt prædicti Alectensis, Apamiensisque Antistites testantur; quamvis, inquam hæc vera non essent, sed daremus magnitudinem, acerbitatemque doloris, quo aliqua detrimenta sustinent, eos impulisse, vt in his enarrandis, aliqua affingerent, & vltramodum, hyperbole vterentur, negari tamen non potest, gravissimum aliquod damnum prædictis Ecclesijs, illo Regaliæ iure, illatum fuisse, cum Apostolicus Sanctissimi Pontificis Innocentij XI. Zelus coactus fuerit, diligenter intendere, nê Christianissimus Rex illum iuris Regalię vsum, Ecclesiastico statui adeò nocivum, in suo Regno permittéret, vt expresè ostendunt tanti Pontificis Epistolæ ad prædictum Regem, hac de re scriptę, é quibus ea tantummodò, quæ ad rem nostram faciunt, afferemus.

Christianissimo igitur Regi Ludovico XIV. scribens Sanctissimus Pontifex INNOCENTIVS XI. 18. *die Martij.* 1678. Gallicanarum Ecclesiarum vindicationem propriam ducit, Regemque admonet, nê sinistris Doctrinis, quibus ei Regij Consiliarij, & Administri Regaliæ vsum Ecclesijs perniciosissimum suadent, benignas, & attentas aures prębeat: * Iam pridem (inquit) inaudivimus, non deesse Maiestati tuę Consiliarios, & Administros, qui tibi persuadere nitecentur, vt vsum illum antiquum, custodiæ fructuum vacantium Ecclesiarum,

Epist. Innocent. IX. ad Lud. XIV.

quod

quod *Regaliam* vocant, ad eas quoque Regni tui Ecclesias extenderes, quas illi iuri obnoxias numquam fuisse, ex ipsis Fisci Regij Tabularijs, liquido constat: Sed Nos, memoria repetentes, omnem ea de re controversiam, communi olim Ecclesię Catholicæ consensu, & benigna Sedis Apostolicæ indulgentia providè, sapienterque compositam fuisse in Concilio Lugdunensi Generali, minimè ad credendum adduci poteramus, Maiestatem tuam consilijs huiusmodi aures prębituram aliquandò esse: multòminùs admoturam operi manum, invita Synodo, tantę apud omnem Ecclesiam Authoritatis, & reclamantibus Constitutionibus, & exemplis Regum maiorum, qui Constitutionem in eadem Synodo ad Regias preces, Regijsque Legatis præsentibus, in ipsa Gallia, & tota Gallica gente efflagitante sancitam, per integrum quatuor fermè sæculorum spatium certatim probarunt, observaruntque, & præcipuo in honore habuerunt. Nec verisimile videbatur, Maiestatem Tuam, postquam tantum sibi apud Deum meriti, & apud homines gloriæ, eximijs pro Religione Catholica rebus gestis, comparavit, vt nullius maiorum suorum Regum clarissimorum memoriæ invidere possit, velle rem aggredi, quæ nulla vrgente necessitate, vel æquitate suadente, magnum esset, quàm plurimis Galliæ Episcopis, eorumque Clero incommodum, & iustum dolorem allatura: non sine gravi Catholicorum omnium sensu, qui in Francorum Annalibus, aut in Sacrorum Canonum Statutis animadvertunt, quantum id veteri consuetudini, & Ecclesiasticæ libertatis, ac disciplinæ rationibus adversetur, &c.*

Et infrà: *Tandèm vidimus ipsi Regium Maiestatis tuæ Decretum, quo omnes Ecclesiæ Gallici Regni huiusmodi oneri iubebantur assuescere. Mirati vehementer sumus Constitutionum Apostolicarum, & Generalium Conciliorum Decretis, ac tàm recta, compertaque apud omnes veritate, & iustitia potiores fuisse illorum conatus, qui terrena potiùs, & caduca, quàm cœlestia, & æterna respi ientes, dum Maiestatis Tuæ gratiam, potentiam amplificando aucupantur, molestissimos tibi, & valdè periculosos conscientię terrores (quod Deus avertat) in id tempus præparant; cum in districto Dei Iudicio mortales omnes, cuiuscumque tandem potentiæ, & Dignitatis sint, diligentem reddere debeant omnis anteactæ vitæ rationem. (Et infrà:) Te vehementer hortandum paterna charitate, serioque admonendum, obsecrandumque iudicavimus, vt à tàm iniustis, & perniciosis huiusmodi consilijs animum abducas, præfatis Alectensis, & Apamiarum, cæterisque Regni tui Ecclesijs, quæ vsui Regaliæ hucusque obnoxiæ non fuere, suas libertates, atque immunitates sartas tectas relinquas, nec eas de cætero vllo modo labefactari sinas; sed quidquid in contrarium hactenus actum, tentatumque est, repares, & in pristinum statum restitui cures. *

Et infrà: * Nos sanè, animi nostri sensus, in sinu tacitos continere non patitur, vel nostri Pastoralis Officij ratio, cui sollicitudo omnium Ecclesiarum incumbit, vel iustitię debitum, quo omnibus ad hanc Sanctam Sedem ex veteri, iustoque more, quem à nulla humana Potestate impediri fas est, recurrentibus ius reddere, consilium, opem, ac paternum patrocinium pręstare, iubemur, vel denique necessitas occurrendi scandalo, quo Christiani latè populi ad tantę exitum rei conversi afficerentur, si à laicali Potestate, Ecclesiæ, earumque Antistites, & Ministri suis libertatibus, atque immunitatibus, earumque vsu, & antiqua possessione, contra Generalium Conciliorum Decreta, & veterem inconcussamque observantiam, spoliarentur, non alio prætextu, quàm novæ, atque inauditę opinionis, nullo iure nixę, cui nonnullæ posteà accesserunt, non quod aliquid novi invenerint, quod rei veritatem tàm apertæ posset in dubium revocare, sed vt rem suam agerent, nihil solliciti, si publicam perderent. (Et infrà:) Nos quidem oblivisci non possumus, Prædecessores nostros Romanos Pontifices, qui similibus de causis graves, ac diuturnas pati ærumnas, & immanes contentionum, & periculorum procellas, in eo confisi, qui mari ventisque imperat, invicto animo subire, non dubitarunt. *

Ex prædicta Epistola apertè dignoscitur Apostolicus Zelus, invictus animus,

mus, infractaque firmitas, qua Sanctissimus Pontifex Innocentius, Gallicanarum Ecclesiarum iura protegenda, & ab illatis incommodis vindicanda suscepit, Pastorali, paternaque Vigilantia, eò omnes suas curas, cogitationesque intendens, vt Gallicanæ Ecclesiæ Proceres, qui ad illius protectionem, & auxilium, vt debebant, involarunt, ab illa aflictione, & oppressione redimeret. Vt autem ostenderet, Pastoralem suam sollicitudinem, non perfunctoriam esse, sed ex intimo animi sensu procedere, agnoscens, iteratis instantijs opus esse, post prædictum Diploma, *datum* 18. *die Martij*, *Anno* 1678. aliud ad eundem Christianissimum Regem 21. *die Septembris eiusdem anni* direxit, cum vehementer orans, vt discederet ab eorum sententia, & consilio, qui ipsi, non quæ in illius commodum, sed quę in maximum animę, Regni, & totius Ecclesiastici Status detrimentum vergerent, suadebant, vt luculentèr expendit Sanctissimus Pontifex in prædictis Apostolicis Litteris, in quibus hęc, inter alia, scribit: * Sed dabis, charissime fili, Pastoralis Officij debito, dabis paternæ sollicitudini, atque amori in te nostro, si te malè consulentium culpa, in summo æternæ salutis periculo constitutum videntes, opportunè importunè instamus, & obsecramus, elata voce clamantes, vt è tam præcipiti loco pedem referas. Duo in primis tibi pro veris, atque indubitatis affirmari, cognovimus ex tuis litteris. Primum quidem, *Regaliæ ius* (vti nuncupant) in Ecclesias Galliæ vniversas Maiestati Tuæ competere, tamquam Regię Coronæ insitum, & innatum: deindè, clarissimos Reges maiores tuos, illud & exercuisse, dum viverent, & ad te morientes hæreditario ordine transmisisse: quibus à te creditis, minimè miramur, si ad ea progressus fuisti, quæ talium principiorum consentanea erant.

Verùmtamen (prosequitur) illa tàm aliena à vero sunt, vt nihil magis. Nemo enim sanæ mentis, & doctrinæ ausit in dubium revocare, nullum sæculari Potestati in res sacras ius esse, nisi quatenus Ecclesiæ indulsit Authoritas. Hæc autem non solum Galliæ Regibus non indulsit, vt Regaliam prædictam extenderent ad Ecclesias, illi oneri non assuetas, sed etiam id fieri apertè vetuit in Generali Concilio Lugdunensi, quod Gallia in primis veneratur, ac Sanctum habet. Reges verò Prædecessores tuos, quotquot fuere, eiusdem Concilij dispositionem religiosè semper, & per quadringentorum fermè annorum spatium custodivisse, & si quis eorum de illa infringenda cogitavit, re meliùs pensata, ab incepto destitisse, audimus in confesso esse apud omnes Scriptores, præsertim Gallos, & Regia ipsa Tabularia ad oculum demonstrare. Quamobrem pati non possumus, nec debemus, Maiestati Tuæ obtrudi errorem, tàm manifestum, tàm conscientiæ tuæ, tàm Galliæ Regno, tàm Ecclesiæ vniversæ perniciosum. Semel enim admisso, licere Maiestati Tuæ adversus Generalis Lugdunensis Concilij Decreta, adversus Regum, maiorum tuorum exempla, adversus ipsam rerum sacrarum naturam, & primigeniam Ecclesiarum libertatem, invehere ius Regaliæ in eas quoque Ecclesias, quæ huiusmodi oneri obnoxiæ numquam fuere, idque palàm dissentiente, & reclamante, & ineluctabilem cœlestis iræ animadversionem multis cum lacrymis denuntiante Romano Pontifice, ad quem, sicut vetus consuetudo poscebat, nonnulli Galliæ Episcopi à Metropolitanorum sententijs appellarunt: nemo non videt, quę indè Ecclesiæ Catholicę deformatio, ac ruina, quę Sacrarum, ac prophanarum rerum confusio, sublato quodammodo inter spiritualem, ac sæcularem Potestatem, pariete medio, sit consequutura, non in Gallia solum, sed in omnibus alijs Christiani Orbis Provincijs, manante indies latiùs exempli Authoritate. *

Et infrà: * Verùm non, vt confundamus te, hęc scribimus, sed tamquam filium charissimum monemus, animo reputantes, nihil prodesse homini, *si vniversum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Speramus, charissime Fili, opus non fore, vt novis, eximiam Religionem, æquitatemque tuam, precibus in hoc negotio interpellemus. Ea cæteroquin est rei magnitudo, in qua non Gallicanę solum, sed totius Ecclesię Dignitas, salusque vertitur, vt pro Apostolici Officij nostri munere, extrema potiùs pati omnia, quàm causam istam negligenter agere, debeamus, &c. *Datum Romæ* 21. *Sep-*

Septembris 1678. *Pontificatus anno.* 3. missum verò, *die* 4. *Ianuarij* 1679.*

Evoluto tamen anno ab hoc secundo Pontificio Diplomate, videns Beatissimus Pater Innocentius, suam Charitatem, qua Regem fuerat hortatus, non eum, quem optabat, fructum obtinuisse, sed omnia deteriori loco in dies esse, Immunitatemque Ecclesiasticam quotidie magis imminui, atque violari, non potuit Apostolicum suum continere Zelum, quin denuò Christianissimum Regem sui officij commonefaceret, impensiùsque obsecraret, vt iam ab illo prætenso iure desisteret (quem ipsi hi, qui non Regiæ Maiestati, illiusque Regno, sed proprio consulebant commodo indiderant) contra Ecclesiasticam libertatem, quam gloriosissimi illius Prædecessores per quadringentorum fermè annorum spatium, Regia certè liberalitate, & munificentia, ac, vt melius dicam, Christiana Pietate intactam reliquerant, & illæsam. Dolens ergo Sanctissimus Pater, hanc Ecclesiasticam Immunitatem, novo illo Regaliæ iure infringi, atque ad eas angustias redigi, voluit præter ea, quę iam in superioribus litteris Christianissimo Regi significarat, hęc quæ sequuntur, non modò instanter, sed instantiùs, imò instantissimè in alio Pontificio Diplomate commendare, ac luculenter exprimere. * Binis iam (inquit) litteris fusè, & luculentèr ostendimus Maiestati tuę etiam ex concordi omnium ferè Galliæ Scriptorum testimonio, & ex ipsis Regij Tabularij tui Actis, quàm esset Ecclesiasticæ libertati iniuriosum, omni humano, Divinoque iuri contrarium, & alienum à perpetuo Regum maiorum tuorum more, & exemplo, editum septem ab hinc annis à te Decretum, quo consuetudinem illam custodiendi fructus vacantium Ecclesiarum, quam *Regaliam* nuncupant, ad eas quoque Ecclesias extendi iubes, quæ eiusmodi oneri obnoxiæ numquam fuere.*

Et *infra*: * Verùm post plurium mensium spatium, quòd longanimitati nostrę probandæ, ab vltimis litteris effluxit, nullum adhuc, neque ad eas responsum, neque ex his fructum videmus: quin etiam plurimorum litteris, & sermone, pro comperto affertur, omnia deteriori loco indies esse, & pętextu Regalię eiusmodi, Beneficiorum collationes, & Canonicas Institutiones impediri, Episcoporum Authoritatem pessumdari, Ecclesiasticam disciplinam, ordinemque turbari; novam denique praxim veteri Ecclesię praxi, & divinæ Institutioni contrariam, invehi à sęculari Potestate; neque ea clam, & timidè fieri, sed palàm, & manu Regia. Non repetimus hoc loco (nè actum agamus) quot indè scandala, & querelę, quot in Clerum incommoda nascantur, quòd Ecclesiæ Universæ à tali exemplo periculum, quę tempestas immineat, quæ nomini, atque honori tuo macula, quæ conscientiæ labes incurratur. Satis enim ea in superioribus litteris indicavimus: satis patent ipsa per se. Non patitur tamen sincera, & planè paterna erga te, Regnumque istud amplissimum Charitas nostra. Nos in tanta Divini honoris iniuria, in tam gravi tui ipsius periculo, adhuc silere. Sed cogimur iterum, intimo cordis affectu, & in visceribus IESU CHRISTI, rogare, obsecrareque Maiestatem tuam, vt memor eiusdem CHRISTI verborum ad Ecclesiæ Præpositos: *Qui vos audit, me audit.* Nos potiùs, qui parentis, & quidem amantissimi, loco sumus, audire velis vera, & salutaria suadentes, quàm filios diffidentiæ, qui terrena tantum sapiunt, quique consilijs in speciem vtilibus, sed revera perniciosis, inclyti illius Regni fundamenta, in rerum Sacrarum reverentia, & in Ecclesiæ Authoritate, iuribusque tuendis posita, convellunt.*

Hùc egregiè facit atrox illud, ac penitùs execrabile facinus, quo Sanctimonialis quædam in Tholosanum S. Clarę Monasterium, inaudita sanè violentia, manuque Regia intrusa est, & Cœnobij Præses suffecta, quod acriter redarguit ipse INNOCENTIUS XI. in Pontificio Diplomate, ad illius Civitatis Antistitem directo 18. *die Ianuarij anno* 1679. quod sic se habet: * Venerabilis Frater, delatę nuper sunt ad nos querelæ Monialium Ordinis Sanctæ Clarę Urbanistarum in Tholosana Civitate, graviter dolentium, & dolorem suum in paternum sinum nostrum multis cum lacrymis deponentium, vt accisis, ac penè perditis rebus suis præsentem opem, pro Apostolici muneris nostri de-

biro, afferamus: per hos enim dies, ad illud Monasterium venisse Monialem quamdam, magno comitatu, militum etiam cohorte stipatam, vt Abbatisatus perpetui possessionem invaderet, prætextu Regiæ nominationis, nulli iuri, aut consuetudini, nulli Apostolico indulto subnixæ: se quidem ad insitatæ rei spectaculum primò attonitas, mox collectis animis, & implorata Cœlesti ope, quacumque ratione licuit, restitisse, nè immunitati Ecclesiæ, & Instituto Ordinis sui, Apostolica Authoritate firmato, tàm inaudita, ac tàm perniciosi exempli iniuria inferretur; sed superante vi militum, cedere tandem coactas, effractisque foribus, & pariete ipso, liberum multis sęcularibus aditum patuisse, cum quibus ingressos quoque milites violenter ibi, & sacrilegè multa patrasse, magna cum totius Civitatis indignatione, & scandalo, Fraternitate autem tua, quæ par omninò erat, vt venientibus lupis Pastorale pectus opponeret, non solum non repugnante, sed vltrò eos quodammodo invitante, & Monasterium edito Decreto per vim recludi iubente. Inhorruit ad tàm indignę rei nuntium animus noster; adeòque monstri similis visa est, vt quamvis aliundè quoque eadem afferrentur, vix tamen persuadere nobis potuissemus, Archiepiscopum Tholosanum, inspectantibus Religiosissimis, fortissimisque Galliæ Episcopis, & Gallia vniversa, eo progressum fuisse, vt Dignitatis, ac muneris sui oblitus, nullo horribilium Censurarum, & Cœlestis iræ metu, nulla famæ reverentia, tanto facinori, pro quo impediendo animam ipsam, boni Pastoris exemplo, ponere debuisset, non solum non resisteret, sed etiam suffragaretur; nisi memoria teneremus, quid duobus ab hinc annis in negotio *Regaliæ*, vt nuncupant, vbi de Apamiensi Ecclesia, Tholosanæ suffraganea, agebatur, decernere ausus fueris contra manifestam causæ iustitiam, contra omnes humani, Divinique Iuris Regulas, contra ipsius Ecclesiæ, totiusque Provinciæ tuæ iura, & libertatem, & contra morem Prædecessorum tuorum, aliorumque Gallię Præsulum, qui in similibus casibus Regię voluntati, atque indignationi, nè muneri suo deessent, obviam fortiter eundo, & Dei causam strenuè orando, læta, & salutaria Ecclesiis suis responsa ab ingenita Christianissimorum Regum iustitia, & Pietate retulere. Officii itaque nostri esse duximus, gravem, ac planè acerbum ea de re animi nostri sensum tibi aperire, teque in Domino monere, vt diligenter consideres, quo in periculo sis experiundæ Divinæ vltionis, quàm facilè provocabunt gemitus, tot lectissimarum Virginum, quarum Vitæ Innocentia, & candor, atque assiduus Divinarum laudum concentus, delitiæ quodammodò sunt Cœlestis Sponsi, cui Sacrosancto, & insolubili vinculo coniunctę fuere; nisi quàm primùm, emendatis, quę admissa sunt, misericordiarum Patris Clementiam demereri studueris. Alioquin nos, pro Vicaria CHRISTI Domini in Universam Ecclesiam Potestate, qua fungimur, quamquàm indigni, immerentesque, & pro sollicitudine, quam debemus vnicuique CHRISTI Fidelium, ad Paternum patrocinium nostrum confugienti, cogemur de opportunis remediis seriò cogitare.*

Ex hùcusque dictis manifestè apparet invictus animus, infractaque firmitas, qua Summi Pontifices omni semper tempore, pręcipuè hoc nostro ævo, Gallicanæ Ecclesię consuluerunt, & illius iura, & libertates, acerbioribus adhuc infortunijs vexatas, paterna vigilantia, ac sollicitudine foventes, eximia animi fortitudine propugnarunt.

Videamus ergo nunc, quomodo Gallicanus Clerus, illiusque Episcopi in defendendis Apostolicę Sedis iuribus, Romanique Pontificis Authoritate se gesserint. Estò enim in compertum sit, olim Regnum illud Illustrissimis claruisse Præsulibus, qui in tuenda Pontificia Authoritate insudarint, apertissimaque ferventissimi sui Zeli erga Apostolicum Thronum indicia præbuerint; postremis tamen hisce annis, Apostolica Sedes antiquum illud erga se Galliæ studium non experitur. Quòd vt clariùs appareat, supponendum est, sub Alexandro VII. suborto dissidio inter Galliarum Regis Legatum, & D. Marium Chissium, Romanæ Urbis Prefectum, pręfatique Pontificis Fratrem, Christianissimus Rex, Legati sui causam propriam faciens, id molestissimè tulit; quod & probavit

bavit eventus: Theologica enim Parisiensis Facultas, sive Regis præscripto, sive Regiæ benevolentiæ conciliandæ studio *anno 1662.* sequentes Propositiones evulgavit.

SEX ASSERTA SACRÆ FACULTATIS THEOLOGIÆ Parisiensis, circa Potestatem Papæ.

PRIMÒ: * Non esse doctrinam Facultatis, Summum Pontificem aliquam in temporalia Regis Christianissimi Authoritatem habere; imò obstitisse Facultatem etiam ijs, qui indirectam tantummodò voluerunt esse illam Authoritatem.*

Secundò: * Esse doctrinam Facultatis, quod Rex Christianissimus nullum omninò agnoscit, nec habet in temporalibus superiorem, præter Deum: eamque esse antiquam doctrinam à Chronologia Pontificum, à qua numquam recessura est.*

Tertiò: * Doctrinam Facultatis esse, quòd subditi Fidem, & obedientiam Regi Christianissimo ita debent, vt ab his, nullo prętextu, dispensari possint.*

Quartò: * Eamdem Facultatem non probare, neque probasse vmquàm Propositiones vllas Christianissimi Regis Authoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: v.g. Quod Summus Pontifex deponere possit Episcopos adversus eosdem Canones.*

Quintò: * Doctrinam Facultatis non esse, quòd Summus Pontifex sit suprà Concilium OEcumenicum.*

Sextò: * Non esse doctrinam, nec dogma Facultatis, quod Summus Pontifex, nullo accedente Ecclesiæ consensu, sit infallibilis.*

His Propositionibus additum fuit Regium Arrestum, vt in toto illo Regno maiori plausu susciperentur; prout refert CARRIERE *in sua Chronologia Pontificum in editione Lugdunensi anno 1663.* vbi agens de prædictarum Propositionum doctrina, hæc scribit: * Per totum Regnum evulgata, & recepta est, cum iteratis prohibitionibus ei quoquo modo contradicendi, verbo, aut scripto, privato, aut publico, sub pœnis gravissimis, & exemplaribus, in Arrestis *die 22. Ianuarij*, & 14. *Aprilis anno 1662.* à Parlamento Parisiensi iniunctis.*

Et quamvis prædictum Arrestum executioni non fuerit mandatum, eo quod illius statuendi causa statim cessavit; *anno* tamen 1682. *sub Innocentio XI.* Pontificio Diplomate, à Sanctissimo Pontifice Prędecessorum suorum vestigia premente, publicari iusto, & observari, circa immunitates, exemptiones, & Privilegia, quibus, & non alijs, Romana in Urbe gaudere possent, ac frui Christianorum Principum Legati, novum inter Galliarum Regis Legatum, prædictumque Pōtificem excitatum fuit dissidium; cæteris namque præfato Sanctissimi Pontificis Decreto humiliter obsequentibus, vnus Galliarum Regis Orator parere renuit, quod totam Galliam haud leviter commovit. Gallicanus enim Clerus probè agnoscens invictum Pontificis animum, eximiamque, nec vmquàm satis laudatam illius propensionem in defendendis, non modò Gallicanæ Ecclesiæ, sed & Apostolicæ Sedis iuribus, timensque, nè sua Sanctitas armis vteretur Ecclesiæ, quemadmodum olim eius Prædecessores, non minoribus adducti momentis, præstiterunt, Censionis sacræ fulmina in Reges, Imperatoresque intorquentes, quoties, causæ necessitas postulavit (quorum plura exempla dabimus *in Tomo de Suprema Potestate Papæ in temporalibus*) ad exercendam tanti Pontificis patientiam, augendumque illius erga Deum in re tàm iusta meritum, Ludovici XIV. Christianissimi Regis præscripto, Parisijs congregatus est, atque tenoris sequentis declarationem edidit *die 19. Martij anni 1682.*

CLE-

CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE Declaratio, die 19. Martij 1682.

Ecclesiæ Gallicanæ decreta, & libertates, à maioribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta, Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec desunt, qui earum obtentu Primatum Beati Petri, eiusque Successorum, Romanorum Pontificum, à CHRISTO institutum, ijsque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua Fides prędicatur, & vnitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus Maiestatem, imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prętermittunt, quo eam Potestatem, qua pax Ecclesię continetur, invidiosam, & gravem Regibus, & Populis ostentent; ijsque fraudibus simplices animas de Ecclesiæ Matris, CHRISTIque adeò Communione dissocient. Quę vt incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi, & Episcopi Parisijs mandato Regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, vnà cum cæteris Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sancienda, & declaranda esse duximus.

Primùm, Beato Petro, eiusque Successoribus CHRISTI Vicarijs, ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium à Deo traditam Potestatem, dicente DOMINO: *Regnum meum non est de hoc mundo*; & iterum: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo*: ac proindè stare Apostolicum illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ Potestati Dei ordinatione subijci, neque Authoritate Clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à Fide, atque obedientia, ac prętlito fidelitatis Sacramento solvi posse; eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesię, quàm Imperio vtilem, vt Verbo Dei, Patrum Traditioni, & Sanctorum Exemplis consonam, omninò retinendam.

Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus, CHRISTI Vicarijs, rerum spiritualium plenam Potestatem, vt simul valeant, atque immota consistant Sanctæ OEcumenicæ Synodi Constantiensis, à Sede Apostolica comprobata, ipsorumque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesię vsu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana, perpetua Religione custodita Decreta de Authoritate Conciliorum Generalium, quæ *Sessione* 4. & 5. continentur; nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint Authoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilij dicta detorqueant.

Hinc Apostolicæ Potestatis vsum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, vt Statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmata, propriam stabilitatem obtineant.

In Fidei quoque quæstionibus prçcipuas Summi Pontificis esse partes; eiusque Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse Iudicium, nisi consensus Ecclesiæ accesserit.

Quę accepta à Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas, atque Episcopos, ijs Spiritu Sancto Authore præsidentes, mittenda decrevimus, vt idipsum dicamus omnes, simulque in eodem sensu, & in eadem sententia.*

Vt autem præfatę Propositiones firmiter tenerentur, diligentique executioni mandarentur, expeditum fuit 23. *die Martij* eiusdem anni subsequens Arrestum, quod ex Gallico Latinum dabimus, vt sequitur.

LUDOVICUS DEI GRATIA, &c. Quamvis Potestatem Nostram, Autho-

Authoritatemque Regiam nulli hominum, solique Deo subiectam esse, veritas sit omninò explorata, & extra dubitationem omnem, ac in Sacris Litteris omninò asserta; non potuimus tamen sine ingenti gaudio declarationem intelligere, quam Ecclesiæ Gallicanæ Deputati in Conventu Parisijs Nostra permissione celebrato ediderunt. Eò libentiùs supplicationem ab ijsdem Deputatis nobis factam admisimus, qua petebatur, vt eamdem declarationem toto Regno publicari iuberemus: quod à Prælatis concepta fuerit tanta Virtute, & Doctrina conspicuis, quique in ea, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ, nostræque Coronæ maiorem pertinent Dignitatem, summo studio incumbunt: præsertim quod præfatam declarationem suam, pari sapientia, & moderatione temperaverint: vt nobis omninò polliceamur, ea subditorum nostrorum in Sacram Sedem reverentiam, ac venerationem promotum iri, &c. (Et *infra*:) Propter has igitur, aliasque rationes gravissimas, postque examinatam in Nostro Consilio prædictam Deputatorum declarationem, perpetuo hoc Nostro, semperque duraturo Edicto volumus, atque ordinamus, eamdem declarationem in Acta publica omnium Curiarum, & Parlamentorum Nostrorum, omniumque Præfecturarum, Vniversitatum, Facultatum Theologiæ, Iurisque Canonici, quæ Nostro Regno, Nostræque Obedientiæ subsunt, referri.

Primò igitur omnium, Coronæ Nostræ subditis, atque etiam extraneis, in Nostro Regno existentibus, tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Locique fuerint, districtè prohibemus (quid amplius Pontifex ageret?) nè aliquid declarationi præfatæ, & illic comprehensis Propositionibus, contrarium doceant.

Secundò, ordinamus etiam, vt quicumque Sacræ Theologiæ docendę admotus deinceps fuerit, priùsquàm hoc Officium aggrediatur, seu Regularis, seu sæcularis sit, in Cancellaria eiusdem Facultatis præfatæ declarationi subscribat, promittatque, se nihil ab hac declaratione alienum in Scholis lecturum, aut docturum; cuius subscriptionis suæ copias, à Notario legitimè factas, per Syndicum Facultatis Theologicæ, Ordinarijs, Nostroque Regio, & Generali Procuratori transmittet.

Tertiò, volumus quoque, vt in omnibus Collegijs, aut Domibus prædictarum Facultatum, vbi plures sunt Professores, Propositiones, ea declaratione contentæ, singulis annis doceantur; vbi verò vnicus Professor, quovis triennio.

Quartò, iubemus deindè, vt singulis annis, ad Scholarum apertionem, nomina omnium Professorum per Syndicum Facultatum Archiepiscopis, & Episcopis locorum, vbi commorantur, Nostroque Procuratori, sicut etiam lectiones Scholaribus in posterum dictandę, transmittatur.

Quintò, mandamus pariter, vt nullus Baccalaureus ad Licentiatum, aut Doctoratum admittatur, qui non priùs in publica disputatione prædictas Propositiones palam defenderit.

Sextò, exhortamur, ac etiam iniungimus omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, qui in Nostris Regnis, Provincijs, Terrisque commorantur, Authoritatem suam efficaciter interponant, curentque Propositiones iam dictas in suis Diœcesibus ab omnibus doceri.

Deniquè omnes Syndici, & Facultatum Decani operam sedulò dabunt, vt præsens Edictum executioni mandetur; alioquin perindè, ac si in illud ipsi deliquissent, puniendi.*

Galliarum igitur Rege tàm enixè contendente, vt præfatę Propositiones in toto suo Regno doceantur; rationi consentaneum erit, vt nos hîc, estò breviter, earum doctrinam, quam Christianissimus Rex tot pœnarum comminationibus suorum subditorum animis conatur inserere, discutiamus.

Et quamvis in hoc, cæterisque Voluminibus, quæ Prelo mandanda paramus, fusè de vnaquaque illarum acturi simus, silentio tamen præterire non possumus, præcipuos earum Authores, & Promotores, esse Hereticos, cũ illæ sint contra communem Sanctorum, Conciliorum, Patrum, & Ecclesiæ consensum. Prima siquidem, quę Romano Pontifici omnem in temporalibus Potestatem, tàm

 dire-

directam, quàm indirectam denegat, est apertus error Calvini, Centuriatorum, Pseudo Petri Martyris, Brentij, & aliorum, quos hæretica labes infecit, prout referunt Cardinalis BELLARMINUS *Tomo 1. lib. 5. de Potest. Temporal.* & CÆSAR CARENA *de Offic. S. Inquisit. 1. part. Tit. de Potest. Sum. Pontif. in Temporal.* §. 5. idemque censet PARAMUS *lib. 3.* existimans, prædictam Propositionem falsam esse, & impiam. Eam quoque hæreticam iudicat Dom. IOANNES DE SOLORZANO, Primarius Salmanticensis Universitatis Professor, atque in Supremo Senatu Hispaniarum Regius Consiliarius *lib. 1. de Iure Indiar. cap. 22.* & Dom. GABRIEL PEREYRA, Regius etiam Minister, impiam, intolerabilemque dicit. Magister SOTO *in 4. Sent. Dist. 25. quæst. 2. art. 1.* hęreticam appellat; cui consonat Illustrissimus DURANDUS DE S. PORTIO, Natione Gallus, *de Origin. Iurisdiction.* Tandem eam, Scripturæ Sacræ dissonam, apertè ostendit Cardinalis BERTRANDVS, Patria etiam Gallus.

Secundam Propositionem, quæ Romanum Pontificem in rebus Fidei infallibilem inficiatur, Lutheri, Calvini, cæterorumque Hæreticorum communem, reputat Cardinalis BELLARMINUS; imò & hæreticam *lib. 4. de Rom. Pontif.* quem sequuntur P. GREGORIVS DE VALENTIA *2. 2. quæst. 1. punct. 3.* Episcopus MELCHIOR CANO *lib. 6. de Eccles. Rom. Authorit. cap. 7.* & Cardinalis TVRRECREMATA, qui *lib. 2. de Eccles. cap. 11.* errorem perniciosissimum vocat, atque, vti Catholicam Conclusionem tuetur, Romani Pontificis Infallibilitatem, in rebus Fidei extra Concilium definiendis; quod & alij gravissimi Authores propugnant, quos abundè dabimus infrà *lib. 1. cap. 1.*

Tertiam, quæ defendit, Concilium esse suprà Papam, censet Cardinalis BELLARMINVS *cap. 14.* vulgarem esse Hæreticis, & temerariam; sicut & oppositam, Papam nempè esse supra Concilium, Orthodoxis communem, & Catholicam, imò ferè de Fide. Et meritò quidem, meo iudicio: opponitur enim apertè Sacrorum Conciliorum Doctrinę, definientium, Papam esse supra Concilium. Ita docuerunt LATERANENSE *sub Iulio II.* inchoatum, & *sub Leone X.* absolutum, *Sessione* 10. & CONSTANTIENSE *in Bulla Martini V.* de Approbatione, & consensu Concilij edita. Eamdem Supremam Pontificis Authoritatem agnovit LATERANENSE CONCILIUM *sub Alexandro III.* adductum *in cap. licet. Extra de Elect.* idem habetur in VII. GENERALI SYNODO *Actione 6.* CHALCEDONENSI *Act.* 2. & SARDICENSI *anno* 347.

Insupèr ex opposita sententia, Concilium nempè esse suprà Papam, esto erronea non esset, & temeraria, necessariò inferretur, à Papa ad Concilium posse legitimè appellari, quæ quidem propositio, præterquam quod Schismatica est, & vt talis declarata à JVLIO II. innovante quoad hoc Constitutionem Pij II. *sub Dat. Romæ* 1509. habetur vt hæretica à S. ANTONINO *3. part. Tit. 23. cap. 3.* sed de hoc fusiùs *in lib. de Potest. Papæ suprà Concil.*

Ex his optimè conijcere poterit, quisquis improbam prędictarum Propositionum originem, perpenderit, quàm perniciosa sit illarum Doctrina, quantoque damno, & dolore cruciabit pia, & Catholica Christianissimi illius Regni corda, aliorumque animos, qui piè, & Catholicè sentiunt, ægrè, molesteque ferentes, ac vehementi commiseratione dolentes, Gallicanos ad eam oppressionem redigi, vt vel inviti cogantur in suis Vniversitatibus publicè docere, palàmque tueri doctrinas adeò propriæ menti, & vnanimi Catholicorum, Sanctorum, & Conciliorum consensui, ac primævo, & antiquo Gallicanę Ecclesiæ iudicio, & sententiæ adversas. Et quamvis à Basileensi Concilij temporibus, præfatę Propositiones, arguendi gratia, in prædictis Vniversitatibus permitterentur, nullus tamen Gallorum Rex, à Clodoveo vsque ad Ludovicum XIV. suos subditos, illiusque Regni Vniversitates coëgit ad assentiendum, multòque minus ad publicè defendendum, Propositiones adeò Supremę Apostolicæ Sedis Authoritati indecoras, solique impietati, & hostilitati, qua in Apostoli-

cum

cum Thronum invehuntur Hæretici, consonas, ac ijs, qui se veros Catholicos, Christianos, & Christianissimos gloriantur, maximè offensivas.

Quis ergo crederet, præstantissimos illos Præsules, quibus florescit Gallia, hisce Propositionibus adeò alienis à Catholica Doctrina, quam Ecclesia tenet, summoque plausu Sanctissimi Viri, celebrioresque Patres, & Doctores semper propugnarunt, invicto animo non obstituros? Quem Christianus illorum Zelus in spem maximam non excitaret, eos subnascentibus doctrinis, Fideli Populo perniciosissimis, & Fidei, Christianæque Religioni, quam Regnum illud profitetur, ac Supremæ Summi Pontificis Authoritati adeò infensis, quamlibet contentionem suscepturos, & quælibet vitæ, fortunæque pericula subituros? tùm vt munus suum strenuè obirent, tùm vt cumulatè satisfacerent summæ Constantiæ, infracto animo, inexpugnabilique fortitudini, qua Summi Pontifices omni tempore, ac præcipuè hac nostra ætate Innocentius XI. contemptis, calcatisque minis, inhumanitatis opprobrijs, manifestisque periculis, Gallicanæ Ecclesiæ iuribus, libertati, Immunitatique tuendis, Pastorali cura, ac indefesso studio totum se devovit.

Nec absque nota prætereundum, quoad novam *Regaliæ* extensionem non defuisse Episcopos, qui Gallicanarum suarum Ecclesiarum iura, singulari Zelo propugnarint, quales fuerunt Alectensis, Apamiensisque Antistes, qui eximia animi præstantia Regi scripserunt, vt Regijs Ministris præciperet, à tàm iniquo ambitu, & petitione desistere. Ad Sanctissimum etiam Pontificem Innocentium humiliter confugerunt, vt Suprema sua Authoritate, & Potentia eos in tam iusta causa protegeret; supplicibus, iteratisque votis, vtramque Maiestatem Pontificiam, & Regiam implorantes. At nec prædictorum Præsulum, nec aliorum, qui sese novo illi *Regaliæ* iuri, eiusque extensioni viriliter opposuere, vel vnam Epistolam, pro tuenda Suprema Pontificia Authoritate, prædictis Propositionibus mirum in modum læsa, ac summoperè violata, non reperiri, non potest non ingentem admirationem concitare! Quis enim meritò non miretur, Antistites, qui suarum Ecclesiarum commodis solicitè invigilarunt, earumque Immunitati, & gloriæ ardentissimo studio consuluerunt, nunc acerbissimo dolore non affici, cernentes communem Catholicæ Fidei, ac vniversalis Ecclesiæ honorem, Supremique Capitis Authoritatem, prædictis Propositionibus proteri, & conculcari? præcipue si attentè consideretur mirabilis illa, Sanctaque libertas, qua illius Regni Præsules priscis temporibus consueverunt, Christianum suum Zelum illustrare, imitandumque posteris relinquere, quoties necesse erat, Regem pro suarum Ecclesiarum iuribus, vindicandis strenuè alloqui; quorum exempla passim suppeditant Historiæ, quæ, quia cuivis obvia, duximus omittenda.

Silentio tamen præteriri non potest, quod de strenuis quibusdam Galliæ Episcopis gloriosè commemorat Sanctissimus INNOCENTIUS XI. *in Pontificio Diplomate ad Galliarum Regem directo, anno 1673.* eos nempè, in re non absimili, suos Reges Christiana libertate, & absque vlla subcundæ temporalis iacturæ formidine, pro Fide, & Ecclesia fuisse alloquutos. * Nec superiori sæculo (inquit Pontifex) defuit in Gallia Episcopus, qui in frequenti aliorum Præsulum, Aulæque Procerum corona, apud Henricum Regem huius nominis III. Cleri Gallicani causam in re non absimili orans, Regi dixerit: observatum fuisse, numquam Regias in Gallia defecisse stirpes, nisi vbi Reges indebitas ad Beneficia nominationes arrogare sibi cœpissent; à quibus S. Ludovicus Rex, Christianæ humilitatis gloria, quàm Regiæ Dignitatis culmine sublimior, vsque adeò abhorruisset, vt vltrò etiam Pontificia Authoritate sibi delatas reiecerit. Fuit hæc quondam, fuit in Gallia, imò ad hæc nostra tempora strenuè retenta est, penès Episcopalem Ordinem Apostolica loquendi libertas, nihil metuens, nihil sperans, nisi à Deo: neque id solum per Reges licuit, sed ita Episcoporum monita semper accepta sunt, vt Episcopi ipsi, & sibi meritam laudem, & causæ optatum exitum sint consequuti.*

Prædictis ergo Episcopis in singulari illa *Regaliæ* causa ad particulares

suas

suas Ecclesias spectante, sese adeò vigiles, strenuos, accerrimosque Ecclesiasticæ Immunitatis propugnatores exhibentibus, potiori iure omnes illius Regni Antistites tenebantur, Apostolicum suum Zelum, Pastoralemque sollicitudinem exercere, in extirpandis perniciosissimis illis doctrinis, quæ in præfatis Propositionibus continentur, & absurdissimis consequentijs, quæ ex illis deducuntur in magnum Fidei, & Christianæ Religionis, quæ maximè in illo Regno floruit, damnum, ac ingens præclarissimi Christianissimorum tituli, quo gloriosissimè insigniuntur, dedecus, & opprobrium. Hæc certè opportunior erat occasio, in qua innatum illud maiorum vestigijs inhærendi studium, illosque æmulandi amor debebat eos impellere, ac vehementer accendere, vt prædictis Propositionibus viriliter obsisterent, silentium rumperent, & vel ipsum Regem alloquerentur, eique etiam, cum capitis periculo, suaderent, nè scandalosa adeò, perniciosaque dogmata in suo Regno edoceri pateretur. Hinc de profunda horum Prælatorum taciturnitate, altoque silentio, in re adeò gravi, & in magnum animarum illius Regni detrimentum vergente, meritò conquæritur INNOCENTIUS XI. vicem illorum condolens, sic eos coarguit: *Nunc cum muneris vestri, & Regiæ æquitatis quodammodò obliti, in tanti momenti negotio, silentium tenueritis; non videmus, quo probabili fundamento significetis, vos ad ita agendum adductos, quod in controversia victi sitis, quod causa cecideritis. Quomodò cecidit, qui numquàm stetit? Quomodò victus est, qui non pugnavit? Et quis vestrum tàm gravem, tàm iustam causam, tàm Sacrosanctam, oravit apud Regem? Cum tamen Prædecessores vestri, eam in simili periculo constitutam, non semel apud superiores Galliæ Reges, imò apud hunc ipsum, libera voce defenderint, victoresque à Regio conspectu discesserint, relatis etiam ab æquissimo Rege præmijs Pastoralis Officij strenuè impleti? Quis vestrum in arenam descendit, vt opponeret murum pro Domo Israel?*

Epist. Responsiva ad Epist. Cleri Gallicani.

Si prædictorum Episcoporum ignaviam meritò increpat Sanctissimus Innocentius, quod Parisijs congregati, tàm iniquè, tàmque suis Ecclesijs infestæ determinationi, Decretoque non obstiterint, Regemque, ac Regios Ministros Apostolica libertate alloquuti non fuerint, & ab illo errore deduxerint, quantò æquiori iure, posset de eisdem Episcopis conquæri, quod tanto silentio, atque indulgentia, prædictas Propositiones evulgari permiserint, quin Cælum clamoribus cõcusserint, aërem querimonijs compleverint, terram iteratis vocibus cõmoverint, ipsũq; Regem liberè admonuerint, nè in magnum Christianissimi sui Rgni dedecus permitteret Propositiones, & Doctrinas, animabus perniciosissimas, & à Christiana Pietate, & laudabili erga Apostolicã Sedẽ veneratione, quam illud Regnum semper professum est, penitùs alienas. Quarè potiori iure posset Sanctissimus Pontifex eorum silentium redarguere eisdem illis vocibus, quibus eorum taciturnitatem, in nova illa *Regaliæ* extensione, exprobravit: * Quis vel vocem vnam emisit, memorem pristinæ libertatis? Clamaverunt interim, sicut scribitis, & quidem in mala causa pro Regio iure, clamaverunt Regis administri; cum vos in optima pro CHRISTI honore sileretis.*

Cum publicus Fidei, Religionis, Ecclesiæ, vel Apostolicæ Sedis honor, commodum, & vtilitas in discrimen adducitur, semper fuit periculosum, nocivum, culpæque obnoxium Prælatorum silentium, qui pro suo munere debent diligenter cavere, & invigilare, nè suas Ecclesias ipsorum tolerantia, & silentio perniciosæ doctrinæ invadant.

Hùc spectat illud D. GREGORIJ: * Sit Rector discretus, in silentio, vtilis in verbo, nè aut tacenda proferat, aut præferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit; ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improvidi, humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem, nequaquàm iam gregis custodiæ, Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt: quia veniente lupo, fugiunt, dum se sub silentio abscon-

Part. 2. Pastoral. cap. 4

In cap. Sit Rector. 41. Dist.

abſcondunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens: *Canes muti non valentes latrare.**

Dum plebi ſubverſionis periculum imminet, culpę vertitur Prælatorum ſilentium. Huc facit illud DOMINI *Iſaiæ* 58. *Clama, nè ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Hinc S. CYPRIANUS valdè commendat munus, quo Præſides adſtringuntur, advenientibus religionis hoſtibus, clamandi, intrepidèque pro Eccleſia loquendi: *Sed cum quorumdam (inquit) immoderata, & abrupta præſumptio, temeritate ſua, plebis vniverſæ tranquilitatem turbare conetur, tacere vltra non oportet, nê ad periculum plebis, pariter & noſtrum, taciturnitas noſtra procedat.* *Epiſt.* 10.

Quod eleganter confirmat D. GREGORIUS *vbi ſuprà*, hæc ſcribens: * Hinc rurſus quæritur, dicens: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, &c.* (Alloquitur hic Prælatos, qui non eà, quam res poſtulat, ſollicitudine tuentur Eccleſiam.) Ex adverſo quippè aſcendere, eſt pro defenſione gregis, voce libera, huius mundi Poteſtatibus contraire. Et in die Domini in prælio ſtare, eſt pravis decertantibus ex iuſtitię amore reſiſtere. Paſtorem enim recta timuiſſe dicere, quid eſt aliud, quàm tacendo terga præbuiſſe? Qui nimirum, ſi pro grege ſe objicit, murum pro domo Iſrael hoſtibus opponit.* Additque GLOSSA ibidem: *Quod tacens, & timens, fugere dicitur.*

Idem etiam Gregorius: *Conſentire (ait) videtur erranti, qui ad ea, quæ corrigi debent, non occurrit.* *Homil.* 83. Quod habetur etiam 83. *diſt. cap.* 5. *& cap. error.* Legatur inſuper, *cap. Ita plane* 23. *quæſt.* 4. Vbi Sanctus Auguſtinus, Rectores præcipuè monet, quod debent habere in ore ſuo redargutiones, vndè tria illis neceſſaria ſunt, vt non ſocientur malis ex ſua conſenſione taciturnitatis, vt mala non faciant, non foveant, ſed redarguant. Si Gallicani illi Præſules, qui in Conventu Pariſijs congregati præfatas Propoſitiones, Sanctiſſimis Gallicanæ pręcipuè Eccleſiæ Patribus oppoſitas, non modò ſuo ſilentio, ſed expreſſo etiam conſenſu probarunt, hiſcè Sanctorum Patrum documentis, ſolidiſque doctrinis attendiſſent, neutiquam depreſſiſſent præclarum illud nomen, quod ſibi eximio ſuo Zelo, præſtantique ſapientia conciliarant.

Hinc S. COELESTINUS Papa, quaſi propheticè loquens, iure conquęritur de quibuſdam Gallicanis Prælatis, quod Maſſilienſes in Sanctos Patres, & præcipuè Auguſtinum inſurgentes non redarguerent: * Timeo (inquit) nè connivere ſit hoc tacere. Timeo nê magis ipſi loquantur, qui permittunt illos taliter loqui: in talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas; quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret.* *Epiſt.* 1.

Undè S. CYPRIANUS hæc habet: * Tacere vltrà non oportet, nè iam non verecundia, ſed diffidentia eſſe incipiat, quod tacemus, & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur, crimen agnoſcere, nec adverſarios retundere valeamus.* *Ad Demetrium.*

Per magni intereſt nocivis erroribus, pernicioſiſque doctrinis quàm primùm occurrere, nè ſilentio foveantur, & tàm peſtifera lues ingraveſcat, ac Chriſtianam plebem inficiat. Quarè SANCTVS BASILIUS: * Cum multi (inquit) ſilentio noſtro ad maledictorum corroborationem abutantur, nec exiſtimant ad tolerantiam nos ſilere, ſed quod ſatis non ſit, eos deducere ad veritatem, eam ob cauſam adhortor veſtram dilectionem, nè ea probare, quæ ex vna parte manent, ac ſi vera eſſent ſuſcipiatis, quinimò ſcandalum patiantur puſilli, tacentibus, & conniventibus Patribus; putabunt enim ex hoc veritatem à partibus eorum ſtare, vt dicebat Nazianzenus.* *Orat. de Odio & Invidia.*

Præclarè ad hanc rem S. LEO Papa ſentiens eſſe tamquam valdè noxios redarguendos Prælatos, qui cernentes ſuorum ſubditorum pericula ob pernicioſas doctrinas, quę inter illos circumferuntur, deſides ſunt in opportunis remedijs adhibēdis: * Inferiorum (inquit) ordinum culpæ ad nullos magis referēdæ ſunt, quàm ad Præſides, negligenteſque Rectores, qui multam ſępè nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam.* *Epiſt.* 24. *ad Iannar um Aquileienſ.*

Hic egregiè faciunt S. FELICIS II. Papæ verba, quibus vtitur VICTOR,

Synodica Epist. ad Theodorum Papam scripta.

Carthaginensis Antistes; *Imminendum est (inquit) nè torpore desidiæ oppressi, culpa taciturnitatis teneamur obnoxij, & quasi favorem impendentes iudicemur, dùm adversa Catholicæ Fidei propulsare negligimus, à B. namque Felice Apostolico Vestræ Sanctitatis Prędecessore dictum est, negligere quippè, cum possis deturbare perversos, nihil est aliud, quàm fovere, nec caret scrupulo societatis occultę, qui manifesto facinori desinit obviare.*

Epist. ad Theodorum.

Facit etiam illud S. LEONIS Papæ, sic scribentis: *Ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quandò ad hoc se accipit exerendi fiducia, vt vincatur adversitas, nè quod per se probatur reprobum, silentij præiudicio videatur oppressum.*

Sub datis idibus Iunij.

Lectu, & notatu valdè dignum est Imperatorum Honorij, & Theodosij Rescriptum ad Aurelium, Carthaginensem Episcopum, Monactio, & Plinta Consulibus, depositionem secundum Canones, aliasque comminatorias pœnas denuntians Episcopis, qui in exterminandis à suis Diœcesibus Pelagij erroribus, negligentes fuerint, & ignavi. *Vna enim (inquit) eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando, conniventiam; aut non damnando, favorem noxium præstiterint.*

Quandò Fidei, Christianęque Religionis res agitur, debemus omnes præcipuè, qui Episcopali caractere insignimur, silentium rumpere, nosque ipsos falsis, & exitiosis erroribus intrepidè opponere, Christianum Populum instruentes Catholicis Veritatibus (quas nobis Sancti Patres, qui sunt Ecclesiæ Columnæ, tradiderunt) & viriliter obsistentes falsis doctrinis, quales sequuntur Hæretici, apertissimi Fidei, & Apostolicæ Sedis inimici, alioquin taciturnitate, & silentio, nostris subditis perniciosum relinqueremus exemplum. Id præclarè nos docuit S. THEODORUS STUDITES, dum in Monachorū Prępositos acriter invehitur, ob silentium, quod in causa Sacrarum Imaginum sub Leone Armeno promiserant: *In hoc (ait) temporis articulo non solum, qui Dignitate, & scientia præcellit, certare his debet, rectæ Fidei doctrinam proferens, sed & discipulus quoque ipse fiduciam sumere, & veritatem intrepida, ac libera voce profiteri: Non mea sunt hæc verba, qui peccator sum, sed Divini Chrysostomi, quinimò & aliorum Patrum (addit) *consensui, par esse silentium*, id est prodere veritatem, & præfecturam abnegare.*

In Epist ad Monachorū Præpositos.

Si ergo tolerantia, silentium, & conniventia erga doctrinas animarum saluti noxias, adeò grave à Sanctis Patribus iudicatur delictum, quantò gravius ab eisdem, si modò viverent, existimaretur, Propositiones a communi Sanctorum Patrum, Sacrorum Conciliorum, & totius Ecclesiæ sensu adeò devias, cum ingenti animarum iactura, & gravissimo detrimento Catholicæ Religionis, quam Regnum illud singulari præstantia Christianissimum semper professum est, ab eiusdem Regni Pręsulibus, non modò permitti, sed etiam ab ipsis in Conventu Parisiensi congregatis expressè probari? Ad quid, illorum in verbis nitor, in dicendo efficacia, in resistendo improbitati fortitudo, & gloriosa æmulatio Apostolici Zeli quæ retro actis sæculis in illius Regni Pręlatis, pro Catholica Doctrina, & Pontificia Authoritate, effulsit; si quando Orthodoxæ Religioni, & Apostolico Throno bellum grave, & periculosum infertur à Calvini & Lutheri sequacibus, perversè conantibus, suorum errorum venenum, præfatis Propositionibus inclusum, Christianissimis illius Regni incolis propinare, tàm alto silentio obmutescunt? Quis in illo Regno pro Fide & Authoritate Pontificia dimicabit, si Præsules in Pontificia Cathedra sedentes, silent? Quis Regem à sinistra illa opinione, & errore tam manifesto (vt verbis vtar Innocentij) quem ei sui Administri in re spirituali, & merè Ecclesiastica indiderunt, evocabit & Catholicam veritatem edocebit, maximè quando Regis Consiliarij tamquàm laici Regiæ Authoritatis munimine fulciuntur ad disseminandas doctrinas, quarum præcipui Authores, & Fautores, Hæretici agnoscuntur; si Episcopi, quorum est errores depellere, formidine præssi, non sine ingenti suæ Authoritatis dedecore, conticescunt? Quamnam sui nominis gloriam posteris relinquent prę sentes Antistites, quibus tamquàm Dei Ministris incumbebat Regem instruere, cum

Catho-

Catholicè admonere, ad solos Summos Pontifices spectare, tamquàm ad vniversales totius Ecclesiæ Magistros (vt tales ab omnibus Christiani Orbis Principibus veneratos, & à quorum Oraculo, ceu crystallino fonte, omnes Christiani Populi Catholica documenta semper hauserunt) Orthodoxam Doctrinam tradere, Regesque, & Regna salubriter erudire? Hæ erant præcipuæ partes, quas sustinere debebant Illustrissimi illi Gallicanę Ecclesiæ Proceres, amplissimis Sanctitatis, & Doctrinæ dotibus insignes, qui in Parisiensi Conventu extiterunt; sic enim observantiæ, ac respectui Apostolicæ Sedi debito fecissent satis, & melius, perfectiùsque Supremæ Regię Dignitati (vt par erat) consuluissent, si suis monitis, & hortationibus effecissent, nè Regia Authoritas, falcem in alienam messem immitteret, sed intra politicæ gubernationis limites contineretur, neque contra quod fas, & iura sinunt, Ecclesiasticum sibi regimen arrogaret, præcipuè quoad Catholicæ Doctrinæ instructionem, quæ ad solos Pontifices Summos, Fidei, & Christianæ Religionis Patres, in omnibus Christiani Orbis Regnis semper pertinuit.

Nec audienda est illa aliquorum purgatio, eos nempè pœnarum minis conterritos, prædictis Propositionibus subscripsisse, vt in sua Epistola innuunt Gallicani Cleri Pręsules, hæc ad Innocentium scribentes: * Quam consecrandi fecimus Apostolicæ Sedi Canonicæ obedientię Professionem, ea nos impellit, quę Parisijs iussu Regio congregati gessimus, ad Apostolatum Vestrum referamus, gravesque metus nostros paternum in sinum effundamus.* (Epist. Gall. Cler. ad Innoc. XI.)

Huiusmodi enim metus, & prædictorum Prælatorum ignavia, haud leviter offendit Summum Pontificem Innocentium, qui hæc gravissima, & ferventissima sui Zeli, & Apostolici Magisterij proprijssima verba, notatu valdè digna, illis rescripsit: * Nihil sanè lętum, & vestris nominibus dignum eas litteras continere, in ipso earum limine intelleximus. Nam præter ea, quæ de norma in Comitijs convocandis, peragendisque servata afferebantur, animadvertimus, eas ordiri à metu vestro, quo suasore, numquam Sacerdotes Dei esse solent, in ardua, & excelsa, pro Religione, & Ecclesiastica libertate, vel aggrediendo fortes, vel perficiendo constantes: quem quidem metum falsò iudicavistis posse in sinum nostrum effundere; in sinu enim nostro hospitari perpetuò debet Charitas, quæ foras mittit, & longè arcet à se timorem. (Et *pauló infrà*:) Timuistis ergo vbi non erat timor. Id vnum timendum vobis erat, nè apud Deum, hominesque redargui iure possetis, loco, atque honori vestro, & Pastoralis Officij debito defuisse. Memoria vobis repetenda erant, quæ antiqui illi Sanctissimi Præsules, quos quàm plurimi posteà qualibet ætate sunt imitati, Episcopalis Constantiæ, & fortitudinis exempla in huiusmodi casibus, ad vestram eruditionem ediderunt. Intuendę Imagines Prædecessorum vestrorum, non solum, qui Patrum, sed qui nostra quoque memoria floruerunt: & qui Iuonis Carnotensis dicta laudastis, debuistis facta etiam, cum res posceret, imitari. Nostis, quæ is fecerit, passusque sit in turbulenta illa, & periculosa contentione, inter Urbanum Pontificem, & Philippum Regem, muneris sui esse arbitratus, contra Regiam indignationem stare, bonis spoliari, carceres, & exilia perferre, deserentibus alijs causam meliorem. Officij vestri erat, Sedis Apostolicæ Authoritati studia vestra adiungere, & Pastorali pectore, humilitate Sacerdotali, causam Ecclesiarum vestrarum apud Regem agere, eius conscientiam de tota re instruendo, etiam cum periculo Regium in vos animum irritandi, vt possetis in posterum sine rubore in quotidiana Psalmodia Deum alloquentes, Davidica verba proferre: *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.** (In Epist. ad præfati Cleri Prælatos subdatis 11. Aprilis an. 1682.)

Meritò Sanctissimus Innocentius importunum prædictorum Antistitum silentium, timorem, & desidiam coarguit, eisque expendit, quàm arctissimê tenebantur in novum illud *Regaliæ* ius invehi, liberè loquentes, & viriliter reluctantes his, quæ in apertum suarum Ecclesiarum præiuditium vergebant: Idemque, & potiori quidem iure, vt ipse arbitror, quoad prædictas Propositiones, spirituali animarum saluti infensissimas, præstituri erant Gallicani Prælati gloriosissima insignium suorum Prædecessorum vestigia prementes, eorumque Aposto-

Apostolicam fortitudinem imitantes; vt hortatur S.BERNARDUS; sic scribens: * Manus vestras misistis ad fortia, opus est fortitudine.*

Serm. de Laudib. B. Basilij

Censebat S. GREGORIUS NAZIANZENUS vnam è præcipuis conditionibus, & præstantissimis dotibus Episcopalis Dignitatis esse, Christiana libertate, & fortitudine depulsa, sæculares Principes, cum necessitas exigit, ita alloqui, vt possint Antistites illa Regij Vatis concinere: *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.*

In suæ Diœcesis temporalibus, & politicis causis, potest aliquando Episcopus connivere, & fortitudinem temperare, nec sęculari Potestati obsistere, at quando Dei honor, cultus, & obsequium, animarum salus, & Ecclesiæ commodum in discrimen vocatur, qualibet indulgentia, & taciturnitas, haud leve existimatur scelus à D. AMBROSIO, sic Episcopum edocente: * Licet tibi silere in negotio dumtaxat pecuniario, quamquam sit Constantiæ adesse æquitati: in causa autem Dei, vbi communionis periculum est, etiam dissimulare peccatum non est leve.*

Lib. de Offic.

Et licet non rarò, valdè difficile sit, virtutem, & Constantiam adversus Principem, & potentem ostendere; quando his, quæ ad Dei obsequium, Ecclesiæque commodum spectant, obsistit; nihilo secius idipsum solaminis esse non nihil potest Episcopo, si consideret, & in fidissima Orationis trutina perpendat, maiorem laborum gloriam, tribulationumque laureolam experimento probari, tolerantia augeri, martyrio cumulari. Quàm præclarè id innuit D. HIERONYMUS, dum explicans illud Pauli 1. *ad Timotheum* 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, sic vertit: *Martyrium desiderat.* Constantia igitur, virtus, & fortitudo in Episcopo exigitur ad præpotentibus obsistendum, quando istorum iudicia, & conatus Dei obsequio, & Ecclesiasticis legibus adversantur, adeò vt qui hocce forti, validoque animo non viget, Episcopalibus infulis omninò censeatur indignus. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* (*Ecclesiast.* 7.)

Super 1. ad Timoth. 3.

Egregiè ad hanc rem S.GREGORIVS NAZIANZENVS: * Qui (inquit) animòtenus pietatem colunt, quidquid ipsorum verbis Fidei habendum est, vlterius autem eam non proferunt, veluti mortuum quendam fœtum in materno vtero extinguunt. *Hi igitur neutiquàm annumerandi sunt illis, qui, vt ait magnus BASILIVS:* In sacris literis educati, nè vnam quidem syllabam Divinorum Dogmatum prodi sinunt, sed pro eorum defensione, si opus est, nullum non mortis genus amplectuntur.*

Orat. 21.

Apud Theodoretum lib. 4. Hist. cap. 14.

Hoc impavido, infractoque animo pro Gallicanæ Ecclesiæ iuribus tuendis streauè stetit APAMIENSIS Antistes, cuius miram fortitudinem, virilemque Cōstantiam magnificis laudibus extollit Sanctissimus INNOCENTIUS, sic scribens: * Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Quod plurimorum sermone nostris auribus dudum insonat, fraternitatis tuæ ad nos litterę planè declarant, te scilicet in tribulationibus gloriantem, & inter affectæ valetudinis incommoda, inter paupertatis, & vexationum angustias crescentem quotidie magis in Charitate CHRISTI, magno fortique animo illius causam agere, & pergratum Deo, hominibusque spectaculum exhibere. Magnum profectò, ex tantę virtutis experimento, dolori nostro solatium cœpimus, & pari obligationis nexu obstringimur, tendendi suplices in Cælum manus, vt vberes profiteamur misericordiarum Patri gratias, quòd difficillimo tempore suscitaverit sibi in isto regno Sacerdotem fidelem, qui in communi animorum consternatione, & silentio, quasi tubam exaltet vocem suam, & opponat murum pro domo Israel. Documentum illustre cæteris, quos Dominus posuit regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo.*

In Pontificio Diplomate ad Illust. Apamien. Episc.

Singularem etiam animi præstantiam, qua prędictus Antistes suæ Ecclesiæ iura acerrimè propugnarat, egregijs laudum encomijs prędicat, evehitque ipse Innocentius *In Pontificio Diplomate ad Apamienses Canonicos* directo, qui eum de tanti Præsulis morte fecerant certiorem, eorum enim pijssi-

Dat. Romæ 21 sept anno 1680. Pontificatus anno 5.

pijſſimas, & ęquiſſimas lacrymas, his verbis abſtergit: *Dilecti filij, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nihil accidere nobis triſtius poterat nuntio, quem cum rumore ipſo publico veſtræ litterę attulerunt; deceſſiſſe bonæ memorię Franciſcum, Apamienſis Eccleſię Epiſcopum, ea Virtute, eoque Paſtorali Zelo, & invicta animi Conſtantia præditum, vt Vir ſecundum cor Dei, & verè Apoſtolicus dici meruerit. Quòd autem dolorem noſtrum cumulat, eo tempore deceſſit, quo eum maximè vivere afflicta eiuſdem Eccleſiæ conditio poſtulabat ::: Omnem tamen doloris ſenſum ab animis noſtris debet abſtergere, conſideratio prǫmiorum, ad quæ illum, ſicut ſperare fas eſt, tot pro ſua Eccleſia exhauſti labores, tot incommoda, atque ęrumnæ pro cauſa Dei, forti, magnoque animo ad ſupremum vitę ſpiritum toleratæ, ex hoc mortali carcere, evocarunt.*

Si hac animi ſublimitate, & præſtantia cæteri Gallicani Antiſtites ſeſe, pro ſuis Eccleſijs, novo illi Regaliæ Iuri, & Doctrinæ, pręd ictis Propoſitionibus contentæ objeciſſent, non dubito, quin ſibi maiorem gloriam, glorioſiuſque prǫmium apud Deum, homines, & vniverſum Chriſtianum Orbē comparaſſent. Quòd ſi Alectenſis, & Apamienſis Antiſtitum veſtigia tàm Superiores Prælati premere aſpernarentur, eoſque, quia Coætaneos, ſequi faſtidirent, imitandum ſanè illis erat exemplum, quò ſuperius, eò certè imitatione dignius, vniverſalis ſcilicet Paſtoris Innocentij XI. cuius ea fuit in tuendis Gallicanis Eccleſijs virtus, & animi Conſtantia, ſtrenuaque fortitudo, vt pro earum protectione non timuerit adverſa quæquę ſubire, vt ipſe teſtatur, dum Francorum hortatur Regem, vt exitioſum illum, & ab omni rationis æquitate, & Chriſtianiſſimi Regis pietate alienum ambitum (circa Regaliæ extenſionem) deponat, & penitùs abjiciat: *Speramus (inquit) chariſſime Fili, opus non fore, vt novis eximiam Religionem, æquitatemque tuam, precibus in hoc negotio interpellemus. Ea cęteroquin eſt rei magnitudo, in qua non ſolum Gallicanę, ſed totius Eccleſię Dignitas, ſaluſque vertitur, vt, pro Apoſtolici Officij noſtri munere, extrema potiùs pati omnia, quàm cauſam iſtam negligenter agere debeamus.* *In 2. ſuo Diplomate ad Francorum Regem.*

Vt autem oſtenderet, ſe non moris cauſa, ſed ex pectore, & animo prædicta ſcripſiſſe, paratumque eſſe, ad quælibet pro ſua, Gallicaniſque Eccleſijs, infortunia perferenda, exſolvendoſque labores, tertium Diploma, ad eumdem Gallię Regem directum, pro hac eadem re, ſic concludit: *Magnopere veremur, nè ſubire aliquando debeas, quam tibi alijs in litteris denunciavimus, Cœleſtis irę animadverſionem. Nos ſanè, neque hoc negotium, per litteras amplius vrgebimus, nequè deſides erimus in adhibendis remedijs, quę traditæ nobis divinitùs Poteſtati competunt, quæquæ in tam gravi, periculoſoque morbo omittere, ſine graviſſima neglecti Apoſtolici muneris culpa, non poſſemus. Neque tandèm vllum indè incommodum, aut periculum, nullam quamtumvis ſævam, atque horribilem tempeſtatem pertimeſcemus; ad hoc enim vocati ſumus: neque facimus animam noſtram pretioſiorem, quàm nos; probè intelligentes, non forti ſolum, ſed etiam lęto animo ſubeundas tribulationes propter iuſtitiam, in quibus, & in Cruce Domini Noſtri IESV CHRISTI nos vnicè gloriari oportet. Cauſam Dei agimus, querentes non quæ noſtra ſunt, ſed quę IESV CHRISTI.* *3. Diplom. ad eundem.*

Si tanti Pontificis, in tuenda Gallicanarum Eccleſiarum libertate, & Immunitate, Virtutem, & Conſtantiam imitati fuiſſent Epiſcopi in Pariſijs congregati, vnaque cum Sanctiſſimo Innocentio Regijs Miniſtris Eccleſiaſtica iura vſurpare conantibus, ſancta libertate obſtitiſſent, Regem liberè alloquentes, eique luculenter ſignificantes, à Regia, laicaque Authoritate valdè alienum, ſibi Eccleſiæ iura abrogare, & Eccleſijs, quæ huiuſmodi oneri numquam obnoxiæ fuerant, propria Authoritate vectigalia indicere; valdèque cuiuſlibet ſæcularis Principis Authoritatem excedere, Poteſtatem ſuam ad Eccleſiaſtica extendere, & contra omnem Divinam, Humanamque, & Canonicam Legem in Beneficiorum, & Eccleſiaſticarum Præbendarum collatione, ſpiritualem iuriſdictionem ſibi vindicare, cum ingenti præiudicio ſpiritualis iuris, quod Prę latis Ordinarijs, Summoque Pontifici privativè competit, alioquin Secularis

Princeps, & Christianum Orbem grauissimâ offensione violabit, & Christiani Principis limites transiliet; si, inquam, Gallicani Præsules suarum Ecclesiarum Zelo, hæc, aliaque efficaciora momenta, quæ præclara illorum Doctrina, & debitus Fidei, & Ecclesiastici iuris amor eis suggessisset, Pastorali Pietate, ac debita veneratione, Christianissimo Regi in Parisiensi Conventu proposuissent, eique pro sua eloquentia expendissent, & grauissima damna Ecclesijs ex prætenso illo Regaliæ iure proventura, & ingens dedecus, quo Regia sua Dignitas commaculabatur, ob prætensionem adeò sibi inutilem, & Regno suo exitiosam, ac indecoram, vt gloriosiores sui maiores eam meritò contempserint, quòd Regia Pietate indignum iudicarint, bona, quæ Fidelium Pietas, Deo, Ecclesiæque consecrarat, per iniuriam sibi vindicare, istorumque vsurpatione Coronam suam adaugere, probè cognoscentes, iniustam istam bonorum occupationem, lamentabiles olim subsequutos fuisse effectus, Deo grauiter animadvertente in eos, qui Ecclesiam, eiusque Ministros huiusmodi iactura vexarunt: Si ergo Præsules prædicti, omnibus Doctrinæ, & prudentiæ dotibus instructi, in Parisiensi Conventu congregati, & totam Gallicanam Ecclesiam repræsentantes, ijs, alijsque saluberrimis consilijs Regem monuissent, haud dubium, quin Christianissimus Princeps, in cuius pectore adeò viget ingens Fidei, & Catholicæ Religionis ardor (vt ipse Innocentius, & Gallicanus Clerus testantur) his admonitus, hęcque deligenter considerans, suorum Ministrorum, & Consiliariorum instantias neglexisset, quæ in illius Coronæ opprobrium potiùs, & ruinam, quàm in commodum, vtilitatemque vergerent. Ecclesięque tot mœroribus opressæ optatam pacem, gratumque solamen obtinuissent. Ex hac igitur Prędulum ignavia, & iniqua Regalistarum petitione, vt prudenter coniectari licet, miserandi adeò effectus, lamentabilesque ruinæ in Regnum illud defluxerunt, vt vel sola illarum recordatione animus perhorrescat.

Nihilominùs, vt cętera Regna alieno periculo edoceantur, quantum Secularibus Principibus expediat, nascenti malo diligenter occurrere, nè parva scintilla, vt S. Hyeronimus loquitur, in flammam, & inextinguibilem ignem adolescat: quia vt rectè aiebat ANGELICUS DOCTOR: *Parvus error in principio, magnus in fine*, miseram rerum conditionem, ad quam Regnum illud, ob Regaliæ negotium, redactum est, breviter ostendam. Et quamquam huius calamitatis non nihil iam à nobis supra relatum sit, in grauissimis Venerabilium, Alectensis, & Apamiensis Antistitum Epistolis, qui singulari animi præstantia, sese vnicos, & acerrimos suarum Ecclesiarum propugnatores exhibuisse noscuntur, nihilo secius post fœlicem horum Apostolicorum Præsulum obitum, non defuere, qui ardentissimum illorum Zelum æmulantes, inenarrabiles labores perpessi sint, quorum præcipuus fuit P. IOANNES CERLE, eiusdem Apamiensis Ecclesiæ Canonicus, Sede vacante Vicarius Generalis, & Officialis, Apostolica Authoritate confirmatus, qui Ecclesię suæ vicem condolens, molestèque ferens, Ecclesiasticæ Immunitatis defensores acerba adeò persecutione torqueri, coactus fuit, rem ad Sanctissimum Innocentium XI. deferre, vt Suprema Potestate, & Authoritate sua, tàm grauibus mederetur incommodis. In Epist. igitur, quàm ad Sanctissimum Pontificem misit, hæc scribit: * Beatissime Pater. Sim licet pulvis, & cinis, ea tamen fretus benignitate, qua nos oviculas vestras, tamquam bonus Pastor, Apostolicis humeris gestatis, & sacro gremio confovetis, non verebor ad vos, Dominum meum, loqui, & in Sanctitatis Vestræ sinum meas, & totius Apamiensis Ecclesiæ lacrymas effundere. Sed quid lacrymas, mœroremque loquor? cum nobis potius lætandum sit (siquidem veri Christiani sumus) illudque Pauli vnicuique nostrum vsurpandum. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

In princip. lib de Ente, & Essent.

Epist. ad Innoc. XI.

Quanta sit (prosequitur) hæc nostra tribulatio, Pater Sanctissime, enarrare quis queat? Dum enim Sanctitas Vestra, pendente istiusmodi negotij tractatione, non solum poneret fulmina, sed etiam efferatos tot adversariorum nostrorum animos, omnimodis Paternæ Clementię Officijs delinire conaretur, nobisque, & induciarum fides, & spes propè diem adfuturæ pacis securitatem pollicerem-

cerentur; ecce repentina tempestas ingruit: quodque Sede vacante nihil innovari passi sumus,& nulla ratione adduci vmq iam potuimus, vt Anathematizatos, & publicè denunciatos Regalistas in Communionem nostram admittere-mus, bonis, patria, libertate spoliamur; erramus in solitudinibus, egentes, & anguistiati, vinculis, catenisque constricti, per oppida circumducimur,ad terrorem omnibus incutiendum; cum sicarijs, ac parricidis, teterrimis ergastulis conclusi, suspiria mittimus, surdis auribus excipienda. Quid plura? Maledicimur, & blasphemamur: extra Synagogas faciunt nos: &, nê quid malis nostris desit, in occisionem quoque mittimur.

Stupenda, sed vera loquor, Pater Sanctissime, extinctus est enim, sublatusque durissimis carceris incommodis R.P. Carla, Canonicus, ac Prior noster; felix, quod libertatis Ecclesiasticæ prima victima cecidit. Fuerat ille Venerabilis Episcopi Nostri,in restauranda huius nostri Capituli Sanctiori disciplina, adiutor, & administer præcipuus: iamque senescebat, suæ, nostræque saluti sedulò invigilans, ecce afflictis nobis, & lacrymantibus, repentè, ac violenter eripitur. Nulla innocentissimo seni, qui vel vultu sanctimoniam spirabat, habita est reverentia; laboribus, morbis, & extrema macie confectus rapitur, trahiturque in vltimos Galliæ recessus, ibique in quadam arce includitur, quæ cum sit ad litus mediterranei maris, sub pestilenti aëre posita, optimo seni exitio fuit. Morienti, ac tantum beneficium cum lacrymis postulanti, Ecclesiæ Sacramenta negata sunt: quod, cuius scelere factum sit, nondum planè scire potuimus. R.P. Michaëlem de Aubarede Presbyterum virtutibus, quàm natalibus nobiliorem, quem putabamus exilio tantum mulctatum, audivimus ductum Cadomum, ibique in carcerem detrusum. R.P. Rech, tam arcta custodia inclusus, constrictusque est, vt quid de eo factum sit,penitùs ignoremus, nisi quod à non levi Authore didicimus, multas illum, initio præsertim, erumnas esse perpessum: quodque fidem superare videtur, multi temporis inedia esse cruciatum. Cæteri Canonici Regulares, fratres mei sedibus suis pulsi, in varijs oppidis inter se, & à nobis dissitis, tristissimam (secundum hominem loquor) mœstissimamque vitam egentes, exulant.

Ego peccator, peccatorumque primus, solus relictus sum, vt hæc nunciarem Sanctitati Vestræ.Quamquam quis relictum, intactumque putet, hominem toties proscriptum, publicatumque,tàm diligenter quæsitum? Quem si quis in domum admiserit, in summo bonorum, libertatisque periculo versatur? Ad quem capiendum Gubernator, & Præses Provinciæ,ingentis mercedis pollicitatione,omnes, ac singulos cohortatur? Cui vincula, triremes, & acerbiora fortasse supplicia parata sunt.*

Et *paulò infra*: * Sic premimur, sic affligimur, Pater Beatissime, nec mitiùs habentur, quicumque suspecti sunt, auxilio nos, consilioque iuvare suo, aut propensiore benevolentia nos prosequi. Non modo periculosa, sed etiam exitiosa res est amicitia nostra, quemadmodum multi experti sunt. In his est Albiensis Ecclesiæ Theologus, nomine Duferrier, Vir,inter nostrates, si quisquam alius,de Ecclesia benemeritus, Pietate,eloquentia, rerum Ecclesiasticarum peritia conspicuus, quem bonus quisque Episcopus, non modò complectitur vt filium, sed etiam audit vt Magistrum, reveretur vt Patrem. Hunc in extremam Senectutem vergentem, in vltimos Burgundiæ fines ablegarunt, non aliùs certè criminis reum, nisi quòd adversarijs in suspicionem venerit, Venerabili Episcopo nostro, & nobis consilium aliquando dedisse.*

Et *infrà*, alijs similibus casibus relatis, prosequitur: * Alios per multos omitto, Pater Sanctissime, pro causa Dei extrema quæque subeuntes. Sed hæc quanta sint, levia fortassè videbuntur, si conferantur cum lugendo illo schismate, quo in Ecclesia Apamiensi tunica CHRISTI inconsutilis scinditur. Illustrissimus Archiepiscopus Tholosanus non dubitavit, Presbyterum quemdam mittere, qui per summam vim,nobis omnibus expulsis, in illa Ecclesia, Sede vacante, vices illius ageret ::: Religio magna est,ac summa Pietas huic Vicario Generali, partam contra Canonicas Sanctiones Authoritatem, armis, quibus tota

Regio

Regio perstrepit, asserere: Anathemate perculsos homines Altaribus admovere: Plebem Christianam ad celebranda cum excommunicatis Mysteria, & ab ijs suscipienda Sacramenta, renuentem licet, & Fidem Sacrarum Legum obtestantem, immissis militibus adigere: Monachos, & Sanctimoniales in obsequio remanentes, ab vsu Sacramentorū arcere, & Monasterijs suis eijcere: Sororem Episcopi nostri, alteram Tabitam, viduam Dinastæ Mirapisensis (quod nomen inter Primates Regni percelebre est) quæ iam multos annos, erudiendis in Christiana disciplina pauperibus puellis, cum nonnullis pijssimis Virginibus, quas secum alebat, summa cum humilitate vacabat, Apamijs expellere, &c.*

Et *infrà*: * Ecce, Sanctissime Pater, non Apamiensis modo, sed totius Ecclesiæ Gallicanæ misera, & ærumnosa conditio! Hæc ad Sanctitatem Vestram supplices manus tendit, quantùm per vincula, quibus ateritur, tendere licet. Consolamini, precor, mœrentem, erigite conculcatam, vinctam, captivamque redimite. (Et *infrà*:) Quod ad nos attinet, Pater Beatissime, immensas Sanctitati Vestræ gratias referimus, non solum, quod nos, causamque nostram, Paterna benignitate prosequuta sit, sed etiam quòd ad nostram tenuitatem scribere, indignum Apostolico vertice minimè putaverit. Qua in re, Pater Beatissime, sicut in cæteris omnibus, Summorum Apostolorum vestigijs insistitis; nam & Paulus pro Onesimo, fugitivo mancipio, & discipulus Domini, electæ fœminæ Canonicam scripsit Epistolam. Nos verò ea res, & honore cumulat, & solatio plurimùm afficit. Nam quemadmodum Machabæi inter tot adversa, nullum aliud rebus suis perfugium, fomentumque quærebant, habentes solatio Sanctissimos libros; ita nos tot malis iactati, tot incommodis affecti, vix tanti doloris acerbitatem sentimus, habentes solatio Apostolicas Litteras. Ignoscat, precor, Sanctitas Vestra, quod ad ipsam minùs decenti charta scribere non dubitaverim. Istud non meæ culpæ, sed fugæ tribuendum. Vestros Apostolicos Pedes exosculari, Sacraque vestigia adlambere gloriatur, &c.*

In alia insupèr Epistola, ipse Vicarius Generalis, Vir planè Apostolici pectoris eundem Innocentium certiorem reddit de sævissima persecutione, intolerabilibusque laboribus, quibus acerbissimè vexabantur, qui Pontificis præscripto, & Apostolicis præceptis, prompto, alacrique animo obsequentes, novo illi Regaliæ iuri, in magnam suarum Ecclesiarum perniciem vergenti, viriliter obnitebantur; simulque debitas rependit grates, ob speratum levamen, quo eos, in tanta animorum consternatione constitutos, dignabatur solari. Gravissima illius verba audiamus.

Alia eiusdem Epist. ad eundem Innoc. XI.

*Beatissime Pater, post humilima pedum oscula. Acceptis, flexis genibus, pronoque in terram vultu, Sanctitatis Vestræ litteris ad meam tenuitatem *die 1. Ianuarij datis*, dixi cum Paulo: *Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri IESV CHRISTI, Pater Misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Quæ enim tanta est, Beatissime Pater, tàmque acerba tribulatio, quam non deliniat, vel sola tanti, tàmque mirabilis Pontificis de nobis recordatio? Qui se tùm in vniversos Fideles, tùm peculiariter in nos, quantumvis immeritos, CHRISTI Vicarium exhibet, non solum in plenitudine Potestatis, verùmetiam in plenitudine Charitatis? Quæ tanta est, præ malorum pondere, animi abiectio, quam non erigat invictum illud animi robur, quod in Sanctitate Vestra pro tuenda Ecclesiæ libertate, pij omnes huius Sanctæ Matris filij demirantur, illaque sedium ipsius assistrix Sapientia, cuius ope, atque lumine inter calumniarum tenebras, & mendatiorum caliginem, veritatem, atque iustitiam tàm perspicaciter internoscit?

Sunt equidem, Beatissime Pater, etiam in Gallia non pauci Sacerdotes, Monachi, Senatores, omniumque Ordinum homines, qui etiam si aliter palàm loquantur, etiam si opem nullam ferant, etiam si metu Potestatum infensos sese simulent, nobiscum tamen sentiunt, & vbi fidos arbitros nacti fuerint, quantùm nobis condoleant, dissimulare non possunt. Hæc animorum circa causæ iustitiam consensio, non parum affert consolationis, sed nisi Sanctitatis Vestræ frequentes consolationes, & quod iam experti sumus, multoque magis, quod adhuc

adhuc speramus efficax auxilium, confirmarent, fortasse quos calamitatum acerbitas nondum deiecit, diuturnitas tandem opprimeret: adeò enim non minuitur incendium, quo iam pridem flagrant Apamiæ, vt maiores indies vires capere videatur, pergentibus nos affligere, atque conterere, ijsdem, qui antea, hominibus.

Abuterer, Sanctissime Pater, Sanctitatis Vestræ benignitate, atque patientia, si quæ illi postremis litteris mala percensui, adhuc commemorarem. Id vnum affirmo, tantum abesse, vt quæ his litteris continebantur, veritatem excederent, vt plurima omissa fuerint. In his sunt, exilium Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Apamiensis, nomine Mascaras, qui, quòd divinis interesse cum Regalistis excommunicatis, constantissimè recusaverit, in Urbem Brivam Diocesis Lemovicensis relegatus est; exilium Procuratoris Fiscalis Reverendissimi Patris nostri Episcopi Apamiensis in Oppidum Daubusson relegati, eo quòd inter concionandum, Fideles ad fundendas in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus preces fuisset cohortatus; ærumnæ Parochi, B. Genesij de Mongailard, ob publicatam, significatamque Ordinationem nostram, & Vicarij B. Magdalenæ de Saurad, ob solam de affixa Ecclesiæ foribus eadem Ordinatione suspicionem, in carcerem detrusorum: pecuniarum summa ab alijs excussa ob dilationem in agnoscendo Vicario Generali à Reverendissimo Metropolitano Delegato: Patribus Prædicatoribus Apamiensibus, quòd eidem Vicario parere, & Officia Divina coram Clericis, sub prætextu Regaliæ in Beneficia nostra intrusis, ideòque publicè declaratis excommunicatis, celebrare recusaverint, erepta Schola Philosophiæ cum suis stipendijs, & in Iesuitarum gymnasium translata.*

Et *infra*: * Ex illis, quæ postmodum subsequuta sunt, Sanctissime Pater, pauca seligam. Vix è manibus emissæ fuerant posteriores nostræ ad Apostolicos Sanctitatis Vestræ pedes litteræ, cum Prætor Apamiensis in optimos quosque Parochiarum Rectores truculentissimè irruit; propterea solum, quòd putaverant oportere, Deo magis obedire, quàm hominibus. Quos quidem capere potuit, vt Parochos S. Iuliani de Axiat, S. Petri de Ornolach, S. Laurentij de Borniole, S. Petri de Bonach, tàm arctæ custodiæ mancipavit, vt nec Missæ audiendæ, etiam diebus Dominicis, nedum celebrandæ Facultas concederetur: Aliorum, qui fuga saluti consuluerant, supellectilem, pecunias, frumentum, & quidquid iuvandis, alendisque CHRISTI pauperibus provida paraverat Charitas, invasit, quo pacto impletum est, nec vno modo, quod dictum est per Ieremiam Prophetam: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Nam & corpori suus panis, & animæ suus ablatus est. Expulsis veris Pastoribus, substituti sunt lupi, qui non solidum dispensant Evangelij cibum, sed venenatam propinant doctrinam::: Parochi, qui non animarum tantum, sed corporum etiam necessitatibus Paterna providentia consulebant, vilioribus cibis dubiam, & ærumnosam vitam tolerant, solisque interdum lupicinis vescuntur à suis Parochianis emendicatis, noctuque quæsitis, & in suspiciosissimis temporibus tremula manu datis, atque acceptis.

Frater Franciscus Rouse, qui solus è fratribus nostris Canonicis, non in Civitate (ibi enim nè vnus quidem supererat) sed in quadam huius Diœcesis Parochia hactenus relictus fuerat, sive quòd adversariorum oculis non ita frequenter esset obvius, sive quòd propter optimæ indolis innocentiam parum ipsorum studijs nociturus crederetur, tandem & ipse post graves minas, & convitia viro Religioso, & Sacerdote indignissima, coniectus est in carcerem, vbi, quæ ad sustentandam vitam necessaria erant, cum nec amici possent, nec inimici curarent suppeditare, appenso ad fenestras sacculo, dum hæc ad Sanctitatem Vestram scriberem, emendicare meditabatur. Sic nimirum plectendum erat crimen ipsi obiectum, quod scilicet in quadam Ordinatione nostra paucos Typographi errores emendasse incularetur.

Similem experti sunt vltionem Vicarij S. Baudelij de Siger, & S. Petri de Mauleon, licet non ipsi, sed Parochi, rei iudicarentur, alter quidem, quod Concionatorem, à Vicariatus Generalis vsurpatore missum, admittere recu-

faret;alter,quòd me insectantium iram fugientem, hospitio excep isse falsò crederetur: affliguntur enim, non solum qui Ecclesiæ Iuribus, aut ea defendentibus favent, sed & qui vel minima circa hoc laborant suspicione.

Non est, Beatissime Pater, habita sexus ratio: exulavit Mater Anna,Carmelitarum Virginum è numero Prudentum Præposita, cuius precibus, operibus, & præsertim vberrimis Penitentiæ fructibus,non parùm, vti putamus, apud Deum res nostræ iuvabantur; non alia de causa, quàm quòd Sanctitatis Vestræ Litteris cohibita, non potuerit, nec ipsius alumnæ, spretis nobis Vicario Generali ab Illustrissimo Archiepiscopo Tolosano Apamias misso, obedientiam exhibere.

Malè habetur Vrbanistarum Sanctæ Claræ Virginum Conventus, constantissimè nobis semper adhærens, quia illarum Priorissa non receptis Sacramentis decessisse creditur, repulsis scilicet Sacerdotibus à prædicto Vicario Generali commissis, eaque offerentibus; quamquam divina subordinante Providentia, non defuerit, qui à nobis legitimè approbatus,necessaria omnia occultè, & quasi furtim administraverit.

Eò devenerunt (prosequitur idem) cæcitatis tot malorum Authores, vt non à nostris tantum ordinationibus;sed etiam à Sanctitatis Vestræ Censuris tutos se arbitrentur, si Litteris illas continentibus aditus omnes præcludant. Excubant in Civitatis Apamiensis muris,ad eius portas, & extra, in via Custodes, qui accedentes quosque excutiant, nè fortè aliquis actus minùs gratus illuc clanculum inferatur. Si mihi, Beatissime Pater, Ecclesię huius iura aliundè non constarent,vel ipse introducendę in eam Regaliæ modus suaderet, causam Iustitia non niti, quæ tàm violentis, tamque à Christiana Charitate, atque à Canonica disciplina alienis vijs, ad finem intentum promoveatur.*

Et *infra*: * Hæc sunt, Pater Sanctissime, quę Beatitudini vestræ significare,è re Ecclesiæ esse putavi, non ad condemnationem eorum, de quibus loquutus sum (erunt enim semper in cordibus nostris, ad commoriendum, & ad convivendum) sed vt eos Sanctitas vestra, in gremio suo, tamquàm filios non æquidem optimè valentes, amanter, diligenterque confovendo pristinæ sanitati restituat. Quòd verò calamitates nostras oculis vestris subiecerim, non alio consilio factum est, quàm vt ipsum remedium à Sanctitate Vestra quęreretur. Minuuntur quidem mala,quę tàm sacris auribus excipiuntur; deliniuntur filiorum vulnera, quę videt, & dolet tantus Parens. Verùm ingravescentis doloris magnitudo, non nisi validioribus medicamentis curatur. Non precor adversarijs, quas merentur, pœnas: Exponam tantùm,impunitate, aut potiùs paterna Sanctitatis Vestræ Patientia, illos ad conterendum nos iam affectos audaciores.

At inquiunt viri secundum carnem prudentes, concedendum tempori, indulgendum Potestatibus, à quibus multum metuas, speres plurimum; scilicet istis artibus imperium CHRISTI partum est? Has docuit Apostolos Dominus artes? Sic indulgendo, palpando, *exivit in omnem terram sonus eorum*? Nequaquam sanè, sed Martyrum cruore irrigata crevit Ecclesia, & persecutionum fluctibus iactata,firmiùs stetit. Quid verò ista Indulgentia, ista Aulica obsequia, istæ denique sæculi, non æternitatis artes,Ecclesię contulerint, nec me Sacræ Litterę, nec me Ecclesiastica monumenta docuerunt.*

Estò hùcusque Vir iste Apostolicus gravissima retulerit incommoda,acerbas persecutiones, intolerabilesque labores, quos omnes suæ Ecclesię prçstantissimi Viri,à planta pedis, ad capitis vsque verticem,pertulerunt, præcipuè à sui Apamiensis Antistitis morte *ad 15. vsque diem Martij anni* 1681. specialem sibi arrogat attentionem, memorandum illud facinus, quod ipse enarrat, vbi ea commemorat, quæ sine funestis, acerbique doloris iugibus lacrymis legi non possunt: & *quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit*, vt inquit Poëta, nihilòminus, vt futuris temporibus manifestè appareat afflictum, iacentemque mœrore animum, numquàm Divino solatio destitui,Sanctissimosque, & Apostolicos illius Ecclesiæ Viros nobiliùs Evangelicæ Legis Prototypon,

In alia ad eundem Innoc. XI. Epist. sub-datis 14. Iunij anno 1681.

CHRI-

CHRISTUM nempè, istiusque Apostolos sequutos, singularis tolerantiæ exemplum, ad graviora opprobria, acerbioresque labores pro Ecclesia subendos, imitandum posteris reliquisse, eosque Deum huiusce gloriæ in hac vita contubernales effecisse, vt eisdem pretiosissimæ Coronę, quam invicta eorum Constantia reportavit in terris, in Cælis tribueret, esse comparticipes; illius verba transcribenda censuimus.

* Sum certè, nec diffiteor, hominum vilissimus, & omnium pedibus conculcandus, tamen videtur non contemnendus, quem confessionis vmbra nobilitat, & imago Martyrij. Insipiens factus sum, Pater Sanctissime, mente excedo, sed sobrium esse non licet sub tanto gloriæ pondere, in tanta gaudij superabundantia. Porrò gloriam illam, illudque gaudium debeo Tolosano Senatui, qui sive spontè sua, seu potiùs R. Archiepiscopi Tolosani impulsu, Aulicisque mandatis, capitis sententiam, quam pridem meditabatur, tandem aliquando in me dixit. Damnatus sum peccatorum primus, miserrimusque, vt olim celeberrimi quique Fidei Confessores, CHRISTIQUE Athletæ, qui omnes tamquàm publicę quietis perturbatores, Patriæ proditores, Principum, & Potestatum obtrectatores (confictis videlicet Satana Authore criminibus) fœliciter perierunt; ita perire nondum mihi tribuit Deus, Pater Sanctissime, qui dum alieni insurgentes adversus me è Synagoga potentium, quęrerent animam meam, in nomine suo salvum me fecit, susceptorque fuit animæ meæ. Verùm spe sua frustrata crudelitas, cum nostro satiari cruore non potuisset, summo nos dedecore, contumeliaque afficere tentavit; circumducta est a carnifice in curru, vehendis ad supplicium reis destinato, effigies nostra per frequentiores Tolosæ vicos, & compita, ferali pompa, insolentique ritu; mox in celebri foro præcelsæ trabi suspensa, magnum afflictæ Religionis ludibrium, ingens ferocientis impietatis trophеum. Ita, Pater Sanctissime, Mundo, & hominibus, vtinam & Angelis, spectaculum facti sumus.

Visebatur in illa tabella Vir Religiosus, veste candida, vnà cum superpelliceo indutus, qui Canonicorum Regularium habitus est: stabat retrò pictus carnifex, truci vultu, bipennem vibrans, ac genuflexi cervicibus imminens. Ad huiusmodi lætum adversarijs, mihi profectò non lugendum spectaculum, fremere omnes boni, & indignari cœperunt. Quid, aiebant, Sacræ, & Religiosæ vesti tàm procaciter illuditur? Cæteri rei demptis vestibus interficiuntur, vt dum scelus plectitur, Dignitati parcatur. Verè Religionis ludibrium totum illud est, non hominis supplicium. Fœlix, qui sic probro afficitur! Ita olim Martyres in Stola candida, & amictu nitidiori, ad necem, tamquàm ad nuptias procedebant. Fuit quoque, Pater Sanctissime, qui argutè simul, & sapienter diceret: Quidquid in ea tabula penicillus expreserat, videri sibi earum rerum, quæ intra Gallias ea tempestate gerebantur, emblema. Sub illo superpelliceo, candidoque amictu, Ecclesiam Gallicanam latere, miseram prorsus, & ærumnosam, cui Schisma Regalistarum stricto gladio caput amputare pararet; dum eam à Summo Pontifice capite suo, valido quidem, sed casso conatu, divellere niteretur. Hæ sunt, Pater Sanctissime, proborum omnium querelæ, sic sentiunt, sic loquuntur, quicumque apud nos plus Deum timent, quàm hoc seculum diligunt.*

Et *infra* prosequitur: * Hæc tanta, tamquàm acerba Ecclesiæ mala, Pater Sanctissime, malorum nostrorum sensum adimunt, ac oblivionem inducunt: de his tamen malis nostris, Vestræ Beatitudinis auribus pergam paucula quędam ingerere. Cum fuissemus ea, qua diximus, ignominia, in Civitate Tolosana affecti, eadem postmodum Apamijs, & in cæteris Diœceseos oppidis, inusti sumus; tùm contumelia filij gloriam patris in memoriam revocavit. Obversabatur omnium animis Patris, pariter, & Episcopi nostri optimarum virtutum exemplar, merita quoque, & beneficia, quibus tot annis gentem nostram cumulaverat. Hanc ergo, aiebant, reddunt vicem ei, qui toties nos sua paupertate ditavit, ieiunijs alvit, periculis securos effecit, optimis exemplis, ad piè, Christianèque vivendum provocavit; qui corpus suum exhibens Hostiam Sanctam,

ctam, Deo placentem; toties *in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*? Pro tot, tantisque Viri Dei erga nos meritis, disperditis cæteris eius filijs omnibus, eum, qui vnus superesse videbatur, suspendio necare non perhorrescunt. Fuit tum afflictissimæ huius Ecclesię perquam lugubris facies, Rachele plorante filios suos, & nolente consolari, *quia non sunt*.

Quis fuerit, Pater Sanctissime, mansuetiorum omnium sensus, animusque, ex ipso Apamiensi carnifice conjici potest. Ille, qui toties oculos suos humano cruore paverat, cui ars, imò ludus erat, homines torquere, vrere, membratim concidere, & omni suppliciorum genere necare, vehementi horrore perculsus est: vixque potuit, conceptam animo feritatem, Authore Deo dedoctus, ore pallenti, labentibus genibus, tremulaque manu, effigiem nostram cruci appendere; cumque id sibi iterum, iterumque prętandum intellexisset, cum coniuge, rebusque suis nocte fugam capessit. Miseras terras! infœlixque solum! cui tanta feritas est, vt tædio, horrorique sit vel ipsis carnificibus. Abijsse hominem, cum comperissent, Prætor Civitatis, Pręfectusque Provinciæ mittunt illicò, qui sedulò fugitivum quęrant, inventumque vi revocent. Comprehensus ad sexagessimum circiter milliarium, negat se in eam Civitatem rediturum, in qua patibulum innocentiæ paratur, Religioni securis imminet: se miserum, atque calamitosum, tamen esse Catholicum, nec posse Calvinistarum more, adversus Ecclesiam bellum gerere, eosque necare, quos illa salvos velit, summaque benignitate prosequeretur; vereri se Dominum Episcopum Apamiensem, signis, & virtutibus coruscantem, & suorum haud dubiè non oblitum.

Videtur mihi (prosequitur) tortor ille, boni latronis Constantiam æmulari, qui de cruce pendens, ausus est, confiteri CHRISTUM, à Scribis, & Pharisæis accusatum, damnatum à Magistratibus, à Regibus illusum, ab Apostolis ita, vel negatum, vel traditum, vel desertum, vt vnus tantummodo, &c. (Et *infrà*:) Non meæ parvitatis est, Pater Sanctissime, Reverendissimos Episcopos, Dominos, ac Patres meos Officij admonere sui. Optarem tamen vehementer, vt ista legissent, quos nuper in ædes suas, Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis coire iussit. Maluissent profectò, Sanctitati Vestræ, pro ipsarum Ecclesiarum Dignitate, tantis laboribus, tantaque gloria decertanti, gratias agere, quàm de Apostolicis Litteris pari in Sanctam Sedem contemptu, ac in Aulam adulatione conqueri. Vtiliùs sibi fore putassent, Regem nostrum Christianissimum, ac numquam satis nobis suspiciendum, precibus, & lacrymis pro extinguenda Regalia, reddendaque Apamiensi Ecclesiæ tranquillitate, adire, quàm cum miseris quibusdam leguleis, de Sacrosancti Concilij Lugdunensis Authoritate, summo cum Ordinis sui dedecore, dubitare. Satius existimassent, Pręsulis nostri, Viri (vt Sanctitas Vestra loquitur) verè Apostolici, ac decoris domus Dei Zelatores, æmulatoresque fieri, quàm ijs, qui nos eius filios, ad internecionem vsque persequuntur, socios se, amicosque adiungere.*

Et *infrà*: * Is est, Pater Sanctissime, deplorandus Ecclesiæ Apamiensis status, cui, nisi citissimo præsidio à Vestra Sanctitate succurratur, qua possit ratione integram ruinam vitare non video.*

Et *infrà*: * Intret ergo, Beatissime Pater, in conspectu vestro *gemitus compeditorum*: nec dicant inimici nostri, *prævaluimus adversus eos*. Exurgat ergo Sanctitas Vestra, & iudicet causam nostram: *reddat vicinis nostris septuplum in sinu eorum*, vindicet sanguinem animarum, *qui effusus est*, imò, qui & in dies magis effunditur. Apprehendat arma, & scutum, & exurgat in adiutorium nobis. Effundat frameam, & concludat adversus eos, *qui persequuntur nos*, & tradat huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus salvus sit in die Domini Nostri IESU CHRISTI. Exurgat, & iudicet suam, & Ecclesię causam; cuius certè si dubia esset nobis iustitia, indubitatam facerent, non solum merita Venerabilis Patris Nostri Episcopi Apamiensis, acerrimi illius defensoris, sed etiam miracula (parcat mihi Sanctitas Vestra hoc verbum) quę per Pastoralem illius annulum, quem semper mecum gesto, frequentissimè operatur

tur Deus Optimus Maximus. Firmiorem habebimus propheticum Sanctitatis Vestræ sermonem, CHRISTI Vicarij Iudicium lapsos eriget, titubantes confirmabit, imò & ipsos adversarios in tenebris, & in vmbra mortis sedentes, illuminabit, & ad præveniendum supremi Iudicis Sententiam excitabit.*

Et *infrà*: *Eos omnes, qui pro Ecclesiæ Dignitate, pro Fide, & Religione in agone contendunt, meque ipsum, omniū peripsema, meumque abortivum, Sāctitatis Vestræ precibus suppliciter, & religiosè commendo. Fiet enim, Beatissime Pater, Apostolicis meritis, vt qui Servorum CHRISTI tribulationes, & angustias patimur, Servorum quoque CHRISTI Vitam, moresque consectemur. Beatitudinis Vestræ Sanctissimos Pedes deosculor, &c.*

Hęc hucusque fusiori calamo retulimus, non quidem, vt antiquum dolorem excitemus, aut memoria repetamus lacrimosa illa tempora, perpetuo consepelienda silentio; sed vt Catholicorum pijssima pectora horum commemoratione iustè doleant, & meritò congemiscant, Christianissimum illud Regnum, eò infelicitatis devenisse, vt ibi in Fide hæsitetur, atque pristinæ illi Catholicæ Religionis puritati oppositi errores, atque ab Orthodoxorum animis penitùs eliminandi turpissimè grassentur. In illo siquidem Regno vertitur in dubium id, quo nihil in Ecclesia certiùs, nihil Catholicis firmius, nihil Christiano Orbi securius: Romanum nempè Pontificem in definiendis rebus Fidei Infallibilitatis dono gaudere, Divino illo Oraculo D. Petro, istiusque Successoribus concesso: *Vt non deficiat fides tua*. Dubitatur etiam ibidem de suprema, amplissimaque super Reges, & Regna Potestate, quam in Summo Pontifice cunctis retrò sæculis, à Concilijs, & Patribus assertam, singulari plausu vniversalis venerata est Ecclesia. In præfato enim Regno, non modò permittitur, sed expresso assensu probatur, imò & præcipitur, vt contra hęc Dogmata in vniversali Ecclesia, in Gallicanis etiam quondam firmiter stabilita, circumferantur, vulgenturque Propositiones, vel, vt melius dicam, errores, quos Hæretici in Apostolicam Sedem impiè debacchantes, & à Catholico vniversalis Ecclesiæ sensu, Sanctorumque Patrum Doctrina penitùs abhorrentes commenti sunt. Quo fit, vt Christianissimum illud Regnum ad eum miserandum, deflendumque statum redactum sit, quo suo tempore devenisse deflebat S. HILARIUS, qui Imperatorem Constantium alloquens, ita conquerebatur: *Miserabile esse, hoc tempore cernere, tot nunc Fides existere, quot voluntates; & tot nobis esse doctrinas, quot mores; & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt; dum aut ita Fides scribuntur vt volumus, aut ita vt volumus intelliguntur: vndè factum est, quod cum Fides vna sit, excidimus ab ea, quę sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, vt nulla sit.* *Epist. ad Constantin. Imperat.*

Huc facit illud LACTANTII: *Malitia, & iniquitas vsque ad summum vivet.* In illo enim Regno Hæreticorum improbitas, omnia summa videtur consequuta; cum tantum apud illud valuerit, vt animos, qui sese Christianissimos gloriantur, inter se diffidentes, in diversas, adversasque sententias, & studia abire compulerit: alij enim Sanctissimis Ecclesiæ Patribus, & communi istius sensui, & consuetudini adhærentes, Supremam Summi Pontificis Authoritatem, tàm quoad Definitionum Infallibilitatem, quàm quoad ipsius suprà Concilium, Reges, & Regna Superioritatem, firmiter propugnant: alij verò à certissimis istis principijs deviantes, oppositum acerrimè tuentur, subscribentes Hæreticis, quorum est in Apostolicam Sedem, Supremamque Summi Pontificis Authoritatem, calumnias texere, contumelijs invehi, maledicta evomere, & quidquid ei adversatur, eamque deprimit, sedulò excogitare, & pervicaciter amplecti. *Lib. de Præmio, cap. 15.*

Hæc illius Christianissimi Regni conditio, hic rerum status, hoc Gallicanæ Ecclesiæ exitium, acerbissimo dolore deflendum. At quod sine lacrymis vix dici potest; ipsi etiam filij, quorum muneris, Officij, Ecclesiasticæque Dignitatis intererat, Apostolicæ Sedi, etiam cum vitę periculo, adesse, ab illa stare, illius iura protegere, Supremę Authoritati patrocinari, seseque inimicorum telis objicere, nè vel leviter tanta Dignitas læderetur, non modò permittunt, sed etiam approbant evulgari prędictas erroneas Propositiones, Pontificiæ Dig-

nita-

nitati infensas; cuius Paterno sinu sæpissimè amplexati sunt. Proh nefas! ea certè admiratione dignum, qua S. JOANNES CHRYSOSTOMUS in sceleratam Absalomi ingratitudinem exclamans, dixit: * Vbi iam solatium patrum, vbi præsidium genitorum, si filios (primogenitos dixerim ipse) senserint parricidas, aut quando externa tuta sunt, si domestica nobis obsistunt? Bestiæ, & mutæ pecudes Pietatis iura conservant, & quibus natura denegat rationem, non tamen Pietatem. Innocentem perimere nefas est, patrem occidere scelus, Prophetam iugulare, facinus inauditum, & ante hoc tempus mortalibus cunctis ignotum. (Et *infrà*:) Perdidit Absalom scelestissimus, perdidit sensum, amisit consilium, insectatus patrem, fugat innocentem, insequitur genitorem, potestatem accipit, Regnum invadit, non vt cum patre societatem Regni iniret, sed vt totum Regnum sanguine patris possideret.*

Tom. 5. Homil. de Absalom.

Si primogeniti Gallicanæ Ecclesiæ filij, illius nempè Præsules Parisijs congregati, vbi res adeò certa revocari cœpit in dubium, à Pontificia sui amantissimi Patris, & vniversalis Ecclesię Pastoris Authoritate stetissent, in obarati saltem animi gratitudinem, qua innumeris satisfacerent beneficijs, quibus eos Apostolica Sedes semper cumularat, & Paterno Amori, quo, ea præcipuè tempestate, Sanctissimus Pontifex Innocentius illis protegendis tantopere incumbebat, compressa proculdubiò fuisset hostium Apostolicæ Sedis audacia, tepefactusque ardor, quo Regij Ministri novam illam Regalię extensionem intrudere conabantur; nec Præsules, qui novo isti, iniquoque iuri viriliter obstiterunt, nec Ecclesiastici, qui pari animi contentione suarum Ecclesiarum Immunitatem propugnarant, lacrymandas illas subijssent calamitates quibus eos Regij Ministri pro illius executione vexarunt, nec tandèm turpissima illa infamiæ nota, nullo vnquam tempore eluenda, sese aspersissent, æternumque apud omnes gentes sibi imposuissent opprobrium, qui ea hostilitate Sacros Ministros insectati sunt. Etenim si Ecclesiastica bona, Divino Cultui sacrata, sibi vendicare, Ecclesiasticasque Personas Sacro Ordine, Sacroque Ministerio Deo devotas, & Sacerdotali, ac Episcopali Dignitate insignitas (quæ in Ecclesia Suprema est, maximaque in veneratione habenda) pecunia mulctare, catenis premere, carceribus includere, temporalibus bonis, Ministrorum Dei victui, Ecclesiarumque cultui dicatis, spoliare, easque in exilium mittere (ingenti cum detrimento spiritualis commodi, quod ex earum residentia, spiritualique animarum regimine, oves perciperent, quibus tàm Episcopi, quàm Parochi, cæterique Ecclesiastici in suis Ecclesijs residentes cœlestis Doctrinæ pabula suppeditare, Divino iure tenentur) prædictosque Sacros Dei Ministros acerbis exilijs teterrimis ergastulis, alijsque acerbissimis pœnis sæculari, ac laica dumtaxat Potestate, quæ nullo Divino, Humano, Civili, aut Canonico Iure ad Ecclesiasticos extenditur (nullum quippè ius potestatem coactivam in Ecclesiastica bona, aut personas sæcularibus vmquam permisit) à Sacratissimis istorum Ministerijs, pascendisque suis ovibus arcere, quod suas tueantur Ecclesias, quàm quidem æquissimam defensionem, nec ipsi Ethnici improbarunt, aut delictum esse duxerunt, cum eam tamquàm propriam ipsum naturale ius vnicuique concedat: Si, inquam, in Anglia, alijsque similibus hęretica labe infectis Regnis, censeri licitum, Potestatem laicam ita dominari in Ecclesiam, Ecclesiasticaque bona, & personas, iuraque spiritualia ita hostiliter invadere, sacrilegum, & horrendum erroris, & intolerabilis hęreseos crimen, tota approbante Ecclesia, existimatum est, & Regnum illud tamquàm schismaticum habitum: quid sentiendum erit de his, quæ in Prælatos, cæterosque Ecclesiasticos, novæ Regalię extensioni obsistentes in Gallia, non modò, non approbante Apostolica Sede, verumetiam viriliter obsistente, nullaque Ecclesiastica, sed merè laica Authoritate præcipiente patrata retulimus? Si illud in Anglia Catholicum non est, erit né istud Christianum, nedùm Christianissimum? Iudicet is, cuius Authoritatis interest de magnis in Ecclesia causis iudicium ferre; meum enim solummodò est deflere, vehementerque angi de misero Galliæ statu, ac conditione, imminentique periculo, nè iram Dei, Divinamque indignationem incurrat, eiusque vindicem

dicem

dicem manum experiatur, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium.

Vellem tamen, vt præclarissimi Gallicani Præsules diligenter attenderent, probèque intelligerent, se, dum similes Propositiones probare noscuntur, illisque subscribere, non modò Apostolicæ Sedis iuri derogare, sed & sibi ipsis haud leviter officere: velle enim his Assertis, vel approbatione, Authoritatem Regiam adeò extollere, vt etiam ad Ecclesiastica extendatur, est velle in semetipsis lacrymabiles illos effectus, acerbissimasque ærumnas experiri, quas in nova Regaliæ extensione, cæteri Ecclesiastici à Regijs Ministris in eo Regno perpessi sunt: non enim melior est præsentium, quàm præteritorum conditio; quinimò, & formidare debent, nèdum Regis, istiusque Ministrorum gratiam se habere putant, eorumdem odium, indignationemque incurrant, Deo specialiter permittente, vt ab ipsius Regis, cui adulantur, manu condignum reportent tàm indigni consilij supplicium, quo Regi, istiusque Ministris, contra omnia Divina, Humanaque Iura, suaserunt, posse Regiam, laicamque Authoritatem ad Ecclesiastica extendi, illamque in personas Deo sacratas exerceri: quod quidem consilium Sanctissimus Pontifex Innocentius XI. *in Diplomatibus supra relatis* meritò reprehendit. Consultiùs certè præfati Prçsules egissent, si tunc Maiestati Regiæ id consilij prçbuissent, quod in re non absimili præstitit S. GREGORIUS, Turonensis clarissimus in Gallia Antistes, æternaque memoria dignus. Cum enim Chilpericus Rex *anno* 577. excitante Regina Fredegunde, Prçtextatum Rothomagensem Episcopum de crimine læsæ Maiestatis falsò accusatum vellet opprimere, hancque ob causam Regni Episcopos Parisijs congregasset, his non audentibus Regis voluntati reniti, vt FRANCORUM Lib. 5. cap. 18.
narrat HISTORIA, Sanctissimus Præsul Dei Zelo succensus, Ecclesiçque causa permotus, prçfati Episcopi causam dicens, eiusque innocentiam suscipiens protegendam, cæteris omnibus Episcopis Regiæ voluntati obsecundantibus, moremque gerentibus, viriliter obstitit, ipsosque in prædicto Parisiensi Concilio strenuè est alloquutus, suarum partium, ac muneris esse admonens, Regi suadere, vt intrà Sæcularis iurisdictionis limites contineretur, nec in alienam messem, Ecclesiæ nempè iurisdictionem, sibi omni iure vetitam, falcem immitteret, certissimèque intelligerent, consilium huic oppositum in nullum Regis, Regnique commodum, sed in miserandam potiùs perniciem cessurum. Nè autem spiritui, ac çstuanti Zelo, quo eloquutus est, aliquid detrahatur, illius verba audiamus.

*Attenti estote, quæso, sermonibus meis, O Sanctissimi Sacerdotes Dei, & prçsertim vos, qui familiariores esse Regi videmini. Adhibite ei consilium Sanctum, atque Sacerdotale, nê exardescens in Ministrum Dei pereat, ac ira eius, & Regnum perdat, & gloriam. (Ipsis verò silentibus, sic prosequitur:) Mementote, Domini mei Sacerdotes, verbi prophetici, quod ait: *Si viderit speculator iniquitatem hominis, & non dixerit: reus erit animæ pereuntis.* Ergo nolite silere, sed prædicare, & ponite ante oculos Regis peccata eius, nê fortè ei aliquid mali contingat, & vos rei sitis pro anima eius.*

Postmodum verò sermonem ad Regem convertens, saluberrimum ipsi, tantòque Præsule dignum, exhibet consilium, quo eum hortatur, diligentem navare operam, vt in Ecclesiasticis Ecclesiasticæ leges, Sacrique Canones, sicut & in Civilibus sæculares leges omninò serventur. *Habes (inquit) legem, & Canones. Hçc te diligenter rimari oportet, & tunc quç præceperint, si non observaveris, noveris tibi Dei iudicium imminere. Tu verò, qui alios de iustitia culpas, pollicere priùs, quod legem, & Canones non omittas, & tunc credimus, quod iustitiam prosequaris.* Quod quidem consilium, adeò efficax fuit, vt ab opprimendo Episcopo falsò de lçsæ Maiestatis crimine accusato, non modò penitùs destiterit, sed & iuratam Fidem interposuerit, se Sacrorum Canonum metas nullatenùs transgressurum. * Ille verò (inquit idem Sanctus) porrecta dextera, iuravit per Omnipotentem Deum, quod ea, quæ Lex, & Canones edocebant nullo prçtermitteret pacto.*

Hinc manifestè deprehenditur, quàm parum æquè Præsules, qui prædictarum Propositionum declarationi *anno* 82. adfuere Parisijs, sese Regij Arre-

sti

ffi clypeo protexerint, atque munierint: cum enim præfatæ Propositiones, eorumque Declaratio Sacris Canonibus, Apostolicisque Constitutionibus adversentur, vt ab Innocentio XI. & Alexandro VIII. declaratum, nullum robur, nullamque vim à Regio Arresto desumere potuerunt. Quod non leviter Chalcedonensis Concilij Authoritate roboratur; quippe cum ex vi cuiusdam Imperialis Pragmaticæ, qua Phœniciæ Provinciæ dividebantur, constitutum fuisset, vt plures Civitates, quæ Metropoli Tyri erant subiectæ, Berithi subjicerentur dominio, ac ditioni, idque re ipsa factum fuisset, Eustachio Archiepiscopo Berithi, Civitatum illarum possessionem statim ineunte, Archiepiscopus Tyri Ecclesiastica sua iura violari cernens, sibique haùd leve inferri prçiudicium, ad Synodum Constantinopoli congregatam recurrit, à qua cum repulsas tulisset, victusque de Iudicio discessisset, ad Generale CHALCEDONENSE CONCILIUM appellavit, vbi illius causa diligenter perpensa, ac maturè considerata S. Synodus, Authoritate S. Leonis Papæ congregata, decrevit, vt Eustachius Civitates, quas iure Imperialis Pragmaticæ Archiepiscopo Tyri vsurparat, illicò eidem restitueret, prout decretum fuerat in Nycęna Synodo *Cap.* 4. prçscribente, in singulis Provincijs vnum tantummodò Metropolitanum constitui. Ratio autem, qua ad id definiendum Sancti patres adducti sunt, non alia fuit, nisi quia contra Sacros Canones nullæ Regiæ, Imperialesvè Pragmaticę prçvalere possunt: sic enim inquiunt: * Contra Canones nihil Pragmaticum valebit, Regulæ Patrum teneant.*

At Prædictos Gallicanæ Ecclesiæ Præsules luculentiùs exemplo suo coarguunt SUESSIONENSIS SYNODI PATRES, qui estò de Ecclesiasticis rebus gravissimis in illo Concilio, in Gallia circa *annum* 900. celebrato, egerint, ea tamen reverentia, Apostolicam Sedem sunt prosequuti, vt nihil definierint, quin priùs ea omnia, de quibus actum fuerat, ad Nicolaum Pontificem deferrent, & ab eo definitionem expectarent earum rerum, quas vel sequi deberent, vel respuere. Inter alia autem sic Pontificem alloquuntur: * Postremò supereminens Sublimitatis Vestræ Sapientia, hæc & alia, que intellectus nostri exiguitas non valet attingere, perspicaci indagatione contemplabitur, multòque solicitiùs providebit cavenda, nobisque significabit sequenda.*

Eamdem humillimam Apostolicę Sedi subiectionem professi sunt TRECENSIS CONCILII PATRES, scribentes Nicolao Pont. quia tamen iste supremum obierat diem, Epistola Successori Adriano tradita fuit, in qua hęc, inter alia, animadversione digna leguntur: *Nobis quoque in eiusdem rei negotio decertantibus, & quędam deflorantibus, non tamen terminantibus, cousque causam perduximus, vt solummodò Magisteriali vestro culmini eorum assignaretur restitutio, attribueretur reformatio, adscriberetur redintegratio. (Demùm *in fine*:) His itaque pro quantitate intelligentiæ nostræ submissæ devotionis obsequio, Vestri Apostolatus exoramus magnificam Beatitudinem, vt sapientissima indagine, consideratis vtriusque partis relatis, more Beatissimorum Prędecessorum Vestrorum, quæ de statu Sacri Pontificalis Ordinis ab eis statuta, & imprævaricabili Authoritate firmata sunt, & immota de cæterò maneant, mucrone Apostolico quorumcumque Metropolitanorum temeraria præsumptione suppressa: quin etiam reliquorum Episcoporum quorumcumque, seu quantorumcumque audaci conniventia penitùs submota Privilegia, & Decreta servari, immutata Constitutione decernatis.* Si prçclaram istam, insignemque venerationis, reverentiæ, & Apostolico Throno subjectionis doctrinam, quam prædicti Suessionensis, Trecensisque Concilij Patres posteris reliquerunt, Gallicani illi Præsules sequuti fuissent, ipsique adhærentes nihil in Parisiensi Conventu statuissent, quin priùs Apostolicam D. Petri Cathedram consulere decrevissent, illiusque Decisionem expectassent; haùd dubium, quin muneri suo cumulatissimè satisfecissent, atque à trito, ac recto veritatis tramite non deviassent.

Epist Synodic. ad Nicol. Pontif.

Egregium quoque eiusdem observantiæ documentum pariter, & exemplum præbuisse videntur Præstantissimus ille, interque Imperatores celeberrimus CAROLUS MAGNUS, eiusque Filius paternæ pietatis non minus quàm Imperij

perij Successor LUDOVICUS: ij enim non modò Romanorum Pontificum consensu, atque hortatu suas Leges, *Capitularia* dictas, sanxerunt, eorumque Authoritate roborari voluerunt, vt testatur BENEDICTVS LEVITA; sed insupèr Decretorum Romanorum Pontificum obseruantiam religiosè præcipiunt, simulque præscribunt, quòd vbi in rerum consultationibus aliquid, quod videri possit arduum, vel magni momenti discutitur, id nequaquam nisi ex approbatione Apostolicæ Sedis definiri præsumatur. Quid plura? nullius prorsus esse Authoritatis, quod contra Apostolica Decreta sancitur; quin etiam statutas ad eis Synodos per ipsos Romanos Pontifices, atque eorum Vicarios irritas posse reddi, sancita Lege decernunt; vti videre licet in præfatis Capitularibus.

In Præfatione ipsis præposita.

Lib. 6. cap. 267. lib. 7. ca. 93. 104. 187. 209. 267. & 267. & Addit. 4. ad lib. 7. cap. 12.

Vndè infertur primò: Quòd si præclarissimi Præsules, qui prędictarum Propositionum Declarationi *anno* 1682. Parisijs adfuere, pijssimum istud Imperatorum Caroli, & Ludovici Decretum prę oculis habuissent; numquàm in re adeò ardua, totiusque Ecclesiæ grauissima, vtpotè, in qua de Suprema Pontificia Authoritate, atque circa res Fidei Infallibilitate agitur; quam proindè nullus præcedentium Regum aggredi ausus est, cum extra suę Authoritatis limites constitutam nequaquam dubitaret: numquàm, inquam, in re tanti momenti ad prædictam declarationem fuissent progressi, quin infallibile in rebus Fidei motũ, & Religionis Oraculum, Romanum nempè Pontificem consuluissent. Quòd si ab eo (vti certum est) accepissent, tanti ponderis causam cuiusvis Sęcularis Principis, ac Nationalis Concilij Authoritatem excedere, ipsiusque resolutionem ad Apostolicam Sedem, vel Generale Concilium spectare privativè, vtpotè pertinentem ad commune totius Ecclesiæ bonum, omniumque Regum, quorum Suprema Authoritas solos Summos Pontifices agnoscit superiores, ipsisque subjicitur: si à Sacro etiam Romani Pontificis Oraculo intellexissent, illas Propositiones à Divinis Eloquijs, Sanctis Patribus, & Concilijs penitùs abhorrere, Sacrisque Canonibus adversari; haud dubium, quin Serenissimi Imperatores Carolus Magnus, ac Ludovicus, si tunc viverent, neutiquam permisissent, vt sui Regni Antistites adeò Romano Pōtifice inferiores prædictam Declarationem, eo inconsulto, ederent, atque per totum Regnum evulgarent: cumque insuper certissimè scirent, novam illam Regaliæ extensionem omni Divinæ, Ecclesiasticæ, atque Humanæ Legi refragari, nulla ratione adduci potuissent, vt eam in suo Regno admitterent, aliquovè pacto tolerarent; neque per eos Pręsulibus illis licuisset decernere, quod ad ipsos nullo iure, sed privativè ad solum Romanum Pontificem spectare compertum est.

Infertur secundo: Quod quamvis ad Romanum Pontificem Supremæ suæ Authoritatis iure non pertineret, prout pertinet, irrita decernere, ac nulla, si quę in Provincialibus, imò etiam in Generalibus, OEcumenicisque Concilijs contra ius, æquumque statuantur (vt multæ testantur experientię, à tota Ecclesia singulari plausu susceptę) adhuc nihilominùs Sanctissimi Pontifices Innocentius, & Alexander non potuissent prædictam Gallicani Cleri declarationem non irritam, ac nullam decernere, cum certissimè agnoverint, eam tàm in Regaliæ extensionem, quàm in præfatis Propositionibus Sacris Canonibus, Apostolicisque Constitutionibus reluctari, quin idcircò Christianissimus Rex, illiusque Regni Antistites possent, aut deberent dolore aliquo affici, cum iam id in Gallicanis legibus cautum esset, ac sancitum à pręstantissimis illis Imperatoribus Carolo, & Ludovico, ęquè pijs, & religiosis, ac celeberrimis Ecclesiæ defensoribus, acerrimisque propugnatoribus Pontificiæ Authoritatis, quæ cunctis sæculis apud Gallos summa in veneratione est habita.

Omissis autem priscis huius veritatis testimonijs, & exemplis, quorum iam aliqua suprà dedimus, omni attentione digna sunt verba, quibus Gallicani Præsules in Conventu Parisijs habito *mensibus Martio, & Maio, anni* 1681. de Romano Pontifice loquuntur: * Caput est (inquiunt) Ecclesiæ, centrum vnitatis, obtinet ille in nos Primatum Authoritatis, & iurisdictionis sibi à CHRISTO IESU in Persona S. Petri collatum. Qui ab hac veritate dissentiret,

tiret, schismaticus, imò & hæreticus esset.*

Hùc spectat illud D.BERNARDI, qui explicans iuramentum ab Episcopis in Consecratione præstitum his verbis : *Decreta, Ordinationes, Sententias, Dispositiones, Reservationes, Provisiones, & Mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab alijs observari::::Mandata Apostolica humiliter recipiam, & quam diligentissimè exequar,* hæc habet: * Sed dicet aliquis, Debitam ei (Romanæ scilicet Ecclesiç) reverentiam exhibebo, & nihil amplius.* Cui obiectioni ita respondet Sanctus: * Esto, fac quod dicis, quia si exhibes debitam, & plenam; plenitudo siquidem Potestatis super vniversas Orbis Ecclesias, singulari prærogativa Apostolicç Sedi donata est. Qui igitur huic Potestati resistit, Dei Ordinationi resistit.*

Epist. 131. ad Mediolanens.

D. Bernardo consonat mirificè celebris ille Gallicanus Scriptor, Parisiensisque Cancellarius JOANNES GERSON, Romani enim Pontificis præstantiam, excellentiam, prærogativamque commendans, hęc scribit : * Habet itaque Papa primò dominium Superioritatis à CHRISTO suprà totam Ecclesiam cum plenitudine Potestatis in eis, quæ spirituale regimen Ecclesię propriè dictum respiciunt, &c. (Deindè resumit:) Prima Potestas cognoscitur ex Evangelijs, & Actibus Apostolorum, & ex ijs, quæ per successivam relationem eorum ad nos tanta certitudine sunt devoluta, vt meritò temerarius, & scandalosus, imò schismaticus iudicetur, qui Potestatem hanc vel abolere, vel diminuere prçsumpserit.*

In Tract. de Vita Spirit. Animę, lect. 3.

Quomodo autem cohæreant hç tàm D.Bernardi, quàm Gersonis Censurç, & illa Gallicani Cleri declaratio, *anno* 1681. edita cum alia eiusdem Cleri declaratione, *anno* 1682. non modò minuente, sed penitùs negante tùm Supremam Romani Pontificis super Reges, Regna, & Concilia Authoritatem, quam CHRISTUS Dominus dedit, totaque fatetur Ecclesia; tùm Infallibilitatis Privilegium ab ipso CHRISTO D. Petro, illiusque Successoribus promissum, & concessum, illis verbis: *Vt non deficiat Fides tua*, iudicet prudens, qui prædicta legerit, æquissimaque rationis lance libraverit.

Et quamquàm hùcusque dicta satis, superque non essent, vt Christianissimus Rex Ludovicus XIV. Attestum pçfatæ declarationi *anni* 1682. annexum abrogaret: sufficerent certè, tùm Decreta, quibus Sanctissimi Pontifices Innocentius XI. & Alexander VIII. Acta omnia prędicti Parisiensis Conventus irrita, ac nulla declararunt, vt suprà diximus; tùm etiam præclarissimum illud humilitatis, ac subiectionis ergà Apostolicam Sedem exemplum, imitatione dignissimum, quod in re non absimili præstitit Ludovicus XI. dum Apostolicum Thronum ea, qua par erat, veneratione prosequutus, Regiam Pragmaticam tempore schismatis, Basileense Concilium subsequuti, editam; quia Apostolicæ Sedis iuribus, & Summi Pontificatus honori adversam, Christiana Pietate abrogavit, vt ex sequentibus ipsius verbis apparet.

LITTERÆ LUDOVICI REGIS FRANCIÆ, ABROGATIONIS Pragmaticæ Sanctionis.

* LUDOVICUS Dei Gratia, Francorum Rex, tibi Sanctissimo, ac Beatissimo Patri Nostro Pio Papç II. obedientiam filialem, & plenos devotionis affectus. Deum solum scientes, cuius Providentia benè consulitur rebus humanis, meliusque Regna, & Vrbes Religione augeri, atque defendi, quàm armis, & mçnibus, te Vicarium Dei viventis ea veneratione prosequimur, vt Sacra præsertim in Ecclesiasticis rebus tua merita, veluti vocem Pastoris audire, illisque parere prompta mente velimus. Quapropter, Beatissime Pater, etsi Constitutio quædam in Regno nostro, quam *Pragmaticam* vocant, magno Prælatorum Conventu, magna temporis deliberatione conclusa fuerit, & iam callum obducens, quietum propè fixerit statum; tu tamen tuis ad nos litteris illam à Regno nostro auferri, explodi, abrogarique flagitas.*

Et *infrà*: *Nos nostra promissa exequi, accedente moderatrice rerum Eccle-

Ecclesiasticarum, tua Authoritate, studemus, ac volumus, & id quidem tantò volumus animo propensiori, quantò nobis Regnum Franciæ florens, & bello vacuum tuetur Deus, & protegit. Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes, assensi sumus his, quę tuo nomine nobis aperta sunt, ipsam scilicet Pragmaticam sanctionem tibi, tuæque Sedi esse infensam, vtpotè quæ in seditione & schismatis tempore, atque per seditionem; sectionis à tua Sede figuram, mota sit; & quæ dum tibi, à quo Sacræ Leges oriuntur, & manant, quantamlibet eripit Authoritatem, omne ius, & omnem legem dissolvit. Illud enim exoritur, quod idem Consiliarius in nomine tuæ Sanctitatis adstruxit, vt dùm per Pragmaticam sanctionem, ipsa summa in Ecclesia tuę Sanctitatis Authoritas minuitur, dum Prælatis in Regno nostro quoddam licentiæ Templum præstruitur, dum congruens vnitas ad alia Regna, conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa Pragmatica, tollendaque à Regno nostro; quippè quę adversus tuam Sedem, omnium Ecclesiarum Matrem, ab inferioribus Pręlatis lata sit, tamquàm vt Scriptura loquitur Isaiæ 10. *Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, aut baculus, qui vtique lignum est*: Quidquid, Beatissime Pater, licet plerique docti homines confutare niterentur, atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare sanctionem ipsam, te tamen Principem totius Ecclesię, Antistitem Sacrorum, te Dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus, teque iubentem sequimur, tibi, & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus, & iniungimur.

Itaque, sicut mandasti, Pragmaticam à Regno nostro, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, deijcimus, stirpitùsque abrogamus, & quam, qualemvè ante Pragmaticæ editionem, circa Ecclesiarum, Beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem in Regno nostro, omnique ditione nostra, tui Prædecessores Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant, & exercebant, talem, eamdemque nostro adiutorio Beatissimo Petro, tibique ipsius Successori reddimus, præstamus, & restituimus, cum summo imperio, cum iudicio libero, cum potestate non coarctata. Tu enim, cum scias quid Authoritate divinitùs tibi tradita possis, quas pro Regni nostri, & Ecclesiarum in eo tranquillitate postulavimus, non negliges res necessarias: poterisque semper, quod oportunum fuerit, iudicare. Vtere igitur deinceps in Regno nostro Potestate tua, vt voles, atque illam exerce. Nam vt hominum membra nulla contentione capite vno, atque vna mente ducuntur; sic tuis Sacris Decretis Ecclesiæ Prælati in Regno nostro, & Delphinatu consonantiam, & obedientiam plenam refundent. Quod si fortè obnitentur aliqui, aut reclamabunt, Nos in verbo Regio pollicemur tuæ Beatitudini, atque promittimus exequi facere tua mandata, omni appellationis, aut oppositionis obstaculo prorsùs excluso, eosque qui tibi contumaces fuerint, pro tuo iussu comprimemus, & refrænabimus. *Dat. Turonis, sub magno sigillo nostro, die 27. mensis Novembris, anno Domini* 1461. *& Regni nostri primo.**

Egregijs laudum encomijs Christianissimum Regem efferunt, laxisque fibris (& iure quidem) depredicant Gallicani Cleri Antistites, quòd *qua Religione, & qua præditus est Prudentia impietatem deturbaverit, & solus inter Principes Christianos domitam hæresim Romanis subjicere fascibus potuerit, nec frustra sit hęc expectare ab invictissimo Principe, qui iam non minus Religione, quàm armis Magni nomen implevit, qui domitę hæresis, tamquàm alicuius hydræ innumera capita, Edictorum pondere oppresserit, quique iam pridem foris subactis Provincijs, & Civitatibus expugnatis, Romanæ Ecclesię Religionem intulerit, & nuper in Argentoratensem Civitatem stupente Europa, & fremente hęresi Fidem ab exilio reduxit, expiatoque Dei Sanctuario signa Catholica Sacris affixit postibus, quos tot annos hæreticorum polluerat impietas. Licet hæc Christianissimus Rex, cuius spectata virtus, summa in rebus gerendis prudentia, in exequendis fortitudo admirabilis, magnitudo animi, Iustitia, Fides, Religio, tamquàm sagittæ in arcu brahij potentis ad tollendam hęre *In Epist. ad Innocent.*

sim

fim, tollēdum mēdaciū strenuè egerit Rex ille, Prędicator Fidei, defensor Ecclesię, regionum Præsul, Patriæ Custos, Triūphator gentium, ac pro sua clemētia rem Ecclesię benè, fœliciterque gesserit. * Verùm nec magnifica ista præconia, quibus Christianissimus Rex, ob pręclara sua Acta, à prædictis Prælatis meritò commendatur, nec ardentissimus ille hæreticos à suo Regno proscribendi Zelus sufficiunt, vt gloriosi Principis stemmate decoretur, si in eo nova ista desideretur Laureola, & præstantissimus ardor in suo Regno penitùs extinguendi perniciosos, & venenatos illarum quinque Propositionum errores, quibus perfidi Hæretici Christianissimos illius Regni animos conantur inficere, plures iam in erroneum suum sensum, improbamque sententiam trahentes, eisque Apostolicam Sedem, Supremamque Summi Pontificis Authoritatem odiosam, invisamque reddentes. Et quidem flagrantissimum illud cuiusvis hæreseos, & perniciosi erroris extirpandi studium, eò potiori iure in Christianissimo isto Rege æstuare debebat, quô gloriosissimi illius Prędecessores, celebriores fuerunt Apostolicæ Sedis defensores, acerrimique Pontificiæ Authoritatis propugnatores: ingentis enim, acerbissimique doloris esset, eam hisce nostris temporibus opprimi, pessumdari, ac immani hostilitate impeti in Regno, cuius Sceptra tenuere Clarissimi Principes, in quibus gloriosissimus tuendæ Apostolicæ Sedis ardor enituit, maximè nunc, illi dominante eo, quem tot, tàmque præclara gesta Christianissimum Fidei, & Catholicæ Religionis propagatorem decantant.

Nec dubium, quin Christianissimus Rex ardenti isto desiderio memoranda sua facta nova ista gloria decorandi, tamquàm aculeatis stimulis excitandus, vt strenua sua animi fortitudine non modò hæreticos, sed & præcipuè periculosam illarum quinque Propositionum Doctrinam, ab eorum erroribus ortum ducentem, prorsus à suo Regno eliminare satagat, & zelantissimi, atque Christianissimi Regis Ludovici XI. exemplum sequutus abrogare curet quodcumque Arrestum, præter ipsius Christianissimam mentem promulgatum; sic enim Catholici Principis partes explebit, & humillimæ subiectioni, ac reverentię, quam vti Christianissimus Rex Apostolicæ Sedi tenetur impendere, abundè faciet satis; Deusque, cuius vices Summus Pontifex gerit in terris, id magni ducet, eòque illius Regnum fœliciùs prosperabit, quò ipse illud Apostolicæ Sedis Throno submissiús obsequens, præstiterit.

Hæc sunt, amantissime Lector, pręcipua rationum momenta, quæ me, vt de Suprema, infallibilique Summi Pontificis Authoritate in rebus Fidei, & morum extra Concilium in primo Libro agerem, impulerunt. Scire tamen te vellem, quid me ad secundum Apologeticum Librum texendum induxerit. Non dubito, quin, si rei gravitatem attentè perpendas, apertè intelligas, quantopere, & quia Catholicus, & quia Pręsul, estò omnium indignissimus, iure iurando in mea Consecratione præstito adstringar, Apostolicę Sedi, eiusque iuribus tuendis, præcipuè cum non sine ingenti animi mœrore intueri possim, plures Summos Pontifices, hisce nostris infœlicissimis temporibus, tùm hæreticorum petulantia, tùm horum sequacium improbitate, & audacia infensis, commentitijsque criminationibus impetitos. Quarè muneri meo satisfacturus, non potui, non omnem contentionem adhibere, omnesque meas, etsi tenues, exiguasque vires effundere, vt Summorum Pontificum Innocentiam, Fideique, ac Doctrinæ puritatem, qua gloriosissimi illi Ecclesiæ Patres floruerunt, ab hæreticorum dicterijs, calumnijsque redderem vindicatam.

Damnabitur nè ignibus tot, tantorumque Sanctorum illibata Doctrina, veluti adulterina hæresis labe adspersa, & non erit Daniel, qui vltrò de medio populi clamet? *Revertimini ad Iudicium, quia contra eam falsum testimonium loquuti sunt. Daniel. 13.* Sacra non desunt Oracula, quæ nos haùd requisitos cogūt, ad ferendum testimoniū, maximè cum salus periclitatur insontis. *Eripite pauperem:* (aiebat PSALTES, *Psal. 81.*) *& egenum de manu peccatoris liberate.* Idem inculcat SAPIENS, *Proverb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortē.* Et APOSTOLUS, *ad Rom. 1.* protestatur: *Digni sunt morte: & non solum qui faciūt, sed etiā qui cōsentiunt facientibus.* *Consentire (ait GLOSSA) est facere, cum possis re-

dar-

darguere.* Quod etiam confirmat D. AMBROSIVS: *Qui non repellit à socio, si potest, iniuriam, tam est in vitio, quàm ille, qui infert.*

Maximè cum hæreseos crimen communi Catholicorum æstimatione execrabilius, & horribilius facinus iudicetur: hæreticum enim,ceu plagarum phialam, ollam succensam ab Aquilone, satorem zizaniorum, cribrum diaboli palmitem rescissum à CHRISTO, Diuina execratur Scriptura. Hæreticos fures appellat, qui non intrant per ostium, vulpes demolientes vineam Domini, inferni Pseudo-Prophetas, lupos rapaces, non parcentes gregi, viros loquentes peruersa, magistros mendaces, quorum necessitudinem abhorrent omnes, ipsorumque libros, congressus, colloquia, commercia indè à primo Ecclesiæ ortu, sapientissimo consilio, Fidelibus omnibus,maiorum nostrorum Authoritas interdixit.

Nulla (inquit S. CYPRIANUS) cum talibus commercia copulentur, nulla convivia, nulla eloquia cum illis misceantur; simulque ab eis separati, quàm sunt illi ab Ecclesia profugi. Et S.LEO Papa: *Hæreticorum colloquia vitate, nihilque sit commune cum eis.* Sanctus quoque ATHANASIVS: *Sic (inquit) hæreticos detestabatur Antonius, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum.* Quod Apostolus PAULUS 2. *ad Timoth.* 3. tàm seriò inculcat; *Et hos devita.* Idem sanxit JOANNES EVANGELISTA *Epist.* 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis.* Quod & confirmavit exemplo. Cum enim balneum esset ingressus, Cherintumque Hæreticum intus esse cognovisset, de balneo exilivit illotus. *In Vita Magni Abbatis.*

Cum igitur,iuxta Sacram Scripturàm, Sanctosque Patres adeò execrabile sit, ac vnicuique, qui baptismali caractere insignitur, valdè indecorum hæreseos crimine commaculari: tolerabimusnè, qui filiorum Ecclesię nomine gloriamur, Fidei, Catholicæque Religionis Patres, qui suæ virtutis, Sanctitatis, atque Doctrinæ pręstantia ad Supremum Cathedræ D. Petri Solium evecti sunt, tàm turpi nota,falsò, & iniquè aspergi, tàm fœda macula lædi, tantòque dedecore obscurari? Si falsam cuiusvis privati hominis accusationem ęquo animo ferre non valemus, eamque tota contentione propulsare conamur; quo potiori iure debemus Supremos Ecclesiæ Monarchas impudenti Hæreticorum, istorumque sequacium ore vexatos tueri, à calumnijs vindicare, & contra immania ista Erebi monstra,defensionis nostræ scuto tectos, illibatosque servare? Præclarè celebris ille inter Scriptores PICUS MIRANDULANUS sese in materia Fidei falsò incusatum agnoscens, vt huiusmodi calumniam longè à se arceret: *Aggressus sum scribere Apologiam (inquit) non vt quemquam lacerem, vel accusem, sed vt à maximo impietatis crimine,iure me excusem. Patiantur obtrectatores mei, vt qui pro CHRISTI Fide etiam obeam lubens, quasi cum Paulo,hoc ipsis æquo animo audientibus,exclamem voce: Non Magus, non Iudæus sum, non Ismaëlita, non hæreticus, sed IESVM colo, & IESV Crucem in corpore meo porto; *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.**

Quodlibet scelus,estò falsò adscriptum, potest humiliter, patienterque ferri, defectum tamen erroris in Fide, atque in Deum blasphemiam, nec ipsa summa CHRISTI Patientia potuit æquo animo sustinere: Dominus quippè IESVS, qui iusserat percutientibus alteram præbere maxillam, qui quasi agnus coram tondente, in sua Passione statuerat obmutescere, semel alapa percussus non tacuit, quòd à perfido servo in testimonium blasphemiæ publicè læsus fuerat.* Quod expendens celebris ille apud Antiquos, Vir,& D.Hieronymo coætaneus,RVFFINVS: *Est quidem (inquit) gloriosum, CHRISTI exemplo,iniurias patienter tolerare, at vnam notam hæreseos qui fert, vel dissimulat,non est Christianus.* Et D. Hieronymus: Quanta potest maxima animi Constantia,clarissima exclamat voce: *Nolo in suspicione hæreseos, quempiam esse patientem.*

Hùc egregiè facit illud S.HILARIJ: *Vlteriùs tacere diffidentiæ signum est, non modestiæ ratio. Non contunditur, sed augetur silentio nostro *Lib. contra Constantium.*

pervicacia, quasi non respondere ad obiecta, sit criminis confessio tacita, & sine voce vocalis reatus admissio. Aptat itaque calamum non lassata patientia, sed vigens scelus.* Quem ex his non parùm stimulant S.CYRILLI verba: *Nè permittamus inimicorum ignaviæ, vt quidquid ei placet, eructet; silenterque id devoremus, sed repellamus semper pro virili alieni cordis commenta, & strenuè transilientes laqueos rusticę nugacitatis, in nobis ipsis cantemus: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.**

Quarè si Naturali, Divinoque iure vnumquemque propriam defensionem edocente, tenentur subditi Superiorem, clientes Regem, filijque Patrem tueri, cum Summi Pontifices Suprema sua Authoritate vniversales Fidei, & Christianæ Religionis Patres existant, omnesque Fideles, spirituales eorum filij censeantur, iuxta illud Apost. 1. *ad Cor.* 4. *Per Evangelium ego vos genui.* Cum insupèr omnes CHRISTI Fideles Supremi illius capitis membra se esse glorientur, istaque in sui capitis defensionem, vel cum propriæ vitæ discrimine, naturali quodam pondere, & inclinatione ferantur, vt in rationis lumine destitutis experientia ipsa testatur: hinc manifestè patescit, quot, quantisque vinculis adstringar, non modò vti Catholicæ Ecclesiæ filius, meæ Religionis alumnus, istiusque Valentinę Ecclesiæ Præsul, licet immeritus, Apostolicæ tamen Sedi obsequentissimus, vt propriam Supremi Capitis aggredi defensionem, illius scilicet, quem Dei Vicarium in terris, D. Petri in Cathedra Successorem, & in Potestate Petrum, per totum Christianum Orbem latè patens veneratur Ecclesia.

Hinc te, pijssime Lector, monitum velim, vt si dùm Hæreticos, cæterosque Romanorum Pôtificum detractores, qui de tantæ Authoritatis Maiestate ignominiosè loqui non verentur, meo muneri satisfaciens, coarguo, eorumque errores reijcio, aliquando in eos aliqua acerbitate commovear, acrioremque calamum stringam, ne mireris: id enim illi sibi ipsis accersunt; sic quippè nobis stomachum movent, patientiam terunt, tolerantiam exhauriunt, vt non possit ista, sese cohibere, dum ad ipsius aures, à Tartareo eorum ore, & sacrilegis pennis, tot blasphemiæ, totque irreligiosæ contumeliæ afferuntur, quibus impijssimi illi Cęlum irritant, terram commovent, totumque Christianum Orbem exasperant. Vtinam quâplurimi essent, qui æquissimo isto dolore cruciati, eadē acerbissima pœna qua Deo conscientiæ meę teste, opprimor, & conficior, dum miserrimum hunc Galliæ statum sedula cogitatione contemplor) afficerentur, eamque efficacioribus verbis, ac luculentioribus momentis exprimerent.

D. BERNARDUS, estò aliàs nectarea suavitate in dicendo, & scribendo ornatus & instructus, non potuit tamen ardentissimi sui Zeli torrentem comprimere, nè acriter raperetur contra Abailardum Monachum, irridentem simplicium Fidem, & Sacra profano ore temerantem, tantoque ardore flammescit, & exasperatur, vt se fateatur emotum, optetque quos alloquitur Ecclesiæ Principes, Cardinales nempè, quibus scribit, secum excandescere, & prædictum Monachum publica increpatione, solemnique exterminio punire: *Legite (inquit), si placet, librum Petri Abailardi, & animadvertite, quantæ & ibi silvescant segetes sacrilegiorum, atque errorum; & siquidem iudicatis, me iustè moveri, movemini & vos, ac nè frustra moveamini, agite pro loco, quem tenetis, pro Dignitate, qua polletis; pro Potestate, quam accepistis, quomodo qui ascendit ad Cælos, descendat in inferos, & opera tenebrarum ausa prodire in lucem arguantur à luce in lucem, vt qui publicè peccant, publicè arguantur.*

Epist. 188.

Et quidem Mellifluum Doctorem, non modò in doctrinam, sed in ipsum etiam Abailardum acri, ardentique stylo insurrexisse constat: *M. Abailardus (inquit) sine regula Monachus, sine sollicitudine Prælatus, nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine; homo sibi dissimilis est, intus Herodes, foris Ioannes, totuus ambiguus, nihil habens de Monacho prętер nomen, & habitum.*

Epist. 193.

Verùm non modò, Bernardus stylum in Abailardum exasperavit, sed etiam D. PAULUS exemplo suo docuit graviter redarguendo peccatores, duriùsque pro sceleris immanitate tractandos; scribens namque *ad Galatas* 3. sic eos coarguit

gule: **O insensati Galatæ! Quis vos fascinavit non obedire veritati?** Quisquis viderit Prædicatorē gentium,& Electionis Vas,ab ipso CHRISTO ad Mūdi eruditionem delectum,adeò graviter in Galatas invehi, eosque insensatos appellare, proculdubio mirabitur; nullatenùs tamen, si attentè animadvertat, quę à S. GREGORIO hunc Pauli locum expendente adducuntur: * Mentes duræ,nisi aperta essent increpatione percussæ,nullo modó malum cognoscerent, quod egissent, nam sæpè hi,qui impudentes sunt, tantum se peccasse non sentiunt,quantùm de peccatis,quæ fecerunt, non increpantur. Minores suas culpas ęstimant, quia minor invectio castigat, & quas vehementer obiurgari viderint, maiores esse deprehendunt. Vndè necesse est, vt sermo semper prędicantium, cum auditorum debeat qualitate formari, nè aut verecundis aspera, aut impudentibus lenia loquatur.* *Super Epist. ad Galat. cap.1.*

Sic exacerbandam Charitate loquutionem docet S.Gregorius, vt emendetur errans, idemque censet CHRYSOSTHOMUS,vt impacta calumnia,ac falsitas detecta evanescat;explicās illud D.Pauli *ad Tit.1. Increpa illos duré, vt sani sint in Fide.* Ideò Titum ad huiusmodi duram in crepationem ab Apostolo incitari, scribit: *Quòd istis sint mores admodum impudentes,subdoli, & profligati. Quandò autem ad confingenda mendacia, dolosque nectendos sunt promptissimi, opus est acri, ac obiurgatorio sermone.Neque enim qui istiusmodi moribus præditus est, ad imperium facile reducitur. *Increpa* igitur *illos duré*, profundiorem (inquit) inflige plagam.* *Super Epist. ad Titum. cap.1.*

Idipsum re ipsa pręstiterat idem PAULUS *Actor.23.* dùm Principi Sacerdotum (quem talem esse non ignorabat) cuius iussu inpactam acceperat alapam, obiurgatorio spiritu coram Iudæorum Senatu,dixit. *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem,& contra legem iubes me percuti?*

Nec idcircò Apostolum Charitatis leges fregisse eleganter annotat AVGVSTINVS, his verbis: *Sunt ergo ista præcepta Patientiæ semper in cordis præparatione retinenda: ipsaque benevolentia, nè reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est: agenda sunt autem multa etiam cum invitis,benigna quadam asperitate plectendis, quorum potiùs vtilitati consulendum est,quàm voluntati.* *Epist.5.*

At quid mirum, quod S.Paulus acriori reprehensione semel, & iterum vsus fuerit, eamque quoties occasio exposcerit,adhibendam docuerit, cum & ipse primus Christianæ Religionis Magister CHRISTVS DOMINVS, qui ferventiori Charitate flagrabat, eamdem hanc severioris obiurgationis disciplinam exemplo suo nobis tradiderit?. Loquens enim cum Pharisæis, qui obdurato corde, & inveterata malitia illius innocentiam insectabantur, ei impia, & effrænata audacia nefarias calumnias, & incredibilia, nec cogitata crimina confingentes *tentatores* vocat, & *hypocritas Matth.22. Quid me tentatis hypocritæ? Sepulcra dealbata*,inclamat, *cæcos duces cæcorum*, *stultos*, & *insensatos*, ac tandèm *genimina viperarum* appellat. Et quamvis ij apud imperitum vulgus vana sanctitatis opinione clarescerent, nihilominùs S. MARCUS de CHRISTO loquens, hæc scribit: *Circunspiciens eos cum ira,& contristatus super cæcitate cordis eorum, &c. Marc.3.*

Vndè superiori isto SALVATORIS exemplo ductus,Martyrum Princeps S. STEPHANVS, Spiritu Sancto plenus,inter exundantes Charitatis æstus, sic Iudæos compellabat *Actor.7. Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus,vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.* En quàm acriter eos pungit Stephanus.

Hinc S. PACIANVS, antiquissimus, & laudatissimus Scriptor, & Barcinonensis Episcopus, vt maiorem vim, & severitatem in huiusmodi garrulos, & audaces adhibendam exprimeret, novum etiam verbum effinxit. * Quos oportet (inquit) indentari (hoc est mordicus invadi, & tamquam dentibus confici) *Epist.1. ad Sympron.*

fici) Irasci me ais, absit. Stimulari, vt Apem credo; quæ interdum aculeo mella defendit. Nos tecum quasi columbæ, ore potiùs, quàm dente confligimus.*

Ep. 4.

Nec silentio prętereundum illud Sancti HIERONYMI, hac in re exemplum, qui Tertullianum sequutus, sic in Ruffinum exacerbatur, vt eius Scholiastes MARIANVS, sic scripserit: *Vir tantus ex amicorum litteris certior de his factus, excitato nunc stomacho, ac flava prodeunte bile omnes eius calumnias refellit, & modò clypeo, modò gladio vtens, ita semet tuetur, vt adversarium nihil illi parcens, omninò prosternat, ac necet.*

In argument. primæ Apologiæ præfixo.

Videamus nunc qualiter in Ruffinum, eiusque doctrinam invehatur. Adeò certè acerbè, vt eum, ipso Mariano testante, impudentem, furentem, imperitum, ignarum, canem, & similia, appellet.

Acerbiori tandèm, & severiori obiurgatione vtendum, cum veritatis, & innocentiæ defensioni conducit, mirificè docet ingeniorum Apex AUGUSTINUS sentiens, cor malitia obduratum, dictionis granditate flectendum; & falsitatis, nequitiæque sectatoribus, eas acriter tuētibus, nos, qui Ecclesiæ filios esse gloriamur, veritatem, & innocentiam maiori esse contentione propugnaturos; illiùs verba audiamus: *Cum per artem Rethoricam, & vera suadeantur, & falsa; quis audet dicere, adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti, nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes, impellentesque dicendo, terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter; isti pro veritate dormitent? Quis ita desipiat, vt hoc sapiat? O eloquentia tantò terribilior, quantò purior, & quantò solidior, tantò vehementior! O verè securis concidens petras!*

His igitur, quoad præcipuum operis nostri scopum fusiori aliquantulum calamo prælibatis; mei muneris proprijssimum duxi, dubitationes quasdam, quæ sese possunt pio Lectori offerre, solvere, eisque pro mei ingenij tenuitate satisfactionem exhibere.

Primò igitur, candidissime Lector, si Opus istud, postquàm illud legeris, displicuerit, nè mireris, cum nec mihimetipsi multa, quæ in illo scripsi, arrideant: quod & Doctissimo OVIDIO accidisse comperimus, qui de suis scriptis loquens, sic cecinit: **Cùm relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno,*

Lib. de Ponto.

*Me quoque, qui feci, iudice, digna lini.**

Mihi nusquam insedit animo, quemquam, ac præcipuè oscitantes quosdam, quibus studium, sacraque, & profana eruditio fastidium pariunt, ad huius lectionem operis compellere, prout me docet HIERONYMUS ita scribens: *Audiant me liberè proclamantem; nemo cogitur legere, quod non vult: ego petentibus scripsi, non fastidiosis; gratis, non invidis; studiosis, non oscitantibus.*

Lib. 1. Apolog. contra Ruffin.

Mirabeęis vlteriùs longum istum, fortasseque prolixum tibi Librum. Respondeo, mihi dúm Volumen istud conficerem, idipsum, quod de se narrat Sanctus HIERONYMUS, contigisse. Erat Lęta Matrona Romana, Sanctitate insignis, & S. Paulę nurus; cumque eruditissimus Sacrarum litterarum Interpres Hieronymus brevem quemdam tractatum ea de re, quem ipsa ab eo enixè postularat, scribere conaretur, quibusdam digressionibus longiori calamo, quàm spoponderat, effusus est: *Penè lapsus sum ad aliam materiam.* Adducensque decantatissimam quamdam Horatij metaphoram: *Et currente (inquit) rota, dum vrceum facere cogito, amphoram finxit manus.* Quod & ingeniorum Aquilæ AVGVSTINO contigisse, non ignoramus; siquidem Simpliciano Episcopo brevem quemdam tractatum, pro quarumdam difficultatum solutione, ab ipso postulanti, duos integros libros scripsit; vndè: *Vereor (inquit) nè ista, quæ sunt à me dicta, & non satisfecerint spectationi, & tædio fuerint gravitati tuæ: quandoquidem, & tu ex omnibus, quæ interrogasti, vnum à me libellum mitti velles; ego duos libros, eosdemque longissimos, misi, & fortasè quæstionibus tuis nequaquam expeditè diligenter respondi.* Brevitatem amabam; materiæ tamen gravitas, multæque, nec contemnendę in transcursu operis, difficultates, optatum protraxere ipsius terminum, & consilio obstitere brevitatis.

Epist. 7. ad Lætā de institut. filiæ.

Lib. 1. Quæstion. ad Simplician. in fine.

Si

Si dicas hæc scribere, in lucemvè prodire; proculdubiò esse, memetipsum communi Censuræ exponere, & confodientium linguis offerre, parum obest, cum iam diù à D. HIERONYMO didicerim, aut non scribendum, aut maledicorum esse tela subeunda. * Aut nihil (inquit) scribendum fuit, aut scribentis nosse, cunctorum adversus nos maledicorum esse tela detorquenda.* Idcircò nullam huius libri mirabor censuram, cum non contendam esse melioris conditionis, aut fortunæ S. Clemente Alexandrino, S. Hyppolito Martyre, Tertulliano Africano, Eusebioque Cæsariensi, quorum opera, vt refert S. HIERONYMVS, estò præclarissima, & Virorum Sanctitate, Doctrinaque insignium, nihilominùs maledicorum linguas subterfugere nequiverunt. *Certè si tanti, & tam eruditi viri fastidiosis lectoribus displicent, quid de me facturi erant, &c.*

Epist. 2. ad Nepotian.

In Proœm. lib. 11. in Isai.

Nollem tamen, Lector, subires turpem illam notam, quam D. Hieronymus aliquibus sui temporis censoribus inurit, quorum tanta erat in carpendis libris libido, vt edita volumina evolverent, non tàm hauriendæ vtilitatis gratia, quàm vt calumniandi, detrahendique ausam arriperent, multique illorum antequam librum legerent, iam illum, eiusque Authorem maledico dente proscinderent: ideòque eos obtestatur Hieronymus, vt priùs librum legant, quàm illum caninis dentibus lacerent, & corrodant. *Ignorantes (inquit) quid audiant, & quid loquantur, de eo audent iudicare, quod nesciunt, & antè despiciunt, quàm probent, eruditosque se existimant, & disertos, & in eo se scire aliquid arbitrantur, si de cunctis Scriptoribus detrahant.*

Proœm. in Ieren. & in Præfat. ad lib. 4. Isai. & lib. 2. Apolog. contra Ruffin.

Hinc ipse D. HIERONYMVS rectè asseruit, nihil esse facilius, nec cuiusque generis hominibus in mundo crebriùs, quàm adversus libros, qui in lucem prodeunt, oblatrare, & convitia fundere; vulgóque eos esse rigidiores censores, qui imperitiores sunt, & ea, quæ legunt, vix capiunt, aut nullatenùs percipiunt: *Non est (inquit) grande, mi Domnion, garrire per angulos, & medicorum tabernas, ac de mundo ferre sententiam: hic benè dixit, ille malè: iste Scripturas novit, ille delirat: iste loquax, iste infantissimus est.*

Epist. 51 ad Domnion.

Hæc illorum temporum infelicitas, hæc etiam nostri ævi calamitas; non enim melioris conditionis nostra sunt tempora, quàm illa; imò quò magis philautiæ malo homines labefactātur, eò acrior viget in eis æmulatio, ac invidia, vt iam adventasse videantur periculosa illa tempora, quæ discipulo suo Timotheo prædixit PAVLVS, in quibus proprius dominaretur amor, adeòque homines ipso æstuarent, vt alijs aliorum opera eò essent molestiora, quò vnicuique sua iucundiùs placerent: vndè fieret, vt vnusquisque aliena calumniari contenderet, erroneè credens, sic fore sua præclariùs commendanda. 2. *ad Timoth. 3. Hoc autem scitote, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes ::: criminatores, &c.* Quinam autem sint isti criminatores, rectè exponit S. JOANNES CHRYSOSTOMVS, dicens, quod sunt, * maledici, qui quoniam sibi ipsis nihil boni conscij sunt, velut solatij cuiusdam vice, aliorum opinionem violare nituntur.* Cui consonat ANGELICVS DOCTOR, scribens: * Criminator est, qui publicè crimina alijs imponit, vel accusando, vel convitiando.* Hinc factum est, vt numquam in mundo tot librorum censores extiterint, quot hisce nostris temporibus, quorum ea est omnia condemnandi libido, vt vix lucem liber aspiciat, cum iam ipsorum opinione damnatus prodeat. Impijssimum Pharaonem imitantur hi, cuius immanem barbariem eleganter coarguit AVGVSTINVS, quæ tanta fuit, vt Hebræorum filios crudeli morti addiceret, antequam primum vitalem halitum emittere possent.

Hom. 8. in 1. ad Corin.

2. 2. quæst. 74. art. 1. ad 1.

Serm. 89. de Tempor.

Verùm licet hæc ita se habeant, illud tamen vnum te monitum velim, charissime Lector, me qualibet huius libri censurā adeò patiēter laturū, vt cumulatissimas gratias rependam ei, qui me de meis (si qui sunt) erroribus admonuerit, vt eos corrigere, & ad vnguem castigare queam, Augustini mentē sequutus. Scripserat ingeniorum Apex celebres illos *de Libero Arbitrio* libros, omni sapientia refertos. Insurrexerunt Romæ quidam censores, qui ea, quæ in prædictis libris non

intelligebant, conabantur reprehendere: horum insolentem audaciam, vel potiùs apertissimam amentiam ægrè tulit MARCELLINVS, Romanus Civis, Sancti Doctoris studiosissimus, & posteà Martyrij laureola insignis: quarè ipse, alijque, qui se Augustini discipulos gloriabantur, sese illis detractoribus opposuerunt, suum Magistrum defendentes: quibus tamen scripsit Sanctus eruditè ostendens, eos immeritò conqueri, nec debere, qui librum in lucem edit, ægrè, molestèque ferre, quòd de his, quæ malè, aut minus benè scripsit, charitativè commoneatur; scopus enim scribentis non est, falsa, sed vera, non improba, sed recta, & quæ communi legentium vtilitati conducunt, litteratijs monumentis consecrare; quòd si ab hoc scopo deviaverit, æquissima est correctio, & censura, vt ea, quæ ignorabat, edilcat, & nè legentes, qui facilè decipi possent, in errorem inducatur. Et in hoc, inquit, dignoscitur scribentis progressus, quòd etsi erraverit, monitum libentèr amplectitur, erroremque statim expungit. Et certè intolerabilis esset præsumptio, quemquam credere, se Infallibilitatis dono, Scriptoribus Sacris, Romanoque Pontifici dumtaxat concesso, insigniri, nè possit in suis scriptis à veritatis tramitate declinare.* Ego, inquit AUGUSTINUS, fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo, scribunt, & scribendo, proficiunt: vndè si aliquid, vel incautiùs, vel indoctiùs, à me positum est, quod non solum ab alijs, qui videre id possunt, meritò reprehendatur, verùmetiam à me ipso, &c. Nam nimis perversè se ipsum amat, qui & alios vult errare, vt error suus lateat.*

Hinc idem Augustinus meritò condemnat encomium illud, quo

Lib. 7. Pharsal.

*——— ——— ——— *Romani maximus author*

Tullius eloquij ——— ——— ———*

(vti canebat Lucanus) quemdam Oratorem effert, & tamquam maximam illius laudem expendit, adeò fuisse vbertate dicendi, copiaque tandi celebrem, talique verborum torrente præditum, vt nullum vmquàm verbum, quod emendare vellet, protulerit: * Nullum vmquam verbum, quod revocare vellet, emisit.* Hæc laus (vti Augustinus expendit) eximia esse videtur, sed revera non est: *Quæ quidem laus, quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimis fatuo, quàm de sapiente perfecto. Hoc potiùs, inquit, de hominibus Dei, qui Spiritu Sancto acti loquuti sunt, quàm de illo, quem Cicero laudat, salubrìma pietate credendum est. Ab hac ego excellentia tàm longè absum, vt si nullum verbum, quod revocare vellem, protulero, fatuo sim, quàm sapienti similior.*

Scire fortè desiderabis, quanam adduci potuerim ratione, ad scribendum de re, in qua adeò desudarunt tot nobilium Authorum ingenia, ita vt *cum Isaia* dicere possimus: *Repleta est terra scientia Domini, velut aqua maris operientis. Isaiæ* 11. Verùm non vna tantùm, sed multiplex mihi fuit scribendi causa.

In primis enim (vt vera fatear) moras mihi iniecit longiores, & à scribendo in re adeò gravi, ac ardua deterruit, non modò ingenij mei tenuitas, & imbecillitas, sed etiam eadem ipsa ratio, quæ D. Hieronymum, nè calamum sumeret, aliquando sistere potuit; enixè namque rogatus ab amicis, vt de necessitate, & efficacia gratiæ contra Pelagium scriberet, aliquandiù cunctatus est, quòd hac de re, iam ingeniorum flos (sic vocat Augustinum) paulò antè disseruisset; æquum enim est, inquit, vt decantatum illud Pythagoræ Symbolum attendam, quod refert HORATIUS: * In sylvam nè ligna feras.* Quod eleganter prosequitur, & eruditè expendit hac potissimùm ratione: quia dicere ea, quæ iam dicta sunt, superfluum omninò est, cum hoc nihil sit aliud, quàm actum agere: dicere verò melius, & elegantius, impossibile planè videtur ob Augustini excellentiam, ingenijque illius præstantiam. Si ergo ratio ista Hieronymum continere potuit, nè calamum in Pelagium stringeret; quantò potiori iure debebat me deterrere, nê aggrederer id operis, in quo tam celebres Authores singulari eruditione præstantes feliciter scripserunt, præcipuè nostris hisce temporibus Hispanorum ingeniorum flos, Eminentissimus Cardinalis AGVIRRE, Benedicti-

dictinę Familiæ nobilissimum decus, Salmantinæque Academiæ Ornamentum; & Illustrissimus Episcopus SEQVEIROS, Augustinianus, in insigni Complutensium Academia præclarissimus Theologiæ Publicus Professor.

Nihilominùs tamen inbecillem ingenij mei aciē erexit, tarditatēque excitavit ipsius materiæ, de qua agimus, profunditas, & immensitas, quę ea est, vt estò multa de illa dicantur, semper tamen quàmplurima dicenda supersunt. Id nobis innuere videtur Spiritus Sāctus, dicens, aliqua esse in Sacris Litteris arcana, quę abscondita sunt, vt temporum decursu appareant, & futuris sæculis innotescant. Idque ipsum in Apocalypsi CHRISTUS Dominus Evangelistæ Joanni manifesté ostendit in illa Sigillorum multitudine, quæ paulatim, temporisque decursu patefiebant, ac futuros Ecclesiæ eventus præmonstrabant.

Quod expendens RUPERTUS ABBAS annotat, quod iam anteâ D. GREGORIVS admonuerat, vtilissimam scilicet fuisse illam Isaac Patriarchæ sollicitudinem, qua (estò ipsius pater Abraham, cum aliis illius sęculi viris multos in valle quadam effodi iusserit puteos (*Genes.26.*) quibus salubriter adaquarentur greges) ipse nihilominùs novos reclusit, è quibus vivæ, ac salutares aquæ ingenti omnium commodo possent hauriri. Pariter ergo (ait Rupertus) quamvis alij eruditê scripserint, multosque ediderint libros, qui tamquàm excellentissimi putei, in illa Scripturarum profunditate, crystallinis Catholicæ Doctrinę aquis affluunt, & exundant, nobis adhuc integrum erit novos detegere puteos, recentesque invenire aquas, quibus vber Ecclesię ager salubriter irrigetur. *Nobis quoque concedant (inquit Venerabilis Abbas) post illos puteos, quos fecerunt Patres, & priores nostri, & alios facere, dummodò vivam & nos aquam reperire possimus.* Quotquot de Supremi Capitis Authoritate, illiusque Infallibilitate disseruerunt, adeò eruditione præstantes veneror, vt sapientiæ puteos appellari posse non dubitem. At sicut puteorum aqua, quia à mari sua îmmensitate inexhausto, & inexsiccabili per occultos terræ meatus erumpit, estò multa hauriatur, semper tamen haurienda manet; sic & nos Venerabilem Rupertum sequuti, ab his, qui nos præcesserunt, Authoribus dicendi licentiam postulamus, vt nobis permittant, quę pro ingenij nostri tenuitate fuerimus assecuti, Litterarijs denuò monumentis sacrare, benevoloque Lectori recenter offerre.

In Prologo Commentariorum in Apocalyp. Lib. 16 Moral. cap. 9.

Secundò, idcircò me ad scribendum contuli, quia estò antiqui multa, eaque omni digna laude, de Romani Pontificis Infallibilitate tradiderint, ac æternę memorię commendaverint, non ideò fertilissimum sapientiæ campum sterilem reddiderunt, & insęcundum adeò, vt nihil denuò excogitandum posteris reliquerint. Sic censet celebris ille Scriptor PLINIUS Iunior, existimans, quòd quamquam antiquorum Doctrina admiranda sit, non indê posterorum est contemnenda eruditio, cum illorum fęcunditas horum discursum inopem non effecerit, nec omnes sapientiæ Latices exhauserit. *Sum ex his (inquit) qui miror antiquos, non tamen, vt quidam, ingenia nostrorum temporum despicio: neque enim quasi lassa & effeta natura nihil iam laudabile parit.*

Lib. 6. Epist. ad Canin.

Tertiam huius mei laboris rationem eleganter prosequitur S. CLEMENS ALEXANDRINVS, duas quæstiones eruditè discutiens; quarum prima est: An permittendum sit, vt libri denuò prodeant in lucem? Secunda: Quibusnam id concedendum? *Vtrum nè omninò quidem, an est permittendum aliquibus scribere?* Ad primam respondet, vt certum tenendum quibusdam dandum esse scribere, ingenijque fœtus fœlici partu depromere; ideò enim litteræ, papyrus, scholæ, asiduaque studia, quibus acuuntur mentes, ac perpoliuntur ingenia, adinventa sunt, vt litteraria Respublica novis istis fœtibus locupletetur. Ad secundam censet, non id omnibus concedendum; imò dignissimum esse, vt lascivæ fabulæ, bonos corrumpentes mores, quibus docentur iniqua, in lucem edi prohibeantur: & quò hæc vituperio, ac prohibitione digniora sunt, eò laudabilius esse, libentiùsque indulgendum, vt è tenebris evocentur in lucem veritates, ad Reipublicæ bonum, & rectam totius Orbis eruditionem spectantes, quibus convellantur vitia, commendentur virtutes, quæque præsentibus prosint, nec posteris officiant. Qui fabulas, & maledicta componunt, vt Theopompus,

Lib. 1. Stromat.

Tymęus,

Tymæus, & Epicurus; qui est princeps, & author impietatis, his, inquam, alijsque similibus, rationi consentaneum est, vt nulla detur scribendi facultas; sicut omni tempore iure prohibitum est, erróneas, falsasque doctrinas communi Ecclesię, & Christiani Orbis bono, & vtilitati noxias litteris commendare: at veritates solidas Fidei, & Ecclesię commodo salutares de novo edere, sempiternæque mandare memorię, nulli potest aliqua lege interdici. *Ei autem (inquit Sanctus) qui veritatem prędicat, prohibendum non est, posteris vtilitatem relinquere.* Similiter ergo æquissimum est, vt perniciosæ novitates oppositæ Fidei, Ecclesiæ, ac securissimæ doctrinæ, quam nobis Sancti Patres tradiderunt, denuò prodire, scriptisque committi interdicantur. At solidas veritates, non novas, sed novê excogitatas (vt cum Lyrinensi loquar) pro confirmanda Sanctorum, Conciliorum, Patrumque Doctrina, non sine ingenti Ecclesiæ, ac Fidelium commodo scribere, & publici iuris facere, adeò est ab omni prohibitione alienum, vt potiùs desiderandum sit, ac summa ope nitendum, vt vnusquisque talentum, quo Deus illum ditarit, in tuenda Ecclesia, ac propugnanda Suprema illius Capitis Dignitate, ac vindicandis Catholicis Veritatibus ab his, qui infelicissimis hisce temporibus eas impugnare non erubescunt, diligenter impendat.

Et quamvis non possim non cumulatissimas referre grates his, quorum ingenia hac in re ad hodiernum vsque diem gloriosissimè desudarunt; Religionis tamen meæ, ac muneris, & Dignitatis ergo, & ob arctiora beneficiorum vincula, quibus me præ alijs devinctum agnosco, vt pusillum istud obsequium Deo, Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi exhibeam, pro ingenij mei exiguitate (quã summam esse non diffiteor) quidquid hac in re assequar, Sancti Petri Templo libens, lubensque dicabo, D. HIERONYMI exemplum sequutus, qui rationem reddens, cur Sacram Scripturam denuò Latinitate donarit, cum iam antea laborem istum septuaginta Interpretes, Symmachus, Aquila, atque Theodotion tam gloriosè suscepissent, susceptumque tanta apud veteres acclamatione complevissent, ut supervacaneum omninò videretur iterum Provinciam istam inire, dicit: *Quid igitur? Damnamus veteres? minimè. Sed post priorum studia, in domo Domini quod possumus laboramus, &c. Obsecro te Lector, nè laborem meum reprehensionem existimes antiquorum. In Tabernaculo Dei vnusquisque offert quod potest: alij aurum, & argentum, & lapides pretiosos. Nobiscum benè agitur, si obtulerimus pelles, & caprarum pilos.*

Lib. 1. Apolog. contra Ruffin. In Prolego super Gen.

Inquires fortasè, Lector, cur hoc in opere tot Sanctorum Patrum Authoritates, tot Doctissimorum Virorum testimonia produximus? Non vna tantum fuit huiusmodi laboris ratio. Præcipuam exhibet RVPERTVS ABBAS. Quemadmodum enim qui se profundo, immensoque mari committit, debet, vt rectum iter teneat, & ad portum securè deveniat, Stellas, quas Astrologi fixas appellant, sequi, illarumque ducatu gubernari, ita vt non in errantia sidera, vaporesque in aëre accensos, & per æthercam plagam certa sine sede vagantes, sed in signa, quæ certam viam aperiunt, mentem, oculosque conijciat, nè inter invia saxa, latentesque scopulos quassata navis spumantibus vndis obruatur: sic qui ingenij monumenta in lucem promit, debet præcipuè sequi Stellas in Ecclesiæ firmamento fixas, qui sunt Sancti Ecclesiæ Doctores, DANIELE teste his verbis: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi Stellæ in perpetuas æternitates. Danielis* 12. Sunt itaque Sancti Doctores Stellę in veritate immobiles, quæ lucem à vero Sole CHRISTO suscipiunt, in Fide securę, & in Romanæ Ecclesiæ firmamento fixæ. In has ergo fulgentes Stellas, in hęc lucida signa, debet conicctos, & intentos oculos habere, quisquis se ad scribendum accingit, nè à veritate devians, in præruptas errorum cautes impingat. *Doctores Sacri (inquit Rupertus) mente, ac vigilantibus oculis retinendi sunt, qui tamquàm Arcturi numquàm occidentes lucida sidera, stabili Fide semper fixi steterunt, ac lucem Fidei fundentes, occasum nescierunt.*

Securiorem Catholicarum Veritatum Doctrinam in Sanctis reperiet, quicumque scribere voluerit; ideòque SPIRITVS SANCTVS *Ecclesiast.* 8. vnumquemque admonet dicens: *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didi-*

didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, &c. In quę verba S.BERNARDVS, & S.GREGORIVS docent, Catholicam Doctrinam non esse inventionis humanę, sed revelationis Divinæ; Sacramque Scripturam non subtilibus hominum ingenijs excogitatam, sed à Spiritu Sancto Sacris illis antiquis Scriptoribus, quos Canonicos veneramur, suggestam. Quarè securiorem, pleniorémque illius notitiam adepti sunt, qui Sacris Scriptoribus fuerunt viciniores, antiqui nempè Sancti, & Doctores, quos Deus superna luce, ac Spiritu illustravit, vt libros ederent, & in Ecclesia Fideles scriptis suis edocerent. Quod non obscurè innuit D.PETRVS, dum inquit: *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines. 2.Petri 1.*

De illis Sanctitatis, sapientiæque portentis S.Basilio, ac S.Joanne Chrysostomo refert ECCLESIASTICA HISTORIA, antequam se ad prędicādum, scribendumque accingerēt, sese collegisse, & ab omni alia cura semotū animum ad Sacras Scripturas intelligendas die, nocteque, tredecim annorum spatio, traduxisse, ipsisque diligenter studuisse, non suo arbitratu ductos, sed antiquiorum Catholicorum Doctorum Scripta evoluentes, & iuxta istorum expositionem earum intelligentiam investigantes *ex maiorum scriptis.* HVGO DE S.VICTORE, Vir in sacro eloquio versatissimus, D. Bernardo opposuit expositionem, qua Mellifluus Doctor quemdam Scripturæ locum fuerat interpretatus: cui respondit Sanctus; se de illa expositione certum omninò esse, cum sibi ad ita exponendum lucem prætulissent duo fulgentissima Ecclesiæ luminaria, Ambrosius, scilicet, & Augustinus, qui sic textum illum intellexerunt, nec posse in errorem (vt putabat) elabi, quandoquidem duabus illis firmissimis innitebatur columnis: *Ab jis (inquit) duabus columnis Ambrosio, & Augustino, mihi crede, difficilè avellar.* *Ruffin. lib. 2. Hist. Ecclesiast.*

S. HIERONYMVS (vt ipse de se testatum reliquit) numquàm ab ineunte ætate, se ipsum Magistrum habuit, sed Sanctos Doctores, vt Magistros veneratus est, vel pręsentes verbo, vel absentes scripto consulens, & ab ipsis eorumvè scriptis difficultatum solutionem diligenter inquirens: *Numquam ab adolescentia (inquit) aut legere, aut Viros Doctos, quę nesciebam, interrogare cessavi, atque me ipsum magistrum habui.* Quarè tutius, prudentiusque existimavi, Sanctorum Patrum, Ecclesiasticorumque Doctorum vestigia premere, nihilque, nisi quod ab ipsis didiceram, huic inserere operi, Lectorumque oculis lustrandum committere, provt nos exemplo suo admonet S. CÆSARIUS, D. Gręgorij Nazianzeni frater, qui hęc habet: *Non quædam propriè mea, leviaque proferam, sed quęcumque clarorum, beatorumque Patrum prata peragens, de illorum rosceto collegi, quorum rosæ ::: totum mundum sua fragrantia replent.* *Epistol. ad Paulinum.* *Initio Dialog.*

Eadem fuit S. HIERONYMI mens, siquidem assiduis Paulæ, Eustochijque precibus opus quoddam circa Vetus, ac Novum Testamentum evulgare compulsus, firmiter constituit, non alia scribere, ac docere, nisi, quę à Sanctis illustribusque Viris acceperat, ac veluti è purissimis fontibus hauserat: *Quod propter verecundiam (inquit) negans, propter assiduitatem tamen, & crebras postulationes præstiti, vt docerem quod didiceram non à me ipso, id est, à pręsumptione pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesię viris.* *Epist. 27. de Epitaphio Paulæ.*

Hinc eruditissimus simul, ac pijssimus VINCENTIUS LYRINENSIS contra profanas vocum novitates Pelagianorum, calamum distringens circa Doctrinam gratiæ Dei, adducensque illa D.Pauli verba: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, 1.ad Timoth. 6.* hęc scribit: *O, exclamatio ista & præscientię est pariter, & charitatis; prævidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. Quid est *depositum?* id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenij, sed Doctrinæ; non vsurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam, in qua author non debes esse, sed custos; non institutor, sed

sectator; non ducens, sed sequens; eadem tamen, quæ didicisti, doce, vt cum dicas novè, non dicas nova.*

Iam verò Lectorem inquirentem audio: cur si Sanctos, celebrioresque Ecclesiasticos Authores adducere, illorumque doctrina opus illud nobilitare decrevimus, profanos Scriptores, antiquosque Poëtas, vti Plinium, Tullium, Ovidium, Martialem, aliosque similes laudamus, illisque sæpè vtimur; præcipuè cum isti à maiestate, gravitate, & dignitate rei, quam hoc in libro pertractandam aggredimur, videantur penitùs alieni? Non me latet inter Sanctos, Doctosque Viros, & omnigena Sacrarum Litterarum eruditione conspicuos valdè vtrinque decertatum esse: An Scripturæ Sanctæ interpretibus, Divinique Verbi præconibus liceat in suis Commentarijs, Sacrisque Concionibus, profanos, Secularesque Scriptores inducere, illorumque Doctrinas, Sententias, & Historias afferre: an verò, solis Sanctorum Patrum, Sacrorumque Scriptorum testimonijs vti. Qua quidem in re magna est opinionum diversitas, Doctorumque haud leve dissidium.

Lib. 5. Stromat. S. CLEMENS ALEXANDRINUS postquam omnes Gentilium libros diligentissimè percurrerat, quos ferè omnes summa dexteritate, & brevitate in illis celeberrimis *de Stromatibus* libris inculcat, ostendit, infideles omnes amentes esse, illorumque semitas iniquas, & eorum quæstiones esse eas, quas Apostolus *ad Timoth.* 2. constituit inanes, & futiles, atque vitandas.

Lib. 5. in Sacr. Script. quæst. 79. S. insupèr ANASTASIUS, Nicænus Antistes, non modò inutile ducit, huiusmodi Authores adducere, eorumque Doctrinas proferre, verû netiam existimat, id esse omninò detestandam, ac penitùs fugiendum; quia, vti multi Sapientes observant, nihil penitùs in Gentilium libris reperitur, sive ad Historiam, sive ad Doctrinam, sive ad Poësim, sive ad Symbola, sive ad Proverbia, aut sapienter dicta spectans, cui non reperiatur aliquid simile in Scriptura Sacra gestum, dictum, & scriptum, verius, subtilius, elegantius, vtilius, & modis omnibus tantò excellentius, quantò Verbum Dei excellit verbum cuiusvis hominis, quantumcumque sapientis. Si in Historijs Gentilium quæris strenuorum ducum fortitudinem, pugnandi dexteritatem, animi robur, insidias miro acumine structas, exercitus multitudinem, invenies elegantiùs in Scriptura Sacra enarrante de Moyse, Josue, Jepte, Sampsone, & alijs populi Dei ducibus. Si regendi consilium prudens, & optimi Regis, ac Principis artes, Scripturę Sacræ excellentiùs perhibent, enarrantes de David, Salomone, Ezechia; Regesque tibi exhibent sapientes, & insipientes, Sanctos, & perfidos, & totius generis exempla. Quodnam Socratis, Senecæ, Diogenis, aut alicuius alterius Philosophi excellens est Proverbium, quod in Libris Proverbiorum, cæterisque sapientialibus non habeatur acutiùs, sapientiùs, lepidiúsque? Quid in Platone Divinum de amore Sapientię, contemptu rerum sæculi, & alijs huiusmodi, quod non in Prophetis Sanctis infinitè exhibeatur diviniùs?

His adde rationem magna expensione dignam: quod videlicet nihil penitùs invenias in Gentilium Libris sapienter dictum, lepidè compositum, acutè animadversum, sive ad Proverbia pertineat, sivè ad Doctrinam, ad Symbola, vel hyeroglifica, quod Gentiles Authores, sapientesque sæculi suffurati non fuerint ex Scripturis, Scriptoribusque Sacris toto Orbe celeberrimis. Huiusmodi furta deprehenderunt, & manifestè prodiderunt, & indicarunt Sancti illi Patres, qui in Gentilium Libris supramodum versatissimi extiterunt, vt S. Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, qui ex professo demonstrandum assumit, id furti genus; Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, Eusebius, Augustinus, Theodoretus, Beda; excellenter autem TERTVLLIANVS agens adversus Gentiles:* Quis (inquit) Poetarum, quis Sophistarum, qui non omninò de Prophetarum fonte potaverit? Indè igitur Philosophi, sitim ingenij sui rigaverunt.* Quod & illis omnibus antiquior Philo disertissimè asseruit, quorum impudentiam efficaciter arguit, quòd cum omnia, quæ ab illis benè, & sapientèr dicta sunt, ex Sacris Scripturis fuerint suffurati, Mysteria eiusdem Scripturę, quæ non intelligunt, irrident.

In Apolog. adversus gent. cap. 47.

Ex his igitur inferunt multi, necessarias potiùs esse Litteras Sacras ad profa-

nos

nos Authores intelligendos, quàm è converso, sicque Catholicis Authoribus non esse necessarium, imò nec vtile, in rebus præcipuè Sacris, & Dogmaticis, Gentilium Poetarum, profanorumque Authorum Doctrinis vti, cum in omnibus illis nihil adeò memorabile occurrat, quod in Sacris Scriptoribus, Sanctis Patribus, cæterisque Ecclesiasticis, Catholicisque Authoribus veriûs, subtiliùs, elegantiùsque dictum non inveniatur.

Verùm estò hæc sententia plausibilis sit, & multorum gravissimorumque Authorum, Sanctorumque Patrum roborata consensu, Divus tamen HIERONYMUS oppositam videtur aliquando sequutus; respondens namque Magno Urbis Romanæ Oratori, qui excitatus à Ruffino eiusdem Hieronymi æmulo, ipsum reprehenderat, ac obiurgarat, quòd in Opusculis suis litterarum secularium exemplis vteretur, multaque ex profanis Authoribus inculcaret, longo, eruditoque discursu probandum aggreditur, non modò Sacrarum Litterarum Interpretes debere prædictis Gentilium Poëtarum, Oratorumque doctrinis, ac sententijs vti, sed & ipsos etiam Scriptores Sacros quædam ex Æthnicorum libris desumpsisse. * Quis enim nesciat (inquit Hieronymus) & in Moyse, & in Prophetarum voluminibus quædam desumpta ex Gentilium libris, & Salomonem Philosophis Tyri etiam nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse? Vndè in exordio Proverbiorum commonet, vt intelligamus sermones prudentiæ vtriusque, verborum Parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientium, & Ænigmata, quę propria Dialecticorum, & Philosophorum sunt.* Deindè inducit Hieronymus Paulum inserentem sententias, dicta, & Proverbia Arati, Epimenidis, & Menandri, observans, Apostolum quasi extorsisse gladium de manu Goliath, vt eumdem interficeret, & de illo reportaret trophęa; & quòd alienigena mulier fieri poterat Israëlita, præscissis vnguibus, abrasaque cæsaria.

Eleganti insupèr inductione idipsum demonstrare contendens, omnes ferè, qui tunc erant, Ecclesiasticos Scriptores revolvit, Cyprianum nempè, Methodium, Eusebium, Clementem Alexandrinum, & alios, manifestè ostendens, omnes illos longos ex Gentilium libris hausisse discursus; vbi quantum in eorum lectione fuerit versatus, apertissimè indicavit.

Consonat D. AVGVSTINVS, docens, Ecclesiasticos Scriptores similes esse Israëlitis, qui ab Ægyptijs vasa aurea, & argentea, pretiosaque monilia, tamquàm ab iniustis possessoribus extraxerunt, quę in ornatum Tabernaculi Domini converterunt. *Lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 40.*

Illud autem, quod Hieronymus dixit, Moysem nempè, Sacrosque Scriptores aliqua ex Æthnicorum libris decerpsisse, confirmare videtur SCRIPTVRA SACRA, enarrans, eum omni sapientia Ægyptiorum eruditum fuisse; quod Philo factum credit, quia Pharao sapientiores induxit Magistros ex Ægypto, & Græcia, qui Moysem puerum instituerent in Arithmeticis, Geometricis, Rythmicis, Physicis, Hieroglyphicis, &c.

Idipsum profitetur apertè S. GREGORIVS MAGNVS, exponēs, cur B. Job Arcturum, Orionas, Hyadas, multaque alia huiusmodi interposuerit nomina ex Hesiodi, Arati, Callimachi, & aliorum Poetarum fabulis desumpta. Quod prosequitur latè explicans, cur Sacra Scriptura nominibus ex Gentilium Poëtis desumptis vtatur. *Lib. 9. Moral. cap. 6. & 7.*

Quænam verò ex his duabus sententijs alteri sit præferenda, difficile est iudicare, cum vtraque suis, & quidem præstantissimis, innitatur Patronis. Nihilominùs tamen rectiùs arbitror, medium iter tenere, ita vt Catholico Authori liceat Gentilium historijs, Symbolis, Rhythmis, & Hieroglyphicis aliquando vti, quandò nempè necessitas, vel vtilitas, aut alicuius Sacri Textus intelligentia, Ecclesiasticaque Doctrina id exigere videatur; nulli tamen Catholicorum integrum sit, profanos Authores crebriùs, quàm oportet, inducere, illisque plus iusto deferre. Id eleganter tradit S. CLEMENS ALEXANDRINUS eruditè observans, Philosophorum, & sæcularium Authorum dicta; & scripta, esse quasi condimentum salis, quod non offertur famelico epuloni, vt *Lib. 6. Stromat.*

famem

famem satiet, aut vt ex eo nutriatur (si enim sal abundanter comederet, intolerabilem sitim, grandemque sibi pararet infirmitatem:) sed apponitur coram illo tamquàm condimentum, vt cibum sapidiorem, gustuique suaviorem reddat. Ita etiam Gentilium Authores, & Poëtas admodum rarò inducturi sumus, illorum dictis, & sententijs, tamquàm sale nostra opera, & scripta temperantes, vt huiusmodi condimentis suavior, plausibilior, & iucundior nostra reddatur Doctrina.

Id à D.BERNARDO diligenter observatum conspicimus; ipse enim in suis

Ser. 71. in Cant.

Sermonibus, nō nisi Sacræ Scripturæ verbis, ac sentētijs, vt plurimū vtitur; nihilominùs tamen expositurus quemdam Cāticorum locum: *Pulchrè (inquit) & elegantèr in coronādo beneficio candor iucūditatis laudatus est voce illa Poëtæ:

Ovid. lib 8. Metamorph.

*Super omnia vultus --- Accessere boni.** In D. Hieronymi Epistolis, & Opusculis multa de Gētilium libris invenies inserta; sed in Sacræ Scripturę Cōmentarijs rarò inductos reperies. Quis non miretur illam omnigenam Augustini eruditionē, quam in libris *de Civitate Dei* exhibet, in quibus ostendit, se quasi memoria tenuisse ferè omnia, quæ à Gentilitatis Authoribus sunt scripta; nullam ferè relinquit historiam, quam non referat; nullam fabulam, quam confinxerint Poëtæ, quam non memoret; nullum Deorum cultum, quem tenuerint, qui Religiosi videbantur, quem non inducat, aut attingat. At verò Sermones scribens, aut Sacram Scripturam exponens, aut Dogmata Fidei contra Hęreticos explicans, aut defendens, nullatenùs aliquid sæcularis eruditionis profert.

Tandem si verborum concinnitatem, Troporum pulchritudinem, figurarum, sententiarūque varietatem in meis hisce libris desideres, charissime Lector, nullosque Rethoricos flosculos invenias, nè mireris: profana etenim eloquentia, sermonisque elegantia nec polleo, nec eam vmquam professus sum; non quòd illam negligam, cum potiùs eam laudem, & in Sanctis, alijsque eloquentissimis viris venerandam arbitrer, ipsisque invideam potiori certè iure, quàm D.AVGVSTINVS, qui quamvis eloquentissimus, eloquentior adhuc fieri

Lib 1 contr. Crescon. Gramatic. cap. 1. [illegible]

desiderabat, dum inquit: * Vtinam mihi eloquentia ad explicanda ea, quæ sentio, pro desiderio provenisset.* Non scripsi, vt Lector verba mea dilaudet, sed vt attēta mente, animoque consideret sententiam, non quidem meam, sed quam ex Sanctis Patribus, Hieronymo nempè, Augustino, Leone Papa, alijsque Sanctitate pollentibus viris, optimęque notæ Scriptoribus hausi, quorum in verbis inveniet Lector quidquid optaverit; sequutus enim sum D.HIERONYMI con-

Lib. 8. in Isaiam in Proem.

silium, qui suæ spirituali filiæ Sanctæ Virgini Eustochio Cōmentarios *in Isaiam* mittens, eam præmonet, se non fastidiosis, quibus singula nauseam pariunt, sthomacumque movent, scribere, nec nimia eloquentia opus illud exornare: *Certè nos (inquit) studiosis scribimus, & Sanctam Scripturam scire cupientibus, & non fastidiosis, & ad singula nauseantibus. Qui flumen eloquentię, & concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Gallionem, Gabinianum: & vt ad nostros deveniam, Tertullianum, Cyprianum, Minutium, Arnobium, Lactantium, Hilarium. Nobis propositum est Isaiam per nos intelligi, & numquam sub Isaiæ occasione nostra verba laudari.*

Epist. 2. ad Nepotian.

Hinc idem Sanctus: *Non quæras à me (inquit) sententiarum flosculos, verborum lenocinia, & per fines capitulorum singulorum acuta quædam, breviterque conclusa, quæ plausus, & clamores excitent audientium. Audi igitur, vt B. Cyprianus ait, non disserta, sed fortia, non ad audientiæ popula-

Epist 2. ad Donat.

ris illecebram culto sermone fucata, sed ad Divinam intelligentiam prædicandam, rudi veritate simplicia: accipe quod sentitur, ante quam dicitur, &c.*

Casta igitur, ac simplici loquutione vtor, iuxta illud *Psalm. 11. Eloquia Domini, eloquia casta.* Et vti sapiens quidam dixit, dicendi ornamenta, & verba depicta, non esse militiæ, sed quietis. Igitur qui bellicum canit, qui exaltat *quasi tuba vocem suam*, qui irruentes hostes, mortem pręsentem intonat, horridum quid, & barbarum sonare debet, non tamquàm lyra, cytharavè carmen musicum suavi, dulcique sono canere.

Duplici ad id ratione commoveor. Prima est, quam eleganter tradit S. JOANNES CHRYSOSTOMVS miram Socratis sententiam adducens: *Philoso-

Digitized by Google

losophi, quidem (inquit) eloquentia indigna est, & viris prorsus: ludentium verò adolescentulorum, certamen, & gloria. Quod ipsis quoque Philosophis videtur: nec Philosophis quibuslibet, sed illi, qui omnes, & in arte superavit. Socrates est ille. Cum enim illum aliquando in iudicium introduxissent, rationem pro se redditurum, in ea oratione, quam ad Iudices habuit, ita illum ferunt loquẽtem: Vos autem ex me audituri estis omnem veritatem, & non tamen per Deos immortales, ò Viri Athenienses, orationem compositam electis verbis, & nominibus, vt faciunt, qui eorum studiosi sunt, neque aliquo ornamento fucatam: sed audietis dictis vulgaribus, vilibusque verbis loquentem. Credo enim iusta esse, quæ dico, nullusque vestrum aliter expectet; neque enim profectò, Iudices, huic ætati convenire videtur, veluti adolescentulo, fictis ad vos ingredi verbis.* *Lib. 3. contr. vituperat. vita Monastica.*

Secunda ratio, quæ me impulit, vt à sermonis elegantia, rethoricisque flosculis in hoc opere abstinerem, est, quam mirificè expendit S. GREGORIVS, suæque Morali Expositioni *in librum Iob* hisce elegantissimis, omnique attentione dignis, premissit verbis: * Quęso autem, vt huius operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras: quia per Sacra eloquia, ab eorum tractatoribus infructuosæ loquacitatis levitas studiosè compescitur, dum in Templo Dei nemus plantari prohibetur; & cuncti proculdubiò scimus, quia quoties in folijs malè letæ segetis, culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Undè & ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut huius quoque Epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs, motusque Propositionum, casusque servare contemno; quia indignum vehementer existimo, vt verba Cœlestis Oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hęc ab illis Interpretibus in Scripturæ Sacræ Authoritate servata sunt: ex qua nimirum, quia nostra expositio oritur, dignum profectò est, vt quasi edita soboles, speciem suæ matris imitetur.* *In Præfat. Moral. cap. 5.*

Quamquàm animum induxissem, amantissime Lector, vt hoc in Prologo, Operis scopum summatim, brevique in orbe tibi præfigerem: materiæ tamen gravitate, ac maiestate, notitiarumque penuria, qua circa huiusmodi historiam, in his pręcipuè Hispaniæ Regnis laboratur, adactus sum, longiùs quàm proposueram, meaque ferebat voluntas, orationem protendere, optatasque brevitatis transgredi metas, quò non modo ea, quæ duobus hisce libris, sed & quę in alijs, iamiam Prælo properantibus, continentur, pleniùs dignoscere possis. Quòd si diffusus sermo nauseam tibi pariat; intelligas quæso, alios esse libros, in quibus prolixitatis reperies plus, vtilitatis minus. Deindè si attentè consideres, calamitosa hac, vberrimisque deflenda lacrymis tempestate Divi Petri Naviculam, Infallibilemque Authoritatem, quam Apostolorum Pricipi, istiusque successoribus Romanis Pontificibus concessit CHRISTUS, ingruentibus Hæreticorum, istorumque sequacium procellis assiduè concuti, non miraberis, nos, qui Pastorali in Ecclesia munere fungimur, speculasque in Domo Domini tenemus, adstrictos esse, ac compulsos, sedulò invigilare, crebros latratus edere, elataque voce continuò clamare in lupos, qui Catholicum Ecclesiæ gregem infestant, CHRISTIQUE Vicarios in ipsa præsidentes ferino dente lacerare satagunt; ita vt cum D. HIERONYMO dicere possimus: *Canes latrant pro dominis suis; tu non vis, me latrare pro CHRISTO (eiusque in terris Vicario, seu vices CHRISTI gerente?) Mori possumus; tacere non possumus.* Vale.

Si ambigas de Episcoporum Alectensis, Apamiensisque Epistolis; necnon eius Vicarij Generalis P. Joannis Cerlê; non dubites, quin in Regestro Pontificatus Innocentij XI. inveniantur, cum ad ipsum Summum Præsulem sint directæ, ipsisque ab eodem Pontifice responsum. Quin etiam consule R. P. Cœlestinum Sfondrati S. Galli Abbatem in sua Gallia vindicata, Innocentioque XI. Pont. Max. dicata.

COMMENDATIO OPERIS, ET IN AVTHOrem grati animi demonstratio, edita ex proprio affectu à R. A.P. Mag.Fr. Hieronymo de Matamà & Rueda, Ord. Prædicatorum Magistro, in Academia Salmantina Sacræ Theologiæ Antecessore Primario, & celeberrimi Collegij Divo Stephano Sacri, Studiorum Regente.

AMABAM *Pompeium Saturninum* (a) *hunc dico nostrum; laudabamque eius ingenium, etiam antequam scirem quam varium, quàm flexibile, quàm multiplex esset; nunc verò totum me tenet, habet, possidet.* Hoc de te, deque me dictum, Præsul Excellentissime, mutatis nominibus, velim agnoscas. Huculquè enim affectu non modico prosequebar sublimitatem tuam, vnius mihi famæ vocibus notam, at vbi te ipsum, in tàm præclaro ingenij tui fœtu, propriùs, & incutè novi, pro certo comperi, quòd (b) *etsi magna Isæum fama præcesserat, maior inventus est.* Auxisti in opere famam. Nec mirum. Etenim (c) *rerum causæ semper in semine sunt, fructus editus producit authores.* Hoc meritò (d) *quam de Dignitate tua iam olim concepimus opinionem, istam semper ipse temporis progressus corroborat, imò & adauget.* Undè necesse fuit, vt pleniùs expertum, pleniùs colerem; quem vel minus cognitum, non minima tamen affectione prosequebar. Nunc ergo (e) *quia difficile est magna gaudentem, parva loqui, esse contentum*, patiaris, obsecro, Excellentissime Præsul, vt laxatis paululum amoris habenis, & tuum in te opus, & te in tuo opere, sin parcens modestiæ tuæ minus prædicem, non parcens voluptati meæ quadantenus demirer. (f) Non equidem hoc studeo, bullatis vt mihi nugis,

Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.

Alienum quippè ab ætate, moribus, & professione nostra, inani quempiam verborum assentatione demereri; quanto minus eum, cui cum vna veritas in cunctis placeat, in proprijs tamen meritorum præconijs, vel ipsa fortè displiceat? (g) *quid enim aut me ostentem, qui si vitam pro tua Dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum assecutus?* aut de te quid prædicem? Cuius (h) *sapientiæ, magnitudinisque animi est, omnem amplitudinem, & Dignitatem tuam, in tua virtute, atque in rebus gestis tuis, atque in tua gravitate positam existimare?* Ergo vt in tui admirationem, calamum quoquo modo tractem, non assentandi libido, minus autem ostentandæ eloquentiæ æstus, (quæ fortè pariunt hodie innumeros scribendi cacoethes) sed veriùs (i) *administrationis tuæ claritas, & fama virtutum, pietatis quoque Christianæ laudanda diligentia, & fida sinceritas, quæ tibi Divina munera, eo donante, gaudes tributa, à quo speras, promittente, potiora, excitaverunt me.* Addam, & quod amoris est, quia (K) *nihil mihi vnquam fuit optatius, quam, vt primùm abs te ipso, deinde à cæteris omnibus, quam gratissimus erga te esse cognoscerer.* Vndè occasione arrepta, non possum ea, quę sentio, vel silentio premere, vel hucusque pressa diutiùs detinere.

Sed (l) *vndè ad celebrandum encomia tua, ordiar? & quo te nomine verè, ac* pro-

(a) Plin. Iun. lib. 1. Epist. 16.

[b] Idem lib. 2. Epist. 3.

(c) Cassiod. lib. 9. var. Epist. 24.

[d] D. Basilius Mag. Epist. 52.

(e) Ennod. lib. 1. Epist. 5.

(f) Persius Satyr. 5.

[g] Cicer. lib. 1. ad Attic. Epist. 4.

(h) Idem ibi Epist. 5.

(i) D. August. tom. 2. Epist. 60 ad Cæcilian.

(k) Cicer lib. 1. ad Attic. Epist. 5.

(l) D. Gregor. Theolog. apud Basil. Mag. Epist. 114. ad Euseb. Samosaten.

proprie appellabo? An columnam, & stabilimentum Ecclesiæ vocabo? an luminare mundi, vt Apostolico more loquar? aut coronam gloriationis, sanæ Christianorum parti? vel donum Dei? vel patriæ fulcimentum? sive regulam Fidei? aut legatum veritatis? vel simul omnia hæc, hisque plura? Certè, quancumque ex his velim de te dicere, (m) *excellentiam, ex gestis tuis, quæ conspicua sunt, confirmabo.* Enimverò, quocumque nomine, (n) *laudes tuas scribere aggrediar, & maiorum seriem, quæ per te multum illustratur, evolvam, onerosum me forté, & impudentem videri posse, arbitror; qui tuis, ac tuorum prædicationibus, ingenium meum par esse præsumam.* Transeam igitur tui generis claritudinem; tuæ indolis splendorem; hanc quippè suspiciunt omnes egregiam inter virtutum Dogmata: illud reverentur cuncti splendidissimum inter Cathaloniæ stemmata. (o) *Huic denique generi superna faverunt*, tùm donis cœlestibus, tùm temporalibus commodis, tùm amplissimis honorum emolumentis. In illa autem indole (p) *gloriæ materiam quæsisse natura visa est*, vtpotè cui sic incubuere natura, & gratia, vt quamdam præseferat (q) *animæ, gratiæque contentionem, animi virtutem, & gratiæ miracula.*

(m) Idem ibi.
(n) D. Ambros. tom. 5. lib. 10. Epist. 84. ad Demetriad.
(o) Cassiodor. lib. 9 var. Epist. 22.
(p) D. Gregorius Nazian. Orat. de S. Basilio.
(q) D. Basil. ut Seleuc. Orat. 15. de David.

At te minus ista movent; nullaque prorsus elatione afficiunt: perpendentem vtique, modestissima genij vivacitate, quod (r) *genus clarum, corpus aptum, forma elegans, ingenium velox, eruditionis vtilitas, honestas morum, gloriosa quidem sunt, sed ei, á quo sunt.* Qua consideratione permotus, in ipso ætatis flore properasti, vt Deo redderes, quę sunt Dei. Tot mundi, Cælique dotibus, in Religionis gazophilatium inductis, cunctum sæculi splendorem Christi tholis, quasi pretiosum anathema, affixisti, ipsa planè iactura dives; ipso nobilitatis contemptu nobilior; ipsa denique claritatis abiectione clarior. (s) *Proindè benedictus tu in nobilibus, qui pro gloria certantibus cæteris, de contemptu gloriæ, gloriosius sublimaris, & sublimius gloriaris.*

(r) D. Bernard. Epist. 104.
(s) Idem Epist. 113.

Ex quo vero in Dominici Parentis schola, Christo, militaturus, nomen dedisti, avitam ipsam Nobilitatem generis, splendidiori virtutum stemmate cumulasti. (t) *Insignior planè, atque illustrior, quód de paucis factus es, quam quód ortus de magnis: illud namque, Dei munere tuum est, hoc tuorum.* Ergo in altero communem cognationis gloriam sortitus; in altero specialem tibi honorem gloriaris adeptus (u) *qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius, non est eius solius, sed communis videtur cum genere: qui autem clarus*, (scilicet virtutibus proprijs) *egreditur, tota gloria claritudinis eius, eius solius est.* Hoc tamen, adhuc illustrius virtus tua potuit, quod necdum te ipsum abineunte tirocinio, clarum reddidit, sed & ipsum generis splendorem, novo lumine, auxit. (x) *Nam sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat, ita præclara, de patribus egregie dicta, confirmat. Creditum est de his, omne quod legitur, dum præconia veterum, præsens docuit vena virtutum.*

(t) Idem ibid.
(u) D. Chrysost. Homil 3. in Matth. 3.
(x) Cassiod. lib. 3. var. Epist. 6.

Sequestra virtutum fama, in earum incrementis, nomen tuum pervulgare quantotius cœpit; quando enim non (y) *memorem famam, qui bene gessit, habet?* Fama igitur virtutem propalavit: virtus summam tibi apud cunctos gratiam peperit. (z) *Nulli non virtus & vivo, & mortuo, retulit gratiam, si illam bona secutus est Fide.* Hæc fuit eximiæ virtutis prima gloria, primum decus, prima merces (a) *in hac enim vita quædam merces virtutis est, conspicuum, & immortale testimonium.* In hac vita (b) *honestus rumor alterum patrimonium est.* Tantis ergo, & virtutis, & famæ pręludijs, generosa indoles tua studiorum exercicijs tradita, (c) *in auditorij officina, ingenij flamma recalente, egregijs aliorum formabatur exemplis, sed domesticis fœlicius producebatur imperijs.* Vbi enim provida Religio nostra, tot se, sapientiæ, atque virtutum ornamentis, in te vno ditatam agnovit, ad summa quæque evehere dignissimum properavit: non tam tuo sanè quàm ipsiusmet commodo; te quippè ad candelabri culmen evecto, habitura erat Magistrum, quem discipulum enutrierat; nactura parentem, quem educaverat prolem. Ecce vndè illi decus: vndè gloria. Namque si (d) *Civitatis ornatus maximus est civium laus*; si & (e) *magnum est Vrbi, & genti, primum aliquem virum protulisse*: Si denique incrementum prolis (f) *commune lucrum est familiæ;*

(y) Ovid lib. 2. Fastor.
(z) Senec. Epist. 80.
(a) D. Bernard. Epist 112.
(b) Senec. ex Pub. Mim.
(c) Cassiod. lib. 1 var. Epist. 6.
(d) D. Chrysost. Orat. 48.
(e) Aristid. ora. funeb. pro Alexand. M.
(f) D Chrysost. Homil 4 in Ep. ad Timoth.

liæ; adeò vt (g) *vnusquisque in filijs suis æstimetur*; quàm non in tua exaltatione habebit gloriam, quæ te, qua patria est, laudatissimum civem, qua Respubublica primatem virum, qua Parens denique acclamatissimā nanciscitur prolem?

Debitas sapientiæ, virtutibusque tuis, Magisterij insulas accepisti, quo nullum clarius sapientię, atque virtutum insigne. (h) *Quia hoc vocobulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum.* At in te non nominis vmbra, sed veritas, ita quippè Magistri nomen coęquasti meritis, (i) *vt omnia, quæ gesseris, Magister fecisse videaris.* Tanta namque ingenij, & morum dexteritate, multorum cœpisti insudare profectui, vt alij è Cathedra Thomam, è Pulpito alij faterentur, audire se Paulum. Vbique (K) *pro pretio labor est.* Vbique (l) *quod præponderat, hoc tibi Deus est.* Impensus es, & superimpensus, pro aliorum salute, & commodo, hoc semper præ oculis habens, quod (m) *impendendus homo est, Deus esse, vt possit in ipso.* Vbi igitur ex Cathedra dictas, (n) *semper ingenij vena respondet ad votum, ac veluti* (o) *apis acriter pungit, & mel conficit, sic anima ingeniosa, & acerrima viget, & doctrinæ suavitatem profert.* At vbi è Pulpito concionaris, (p) *æs candens est prædicatio accensa, sed de candenti ære scintillæ prodeunt, quia verba flammantia ad aures audientium procedant.* Quàm vberes animarum fructus, Evangelicus seminator attuleris, testatur penè Hispania tota, exaggerat & ipsa Matritensis Curia, in qua Apostolicus, aliquandiù mystes, vineam auxisti Dominicam, opere scilicet, & sermone potens; altiùs equidem tunc (q) *verbi semen germinat, quando hoc in audientis pectore, pietas prædicantis rigat.*

Tòt dotibus præditum, tòt sudoribus illustrem, tòt ornatum virtutibus, post alias egregiè peractas præfecturas, assumpsit te Dominicana Familia in Generalem sibi Præsulem, vel inuitum. Quippè (r) *humilitas nihil appetendo, totum, quod contemnit, adipiscitur.* Electus ergo es inter sublimes viros (s) *par omnibus, & hoc tantum cæteris maior, quò melior.* Ornasti meritis fastigium, gestis magisterium, moribus præfecturam. Apparebas interim (t) *metuendus severitate, benignitate venerandus, authoritatis censuram humilitatis mansuetudine temperans, minabatur quandoque frontis austeritas, sed cordis serenitas blandiebatur: ac sic conveniente in vno, diversitate gratiarum, Paulus apparebas in vultu, Petrus in spiritu; illius districtionis, huius eras pietatis æmulator.* Nacte nova virtute Præsul,

(u) ——————————— *sic itur in alta*
Pectora; sic misto reverentia fidit amori.

Sub Præsule tanto crevit Familia nostra, fautorem Deum in tàm sancto regimine nacta. (x) *Vbi enim Deus, ibi gravitas honesta, & diligentia adtonita, & cura solicita, & ad lectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.*

His virtutum fructibus, sub te Generali Magistro, floruit Familia nostra, non tàm monitis tuæ eloquentiæ instructa, quàm vitæ tuę exemplis admonita. In vno enim te compertum est, quòd (y) *Magisterium stat ex scientia; sed Magistri authoritas constat ex vita.* Ergo sic sapientiæ, virtutisque tuæ apud omnes fama percrebuit, adeòque Maiestatis Catholicę Regias perculluit aures, vt dignissimum censens Episcopali fastigio, ad Valentinam vsque Sedem meritissimum Archipræsulem evexerit. Sic modestia tua (z) *quantò plus se deijciebat, tantò magis a Christo sublevabatur; latebat, & non latebat. Fugiendo gloriam, gloriam merebatur: quæ virtutem quasi vmbra sequitur; & appetitores sui deserens, appetit contemptores.* Novo honoris incremento, cœpisti gloriosiùs illucescere; non, quòd honore maior, quia (a) *magno nil magnum est*, sed quia in honore, meritis, & virtute præstantior; quippè (b) *electi viri cum splendorem Dignitatis percipiunt, tunc maximè per exempla se proferunt.* Mores igitur, in Pontificij sublimitate positus, adeò tuis, Monasticis, nimirum, similes, geris, vt (c) *qui iam dudum in Abbate Pontificem gesseras,*

(g) D. Ambrosi. in Gloss. ad Eccles. 11.
(h) Cassiod. lib. 6 var. Ep. 6.
(i) Idem ibid.
(k) Manil. lib. 4. Astron.
(l) Origen. Homil. 1. in Iudic.
(m) Manil. 4. Astronom.
(n) Petrus Raven. in Ep.
(o) D. Hieronymus in Eccles. 11.
(p) D. Gregor. Mag. Hom. 3. in Ezechiel.
(q) Idem ib. Homil. 11.
(r) D. Ambros. li. 7 in Luc.
(s) Plin. Iun. in Paneg. ad Traian.
(t) Euseb. Gallican. Hom. de laudib. D. Maxim.
(u) Stat. lib. 1. silv 4.
(x) Tertullian. lib. de præscript. adversus Hæretic. cap. 45.
(y) D. Petrus Chrysolog. Serm. 167.
(z) D. Hieronymus Epitaph. Paulæ.
(a) Senec. Epist. 8.
(b) D. Gregor. Mag. in 1. Reg.
(c) Euseb. Gallican. vbi sup.

ras, postmodum Abbatem in Pontifice custodias; negl ctor quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, honoris impatiens, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia.

Alij ad Dignitatis culmen evecti, instar quassati vasculi (d) *apparet quàm perstillent*, non capientes gloriam, vel ictu maiestatis attoniti. (e) *Nec enim plus aliquid humiliat potissimos, quam obtenta sublimitas.* At tu, non minus tui, quàm celsitudinis compos, adeò fastigij capax, fastigium implesti, quod (f) *nemo sit tam tui, quam ignarus sui, vt locum ipsum post te concupiscat.* Aliorum Præsulum *salus, ac securitas*, (g) *in æquilibrio posita est*, aucta, imperandi difficultate, periculo; at tu, qui in Dignitate merita auxisti, meritis Dignitatem firmasti; sic egregia virtus (h) *luce lustrata, potius illam illustrat, quam ab ipsa lustretur.* Sed quidni, discrimen culminis, & tollas, & firmes? Te enim (i) *ad Pontificalem apicem gravitas, pudor, pudicitia, venustas adduxit: qui tot dotibus, velut in acervum coactis, canam Dignitatem præsentis efficij suscepisti; habens tantarum honestamenta virtutum, quantarum singulæ probatum facerent species Sacerdotem.*

Sed ad tam alta capaci (k) *nunquid non succedent occupationes novæ? Ex vna exeunt plures.* Adeò enim egregia est tui pectoris amplitudo, vt ibi, sine dispendio, misceri potuerint (l) *spiritualia corporalibus, summa imis; vt pariter sapiat ea, quæ sursum sunt, & quæ super terram.* Addidit igitur Regalis electio Pontificatui tuo (m) *terrenam Curiæ claritatem; vt per annorum numerum decurrat gratia Dignitatum, & beneficijs Principum sacretur memoriæ sæculorum.* Qui mirabantur antea in Episcopo virtutem, in Pro-Rege postea obstupuere dexteritatem. Tàm sceptro natus apparuisti, quàm baculo. Sic tua Prudentia (n) *reddere personæ scit convenientia cuique.* Nec facilè solet in alijs dispar hęc cura fœlicitari, aut sacra simul, & prophana, ęquo prudentię moderamine geri; quippè (o) *aliud fori ius, aliud triclinij*; quarè Justin. Imp. sanxit, non decere plures Magistratus ab vno simul geri; (p) *cum vnicum ab vno optimè perficiatur opus.* At tu vtrique imperio summus, vtrique par; quia in vtroque nil (q) *in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi vt prodesse tantumdem posses, & velles*: qua regiminis forma effectum est, vt egregium te in dissimili imperio, mirarentur omnes; altior etenim (r) *disciplina imperandi, est amare quod multis expedit.*

Geminatis igitur Dignitatibus, quasi geminis alis evectus, ijs ipsis pro lampade vsus, fulgorem, & lucem sparsisti, ob hoc scilicet datus (s) *in lucem gentium, vt sis salus.* Ipsa in te (quod ratum est) altitudo, proficiendi alijs fuit occasio. Similis planè Hercynijs avibus (t) quę vti ad volatum pennas explicant, ipsarum splendore tenebras fugant, & viarum ambagibus pro face sunt. Ergo publica salus (u) *sola erat ratio, quæ te publicæ salutis gubernaculis admoveret.* Totum te cunctis exhibebas, vnicum singulis; ita suis providentem negotijs, habebant omnes, vt ille minus de tua liberali Providentia acciperet, qui minus quæreret. Instar enim laci illius Siculi, visa semper est tuę pietatis (x) *aqua, si quis eam lavandi beneficio ingreditur, in latitudinem crescere, si verò rursus abluerit, longè diffundi.*

Animo inter tot curas distento, quis crederet superesse ingenio vires ad scribendum? Cingulum enim cingulo coniungere, duabusque militijs nomen dare, & vetus Roma cavit (y) & Justinian. Imp. (z) prohibet. Nunc vero, quomodo Jovis sceptra gerens, Palladis insudet arcanis? (a) *neque enim bona fide, simul se intendere animus totum potest, & quocumque respexerit, desinit intueri, quod propositum erat.* Verumtamen (b) *cesset nunc illa satyris Doctoribus quærulis vsurpata sententia, quia duabus curis ingenium non debet occupari. Ecce iam habere tolerabile probantur hospitium*; imò egregium: altissimo ingenio tuo, ita ad Jovis munia consummato, ac ad Palladis exercitia perfecto.

(c) *Sic tibi, nec docti desunt, nec Principis artes,*
Mista sed est animo cum Iove Musa tuo.

Ecce nunc inter multiplices curas, otium sublime nactus, negotij sublimis opus aggrederis, perficis, luci donas. Quarè, nisi quia (d) *quod alijs opus est,* hoc

(d) *Plutarch de O: t r.ne.*
(e) *Ennod lib. 9. Epist 35.*
(f) *Plin. in Paneg ad Traian.*
(g) *D. Gregor. Naz. orat. 1.*
(h) *Petr Cellens. lib de Pan. cap. 6.*
(i) *Ennod. in Paneg. Lau ent. Episc. Mediolan.*
(k) *Senec. Epist. 71.*
(l) *D. Bernard. Serm 6. in Asc Dom.*
(m) *Casiodo lib. 2. var Ep. 1.*
(n) *Horat. in Art Poetic.*
(o) *Ennod. lib. 1. Epist. 5.*
(p) *Leg vlt C. de assef.*
(q) *Plin. Senior Præfat. ad Vespas.*
(r) *Casiodo lib. 9. var. Ep. 10.*
(s) *Isaia 49. v. 6.*
(t) *Solin. in Polihist.*
(u) *Plin. iunior Paneg ad Traian.*
(x) *Arist lib. de admir. aud.*
(y) *Tit. Liu lib. 40. de bell. Maced.*
(z) *L. 5. C. qui milit. poss lib. 12.*
(a) *Quintilian. lib. 10. ca. 3.*
(b) *Casiod li. 9. var. Ep. 12.*
(c) *Ovid lib. 4. de Pōt. Eleg. 8.*
(d) *Idem ibid.*

hoc tibi lusus erat? Sed lusus planè, vel egregio aliorum operi preferendus. Lusus, quo mirentur omnes, tàm Authore, quàm luce dignissimum opus. Denique opus, quod si ipsi Authori conferam, licet tot titulis maximo, adeò excellit, vt penè consideranti, extorqueat Tertullianicam illam de Pompeiana Porticu, exclamationem, (e) *Pompeius magnus, sed solo Theatro suo minor.* Vel enim nulli, vel tuomet videris operi postponendus; nam in alijs, te ipso contentus, omnes vincis; in hoc & suprà te factus, te ipsum superas. Minus ergo iam mirandum quod scribas; imò quod iam diù non scripseris, mirabile. Nam si,

(e) Tertullian. lib. de specta cul. cap. 10.

(f) *Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error,*
Scribendi rectè, sapere est principium, & fons;

(f) Horat. in Art. Poetic.

quamdiù suspensam detinuisti calamum, obturatum miramur altioris sapientiæ fontem. Nunc autem vbi Prælum fatigas, & in plateis aquas tuas dividis,

(g) *Sive aliquod morum, seu vitæ labe carentis,*
Est pretium, nemo pluris emendus erit.
Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes;
Quælibet eloquio fit bona causa tuo.

(g) Ovid lib. 1. Trist. Eleg. 8

Fulget sanè in tuo opere, & dignitas materiæ, & styli gravitas, & ingenij fœlicissimi subtilis pariter, ac fertilis vbertas (h) *est enim opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum etiam, & cum magna tua laude, diffusum.* Eius materia, & scopus, est propugnare (i) *sanctum, ac communem Patrem nostrum, tanquam Fidei fulcimen, veritatis Canonem, atque Ecclesiæ caracterem.* Ecce tanto Authore dignissimam materiam. Quid enim dignius Ecclesiæ Principe, quam Ecclesiæ defendere Principem? Quid Dignitati Ecclesiasticæ honestius, quam Ecclesiasticam tueri Dignitatem? Nimirum hoc solo nomine, celeberrimus fertur, inter Pontifices Azarias. (k) *Ipse est,* (ait Textus) *qui sacerdotio functus est, in domo quam ædificavit Salomon.* Sed quid? ipse nè solus est, qui tantam sibi Dignitatem afferat? Certè plures alios eadem ornatos fuisse infula, & in eodem Templo, perspicuum est. Sed forsan iste, si non inter cęteros solus, at inter omnes egregius, inter egregios summus. Scilicet, (l) *quia zelo Dei ductus, cōstanter restitit Oziæ Regi Iudæ, volenti* (m) *thurificare.* Ecclesiasticam ergo Dignitatem asserens, eadem præ fertur omnibus Dignitate: cōmunem Sacri Ordinis maiestatem propugnans, illæsam, sartam, tectamque, sibi vendicat Sacri Ordinis gloriam. Adeò Sacerdotum Antistitem, & decet, & fas est, Summum asserere Sacerdotium.

(h) Plin. Iunior lib. 4. Epist. 20.
(i) D. Basilius Mag. Epist. 88.
(k) 1. Paralip. cap. 6.
(l) Nicol. de Lira ibi.
(m) 2. Paralip. cap. 26.

Ecclesiam hodie, ipso in vertice, cominus impetitam deflemus, heu! non tantū ab hostibus, sed ab his, qui se iactitāt filios primogenitos. Instaurato sanè Iulianico illo Emblemate (n) quo Aquila ipsis trāsberveratur telis, quę suis texuerat ipsa plumis. At talem in tuo opere, Dignitati summæ statuam erigis, vt necdum cadat, quæ Prototypon impetat, sed vel ipso marmore prostrus corruat. Sic clarissimus Athleta Theagenes, iam se ipso, iam sua effigie victor opprefsit hostem. Etenim (o) *ex eius inimicorum numero, quidam, ad eius statuā noctu qualibet accedens, eam flagris cædebat, non aliter, quam si in eo ære ipsum viventem vlcisceretur, sed hominem statua subito casu oppressit.* Audebit forsan malè sana quorūdā Heteropoliticorū mēs, opus istud, tui ingenij imaginem, seu veriùs, Ecclesiastici Solis Colossum, tenebricosis ictibus percellere, sed obruta planè concidet, machinæ ipsius pōdere castigata. Vinces sanè, & revinces obvias calamorum prurigines, Stymphalidum instar omnia infestantes; ipsisque tibi coronam nectes; Sirenas enim (p) *in cantus certamen, Musas provocare ausas, victis Musas, pennas ex alis convellisse, deque illis coronas sibi fecisse, credidit vetustas;* sed verum in te experietur hæc ætas.

(n) Ioan. Bodinus in Embl.
(o) Pausanias in Eliacis, lib. 2.
(p) Pausan. in Bœoticis.

Materiæ celsitudini respondet eruditionis vbertas; proferens enim de thesauro tuo nova, & vetera; sic veterum Authoritates congeris, vt novis vel errorem auferas, vel splendorem accumules. Est enim veterum Authoritas sanctissima, solidæque doctrinæ præsentissima veritatis norma. Hinc Delphicum oraculum rogāti Ætymno, & suæ Reip. apprecanti commodum; respondit (q) *benè eventurum, si plurium* (id est mortuorum) *consilio, Civitas vsa fuisset.* In antiquorum namque monitis, & doctrina solidior, & veritas purior. At non sic planè, non sic, recentes quidam Magistri, qui prurientes auribus, & veterum Patrum, seu minus atten-

(q) Pausan. in Atticis.

Digitized by Google

attendentes, seu (quod deterius, & insolens) contemnentes scripta, totius Theologiæ confudere Dogmata. Quod si ita non est (r) *cur dissenserunt & à Magistris discipuli, & inter se condiscipuli, nisi quia vt homines, humanis sensibus, & humanis rationibus, ita quæsierunt?* Aliá ergo tibi trita via, quæ & nobis communis semita; qui scilicet verissimam doctrinam, verissimis semper, & probatissimis Authoribus roboramus; & vnam veritatis formam, vno veterum consensu depingimus. Undè (s) *Authores nostri, in quibus non frustra Sacrarum Scripturarũ figitur, & terminatur Canon, absit vt inter se aliqua ratione dissentiant.*

(r) D. August. lib. 17 de Civit. Dei cap. 41.

(s) Idem ibid.

Stylus, & Authori convenit, & materię. Non enim bullatis florum nugis oppletus, quibus veritatis lux vel obscuratur, vel difficilis redditur, quod hodie frequens in pluribus, in quorum libris, vti in Ætna, venari veritas vix potest, floribus ipsis sagaciora ingenia deludentibus. Quippè (t) *apud Ætnam sagaces canes odoratu carent, naturam sensus, florum odore superante.* Alij hunc scopulum fugientes aliorsum peccant; austera quippè & penè barbarica dicendi forma, minus gratam reddunt materiam, alioqui ingeniosam: similes sanè pictoribus illis (u) *quorum opera cum admiraretur* (Apelles) *collaudatis omnibus, deesse ijs vnam illam venerem dicebat, quam Græci Charita* (id est venustatem) *vocant.* At tui dexteritas ingenij mediam, eamque aptissimam tenuit viam; ita scilicet temperato stylo, vt nec lepore careat, nec nimia venere defluens, veritatem obscuret. Sed ita in amœnissimi styli maiestate veritas rutilat, vt in ipsa quādoque luce venustissimè lateat: quippè profundissimus vbique sensus, plura sæpè involvit, quam primo intuitu prę se ferat; vtque de Thimante Plinius, in omni opere tuo (x) *intelligitur plus semper, quam pingitur; & cum ars summa sit, ingenium tamen vltra artem est.*

(t) Cœl. Rhodig. lib. 10. lect. antiq. cap. 10.

(u) Plin. Senior lib. 35. hist. cap. 10.

(x) Idem ibid.

Numeris igitur omnibus absolutissimum contemplor opus, quo fœlix ingenij summi vis, & admixta subtilitati eloquentia (y) *procemiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelse; postremò docet, delectat, adficit.* Si quę difficultates erūpunt, eas non tàm solvere, quàm penitus dissolvere videas; vti Sol nebulas non tàm abigit, quàm dissipat; non tam fugat, quàm destruit. Sic clarissimus Author noster, adversantium evasiones propalādo intercipit, invasiones retundendo devincit, nimirum (z) *pro hasta habens os promptum, pro sermone gladium, pro clypeo vocem.* Nil perfunctoriè tractat, nil summis, vt dicunt, labris, attingit, quod momentum ad materiam facessat; sed ità pro meritis cuncta disserit, vt scopum non tàm collineare, quàm veluti monstrare digito, cernas. Non enim excelso ingenio (a) *ostendisse nimis est*, nisi & vivis, & dignis coloribus, oculis depingat ostensa. Ergo vt tantum opus, avidissimè inspexi, semelque, & iterum, nec sine fructu, evolvi millies, Excellentissimè Præsul;

(y) Plin. Iunior lib. 2. Ep. 3.

(z) Dionys. lib. 13. de Nonno.

(a) Manil. lib. 4. Astron.

(b) ——————— *totà mihi mente, tibique*
Gratulor ingenium non latuisse tuum.

(b) Ovid lib. 1. de Trist. Eleg. 8.

Nec dubità, hanc optimi cuiusque futuram mentem, iam enim tanti visendi operis cunctos credas anxietate teneri (c) *quia bonarum rerum celerrima semper desideratur agnitio.* Undè nostra interest, rogare obnixiùs, vt operi tàm inclito, publicam quantocius lucem permittas. Estò enim (d) *responsura tuo numquam est par fama labori*; attamen (e) *grata res est, cuncta profutura vulgare, vt generale fiat gaudium, quod potuit esse votivum.* Iterum ergo, atque iterum (f) *salve Ecclesiarum sydus*, & vt talibus Ecclesiam fulcias, & ornes, *ad senectutem bonam, Abrahæ æmulator accede; quia testimonium probitatis est, diu hominem in Ecclesiastica arce servari.* Sic frequenti, pioque desiderio, & oro, & opto. Ex Collegio D. Stephani Salmātino, tuo pariter, & nostro, & eo celebriori, quo tuo, decimo Calend. Ianuarij, Anno reparatæ salutis M.DC.XC.

(c) Cassiod. lib. 11. Ep. 14.

(d) Horat. lib. 2. Sat. 8.

(e) Cassiod. lib. 9. Epist. 16.

(f) Ennod. in Paneg. Laurent. Episc. Mediolan.

Excellentissimæ Sublimitatis Tuæ

Obsequijs, & Devotione addictissimus Servus,

M. Fr. Hieronymus de Matamá & Rueda,
Ord. Prædicatorum.

R. A. P.

R.A.P.M.Fr. IOANNIS DE LA CONCHA, *Sacræ Theologiæ Magistri numeralis, Provinciæ Hispaniæ, Ordinis Prædicatorum, cum Authoris, suppreso nomine, opus nondum completum vidisset.*



OBVIJS (quod aiunt) vlnis, Excellentissime, & Illustrissime Princeps, scripta recepi, nec facilè diebus multis è manibus meis deposui; in quibus tàm gaudio, quàm admiratione decisam, tot à sæculis agitatam quæstionem, circa Summi Pontificis Authoritatem in definiendis extra Concilium Fidei rebus, necnon iustam Capitis Ecclesiæ defensionem, legi. *Multis hodie*, aiebat Gerardus ab Hamont Carthusianus, *mundus abundat libris, vt tempora illa esse à Daniele signata videantur, in quibus multiplex erit scientia.* Sed nescio, an omnes, vt vnus iste continens quidquid sanæ Doctrinę, quidquid Authoritatis, quidquid rationis excogitari, & legi in singulis valebat, ita vt in manifesta pagina pandatur CHRISTI pectus, & Bibliotheca, in qua Sacra Litteræ docet, Concilia prædicant, Traditiones Sanctæ clamant, Ecclesiæ Patres vociferant, præcipui Theologi subscribunt, supremum Fidelium Caput non indigere Concilio, vt definiat quidquid illi Divinus inspiraverit Spiritus. *Multiplex*, aiebat Daniel, *calamitosis temporibus erit scientia*; (& quia non vna tot libri) sed de hac materia, his nubilis temporibus, multi futiles, & perniciosi, atque execrandis referti dogmatibus, Gerardo Carthusiensi loquor, quæ potiùs plus doli, ac veneni, quàm bonæ frugis, ac remedij pariunt. Qua in re quis non pius vigilet? Quis non doctus laboret, vt impietatem coerceat, cæcitatem auferat, eversos erigat, nutantes firmet, & per devios ad rectum reuniat iter? En tibi lector (quisquis sis) BRACHIUM ECCLESIÆ DEXTRUM (sic enim Dominicana Familia à Supremo Fidelium Pastore honorata) pro Capite ictibus appositum.

Minimè de Authore Epistola tua me fecit certiorem. Sed iudicio meo non errante, alterum fuisse Thomam scribentem censerem, dum in argumento adeò vero, Catholico, arduo, ac sensibili, arguat sine ira, convincat sine strepitu, scribat sine fastu, ac superbia. Alterum iudicet Lector Thomam, (si non Thomam) dum pro Ecclesiæ Petra, & ipse Comes PETRALATA se ad defendendam illam totus in studio, non parcens oneri, nec Ecclesiæ immemor, omnibus anhelat viribus. O Pater Religionis, quæ tibi non debet adhuc ab incunabilis nostra Sacra Familia! Unus es, & omnes, quia omnes formasti, (hoc enim nomine Prælatus, & Pater, à Divo insignitur Petro) & adhuc, Amantissime Domine, dum pro Religionis onere certas, gemunt tot Typographorum Officinæ Libris, & adhuc sitis durat. Sed ignoro, quo Authoris tendit Iudicium; verè iudico Authorem per librum. In tanta enim eruditione, lectura indefessa, notitia singulari, quid vobis videtur, nisi Thomas scribens? Omnes honorat, sine adulatione; omnes convincit, sine rixa; omnibus satisfacit, absque satisfactione propria; doctus humilis, modestus, cautus, & fortis. Hic est liber, &, si mihi permitteretur, Censura; hic est Thomas pro Religione sua, pro Capitis Ecclesiæ honore, & Doctrina membrorum, vtique dicerem. O! vivas per Nestoreos annos, & rependant tibi, quotquot hunc Thesaurum invenerint, fœlix seminator illius; infœlix ei contradicens. Ita sentio. In Conventu Sancti Thomæ Matritensis, die tertiadecima Decembris, anni Domini millesimi, sexcentesimi, nonagesimi.

Excellentissime Princeps,

humillimus, & addictissimus filius

Excellentissimæ, & Illustrissimę vestræ Dominationis,

Fr. Ioannes de la Concha, Mag.

LIBER

LIBER PRIMVS
DE
ROMANI PONTIFICIS
INFALLIBILITATE IN REBVS FIDEI DEFINIENDIS EXTRA CONCILIVM.

GRAVISSIMA Catholicos inter, & Hæreticos circa Romani Pontificis Infallibilitatem, semper extitit controversia, quæ præcipuè à Constantiensis, & Basiliensis Concilij temporibus ad hanc vsque ætatē vtrinque acriter decertatur; Hæretici enim, vtpote infensissimi, Pontificiæ authoritatis inimici, negativæ assertioni tenaciter adhærent; Orthodoxi vero, quorum Catholica inest visceribus Religio affirmativæ constantissime pro aris, & focis insistunt. Vtriusque partis sententias adducemus nostrum deinde prolaturi iudicium.

CAP. I.

RECENSITIS sententijs nostra proponitur conclusio.

1 NIlus, nō ille qui S. Abbas, sed alter impius Hæreticus, in libro, quem *adversus Papæ Principatum*, composuit, Pontificem in hæresim labi posse, si extra Concilium definiat, apertè tuetur.

2 Magdeburgēses Centuriatores multos nævos, erroresque Romanis Pontificibus (vt videbimus postea) attribuunt.

3 Idem sentit Calvinus, qui *libr. 4. Institutionum, cap. 9.* §. *9.* animam rationalem mortalem esse à Pontifice, cum Cardinalium consensu, definitum fuisse, affirmat.

4 Eundem errorem sequuti sunt Vbitakerus, Sutlivius, & præcipuè Magister Antonius de Dominis Spalatensis Episcopus, qui *de Republica, lib. 7. cap. 5. num. 25.* de Romanæ Sedis authoritate solito more blasphemans ait: * Inerrabilitatis donum, præsertim circa supernaturalia, non omnibus post lapsum concessum esse, illud tamen habuisse Apostolos, & Ecclesiam in genere.* Et in eodem numero asserit: * Pontifices hac ipsa prætensione non errandi, pernicioso errore teneri.* Et paulò post impudentius adhuc asseverat hoc axioma: * Papa in docenda fide errare non potest exibilandum esse, & inter stultorum deliramenta censendum.* Verba certè effrænis Hæresiarchæ proprijssima, & quæ non ab alio, nisi ab impio sceleratoque Apostata proferrentur.

5 Sed quod sine commisseratione dici nō potest, non Hæretici modo, & veræ Fidei, Religionisque Catholicæ desertores, & transfugæ, Supremam Romani Pontificis authoritatem, eiusdemque in rebus Fidei de-

definiendis Infallibilitatem falsissima hacce opinione lędere audent, ac violare; sed Authores etiam, qui ratione Status, & Professionis inter Catholicos annumerantur, illi subscribunt; vt videri potest in his, qui in Basileensi Conciliabulo congregati ad illius calcem hæc verba apposuerunt: * Nulli hominum, nec Summo quidem Pontifici datum privilegium, vt errare non possit in iudicijs Fidei, sed soli Ecclesiæ.*

6 Almaynus, (qui ante Calvini & Lutheri tempora scripsit) *de Potestate Ecclesiæ, cap.8. ad 6.* Et iterum *de Dominio Civili, & Ecclesiastico, conclusione 3.* hæc habet: * Determinatis per Summum Pontificem non est necessario credendum (quamvis non sit oppositum publicè dogmatizandum) nisi manifestum sit ex Sacris Litteris, ex revelatione, aut determinatione Concilij.* Et infra: * Papa, nedum vt privatus Doctor, sed etiam vt Papa potest errare sententiando in materia Fidei.*

7 Idem tenet Gerson, Parisiensis Cancellarius, *de examine Doctrinæ, consideratione 3.* vbi sic scribit: * Determinatio solius Papæ in ijs, quæ sunt Fidei, non obligat vt præcisè est talis, ad credendum.* Et *Tract. de sensu litterali Sacræ Scripturæ, Prop. 1.* * Nec Papa, nec Episcopus aliquis est ita confirmatus in Fide de lege communi, quin possit errare.*

8 His adhęret Driedo, qui *lib. 2. de libertate Christiana, cap. 2.* docet: * Ideo etiam plerumque licere examinare litteras mandatorum Papæ definientis aliquid credendum esse, aut Fide tenendum.*

9 Prædictis consonat Alphonsus de Castro dum *lib. 1. cap. 2. contra Hæreses*: * De quolibet, inquit, alio Papa præter Beatum Petrum prima conclusio sit: Nihil prohibet Papam errare, etiam in Fide, ac deficere, etiam si quidam novitij Scriptores ausi sint oppositum defendere (præter communem sensum Doctorum) & Papa cum amittit Fidem, amittit etiã Papatum.*

10 Gloriabundus exultans Spalatensis *lib. 7. de Republica, capite 5. numero 28.* & post allegationem argumenti huius, ex authoritate Scolasticorum exclamat versutus: * Væ tamen illi, qui sub vnguibus Romanę Curiæ, & Inquisitorum assereret, Papam errare posse, si sine Generali Concilio definiat, & non esse credendum quidquid Papa solus ex Cathedra definit, ferrum experiretur, & ignes.* Et multa alia ibi, plena mortifero veneno, obloquitur dictus Spalatensis Fidei Apostata.

11 Sed isto Hæreticorum, aliorumque ipsis subscribentium, errore omisso, referam modo communem Catholicorum Sententiam huic errori penitus oppositam. Orthodoxi igitur communiter docent Summum Pontificem per se ipsum, absque Generali Concilio, seu extra illud, in rebus Fidei definiẽdis Infallibilitatis privilegio gaudere, si vt Pontifex, seu ex Cathedra decernat, vel vt publicus Doctor Ecclesiam doceat.

12 Verum esto ista sit communis Catholicorum Authorum doctrina; scire tamen oportet ad quem certitudinis, & Infallibilitatis gradum perveniat. Eminentissimus Cardinalis Bellarminus *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 2.* quattuor refert Opiniones:

* Prima est, Pontificem, etiam vt Pontificem, etiamsi cum Generali Concilio definiat aliquid, posse esse hæreticũ in se, & docere alios hæresim, & de facto, aliquãdo ita accidisse. Hęc est Hæreticorum omnium huius temporis, & præcipue Lutheri, *lib. de Concilijs*, & Calvini *lib. 4. instit. cap. 7. §. 28.* Et in eodem *lib. cap. 9. §. 9.* docet, etiam cum Generali Concilio Papam errare posse.

13 Secunda opinio tenet Pontificem etiam vt Pontificem, posse esse hæreticum, & docere hæresim, si absque Generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem sequitur, & tuetur Nilus in suo lib. adversus Primatum Papæ. Eandem sequuti sunt aliqui Parisienses, vt Gerson & Almaynus, & alij, qui omnes nõ in Pontifice, sed in Ecclesia, sive in Concilio Generali tantum constituunt infallibilitatem iudicij de rebus Fidei.

14 Tertia opinio est in alio extremo, Pontificem non posse vllo modo esse hæreticum, nec docere publicè hæresim etiam si solus rem aliquam definiat. Ita Albertus Pighius libro 4. Hyerarchiæ Ecclesiasticæ cap. 8.

15 Quarta opinio est quodãmodo media: Pontificem (sive hæreticus esse possit, sive non) non posse vllo modo definire aliquid hæreticum à tota Ecclesia credendum. Hęc est communissima opinio fere omnium Catholicorum.*

16 Et in fine illius capitis hoc de illis quatuor opinionibus iudicium profert: * Ex his quatuor opinionibus prima est hæretica; secunda non est propriè hæretica (nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari, qui illam Sententiam sequuntur) tamen vi-

de-

detur omnino erronea, & hæresi proxima.*

17 Huic Cardinalis Bellarmini Censuræ cõsonat Andreas Duvallius Parisiensis Doctor, *tract.* namque *de Romani Pontificis Infallibilitate, part.2. quæst.* 2. hæc scribit: *Etiam si de Fide esse nõ videatur, saltẽ non ita evidenter constet Summum Pontificem seorsim à Concilio, privilegio Infallibilitatis licet agat vt Pontifex, gaudere, id tamen absolutè certum est, & indubitatum, siquidem Spiritus Sanctus ne vel minimus error in difiniendo obrepat, ipsi perpetuo adest.* Hæc ille.

18 Magister Dominicus Bañez, Ordinis Prædicatorum, Primarius Salmanticensis Professor, maiorem Sententiæ huic de Romani Pontificis extra Concilium infallibilitate, certitudinem tribuit; etenim 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *rub.*2. asserit pro conclusione: * In publico Fidei Iudicio non potest Summus Pontifex errare.* Et infra: * Quo circa arbitror hanc Conclusionem, tamquam Apostolicam traditionem esse tenendam, & quidem vt talis haberetur ab omnibus Fidelibus, nisi à tempore Concilij Cõstantiensis in agro Domini inimicus homo, idest diabolus, zizaniam superseminasset, etenim vsque ad illa tempora soli Græci errabant in hac parte, atque ita D. Thom. in Opusculo contra errores Græcorum, tanquam singularem Grecorum errorem narrat. Et proculdubio si quæstio hæc ad Concilium legitimum deferretur, non dubito quin prædicta Conclusio definiretur tanquam vera Fides, & cõtraria anathematizaretur. Quin potius existimaverim quod iam est definita à Leone X. In Bulla contra Lutherum, art. 28.* Hæc ille.

19 Ad eundem certitudinis gradum Sententiam istam evehit, & extollit Cardinalis Turrrecremata, eiusdem Prędicatorij Ordinis illustre decus dum *de Ecclesia, lib.* 2. *cap.* 110. *in fine*, sic in oppositam vehementer insurgit: * Ex quibus patet quam temeraria, quamque à Christi, & Sanctorum Patrum Doctrina aliena assertio adversariorum sit asserentium Apostolicæ Sedis iudicium in his quæ Fidei sunt non esse certum, non esse firmum, sed defectibile, & deviabile: & de facto quandoque deficere, & errare. Qui error perniciosissimus, vtpote qui Sedis Apostolicæ definitiones, Fidei declarationes, Hæreticorum damnationes, Canonum confirmationes, Sanctorum Canonizationes, dubias, & ambiguas, & perconsequens suspectas de falsitate reddens, Fidem enervat, & Christianam Religionem maculat. Hic error fuit communis omnibus Hæreticis, vt depressa Apostolicæ Sedis authoritate licentiori præsumptione, & audacia, in suis grassarentur erroribus.* Hęc ille.

20 Doctissimus Dominicus à Sãcta Trinitate, Carmelitani Ordinis Discalceati fulgens sydus, in sua *Theol. Biblioth. lib.* 3. *cap.* 16. *sect.* 4. sententiam illam varijs explicat, & elucidat assertionibus; in prima sic scribit: * Quoties Pontifex Romanus aliquid in re dubia ad Fidem totius Ecclesiæ spectante, vna cum Concilio Generali decernit, vt toti Ecclesiæ credendum, nullo modo errare potest. In hac conclusione tamquam de Fide omnes Catholici adversus huius temporis Sectarios consentiunt.*

21 In secunda, quę ad dificultatẽ, de qua agimus, proprius accedit, sic loquitur: * Summus Pontifex seorsim à Concilio Generali, si se gerat vt Pontifex semper est audiendus, eique parendum, sive errare possit, sive non. In hac etiam conclusione, tamquam certa, & indubitata convenire debent omnes Catholici, illamque specialiter docent Gersonius, & Almaynus, locis superius citatis, quamvis Pontificiam negent infallibilitatem.

22 In Tertia, quæ huius difficultatis propriſsima est, hęc statuit: * Solus Pontifex absque Concilio generali, si vt Pontifex, seu vt dicitur, ex Cathedra decernat in dubijs Fidei quæstionibus definiendis, gaudet privilegio Infallibilitatis.* Eaque fusius probata subdit, *sec.* 4. *cap.* 16. §. 4. * Aliaque huiusmodi sexcenta, quę videntur esse irrefragabilia supremæ, vniversalis, & infallibilis authoritatis argumenta, rem intentam ita clarè demonstrare, vt existimem non solum hanc veritatem Vniversalitatis Primatus, sed & Infallibilitatis, sive privilegij Romanorum Pontificum non errandi in rebus Fidei, vbi ex Cathedra illas definiũt, pertinere ad Fidem, esseque saltem quoad se de corpore credendorum; sufficientissime quidem insinuatam in Sacris novi Testamenti Scripturis, iuxta pręallatas Sanctorum Patrum explicationes; formalius autem, & expressius revelatam à Christo Domino inter alias Fidei veritates, quas traditas appellamus, quasque suos edocuit Apostolos.*

23 Et infra eodem §. sese explicat dicens: *Nota me dixisse hanc nostram Sententiam esse de Fide quoad se. Si enim sermo sit de illa

illa quoad nos, id affirmare non ausim, cum nullibi expressè, aut clarè definita, omnibusque Fidelibus ad credendum proposita reperiatur. Vnde ab Hæresi formali excusari possunt, ac debent omnes Doctores Catholici, qui contrariam docent, proculdubio parati illam relinquere, si nostra semel, vt de Fide amplectenda ab Ecclesia decerneretur.

24 Huic etiã adhæret Sentẽtiæ Eminentissimus Cardinalis Laurentius Brancatus de Lauræa *Tomo* etenim *3. de Virtutibus Theologicis, Disp. 5. art. 3.* loquens de obiecto materiali Fidei, adeo infallibilia reputat Romani Põtificis Decreta, adhuc extra Concilium, vt ea inter obiecta materialia Fidei adnumeranda esse arbitretur; vnde hanc Thesim propugnat: *Decreta Romanę Ecclesiæ, seu Sedis Apostolicæ, Romanivè Pontificis in materijs credendorum, etiam si extra Generale Concilium fiant, sive cum particulari Concilio, aut Congregatione, sive absque eis, si ex Cathedra fiant, sunt obiecta Fidei.*

25 Pater Magister Franciscus Bordonus *tom. 1. Operum Iuridicorum Regularium, & Moralium, cap. 5. de Pontifice Romanæ Ecclesiæ, quæst. 33.* inquirit: * An Papæ definienti assistat Spiritus Sanctus speciali modo illum dirigendo, ne erret?* Et ad rem nostram valde apposite affirmativè respondet dicens, id de Fide tenendum. Quod eleganter probat, ibi, & *Dubio* 35. quærens: * An Papa errare possit in definiendis rebus Fidei, & morum?* Sic respondet. * Papa, vt Papa, & ex Cathedra, non potest errare in definiendis rebus Fidei, & morum vniversæ Ecclesiæ.* Quam conclusionem probat, dicens: *Quod Papa non possit errare in prædictis, de Fide tenendum: quia Petrus Primus Papa non poterat errare, ex promissione sibi facta à Christo Lucæ 22.* Vbi aperte fatetur adeo certum, & Infallibile esse Pontificem habere Privilegium non errandi in rebus Fidei, & morum, vt id tanquam Fide certum propugnandum sit.

26 Huic consonat sententiæ Doctissimus Magister Dominicus Gravina, Ordinis Prędicatorũ, in Neapolitana Vniversitate Primarius Theologię Professor, qui *in continuatione ad 2. par. tom. 4. de Præscrip. Cathol.* adversus Hæreses: agens *de Pontificis Infallibilitate in Decretis Fidei, art. 1.* prædictã Infallibilitatem, ceu Catholicũ Dogma amplectendũ, & propugnandã esse tuetur: * Conclusio (inquit) Catholica: Sũmus Hierarcha in decidendis Fidei quæstionibus indubiam, & irrefragabilem, & omnino infallibilem continet authoritatem. * Quam conclusionem latè probat, ac eruditè confirmat.

27 Omnes igitur gravissimi isti Authores Pontificis Infallibilitatem in rebus Fidei adhuc extra Concilium, ceu Catholicum Dogma tuentur: dummodo vt Pontifex, & ex Cathedra Fideles doceat, & Ecclesiam instruat.

28 Alij vero nõ inferioris notæ Authores oppositam opinionem Hæreticam esse expressè sentiunt, ac manifestè propugnant: inter quos Gregorius à Valentia *2.2. quæst. 1. punct. 3.* §. 41. Non modo conclusionem nostram, vt Catholicam tuetur, sed etiam addit: * Contrarium sentientes in Fide errare gravissimè.*

29 At doctissimus Melchior Canus Ordinis Prædicatorum, Præclarus Theologię Professor, Primariæ Cathedrę in Florentissima Salmanticensi Academia Præfectus, ac meritissimus Canariensis Episcopus, hac de re exprofesso disserens, *lib. 6. de Ecclesiæ Romanæ Authoritate, cap. 7.* inquirit: * Erit ne Hæreticum asserere Romanam Ecclesiam degenerare quoque vt cæteras posse, & Apostolicam etiam Sedem à Fide Christi posse deficere? Et esto Ecclesiæ iudicium hac in re antevertere non audeat, nec presumat, affirmat tamen minimè dubitandum, quin si hęc quęstio ad Generale Concilium referretur, opposita opinio (si opinio dicenda est quę contra vnanimem Conciliorum, & Sanctorum Patrum consensum Pontificis Infallibilitatem negat) ceu Hęretica ab omni Concilio damnaretur: *Si ad generale, inquit, Concilium referatur, Hæreseos nota, errori illi inureretur. * Et infra, postquam nostram conclusionem Apostolicam traditionem esse probavit, sic de opposita loquitur: *Cur non audebimus assertionem adversam tamquam Hæreticam condemnare? sed vt dixi, nolo ego Ecclesię iudicium antevertere, quamquam non videor antevertere, cum iam ipsius Ecclesiæ sermo nostram omnem comprobarit de Romanæ Sedis authoritate sententiam; sed hoc vix egrè dico propter viros quosdam, & Doctos, & Pios, qui nos contradixerunt. Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesiæ, ac perniciem afferre; qui aut negant Romanum Pontificem Petro in Fidei doctri-

ctrirarque authoritate succedere, aut certè adstruunt, Summũ Ecclesiæ Pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in Fidei iudicio posse; vtrumque, scilicet, Hæretici faciunt, qui vero illis in vtroque repugnant hi in Ecclesia Catholici habentur.* Et postquam probavit, Sententiam, quæ Infallibilitatem Põtificis in Decretis Fidei tuetur, communem inter Catholicos esse, concludit: *Nos autem Catholicorum Sententiam sequamur, quoniam communis Catholicorum est.*

30 Relatis iam præcipuis vtriusque partis Sententijs, productis insuper Auctoribus, tam his, qui Pontificis Infallibilitatem in rebus Fidei definiendis temere contemnunt, & reiiciunt; quam his, qui prętantissimum illud non errandi Privilegium Romano Pontifici divinitus concessum constanter propugnant: horum Sententiam sequuti hanc conclusionem multiplici à nobis authoritatum, ac rationum pondere stabiliendam aggredimur.

31 CONCLVSIO: Adeo certum est privilegium non errandi Romano Pontifici esse concessum, vt non modo Catholica veritate tenendum sit ipsum in rebus Fidei errare non posse; verum etiam oppositum, vt Hæreticum ab Ecclesia damnari valeat.

32 Pro maiori nostræ cõclusionis dilucidatione pręnotandum est cum Eminentissimo Cardinali Turrecremata *lib. 4. de Ecclesia, part. 2.* Triplicem esse Catholicarum Propositionum gradum: *Primus est eorum, quæ in Canone Sacræ Scripturę Veteris, aut Novi Testamenti, & in propria verborum forma continentur; cuiusmodi sunt ea, quæ ad Articulos Fidei pertinent; ex quibus principaliter salus nostra pendet;* has autem veritates Catholicas esse, ac indubitabiles certissimum est apud omnes; adeo enim certa, & infallibilis est Sacrę Scripturæ veritas, vt de illa nullus Catholicorum possit aliquo modo dubitare, teste Augustino, qui libro *de Vnico Baptismo*, & habetur in Capite *Quis nesciat, dist. 9.* hęc habet: *Quis nesciat Sanctam Scripturam Canonicam, tam Veteris, quam Novi Testamenti, certis terminis contineri, eamque posteris omnium Episcoporum litteris ita præponi, vt de illa omnino dubitari, vel disceptari non possit; vtrum verum, vel rectum sit quidquid in ea scriptum constiterit.*

33 Secunda Catholicarum veritatum series est: *Earum, quæ ex solis contentis in Sacra Scriptura consequentia necessaria, & formali possunt inferri.* Istæ autem, ipso Cardinali attestante, debent credi ipsa Infallibilitate, & certitudine, qua creduntur ipsa Fidei principia, ex quibus istæ necessario inferuntur, sicut est hęc veritas: *Christus est verus Deus & verus Homo, quæ licet in tota serie Sacræ Scripturæ sic formaliter non inveniatur, nihilominus, quia ex contentis in Sacra Scriptura, consequentia formali, & necessaria infertur, Catholica tenetur, & eam credere necessarium est ad salutem.*

34 Tertius Catholicarum veritatum ordo est Apostolica traditio.

35 Quartus est earũ veritatum, quæ in Generalibus Ecclesię Cõcilijs statutæ sunt, ac definitæ; esto enim istæ in Sacra Scriptura non contineantur expressè, eis tamen ceu Fidei veritatibus infallibilis debetur assensus. Alias Catholicarum veritatum species tradit prædictus Cardinalis loco supra citato, eas tamen nunc missas facimus, quia latè de illis sumus postea acturi.

36 Prætereundum tamẽ nõ est iuxta diversos Catholicarum veritatum gradus, diversas esse, & fallacium, ac perfidarum Hæresum species. Quia iuxta celebre illud Aristotelis Proloquium: *Quot modis dicitur vnum oppositum, tot modis dicitur, & reliquum.* Cum autem hæresis veritati Fidei opponatur: hinc iuxta diversas Catholicarum veritatum species, diversi sunt, & Hæresum gradus. *Primus est earũ assertionũ falsarũ, quæ veritatibus Catholicis primi generis, in proprijs terminis contradicunt. Videlicet veritatibus sub propria forma in Sacra Scriptura contentis. In quo genere sunt istæ assertiones, videlicet, quod in principio non erat Verbũ, aut quod non omnia per ipsum facta sunt, sivè quod Verbum non sit caro factum.* Istę enim propositiones veritati in Sancti Ioannis Evangelio expressè contentæ ex ipsis terminis contradicunt.

37 Secunda Hæreseos species est earum propositionum, quæ Catholicis secundi ordinis veritatibus opponuntur, illis nempè veritatibus, quæ ex solis in Sacra Scriptura contentis, consequentia necessaria, & formali inferuntur; huius autem speciei Hæreses sunt istę, vel aliæ huiusmodi: Angeli non habent esse à Deo: Christus non habet intellectum passibilẽ, aut agentem, quarum opposita necessario inferuntur ex contentis in Sacra Scriptura;

Etiam,

Etiam : Beata Virgo non est Mater Dei: Esse namque Dei Matrem, ex duabus Fidei Propositionibus, iuxta Sanctum Thomam deducitur, qui in *3. part. quæst. 35. art. 4. ad 1.* hæc habet:* Quod licet non inveniatur expressè in Scriptura dictum, quod Beata Virgo sit Mater Dei, invenitur tamen expressè in ea, quod IESVS Christus est verus Deus, vt patet 1. Ioan. vlt. & quod Beata Virgo est Mater IESV Christi, vt patet Math. 1. vnde sequitur ex necessitate, ex verbis Scripturę, quod sit Mater Dei.* Quę quidē propositio Catholica Fide tenēda est; esto enim ipsa in Sacris Litteris nō cōtineatur expressè; continentur tamen in illis duo principia illa, ex quibus necessariò deducitur; & ideo Hæresis esset, Beatam Virginem esse Matrem Dei denegare.

38 His igitur prænotatis asserimus, adeo certū esse Romanū Pontificē habere privilegiū non errādi in rebus Fidei definiēdis, vt nihil vtrique propositioni deficiat, affirmativę quidē, vt tamquā Catholica; negativæ vero, vt tamquam Hęretica possit à Pontifice definiri. Ratio est, quia vt supra pręnotavimus, illa propositio propriè est, & vocatur Hæretica, quæ opponitur veritatibus in Scriptura Sacra contentis; at Pontificem Romanum habere privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis est veritas, quæ iuxta Sanctorum Patrum intelligentiam, sapientissimorumque virorum interpretationem, in Scriptura Sacra continetur: igitur propositio prædictā Pōtificis Infallibitatem affirmans, Catholica Fide tenenda est, ac veneranda: opposita vero tamquam hæretica reijcienda. Maior certissima est. Minorem vero, ad quam tota devolvitur difficultas, quę sequentur capita, demonstrabunt.

CAP. II.

SVMMVM PONTIFICEM habere Privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis, ex Veteri Testamento iuxta communem Sanctorum Patrum intelligentiam probatur.

39 AGmen ducat locus ille Deuteronomij 17. in quo præcipiebat Deus in quęstionibus ad legem spectantibus ita Summum audiri Pontificem, vt qui eius decisioni obsisteret, eiusvè non obediret imperio, capitali destinaretur iudicio: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. & decreto Iudicis morietur homo ille.* Ex hoc textu infallibile Summi Sacerdotis iudicium in rebus Fidei, & Religionis haud obscurè colligitur; si enim certissimum non esset, sed alicui falsitati obnoxium, quod Summus Pontifex in rebus ad Fidem, Religionemque spectantibus definiebat, neutiquam Deus, qui prima veritas est, & veritatis oraculum, capite sanciret, vt homines, quorum studium debet esse veritati, & Fidei litare, aut Summo Sacerdoti in vanis, & commentitijs parerent, aut acerbū mortis supplitium subirent; vt enim ait Angelicus Doctor *3. contra Gentes, cap. 118.* * Divina Lex obligat homines ad rectam Fidem; non credendo aliquod falsum, quia à Deo, qui Veritas est, nullum falsum, homini proponi potest; qui enim credit aliquid falsum, non credit Deo.*

40 Hanc eandem veritatem fulgoribus suis illustrat celeberrimum illud Summi Pontificis Rationale, *Exod. 28. v. 30.* in quo posita erant VRIM, & THVMMIM Hæbraicè, idest, *Doctrina*, & *Veritas*, nunc essent duo nomina scripta, seu sculpta, vt communis fert Interpretum sententia, nunc ipsæ duodecim gemmæ Rationalis, vt alij non levibus ducti rationibus arbitrantur; præcipiebat enim Deus Israelitis vt in Fidei, & Religionis, controversijs, Summū veteris Legis Sacerdotem consulerent, ab eius ore, quæstionū legis decisionem requirerēt, eique Infallibiliter obedirent, iuxta illud Malachiæ 2. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituū est.* Cum igitur Summus veteris Legis Sacerdos, Supremus esset Iudex à Deo constitutus pro controversijs Fidei, & Religionis definiendis, iuxta infallibile Legis Divinæ perpendiculum, ac normam; cum esset insuper Dei Angelus, & interpres, in quo suam Deus constituerat *Doctrinam, & Veritatem*, vt ex textu Exodi probavimus: Hinc necessario deducitur Pontificis Decisiones in rebus Fidei & Religionis, infallibili Divinæ Legis veritati consonas fuisse, ac congruentes; si enim veteris Legis Pontifex in errorum scopulos posset impingere vana docens, ac commentitia, nullatenus præciperet Deus, vt in illius Rationali *Doctrina*, & *Veritas*, sive VRIM, & THVMMIM tamquam securitatis, & Infallibilitatis emblemata ponerentur.

41 Ve-

41 Verum esto Hæreticorum aliqui, vt Daræus & alij, prædictam expositionem, quæ per VRIM THVMMIM, *Veritatem* intelligit, & *Doctrinam*, tamquam ipsis oppositam reijciant, Divus tamen Hieronymus, & septuaginta Interpretes pro VRIM, & THVMMIM; *Doctrinam* vertunt, & *Veritatem*. Tremellius fatetur per illa Hæbraica verba figuratè *Doctrinā*. & *Veritatem* posse intelligi; immò Iunius Hæreticus protestans, ait: *Posse ea verba Hebraica, *Doctrinam*, & *Veritatem* significare.* Quid autem sibi volebat *Doctrinam*, & *Veritatem* in Rationali, quod Pontificis pectus exornabat, Deo iubente poni, nisi significare infallibilia veritatum Fidei oracula à Summo Sacerdote oritura? cum autem omnia Summi Sacerdotis decora, & ornamenta in veteri Lege, Summi in nova Lege Pontificis cultum, honorem, & privilegia adumbrarent, iuxta illud Divi Pauli: *Omnia in figura contingebant illis*; & eo maiori perfectione, quo nova Christi Lex Moisaicam præterit, & exuperat. Hinc si Summus veteris Legis Sacerdos in *Veritate*, & *Doctrina*, quam Dei populum in Fidei controversijs edocebat, infallibilis erat, infallibilis vtique erit, & maiori quidem perfectione, Romanus Pontifex, cum aliquid ex officio suo in rebus Fidei definit, Catholicumque Dogma toti Ecclesiæ aperit, & credendum proponit.

42 Huc etiam facit Sancti Petri Chrysologi doctrina, qua Eutychetem Hæreticum hortatur, & monet, vt Romano Pontifici, Apostolicisque Decretis obtemperet, illudque intelligat, ac certo sciat, quidquid à Romano Pontifice in rebus Fidei fuerit definitum, eadem prorsus veneratione tenendum esse, & amplectendum, ac si à Divo Petro, fuerit statutum, monet igitur Eutychetem: *Vt ijs, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt obedienter attendat, quoniā Beatus Petrus in propria Sede vivit, & præsidet, & præstat quærētibus Fidei veritatē.* Cum igitur Sūmus Pontifex in rebus Fidei definiendis eundē authoritatis gradum, quem Christus Divo Petro concessit, pro suo Pastorali Officio possideat (vt Catholica Fide Statutum est, & postea latè probabimus) hinc si Divi Petri authoritas in rebus Fidei definiendis infallibilis extitit, infallibilis etiam erit Romani Pontificis authoritas, cum vt Pontifex, sive ex Cathedra aliquam Fidei veritatem definit, eamque vt talem vniversali Ecclesiæ proponit.

43 Secundò, hæc eadem infallibilis Romani Pontificis authoritas ex eodem veteri Testamento potest haud inefficaciter suaderi. Romanus etenim Pontifex non modo est Ecclesiæ Pastor, sed etiam Pastorum Princeps, & re vera talis, vt non solum Divo Petro, sed Christo etiam in Pastorali Officio totius Ecclesię succedat, vt manifestè probat locus ille Ezech. *cap. 34.* vbi hæc habentur: *Et suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas, & ipse erit in Pastorem*: hæc etenim verba peritissimi Sacræ Scripturę Interpretes, de Christo Domino communitèr intelligunt, qui Princeps Pastorum, caput, & Ecclesiæ Rector constitutus est, iuxta illud, Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius, prædicans præceptum eius.* At Christus Dominus, discessurus ex hoc mundo ad Patrē, Petrum istiusque successores, Ecclesię suæ suffecit, cum dixit: *Pasce oves meas.* Ne autē in illius doctrinæ pabulo, quam Christus Dominus Ecclesiam suam docuit, varietas aliqua, vel novitas mater superstitionis, filia temeritatis obreperet, sed eadem prorsus esset doctrina, quam & ipse vniversali Ecclesiæ consulens, docuit, & illius Vicarij essent docturi arbitratur Augustinus, Christum Dominum etiam nunc vniversali Ecclesiæ præesse; & sicut Summus Pontifex, & Christi Vicarius, illius locum in Ecclesiæ regimine possidet, ita etiam ipsius Christi locum in doctrina tenere, ipsumque Pontificem illius vice Ecclesiam Catholicis veritatibus instruere. At Christus ipse (vt prosequitur Augustinus) Pontificis ministerio, & opera, easdem illas veritates docet, sicque veritates istæ eadem prorsus veneratione amplectendæ sunt, ac tenendæ, qua tenerentur si ab ipso Christo Pontificis ore docerentur. Hoc voluit significare Augustinus ipse, cum prædictum Ezechielis locum exponens *cap. 1:*. hæc scribit: *Idem ergo ipse* (nempè Christus) *pascit, cum ipsi* (videlicet Pastores) *pascunt, & dicit: Ego pasco, quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. Nam, & ipsum Petrū cui commendavit oves suas, quasi alter alteri, vnum secum volebat, vt sic ei oves commendaret, vt esset ipse caput.*

44 Ex quibus clarè innotescit Christum Dominum, ad Ecclesiæ suæ vnitatem servandam; sicut commisit Petro Ecclesię gubernaculum cum dixit: *Pasce oves meas*; sic

sic etiam voluisse, vt Petrus, istiusque successores eandem Ecclesiam infallibili suæ doctrinæ pabulo pascerent, ac gubernarent: * Sint ergo, inquit, omnes in Pastore vno, & dicant vocem Pastoris vnam, quam audiant oves & sequantur Pastorem suum, & non istum, aut illum, sed vnum; & omnes in illo, vnam vocem dicant; diversæ voces non audiantur. Obsecro vos, fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Vnam tantummodo vocem in tota Ecclesia audiri, vnam solummodo in ipsa doctrinam tradi, præcipuè in rebus Fidei ad salutem necessarijs voluit Christus, vt modo audivimus ex Augustino. Vnde vt Pontifices, qui eūdem Christi locum occupant, & eandem Christi doctrinā tradunt, in rebus Fidei rectè definiant, necesse est, vt idem Infallibilitatis donum in docendo Ecclesiam habeant, & eodem non errandi privilegio, quod Christus habuit, potiantur, cum illius authoritate in rebus Fidei, & morum Ecclesiam instruant. Id proculdubio innuit Augustinus, cum sic prosequitur: * Hanc vocem eliquatam ab omni schismate, purgatam ab omni hæresi, audiant oves, & sequantur Pastorem suum dicentem: Quæ sunt oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.*

CAP. III.

ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITAS suadetur ex Novo Testamēto, iuxta vnanimem Sanctorum Patrum, Sacrorumque Interpretum consensum.

45 VBeriorem argumentorum segetem pro Romani Pontificis Infallibilitate nobis offert Sacra Novi Testamenti Scriptura, præcipuè verò locus ille apud Sanctum Lucam, *cap.* 22. Vbi Christus de Infallibilitate Fidei, quæ futura erat in Divo Petro, eiusque successoribus litteraliter videtur loquutus, cum inquit: *SIMON, SIMON, ECCE SATHANAS EXPETIVIT VOS, VT CRIBRARET SICVT TRITICVM: EGO AVTEM ROGAVI PRO TE, VT NON DEFFICIAT FIDES TVA; ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS.*

46 Quibus verbis non modo voluit Christus Dominus Petri Primatum super omnes Apostolos demonstrare, quo omnem ab eis ambitionis occasionem auferret, eosque ab omni super Primatum disceptatione retraheret; sed insuper voluit ostendere se Divum Petrum, vt Supremum Ecclesiæ caput, ita in Fide confirmare, vt legem illi indiceret confirmandi reliquos in Fide, in qua ipse à Christo fuerat confirmatus. Vt autem hæc quæ diximus, perfectius innotescant, istumque textum, iuxta Sanctorum Patrum sensum interpretemur, qui à Deo illuminati intelligentiæ donum in Sacris litteris exponendis proculdubio habuerunt; quorumque doctrinam iuxta Sacri Tridentini statutum, in Sacræ Scripturę expositione sequi tenemur; videndum primo occurrit quid Sanctissimi viri, quid ipsi Romani Pontifices, quid Eminentissimi Cardinales, quid Venerabilissimi Episcopi, quid demum Doctissimi Interpretes, super hunc textum, circa Pontificis Infallibilitatem asseverent.

§. I.

ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITAS ex textu Lucæ 22. iuxta Sanctorum Patrum expositionem, stabilitur.

47 CLassicum aureo verborum torrente intonet SANCTVS IOANNES CHRYSOSTHOMVS, qui *Homilia* 83. in Mathæum prædicta Sancti Lucę verba explicans: *Ego rogavi pro te;* hæc scribit: * Non dixit non me negabis, sed vt non defficiat Fides tua. Cura enim ipsius, & favore factum est, ne omnino Petri Fides evanesceret.*

48 Idem tenet SANCTVS AVGVSTINVS, dum preces quas Christus Dominus pro Petro, istiusque Fidei Infallibilitate ad Patrem fudit: *Ego rogavi pro te, vt non defficiat Fides tua*; fuisse à Patre exauditas adeo certum arbitratur, vt oppositum blasphemiam reputet. Libro enim *De Correptione, & Gratia, cap.* 8. * An (inquit) audebis dicere, etiam rogante Christo ne defficeret Fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsque in finem perseverare noluisset, quasi Petrus aliud vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, vt vellet, &c.

49 Ipse Sanctus in *Psalm.* 74. ad illa verba: *Ego confirmavi columnas eius;* hæc

hæc habet: * *Columnas Apostolos dicit*, *sic Apostolus Paulus de Coapostolis suis*; qui videbantur columnæ esse, inter quos proculdubio præeminebat Petrus; & ideo subdit: *Et quid essent illæ columnæ, nisi ab eo firmarentur?* *

50 Et in *quæstionibus Novi, & Veteris Testamenti* aptissimè ad rem nostram prædictum textum: *Ego rogavi pro te*, pro Pōtificis Infallibilitate interpretatur, *quæst.* 75. dicens: * Dicunt Exactores didragmæ ad Petrum Apostolum: *Magister vester non solvit didragma?* &c. Quo dicto Magistrum, vt pro omnibus solveret convenerunt. Salvator autem, cum pro se, & Petro dare iubet, pro omnibus exsolvisse videtur: quia sicut in Salvatore erant omnes causæ Magisterij, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici. Nam inter cętera dicit Discipulis: Vigilate, & orate ne intretis in tentationem, & Petro dicit: Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua, &c. Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt cęteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri, rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur; semper enim in Præposito populus, aut corripitur, aut laudatur. *

51 SANCTVS PROSPER, Magni Augustini Discipulus, in Magistri sui verba iuravit; in *Epistola* namque *ad Ruffinum*, loquens de Fidei Infallibilitate, quam Petrus habuit, eiusque habent successores. hæc inquit: * Certè pro eo rogaverat Dominus, *ne deficeret Fides ipsius*, nec vtique frustra rogaverat, cuius vna erat cum eo, quem rogaverat operatio. *

52 His adhæret SANCTVS SOPHRONIVS, Episcopus, & Patriarcha Hierosolymitanus, qui cū audacię Episcopi Cyriæ in Alexandria, vnam in Christo voluntatem temere prędicantis, se se diù infracto animo opposuisset, vt pestifera ista scintilla nascens, & exiliens, priusquam in flammam, & ignem adolesceret, extingueretur, Legatum ad Romanum Pontificem, tamquam ad supremum Fidei Magistrum misit: at quanta animi anxietate id fecerit, satis, superque demonstrat eius *Epistola ad Stephanum* data, in qua sic scribit: * De finibus terræ vsque ad terminos eius ambula, donec ad Apostolicam Sedem, vbi Orthodoxorum Dogmatum fundamenta existunt, pervenias. * Idem qui venit ad Honorium Legatus Stephanus Episcopus, ipse testatus est *in Concilio Romano, sub Martino Pontifice, secreto secundo*, his verbis:

53 * Annuntiamus hæc omnia omnium Præpositæ Sedi; dico autem summę vestræ, & principali, ad medicinale consultum emersi vulneris: quippè quoniam hoc potestativè olim, & ab antiquitus facere per Apostolicam, sive Canonicam consuevit authoritatem, dum aperta lucubratione non solum claves Regni Cœlorum creditę sunt ei, atque ipse tantummodo ad aperiendum eas Fidelibus quidem digne, minimè autem Evangelio gratię credentibus iustè claudere, magnus secundum veritatem, & Princeps Apostolorum meruit Petrus; sed etiam & pascere primus iussus est oves totius Catholicæ Ecclesiæ, cum Dominus dicit: *Petre amas me? Pasce oves meas.* *

54 Et idem prosequitur: * Et iterum ipse pręcipuè, ac specialiter firmam, præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum, & immutabilem Fidem, convertere aliquando, & confirmare exagitatos consortes suos, & spirituales meruit Fratres; vtpotè dispensativè super omnes ab ipso: quipropter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens, & Sacerdotalem authoritatem. Quòd vtique sciens Beatæ memorię Sophronius quondam Patriarcha Sanctæ Christi Dei nostri Civitatis, sub cuius Diœcesi fungebar Sacerdotali officio, non acquiescens omninò carni, & sanguini, sed sola, quæ Christi sunt, iuxta Sāctitatem vestram excogitans, studui meam humilitatem sine mora pro huiusmodi tantum Capitulo cum sua suggestione ad hanc Apostolicam, magnamque dirigere Sedem. *

55 Idem sequitur VENERABILIS BEDA, qui anno 700. floruit; prædictum etenim Sancti Lucæ locum exponens, ipsum de Fidei Infallibilitate intelligit: * Vnde, inquit, ne finaliter deficeret, propterea oravit, & subdit Salvator: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; quasi dicat: Postquam me negato ploraveris, pœnitueris, corrobora cæteros; cum te Principem Apostolorum deputaverim, hoc enim decet te, qui mecum es robur, & Petra Ecclesiæ, &c. * Vnde deducitur, hoc nempè, vt roborarentur à Petro, intelligendum esse, non solùm de Apostolis, sed

& de omnibus, qui vsque ad finem mundi futuri erant Fidelibus.

56 Insuper ipse BEDA expendens illa verba: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*; hæc habet: * Sicut ipse tuam Fidem, ne Sathana tentante, deficiat, orando protexi, ita & tu infirmiores quosque fratres exemplo tuæ pœnitentiæ, ne de venia fortè desperent, erigere, & confortare, memento.* Hæc ille.

57 Nec ab hac Sententia discedit, immò illam egregiè confirmat SANCTVS THEODORVS STVDITES, vir pręclaræ virtutis, potens in opere, & Sermone, qui pro Sacrarum Imaginum cultu, ignivomis eloquentiæ suę fulminibus acerrimè decertavit, ac in næfariam illorum hæresim, qui adulterium cum dispensatione licitum esse tuebantur, sic insurrexit, vt exilia, carceres, variaque tormentorum genera pro veritate Catholica, errori illi opposita, infracto animo sustinuerit. Hic igitur præclarissimus Vir, prędictam illius textus Lucæ 22. intelligētiam dilucidè confirmat in Epistola, quam Paschali Pontifici scripsit pro illis omnibus, qui in Orientali illa Ecclesia acerbissimos cruciatus, ac gravissimas ęrumnas pro Christi Fide patiebantur. In illa enim Pontificem illorum omnium verbis vehementer orat, vt dignetur illos suis verbis, & oratione roborare, erigere, & confirmare, illa infallibili certitudine in Fide, quam ipsi Deus, vti Petri Successori, concesserat. Illius autem Epistolæ inscriptio hæc erat: *Paschali Papæ Romæ in omnibus summa virtute prædito, lumini magno, Principi Sacerdotum, Primo Domino nostro, Apostolico Papæ Pascali.*

58 Et paulo post initium: * Audi Apostolicum Caput (inquit) à Deo præposite, Pastor ovium Christi, Ianitor Regni Cœlorum, Petra Fidei, super quam ædificata est Catholica Ecclesia. Petrus enim tu, Petri Sedem exornans, & gubernans.* Deinde versus finem * huc igitur ab Occidente, O Christi imitator, resurge, & ne repellas in finem. Tibi dixit Christus Deus noster: *& tu aliquādo conversus confirma fratres tuos.* Ecce tempus, ecce locus, opitulare nobis, qui es à Deo ad hoc ordinatus, porrige manum quantum fieri potest. *

59 Et prosequitur: * Habes potestatem à Deo, eo quod omnium Princeps es, in quo positus es: terreto supplicamus hęreticas feras calamo Divini verbi tui. Pastor bonè, pone animam pro ovibus, supplicamus. Audiat Ecclesia, quæ sub Cœlo est, quod à vobis anathematizantur per Synodum, qui hæc ausi. Et iam Sanctos Patres nostros anathematizant. Hoc fuerit Deo acceptum, Angelis, & Sanctis gaudium, concussis firmamentum, fundatis stabilimen, lapsis resurrectio, omni Orthodoxorum Ecclesiæ exultatio, & tuæ certè Celsitudini, secundum eos, qui antiquitus pręcesserunt ęternum monimentum. Qui similibus temporibus, cum fecerint ea, quæ à nobis peccatoribus nunc petuntur, Spiritu Sancto afflati, & commemorantur, & Beati habiti sunt.* Hactenus Sanctus.

60 Pontificis infallibilitati patrocinatur etiam SANCTVS BERNARDVS, qui prædicto Lucæ loco innixus, *Epistola 190. ad Innocentium Papam II.* * Oportet (inquit) ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque, & scandala, præsertim, quæ de Fide contingunt: Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna Fidei, vbi non possit Fides sentire defectum; hęc quippè huius prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua?* Ergo quod sequitur à Petri Successore exigitur; *& tu aliquando cōversus cōfirma fratres tuos.* De quo etiam videndus est *lib.* 4. Tandem *Sermone de Privilegijs Beati Ioannis Baptistæ*, ait: * Hinc enim Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum, Ecclesia Romana, cui dictum est: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.**

61 Consonat BEATVS ALBERTVS MAGNVS, Angelici Doctoris Magister, Insignis Parisiensis Doctor, & celebritate famę exteris etiam gentibus notus, ac meritò commendatus; explicans enim locum illum Matthæi 16. vbi Christus Dominus Divo Petro Ecclesię Claves concessit, censet in illius Supremæ Potestatis plenitudine, quam Christus Petro communicavit, Summos Pontifices Sancti Petri locum tenentes, succedere. Illius verba audiamus: * *Dico autem tibi, &c.* Singulariter, non quòd Petrus singulariter acceperit Claves, sed quia in vnitate ordinis Ecclesię vnus est, qui accipit in plenitudine potestatis, qui est Successor Petri; & Petrus in potestate. Alij autem in eadem vnitate accipiunt in parte potestatis, eo quòd vocantur in partem solicitudinis. * Et vt melius dignoscatur Fidei Infallibilitas, quæ in Di-

vo

vo Petro, istiusque Successoribus elucet, illam fundat in Orationis efficacia, quam Christus Dominus pro Sancto Petro, istiusque Successoribus ad suum Patrem effudit; ideòque addit. Et ad *cap.22. Lucæ*: *Ego rogavi pro te, &c.* *Hoc argumentum efficax est pro Sede Petri, & Successore ipsius, quòd Fides eius non finaliter deficiet.*

62 Præceptoris sui vestigia sequitur ANGELICVS DOCTOR, *Opusculo namque 1. contra Græcorum errores*, vt domesticis telis illos confodiat, & triumphum ab illis reportet, in præcipuis rebus, in quibus ab Ecclesia Latina dissident, illos clarissimis Græcorum Patrum testimonijs convincit. Ostendit enim primò. * Quòd Pôtifex Romanus est Primus, & Maximus inter omnes Episcopos. Secundò: quòd idem Pontifex in totam Ecclesiam Christi vniversalem Prælationem habet. Tertiò: quòd idem habet in Ecclesia potestatis plenitudinem. Quartò: quòd in eadem potestate, quæ collata est Divo Petro à Christo, Romanus Pontifex sit eius Successor. Quòd ad eum pertinet determinare quæ sunt Fidei. Dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum; vt membra maneamus in Capite nostro, Apostolico Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenère debemus.*

63 Et prosequitur: * Item Maximus in Epistola orientalibus directa dicit: Omnes fines Orbis, qui Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram Fidem confitentes, in Ecclesiam Romanorum, tamquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ Fidei recipiunt, nec immeritò. Nam Petrus legitur primo perfectam Fidem esse confessus. Domino revelante, cum dixit. *Matthæi 16. Tu es Christus Filius Dei vivi.* Vnde, & idem Dominus dicit: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua.* * Idem tenet D. Thom. in Opusc. 20. de regimine Principum, *lib.3.cap.10.&* 19.

64 Ipse Angelicus Præceptor, *lib.* 4. *contra Gentes, cap.76.* hanc eandem veritatem de Summi Pontificis in rebus Fidei infallibilitate efficaciter suadet, illam probans ex ipso, quem expendimus loco; Probat namque, necesse esse vt vnum sit in toto Christiano populo Caput, hocque aliud à Summo Pontifice esse non posse, qui vti Christi Vicarius vniversam Ecclesiam gubernat; eadem prorsus authoritate, quam Christus Petro dedit, & orationis suę efficacia obtinuit; iuxta illud: *Ego rogavi pro te, &c.* Ne autem tanti Doctoris rationibus elegantiæ aliquid, & profunditatis, pro ingenij, & eloquij nostri imbecillitate detrahamus, ipsius verba in medium producimus. * Manifestum autem est (inquit loco citato) quòd quamvis Populi distinguantur per diversas Diœceses, & Civitates, tamen sicut est vna Ecclesia, ita oportet esse vnum Populum Christianum. Sicut igitur in vno spirituali Populo vnius Ecclesiæ requiritur vnus Episcopus, qui sit totius Populi Caput. Ita in toto Populo Christiano requiritur, quòd vnus sit totius Ecclesiæ Caput.

65 Item ad vnitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnes Fideles in Fide conveniant. Circa verò ea, quæ Fidei sunt contingit quęstiones moveri, per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in vnitate per vnius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad vnitatem Ecclesiæ conservandam quod sit vnus, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quòd Christus Ecclesię, in necessarijs non deficit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit, cum & de Synagoga per Dominum: *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Isaiæ 5.* Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi, vnus toti Ecclesiæ præsit.*

66 Et infra hæc habet: * Hinc est, quod *Oseæ* 1. dicitur: *Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum.* Et Dominus dicit: *Ioannis 16. Fiet vnum ovile, & vnus Pastor.* *Nec obstat dicere, quòd Hæretici blaterabant, Christum nempè esse totius Ecclesiæ Caput; sicque opus non esse, vt aliud à Christo Caput in Ecclesia agnoscamus, idque Romanum Pontificem esse dicamus; non inquam obstat, hoc enim eruditè, & efficacitèr reijcit Sanctus subdens.

67 *Si quis autem dicat, quòd vnum Caput, & vnus Pastor est Christus, qui est vnus, vnius Ecclesiæ Sponsus; non sufficienter respōdet: manifestum est enim, quòd omnia Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est, qui baptizat; ipse est, qui peccata remittit: ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in Ara Crucis, & cuius virtute Corpus eius in Altari quotidie consecratur; & tamen, quia corporaliter, non cum omnibus Fidelibus præsentiali-

tialiter erat futurus, elegit Ministros, per quos prędicta Fidelibus dispensaret.*

68 Hæc fuit potissima ratio, ob quam Christus Dominus corporaliter ab Ecclesia discessurus, voluit vnum visibile Caput in ipsa constituere, quòd infallibili sua authoritate Fideles constantes teneret in Fide; Religionis, Fideique controversias exponeret, illosque in Fide solidaret; hocque esse Divum Petrum, illosque omnes, qui Apostolorum Principi in Cathedra, & Pōtificatu succederent; sic censuit idem Angelicus Magister in prædicta authoritate, quam ita prosequitur.

69 *Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, vt alicui committeret, qui loco sui, vniversalis Ecclesię gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante Ascensionem: *Pasce oves meas*, *Ioannis vltimo*. Et ante Passionem: *Tu*, iterum, *conversus, confirma fratres tuos*, *Lucæ 22.**

70 Id ipsum confirmans, clarius se se explicat idem Sanctus, 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. Ibi enim inquirit Sanctus, ad quem in Ecclesia pertineat edere Symbolum, & Regulam Articulorum Fidei, quas credere debemus? Et respondet, id ad solum Pontificem spectare, ea ductus ratione: *Quod editio Symboli facta est in Synodo Generali: sed huiusmodi Synodus authoritate solius Summi Pontificis potest congregari. Vt habetur *in Decret, dist.* 17. Ergo editio Symboli ad authoritatem Summi Pontificis pertinet.*

71 Et in corpore Articuli hæc habet: *Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius authoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, vt ab omnibus inconcussa Fide teneantur: Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quęstiones referuntur, vt dicitur *in Decret. dist.* 43.* Et vt clarius agnoscatur infallibilitas, qua Pontifex in rebus Fidei aliquid statuit, & determinat, argumentum eruit ex illo Divi Lucę textu, ex quo nostram statuimus conclusionem: *Vnde, inquit, & Dominus *Lucæ* 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et huius ratio est: Quia vna Fides debet esse totius Ecclesię; secundum illud 1. *ad Corinthios* 1. *Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*: Quod servari non potest, nisi quæstio Fidei, de Fide exorta, determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest: Vt sic eius Sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur: Et ideo ad solā authoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli: sicut, & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare Synodum generalem, & alia huiusmodi.*

72 Idem tenet *in Opusculo de Symbolo Apostolorum*, vbi: *Sola, inquit, Ecclesia Petri, in cuius partem venit tota Italia, dum Discipuli mitterentur ad prędicandum, semper fuit firma in Fide, & cum in alijs partibus, vel nulla Fides sit, vel sit commixta multis erroribus: Ecclesia tamen Petri, & Fide viget, & ab erroribus mundata est. Nec mirum: quia Dominus dixit Petro, *Lucæ* 22. *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua.**

73 Idem Sanctus, 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 6. *ad* 3. probat vniversalis Ecclesiæ Infallibilitatem in Fide, propter indefectibilitatem Petri: *Vnde humana cognitio, inquit, non fit regula Fidei, sed Veritas Divina, à qua si aliqui maiorum deficiant, non prę iudicat Fidei simplicium, qui eos rectam Fidem habere credunt: nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant, contra vniversalis Ecclesię Fidem, quæ non potest deficere, Domino dicente Lucæ 22. *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua.**

74 Beatus AVGVSTINVS TRIVMPHVS, singulare Augustiniani Ordinis decus, & ornamentum, in *summa*, quam *de Potestate Ecclesiæ* composuit, quæstionem de infallibili Romani Pontificis authoritate eleganter discutit. Et *quæstione* 10. inquirens; vtrùm spectet ad Summum Pontificem determinare, quæ sunt Fidei? Affirmativè respondet. Quam conclusionem in corpore Articuli ex eo probat: *Quod vna est Fides totius Ecclesiæ, & modernorum, & antiquorum. Iuxta illud Apostoli *ad Ephesios* 4. *Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptisma.* Ad illum ergo pertinet determinare quæ sunt Fidei, qui est Caput totius Ecclesiæ. Talis autem est Summus Pontifex, successor Petri.* Vt autem apertius dignoscatur Pontificis decissionem Infallibili-

bili tatis privilegio gaudere, illius Infallibilitatem deducit ex efficacia precum, quas Christus ad Patrem, pro Petro, istiusque successoribus effudit. *Pro cuius Fide singulariter rogavit Salvator, *Lucæ* 22. quando dixit: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.**

75 In cuius confirmationem ipse Beatus, secundo argumento satisfaciens, subdit: * Iustum quidem esse, & rationabile, vt cum quęstiones aliquæ, & dubia insurgunt de Fide, quod Papa Doctores, & Magistros in Sacra Pagina, sibi adiungat, vt per eos plenè veritas discutiatur. Sed talibus quæstionibus terminum, & finem imponere ad solius Papæ potestatem pertinere.*

76 Hanc eandem veritatem egregiè confirmat SANCTA CATHARINA SENENSIS, dum *tract. 3. cap.* 115. hæc scribit: *Clavem huius pretiosi sanguinis Apostolo Petro reliquit, cæterisque successoribus eius præteritis, & qui succedent in futurum, vsque in vltimum iudicij diem, habent, & habebunt eandem authoritatem, quæ Petro data fuit. Nec ex aliquo defectu commisso per eos, hæc authoritas vllo modo deminuitur. *Cum ergo iuxta Sanctæ Catharinæ mentem eadem sit Summorum Pontificum, ac Sancti Petri Authoritas; hinc si Infallibilitatis donum in rebus Fidei, ad bonum totius Ecclesiæ, in Beato Petro illuxit, illuceat etiam in alijs Summis Pontificibus, necesse est.

77 Eadem fuit B. LAVRENTII IVSTINIANI, mens, & Sententia, *lib. enim de obedientia, cap.* 12. Vnam, eandemque authoritatem, & Petro, & eius successoribus esse à Christo concessam, hisce apertissimis verbis testatur: * Hanc Petro datam potestatem, quotquot post illum electi Canonicè in ipsa resederunt, sortiti sunt, qui respectu cęterorum, Summi sunt nuncupati Pontifices.* Cum igitur Summi Pontifices, iuxta istius Beati doctrinam, eadem, qua Sanctus Petrus prædíti sunt authoritate; si iste, vt certum est privilegio non errandi in rebus Fidei à Christo Domino instructus fuit, ac locupletatus, eodem etiam summos instrui, & locupletari Pontifices firmissimè est asserendum, pręcipuè cum istud non errandi privilegium, & ad bonum totius Ecclesiæ regimen, & ad Fideles ita in Fide confirmandos, vt in illa constanter ad sanguinis vsque effusionem, perseverent, egregie faciat, ac mirabiliter conducat.

78 Insuper hanc Pontificis infallibilitatem in concernentibus ad Fidem, ex ipso Sancti Lucæ textu, *cap.* 22. elegantèr probat SANCTVS ANTONINVS 3. *part. summæ, tit.* 12. *cap.* 8. §. 2. vbi hæc scribit: *Ea quæ facit Papa cum Cardinalibus sunt duplicis generis, quędam enim sunt, & pertinent ad particularia facta particularium hominum, vt sunt Beneficiorum collationes Ecclesiasticorum, & promotiones, & Gradus, & Dignitates, & sententiæ iudicialitèr latæ, pro aliquibus, vel contra aliquos, & in talibus Papa potest errare.

79 Quædam alia sunt, quæ facit Papa pertinentia ad Statum vniversalem totius Ecclesię, vel quantum ad Fidem, vt sunt determinationes, & declarationes, quæ spectant ad Fidei Articulos, & Ecclesiæ Sacramenta, & omnia alia contenta in Sacra Scriptura; sivè quantum ad bonos mores, vt sunt Statuta, Decreta, & Decretales; & in talibus dicendum est, quòd licet absolutè pensatis solis personis Papæ, & Cardinalium, Papa cum ipsis possit errare, supposita tamen Divina Providentia, & Spiritum Sanctum loqui per Ecclesiam, credendum est Papam non posse errare, quia Christus oravit pro Ecclesia, *Lucæ* 22. *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* Et dicere, quòd in huiusmodi Papa erraret, esset Hæreticum.* Hactenus Sanctus.

80 Fulcitur tandem eadem Thesis veritas gravissimo SANCTI BERNARDINI SENENSIS, Suffragio, *tom.* 1. *Serm.* 1. *de Christianæ Fidei firmitate.* Loquens enim de inconcussa soliditate Fidei, ac Romanæ Ecclesiæ, eiusque vertice Summo Pontifice, hæc subijcit, *art.* 3. *cap.* 2. *Nec etiam deficere potest Fides, pro qua conservanda Filius Dei ad Patrem oravit: vnde *Lucæ* 22. ait Dominus ad Petrum: *Ego pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.**

§. II.

EADEM ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas ex ipso Sancti Lucæ textu 22. iuxta Summorum Pontificum intelligentiam statuitur.

81 FAcem preferat SANCTVS LVCIVS, ille Gloriosus Martyr, & Pontifex, qui ante

annos mille, & circiter trecentos, ad consulta Occidentalium per Gallias, & Hispanias Episcoporum pro Sede Apostolica respondens, infallibilem Romani Pontificis authoritatem, ex ipsa Christi Domini pollicitatione, Apostolorum Principi facta, elegantèr deducit; etenim prope illius Epistolę finem sic scribit: *Hęc Sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quę per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis, numquam errasse probatur, nec Hęreticis novitatibus depravata succubuit, sed vt in exordio normam Fidei percepit ab Authoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata finetenùs manet, secundùm ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, qui Discipulorum suorum Principi, in suis fatus est Evãgelijs: *Petre*, inquiẽs, *ecce Sathanas expetivit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquãdo conversus, confirma fratres tuos.*

82 Consideret itaque vestra excellens Prudentia, quam bonum sit persistere in dispensatione nobis credita, & in Fide recta, atque Hęreticis, & æmulis Christi repugnare, & numquam à veritatis tramite declinare, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cuius Fides est, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos suo redemit sanguine, Fidem Beati Petri numquam defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit; quòd Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prędecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum, quorum & pusillitas mea, licet impar, & minima, pro suscepto tamen Divina dignatione ministerio, pedisequa cupit existere.*

83 Nec minori elegantia eidem veritati assentitur SANCTVS FELIX, Pontificis, & Martyris lauro decorus; in *Epistola* etenim 1. *ad Paternum*, ius appellandi Romanum Pontificem astruit; At, *Epistola 3. ad Benign. Episcopũ*, Privilegium non errandi in rebus Fidei, quo Romana insignitur Ecclesia, ex ipso Sancti Lucæ textu confirmat, dicens: *Suscipientes fraternitatis tuę epistolas, quibus me requisijsti super Fidei documentis, quæ ab alijs habebantur aliter, quam rectæ Fidei contineant Sacramenta, prout Dominus dedit, pro fraternitatis amore respondère non reluctavimus. Semper enim dubia, & maiora negotia terminum ab hac Sancta Sede à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueverunt. Et ideò tu rectè fecisti, qui huius Sanctæ Sedis consultis, te, cæterosque firmari, & instrui voluisti.

84 Et infra: Hæc (inquit) Sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis Gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec ab Hęreticis novitatibus deprabata succubuit, sed vt in exordio normam Fidei Christianę percepit ab Authoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata finetenùs manet, secundùm ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, qui suorum Discipulorum Principi, in suis fatus est Evangelijs: *Petre*, inquiens, *ecce Sathanas expetivit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

85 Idipsum docet Sanctissimus Põtifex MARCVS *in Epistola ad Athanasium, & Episcopos Ægypti data*, in qua hæc scribit: * Et Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, & Beato Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit sine vlla Hæreticorum insultatione, firma, & immobilis omni tempore persistens.*

86 Huius autem Infallibilitatis causam expẽdens asserit esse illam pollicitationem, qua Christus Dominus Petro promisit Fidem, nec in Petro, nec in illius successoribus defecturam: * Qui Fidem Beati Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit.*

87 Eadem est SANCTI LEONIS MAGNI (Magni quidem Doctrina, Sanctitate, & vniversali totius Ecclesiæ Magisterio) mens, & sententia: In *Aniversario* namq; *suæ assumptionis*:* Commune quidem erat (inquit) omnibus Apostolis periculum, specialis tamen à Domino Petri cura suscipitur, & pro Fide Petri propriè supplicatur: tamquam aliorum Status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit: In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & ita Gratiæ Divinæ ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

88 Suffragatur etiam huic sententiæ Sanctissimus Pontifex AGATHO, qui

qui in Romano Concilio Apostolicum suum Zelum in Monothelitarũ damnatione exercens, Legatos ad Imperatorem Constantinum Pogonatum misit, & *in Pastorali Epistola*, quam ad illum dedit, hæc ad rem nostram aptissima verba exaravit: *Et ideò cum corde contrito, & profluentibus lacrymis, mente prostratus exoro, porrigere dignemini clementissimam dexteram Apostolicę doctrinæ, quam cooperator piorum laborum vestrorum, Beatus Petrus Apostolus tradidit, non vt sub modio condatur, sed vt tuba clarius in toto Orbe prædicetur. Quia eius vera confessio à Patre de Cœlis est revelata, pro qua à Domino omnium Beatus esse pronunciatus est Petrus, qui & spirituales oves Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium, terna commendatione pascendas suscepit.

89 Cuius adnitente præsidio, hęc Apostolica eius Ecclesia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius authoritatem, vtpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniversales Synodi fideliter amplectentes in cunctis sequutæ sunt, omnesque Venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam probatissima Ecclesiæ Chisti luminaria claruerunt, & Sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque sequuti sunt.*

90 Et infra: *Hæc est enim vera Fidei regula, quã in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperij, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, &c.* Istud autem non errandi privilegium, quo gaudet Ecclesia infert hic Sanctissimus Pontifex ex promissione Divo Petro, eiusque Successoribus à Christo facta, cum inquit: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* Et in illius Epistolæ calce, sic Imperatorem alloquitur: *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cuius Fides est, qui Fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum. (Et infra:) Væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quam illi sinceriter prædicarunt, prędicare neglexero.

91 Summus Pontifex LEO IX. qui primo suę promotionis anno Simoniacorum hęresim in Concilio Romano ingenti Fidei Zelo eradicavit, & in alio Concilio, Romæ prius, deinde Bercellis celebrato, Berengarij hæresim, verum Christi Corpus, verumque Sanguinem sub Eucharisticis spęciebus contineri denegantis, aliosque huiuscemodi errores evomentis, eodem ferventissimo Fidei amore extirpavit; in *Epistola*, qua respõdet *Petro Patriarchæ Antiocheno*, qui Prædecessorum suorum consuetudinem sequutus, ac pro ardentissimo desiderio, quo Ecclesiæ suæ cum Romana Sede communionem exoptabat, Legatum, Epistolamq; in qua Catholicę Fidei professio includebatur, ad Leonem Pontificem misserat; in huius, inquam, Epistolæ responsione probat Pontifex Romanæ Ecclesiæ Infallibilitatem, cuius certitudo Christi promissioni innititur, vt altè expendit in his, quę sequuntur verbis, lectu certè dignissimis:

92 *Ab Apostolica (inquit) tua Sede, nostram Apostolicam Sedem consulendo, perpendimus, tuam dilectionem nolle deviare à Dominico, & omnium Sanctorum Patrum concordi Decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto Orbe terrarum Ecclesijs Sancta Romana, & Apostolica Sedes Caput pręponitur, ad quam maiores, & difficiliores causę omnium Ecclesiarum definiendæ referantur.

93 Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse Sanctus Sanctorum, Rex Regum, & Dominus dominantium confirmat, quatenùs ibi principalis Dignitatis, & totius Ecclesiasticę disciplinæ, venerabilis apex præfulgeat, & præcellat, vbi ipse vertex, & cardo Apostolorum Petrus, carnis suæ Beatam Resurrectionem, in novissimo die expectat. Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret eius Fides, Dominus, & Salvator asserit se rogasse, dicens: *Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenùs Fides Petri non deficit, nec defectura creditur in Throno illius vsque in sæculum sæculi, sed confirmabit corda fratrum varijs concutienda Fidei periclitationibus, sicut vsque nunc confirmare non cessavit.* Hæc illle.

94 Ipse Leo IX. *in Epistola 9. ad Michaelem Constantinopolitanum Episcopum*

copum data prædictum textum explicans, & expendens: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*; hæc scribit: *Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui Orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quàm per suos successores convicta, atque expugnata sunt, omnium Hæreticorum commenta, & Fratrum corda in Fide Petri, quæ hactenus, nec defecit, neque in finem deficiet, sunt confirmata?* Hæc ille.

95 Non minus apertè prædictum Sancti Lucæ textum de Romani Pontificis Infallibilitate exponit SANCTVS GREGORIVS VII. *lib. 1. Epistolarum, Epist.* 18. in qua Simeonem Hispanorum Episcopum hortatur, vt Apostolicæ Sedis Decretis obtemperet ob istorum Infallibilitatem, quam ex citato Lucæ textu deducit: *Apostolica enim Sedes, cui quamvis immeriti (Deo authore) præsidemus, ipso gubernante, firma permansit ab ipsis primordijs, eoque tuente illibata perpetuo permanebit; testante eodem Domino: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* His itaq; fulta præsidijs, Romana te cupit scire Ecclesia, quod filios, quos Christo nutrit, non diversis vberibus, nec diverso cupit alere lacte, vt secundum Apostolum sint vnum, & non sint in eis schismata, alioquin, non Mater, sed scissio vocaretur. Quapropter notum sit tibi, cunctisque Christi Fidelibus, super quibus consuluisti, quod Decreta, quæ à nobis, immò à Romana constat Ecclesia prolata, sive confirmata in peragendis à vobis eiusdem Ecclesiæ Officijs, inconcussa volumus permanere, nec eis acquiescere, qui luporum morsibus, & veneficiorum molimine, vos inficere desiderant. *

96 In rem etiam nostram aptissimè conducunt gravissima illa verba, quibus PASCHALIS PAPA II. Patres Generalis Concilij Latteranensis Tertij, cui præfuit, affatus est: * Fratres (inquit) & Domini mei audite: Ecclesia ista (loquens de de Romana, in qua Divi Petri Cathedra domicilium suum collocavit) numquam habuit hæresim, immò hic omnes hæreses côquassatæ sunt. Hic Arriana hæresis, quæ per trecentos ferè annos viguit, annullata est. Ab hac Sede hæresis Euthychiana, & Sabelliana, contrita, Photinus, cæterique hæretici destructi sunt. Pro hac Ecclesia Filius Dei in passione sua oravit, cum dixit: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua.**

97 Huic tandem §. coronidem imponat INNOCENTIVS III. Pontifex Maximus, qui sese vniversalem totius Ecclesiæ Pastorem exhibens, ac muneri suo diligenter intentus, cum Fidei, Religionisque vnitatem ad Ecclesiæ conservationem maximè pertinere agnosceret, iuxta illud Pauli: *Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptisma*; omni studio contendit, omnemque operam adhibuit, vt Ecclesiam Græcam à Latina longa annorum serie distractam ad illius vnitatem reduceret; vtramque Fidei, ac Religionis vinculo copularet; quod vt facilius adipisceretur, Apostolicos Nuncios ad Alexium Constantinopolitanum Imperatorem, & ad illius Civitatis Patriarcham sedulus missit, eundem vehementer admonens, vt Imperatorem ad id impellere omni cura niteretur, illi pro certo promittens, ac perseveranter affirmans, in hac tantùmodo Ecclesia Fidei firmitatem, & indefictibilitatem, iuxta promissionem Christi, reperiri: * Hanc autem (inquit) idem Dominus IESVS Christus in se ipso lapide angulari fundavit, & eius Magisterium Apostolorum Principi, Beato Petro, cui (licet insufficientes) in Apostolatus successimus Dignitate, concessit: *Tu es*, inquiens, *Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: Et paulo post subdit: *Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum*, & etiam curam ovium suarum, eodem verbo, tertiò repetito commissit, dicens: *Pasce oves meas*, & quod eius Fides numquam deficeret se orasse fatetur, loquens ad eum in Evãgelio: *Ego rogavi pro te Petre, vt nõ deficiat Fides tua: & tu cõversus aliquãdo confirma fratres tuos.**

§. III.

EADEM ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas, ex ipso Sancti Lucæ textu, iuxta Sapientissimum Eminentissimorum Cardinalium iudicium, comprobatur.

98 PRæeat Eminentissimus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Vir eloquio clarus, virtute insignis, ac ferventissimo Fidei, & Religionis, Catholicæ zelo exæstuans, B. PETRVS DAMIANVS, qui

qui *Sermone 23. de Ioannis Baptistæ Nativitate*; Romanę Ecclesię indefectibilitatem ex illis Christi verbis: *Ego rogavi pro te*, elegāter probat, ac mirificè deducit: *Illa Mater, (inquit) & Magistra Ecclesiarū omniū Ecclesia Romana, cui dictum est: *Ego pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua*, in honore S. Ioannis Baptistę, post Salvatoris nomen consecrata est & signata.*

99 At hanc eandem conclusionem nostram clarius explicat ipse Cardinalis, *Opusculo 5. cap. 1.* *Non dubium (inquit) quia quisquis cuilibet Ecclesię ius suum detrahit, iniuriam facit: qui autem Romanę Ecclesię Privilegium ab ipso Summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hęresim labitur: & cum ille notetur iniustus, hic est dicendus hęreticus: Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quę mater est Fidei, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesijs prętulisse cognoscitur.

100 In eadem est sententia Eminentissimus Cardinalis IOANNES DE TVRRECREMATA, qui *tractatu de Ecclesia, lib. 2. cap. 109.* pro Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitate, hęc notatu dignissima scribit: *Apostolicæ Sedis iudicium, in his quę Fidei sunt, esse indefectibile manifestè probatur ex promissione illa Christi, qua Petro, pro Sede sua loquens, ait: *Lucæ 22. Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua.* Quòd autem de Fide Petri in Apostolica Sede indefectibiliter semper mansura intelligendum sit, Sancti testantur Doctores. In primis Beatissimus Leo *in Sermone 2. Ordinationis suæ*, eādē Christi pollicitationē pertractās (ad illa verba) *Ego rogavi pro te, &c.* Item ad idem est Agatho Papa *in suggestione, quam Constātino Imperatori scribit*, quę a tota sexta Synodo vniversali, fuit vniversaliter acceptata. Eadem sententia etiam est Lucij Papæ, cuius pars ponitur in *cap. A recta 24. quæstione 1.* Item Beatus Bernardus Domino Innocentio Papæ scribens, hoc insigne Apostolicæ Sedis privilegium ex eodem Salvatoris verbo attestatur. Item idem Bernardus, vel Ioannes Damianus *in Sermone Ioannis Baptistæ*, qui incipit: Hodie dilectissimi, &c. Item hoc idem ex præfata Redemptoris nostri promissione ostendit Leo Papa IX. *in libro quem cōtra Michaelem Constantinopolitanum fecit, cap. 7.* Item in Synodica eiusdem Leonis ad Petrum Antiochenum Patriarcham scribens (inter alia, relato textu: *Ego rogavi pro te, &c.*) sic cōcludit: Quę venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenùs Fides Petri non deficit, nec defectura creditur in Throno illius in sæculum sæculi, sed confirmabit corda Fratrum, varijs cōcutiēda Fidei periclitationibus; sicut hucusq; cōfirmare nō cessavit.* Hæc ille.

101 *Item patet hoc (prosequitur ipse Cardinalis) *professione 8. Synodi*, in qua lectus est libellus Adriani Papæ, qui acceptus est cum omni laude. Item ipsa Synodus octava acceptans doctrinam, & sententiam Apostolicæ Sedis.*

102 Horum autem Conciliorum verba modò non proferimus, tum quia illorum aliqua iam supra retulimus, reliqua postea relaturi; at si quis ea legere cupiat, adeat prædictum Cardinalem, qui illius loci: *Ego rogavi pro te* sensum exponens, sic prosequitur: *Quòd prædicta promissio Christi: *Ego rogavi pro te, &c.* intelligenda sit de Fide Petri pro Sede sua, testantur Doctores famosiores in Ecclesia Dei, qui exposuerunt Bibliam, vt Magnus Albertus super Lucā, at illud: *Non deficiet Fides tua*, ait, scilicet finaliter. Hìc: Argumentum efficax pro Fide Christi, & successore ipsius; quia Fides eius finaliter non deficiet. *Nahum 1. Non adjiciet vltra, vt pertranseat per te Belial, vniversus interijt.* Item Dominus Hugo Cardinalis super eundem locum ait: Argumentum pro Ecclesia Romana. Item ad hoc est Glossa *in cap. Quocumque 24. q. 1.* Quæ dicit sic: Nisi erraret Ecclesia Romana, quòd non credo posse fieri: quia Deus nō permitteret.* HęcGloss.

103 Hanc eandem sententiam solita eruditione, & subtilitate illustrat Eminentissimus CAIETANVS, qui *tract. de authoritate Papæ, & Concilij, cap. 9.* Oppositæ sententiæ argumenta diluens, illum Lucæ textum allegat, & ex illo privilegium non errandi in rebus Fidei, quo Summus Pontifex gaudet, sic eruditè deducit: *Papa in huiusmodi iudicio est rectissimus propter assistentiam Spiritus Sancti, in iudicio Fidei propter vniversale bonum Fidei, sicut promisit *Ioannis 14. Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem*; & Petro dixit: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.*

104 Iuxta quod etiā 24. *q. 1.* dicit Innocētius Papa, *c. Quoties.* Quoties ratio Fidei vētilatur, non nisi ad Petrū, id est, sui nominis honorē, seu authoritatē habētem recur-

rendum est. Et scito, quod cum dicitur de errore iudiciali, quòd sola vniversalis Ecclesia errare in Fide non potest, non excluditur Summus Pontifex, sed includitur: quia authoritas determinãdi de Fide, competens vniversali Ecclesiæ, principaliter residet in Romano Pontifice. Vt Sanctus Thomas *in 2.2. quæst. 11. art. 3. ad 3.* dicit: Immò ipsa authoritas, quæ vniversalis Ecclesiæ dicitur, non nisi illa Papæ est, vt ex inducta authoritate ex quæst. 1. 2. 2. (vbi finalis sententia de Fide ad Papam spectare probatur) patet. Et propterea in allegato Quolib. Sanctus Thomas iudicio Ecclesiæ, & Papæ, vt sinonimis vtitur, aperiens expresse quòd sententiæ Papæ per assistentiam Divinæ providentiæ standum est. Et propterea oportet esse cautum, ne vocabulis aliter intellectis fallamur. Certi namque sumus, quòd nec Papa, nec Ecclesia, aut Synodus vniversalis integra, potest in Fide errare iudicãdo authoritativè de Fide. De Ecclesia autem, ac Synodo Acephala nihil invenio, quia nihil authoritatis sine capite in ea video, quamvis merita multa. Et non advertere ad hanc distinctionem de Fide personali, vel in iudicio authoritative, est causa quare à multis ignoranter, & in materia Fidei, Ecclesia, immò Doctores, Papæ præferantur. Considerant enim ipsum non officium cum assistentia Divina ad Fidem in officio, & si non in persona.*

105 Ipse Cardinalis *in tractatu Apologetico*, pro ijs, quę de Pontificis authoritate dixerat, repetens *cap.* 14. ea quæ *cap.* 9. scripserat, hæc habet: * Dixi in eodem *9. cap.* rationem, quare Papa non potest errare in iudicio Fidei, quia hic error, esset error vniversalis Ecclesiæ: quia tenetur sequi diffinitionem Papæ in Fide, afferens ad hoc authoritatem Sancti Thomæ, & post Decretalis, *in c. Maiores.* Et IESV Christi: *Ego rogavi pro te Petre.*

106 Tres deinde adducit solutiones, quibus oppositæ opinionis Authores argumentis à prædicto Cardinali propositis, satisfacere conãtur, subdens ipse Cardinalis: * Obijcitur negãdo, quòd Ecclesia de necessitate teneatur credere sententiæ diffinitivæ Papę in materia Fidei: Et dicendo, quòd sicut Papæ præcipienti contra Evangelium non est obediendum, ita nec sententiæ erroneæ in Fide. De authoritate Sancti Thomę non est curandum.*

107 Ad Capitulum, *Maiores*, dicitur dupliciter. Primò, quòd non pro vltima, & necessariò credenda determinatione habenda, sed regulariter ad Papam est recurrendum; quia regulariter non est Ecclesia congregata. Secundò (& in idem redit) quòd referendæ sunt Summo Pontifici causę Fidei, vt convocet Concilium, quia ad ipsum spectat congregare illud.

108 Ad verbum Domini: *Ego rogavi pro te, &c.* Dicitur, quòd non pro sola persona Petri, aut successoribus oravit Christus, ne deficeret Fides eius, sed pro vniversali Ecclesia per Petrum representata.

109 Has tamen tres impugnationes, sic prædictus Cardinalis loco citato refellit, dicẽs: * Negationem illam, consuetudo Ecclesię, authoritatesque Sanctorum confutant, & ignis experientia comprobaret, si quis non teneret, quòd à sola Romana Ecclesia determinaretur, Hæreticum esse, vt patet extra *de Hæreticis, ad abolendam* in textu, & Glossa. Et hæc responsio manifestat, ad quid fateantur ipsimet se declinare oportere, defendendo subiectionem Papę reliquo corpori Ecclesię, vel Concilij.

110 Quòd autem additur, quòd sententię erroneę, sicut nec præcepto diabolico adhęrendũ esset, verissimum est; sed nihil obstat: quoniam ex ijs nihil aliud, quam conditionalis veritas habetur, scilicet, si determinaret erroneę, si pręciperet contra Evangelium, non audiretur. Hoc enim non solum de Papa, sed de Angelis Sanctis verissimum est, iuxta illud: Si Angelus de Cœlo evangelizet aliud, &c. anathema sit. Ex his enim non sequitur, quod antecedens, aut consequens possit esse verum, vt patet.

111 Quòd authoritas Sancti Thomæ parvi fiat, non nihil est: quoniam Ecclesia non parvi facit; sed estò quòd Sanctus Thomas parvi fiat, Cyrillus, & Maximus ibidem allegati, etiam parvi fient. Hieronymus quoque, dicens ad Damasum (vt habetur *24. quæst. 1. Canone*, hęc est Fides) Si hęc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me Hęreticum comprobabit. Manifestèque in his verbis contestans, quod ex approbata Fidei confessione à Papa, aliquis obstans, non Catholicus sit, parvi pendendus erit.

112 Ad expositionem verò dictam *de cap. Maiores*, dicitur, quòd litterę cõtradicit; nam textus, causam quare ad Petri Se-

Sedem sit recurrendum assignat, veritatem Petri in confitendo Fidem, & indefectibilitatem eius in eadem, propter Orationem Christi. Ex hac enim causa manifestè sequitur, quòd ideò ad Papā referendas esse maiores causas, dicitur, quia ipse cōstitutus est indefectibilis Iudex in Fide; & quia eum, qui certus est, amplius certificari non oportet, sequitur quòd sententia Papę in Fide est finalis determinatio, & necessario credenda, secundùm illam Decretalem. Et sic vtraque expositio ruit.

113 Quòd autem de Oratione Christi pro Petro dicitur, potest benè, & malè intelligi. Malè quidem, si intelligatur, quòd Christus pro Ecclesia, siue cum Papa, siue sine Papa, orasse se dixerit: quoniam expressè dixit Christus hęc verba Petro, vt distinctio ab alijs, vt patet ex cōtextu. Inquit enim *Lucæ 22. Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Vbi manifestè patet, quòd distinguit tētationis actum ab Oratione quoad hoc, quod communiter expetiti erant, & tamen ipse singulariter pro Petro rogauerat, dicens, *Expetiuit vos: Ego autem pro te rogaui.* Apparet quoque idem ex eo, quod Petro commisit, vt confirmaret alios, tamquam diceret: Ego tui, tu autem aliorum curam habeas.

114 Bene autem, si intelligatur Dominum orasse pro Petro, & alijs, diuersimodè tamen. Pro Petro quidem, immediatè; pro alijs verò, mediante Petro: Pro Petro, in se ipso Petro: pro alijs autem, in Petro ipsorum Capite. Et in hoc sensu magis confirmatur intentum nostrum, vt patet. Et vt vnico verbo dicam, si hęc authoritas de Petro, & Successoribus verificatur (vt dictum *cap. Maiores* affert) satis habetur intentum, quòd Petri Sedes non potest errare in Fide propter Christi Orationem. Et cū hoc non sit verū de errore personali, sequitur quòd verificatur de errore iudiciali.* Hactenùs Cardin. Caietanus.

115 Huic subscribit sententię Cardinalis IACOBVS VITRIACVS, qui in *Historia Orientali, cap. 75. anno* 1230. hæc habet: * Patet ergo cum super hanc Petram, pro qua Dominus rogauit, vt non deficeret Fides eius, post Christum ędificata sit, & fundata Christi Ecclesia, quòd omnes, qui ab Ecclesia Romana recedunt, absque fundamento ę dificent, in vanum laborantes, & ab eo, qui à Domino *Cephas* appellatus est, separati, Acephali, & monstruosi homines meritò sunt reputandi.*

116 Cardinalis BELLARMINVS hanc difficultatem solita eruditione discutiens, *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 3.* Istam conclusionem stabilit: * Summus Pontifex cum totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad Fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Quam probat ex præallegato Sancti Lucæ textu: *Ego rogaui pro te Petre, &c.* Huius autem textus tres expositiones adducit. Prima est Doctorum Parisiensium: * Quòd Dominus hic orauerit pro Ecclesia vniuersali, siue pro Petro, vt totius Ecclesiæ figuram gerebat; & hoc impetrasse, vt Fides Ecclesiæ Catholicę numquam deficiat; quæ expositio, si ita intelligeretur, vt diceret, immediatè oratum esse pro Capite Ecclesię, & consequenter pro toto corpore, quod per Caput repræsentatur, vera esset; sed non ita ipsi intelligunt: volunt enim pro sola Ecclesia esse oratū: quæ expositio falsa est.* Cuius falsitatē impugnat. Et infra.

117 * Altera expositio est quorundam, qui hoc tempore viuunt, qui docent Dominum orasse hoc loco, pro perseuerantia solius Petri in gratia Dei, vsque ad finem.* Quam expositionem improbat.

118 * Est igitur (inquit) tertia expositio vera, quod Dominus duo Priuilegia Petro impetrauerit, vnū, vt ipse non posset vmquam veram Fidem amittere, quantumuis tentaretur à Diabolo, id quod est aliquid amplius, quam donum perseuerantiæ: Dicitur enim perseuerare vsque in finem, qui licet interdum cadat, tamen resurgit, & in fine Fidelis inuenitur: at Petro Dominus impetrauit, vt non posset vnquam cadere, quòd ad Fidem attinet.

119 Alterum priuilegium est, vt ipse tamquam Pontifex, non posset vmquam docere aliquid contra Fidem, siue, vt in Sede eius numquam inueniretur, qui doceret contra veram Fidem.* Primum Priuilegium apertissimis Sancti Augustini, Sancti Chrysostomi, & Sancti Prosperi authoritatibus confirmat.

120 Secundum Priuilegium Sacratissimis aliquorum Pontificum oraculis, ac elegantissimis Theophilacti, Sancti Petri Chrysologi, & Sancti Bernardini testimonijs demonstrat; horum autem verba, & supra retulimus, & infra etiam adducere non grauabimur.

121 Præclarè etiam hanc illustrat sen-

tentiam Eminentissimus Cardinalis LAVRENTIVS BRANCATVS DE LAVRÆA, qui *Tom.3. de Fide, disp. 5. art. 2. §. vnico.* Romani Pontificis Infallibilitatem in rebus Fidei, ex ipso Sancti Lucæ, quē expendimus, textu eruditè suadens: *Nulli (inquit) clarè, & explicitè reperitur promissa à Christo assistentia circa Fidei Doctrinam docendam, nisi Petro Christi Vicario, & in eo, eius etiā Successoribus: Ergo ab eo tamquam à Capite dependet Decretorum Fidei Infallibilitas, vt Ecclesiam obliget. Antecedens probatur. Et si plura (vt in obiectis) alignentur promissæ Infallibilitatis loca, omnia tamen sunt ambiguitate quadam debilitata, solus locus *Lucæ 22. Rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua,* est clarus, apertus, & obvius, & in hoc Patres omnes, in Articulo sequenti adducendi, fundantur: Ergo cum agitur de confirmandis Fratribus, id est Fidelibus omnibus, & Episcopis in doctrina, huius indubitatæ causæ, influxus est quærendus, non verò aliarum, quæ dubium patiuntur.

122 Hinc est quod duo illa Magna Ecclesiæ Lumina, Hieronymus, & Augustinus, in sequenti articulo afferendi, id tantum in Fidei doctrinis curabant; an à Romano Pōtifice essent decretæ, ita quod Hieronymus acerrimè defendens Personas Divinas non posse dici Hypostases, ad Papam Damasum scribens, dixerit: *Si iusseris, tres dicam Hypostases*, vt fusius infra. Augustinus verò triumphans de Pelagio, ac Cęlestio in hoc solo securè triumphabat, quia Hæreses eorū à Romano Pontifice cognitę fuerant damnatæ, nempè ab Innocētio, & Zozimo. Ita *in Epistola* 157. Tertulianus etiam *lib. de Præscriptionibus cap.36.* Habes (inquit) Romam, vnde nobis quoque authoritas pręsto est, Status felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. *Hęc ille.

123 Colophonē addat Eminētissimus Cardinalis Iosephus de Aguirre, Benedictini Ordinis illustre Sydus, Salmāticēsis Vniversitatis, quæ in Theologiæ Cathedra illius ingenij subtilitatem mirata est, insigne decus; qui in *Tractatu, quem de Infallibili Romani Pontificis authoritate extra Concilium,* eruditè composuit, assertionem nostram ex citato Lucæ textu eleganter deducit *disp. 22. sect.2.* vbi hæc scribit: * Primo itaque suadetur ex Scriptura, in qua Christus Dominus dedit Petro tamquam Capiti totius Ecclesiæ in fine mundi permansuræ, & subinde legitimis eius Successoribus in eadem Dignitate suprema, authoritatem nulli errori obnoxiam ad confirmandum in Fide Fratres suos, id est, omnes Ecclesiæ Filios; verba pręcipuè habentur, *Lucæ* 22. vbi Dominus ait: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, &c.* Quo loco observandum, cum pręmisisset Christus, *Satanas expetivit vos*, numero plurali, postea non addidisse, rogavi pro vobis, sed dumtaxat, *rogavi pro te*, numero singulari, *vt non deficiat Fides tua.*

124 Deinde nec adiecisse pluraliter, & vos aliquando conversi, sed solum: *Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos*; vt nimirum ostenderet, eam Orationem Christi, non pro cæteris Discipulis, vel Apostolis, sed pro Petro solo factam fuisse, veluti, qui totius Ecclesiæ Caput, iam ab ipso Domino delectus fuerat apud Cæsaream Philippi, *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Cum verò aliunde constet ex Apostolo, *ad Hæbreos* 5. Christum fuisse pro sua reverentia exauditum à Patre in Oratione sua, certum omnino est impetrasse Apostolo Petro, sub indeque ipsius Successoribus in eadem dignitate Capitis Ecclesiæ firmitatem prædictam in Fide ad confirmandum in ea fratres suos, ita vt quatenus Pontifex, sive ex Cathedra, non posset docere, aut definire aliquid Fidei, vel bonis moribus contrarium. Hæc est plana, & litteralis expositio huius loci iuxta Sanctos Patres.*

§. IV.

EADEM ROMANI PONTIFICIS infallibilitas, ex ipso Sancti Lucæ textu 22. iuxta venerabilium Episcoporum interpretationem fulcitur.

125 CLassicum canant Gallicani Episcopi, qui duas Epistolas ad Innocentium X. hac nostra tempestate dederunt; in quarum prima propositionum Iansenij definitionem à Romana Sede enixè efflagitant; in secunda verò cumulatissimas gratias Innocentio X. referunt quòd Iansenij propositiones, tamquam hæreticas ipsis

ipsis postulantibus damnaverit, ibique Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitatem apertè fatentur, eamque ex promissione Divo Petro, istiusque Successoribus à Christo facta deducunt. Vtramque Epistolam afferũt Dominicus à Sancta Trinitate *lib.3.Bibl.sect.4.c.16.* Et Cardinalis Aguirre *disp.2.tract.1.de Auth.Pap.Infall.* & alij. In prima, octuaginta quinque Episcopi Infallibilẽ Romani Pontificis in rebus Fidei definitionem, exposcũt humiliter; in secunda, triginta duo Episcopi Gallicanæ Ecclesię nomine, Pontificis ob infallibilem definitionem debitas grates persolvunt. Ex hac igitur Epistola aliqua verba, quæ nostræ magis cõgruunt conclusioni, subscribimus.

126 *Optata (inquiunt) pervenit ad nos tandem Constitutio illa, qua vestræ Sanctitatis authoritate, quid sentiendum sit de controversis quincuè propositionibus, quę sunt excerptæ è Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi libris, perspicue decernitur. Excitatę in Belgio contentiones flagrabant etiam in Gallijs, & latissimum incendium per vniversas Ecclesiæ partes minabantur, ni pesti grassanti, & certissimam perniciem adlaturæ obstitisset Beatitudinis vestrę indefessum studium, & ex alto petita potestas, quæ sola acerrimam illam animorum collisionem compescere poterat.

127 Agebatur de re magni momenti, de aditu, scilicet, ad salutem per necessaria Christianæ Gratię præsidia, & humanæ voluntatis adiumentis, illis excitatæ, ac fotæ conatus liberos, ac de Divina Christi pietate, ac beneficentia in vniversum genus humanum.* Et infra.

128 *Quo in negotio illud observatione dignum accidit, vt quemadmodum ad Episcoporum Africę relationem, Innocentius I. Pelagianam Hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, Hęresim ex adverso Pelagianę oppositam, Innocentius X. authoritate sua proscripserit. Enimverò vetustę illius ætatis Ecclesia Catholica sola Cathedræ Petri communione, & authoritate fulta, quę in Decretali Epistola Innocentij ad Africanos data, elucebat, quamque dein Zozimi altera ad vniversos orbis Episcopos Epistola subsequuta est, Pelagianæ Hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit.

129 Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversus Appollinarium, & Macedonium, nondum ab vlla Synodo Occumenica dãnatos à Damaso, paulo antea iactis, iudicia pro sancienda regula Fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) Divinaque, ac summa per vniversam Ecclesiam authoritate niti, cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Ea nos quoque sententia, ac Fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem quę in Summo Pontifice Innocentio X. viget authoritatem debita observantia colentes, Constitutionem Divini Numinis instinctu à Beatitudine vestra conditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenarum Archiepiscopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam curavimus in Ecclesijs, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud Fideles Populos vrgebimus, &c. Et infra.

130 Quare cùm Rex cœlestis hac in causa fœderatum habeat Regem terrenum, (ita enim prædictæ Bullæ executionis annuebat Gallorum Rex, vt non modo impedimentum aliquod illius executioni obijceret, verumetiam omne suum studium, atque operam contra contumaces polliceretur, vt prædicto Apostolico Decreto obtemperaretur) si fas ita loqui cum Xisto III. Sanctitas vestra per petrę soliditatem, iam contusis veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione de nova hęresi triumphos aget. Porrò Nos Innocentio X. cuius ore Petrus loquutus est, vt Leoni I. acclamabat IV. Synodus, hanc divinam lauream gratulati, Sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Occumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus.* Hactenus Illustrissimi Episcopi Gallicani. Parisijs *die* 15. *Iulij* 1653.

131 Iis, quæ prædicti Illustrissimi Gallorum Episcopi in præallegata Epistola dixerunt, nihil pro infallibili Romani Pontificis authoritate in rebus Fidei extra Concilium definiendis addi posse videtur. Huic Epistolæ inter Gallicanos Episcopos subscripsit Cardinalis Macerinus, qui gratia apud Gallorum Regem valebat, & in summam familiaritatem venerat; hanc eandem Epistolam præter quinque Archipiscopos, manu sua signavit Archiepiscopus Tolosanus

nus Petrus de Marcà, esto alioquin ad Apostolicæ Sedis authoritatem, ac iura stabilienda, eique suffragandum non multum pronus, vt liquet ex duobus suis voluminibus de *Concordia Sacerdotij, & Imperij.*

132 Prætereundum non est, quod super hoc Gallicanorum Episcoporum facto expendit Doctissimus Author natione Gallus, Pater DOMINICVS A SANCTA TRINITATE, *in sua Bibliotheca Theologica, lib. 3. sect. 4. cap. 16.* illius verba audiamus: *En suprema tandem, qua in Ecclesia nulla maior, vniversalis, ac independens Romanorum Pontificum Authoritas, eaque infallibilis in rebus Fidei, & Religionis, vbi ex Cathedra loquûtur.* Quod & probat varijs rationibus, vbi quartam rationem assignans, subdit:

133 *Quarta ex eo, quod ortis in Ecclesia Fidei controversijs, debeat esse Supremus Iudex ordinarius, qui statim illas componat, ingruentesque hæreses extinguat; Qui alius esse non potest, quam Summus Pontifex, seorsùm à Concilio Generali sumptus. Cum enim huiusmodi Concilia non nisi cum maximis laboribus, expensis, difficultatibus, longoque tempore, congregari, ac celebrari valeant, sepiusque, vt patet ex historijs, à Principibus, & perversis, improbisque hominibus intertúrbentur, adeo vt hæreses interim crescere, magnosque progressus facere possent, non ita rectè Christus Ecclesiæ suæ indemnitati providisse videretur, si nullam rebus eius componendis expeditiorem viam, aut rationem præter Concilia Generalia, etiamsi cum Romano Pontifice, reliquisset.

134 Ne igitur id admittere cogamur contra suavitatem Divinæ Providentiæ, vltrò asserendum est, Christum Dominum Supremam in hunc finem contulisse Authoritatem Romano Pontifici seorsim à Concilijs OEcumenicis: nullus enim rationabiliter inficiari poterit, quin hic sit expeditior modus ad Ecclesiam contra hereses, schismata, morumque corruptelam præmuniendam; nimirum si adeamus Summum Pontificem ad quem facilis patet accessus, eumque audiamus; qui pro Infallibilitatis privilegio exortam quamcumque Fidei quæstionem, doctis, prudentibus, pijsque viris in Concilium adhibitis & ritè convocatis, certò potest declarare, ac definire.* Hæc ille.

135 Illustrissimus GVIDO, Præclarissimus quondam totius Carmelitani Ordinis Generalis, postea verò Maioricensis Episcopus, vir singulari doctrina, ac ferventissimo Fidei, & Catholicæ Ecclesiæ Zelo Insignis in *libro quem contra Vvaldensium errores scripsit*, Infallibilitatis Privilegium, quo Pontifex, & Apostolica Sedes insignitur ex eodem Sancti Lucę textu, sic eruditè probat: *Constat quòd Dominus Petrum, & in Petro, Petri Successores posuit omnium Fidelium Caput, cui ait Dominus *Lucæ 22. Rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* Ita quod in directione, & confirmatione Fidei Petro, & Petri Successoribus est standum, & obediendum, &c. Manifestum est quod in Petro omnes continentur, vt in Capite post Christum, & ovium Christi Pastore. Sic quòd Petri Fides non deficiet à Sede Apostolica, nec à Romana Ecclesia Christi Sponsa, quæ tota pulchra est, & labes hæretis, seu macula non est in ea. Item nolentes obedire Romano Pontifici Pastori ovium Christi, cui in Petro Dominus ait: *Pasce oves meas*, desinunt esse oves Christi, quia oves Christi vocem eius audiunt *Ioannis* 10. Et Christus cum Petri Successoribus adest per suam gratiam eos dirigens, & confirmans in Fide, vt eorum doctrina, & regimine perseveret Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia sine ruga, aut macula hæreticę pravitatis.*

136 Non inferioris authoritatis, & doctrinæ Illustrissimus Antistes MELCHIOR CANVS *de locis Theologicis, lib. 6. cap. 3. de Ecclesiæ Romanæ authoritate, conclusione* 2. statuit: *Petrum, cum Ecclesiam docebat, aut oves in Fide firmabat, errare non potuisse.* Et recto doctrinæ, & consequentiæ ordine *in 3. conclusione* tuetur, *Petro defuncto, Divino iure esse, qui illi succedat, in eadem authoritate, & potestate.* Vtramque conclusionem solita eruditione illustrat; at in secunda Privilegium non errandi, quod in Petro, istiusque Successoribus constanter tuetur, pręcedentium Authorum doctrinam sequutus, fundat in illo Divi Lucæ textu; *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, vt cribraret, sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, &c.* In cuius expositione hęc addit: *En cum dixisset Dominus *Satanas expetivit vos*, nō ait, *Ego rogavi* pro vobis, sed *pro te*: nec dixit, & vos aliquando conversi, sed *tu aliquando con-*

ver-

versus confirma fratres tuos. Cum autem Oratio Christi, vt Author est Paulus, semper fuerit exaudita, quòd Christus oravit, id certè consequutus est, ne Petri Fides deficeret, vt fratres posset in Fide firmare.*

137 Illustrissimus GVILLELMVS LINDANVS Doctor Lovaniensis, ac Episcopus Ruremundensis, & secundo Gandensis, vir (vt ait Baronius *in Notis ad Martyrologium 23. septembris*) non tantum omnis generis litterarum eruditione clarissimus, verùm etiam egregij Confessoris Fidei nobilitatus insignibus, quippè qui exilia, proscriptiones, aerumnas incredibiles, ac mortes penè frequētes inconcusso robore, Fidei causa sustinuit; aliqua inter cætera scripsit Opuscula *cunctantium de vera, certaque per Christi IESV Evāgeliū salutis æternæ via, & cap. 5. Dialog. 1.* *Romanam Ecclesiā, tamquam æternæ vitæ vere ianuam, commendat, cui non modo, ante omnes, vniversus Oriens, & Occidens, verum omnes etiam Christi Ecclesiæ, & totus Orbis submissum animum subdit: *Et cap. 48. lib. 4. Panopliæ Evāgelicæ*, hæc scribit: *Demonstratum est Romanę Ecclesiæ Episcopum verum esse Petri Apostoli Successorem, & eandem Cathedram Sacerdotalem, quam Primus Divus Petrus tenuit Romæ, etiam nunc tenère; nunc superest, vt Romanum Episcopum eisdem ostendamus à Christo Domino exornatum privilegijs, & authoritatis, principalisque potestatis prærogativæ pręditum, quibus ipse olim Divus Petrus.* Quod luculenter, ac eruditè probat *cap. 36. & sequentibus.*

138 Cum ergo hucusquè probaverimus Divum Petrum habuisse non errandi privilegium, ob efficaciam Orationis Christi, cum *Lucæ 22.* inquit: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*; ex Gravissimi huiusce Authoris Doctrina rectè deducitur Romanum Pontificem eadem esse Infallibilitate pręditum, ob prędictum in rebus Fidei non errandi privilegium Divo Petro à Christo Domino concessum.

139 Doctissimus CORNELIVS IANSENIVS Gandavensis Episcopus, Vir non solum Latinæ & Græcæ, sed Hebraicæ etiam linguæ intelligētia apprimè eruditus, dignus certè, qui ob singularem sapientiam, ac linguarum peritiam, à Catholico Hispaniarum Rege Philippo Secundo ad Tridentinam Synodum mitteretur; in sua *concordia ad totam Evangelicam Historiam*, explicans textum illum *Lucæ 22. Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquādo cōversus confirma fratres tuos, c. 133.* sic vertit: *Cōfirma illos in Fide.* *Quibus verbis, docet Iānenius manifestè satis, Christum, Petrum cęteris pręfecisse.* Cum autem Petro, tamquam Apostolorum, & Ecclesiæ totius Capiti dictum sit: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*; hinc plerique Patres rectè intellexerunt hanc Christi Orationem etiā pertinere ad totam Ecclesiam, atque peculiariter etiam ad Cathedram Petri, quæ nunc est in Ecclesia Romana, intelligentes virtute huius Orationis totam Christi Ecclesiam numquā defecturam à Fide, immò nec Ecclesiam illam particularem, in qua est Cathedra Petri, & legitima Episcoporum à Petro successio, quæ nunc est in Ecclesia Romana. Quod enim Petro dictum est ad totam Ecclesiam non pertinet, nisi ratione Cathedræ, & Ecclesiæ Petri, quæ in tota Ecclesia Primatū obtinet, sicut quod Petro suprà dictum est: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*; in Petro toti etiam dictum est Ecclesiæ, quæ in Petro claves illas accepit, sed ratione Cathedræ Petri, quę eas habet à Petro, per successionem.* Quod certè luculentissimis Sanctorum Patrum Bernardi, Cypriani, & Hieronymi authoritatibus illustrat, ac Sacratissimis Summorum Pontificum Lucij, & Agathonis oraculis confirmat. Vnde concludit dicens:

140 *Cum autem, quæ per Petrum ad Romanam pertinent Ecclesiam, non pertineant ad eam, nisi ratione eius, qui in Sede Petri legitimè succedit Petro; sicut Claves Regni Cœlorum non habet Ecclesia Romana, nisi in eo, qui Petro in ea succedit Ecclesia; hinc non inefficaciter quidam colligunt ex Christi verbis secundùm Patrū intelligentiam acceptis, numquam etiā à Fide defecturū eum, qui legitimus fuerit Petri in Sede ipsius Successor. *Nam quòd Fide deficere nequeat in quantum Caput, & Pastor totius Ecclesiæ definiendo aliquid, ac proponendo aliquid credendum Catholicæ Ecclesiæ contra Fidem, patet ex antedictis, & promissionibus Christi, & specialibus Petri prærogativis, *Matthæi 16. & Lucæ 22.* expressis, & hic supra declaratis, quæ alioquin forent falsę, quòd nęfas est opinari, vel dicere.

141 IOANNES MALDERVS Lovaniensis Doctor, & ex Sancti Thomæ Cathedra, quam multos annos in Lovaniensi Aca-

Academia moderatus est, ad Antuerpienses Infulas evectus *in Commentarijs in 2. 2. Divi Thomæ, de Virtutibus Theologicis Fide, Spe, & Charitate, disp. 5.* inquirit: * An Romanus Pontifex possit errare in decidendis Fidei quæstionibus?* Et notat primò, hic non quæri, an posit errare vt particularis Doctor, neque an possit in errorum scopulos impingere, quando cum Vniversali Cōcilio aliquid tamquam de Fide definit, sed propriè hic inquiri, an possit errare, quando ex Cathedra aliquid circa Fidem extra Generale Concilium decernit; & indubitanter affirmat, respondendum esse:* Summum Pontificem non posse authoritate sua Pontificali proponere Ecclesiæ aliquem errorem in Fide.* Quòd probat ex ijs, quæ Christus Dominus Apostolorum Principi dixit, *Lucæ 22. Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua,* quibus significare voluit, iuxta prædicti Antistitis intelligētiam, * re ipsa numquam defecturam Fidem Summi Pontificis in actu, quo proponat credenda Ecclesiæ. * Quo pacto etiam prędictum textum Sancti Patres intellexere, vt supra probavimus. Consulatur Sanctus Leo *serm. 3. de Aniversario suæ assumptionis.* Huc respexisse videtur Sanctus Cyprianus *lib. 1. Epistola 3.* cum ad Romanos, inquit, * Perfidiam non habere accessum; & Sanctus Epiphanius, cum in Ancorato apertè fatetur; in Petri ministerio omnes Fidei sublimitates inveniri. Consonat Sanctus Bernardus *Epistola 190.* hancque intelligentiam plures Sacræ Scripturę textus postulare videntur, in quibus iubetur omnibus, vt Petri, & cuiuslibet illius Successoris, tamquam proprij Pastoris, vocem audiant, & obtemperent, & cuilibet articulo, quem Petrus, istiusque Successores Fide Divina credendum ipsis proposuerint, certissimè assentiantur; ingens enim esset absurdum Deum nobis præcipere, vt tamquam certissimum, ac penitus infallibile teneremus id, quod nobis errori obnoxium proponit.

142 Hanc eandem Infallibilitatis prærogativam, indicant regni Cœlorum claves Divo Petro, istiusque Successoribus à Christo Domino elargitæ, vt rectè expendit eruditissimus STVDITES *in Epistola ad Naucrasium adversus Iconoclastas:* *Seipsos (inquit) absciderunt à corpore Christi, & Principe Sede, in qua Christus Claves Fidei posuit, adversus quas non prævaluerunt, nec *prævalebunt portæ inferi,* iuxta eiusdem Christi promissionem.*

143 Suprema Romani Pontificis authoritas definita fuit in Concilio Florentino sub Eugenio IV. * Definimus (in quit Concilium) Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniversum Orbem Primatum tenere, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, & Verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesię Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniversalem Ecclesiam à Domino nostro IESV Christo plenam potestatem traditam esse.*

144 Hunc autem Sacri Concilij textum explicans Illustrissimus ABELLY, Ruthenensis Episcopus *in Medulla Theologiæ, parte 1. cap. 4. sect. 4. §. 4.* hæc, quæ sequuntur verba, dignissima certe lectu, pro Romani Pontificis in Decretis Fidei Infallibilitate, quam ex toties repetito Sancti Lucæ textu deducit erudite, & ad rem nostram aptissimè, scripsit:

145 * Ex quo sequitur ad illum pertinere de rebus, ad Fidem, & religionem spectantibus, iuridicè cognoscere, maioresque causas, quales sunt Fidei, ac Religionis diiudicare, hęreses emergentes damnare, veritates Fide Divina credendas definire, ipsique omnes vbique terrarum Fideles, in his, quæ Fidem, & Religionem spectant, subesse debere, ac vocem illius, tamquam supremi Pastoris, auscultare.*

145 * Hanc de Romani Pontificis authoritate doctrinam optimè expressit Sanctus Bernardus *epist. 160. ad Innocentium* vbi Pōtificem illum, sic alloquitur:* Oportet, inquit, ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, & præsertim, quæ de Fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damnum Fidei, vbi non possit Fides sentire defectum; hæc quippe huius pręrogativa Sedis, cui enim aliquando dictum est: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur: *Et tu aliquando conversus conversus confirma fratres tuos;* id quippe modo necessarium, &c.* (Ego certe, dicerem id ipsum in hac nostra tempestate, præ quo vis alio tempore necessarium.)

147 Ex qua Sancti Bernardi doctrina, (prosequitur Illustrissimus Abelly) quæ totius Ecclesiæ communis est, sequitur primò quod

quod quoties aliqua cõtroversia exoritur in materia Fidei, quoties aliquod novũ Dogma exurgit, de quo dubitatur, an Fidei adversetur, certissimũ mediũ ad veritatem dignoscendam, eamque à quovis errore secernendam esse, ad Sedem Apostolicam recurrere, & inde responsa petere, vbi Fides non possit sentire defectum. Ita fecit Sãctus Hieronymus in controversijs quibusdam contra Fidem, Antiochiæ exortis, super quibus Iudicium Apostolicæ Sedis exquirit: Vt videre est in Epistola, quam super hac re scripsit ad Damasum Papam.

146 Idem etiam fecerunt Sancti Episcopi Victricius, & Exuperius, ille Rothomagensis, hic Tolosanus, cum primum nefariam Vigilantij doctrinam in Gallijs emergere conspicati sunt, super qua Innocentiũ I. consuluerunt, vt videre est apud Baronium, *tom. 5. ad annum 406. num. 47.* Ea nimirum ex causa quod scirent absque aliqua dubitatione esse in Ecclesia Catholica vbique servandum, quod ab Apostolica Sede nosceretur esse servatum, & custoditum, à cuius deciscere velle Decretis, communione seiungi, idem planè esset, quod in castris schismaticorum, aut hæreticorũ profiteri. Sic igitur ijdem Sanctissimi, atque Doctissimi Galliarum Episcopi, licet optimè ipsi nossent (vt Innocentius ipse in redditis ad eos Epistolis testatur) ea, quæ Romanum Pontificem rogarent: tamen quod certò scirent ipsam Apostolicam Sedem esse Turrem David, in qua sunt mille Clypei, & omnis armatura fortium, ab ipso præcipuo Catholicæ Ecclesiæ vertice sibi arma comparanda duxerunt, quorum vel vno ictu conficerent reptantem ventre bestiam super terram, quod omnes nefas esse intelligerent Apostolicę Sedis obniti Decretis.

149 Eodem modo se gessit (prosequitur Ruthenensis Episcopus) Alcimus Viennensis Episcopus, dum Hormisdam Papam super erroribus Gręcorum consuluit, vt ex eius Epistola ad illum Pontificem, constat; simili ratione Possessor Episcopus Africanus eundem Hormisdam consuluit, super doctrina cuiusdam libri à Fausto Regiensi Episcopo editi. Innumera propè exempla aliorum Sanctorum Episcoporum, & Doctorum ex Historia Ecclesiastica afferri possent, qui similibus in causis, in quibus de Fide agebatur, ad Petri Sedem recurrerunt, vt veritatem ab errore certo dignoscerent.* Hæc ille.

150 Ex eodem Sancti Lucæ textu argumentum pro Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitate deducit Illustrissimus Episcopus IACOBVS SIMANCAS, Hispanus * *de Catholicis Institutionibus, titulo 45. de Papæ authoritate, num. 20.* vbi hæc habet: * Hæc autem sententia memoratu digna est, Fidem, ac definitionem Sedis Apostolicæ principium esse certissimum, indubię veritatis eorum, quæ certa Fide tenenda, credendaque nobis sunt, nec enim dissensit vmquam à sententia Catholicæ Ecclesiæ, sed cum sacris litteris, & Apostolicis, Ecclesiasticisque traditionibus, semper ei convenisse, compertissimum est. Quam veritatem plurimi Sanctissimi, & Sapientissimi viri docent, & comprobant: asserentes Cathedram Apostolicam ab ipso Deo Christo, tali privilegio in persona Petri donatam fuisse, vt sicuti numquam erravit hactenus, sic etiam in finem vsque sæculi, Fidem eius numquam defecturam esse credamus, hoc scriptis suis testantur Antistites multi, Sanctitate, Doctrina, & antiquitate venerandi.* Quorum verba refert ibi *num. 20. & num. 21.*

151 Comprobant eandem sententiam multarum Synodorum, & Sanctorum Patrum testimonia quam plura, quæ ibi referuntur *num. 22.* *Hæc eadem sententia, inquit, satis apertè probatur illis Christi verbis: *Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*; quæ verba, non tantum de Petro, & pro ipso Petro dicta sunt, sed etiam pro Summis Pontificibus, legitimis Petri Successoribus: quorum Fides in Officio illo Pastorali non defecit, nec deficiet vnquam, *& portæ inferi*, hoc est, Hæresis, infidelitas, & erronea fides, *non prævalebunt adversus* hoc fundamentum Ecclesię.

152 Adde, quòd si verum est, sicuti est, quod Sacerdoti legali concessum erat, in veteri Synagoga privilegium hoc, vt in rebus Fidei, ac Religionis iudicaret semper iudicij veritatem, vt in Deuteronomio continetur, multo magis credendum est, concessum id ipsum fuisse Pontifici Summo, qui præest Apostolicæ Cathedræ, quam elegit Dominus, *Lucæ 22. Ioannis 21. & 17. Matthæi 16. & Deuteronomij 17.* Hanc veritatem Catholicæ Ecclesiæ traditione, Sacrisque litteris fulcitam, rationes quoque multæ, vivæ atque spirantes comprobant.* Hactenus ille in supra citatis locis.

153 Nec minorem sibi considerationem vendicat expositio, qua prædictum Sancti Lucæ textum dilucidat Illustrissimus Toletanus Antistes D. BARTHOLOMÆVS DE CARRANZA, *in Controversijs de Authoritate Pontificis, & Conciliorum*, quæ in vltima Generali Conciliorum editione appositæ sunt in apparatu Conciliorum, *tom. 2. in 3. controversia*, hanc quæstionem exagitat: Verùm sit certa regula rerum ad Fidem pertinentium sententia, & definitio Apostolicæ Sedis, sive Episcopi Romani in ea præsidentis? Circa quòd dubium duas sententias extremè oppositas proponit.* Prima est (inquit) quæ negat, quòd in dubitatione proponitur: Author fuit Gersonius Cancellarius, quē sequuta est sua Schola Parisiensis. Altera sententia est communior, & magis Catholica, quæ responde t affirmative propositæ dubitationi. (Hanc sequitur laudatus Carrança, dicens:) Nunc demonstratur Romanæ Sedis Authoritatem esse Orthodoxam Fidei regulam ex Antiquorum Patrū testimonijs. *Quòd postquam pluribus Sanctorum Patrum authoritatibus demonstravit, Romani Pontificis, & Apostolicæ Sedis Privilegium in rebus Fidei non errandi ex illa Christi Domini promissione, deducit: *Ego rogavi pro te Petre, ne deficiat Fides tua*, in cuius expositione hæc habet:* Hic scimus rogasse Christum pro Fide Petri, vt pro aliorum confirmatione ea maneret integra in Petra, & Capite Ecclesiæ. Constat autem Petrum illum Ecclesię Caput, & Fundamentum gravissimè peccasse post promissas (sivè vt alij volunt) acceptas Claves Regni Cœlorum, ter negando suum Dominum, quò minus de Successoribus mirandum est, si inveniantur fuisse homines peccatores, qui non fuerint in gratia confirmati. Quare Petro sua Oratione impetravit Christus, non quidem ne peccaturus esset vnquam, sed ne deficeret Fides eius, cuius Orationis effectus, non ad vnam singularem eius personam, sed ad eum tamquam ad Caput huius Hierarchiæ pertinere certū est; & per consequens ad Successores illius pertinebit continuò. Quòd & rei ipsius evidentia probari debet. Vna Romana Ecclesia à tramite Apostolicæ traditionis numquam aberravit, nec Hæreticorum novitatibus depravata succubuit, sed vt in exordio normam Fidei Christianæ percepit a suis Authoribus, illibatam semper conservavit.*

154 Consonat Illustrissimus Marsiliensis Episcopus, Parisiēsis Doctor, è Sacro Prædicatorū Ordine NICOLAVS COEFFETEAV, *in tract. pro Sacr. Monarch. Eccles. Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ*; adversus Rempublicam Marci Antonij de Dominis, Archiepiscopi Spalatēsis hęretici, *part. 5. discus. num. 5. cap. 12. lib. 1.* indefectibile Fidei lumen in Summo Pontifice hisce verbis astruit: * Dico igitur non esse par lumen in reliquis cum Summo Pontifice. Namque vni ei in persona Petri dictum est: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*; quare ea luce collustratus, plus eius oculus cernit, quam multorum oculi, &c.*

155 Insuper Illustrissimus Episcopus Pater Magister IGNATIVS DE FIVME, Neapolitanus, è Sacro Prædicatorum Ordine, *Tomo de Schola veritatis orthodoxæ*, adversus mendacia Calvini, Lutheri, cæterorumque Protestantium, prædictum Sancti Lucæ textum pro Pontificis affert Infallibilitate: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*. In cuius expositione hęc subdit, *lib. 1. de Rom. Pontif. tract. 3. lect. 2.* *Ex hoc testimonio duo colligimus. Primum, quod Petrus, vt Pontifex vniversalis Ecclesiæ, eiusque Successores, non possunt ex Cathedra aliquid docere contra Fidem. Secundum, eum numquam posse amittere Fidem adhuc stante quacumque gravissima tentatione. Quod quidem privilegium maius est dono perseverantiæ, cum is qui vsque in finem perseverare dicitur, interdum labitur, & resurgit, finaliter autem gratiam cum morte coniungit, & Fidelis invenitur: Christus autem rogavit pro Petro, vt non posset à Fide deficere, & exauditus est pro reverentia sua. Primum transit ad Petri Successores. Secundum est dubium, quamvis ego pro certo habeam, quod stante Divina promissione non potest Deus permittere, vt Pontifex Petri Successor possit à Fide deficere.*

156 Nec obstat dicere cum Vvitakero, & quibusdam alijs Hęreticis Christum Dominum non orasse pro solo Petro, sed pro omnibus Apostolis, ne à Fide deficerent; & ideò non fuisse privilegium speciale Petri, & Successorū eius. Non inquā, hoc obstat. * Quandoquidem (dicit ipse) Christus, vnā tantum Petri personā designavit, dum dixit: *Simon, Simon*: Et iterum, *Petre*,

tre,adiecit, secundam personam *pro te*, *Fides tua*, *tu*, *tuos*; ergo pro solo Petro oravit;alias dixisset: Ego rogavi pro vobis, & tunc quorsum Petro diceret: *Confirma fratres tuos?* Cum hi essent impetratione Christi confirmati? Hinc Sanctus Leo ad hunc locum respiciens *Sermone 2. de sua ordinatione*,ait: Specialis cura à Domino Petri suscipitur, & pro Fide Petri propriè suplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus,si mens Principis victa non fuerit. *

157 Et *num. 25.* apertè sentit prædictam Spalatensis, aliorumque Cathedrę Divi Petri hostium infensissimorum intelligentiam, videlicet rogasse Christum pro tota Ecclesia, & non pro solo Petro, ipso Sacro Lucę textui adversari: * Quia pro illo tantum rogavit Christus,cui dixit: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*Hoc autē nō poterat dici Ecclesiæ; quia cum Ecclesia sit Mater,& omnes Fideles sint filij, non possunt assignari, qui sint isti Fratres Ecclesiæ. Assignavit fortasè Spalatensis hos fratres, quos finxit in concavo Lunę.

158 Respondent alij, si ea, quę Petro sunt dicta,dicuntur etiam Petri Successoribus,sequitur,quod ly *aliquādo conversus*, dictum sit etiam de Successoribus, adeoque omnes Romani Pontifices Petri Successores, prius debent ter Christum negare,& deinde converti, & fratres confirmare.*

159 Non obstat tamen hæc cabillatio. * Nam si diceremus, quæcūque dicta sunt Petro debere dici de Successoribus Romanis Pontificibus,sequerentur multa absurditatis argumenta. De Petro etenim dictum fuit;Simon,filius Ioannis; & non potuisti vna hora vigilare mecum, &c. Omnes ergo Petri successores, Romani Pontifices, sunt ne filij Ioannis? Debent ne in Monte Olivarum vigilare cum Christo? Ridicula planè esset ista illatio.

160 Duo namque sunt in Petro.Vnum personale,& aliud publicum, vt Pastor, & caput Ecclesię. Quędam ergo tantumodo personæ Petri conveniunt, ad Successores non transeunt; vt quod dicatur Filius Ioannis; quod dicatur: *Vade post me Satana*; *aliquando conversus*, & similia. Quędam verò dicuntur de eo,quatenus est persona publica,& ratione officij Supremi Capitis, & Pastoris Ecclesiæ vniversalis: *Vt, Pasce oves meas. Tibi dabo Claves Regni Cœlorum. Quæcumque ligaveris super terram.Confirma fratres tuos. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, & sic de alijs similibus, quæ omnia ad Petri successores dubio procul transeunt; quapropter non militat, nec obstat ratio proposita.*

161 Album adhibet calculum huic Sentētiæ Illustrissimus Braccarēsis Archiepiscopus, D. RODERICVS ACVNHA, in erudito Commētario *ad 1. partem Decreti*,vbi pro expositione *C. si Papa*, *dist. 40.num. 6.* hæc habet: *Sit 1.conclusio. Summus Pontifex definiens ea,quæ ad Fidem pertinent, nullo modo errare potest. Probatur ex illo *Lucæ 22.v. 32.Simon ego rogavi prote, vt non deficiat Fides tua.* Quo loco concessum fuit Petro privilegium,vt ipse tamquam Pontifex, non posset docere aliquid contra Fidem, nec vt in Sede sua,& Successoribus in officio,inveniretur,qui contra veram Fidem doceret, ita colligitur ex Cap.*Maiores* in principio,de Baptismo.

162 Secunda conclusio. Pontifex assertivè de moribus diffiniendo,nec in rebus necessarijs ad salutem errare, aut deficere potest. Quia non potest fieri, vt Pontifex erret pręcipiendo aliquod vitium, vt Simoniam;vel prohibendo virtutem, vt iustitiā;nec potest fieri, vt erret præcipiendo aliquid contra salutem, vt circunsionem; vel prohibendo aliquod necessarium, vt Baptismum; quia tunc Ecclesia non posset dici Sancta, vt in Symbolo Apostolorum vocatur. Nam Sancta dicitur potissimum ob sanctam professionem, & legem, quam profitetur, quæ nihil docet falsum, nihil pręcipit malum.*

165 Accedat non dispar voto & etiam Iuris Pontificij, ac infularum splendore fulgens, Illustrissimus AVGVSTINVS BARBOSA, Vvesensis Episcopus, qui *in Collectan.ad Decretum*, *inpræfato cap. si Papa*,*num.2.* sic suam sententiam exponit: *Sciendum est Summum Pontificem, vel considerari posse tamquam supremmum Iudicem, & vniversalem Ecclesiæ Pastorem, vel tamquam privatam personam: si primo modo consideretur, certum est in definiendis his,quæ sunt Fidei, habere infallibilem Authoritatem,ita vt in publico Fidei Iudicio minimè errare possit.

164 Probatur primo Auctoritate Christi Domini *Lucæ 22.* vbi ad Petrum inquit:*Ego rogavi pro te,vt nō deficiat Fi-*

D2 *des*

des tua; quem locum licet aliqui intelligãt de tota Ecclesia, quasi Dominus oraverit pro Petro, quatenus totius Ecclesię figuram gerebat; convincitur tamen hæc interpretatio, primo ex Clem. I. in fine ibi: persona B. Petri, *de re iudic.* Deinde quia non convenit Verbis Christi, ibi: *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, non potest enim considerari conversio respectu ipsius Ecclesię, cum nũquam in totum defecerit à Fide. Deinde, quia respectu Ecclesiæ nulli sunt fratres, sed potius omnes Filij. Deinde repugnant particulæ illæ, *te*, *& tuos*, atq; alia verba præcedẽtia, vbi Simon bis repetitur, & apertius quia dixerat Dominus: *Satanas expetivit, vt cribraret vos*, mox mutata loquendi ratione inquit: *Ego autem oravi pro te, &c.* quæ omnia satis ostendunt aliquid speciale pro ipso Petro Christum Dominum impetrasse: neque etiam dici potest Auctoritatem illam personaliter ad Petrum pertinere, non verò ad eius Successores Romanos Pontifices, contrarium enim meritò declaravit Innoc. III. *in cap. Maiores, in prin. de Baptismo.* Ibi: *ad Petri Sedẽ referendas*, atq; alij sex antiquiores Pontifices, & Patres, quos refert Card. Bellarm. de Romano Pontifice *lib. 4. c. 3.**

165 Firmat tandem hanc Thesim Doctissimus Theologus, ac Insignis Pręsul D. FRANCISCVS DE ARAHVJO, è Primaria Salmanticensis Lycæi Cathędra in hunc honorem meritò evocatus, *tract.* quippè, *decis. moral. de Ecclesiastico Statu. quæst. 22. num. 8.* asserit: *Romanum Pontificem habere infallibilem auctoritatem definiendi res Fidei, ac religionis.* Eiusque assertionis rationem reddit cum Cano, eodem numero: *Nam hæc auctoritas (inquit) in Romana Sede, & eius Pontifice est de Iure Divino à Christo concessa, dum Petro, & eius legitimis Successoribus, quales constat esse Romanos Pontifices, huiusmodi Privilegium concessit, quando ei dixit: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*, & alibi: *Pasce oves meas.* Quod Privilegium ad Petri Successores, id est, Romanos Pontifices fuisse derivandum, ac defacto derivatum esse, constat ex Apostolica Traditione per experientiam, & antiquam Ecclesię consuetudinem firmata, quæ est optima legis, ac Iuris Interpres.*

§. V.

ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITAS, ex ipso Sancti Lucæ textu, iuxta Doctorum mentem, suadetur.

166 PRo Romani Pontificis Infallibilitate prædicto Sancti Lucæ textu innixa notatu dignissima est PARISIENSIS VNIVERSITATIS sententia, quam Magister Petrus Alliaco ab ipsa Vniversitate Romam missus Orator, Clementi Pontifici exposuit; ex istius ergo Oratione magno vel Oratore, vel Rege dignissima, quam in Sacro Romæ Consistorio, coram Sanctissimo Domino, prædictæ Vniversitatis nomine anno 1387. habuit, præcipuas seligemus periodos, quæ ad rem nostram pro Romani Pontificis Infallibilitate, in prædictis Christi verbis fundata, mirè faciunt, ac conducunt. * Igitur pro vestris (inquit) humilibus filijs Vniversitatis prædictæ, & pro nobis eorum Nuncijs, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde, & ore vnanimiter protestamur, quod quidquid hactenùs in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc, vel alias pro eis acturi, aut dicturi sumus, totum correctioni, & iudicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis, humiliter submittimus, dicentes cum Beato Hieronymo 24. *quæst.* 1. Hæc est Fides, Pater Beatissime, quam in Catholica Ecclesia didiscimus, in qua si minus peritè, aut minus cautè fortè aliquid positum est, emendari petimus à te, qui Petri Fidem, & Sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenùs dubitamus, quòd Sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam, eodem Hieronymo teste, fundata est Ecclesia; vt habetur in eadem *quæst. in cap. Quoniam vetus.* Et sicut dicit Cyprianus 93. *dist. Qui Cathedram.* De qua Sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis, dictum est: *Petre rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua. Lucæ* 22. Hęc est igitur ad quam determinatio Fidei, & approbatio veritatis Catholicę, ac hęreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.*

167 Antiquissimus ANGELBERTVS, *de ortu, & fine Romani Imperij, cap. 21.* Romanæ Ecclesiæ Infallibilitatem in

in rebus Fidei apertissimè tuetur; expendens enim verba illa: * *In errorem inducentur, si fieri potest, etiam electi*: hæc habet: *Si fieri potest*, quia fieri non potest in totum; cum Ecclesia, & Fides possint periclitari, sed numquam submergi iuxta illud *Lucæ 22. Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.** Hęc ille.

168 THEOPHYLACTVS, summæ apud Græcos authoritatis, & singularis apud Latinos venerationis, prędictum Sancti Lucæ textum ad rem nostram aptissimè interpretatur, dum inquit: *Manifestus verborum sensus est, cum te Discipulorum Principem fecerim, tu cum resipueris, confirma reliquos: hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra, & fundamentum es. Rursus, quamvis (inquit Christi nomine) brevi tempore concutiendus sis, habes recondita semina Fidei: etiam si folia abijecerit spiritus invadentis, radix tamen vivit, *& non deficiet Fides tua.** Hęc ille.

169 Doctissimus EMMANVEL CALECA, Author Gręcus peritissimus, qui contra Græcorum errores, Tomum edidit eruditione refertum, quem in quatuor digestum libros Ambrosius Camaldulensis latinitate donavit, *lib. 4. cap. 26.* Pōtificis in rebus Fidei Infallibilitatem pluribus Sacræ Scripturę textibus probat; pręcipuè verò hanc Infallibilitatem ex illo toties repetito Sancti Lucę loco deducit: * Perspicuè (inquit) liquet nullam illis excusationem relinqui, qui de processione Sancti Spiritus adversus Romanam Ecclesiam contendere instituerunt, quo circa quisque mente, & ratione præditus eandem cum illa opinionem de Spiritus Sancti processione tutissimè tueri debet. Et quam in Symbolo vnam Sanctam, & Apostolicam confitemur Ecclesiam, hanc esse iustissimè asseveraverit: cumque qui ita confitetur Catholicam Fidem tenere, illa duce non ambiget.* Prosequitur.

170 *Ad hæc, & illud intuendum, quanta sit Ecclesiæ magnitudo, quanta rerum moles, vt quę ab ea nulla vmquam hęretica sententia manarit, quam Beatus fundavit Petrus, quæ semper ad omnes fluctus immobilis perstitit; quia supra petram, id est, super ipsum Dominum fundata erat, sive super Beati Petri firmissimam Fidem, quem illi Dominus cum corporali præsentia mundū desereret præfecit, Beatum illum appellans; quia non illi caro, & sanguis, sed cœlestis Pater veram revelavit Fidem.

171 Inde iam principijs Ecclesiastici Principatus iactis, cum interrogatis Discipulis: *Quem esse homines putarent Filium hominis?* cæteros præveniens, dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Cui responsum protinus est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Rursumque illi hanc commendans dicebat: *Si me amas Petre, pasce agnos meos; pasce oves meas.* Et de quo ait: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.**

172 THEODORETVS in expositione illius loci Lucę 22. hæc scripsit verba, quæ rē nostrā manifestè convincunt: * Quemadmodum enim (inquit) ego te fluctuantem non despexi, ita, & tu sustentaculum esto fratribus conturbatis: & quo servatus es auxilio, ipse alijs impartire, neque labascentes impellas, sed erige periclitantes. Idcircò enim, & te labère sino, cadere non permitto, stabilitatem per te fluctuantibus procurans. Sic Orbem terrarum vniversum fluctuantem, atque labentem, magna hæc columna confirmavit, & vt corrueret omninò, non permissit, sed erexit, stabilemque reddidit, oves divinas pascere iussus.* Hęc ille.

173 Eruditissimus Sacrarum Litterarum Interpres DIONYSIVS CARTHVSIANVS illa Christi verba apud Sanctum Lucam *cap. 22.* exponens censet ideo Christū dixisse Petro: *Ego rogavi pro te.* *Quoniam Petro specialiter fuit Ecclesia committenda. Vnde quod dicitur, *vt non deficiat Fides tua*, exponitur, vt non deficiat Fides Ecclesiæ tibi committendæ.* Sicque ex verbis his summitur argumentum, quod Fides Romanę Ecclesię, quam in ea Petrus plantavit, sit vsque in finem sæculi duratura.

174 Nec minus apertè pro re nostra loquutus videtur peritissimus NICOLAVS DE LYRA, qui cum *in Matth. cap. 16.* dixisset: * Potestas clavium data Petro, intelligitur dari alijs, licet Petro principaliùs, in quantum erat aliorum capitaneus.* Et in *cap. Lucæ 22.* super illa verba *vt non deficiat Fides tua, & tu aliquādo cōversus confirma fratres tuos*, hęc scribit: *Ex hoc patet Fidem non deficere ad finē mundi, potissimùm in Ecclesia Romana

mana, quæ à Petro post Christum fundata est.*

175 Ipse Lyra in expositione illorum verborum: *Confirma fratres tuos*, hæc addit: * Hoc dicit ei (scilicet Petro) quia Ecclesia erat sibi committenda, vt habetur *Ioannis vltimo*, vbi ter dicitur ei à Christo: *Pasce agnos meos*. Ex hoc etiam patet Fidem non deficere vsque ad finem mundi in Ecclesia Romana, quæ à Petro post Christum fundata est. *

176 ALBERTVS PIGHIVS, *lib. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, cap. 11.* loquens de Agathone Pontifice, & de Fidei formula, quam ad Sextam Generalem Synodum misit, vt omnes ei obedirent, ea regerentur, ac ipsam tamquam regulam sequerentur infallibilem, hæc scribit: * In quibus audis, vt Apostolicæ sententiam, quam adversus totius penè Orientis, & trium principalium Sedium afferebat Episcopos, vniversalis tamen Concilij non submisserit iudicio; quin potius eandem illi regulam sanæ, & Catholicę Fidei præscripserit, quam sequi deberet: mandans suis Legatis, ne quid addere præsumerent, ne quid minuere, aut immutare ab ea sententia, ac definitione Fidei, quam ab Apostolica Sede secum attulerant. Vides, vt illa se prębuerit semper vniversæ Christi Ecclesię, & Concilijs omnibus Orthodoxæ veritatis regulam, & Magistram. Ob id singulari privilegio præservata à Christo, ne à via veritatis in quolibet errore, vmquam laberetur. Vides, quam non ipsa Concilia regulativam (vt illi loquuntur) Authoritatem obtinuerint super authoritatem Cathedrę Petri, & Apostolicę: sed contra è diametro. Cuius authoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniversales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis sequutæ sunt, & omnes Orthodoxi Patres, eius Doctrinam venerati, & amplexi. *

177 Nec obstat dicere Agathonem Pontificem hic in causa propria loqui, atque adeò legitimum iudicem non videri. Non inquam hoc obstat, id enim rectè rejcit ipse Albertus Pighius loco suprà citato; hæc subiungens: * Nam ipsa rei evidentia, eorum, quę dicit, veritatem comprobat; numquid enim, non idem factum à Beatissimo Leone in Ephesino illo Secũdo Cõcilio demõstravimus? Quod quia eiusdẽ sententiam, ac pręscriptum transgredi ausus est, à Catholica Christi Ecclesia execrari meruit, vna cum superbissimo illo Dioscoro, eius prævaricationis Authore Numquid factum aliud ab eodem Leone in illo omnium celeberrimo Chalcedonensi Concilio? Quod audisti, quam reverenter eius authoritatem recognoverit, & in cunctis sequutũ fuerit. Et hoc ipsum de quo agimus Sextum Concilium, Agathonis legem Fidei omnibus præscribentis, numquid contempsit authoritatem? Numquid vni illi Oriens vniversus victas manus non dedit? cum perlecta esset ea, quam diximus Beati Agathonis Epistola in Concilio, & ab Imperatore Christianissimo rogarentur illi vniversi, num suggestionibus eius consentirent toto animo? Primus Georgius Constantinopolitanus Antistes, abiecta contraria (quam antè defenderat) Monothelitica hæresi, professus est toto se animo illi consentire, amplectique sententiam Sedis Apostolicæ. Post quem, & cæteri Episcopi omnes surgentes, in hæc, & similia verba pro se quisque responderunt.

178 Suggestiones directas à Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo principalis Sedis antiquæ Romę, ad coronatum à Deo mansuetissimum nostrum Dominum Imperatorem, tamquam à Spiritu Sancto dictatas, per os Sancti, ac Beati Principis Apostolorum Petri prędico, & digito ter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio duas naturas in vno, Sanctæ Trinitatis Domino nostro IESV Christo Deo vero nostro, & duas naturales volũtates, &c. Et anathematizo omnes, qui dicunt vnicam voluntatem, & vnicam operationem post Incarnationem Domini Nostri IESV Christi, &c.

179 Macharium autem Antiochenum Patriarcham dictæ Agathonis Sententię pertinaciter reluctantem, vt novum Dioscorum, vna cum Stephano eius Discipulo, Hæreticos pronuntiarunt, & ab omni Episcopali, Sacerdotalique honore, ac ministerio alienos anathemati subiecerunt: ab eis verò, quos ab errore Monothelitico, ad pęnitentiam receperunt libellos pęnitentiæ, professionisque Orthodoxę Fidei exegerunt einsmodi; quibus ij omnes professi sunt Epistolæ Sanctissimi, ac Beatissimi Papę Agathonis, se simpliciter consentire in omnibus, & permanere in cunctis capitulis, quæ in ea continentur.* Hactenus ille.

180 Hinc rectè colligitur cum tota Ecclesia, vna cum Concilio, Agathonis Pon-

Pontificis præscriptum, ceu Fidei regulam admisserit, ac venerata fuerit, illosque, qui se se Agathonis præscripto oppossuerint, ceu Hæreticos damnarit; à Catholicis planè alienum esse asserere, Põtifices tamquam in causa propria iudices, sibi privilegium non errandi, Divo Petro à Christo concessum, arripere; etenim Pontificem, dum Ecclesiæ credenda proponit, infallibilem esse ad totius Ecclesiæ bonum spectare videtur: rectum enim Ecclesiæ regimen postulat, Fideles habere regulam certam, & infallibilem, qua in veritatibus Fidei credendis securissimè dirigantur.

181 His meritò apponendus videtur CELLENSIS ABBAS, qui Divi Bernardi temporibus vicinus, singulari virtute, & sapientia enituit: In prima ergo *Epistola ad Alexandrum Romanum Pontificem* data, hæc scribit: * In gravissimis quęstionibus, sicut olim ad Moysen, sic nunc, Pater venerande, ab omni Ecclesia Dei recurritur ad Beati Petri, & vestram Sedem. Tam enim communiter communis imponitur vobis sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam singulariter, & specialiter Petro videtur dictum: *& tu aliquando conversus cõfirma fratres tuos.** Notandum tamen est verba illa singulariter, & specialiter, ab officio, & privilegio confirmandorum fratrum minimè Petri Successores excludere; sed illis verbis tantummodo negari munus illud competere reliquis Prælatis modo illo singulari, & speciali, quo Petro, eiusque Successoribus competebat.

182 Nec ab hac sententia discedit Sapientissimus GVILLELMVS ESTIVS, hunc namque locum, *confirma fratres tuos*, sic exponit: * Per fratres videntur intelligi Apostoli, & Episcopi omnes, quos ipse Petrus in sua Epistola vocat Compresbyteros: antiquissimi enim moris est, vt Romanus Pontifex cęteros Episcopos fratres vocet, & ij vicissim illum vocent fratrem, vt patet ex Epistola Cypriani ad Romanos Episcopos: quę consuetudo ex hoc loco comprobatur, & fortè etiam inde originem habet. Porrò confirmatis fratribus, id est, Episcopis, confirmantur per eos eorum subditi; & ita ex consequenti per Petrum, & Petri Successorem, confirmatur tota Ecclesia. Tunc autem maximè fratres suos, id est, Coepiscopos, confirmat Petrus, quando sententiam Episcoporum in Generali Concilio Romanus Pontifex confirmat.*

183 Quid autem quòd Pontificio iudicio irreformabilitas provenerit, ex Episcoporum confirmandorum consensu? absit. Id autem confirmatoris adversaretur notioni (qui à confirmandis non pendet, sed ij ab ipso) obstat enim verbum Domini dicentis Petro, & Successoribus: *Confirma fratres*; non, confirmare à fratribus.

184 Hæc fuit observatio IOSEPHI, Deo amabillissimi, METONENSIS EPISCOPI, *in responsione ad libellum Domini Marci Eugenici Metropolitæ Ephesi*, in quo Marcus, quid de Sacrosancta Synodo Florentina sentiret exponit: * A te porrò (inquit) emendari Ecclesiam Romanam nihil opus erat; nam illa cunctarum gubernatrix est Ecclesiarum, & ęgrotantibus Ecclesijs peritissimè medetur, cum potestatem à Christo acceperit, regendi alias, & gubernandi, confirmandi, & corrigendi; non, vt ipsa confirmetur ab alijs: *Et tu*, inquit Salvator ad Petrum, *aliquando conversus confirma fratres tuos*: Non dixit, confirmare à fratribus, sed *confirma*. Oportebat igitur te ab illa cõfirmari, quemadmodum sapientiores, & doctiores te, confirmati sunt.* Hæc ille.

185 Sapientissimus FRANCISCVS TVRRIANVS *ad Catholicos Germaniæ, lib.3. fol. 119.* Novam Ecclesiam longè beatiorem veteri depredicat; siquidem Deus veteris legis Pontifici, eam Fidei Infallibilitatem, quam Romanæ Sedi promittit, pollicitus non fuit: * Non promisit, inquam, vt numquam fides eorum deficeret. Nostra est (ait) huius promissionis gratia, id est, Hierarchiæ novi Testamenti. An enim cum Dominus dixit Petro: *Rogavi pro te, vt non deficiat fides tua*; rogasse credamus, & non impetrasse? Minimè. An vero pro Petro tantum rogasse? Nec id quidem. Statim enim subiungit: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Nemo autem firmat iam lapsos, & iacentes, sed adhuc stantes; tamen etsi diabolus deijcere tentarit, Ecclesię enim Catholicæ non potest Fides eripi. Rectè ergo Clemens *in libro de Schismatibus*, qui inquit, Diabolum increpavit, & dixit: increpet in te Dominus, qui elegit Ierusalem, nonnè hunc quasi torrem extractum vides? Et qui tunc dixit, his qui Sacerdoti magno aderant, *auferte vestes eius sordidas*, & qui illud addidit: *Ecce abstuli peccatum tuum à te*, hic (inquit) dicit

dicit nunc de nobis, vt olim nobis congregatis de nobis dicebat: *Rogavi, ne deficiat Fides vestra.* Hactenùs Clemens. Pro Ecclesia ergo Catholica (prosequitur Turrianus) rogavit, quam Diabolus semper expetit, *vt cribret sicut triticum*, id est, vt Fides eius solida, & vera, instar aquæ effluat, & non pro Petro tantum, immò pro Petro oravit, propter Ecclesiam, quę se ad illum debet, tamquam ad Caput, convertere, vt vxor ad virum suum.*

186 Et paulò post:*Sic quod de Petri Fide non defectura, & de Ecclesia sorore, & sponsa casta firmanda dixit, idem in futuro de vnoquoque Successore Petri, & de Ecclesia Fratrum Catholica sustentanda, & perpetuò stabilienda intelligi voluit secundum promissionem suam de ædificanda Ecclesia super Petrum, quem propter firmitatem Fidei numquam defecturæ, Petrum appellavit, vt magni Authores Gregorius cognomento Theologus, Basilius, Cyrillus, & alij, quos præterco interpretati sunt.* Hæc ille.

187 Insuper ipse Turrianus infrà sic eūdem Lucæ locū elucidat:*Itaque vt hoc quoque obiter notemus, quòd Petro dictū est: *Petre rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*, non propter Fidem Petri tantum, & in eo Successoris eius Episcopi Romani scriptum est, sed propter Fidem Fraternitatis, id est, Ecclesiæ Catholicæ connexæ cum suo Capite, pro cuius Fide rogavit, cum pro Fide Petri rogavit, vt scilicet, *conversus*, tamquam Petra firmaret Fraternitatem, id est, Ecclesiam Catholicam, super Fidem firmam Petri ædificatam, quæ non potest Fide defici, vt idem Dominus significavit, verbo ipso firmandi; nemo enim iacentem, & lapsum firmat, sed stantem, & erectum.* Hęc ille.

188 ALEXANDER DE LA TORRE, Canonicus Lateranensis, præclara eruditione instructus, *in Tomo de fulgenti radio Hierarchiæ Ecclesiæ Militantis, lib. 5. Radio 18. de vero, ac certo Apostolicæ Sedis Oraculo.* *Quemadmodum (inquit) Stellę à Solis splendore illustrantur: ita cæteri Doctores, qui in Ecclesia, veluti in Cœli firmamēto elucent, in dilucidandis perobscuris Fidei dogmatibus, ab ipso Romanæ Plebis Antistite splendorem iugiter mutuant. Celeberrimæ totius Orbis Christiani Synodi, in ipsum, vt in fulgentissimam lucem respiciunt, maioresque Ecclesiæ causas ad ipsum Romanum Episcopum referunt; quoniam Christi Oratione obtentum est à Patre, ne Petrus, Petrique Successor, & ipsius Christi Vicarius, cum de Fide publica, publicis ve quæstionibus Fidei decernendis pronuntiat, aberrare possit. Petro enim, non vt homini privato, sed vt Ecclesię Præfecto, quippè quem in Ecclesiastica Hierarchia perseverare oportet, quousque Ecclesiæ regnum perdurabit, apertè pronuntiatum est: *Rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.**

189 IOANNES A CELAYA, Parisiensis Doctor, *in 3. sententiarum Distint. 25. quæst. 4.* Non quidem obiter, sed ex professo, de Pontificis Infallibilitate sermonem instituens, alias inter assertiones, hanc à se defendendam proponit: *Quinta conclusio: Romanæ Sedis iudicium in his, quę Fidei sunt, & ad humanam salutem necessaria, errare nequit.* Huius autem conclusionis probationem ex illo Sancti Lucę textu sic efformat: *Quod probatur ex promissione Salvatoris nostri *Lucæ 22.* Quę verba allegat Bernardus, scribens Innocentio Papę. Idem asserunt D. Cyrillus, D. Chrysostomus, & D. Gregorius.* Deindè ex illorum sentētia, qui soli vniversali Ecclesiæ, non vero soli Pontifici Infallibilitatē concedunt, sic contra suam assertionem insurgit dicens:*Contra istam conclusionem arguitur: Doctores Catholici glossant illam authoritatem Salvatoris de Vniversali Ecclesia, & non de Sede Romana: ergo malè assumitur talis Authoritas pro fundamento istarum conclusionum. Ad hanc (inquit) replicam respondetur, negando antecedens, immò necessarium est dicere, quod non intelligitur de Vniversali Ecclesia: nam subiungitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Idcircò D. Cyrillus, & D. Chrysostomus, & D. Leo, & Beatus Agatho, & D. Bernardus, & Anselmus, & Albertus Magnus, & D. Thomas glossant pręfatam authoritatē de Ecclesia Romana, vt distinguitur ab alijs Ecclesijs.* Hęc ille.

190 Eandem hanc Sententiam de Pontificis Infallibilitate illi Sancti Lucę textui innixam sequitur LEONARDVS COQVÆVS, pręclarus Augustiniani Ordinis Scriptor, singulari Catholicę Religionis

Zelo insignis, ac Parisiensis Doctor, *in Antimorneo contra recentes Hæreses, tom.* 1. *pag.* 83. * Quomodo igitur (inquit) ægrê ferunt (Hæretici) nos Romanum Pontificem Concilijs Superiorem asserere? Et Romano Pontifici, & Concilijs OEcumenicis in Spiritu Sancto legitimè congregatis tantum deferimus, vt nec illum, nec ista indefiniẽdis, quę ad Fidem, & mores pertinent, ac regimen Ecclesiæ spectant, asseramus errare posse: nec quidquam toti Ecclesię proponere credẽdum, quod sit erroneum. Vt Hæreticus, aut temerarius ille sit nobis, qui vel Romani Pontificis, vel OEcumenicorum Conciliorum Statutis, ac Definitionibus refragari audeat.* In huius confirmationem, *tom.* 2. *pag.* 237. loquens de Pontifice, ait: * Cum sedeat in Cathedra Petri, pro quo Dominus rogavit, vt non deficeret Fides eius, & vt confirmaret fratres suos, non sinet eum ex illa Cathedra aliquem errorem loco Fidei salutiferæ obtrudere Fidelibus credendum.*

191 Stat etiam pro Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei authoritate doctissimus Magister BAÑES, *in commentario* namque *in* 2. 2. *Sancti Thomæ, quæst.* 1. *art.* 10. varias proponit assertiones, quarum prima sic se habet: * In publico Fidei iudicio non est distinguenda Sedes ab Apostolico Præside, vel Summo Pontifice, neq; Romana Sedes à Põtifice Romano.*

192 In quarta insuper conclusione hęc scribit: * In publico Fidei iudicio non potest Summus Pontifex errare. Hanc conclusionem asserit Divus Thomas (& citatis multis alijs authoribus subiungit) quo circa arbitror hanc conclusionem tamquam Apostolicam traditionem esse tenendam, & quidem vt talis haberetur ab omnibus Fidelibus, nisi à tempore Concilij Constantiensis in agro Domini *inimicus homo*, id est, Diabolus *zizaniam superseminasset*; etenim vsque ad illa tempora soli Græci errabant in hac parte, atque ita Divus Thomas *in Opusculo citato* hunc errorem tamquam Gręcorum singularem narrat. Et proculdubio, si quęstio hæc ad Concillium deferretur, non dubito, quin prędicta conclusio diffiniretur, tamquam vera Fides.*

193 Pro Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibillitate eodem Sancti Lucę textu innititur eruditissimus MALDONATVS: Siquidem illa Christi verba exponens, *Ego rogavi pro te, &c.* Hęc ait: *Quod quę dicit Petro, eius quoq; Successoribus, totique Ecclesię dictum putandum est.* Et infra: * Itaque rectè ex hoc loco antiqui graves Authores collegerunt Ecclesiæ Romanæ, & Successorum in ea Petri, Fidem fore perpetuam. Omnis enim Ecclesiæ Fides asserebatur in Petro, qui Ecclesię Caput futurus erat.*

194 Pręclarum insuper argumentum pro Romani Pontificis in Decretis Fidei Infallibilitate nobis præbet ipse doctissimus Maldonatus, exponens etenim illa ipsius Christi verba: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, hæc subdit: * Hinc demùm manifestum est, nec de illo solum tempore, quo negavit Petrus, nec de illo solum Petro, sed de omnibus eius Successoribus loqui Christum. Nec enim tempore Passionis cæteros Apostolos Petrus confirmavit: & confirmandi alios necessitas perpetua futura erat. Itaque in persona Petri, omnes Petri Successores iubet fratres in Fide servare. Quomodo firmare possunt si errare ipsi possunt? Propterea enim Christus pro Fide oravit Petri ne deficeret, vt alios confirmare posset, intelligens alios confirmare non posse, si eius Fides defecisset. Id etiam significat illud, *aliquando*, id est, si quando opus erit; si quis in Fide aliquando nutavit.* Hæc ille.

195 Notatu dignissima est sententia Reverendissimi Patris ANTONIJ PEREZ, sapientissimi Vniversitatis Salmanticensis Magistri, Cœnobij Sancti Martini in Matritensi Oppido Meritissimi Moderatoris, ac dignissimi Congregationis Sancti Benedicti in Hispania Generalis, *in Pentateucho Fidei*, sive in quinque illis eruditissimis voluminibus *de Ecclesia, Concilijs, Scriptura Sacra, Traditionibus*, & *Romano Pontifice*; etenim esto, *lib.* 1. *Dub.* 23. Latè discutiat: Vtrùm Ecclesia possit errare? Attamèn, *Dub.* 24. *cap.* 12. hanc statuit assertionem: Ostenditur ex vltima proprietate Ecclesię, scilicet, errare non posse: Et *num.* 54. hęc scribit: * Vltima Ecclesiæ proprietas in hoc sita est, vt non possit errare, nec falli, iuxta dicta *Dubio præcedenti*: * Quam proprietatem Romanæ Ecclesiæ, attribuens ipsi proprijssimè convenire ex toties repetito Sancti Lucæ textu, sic probat: * Hanc autem Romanæ Ecclesiæ convenire apertissimè constat ex illo Christi Domini elogio ad Petrum, *Lucæ* 22. *Ego rogavi pro te Petre,*

vt non deficiat Fides tua. Id est, Fides, quam tu profiteris, & quam profitendam Ecclesiæ Vniversali trades. Hic enim non est sermo de Fide singularis personæ, sed de Fide in specie, seu in vniversali, quā ipse Petrus vniversali Ecclesiæ instillavit; hæc enim dicitur Fides Petri. Inde illud Calixti I. Pontificis Romani, *Epistola ad Benedictum Episcopum*: memor sum me sub illius nomine Ecclesiæ pręsidere, cuius à Domino confessio glorificata est, & cuius Fides, omnes semper destruit errores.*

196 Ad hanc eandem rem evincendam affert Sancti Lucij I. Pontificis authoritatem, *in Epistola I. ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ*, cuius verba alibi tradidimus; Adducit etiam Xisti II. testimonium in *Epistola ad Gratum Episcopum*, cuius verba affert Gratianus 24. *Quæst. 1. cap. Memor sum.* Verba insuper Leonis. I. Pelagij I. & Felicis. I. * Ex quibus planè sequitur (inquit celebris iste Author) interpretationem exhibitam elogio Christi irrefragabilem esse, vtpotè præstitam, secundùm tantorū Pōtificum mentē, quibus accedit authoritas Leonis IX. ita id dicentis, in *Epistola ad Petrum, Antiochenū Episcopum*: Venerabilis, & efficax Oratio Christi obtinuit quod hactenùs Fides Petri non deficeret, nec defectura credatur in Throno illius vsque in sæculum sæculi: * Postquam verò his Summorum Pontificum authoritatibus, assertionem suam probatam reliquit, sic concludit *n.* 55. * Denique stabilitur acerrimè Sanctorum Patrum sententijs (infra præsenti dubio) allegatis, quibus ostensum est, quod vniversa Dogmata reliquarum Ecclesiarum Christi referenda sunt ad Ecclesiam Romanam, vt in ea, tamquam ad Lydium Lapidem, examinentur. Ex hoc enim apertè colligitur Ecclesiam Romanam errare nullatenùs posse; quoniam aliàs reliquę Ecclesiæ pessum irent, vtpotè similiter deceptę in Fide, à Romana Ecclesia, quod nefas est. * Hęc ille.

197 Id ipsum confirmat prælaudatus Magister; etenim *volumine 5. de Romano Pontifice, dubio vltimo*, inquirit: * An Romanus Pōtifex in definitionibus Fidei, Religionis, & morum, erraverit aliquando, vel possit errare? * Cui dubio sic respondet. * Conclusione decisiva ordiemur, statuentes tamquam Fidei dogma Romanos Pontifices in rebus Fidei, Religionis, & morum, non modo numquam errasse; sed neque errare posse, aut potuisse. Huius sacri dogmatis Fidem comprobat sat nobis, ac super, oraculum illud toties à me repetitum, & ab omnibus pro re ista inculcatum. *Lucæ 22. Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, vt cribraret sicut triticum*; *Ego autem rogavi pro te, &c.*

198 Quem quidem textum sic expendit, & elucidat dicens. * In his autem verbis primò advertendum est eximium aliquid, & insolitum Petro per illa concedi; nusquam enim Christi preces profussas audivimus pręter quam in arduis, insolitisque rebus; vtique in electione Apostolorum, *Matth.* 10. In suscitatione Lazari quatriduani. *Ioannis* 11. In Eucharistiæ institutione. *Matth.* 24. & in conflictu mortis declinandę in horto, *Marci* 14. Insolitum autem, eximiumvè non est, vnius hominis maximis à Deo cumulati donarijs, Fidem non deficere: siquidem in ipso Passionis, & agonis tempore, in multis perseveravit: est tamen arduum, & insolitum, Fidem Petri, non tantum in Petro, sed in Successoribus eius numquam interire, aut intermori, sed adeò semper vigere, vt alijs robur sit, atque munimen. Hoc igitur est, quod Christus Petro per hæc verba indicavit, & quod suis præcibus impetratum edocuit, dicens: *Ecce Satanas expetivit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, vt non deficeret Fides tua*, vt igitur petitiones Satanæ non vni, sed multis machinabantur summū perfidię malum, oportuit Orationem Christi non vni tantum, sed multis, vtique Petro, & Successoribus eius conciliasse stabilis, & inamissibilis Fidei summum bonum, alias depravatissimè affectus Satanę latius, quam Christi desideria inclyta, tunc temporis patuissent. * Hactenus ille.

199 Lectu etiam dignissimum est quod scripsit IODOCVS TILETANVS, Doctor Insignis, ac tota Germania tùm superiori, tùm inferiori, meritò commendatus, & ob singularem eruditionis facundiam, eximiamque Theologiæ peritiam, à Carolo Quinto constitutus, vt tamquam Theologus, non modò Tridentinę Synodo, sed Vvormatiensi etiam adesset congressui; quique impia Flacci Illyrici, Ministrorumque Augustanæ confessionis impia dogmata eruditissimis suis scriptis confutavit. Hic, inquā, celeberrimus

mus Author *in Apologia pro Decretis Sancti Tridentini Concilij* adversus censuras, & examen Martini Kemnitij, super illa verba Canonis *3. de Baptismo*, in quo Tridentini Concilij Patres Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum esse Matrem, & Magistram fatentur, per eruditè adnotat, non fuisse Tridentinos Patres, qui prius hanc veritatem decreverunt; sed ideò illos eam fuisse confessos, eamque ab ipsis Patribus pro Orthodoxa doctrina cōtra noxios, nuperque subortos Lutheri errores fuisse propositam, quia ipsis certissimum erat eandem illam veritatem ab omnibus in tota Ecclesia admissam semper fuisse, ac veneratam; vt rectè comprobant, ac evidenter ostendunt alij Scriptores Catholici, vti Sāctus Cyprianus *lib. 4. Epistola* 8. Sanctus Ireneus *lib. 3. contra Hæreses, cap. 3.* alijque per multi, quos admirabili, certè, eruditione allegat. Quòd pręcipuè innotescit ex his, quæ Ægypti Episcopi ad Pontificem Marcum scripsere, dicentes:

200 * Sancta Romana Ecclesia semper immaculata permansit, & Domino providente, & Beato Petro Apostolo opem ferente, & in futuro manebit, & sine vlla Hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistit.* En Summi Pontificis responsum :* Hæc Sancta Romana Ecclesia Mater est omnium Ecclesiarum Christi, quę à tramite Apostolicę traditionis numquam errasse probatur, secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui discipulorum suorum Principi in suis fatus est Evāgelijs: *Petre ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.**

201 Adductis insuper ipsis Sanctorum Patrum verbis, nempè Hieronymi ad Theophylactum, & Augustini *epist. 162. & epist. 90.* nostram assertionem confirmat prædictus Lovaniensis Doctor Pontificis Infallibilitatem in rebus Fidei definiēdis, ex eodem Lucæ textu deducens. Illius verba omni attentione dignissima audiamus.

202 * Cernis iam, Christiane Frater, Censorem istum dum Patrum Tridentinorum, de Romanæ Ecclesiæ Magisterio, Principatu, & Ducatu dictum sugillat, & acritèr exagitat, toti antiquitati se arroganter opponere, quæ dissertè professa est semper, & vbique, Romanam Ecclesiam, ex quo in eam Cathedra Petri translata est, Matrem esse, & Magistram omnium Catholicarum Ecclesiarum, semperque futuram, quamdiù quidem in ea Petri Cathedra, hoc est, Apostolica Cathedra permanebit: Idque propterea quod doctrinam Apostolorum Petri, & Pauli semel traditam, fideliter semper custodierit, & custodiet vsque in finem, iuxta promissionem Domini Salvatoris: *Ego rogavi pro te Petre* (hoc est, non tàm pro tua persona, quàm pro Cathedra, quam ego tibi trado in mea Ecclesia, & quam in te instituo permansuram perpetuò in Ecclesia mea) *vt non deficiat Fides tua.* Romana itaque Ecclesia, ex quo in eam translata est Divina Ordinatione (vt Author est Divus Antherus Pontifex) Petri Cathedra, intelligenda est facta esse Mater, Matrix, & Radix, atque etiam Magistra, & Doctrix omnium Ecclesiarum; vtpotè, quia cum Pręside Romanæ Ecclesię, obtinente Divina ordinatione Ecclesię totius Principatum, & Supremum Pastoratum, seu Episcopatum, omnes aliæ Ecclesiæ à quocumque Apostolo fundatæ essent, consentire, conspirare, communicare, & consociari deberent, certèque agnoscere in eius Præside exordium, & vinculum esse vnitatis totius Ecclesiæ, iuxta Christi dispositionem: & iuxta quam propterea etiam Ecclesiastica Christianæ Reipublicæ vniversitas in Synodo adunata, Romano Pontifici esset subiecta, non secus, ac totum corpus Capiti, ovile Pastori, ac Concilium Præsidi.*

203 Huic assentitur RICHARDVS DE MEDIA VILLA, qui *in tract. Parisijs edito contra errores Ioannis de Monte Sono*, qui extat in fine libri sententiarum Petri Lombardi, hæc scribit: * Pręsentem tractatum sub Apostolicæ Petri Sedis, & sedentis in ea Summi Pontificis correctione duximus compilandum.* Et infra: * Prima conclusio est: Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet authoritate iudiciali suprema, circa ea, quæ sunt Fidei iudicialiter desinire. Et hæc probatur: quia ad illius, tamquam ad supremam Iudicis authoritatem pertinet in Fide iudicialiter finire, cuius Fides numquam deficit; sed Sanctæ Apostolicæ Sedis Fides numquam deficit. Maior est nota, sed minor probatur: quia de hac Sancta Sede, in persona Petri Apostoli in eà Pręsidentis, dictum est: *Petre rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.**

204 Consonat ANTONIVS DE ROSELLIS, qui *tract. de Concilijs, n. 40.* Et post, hęc habet: * Principale fundamentum fuit in Christo, & deindè non in Ecclesia vniversali (alioqui Ecclesia fuisset fundamentum sui ipsius, quod est ridiculum) sed in Petro, & hodie in Papa.* Et *num. 52.* & deinceps vsque ad *num. 72.* * Cum potestas Papæ non sit à toto Concilio, vel à tota Ecclesia, sed à Deo: ex consequenti docet, potestatem eius non ideò esse minorem, si reliquæ partes mystici corporis ab eo dissentiunt; quia potestas Papæ non dependet ab illis, sed illorum potestas dependet à Papa; nam & Christus cum sit Caput Ecclesiæ, sola potestas eius maior est, quam totius reliqui corporis. Et tamen fatetur potestatem fuisse concessam toti Ecclesiæ, sed sub Petro, quodque Petri, & Ecclesiæ potestas vna est, non duæ; & est in solidum in Papa, in alijs pro parte; nisi quando Papa esset hæreticus; nam Papa subest Concilio in causa Fidei, & schismatis, quia ista sunt de iure Divino, cui Papa subest.*

205 Ipse Author *num. 66.* * Vbi agitur (inquit) causa Fidei, & quæritur vtrùm aliquid sit peccatũ, vel non peccatũ, subdit: si Conciliũ Provinciale Romanorũ, & Ecclesia Romana, & Sedes Apostolica aliquid in prædictis pro vero deliberasset; tunc credo, quod esset maior sententia Papę, & Ecclesiæ Romanæ, quam alterius Concilij Generalis, sententiam Sedis Apostolicæ non habentis. Tùm quia non est Generale Concilium, à quo discrepat Caput. (Sicut ait *num. 70.*) Tùm quia rogavit Dominus, vt non deficeret Fides Petri. Et debet intelligi de Ecclesia sibi specialiter commissa, vt per ipsius Ecclesiæ indubitabile iudiciũ maiores causæ finem susciperent. *Hæc Rosellus, apud Nicolaum Sanderum *de Monarchia Ecclesiæ, lib. 7. n. 181.* quem locum etiam refert, & explicat Eminentiss. Iacobatius *de Concilijs, lib. 6. in apparatu Conciliorũ novissimæ edit.*

206 His adhęret Magister Frater IOANNES A SANCTO THOMA, in Complutensi Academia Publicus Theologiæ Professor, in Supremo Fidei Tribunali Inquisitor, Hispaniarumque Regi Domino Philippo Quarto à Confessionibus, fusè enim de Pontificis Authoritate, eiusque in rebus Fidei decernendis Infallibilitate pertractans 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. hanc proponit assertionem: * In Ecclesia Suprema Authoritas determinandi res Fidei in vno Supremo Capite ponenda est. Est autem definita hæc conclusio in Concilio Constantiensi contra errorẽ Vvicleph oppositum sentientis.* Quam probat ex illo *Matthæi 26. Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* & ex illo *Lucæ 22. Ego rogavi pro te Petre, &c.* Et infrà *n. 11.* latius hanc Thesim confirmat. Et *art. 4. eiusdem disputationis, num. 2.* de Pontificis Infallibilitate in rebus Fidei disserens, hanc assertionem propugnat: * Romanus Episcopus est Successor Beati Petri, non solùm in Episcopatu Vrbis Romæ, sed etiam in vniversali regimine totius Ecclesiæ. Ita quod ipse est suprema regula in definiendis rebus Fidei, quæ numquam deficere potest, cum ex Cathedra docet: duratque hæc potestas, quamdiù Ecclesia durabit. Hæc conclusio quantum ad Fideles Catholicos sufficienter probatur ex definitione Ecclesiæ, qua illa definita est tamquam de Fide. Extat in Concilio Florẽtino in litteris Sanctæ vnionis ista definitio per hæc verba: Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, &c. Item *in Extr. Vnam Sanctam. De Maiorit. & Obed.* videri etiam potest Nicolaus Papa *in cap. Omnes 22. dist.**

207 *Disput.* insuper *9. art.* 1. inquirens: An Summus Pontifex in approbatione Scripturę Canonicæ errare possit? Respondet *num.* 8. * Indubitata conclusio est, esse in Ecclesia, eiusque Capite, Romano Pontifice, authoritatem infallibilem ad discernendum ea, quę pertinent ad Sacram, & authenticam Scripturam.* Idem docet *disp. 9. art. 2. n. 3.* * Summum Pontificem errare non posse in Canonizatione Sanctorum. Ita tamen quod esset temerarius, impius, & sapiens hæresim, qui contrarium doceret.* Hæc ille.

208 Eandem tenet sententiam Pater Magister IOANNES DE MONTE NEGRO, è Sacro Predicatorum Ordine meritissimus Lombardiæ in Italia Provincialis, qui in explanatione Florentinę definitionis de Primatu Romani Pontificis, viva voce exhibita, inquit: * In hac authoritate tria manifesta asseruntur. Primò, quòd pascere omnes oves sit commissum Petro, & Successoribus suis. Secundò quod Sedes Apostolica numquam in aliqua erroris parte depressa est, quod semper mansit imma-

immaculata in Fide. Tertiò, quod tanta est eius authoritas, quòd vniversalis Ecclesia, & vniversæ Synodi semper fideliter sequutæ sunt;& Patres Catholici semper susceperunt eius Apostolicam doctrinam; & quod illa verba: *vt non deficiat Fides tua*, intelliguntur de Sede Apostolica; & quod sit immunis ab hæresi; atque confirmationem omnium fratrum titubantium in Fide, ad ipsam Sedem, & Romanum Pontificem pertinère.*

209 Eruditus IOANNES DARTIS in Sorbonensi Academia Professor insignis, *in tract. de Beneficijs sect. 1. cap. 3.* censet, Indefectibilitatis privilegium, quo Romana gaudet Ecclesia non posse nisi in promissione Christi, istiusque Oratione efficaci, iuxta communem Doctorum sensum, fundari: *Propter illam (inquit) Orationem Christi, *Lucæ 22. Ego rogavi pro te*, seu illa eius verba, omnes colligunt Ecclesiam Romanam non posse errare.*

210 Hanc sententiam concorditèr tenent tres Parisienses Doctores, quorũ præcipuus est ANDREAS DVVALLIVS, in Parisiensi Vniversitate Præclarus Theologię Professor, *lib. 6. de Romani Pontificis potestate in Ecclesiam*; Typis mandato anno 1614. & à duobus alijs Parisiensibus Doctoribus approbato; isti enim Censores vna cum ipso Duvallio docent, privilegium non errandi, quod à Christo Domino Apostolorum Princeps accepit, alijs etiam istius Successoribus ab ipso Christo fuisse concessum, hancque semper Gallicanorum Doctorum, ante Constantiense Concilium, extitisse sententiam: *Velint, nolint adversarij, liquidò constat, veteres Ecclesiæ Gallicanę Proceres, hanc in Summis Pontificibus, Petri Successoribus, Infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini Orationem in Petro non stetisse, sed ad eius Successores certissimè transisse, eosque, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, à ducentis, aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cepisse.* In cuius confirmationem, & approbationem, memorati Censores G. I. Roger, & I. Roche, facultatis Theologię Parisiensis Doctores inter alia dicunt: *Iuris, vt fiat publici Operę pretiũ duximus, ad Sanctissimi Domini nostri Papæ authoritatem tuendam, nec non ad summam cũ eodem Capite suo visibili Romano Pontifice vnionem arctissimè retinendam, cui aliter Schismaticorum mala mens, malusque animus, malè, & seditiosè consultum vellet 10. kal. Februarij, anno 1614.*

211 Eruditissimus IOANNES PVTEANVS è Sacro Divi Augustini Ordine, Theologię, quam Parisijs didicit, prę-clarus in Tolosana Vniversitate Professor, *in 2. 2. Divi Thomæ, Quæst. 1. art. 6. Dub. 2.* hanc conclusionem proponit: *Solius Pontificis Maximi est res de Fide Catholica definire, & easdem certò, & indubitantèr proponere credendas.* Quam conclusionem eximia eruditione Scripturę, Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum illustrat; ac in responsione ad primum argumentum, quo oppositi Authores probare nituntur Infallibilitatem in rebus Fidei, solius esse Concilij, ait idem; Episcopos in Concilio congregatos, & vniformitèr vnitos, Infallibilitatis privilegio gaudere, quia Romano ibi adunantur Pontifici, in quo privilegium non errandi præcipuam sibi Sedem fixit, ac domicilium, iuxta illam Christi promissionem: *Ego rogavi pro te &c.* Sed iam notanda illius verba subijciamus: *Infallibilis istà assistentia Spiritus Sancti non est aliundè repetenda, quam à promissione Divo Petro facta. Vnde propter connexionem, quam supponimus dari inter Episcopos, & Pontificem Maximum in Concilio Generali, statuendum est, Episcopos illic congregatos nullo modo errare posse in rebus de Fide decidendis. Si tamen fuerint congregati totius orbis Episcopi, absente Pontifice Maximo, & eius Legatis, Episcopi subijciuntur erroribus.* Hæc ille.

212 Doctissimus DOMINICVS DE GRAVINA in Neapolitana Vniversitate Primarius Sacrę Theologię Professor, *in continuatione 2. partis, tom. 4. Catholicarum præscriptionum, adversus nostrorum temporum hæreses, quæst. 2. de Infallibilitate iudicij Apostolicæ Sedis in controversijs Fidei*, latè agit de privilegio non errandi in rebus Fidei, quod in Summo Pontifice, & Apostolica Sede Romana propugnat, *articulo 1.* ductus illis Christi verbis apud Lucam 22. *Simon Simon, &c. Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*; in quorum expositione, *articulo suprà citato, §. ex Novo Testamento*, hec scribit:

*Quem

* Quem locum, vt ponderavit Turrecremata, *lib. 2. de Ecclesia, cap. 109. in fine*, de Fide Petri pro sua Sede, testantur famosiores Doctores in Ecclesia Dei; eum sequuntur Canus, Bellarminus, & alij moderni.*

213 Nec valet dicere cum Vvitakero Hæresiarcha non orasse Christum Dominũ pro solo Petro, sed pro alijs Apostolis. *Quia, inquit Gravina, principaliter pro Petro rogavit. Vnde geminatio illa, quę habetur in Græco, *Simon, Simon* quandam præ cęteris specialitatem importat, vt & illa alia verba; *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Illa vox, *expetivit* à Divo Cypriano exponitur *Epistola* 8. vexavit, eo modo quo triticum, huc, atque illuc distrahitur, & raptatur; exponitur ab alijs: expostulavit vos, quasi sit provocatio ad Monomachiam, quæ ducem exercitus potius respiciebat. Quod Sanctus Leo Papa expressit *Sermone 2. de sua Ordinatione*, hæc eadem verba citata exponens ita: Specialis cura à Domino Petri suscipitur, & pro Fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.*

214 Nec obstat Spalatensis, ex TITO BOSTRENSI dum in eundem Lucę locum asserit, ideo Christum orasse, ne Petrus, Divino adspirante Numine, penitus corrueret: Meruit, inquit, à Christo deseri tantisper: Vnde si Christus non orasset, cecidisset irreparabiliter; propterea Christus oravit, ne casus ei esset in perpetuam ruinam. Cui consonat Divus Chrisostomus *Hom. 33. in Math.* Cur si omnes expetijt (inquit) non dixit, pro omnibus rogavi? Respondet Sanctus: Quia vehementius eum tangens, & ostendens multò peiorem, quam aliorum lapsum esse, ad eum convertit Orationem; & paulò post: Quomodo igitur negavit? Respõdet Chrysostomus: Non dixit quippè, vt nõ neges, sed *vt non deficiat Fides tua*, vt non prorsus pereat, cura enim ipsius, atque favore factum est, ne omnino Petri Fides evanesceret.

215 Quod optimè refellens Gravina, vbi supra, ait: * Quia valdè indecens fuisset, si irreparabiliter Petrus cecidisset iam Pastor designatus: vnde oravit Christus, ne totaliter destitueretur Fide in Christum, qui solum contra confessionem peccavit Fidei, Fide remanente: vnde ne finaliter deficeret, ait B. Beda, propterea oravit, & subdit Salvator; *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: Quasi dicat: Postquam me negato ploraveris, pœnitueris; corrobora cæteros; cum te Principem Apostolorum deputaverim; hoc enim decet te, qui mecum es robur, & petra Eccesiæ.* Hęc ille.

216 Pater DOMINICVS A SANCTA TRINITATE, singulari eruditione, ac ferventissimo Ecclesiæ Zelo insignitus, *in 3. tom. suæ Bibliotb. lib. 3. sect. 4. cap. 16.* duos Sacræ Scripturæ textus elucidat; alterum *Sancti Mathæi: Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Alterum *Lucæ 22. Simon, Simon, &c. Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*: Quibus addit illum, *Ioannis vltim. Pasce oves meas*, in quorum expositione hęc scribit acutissimus iste Author, natione Gallus: * Quas omnes Christi promissiones pro Infallibilitatis privilegio non in solo Petro terminatas fuisse, sed vna cum Supremo Ecclesiæ Primatu ad Romanos Pontifices eius Successores, transijsse. Primum probabimus sequentibus rationibus, ex hismet locis erutis; deindè vniversali Ecclesię traditione.

217 Dictæ enim promissiones factæ non fuere Divo Petro, vt privata erat persona, sed vt Pastor erat, aut esse debebat vniversalis Ecclesiæ, & consequenter in vtilitatem publicam Ecclesiæ, potius quam in privatam, & personalem Divi Petri, eas referri necesse est: Igitur eisdem rationibus, quibus suprà ostendimus, contra Hæreticos, Petro datum esse Primatum Ecclesiæ, non in eo terminandum, sed perpetuò in Successoribus eius Romanis Pontificibus duraturum; fatendum quoque est ad illos transijsse omnia privilegia supremę Pastoris Dignitati annexa, necnon ad vniversalis Ecclesiæ edificationem, & conservationem necessaria; inter quæ præcipuè tenet locum Infallibilitas in definiendis rebus ad Fidem spectantibus.*

218 Insuper ipse Author expendens locum *Lucæ 22.* ex illo, Pontificis in Fidei definitionibus Infallibilitatem demonstrat, dicens:* Deindè ita *Lucæ 22.* iubetur Petrus confirmare fratres suos, sicut *Ioannis 21.* Postmodùm iussus est pascere oves Christi. Iidem enim sunt, qui ibi vocantur fratres, & hic oves, sed Petro pro ip-

ipsius tantum persona dictum non est: *Pasce oves meas*; sed Petro pro munere, quod illi conferebatur, vt in Successoribus duraret vsque ad consummationẽ sęculi: Ergo etiam vbi illi prius dictum est, *confirma fratres tuos* præindicata fuit quædam pars illius muneris, quæ in Petro finem habitura non erat, sed in Successoribus quoque perseverare debebat ratione Pastoralis muneris perpetuò in Ecclesiã dimanaturi, in illaque semper duraturi. Qua etiam de causa ad eosdem pertinère dicenda est, prior illa promissio Infallibilitatis, seu Indefectibilitatis in Fide, facta Divo Petro: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*. Ideò enim pro illo specialiter Christus oravit, illique privilegium istud impetravit, quia munus confirmandi fratres in Fide, ne vacillarent, illud auxilium ex parte Dei postulabat; qua igitur tale munus futurum erat perpetuum in Sede Petri, ita etiam privilegium.

219 Adeò vt potius pro ipsa Dignitate, & Sede Apostolica, quam pro Divo Petro Christum hanc suam ad Patrem Orationem fudisse, credendum sit; siquidem ad Ecclesiam contra portas inferi pręmuniendam fuit instituta, quę cum non tantum Divi Petri, sed quovis alio tempore subsequenti adversus eam essent sævituræ, debuit Christus, non tantum pro Pastore Vniversalis Ecclesiæ Apostolorum tempore, sed pro quovis alio rogare Pastore.

220 Iuxta autem hunc sensum debere intelligi pręfata Scripturæ loca, clarius patebit discurrendo per singula Ecclesiæ sæcula, in quibus id apertè continuus, ac notissimus eiusdem vsus, necnon vniversalis Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, ac Doctorum consensus demonstrare videtur.* Hæc ille.

221 Doctissimus CORNELIVS A LAPIDE, *in suis eruditissimis Commentarijs in Sacram Scripturam*, explicans illa verba; *S. Lucæ* 22. *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, vt cribraret sicut triticum*, sic ait: **Cribraret*, id est, vexaret, affligeret, agitaret, disjiceret sicut in cribro triticum agitatur, vt illud à paleis, & pulvere emundetur. Sic Sathan petijt à Deo, vt cribraret, & affligeret *Iob cap.* 1. ac impetravit, Idem fecit hic Petro, & Apostolis, ac ex parte obtinuit, dum Iudæos commovit, vt comprehenderent Christum; tunc enim Apostoli metuentes & ipsi comprehendi, fugerunt, & dispersi sunt. *

222 At in his, quę sequuntur verbis, pro Petri, illiusque Successorum Infallibilitate elegantissimè loquitur: * *Ego autem rogavi*, Deum Patrem, *pro te*, quia te destino Caput, Principemque Apostolorum, & Ecclesiæ meæ, *vt non deficiat Fides tua*, qua credis me esse Christum, Redemptorem, & Salvatorem Mundi.

223 Nota Christum hac Oratione Petro, præ cæteris Apostolis duo insignia privilegia postulasse, & impetrasse. Primum fuit personale, vt scilicet, ipse Petrus numquam Fidem in Christum amitteret; respicit enim Christus ad cribrationem versus præcedentis, id est, tentationem comprehensionis suę, in qua cęteri Apostoli, velut paleę à Christo avolarunt, Fidem amiserunt, & huc, & illuc dispersi, fugerunt. Petrus verò & si Christum ad horam ore negavit, & Charitatem amiserit, eius tamen Fidem corde retinuit. Ita S. Chrysostomus *Hom.* 38. *in Matth.* S. Augustinus *lib. de Correptione, & Gratia, cap.* 8. Theophylactus, & alij hic.*

224 Pater Magister VINCENTIVS FERRE, Valentinus, Sacri Ordinis Prædicatorum, qui totos quindecim annos Romæ in Collegio S. Thomæ Conventus de Minerva Theologiæ Cathedræ, non sine ingenti Reipublicæ litterariæ plausu, & acclamatione præfuit; inter multos S. Thomæ Commentarios, quos magna eruditione composuit, *tom.* 1. *in* 2.2. *Divi Thomæ, tract. de Fide, quæst.* 12. de supremi Ecclesiæ Capitis Infallibilitate in veritatibus Fidei, Religionis, ac morum populi Christiani ex professo pertractat; & §. 1. *n.* 2. hanc assertionem tradit: * Dico primò Summus Põtifex, vt Caput Ecclesiæ, & vt Christi Vicarius nequit errare in definiendis veritatibus spectantibus ad Fidem, Religionem, & mores Populi Christiani. * Idque probat ex illo Lucæ textu: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua, &c.* in cuius expositione hęc habet; * In quibus non solùm promittitur Petro Fidem eius personalem non defecturam, in qua non hæreditant ipsum Successores eius; sed promisit in eius Successoribus hęreditantibus illum in Primatu Ecclesię non defecturam Fidem. Nec valet expositio aliquorum Parisiensium affirmantium, hic Christum tantum promisisse, Fidem non defecturam Ecclesiæ fundatæ su-

super Petrum; non verò promisisse non defecturam in Successoribus Petri, seorsim ab Ecclesia sumptis.

225 Non, inquam, valet; nam cum Christus dixisset, *Satanas expetivit, vt cribraret vos*. Ibi loquutus est de Ecclesia, quam representabant Apostoli: At quando promittit, non defecturam Fidem, mutavit modum loquendi, dicens: *Ego autem rogavi pro te Petre*, satis designans hanc Infallibilitatem, non promissam Ecclesiæ, vt seorsim à Capite, sed promissam Capiti, vt ex illo derivetur ad Ecclesiam. Deinde pro illo rogavit, cui dixit: *Confirma fratres tuos*; hæc sanè non Ecclesię, sed Summo Pontifici possunt adaptari: ergo inepta est horum Authorum explicatio.

226 Nec etiam valet aliorum expositio dicentium Christum in adductis verbis rogasse pro perseverantia in Gratia vsque ad finem vitæ solius Petri, quod ad alios Pontifices non erat transferendum. Non, inquam, valet; nam hic aliquid in speciali promittitur, Petro, quod alijs Apostolis non promittitur; hoc autem non est perseverantia finalis in gratia, nam constat ex illo Ioannis 17. pro hac habenda ab omnibus Apostolis Christum orasse, dum dixit: *Pater Sancte Serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*: Promisit ergo Christus Petro Fidem non defecturam ab eo, neque ab eius Successoribus; circa id in quo eius Successores sunt. Quod, & dixit Agatho Papa in *Epistola ad Constantinum Imperatorem*, quæ lecta est in Sexta Synodo Generali, *Act.* 4. & postmodum, *Act.* 8. his verbis: *Ego rogavi pro te, &c.* Hic Dominus Fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prędecessores, confidenter fecisse semper est agnitum. Et Nicolaus Papa in *Epistola ad Michaelem* assignans rationem ob quam ista sic liberè dicat, subdit; nam & inter cętera is, per quem nobis sunt ista privilegia collata, *tu aliquando conversus* audivit à Domino *confirma fratres tuos.* *

227 Doctissimus IOANNES VVIGERS, Lovaniensis Doctor, & Leodiensis Collegij Rector, vir in Dogmaticis controversijs singularis ingenij, ac eruditionis, in Commentarijs *in* 2. 2. *Sancti Thomæ, quæst.* 1. *Dub.* 5. *num.* 177. *&* 191. de Romani Pontificis Infallibilitate in Decretis Fidei Sermonem instituit; illamque ex citato Lucæ textu deducens, hæc scribit: *Pontificis Iudicium in quęstionibus Fidei determinandis, similiter in Decretis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribit, non tantum cum Concilio Generali, sed etiam quandocumque ex Cathedra loquitur, & Ecclesiam totam docet, cum obligatione ad ita credendum, & docendum, est prorsus certum, & Infallibile. *

228 Hanc conclusionem adeò communiter tuentur Theologi, vt opposita omni prorsus fundamento destituta videatur. Quod *num.* 178. probat. Quia numquam Divi Petri Successor Romanus, scilicet, Pontifex, potest non Ecclesiæ Ædificium fulcire; vacillante enim fundamento, & in Fidei firmitate nutante, ad quam suffulciendam constitutum est, tota Ecclesia in firma Divi Petri, istiusque Successorum Fide fundata substructio, vergeret in ruinam; sicque, & portę inferi, errores nempe, & Hæreses contra Ecclesiam prævalerent, quod sine crimine dici nequit, cum illi Christi Domini, *Matth.* 16. promissioni aperto marte repugnet: *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.*

229 Nec dicere obstat Romanum Pontificem esse Ecclesiæ Fundamentum, & Lydium Orthodoxæ Fidei Lapidem, pro vt simul cum Ecclesia in Generali Concilio cōgregata, attenditur, ac consideratur; non, inquam, hoc obstat, alias fundamentum nullam ædificio firmitatem præstaret, immò totam suam immobilitatem, & stabilitatem illud ab isto mutuaretur, quod ab omni ratione, & vniversali, & mathematica experientia abhorret, infallibilique Christi Domini opponitur promissioni *Matth.* 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et *Lucæ* 22. *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* Et quidem omnes istius textus circunstantię non mediocriter suadent Christum Dominum pro Petro, istiusque Successoribus specialiter orasse, immò, & pro alijs, vt omnes opera Petri, qui istius Cathedræ sufficiuntur ministerio, Fidei stabilitatem, & firmitudinem in Ecclesia accipiant. Etenim pro illo proximè rogavit Christus, cui dixit: *Confirma fratres tuos*; hoc autem non posse de Vniversali Ecclesia intelligi, certissimum est; hæc enim fratres non habet

bet, quos debeat, aut possit in Fide confirmare. Vnde Christus pro Petro, ceu vniversalis Ecclesiæ Pastore, sicque & pro illius Cathedra in Successoribus preces immediatè effudit, & pro istis Christi Oratio stabilitatem, & firmitudinem sua efficacia obtinuit, vt fratres suos in ijs, quę ad Fidem, sanamque doctrinam spectant, possent semper instruere, & confirmare.

230 Hæc eadem veritas Summorum Pontificum, Sanctorumque Patrum authoritate, immò & ratione ipsa confirmatur; multi enim Romani Pontifices varios errores tamquam Hęreses, sine Generali Concilio damnarunt, quorum errorum Authoribus ceu verè Hęreticis, Ecclesia postea semper est adversata, vt innotuit in damnatione errorum Pelagij à Pontificibus Innocētio, Zozimo, & Cœlestino, sine Generali Concilio promulgata, prout refert S. Prosperus *contra Collatorem* Idem fecisse constat Xistum Pontificem, qui Pelagianorum sequaces anathemate iugulavit, sic etiam Leo I. Pontifex, vt ex sua *Epistola 93.* innotescit, Priscilianistarum Hęresim: Nicolaus II. & Gregorius VII. Berengarij deliramenta, Innocentius II. vt illius *Epistola 194.* demonstrat, Petri Abaiardi errores, aliosque similes, ceu verè Hæreses alij Sanctissimi Pontifices sine Generali Concilio damnarunt, oppositasque veritates, ceu Catholicas Ecclesia semper venerata est, illasque infallibili certitudine credidit, quia Fide Divina credendę proponebantur à Romano Pontifice, qui in Fide errare non potest, iuxta Christi promissionem Petro, istiusque Successoribus factam: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*: nullis frangitur procellis, nullis obruitur fluctibus, nullisque extinguitur vndis, immò nec aliquam potest Fidei facere iacturam.

231 IOANNES SINNICHIVS, in Lovaniensi Vniversitate insignis Theologiæ Professor, in Professione Fidei, & subiectione Apostolicæ Sedi Divi Petri debita, quam tamquam vltimę suæ voluntatis signum, ad perpetuam Catholicorum disciplinam posteritati sacravit, eleganter probat humilem subiectionem, submissum animum, ac alacrem famulatum, quo Romanæ Sedi sumus obsequuturi, varijs etiam Sacræ Scripturæ testimonijs infallibilem Romani Pontificis authoritatem in definitionibus ad Fidem, probosque mores spectantibus demonstrat; Summum item Pontificem omni Generali Concilio superiorem, ipsiusque singulare iudicium irreformabile esse, & ab Ecclesia, Concilijque cognitione indepēdens (immò Concilium, vt in suis determinationibus infallibilem certitudinem consequatur, Pontificis approbatione indigere) sequentibus conclusionibus ostendit; etenim *cap. 72. in Synopsi*, §. 225. sic scribit:

232 * Petrus Christi Vicarius, ovilis Pastor, Ecclesiæ navigantis Archi-Gubernius, eiusdem consistentis firmamentum.* Quæ quidem cognomina illis Christi ad Divum Petrum innitūtur verbis: *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. Matthæi 16. Pasce oves meas. Ioann. vltim.* Et ibidem: *Fiet vnum ovile, & vnus Pastor.* Ecclesia enim, quæ hic vnum vocatur ovile, alibi Navis nuncupatur, quæ in vasto, ac procelloso huius mundi pelago navigans, estò refluentibus Hæresum vndis agitetur, ac tumidis errorum fluctibus impellatur, in nullos tamen Hęresum scopulos impingit, nullis frangitur procellis, nullis obruitur fluctibus, nullisque extinguitur vndis, immò nec aliquam potest Fidei facere iacturam, ob firmitatem, qua illam Christus in Petro, illiusque Successoribus solidavit, vt egregiè expendebat Ambrosius, dicens: Navis, quæ adhuc secundum Matthęum fluctuat, non turbatur, hæc navis, in qua Prudentia navigat, abest perfidia, Fides aspirat; quomodo enim turbari poterat, cui prę-erat is, in quo Ecclesiæ firmamentum est?

233 Petrum vocat Ecclesiæ firmamentum, quia ista super illum, ceu supra solidum lapidem, immò, & adamantinum saxum ędificari debuit, ac fulciri; ille insuper est, cui specialiter dixit Christus *Lucæ 22. Confirma fratres tuos.* Qua igitur ratione posset in Fide firmare alios, si ipse in illa vacillaret? Huc respexisse videtur Pontifex Leo cum *Serm. 3. de Assumptione sua*, illa explicans verba: *Ego rogavi pro te, &c.* hęc scripsit: Specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro Fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit: in Petro ergo omnium fortitudo munitur.*

234 Author *tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* M. C. S. in duo-

decim digesti libros, & Leodij editi, anno 1684. cuius labor in eum scopum collimat, vt declarationem à Gallicanis Episcopis factam anno 1682. oppugnet *lib.* 7. quem inscripsit *de Authoritate Summi Pontificis in definiendis Fidei quaestionibus*, occasione quartae propositionis, scilicet: *In Fidei quoque quaestionibus, praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad singulas, & omnes Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae concensus necesserit.* Occasione igitur huius propositionis haec scribit. *Cap.* 2. Probatur authoritate Sacrę Scripturae, Iudicium Summi Pontificis, circa quęstiones Fidei esse irreformabile, seu infallibile. * Hanc veritatem ex toties repetito S. Lucę textu confirmat. Sed iam huius Authoris verba proferamus in medium.*

235 * Summum Pontificem esse Caput Ecclesiae professi sunt, etiam ipsi Episcopi Parisijs anno proximè pręterito congregati. Et sanè Concilium Constantiense, cui Galli tantum deferunt, inter alios Vvicleffi Articulos, illum damnavit, qui hanc Papa Dignitatem, Authoritatemque abrogat.* Et paulò infrà: * Sufficit (inquies) vt certò sciamus Summũ Pontificẽ esse Successorem S. Petri, vt inde certo etiã colligamus, illum huius esse Dignitatis & Authoritatis hærędẽ. Ita est omninò: ad Divinam enim Providentiam pertinet vt quibus idem confert officium, eandem tribuat Authoritatem.* Et postea subdit: * Petrum, vt Ecclesię Pastorem, privilegium non errandi à Christo accepisse. Ita est in Evangelio luculenter significatum, vt nihil videatur in eo luculentius. *Lucae* 22. ait Dominus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, &c. Ego autem rogavi pro te, &c.*

236 In cuius elucidatione, haec addit: * Quocirca patet primò, Christum aliquã Petro prae caeteris Apostolis gratiam postulasse: ad eum enim singulariter dirigitur sermo: *Simon, Simon, pro te, Fides tua; & tu confirma fratres tuos.* Quodque praelationem Petri specialius indigitat, cum communem omnium Apostolorum, circa Fidem, tentationem commemorasset, reliquis praetermissis, ad Petrum solum Sermonem dirigit: *Ecce Satanas expetivit vos: Ego rogavi pro te*; sed quid dico, praetermissis? Imo eorum expressa facta mentione, sed eo fine, vt doceat eos à Petro, vel eorum Successores à Successoribus cõfirmandos in Fide; *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Secundò patet, hanc gratiam à Christo impetratam Petro, non vt privatę personae tantum, sed vt Apostolo, & Apostolorum ipsorum Pastori, *Vt non deficiat Fides tua: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Tertiò coniunctio *Et*, causam indicare videtur, cur Christus pro Petro specialiter rogaverit, Fidemque indeficientem exoraverit, scilicet, vt alios confirmaret; *non deficiat Fides tua; & tu confirma fratres tuos.* Quod ad officium, adque adeò ad Successores pertinet.

237 Porrò, qua ratione posset alios confirmare, qui titubaret ipse? Vel potius quomodo posset labantes sustinere, aut lapsos erigere, si ipse non solum per Hæresim iam corruisset, sed etiam alios per propositionem Hęretici dogmatis publicè toti Ecclesię factam ad casum posset impellere? Necesse est, vt firmitèr stet, cuius officium est aliorum impedire casum, aut ruinam reparare; eum qui Dux aliorum constituitur, oculis valere oportet: alioquin illorum incolumnitati non consulitur, sed vtrique ad foveam mittuntur: praesertim dum non est alius, qui à recto tramite deviantes moneat.

238 Quod addo, ne quis reponat, posse fideles à Sũmo Põtifice deceptos ad veritatis viam revocari à Concilio Generali. Sicut enim (quod superiori libro notavimus) primis tribus saeculis impossibile fuit Concilium Generale congregare, ita totidem, & pluribus posset eadem facultas deesse, his praesertim temporibus.*

239 Eandem doctrinam confirmat contra Ioannem Launoyum Doctorem Parisiensem. Inquit enim, *cap.* 3. * Quod ex illis Christi ad Petrum verbis omnino perspicuis: *Rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: necessario non sequatur (iuxta Launoyum) in Fidei quaestionibus Romani Pontificis Iudicium esse irreformabile, non nisi ex duplici capite videtur; vel ex eo quod Christi Oratio non fuerit exaudita; vel ex eo quod idem non deficiẽdi privilegium ad Petri Successores non emanaverit; vtrumque verbis continuo sequentibus excluditur, vt superiori capite insinuavimus; primum quidem adeo Sancto Augustino certum erat, exauditam fuisse hanc pro Petro Christi orationem, vt se-

cus

cùs dicere, ceu blaſphemiam haberet. An audebis, inquit *lib. de Corrept. & Gratia, cap.8.*) dicere, etiam rogante Chriſto, ne deficeret Fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet; hoc eſt, ſi eam vſque in finem perſeverare noluiſſet: quaſi Petrus aliud vllo modo vellet, quam pro illo Chriſtus rogaſſet,vt vellet,&c. Et Beatus Proſper *in Epiſtola ad Rufinum*: Certè pro eo rogaverat Dominus, ne deficeret Fides ipſius, nec vtiq; fruſtra rogaverat, cuius vna erat cum eo, quem rogaverat,operatio.

240 Secundùm autē(*num.*1.ait)quia Fidē indeficientem Petro, non ſolius ipſius cauſa, ſed in bonum gregis ipſi commiſſi, atque adeo tamquam Supremi Eccleſiæ Paſtoris privilegium, ad omnes in illo ſucceſſuros Officio tranſiturum, obtentam fuiſſe ſignificat, hæc copulativa, *Et*, quæ collectivę, ſeu rationalis vim habet; ideò, *ego rogavi, vt non deficiat Fides tua*, vt tu confirmes fratres tuos; ſeu *ego rogavi pro te,vt non deficiat Fides tua*; tu ergo, illo indeficientis Fidei munere prędıtus, *confirma fratres tuos.* * Hæc illæ.

241 Pater ANGELVS MARIA VERRICELLI,*de Apoſtolicis Miſſionibus, quæſtione* 182. *ſect.* 8. pro concluſione ſtatuit Summi Pontificis non errandi privilegium, quod probat ex illo Lucæ: *Ego pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Et ex illo Ioannis: *Paſce oves meas*; quibus verbis, inquit, Petro commiſſum eſt paſcere oves tradēdo certas Fidei, ac morum regulas, ijs autem Dominicis verbis nulla indicatur neceſſitas convocandi Concilij, pro paſcendis ovibus, & confirmandis fratribus.*

242 Id ipſum probat *num.* 94. dicens: * Quia nequit errare Pontifex, toti Eccleſiæ, quoad mores, Leges proponens, declarans eſſe bonum, quod malum eſt, & id eſſe de Fide docent Cardinalis Bellarminus, Gregorius à Valentia, Cardinalis Turrecremata, & alij. *Quos allegat,& ſequitur.

243 *Numero* verò 98.*Pro coronide adverto: Non poſſe Pontificem toti Eccleſiæ leges proponentem quoad mores, errare, etiamſi id faciat ſolus, & ſine Concilio; & oppoſitum hęreticum eſt. * Citatque Suarez, *tract. de Fide, diſp.*5. *ſect.*8. & alios.

244 SEBASTIANVS BARRADAS, è Societate Iesv, Olyſſiponenſis, in Eborenſi Academia quondam Sacrarum Litterarum Profeſſor, *tom.* 4. *& vltim. Commentariorum in Hiſtoriam Evangelicam, in expoſitione præd.cti textus,apud Lucam* 22. *Ego rogavi pro te, &c.* hanc exagitat quæſtionem: * An Christvs oraverit, vt non deficeret Fides Petri ſolius, an vt non deficeret Fides Petri, & Succeſſorum eius in Pontificatu Romano?* Cui quęſtioni ſic ſatisfacit: * Reſpondetur Chriſtum oraſſe pro Petro, cui iam pollicitus fuerat Claves Eccleſiæ, ne Fides deficeret, non ſolum ipſius, verum nec Succeſſorum eius. Quod pro Petri orarit Fide, docet Auguſtinus *lib. de Correptione, & Gratia,cap.*8. Theophylactus in Lucam, Beda, & alij. Quod autem ro averit pro Petri Fide, vt Capitis, & pro Fidē Succeſſorum, docet D. Bernardus *Epiſtola* 190. *ad Innocentium*; D. Leo *Serm.* 3. *de Aſſumptione ad Pontificatum*; Lucius Papa *in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ, tom.* 1. *Conciliorum*; Agatho Sanctiſſimus Papa *in Epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem, quæ extat in Sexta Synodo, Act.* 4. Dominus Fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum. *

245 Et infra ait:*Fuit efficax Chriſti Oratio;quod petebat,impetravit,tàm Petro,quā Succeſſoribus. Leo IX.*in Epiſt.ad Petrum Antiochenum.* Petrus (inquit) ſolus eſt, pro quo ne deficeret Fides eius Dominus aſſeruit ſe rogaſſe, dicens: *Rogavi pro te, &c.* (Et infra) Qualem autem Fidem Chriſtus impetravit Petro: diſce ex Auguſtino *de Correptione, & Gratia,cap.* 8. Quando (inquit) rogavit Christvs, vt non deficeret Fides Petri, quid aliud rogavit, niſi vt haberet in Fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? &c. Defecit in Petro quidem, cum negavit, oris confeſſio; ſed non defecit cordis Fides. Folia, id eſt,verba Confeſſionis abiecit hoſtis; radix Fidei ſemper vixit. Theophylactus *in Lucam*: Quamvis (inquit) concutiendus ſis Petre, habes tamen recondita ſemina Fidei, vt etiam ſi folia abiecerit Spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet Fides tua * Videatur ipſe ad illa verba: *Et tu aliquando converſus con-*

firma fratres tuos. Hæc enim verba pro solita sua eruditione varijs Sanctorum Patrum expositionibus illustrat.

246 P.M. HIACYNTHVS CHALVET, Sacri Ordinis Prædicatorum, Provinciæ Tolosanæ non ignobilis filius, natione Gallus, & in Sacra Facultate Academiæ Cadomensis Professor Regius, *in tom. 7. Comment. D. Thom. in 2.2. lib. 2. de Fide*, §.5. Romanę Ecclesię proprietates explicans Romani Pontificis Infallibilitati in rebus Fidei haud obscurè suffragatur, dum sic scribit: * Nusquam enim à Fide Romana Ecclesia apostatavit, numquam adulteravit, vt falso illi Calvinus, & Lutherus imponunt. Virgo fuit in partu, Virgo post partum, iuxta illud Apostoli: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Virgo semper fuit, quia incorrupta à Fidei veritate numquam aberravit, vt ex ipsius Christi promissione efficacissimè probant Sancti Patres: Expetivit Satan, excribrare vos: *sed ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua, &c.* Adeò autem fratres suos Petrus in Fide confirmavit, vt ex Successoribus illius nullus vmquam ab ea defecerit; quidquid in contrarium garriant adversarij, vt fusè *cap. seq.* demonstrabo. Quare iure optimo appellari debet Columna, & Firmamentum veritatis.

247 Columnam æneam, vel marmoream potius frangas, quam flectas. Romana Ecclesia Tyrannorum dire vexata persecutionibus à Fide numquã deflexit. Rectã in Doctrina Apostolica semper, & immota stetit. (Et paulò infrà) Immobilem illius in Fide constantiam, perpetuamque eius firmitatem ex alio Capite certò conijcio, nempè ex indissolubili illius vnitate, qua nihil fortius. Concordia, nedum res crescunt, sed firmantur; Discordia, diffluunt, & pereunt: *Omne regnum in se divisum, dessolabitur.*

248 Ecclesia Romana vna est, vnaque semper fuit, & erit, licet per totum Orbem diffusa innumeras alias sponso Ecclesias pepererit, vna, vnitate capitis; vnus enim successivè illi dumtaxat præfuit Summus Pontifex, Caput illius visibile, vt infra de Primatu Sancti Petri demonstrabo: vna, vnitate subordinationis, & dependentiæ: quia ab Ecclesia Romana, & Pontificia, cæterę orbis Ecclesiæ omnes dependent, & eius Sanctissimis Decretis plenè subijciuntur; vna vnitate Fidei, & Doctrinæ orthodoxæ; semper enim eosdem Fidei Articulos vbique firmitèr tenuit, vel implicitè, vel explicitè; & in hoc conveniunt omnes Ecclesiæ Romanæ Doctores.*

249 Novis fulgoribus nostram illustravit sententiam Eruditus DIDACVS STELLA, qui *Commentario in Lucam* prædicta verba elucidans ita illa interpretatur, vt ex illis privilegium non errandi, quo Summus insignitur Pontifex, sic deducat: * Præterea locus iste, vbi Christus ait Petro: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*, exponitur, vt hic Christus pollicitus fuerit, Fidem Ecclesię Romanæ, cuius Pontifex Petrus fuit, numquam defecturam; & rectè quidem, quia Fides Romanæ Ecclesiæ, quam in ea Petrus plantavit, vsque in finem sæculi durabit. Benè potest Petri Navicula fluctibus persecutionum Hæreticorum angi, & concuti, numquam tamen corruet, aut subvertetur. *Portæ enim inferi non prævalebunt adversus eam.*

250 Hoc enim verbum non dixit Christus Petro tamquam personæ privatæ, quia Petrus peccavit post hæc verba. (Et infra) Sed in quantum Caput est Ecclesiæ, nullatenus errare potest; & tunc est Caput Ecclesiæ, cum facit, quod in se est, nempè, cum Concilio Cardinalium, & Doctissimorum Virorum definiendo, vbi errare non potest. Ecclesia enim Antiochena, Alexandrina, & Constantinopolitana sępè defecerunt à Fide, numquam tamen Ecclesia Romana defecit, quia Christus ait Petro: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua.**

251 Assentitur etiam IOANNES DE NEAPOLI, Sacri Prędicatorum Ordinis, Doctor Insignis, qui tempore Ioannis XXII. floruit, & privilegium non errandi in Summo Pontifice, constanter tuetur, *Quodlibeto* 11. sic scribens: * Quædam alia sunt, quæ facit Papa pertinentia ad Statum vniversalem totius Ecclesiæ; vel quantum ad Fidem, vt sunt Determinationes, & Declarationes, quę spectant ad Fidem, & Articulos, & Ecclesiæ Sacramenta, & omnia alia contenta in Sacra Scriptura; sivè quantum ad bonos mores, vt sunt Statuta, Decreta, & Decretales; & in talibus dicendum est, quod licèt absolutè pensatis solis personis Papę, & Cardinalium, Papa cum ipsis posit errare, supposita tamen Divina Providentia, & Spiritum Sanctum loqui per Ecclesiam, credendum est

Pa-

Papam non posse errare, quia Christus oravit pro Ecclesia, *Lucæ 22. Ego pro te oravi, vt non deficiat Fides tua.* Et dicere quod in huiusmodi Papa erraret, esset Hereticum.*

252 His adhæret P. M. FRANCISCVS De ENGHIEN, *in Responsione Historico-Theologica ad Cleri Gallicani de Potest. Eccl. Declarationem*, dùm Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitatem, ex prædicto Sancti Lucę textu confirmat; loquens enim de infallibili Conciliorum authoritate, hanc à Pontificis Infallibilitate manare hisce testatur verbis: * Igitur Sacra Concilia, quod infallibili, & irrefragabili polleant authoritate, debent Romanæ Sedi, eiusque Antistiti Christiani Orbis Pastori Supremo, & Summo, Definitionibus eorum, suam infallibilem decisionem, velut vltimum sigillum apponenti, quę non ideo indeviabilis est, quod consonet iudicio Concilij, sed quia illius est, pro quo solo, ne deficeret Fides eius, Christus oravit, cuique mandavit, vt fratres suos confirmaret, non vt à fratribus confirmaretur. Videmus igitur, tamquam coloribus expressum in tabula, ipsum Romanum Pontificem vniverso Christiano orbi præsidere Magistrum, ac velut ex eminenti Cathedra docere omnes Catholicam Fidem, cui proinde meritò possumus acclamare, quod olim Felici II. Alexandrina Synodus: Tu profanarum Hęresum, atque omnium imperitorum depositor, vt Princeps, & Doctor, & Caput omnis Orthodoxæ Doctrinę, & immaculatæ Fidei existis.

253 Quæ cū ita sint, perspicuū est in Fidei quæstionibus, nedum pręcipuas Summi Pontificis esse partes, nedum eius decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere, verum & irreformabile esse Iudicium, tametsi Ecclesiæ consensus non accesserit. (Quod probatum supponit.) Quam pręrogativam Apostolicæ Sedis eximiam, Romanorum Pontificum testimonijs illustratam, firmamentis communitam, gestisque probatam, ac perpetui vsus exemplis monstratam, necnon à Gallicano, permagni nominis Clero, tantopere testificatam, vti à Christo primitus Beato Petro impetratam, & cōcessam, ita & in eius Successoribus Christi Vicarijs, per tot sæculorum seriem innumeros inter illidentium fluctuum tumultus, illibatè, & inconcusè continuatam, pręsentem profitemur, colimus, ac veneramur in Sanctissimo Domino nostro Innocentio Papa XI.*

254 Omnibus his clarissimis Authoribus subscribit Eruditissimus P. ANTONINVS DIANA, *Part. 11. Tract. 2. de Infallibilitate Decretorum Romani Pontificis extra Concilium*, prædictam Summi Pontificis in rebus Fidei Infallibilitatem adhuc extra Concilium, tamquam Catholicam assertionem tuetur. Eamque ex prædicto Sancti Lucę textu deducit: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*; in cuius loci expositione, hæc habet: * Quibus verbis duo privilegia data sunt Petro, & eius Successoribus, propter Orationem Christi. Primum, vt non deficiat Fides Petri. Secundum, vt confirmet fratres in Fide; quorum vtrumque, & quodlibet seorsum, non potest pręstare Petrus, aut Romanus Pontifex eius Successor si posset errare in definiendo, &c. quia tunc iam deficeret Fides Petri in Ecclesia, & posse confirmare fratres in Fide.* Hæc ille.

255 Ad Romani Pontificis Infallibilitatem astruendam egregiè faciunt ea, quæ eleganter scripsit STEPHANVS MENOCHIVS, relatus ab Authore, *tract. de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, supra laudatus, lib.* enim 7. *cap.* 3. apertè fatetur se indeficientem Fidem nullatenus tribuere Petro, vt privatæ personæ, sed eius officio, cui Romani Pontifices succedunt. Quare prędictum S. Lucæ textum, sic interpretatur: * *Et tu* igitur *aliquando conversus*, scilicet, à peccato negationis, *confirma* in Fide Orthodoxa, & reliquis ad salutem ducentibus, *fratres tuos*, non Apostolos tantum, sed omnes etiam Fideles. *Quomodocūque intelligēda sit vox illa, *conversus*, quę vt alibi diximus, & dicemus, aliud quā cōversionē à peccato proprio significare potest, planū est nō defecturam Petri Fidem, & Successorū eius Cathedræ, vt possint fratres suos confirmare.

256 Tandem EVGENIVS LOMBARDVS, I. V. Doct. ac authoritatis Pontificiæ Assertor Præclarus, Tomo cuius titulus est: *Regale Sacerdotium Romano Pontifici assertum*, *lib.* 3. §. 2. Romani Pontificis Infallibilitatem multis suadere conatur, pręsertim ex illo Lucæ textu, vbi ait: * Christus pro Petro, eiusque Successoribus rogasse se dicit, ne vmquam illorum Fides deficiat: *Ego autem, pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua.*

No-

Nota, hæc Christi verba specialiter ad Petrum dirigi, quamvis enim Satan omnes Apostolos expetiverit, non tamen dicit Christus: Ego pro vobis rogavi, sed *pro te*; innuens se privilegium aliquod speciale Petro postulasse: nec Petro tantum, sed illius etiam Successoribus: semper enim Ecclesia, vt impetitur à Sathana ita confirmari debet: Et sicut ex omnium Catholicorum sententia, aliæ promissiones Petro factæ, ad eius Successores pertinent, sic etiam ista: nec aliter Concilia ipsa, & Patres hunc locum intellexerunt, vt planè temerarium sit, non ita intelligere: Quamvis enim etiam pro perseverantia Petri in gratia, & pro ipsa Ecclesia, Christus oraverit; specialiter tamen pro Petro, eiusque Successoribus, ne in Fide deficerent aliquid contra ipsam docendo, orasse; sicque speciale aliquod privilegium Petro, & Successoribus impetrasse, tùm ipsa per se verba, tùm omnium Patrum consensus habet: ij sunt, Patres Sextæ Vniversalis Synodi Constantinopolitanæ, *Act.* 4. (& relatis pluribus ex Patribus concludit) Et denique omniũ elegantissimus B. Agatho Papa *Epist. ad Augustos*, quæ recitata, recepta, summisque laudibus affecta est à Patribus Sextæ OEcumenicæ Synodi, *Act.* 4. *&* 8. Et habetur *tom.* 3. *Conciliorum.**

257 Doctissimus P. PAVLVS FABVLOTVS Romanus, è Religione SS. Barnabę, & Amb. *in tract.* quẽ singulari eruditione composuit *de Authoritate Papæ supra Concilium*, edito anno 1613. qui extat in Apparatu Conciliorum Generalium vltimæ editionis, *cap.* 4. præfatum textum Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, &c.* eruditè explicat pro Romani Pontificis Infallibilitate in rebus Fidei decernendis, prout sequitur.

258 * Quæro igitur, cum Christus oravit ne deficeret Fides Petri, exauditus ne est pro sua reverentia, an non? Si non exauditus est, frustra oravit, non benè petivit: Quis ista concedat, nisi qui neget Christum Dei Filium? Exauditus igitur est, numquam defecit Fides Petri, ad firmandum suos fratres, ad hunc enim finem orasse, ne eius Fides deficeret, ipsemet testificatus est illis verbis: *Tu autem conversus confirma fratres tuos.* Potuisset Christus quidem pro Fide omnium orare, ne vllius Fides deficeret, sed pro Fide Petri immediatè orare voluit, pro Fide verò omnium mediante Petro, vt à Petro tamquam à solidissima petra, & fundamento, tota Ecclesiastica ædificatio dependeret, & Ecclesia fundata esset in ea Petra, cui dixerat: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Exauditus ergo fuit Dei Filius pro sua reverentia, & Petrus potestatem accepit firmandi fratres in Fide, quam & exercuit etiam in Concilio.

259 Cum enim surrexissent quidam ex Hæresi Farisęorum dicentes, oportere servare legem Moysis, coacto Ierosolymis Concilio, quamvis adesset Iacobus, illius Vrbis Episcopus, Petrus tamen, pro quo Dominus oraverat, ne deficeret Fides eius, primus surgens dixit: *Viri Fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelij, & credere, & qui novit corda, Deus testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sãctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos, & illos, Fide purificans corda eorum: Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos, portare potuimus.*

260 Postquam Sanctus Petrus peroravit, tacuit omnis multitudo. Sic Apostolus confirmavit Fratres suos in veritate Evangelica, sic confirmatus est S. Iacobus, illius Ecclesię Episcopus, vnus ex omnibus, qui post Sanctum Petrum dixit, non inquietandos eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum: Sic omnes Apostoli, omnes Presbyteri, omnisque Ecclesia in eo Concilio congregata firmitatem suæ sententię duxit ex Petri doctrina, cum Oraculis Prophetarum consentiente, quam formam vniversa Concilia, deinceps ritè habita tenuerunt, vt eorum decreta, non nisi authoritate Pontificis firma essent, & quæ à Romano Pontifice confirmata essent, nulla temporum diuturnitas infirmaret, vt scripsit ante septingentos annos Benedictus III. *ad Hincmarum Remnensem, Archiep.* & Leo Magnus *ad Martinianum Imperatorem de Concilio Chalcedonensi.*

261 Ecce tibi petra firma, ac solida, super quam Dominus suam ædificavit Ecclesiam. Ecce fundamentum, quod Ecclesiasticum sustinet ædificium, id est potestas, quam frustra mortales infirmare conantur, *Dei structura est, Dei ædificatio est,* Christus est, qui Pontifici dicit: *Confirma fratres tuos.* Christo igitur adver-

versantur quicumque aiunt, non à Pontifice confirmandos esse Episcopos in Fide, sed Pontificem à suis fratribus in Concilio fulciri debere, ac sustentari. Christus est, qui suo Vicario ait: *Confirma fratres tuos.* Et quis dixit Episcopis confirmare Christi Vicarium? Quis Episcopis potestatem dedit in Summum Pontificem? Nemo sanè, nisi quos odium Romani Pontificis obcęcavit, & quos studium contradicendi Romanis Pontificibus dementavit?

262 Nos verò concludamus cum Evangelio, Ecclesiam Catholicam super eum esse ædificatam, cui Dominus mandavit, vt fratres in Fide instar petrę fulciret, ac solidaret. Si enim credimus, vt credere debemus, Petro concessam hanc authoritatem firmandi fratres in Fide, consequens est, vt cõfiteamur super Petri authoritatē, pro qua oravit Dominus, tamquā super firmissimam petram, ædificatam esse Ecclesiam. Super Petrum igitur, habentem authoritatem ad firmandos in Fide fratres, ædificata est Ecclesia, & ex his duobus Evangelij locis firmissimum habemus Ecclesiæ fundamentum Romanum Pontificem, quem Christus, qui ei dixit: *Tu es Petrus*, firmat, ac sustinet, ne labi posit in errorem, ideòque primum, ac principale Ecclesię fundamentum Christus est.* Hactenùs ille; quò nihil elegantius, ac luculentius, pro Romani Pontificis Infallibilitate, ac firmitate in rebus Fidei dici potest.

263 Hic tandem addenda censuimus, quæ omissa fuere ex Cornelio à Lapide, supra laudato, *num.* 223. ad illa verba: *Ego rogavi, &c.* Vbi duo privilegia Christum Petro impetrasse asserit; primum personale, vt diximus ibi. * Alterum, ait, & certum privilegium fuit commune Petro, & omnibus eius Successoribus, vt scilicet ipse, & cæteri Pontifices Romani numquam publicè à Fide deficerent, sic vt Ecclesiam docerent hæresim, vel errorem aliquem, qui sit contra Fidem, ita S. Leo *Serm.* 2. *de Natali S. Petri, & Pauli*, S. Ciprianus, Lucius I. Felix I. Agatho, Nicolaus I. Leo IX. Innocentius III. Bernardus & alij, quos citat, & sequitur Bellarminus, *lib.* 1. *de Romano Pontifice.*

264 Opus enim fuit, vt Christus sapientissima sua Providentia, Ecclesiæ suæ, quæ semper à diabolo cribratur, & tētatur, non tantū tēpore Petri, sed omni deinceps futuro vsque ad finem mundi, prospiceret de Oraculo veræ Fidei, quod ipsa in omni Fidei dubio consulere, & à quo in Fide instrui, & confirmari posset: alioqui enim Ecclesia in Fide posset errare; quod absit. Est enim ipsa, vt ait Paulus 1. *ad Timoth.* 3. *Columna, & firmamentum veritatis.* Hoc ergo Ecclesiæ Oraculum est Petrus, omnesque succedentes Romani Pontifices. Quare hęc Christi promissio facta Petro, eiusque Successoribus, maximè spectat ad tempus, quo Petrus Christo superstes, cœpit esse Caput Ecclesiæ, scilicet illicò post mortem Christi.* Hactenus ille.

CAP. IV.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas in rebus Fidei definiendis probatur ex illo Matthæi 16. TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM.

265 Rem nostram confecisse, & triumphum reportasse videbimur, cum Romanum Pontificem habere non errandi privilegium in rebus ad Fidem spectantibus, productis plusquam octuaginta gravissimorum Authorum testimonijs, qui vnanimes prędictam veritatem in Sacris Litteris apud Sanctum Lucam, *cap.* 22. contineri fatentur, superiori capite probaverimus, isti siquidem eximij viri maiorem in Ecclesia Authoritatem, Fidem, gloriam, & æstimationem, sua sibi virtute, ac doctrina conciliarunt; quod à nemine negandum arbitramur, cum inter illos, Sanctissimi numerentur Patres, vti Sanctissimus Pontifex Leo, S. Ioannes Chrysostomus, S. Bernardus, S. Augustinus, B. Albertus Magnus, S. Thomas, alijque præstantissimi Sancti, eruditissimique Sacrarum Litterarum Expositores, quorum sententia summi ponderis esset, vt Romani Pontificis Infallibilitas in rebus Fidei, tamquam Fide Catholica credenda decerneretur: nihilominus tamen ne intelligatur nos in materia adeò gravi huic Scripturæ Sacræ textui tantum inniti, alterum ex ipsa Sacra Pagina locum æquali, immo, & maiori authoritatum, ac interpretationum pondere suffultum addu-

adducemus, quo magis conclusionis nostrę certitudo, & infallibilitas innotescat; innotescet autem proculdubio, etenim si in *ore duorum, vel trium stat omne verbum*, vt Christus in Evangelio testatur, cum iuxta Sanctos Patres, gravissimosque Sacrarum Litterarum Expositores, hanc eandem veritatem duo Sacri Scriptores, Matthęus, videlicet, & Lucas, Divino suggerente Spiritu cōscripserint, adeò certa nostra redditur conclusio, vt nullatenus videatur in dubium revocanda.

§. I.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas ex textu Matthæi 16. iuxta Sanctorum Patrum intelligentiam probatur.

266 ADsit omnium Antesignanus S. IRENÆVS, qui cum anno 180. fulgentissimis Sapientię, & Virtutis splendoribus Ecclesiam illustraverit, Pontificis Infallibilitatem apertissimè tuetur; *libro* enim 3. *cap.* 3. loquens de fundatione Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum Capitis, ab istius Oraculo cæteras omnes Ecclesias Fidei firmitatem, iuxta Catholicam traditionem, accipere hisce verbis testatur: *Sed quoniam valdè longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitę, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesię, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem per successiones Episcoporum pervenientem, vsque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo, præterquam oportet, colligunt.*

267 Eidem Pontificiæ Infallibilitati suffragatur S. HIPPOLYTVS, qui anno 220. doctrina floruit, ac virtute; *Oratione* enim *de Consummatione mundi*: *Princeps, inquit, Petrus, Fidei petra, quem Beatum iudicavit Christus Deus noster, ille Doctor Ecclesiæ, ille primus Discipulorum, qui Regni Claves habuit, docuit me, dicens, &c.*

268 Eandem Pontificis Infallibilitatem, eodē Matthęi textu innixus probat S. CYPRIANVS *Epistola* 27. *ad Lapsos*, in qua agens de prima vnitatis institutione, hæc habet: *Dominus noster Ecclesiæ suę rationem disponens, in Evangelio loquitur, & dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* (Postea subiungit) Inde per temporum, & Successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesię ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesię per eosdem Præpositos gubernetur.*

269 Id ipsum clarius docet *Epistola* 40. dicens: *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata.* *Et Epistola 55. ad Cornelium* hæc scribit: *Post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab Hæreticis constituto navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum Fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.*

270 Et *libro de Vnitate Ecclesiæ*, non longè à principio hanc eandem repetit veritatē: *Loquitur (inquit) Dominus ad Petrū: *Matth.* 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis: & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cœlis.* Et iterum post Resurrectionē suā dicit eidē: *Pasce oves meas. Ioann.* 21. Super illum vnum, ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas; & quamvis Apostolis omnibus, post Resurrectionem suam, parē potestatē tribuat, & dicat, *Ioann.* 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittuntur illi; si cui tenueritis, tenebuntur*, tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem, sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prędití, & honoris, & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur. (Et paulò post) Hanc Ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, tenere se Fidem credit? Qui Ecclesię renititur, & resistit; qui Cathedram

dram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit?*

271 En igitur quomodo Gloriosissimus Martyr Cyprianus in Cathedra Petri, Romanisque Pontificibus, in ea post illum sedentibus, Primatum agnovit, ab illa deinde originem vnitatis Sacerdotalis ob dependentiam, & vnionem, quam cæteri Episcopi, & Ecclesiæ Prælati debent habere cum Sede Apostolica, Romanoque Pontifice, tamquam membra cum Supremo totius Ecclesię Capite, & Pastore; tandem ipsiusmet Ecclesiæ, sivè Fidei vnitatem ad quam requiritur, quòd Suprema Potestas determinandi infallibiliter res Fidei sit tantum in vno, qui toti Ecclesiæ pręsit, eique res Fidei credendas proponat. Vndè Cyprianus *in loco citato*, *Epist.55.ad Cornelium*, asserit: *Neque enim aliundè hęreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam indè, quod Sacerdoti Dei nō obtēperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.* Intelligendo per vnum Sacerdotem, vice Christi Iudicem, Romanum Pontificem, Petri Successorem, à quo Ecclesia dicitur potissimum, vna, non solùm origine, sed etiàm vnitate Fidei Petri, quæ cum ex ore Christi sit indefectibilis, Romani quoque Pontificis iudicium erit irreformabile, ac infallibile in rebus Fidei.

272 *Epistola*, item, *69*. censet Christum Dominum constituisse Petrum totius Ecclesiæ fundamentum, Ecclesiæque firmitatem vni Petro inniti; referens namque id, quòd Christus dixit, *Ioannis 6.** Conversus Dominus ad duodecim, dixit: *Numquid vos vultis abire?* Respondit ei Petrus, dicens: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. & nos credimus, & cognovimus, quoniam tu es Filius Dei vivi.* (Hæc subiungit) Loquitur illic Petrus, supra quem fuerat ædificata Ecclesia.*

273 Eandem veritatem confirmat *Epist. 70.* * Vna est (inquit) Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine vnitatis, & ratione fundata.* Et *in Epistola 71. ad Quintū fratrem* dicit: *Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam. *

274 Cum igitur Christus Ecclesiam suam supra firmam Apostolorum Principis petram fundaverit, istumque totius Ecclesiæ constituerit Caput, vt in Fidei Cathedra Doctor fuisset, ac vniversalis infallibilium Fidei veritatum Magister; rectè deducitur infallibilitatis donum privilegiumque non errandi simul cum illa potestate, & Petro, & istius Cathedræ potestatis, & authoritatis Successoribus à Christo Domino fuisse concessum.

275 S. MARTIALIS, estò paucissimis verbis, id ipsum confirmat, hæc de Ecclesię Infallibilitate scribens, *cap. 11. ad Burdegalenses*: * Sed firma Ecclesia Dei, & Christi, nec cadere, nec dirumpi poterit vnquam. *

276 S. HILARIVS, qui anno 350. communi Spiritu fruebatur, expendens *Psal. 131.* illa Christi verba apud *Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, de Sancto Petro intelligenda esse, arbitratur: * Petrus, inquit, cui superius Claves Regni Cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat, adversus quam portæ inferi nihil valerent: Qui quę in terris, vel solvisset, vel ligasset, ea in Cœlis, vel soluta persisterent, vel ligata: *Et infra ad illa verba, *Vade post me Satana, scandalum es mihi*: * Tanta enim ei, inquit, religio fuit, pro humani generis salute patiendi vt Petrum primum Filij Dei confessorem, Ecclesię fundamentum, Cœlestis Regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem Cœli, Satanæ convitio nuncuparet. *

277 Ipse Sanctus in *cap. 16.* Matth. explicans illa Christi verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Hæc scribit: * Beatus hic est in nuncupatione novi nominis, fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quę infernas leges, & Tartari portas (quę iuxta alios Sanctos, Hęreses sunt, & errores) & omnia mortis claustra dissolveret; ò Beatus Cœli ianitor, cuius arbitrio claves æterni aditus traduntur! * Hęc autem Sancti Hilarij verba, Divi Petri, istiusque Successorum Infallibilitatem manifestè demonstrant. Ecclesia etenim, quæ veritatis columna est, & firmamentum non alio fulciri potest fundamento, quam infallibili, ac infracta Fidei veritate: Cum autem Sanctus Petrus, iuxta istius Sancti doctrinam, electus sit à Christo, ac constitutus stabile, & solidum Catholicę Ecclesiæ fundamentum: hinc necessariò sumus asseveraturi Infallibilitatis, & constantiæ do-

donũ Divo Petro (qui Petra Fidei à Sanctis communiter, vt diximus supra, appellatur) à Christo Domino fuisse concessum, vt iste ea præditus certitudine veritatibus maioris ponderis, ac momenti, quales sunt Fidei Definitiones, Ecclesiã sibi commissam posset instruere, ac ea, quæ magis necessaria essent, edocere. Hinc etiam manifestè deducitur Romanos Pontifices, sicut Petro in vniversali totius Ecclesiæ regimine succedunt, succedere etiam in illo non errandi privilegio, in rebus Fidei definiendis, quo Divus Petrus, ceu Ecclesiæ Caput, fuit insignitus; sicut enim Cathedræ, sic & Infallibilitatis hæredes existunt.

278 Egregiè pro Infallibili Cathedræ Divi Petri, sicque, & Summorum Pontificum in illa præsidentium authoritate, S. OPTATVS, Milevitanus Antistes, *lib. 2. contra Parmenianum*, probans Donatistas clavibus carere, eo quod Sancti Petri Cathedrę adversarentur: * Claves (inquit) legimus accepisse Petrum, Principem, scilicet, nostrum, cui à Christo dictum est: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, & portæ inferorum non vincent eas. Vnde est ergo, quod claves Regni vobis vsurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri, vestris præsumptionibus, & audacijs, sacrilegio militatis? * Et *Lib. 1.* dixerat: * Cæcilianus, omniũ supra memoratorum sententijs innocens est pronuntiatus, etiam Melchiadis sententia; qua iudiciũ clausum est. * Quæ verba rectè expêdit Illustrissimus Aurelianẽsis Episcopus GABRIEL DE LAVVESPINE, natione Gallus, sic scribens: * Quasi diceret: Etiã à Summo Pontifice absolutus, post cuius iudicium, de Cęciliani innocentia non est dubitandum. *

279 Eandem veritatẽ S. EPIPHANIVS confirmat, dum *Libro 2. Hæresi 56.* hæc scribit: * Cum autem sana Fides vndequaque servetur, quæ fundamentum est & salus fidelium, facile omnium Sectarum excogitata vanitas evertitur, &c. Dicit enim Propheta ad Sanctam Dei Ecclesiam: *Ponam Carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua Sapphirum, & muros tuos lapides electos, & propugnacula tua Iaspidem.* * In cuius confirmationem paulò infra ait Sanctus: * Omnis vox, quę insurget contra te, omnes ipsos vinces: contra verò non prosperabuntur. Nihil enim valebit adversus Fidem veritatis: nam supra petram ædificata est, & *portæ inferi non prævalebunt* contra ipsam; velut Sanctus Deus Verbum ipsi promisit, qui Rex eius est, & Sponsus, & Dominus eius. * Hæc ille.

280 Consonat magnus Fidei defensor EPIPHANIVS *in II. Nicæna Syn. tom. 5. Act. 6.* Conãtibus etenim Hęreticis, Ecclesiã in Sacrarũ Imaginũ cultu erroris arguere, hæc pro Ecclesia, istiusque in Fide puritate, ac indefectibilitate respõdet pro Synodo: * Talia cũ dicunt nõ videntur cognoscere promissiones Catholicę Ecclesiæ ab eo, qui illam fundavit Christus, factas; neque confitentur per liberationem eam, quę est in CHRISTO IESV humanum genus servatum. Quos enim Deus pretioso sanguine suo redemit, eos diabolo revendunt. Quos propria morte vivificavit, eos linguis venenosis occidunt, & in laqueum inferni adigunt: Audiant igitur Cantica, quę lepidè ad Ecclesiam ex persona Christi canuntur.

281 Tota pulchra est cognata mea, & reprehensio non est in te. Iam audierunt, illam totam pulchram esse, & cognatam Christi, & absque omni reprehensione. Ad quam per Isaiam loquitur: *In manibus meis descripsi te; & muri tui coram me sunt semper.* Quo pacto autem Ecclesia, cum tales promissiones acceperit, ab hostili dęmonum potestate in prædam rapitur? Et vbi Deus est ipsum Caput, iuxta Apostolum, quis hanc captivitatem pessundare poterit? Ipse hanc sibi ipsi sine macula, & ruga addixit. Quis autem eam iam inquinavit? Vah cum ista suspitione! * Hæc ille.

282 Verum estò Ecclesię in Fide puritatem ab omni errore immunem prædictis verbis contra Hæreticos apertè ostenderit, clariùs tamen, & expressiùs illius constantiam, & indefectibilitatem explicat ipse *Tom. 6.* dicens: Ideo Ecclesiam indefectibilitatis privilegio gaudere, quia illam Christus supra firmam, ac solidam Divi Petri Apostolorum Principis petram ædificavit: * Vocem, inquit, qua Dominus ad Coryphæum Apostolum Petrum vsus est, debeant intelligere: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi, non prævalebunt adversus eam*; sed ab hac ædificatione, & harmonia alienati (loquitur de Hæresiarchis) digna, quę risu excipiantur, definiunt. *

Pro

283 Pro eadem Romani Pontificis Infallibilitate elegantèr stat S. BASILIVS Magnus ad *cap.* 2. *Isaiæ*, vbi hæc habet: * Vnus ex his montibus fuit Petrus, quem petram appellavit propter firmitatem maximam Fidei, propter infractum robur animi, ad non cedendum inflictis plagis tentationum, super quam petram promisit ædificare Ecclesiam suam.*

284 Subscribit S. ATHANASIVS, qui Oratione, qua docet vnum esse Christum, sic Romani Pontificis Infallibilitatem confirmat: **Tu es Petrus* (inquit Christus) *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Fidelis sermo, & non vacillans promissio, & Ecclesia invicta res est, etiam si Infernus ipse commoveatur; & si qui in Inferno sunt Mundi Principes, & tenebrarum, tumultum faciant.* Hæc Sanctus.

285 Suffragatur S. HIERONYMVS, qui Romanum Pontificem, ceu infallibilem Fidei, ac Apostolicæ traditionis regulam agnoscens, hęc ad Damasum scribit: * Quo enim Oriens indiscissam Domini tunicam perfectam discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes; ideò mihi Cathedram Petri, & Fidem ore Apostolico laudatam, censui cõsulendam; indè nunc meæ postulans cibum, vndè olim Christi vestimenta suscepi. (Et infra:) Apud vos solum incorrupta Patrum servatur hæreditas: Vos estis lux terræ. (Et infrà:) Cum Successore Piscatoris, & Discipulo Crucis loquar. Ego nullum primum nisi Christum sequens; Beatitudini tuæ, id est, Cathedrę Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.*

286 Ipse Sanctus loquens de Romana Ecclesia, cuius typum gessit illa Ierusalem, de qua *Isaias cap.* 4. *Surge illuminare Ierusalem*, hęc in illorum verborum expositione, scribit: * Vt quæ cecidit in incredulis, surgat in Fidelibus; quę cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesijs; & postquam surrexit illuminetur, vt nequaquam habeat errorris tenebras.* Alludit hic textus veteris Testamenti ad Sancti Matthæi, Sanctique Lucę Evangelium, illa etenim Prophetia adimpleta fuit, quando Christus, qui lux mundi est, iuxta illud: *Ego sum lux mundi*, Ecclesiam indefectibili Fidei Petri firmitate, & stabilitate fundavit; prout ipse testatur Christus: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matthæi 16. & Lucæ 22. Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.**

287 Et in *cap.* 9. *Amos*: * Ex quo (inquit) intelligimus Ecclesiam vsque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti, tentari, nòn superari &c. Et hoc fiet, quia Dominus Deus Omnipotens, sivè Dominus Deus eius Ecclesię se facturum pollicitus est, cuius promissio lex naturæ est.* Vnde cum Christus infallibilem suam assistentiam, privilegiumque non errandi Romanę Ecclesiæ pollicitus fuerit, vt ex illo *Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et *Lucæ 22. Ego rogavi pro te, &c.* Satis, superque innotescit, hinc apertè deducitur Romanam Ecclesiam, eiusque Caput, Summum nempè Pontificem, infallibilem, & firmũ in Fide futurum esse.

288 Nec dissentit S. AMBROSIVS, qui anno 370. floruit; duo enim notatu dignissima scripsit: primum, Catholicitatis, vt ita dixerim, notam esse, consensum cum Romana Ecclesia; Alterum, Fidem non esse in schismate, vt docet etiam D. Thomàs, quod non consistit in sola separatione ab vniverso Ecclesię corpore, sed etiam in divisione à Capite. *Indè* (à Romana Ecclesia) *in omnes venerandæ communiones iure dimanant*, inquit Concilium Aquileiense *in Epistola Synodica, quæ est* 4. *inter Epistolas S. Ambrosij*; sic igitur scribit S. Ambrosius *in libro de Obitu Satyri fratris.* * Advocavit ad se Episcopum, nec vllam veram putavit, nisi verę Fidei gratiam, percontatusque ex eo est, vtrùmnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret, & fortè ad id locorum in schismate Religionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diviserat, & quamquam pro Fide exulasset, & Fidei suæ reliquisset hæredes, non putavit tamen Fidem esse in schismate.* Hæc ille.

289 Hinc iuxta Sancti Ambrosij mentem colligitur solummodo in Ecclesia Romana, cuius Caput est Summus Pontifex, Romanam, Catholicamque Fidem inveniri; illumque, qui se se ab istius gremio, & consuetudine avocaverit, schismaticum esse iudicandum.

290 At clarius, & ad rem nostram

aptius loquitur, *Serm. 62. de Tempore*, seu *in Evangelio Dominicæ 4. post Pentecostes*; Ibi enim asserit Ecclesiam, Fidei firmitatem, & Infallibilitatem habere ob Sancti Petri Magisterium. * Dicitur (inquit) Petro, *duc in altum*, hoc est, in profundum disputationum generationis Divinæ. Quid enim tam profundum, quam quod ait Petrus ad Dominum: *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Hanc igitur solam Ecclesię Navem ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus, dicente Domino: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.**

291 Et *libro 4. de Fide ad Gratianum, cap. 3.* Petrum Fidei, & Ecclesiæ firmamentum, appellat. * Habes (inquit) in Evangelio, quod Petro dixit: *Rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*; eidem autem supra dicenti: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, respondit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam: & tibi dabo claves Regni Cælorum.* Ergo cui propria Authoritate Regnum dabat, huius Fidem firmare non poterat? Quem cum Petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit.

292 *Sermone* item *de Petro, & Paulo* hæc verba, notatu dignissima, apponit: * Optima Apostolorum nomina, Petra, & Vasculum, necessaria domui Salvatoris; Petra ad firmitatem, ne labantur, sustentat Populos: Vas ad custodiam, ne tententur, operit Christianos. * Alludit ad illud Christi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Et ad illud de Paulo: *Vas electionis est mihi iste.*

293 Hanc eandem Ecclesiæ Infallibilitatem in Divi Petri Fide fundari censet ipse Sanctus *lib. de Incarnatione, in Dominicæ Incarnationis Sacramento*, vbi hęc scribit: *cap. 5.* * Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de Fide dictum est, quia portæ mortis non prævalebunt, sed confessio vicit infernum, & hęc confessio non vnam hęresim excludit. Nam cum Ecclesia multis, tamquam bona navis, fluctibus sepè tundatur, adversus omnes hæreses debet valere Fidei fundamentum.*

294 *Sermone* insuper 11. *de Mirabilibus.* * Hanc solam (inquit) Ecclesiæ Navem ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus, dicente Domino: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quæ navis in altum sæculi istius ita natat, vt pereunte mundo, omnes, quos suscepit, servet illæsos.* Si ergo, iuxta istius Sancti mentem, solum illi in Fide servantur illęsi, & ab omni errorum, & hæresum macula immunes, qui ad Sancti Petri navem, Romanam nempè Ecclesiam, involant, ac confugiunt, & sub vniversali illius Magisterio, in quo illum Christus constituit, cum inquit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, alacres, ac constantes militant, necessariò infertur illius Cathedram, & Magisterium, in quo reliqui Pontifices ipsi succedunt, infallibilem, & ab omni errore, & deceptione liberum esse, & immunem; credendum enim non est Christum, qui est ipsa Veritas, cōstituisse nobis in Ecclesia, tamquam veritatis Magistros, illos, qui possent errori subijci, in Fide hæsitare, nobisque errores, tamquam Fidei veritates, proponere: Quis enim non videat hoc prorsus alienum esse ab infallibili Magisterio Christi, qui vt nos veritatem doceret, quemadmodum in Evangelio loquitur: *Ego sum veritas*, de Cœlo descendens, conditionem humanam sibi admirabili vnione sociavit, atque vt nos in Fidei veritatibus instrueret, ac securissimè firmaret, prætiosum suum sanguinem in Ara Crucis generosè profudit?

295 Ipse Sanctus, *Sermone 47.* loquens de Sancto Petro, hæc habet: * Tamquam bonus enim Pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, cæteros Fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate devotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petra dicitur, eo quod primus in nationibus, Fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat.*

296 Vnde, iuxta S. Ambrosij mentem Petro pro suo Pastorali munere incumbebat Christi gregem, nempe Fideles, ab immani luporum, id est, Hęreticorum rabie defendere, Christique oves in Fide constantes firmare; vt fieret omnibus firmamentum, & Fidei stabilitate fundaret: Petrus insuper, iuxta ipsum Ambrosium, ob illam in Fide constantiam, Ecclesia-

rum

rum petra dicitur, firmum fundamentum vocatur, & saxum immobile totius operis Christiani prædicatur: Cum autem Petrus hæc sua munera pro dignitate obire non posset, quin Fidei Infallibilitate, & præstantissimo non errandi in ipsa privilegio ornaretur; hinc Petrum privilegio illo insignitum fuisse inferebat Ambrosius. Hinc cum illud privilegium non soli Petro, sed eius etiam Pastorali Officio concesserit Christus, necesse est, vt dicamus Romanos Pontifices, vtpotè Petri in authoritate, & munere Successores, eodem illo privilegio insigniri. Etenim cum istorum muneris, & officij sit, sicut & fuit Petri, totam in Fide Ecclesiam docere, omnemque errorum, ac hęresum pestem procul à Christiano grege arcere: si in Petro, vt istud munus perfectè expleret, Infallibilitatem in rebus Fidei confitetur Ambrosius, eandem omninò Infallibilitatem in omnibus Pontificibus agnituri sumus, ac prædicaturi; cum isti in eodem munere, & authoritate succedant; & vt loquuntur Sancti Patres, quilibet Pontifex in munere, & potestate alter Petrus existat.

297 Eandem hanc doctrinam repetens *Serm.* 68. *de Mirabilib.* * Primũ signum, ait, mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequentèr ipsum Petrum à Domino nuncupatum; sicut ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (in horum autem verborum expositione, hæc subiungit) Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat: vt sicut in Ecclesia Fidei fundamentum continet; ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.* Vbi clarè fatetur Ambrosius Sanctum Petrum esse firmam, solidamque petram, qua innititur totius Ecclesiæ constructio, & Fidei, Ecclesięque fundamentum securissimè continetur; ex quo apertissimè deducitur adesse in illo, pro tanti muneris Dignitate, privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis, alias ingens, & non audiendum, sequeretur absurdum, totam nempe Ecclesiæ fabricam corruere; non potest enim ista firma, & stabilis persistere, illius fundamento nutante; cum autem fundamentum istud, iuxta Divi Ambrosij mentem, sit Divus Petrus, quia Pontifex, sicque & illius Successores, Romani nempe Pontifices; hinc rectè deducitur, non modo illum, sed & istos etiam privilegio non errandi esse à Domino insignitos.

298 Pręclarum huius veritatis argumentum nobis, Petri, Summorumque Pontificum Infallibilitatem tuentibus, subministrat Sanctus IOANNES CHRYSOSTHOMVS, dum *Epistola de Decem millium debitore*, *Ser.* 1. Petrus appellatur *Chori Apostolorũ Princeps, os Discipulorum, columna Ecclesiæ, firmamentum Fidei, confessionis fundamentum, Orbis terrarum Piscator, qui genus nostrum ex profundis errorum in Cœlum subtraxit.* Hęc etenim nomina neutiquam Petro congruerent, si in illo privilegium non errandi, Fideique firmitas, & Infallibilitas non adesset.

299 Ipse Sanctus pluribus in locis docet Petri nomen ob Fidei firmitatem Apostolorum Principi esse impositum, & ob eandem firmitatem Ecclesiæ fundamentum fuisse à Domino constitutum, vt patet ex libro quem scripsit ad eos, *qui scandalizati sunt*: in quo loquens de Petro *cap.* 17. hæc habet: * Fundamentum Ecclesię, Princeps cœtus Discipulorum.*

300 Idipsum confirmat *tom.* 5. *Serm.* 49. ante medium, dicens:* Petrum quidem certè à virtute sic vocavit, & in eius nomine firmitatis Fidei argumentum, & indicium collocavit, vt appellatione sua perpetuò tamquam Magistra quadam eiusmodi firmitatis, vtatur.*

301 Insuper *in c.* 2. *Ep. ad Galatas*:* Sed prius (inquit) dicendum est de Petro, & quomodo hic vnus ante cęteros Discipulos solitus sit profiteri: quandoquidem etiam cognomen sortitus est, ob immutabilem, & immobilem Fidem; cum enim omnes essent interrogati, hic ante cæteros prosiliens: *Tu es* (inquit) *Christus Filius Dei Vivi*; quo tempore, illi & claves Regni Cælorum traditæ sunt.* Hęc ille.

302 Et *Homilia de Pentecoste*, ex eodem Matthæi textu, sic Romanæ Ecclesiæ indefectibilitatem, & in Fide firmitatem suadet: * Facilius Cœlum exterminari potest, & terra perire, quam aliquid mali pati Ecclesia. Quis est iste, qui hæc dicit? Ipse Christus loquitur: *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, &c.* (Et infrà his relatis, ait:) Qui Sermones? Quæ verba? *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;*

&

& portae inferi non praevalebunt adversus eam. * Hæc ille.

303 Non minùs expressè Romani Pontificis Infallibilitatem ex prædicto Matthæi textu confirmat, ingeniorũ apex, S. AVGVSTINVS, *Epistola* enim 165. sic scribit: * Petro totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petro enim successit Linus, &c.* Et in Libro *contra Iulianum, c.* 4. ait: * Cui Ecclesię, id est, Romanę Præsidentem, si Beatum Innocentium audire voluisses, iam tùm periculosam iuventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes Romana, cum cæteris tenet perseverantèr, Ecclesia?* Adde ex eodem, quod etiam Cœlestius, & si hæreticus, agnovit Romani Pontificis Decretum in materia Fidei respui non posse; *Libro* 2. *cap.* 7. contra Pelagium, & Cœlestium, inquit idem Sanctus: * Cœlestius, Beati Papæ Innocentij litteris non est ausus obsistere; immò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.*

304 Luculentius facit pro Apostolicæ Sedis Authoritate, & Infallibilitate, quod legitur *Epist.* 157. vbi dicit: * Pelagius, & Cælestius etiam à duobus Venerabilibus Antistitibus Apostolicę Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zosimo, nisi correcti egerint etiam pœnitentiam, toto Orbe Christiano damnati sunt. Verbis vtar Beatissimi Antistitis Zosimi; illud propugnatione contractum Chirographum corrumpitur, in quo nullus omninò natorum antequam per Baptismum liberetur, non tenetur obnoxius. (Ecce Decretum Papæ, sequitur Augustinus) In his etiam verbis Apostolicæ Sedis, tàm antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica Fides, vt nefas sit de illa dubitare Christiano.*

305 Hanc eandem Infallibilitatem apertè cõfirmat *tract.* 124. *in Ioannem*, loquens enim de Sancto Petro censet hunc suo munere vniversam Ecclesiã repræsentare. * Hoc agit (inquit) Ecclesia spe Beata, in hac vita ęrumnosa, cuius Ecclesiæ B. Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui Primatum gerebat, figurata generalitate, personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus idemq; primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*. Et: *Quodcumque solveris super terram, &c.* vniversam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diversis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit.* Hæc ille.

306 Censet ergo Augustinus Petrum, quando Christus Ecclesię claves ipsi concessit, vniversam Ecclesiam significare; in illis enim clavibus authoritatem, & potestatem super omnem Ecclesiam ei largitus est. Vnde quando Christus dixit Petro: *Pasce oves meas*, quibus verbis Ecclesię claves tradidit, omnem Ecclesiam eius imperio, potestati, & autoritati subijecit; idque exponere voluit Augustinus, cum dixit, Petrum suis clavibus vniversam Ecclesiam significare, id est, authoritatem, & potestatem super omnem Ecclesiam Christus ipsi concessit. Hac igitur intelligentia supposita, audiamus iterum Augustinum, qui *Sermone* 5. *in Festo Petri, & Pauli*, sic de Petro loquitur.

307 *Solus inter Apostolos meruit audire: *Amẽ dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meã* (in cuius expositione dicit:) Dignus certè qui ædificandis in Domo Dei Populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum. * Vndè si S. Petrus, quando Christus ei claves largitus fuit, vniversalem significat Ecclesiam; & Christus verbis illis: *Tu es Petrus, &c.* Infallibilem firmitatem ipsi concessit, vt firmum esset Ecclesię fundamentum, cuius præstantia, & excellentia præcipuè elucet in Fide, columnam insuper immobilem, & inconcussam ipsum constituit, vt Ecclesiam ab erroribus tueretur; hinc cum Augustino necessariò sumus dicturi Christum in vtroque textu Divo Petro propter sui Apostolatus Primatum, Infallibilitatis donum, privilegiumque non errandi dedisse.

308 Eandem hanc Infallibilitatem, quam in S. Petri Cathedra tuemur, cuius authoritate etiam Summi Pontifices, ceu Christi Vicarij, Divique Petri Successores fruuntur, eleganter probat S. CYRILLVS Patriarcha Alexandrinus *in Dialogis* enim *de Trinitate, lib.* 4. agens de Fidei Confessione, qua D. Petrus Divino Spiritu afflatus Christi Divinitatem in Cęsarea Philippi prædicavit, asserit Petrum

hac confessione promeruisse, vt Ecclesia in eius Fide fundaretur immobilis, & in ipsa constans, ac insuperabilis ad finem vsque Mundi persisteret: * Vbi interrogavit (inquit) Salvator, circa fines Cæsareę, quæ vocatur Philippi: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et quis rumor de illo per Iudæorum vagetur regionem, hoc est, finitimas Iudęę Civitates? Puerilibus, & indecoris Populorum opinionibus relictis, valdè sapientèr & scienter clamabat, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Iam verò de illo sententiæ remunerationem, non multò post reportavit, Christo dicente: *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus Cœlestis. Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt contra illam.* Per annominationem aliud nihil, quam inconcussam, & firmissimam Discipuli Fidem vocavit, in qua Ecclesia Christi, ita fundata, & firmata esset, vt non laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis, in perpetuum manens.* Hæc ille.

309 Pro eadem Romanę Ecclesiæ Infallibilitate, lectu dignissimus est idem Sanctus Patriarcha, vt inducitur in Glossa continua, sic scribente: * Secundum hanc Domini promissionem, Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumventione immaculata manet super Prępositos, & Episcopos, & super omnes Primates Ecclesiarum, & Populorum in suis Pontificibus, in Fide plenissima, & Authoritate Petri; & cum aliæ Ecclesiæ quorundam errorum verecundatæ, sint stabilita ipsa impassibiliter regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora Hæreticorum; & nos necessitate salutis, non decepti superbia, nec vino superbię ebriati, typum veritatis, & Sanctę Apostolicę traditionis, vna cum ipsa confitemur, & prędicamus.* Hæc Cyrillus apud Glossam, quem refert Cardinalis Turrecremata *de Ecclesia, lib. 2. cap. 109.*

310 Alibi etiā testatur, quod Deus: * Ecclesiam Sanctam rectam conservat ne nutet, Christo protegente, ac concedente, vt inconcussa sit, & immota: *Adversus hanc*, enim, *portæ inferorū non prævalebunt*, de ea namque scriptum est, etiam in *Libro Psalmorum*: *Et ædificavit velut vnicornis Sanctuarium suum, &c.* Sanctuarium eius, Ecclesiam esse dicimus, quæ hostibus horribile cornu erigit.* Id est, invicta fortitudine pollet.

311 Nec omitti potest S. MAXIMI Martyris *ad Marinum Diaconū Epistola*, quę in multis Bibliothecarum Codicibus legitur, & à Cardinali Baronio refertur; in illa enim Infallibili Romanæ Ecclesiæ, ac Apostolicæ Sedis Authoritati mirificè patrocinatur, sic scribens: * Omnes termini terrę, & quicumque vbique terrarum Christum Dominum pura mente, & Orthodoxa Fide confitentur, quasi ad Solem æterni luminis, Sanctissimam Romanorum Ecclesiam, & eius confessionem, & Fidem intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem recipientes Spiritualium, & Sanctorum Dogmatum: Quemadmodum sex illæ Sanctę Synodi, disertis verbis, & magna cum religione exposuerunt apertissime pronuntiantes Fidei Symbolum. Ab initio enim Adventus Incarnati Verbi vniversæ vtique terrarum Christianorum Ecclesiæ, à Sancta Romanorum Ecclesia originem habuerunt. Fundamentum solidum, & maximum, contra quod portæ inferi nullo pacto prævalebunt, iuxta ipsiusmet Salvatoris promissionem, vt habeat claves, scilicet Orthodoxę in ipsum Fidei, & confessionis, & aperiat illis, qui ad ipsam Romanam Ecclesiam cum pietate accedunt, veram, & solam realem pietatem quærentes. Et claudat è contra, & obstruat omne os hęreticorum, quod loquitur iniquitatem in Cœlum.* Hęc ille.

312 Ex quibus verbis apertè colligit Sanctus, ideò Romanorū Eclesiam esse fundamentum solidum, & maximum contra quod portæ inferi nullo pacto prævalebunt, quia habet claves Orthodoxæ Fidei, quæ sine Infallibilitatis privilegio existere non possunt.

313 Aptissimè ad hanc rem V. BEDA *Homilia in festo Petri, & Pauli*, hæc scripsit: * Ideò Beatus Petrus, qui Christum vera Fide confessus, verò est Amore sequutus, specialiter claves Regni Cœlorum, & Principatum iudiciarię potestatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate Fidei, vel societatis illius, quolibet modo, semetipsos segregant, tales nec peccatorum vinculis absolvi, nec ianuam possint Regni Cœlestis ingredi (Ex quo

Infert

infert) Vnde nos necesse est tota intentione, fratres charissimi, & Fidei, quam docuit, sacramenta discere, & congruentia Fidei opera demonstrare.* Hæc ille.

314 S. IOANNES DAMASCENVS Oratione pro Defunctis, qui in Ecclesiæ, Catholicæque Fidei gremio dormierunt, & virtutis, ac Sanctitatis Gloria floruere, hæc asserit: * Quod etiam firmiter, & absque vlla controversia tenet, à finibus vsque ad fines, Christi Dei Apostolica, & Catholica Ecclesia ab eo tempore in præsens, & vsque ad finem Mundi, non sine ratione, neque stultè, neque temerè, neque fortè fortuna id decernentes; nam nihil, quod stultitiam saperet admisit Christianorum inerrans Religio, & in sęculum inconcusè tenuit: Immò verò cuncta vtilia, Deoque grata, & valde conducibilia ad salutem. *Quòd manifestè arguit in Romana, & Apostolica Ecclesia privilegium non errandi in rebus ad Fidem, & Religionem pertinentibus.

315 Item *Oratione de Transfiguratione Domini.* * Hæc est (inquit) illa firma, & immota Fides, super quam, tamquam super petram, Ecclesia fundata est, cuius tu meritò cognomento, cognomentum geris. Adversus hanc inferorum portæ, Hæreticorum ora, Dæmonum organa, impetum quidem facient, sed non prævalebunt; arma quidem induent, sed non expugnabunt: sagittæ parvulorum plagæ eorum fuerunt. & erũt. In suã enim perniciem mala fabricatur, qui veritati obsistit. Hanc precibus tuis, Petre, ita conserva, vt ab omni perturbatione, ac fluctibus immunis sit. Nam quod numquam futurum sit, vt evertatur, aut labefactetur, aut expugnetur, planè confidimus.*

316 S. THEODORVS STVDITES, *Epistola ad Paschalem Pontificem*, sic istum salutat: *Audi Apostolicum Caput à Deo præposite, Pastor ovium Christi, Ianitor Regni Cœlorum, Petra Fidei, super quam ędificata est Catholica Ecclesia, Petrus enim tu, Petri Sedem exornans, & gubernans.* Hæc ille.

317 Idem Sanctus *Epistola ad eundem Paschalem*, cuius titulus est: * Per omnia Religiosissimo Patri, Supremo lumini vniversali, Domino nostro Apostolico Papæ.* Infrà, inter alia dicit: *Cognovimus manifestũ Apostolorũ Principis Successorẽ Romanæ Ecclesiæ præsidere, certoque nobis persuassimus, Dominum Ecclesiam nostram minimè deseruisse, cui vnum, solumque à nobis auxilium hactenùs, atq; ab ipso exordio in occurrentibus molestijs, Dei providentia concessum est. Vos igitur illimis, ac sincerus ab initio fons Orthodoxæ veritatis; Vos adversus omnem hæreticam procellam, tranquillus sepositus portus Ecclesię vniversæ; Vos à Deo electa Civitas refugij salutis; Sed quoniam temerarium est à nobis miseris, ac indignis encomia cõgeri Divino Numini vestro, quod Divinæ olim linguæ Beatum prædicarunt.*

318 Privilegium autem istud non errandi, quo Apostolica Sedes, Romanaque gaudet Ecclesia, clarius probat ipse Sanctus ex Matthæi textu 16. & ex eisdem verbis: *Et portæ inferi non prævalebunt.* In *Epistola* namque, quam ex Ergastulo *ad filium suum Naucrasium* dedit, loquens de Epistolis, quas Paschalis Pontifex contra venerationis Sacrarum Imaginum hostes, Constantinopolim scripserat, Fideles vehementer exhortans, vt Sacras Imagines debito cultu venerentur, ac solito prosequantur honore, hæc scribit: * Testor nunc coram Deo, & hominibus: se ipsos avulserunt à Corpore Christi, & Supręmo verticali Throno, in quo Christus Fidei claves posuit, adversus quem non prævaluerunt vmquam, nec prævalebunt vsque ad consummationem, portę inferi, ora scilicet, Hæreticorum, sicut pollicitus est, qui non mentitur. Gaudeat igitur Beatissimus, & Apostolicus, & nomine suo dignus, Paschalis, quoniam Petri opus implevit.*

319 Eundem hunc Sancti Theodori *ad Naucrasium* locum eisdem verbis refert Gennadius Patriarcha Cõstantinopolitanus, vt videri potest in ipsius *expositione in Concilium Florentinum*, *cap.* 5. *sect.* 17. Vbi contra Hęreticum, quem impugnat, hęc addit: * Audis quo pacto, ea nempè Romana Ecclesia, Caput est Ecclesię Christi, cuius Petrus est primus Pręses, & quod numquam prævaluerunt, neque prævalebunt, vsque ad consummationem sęculi, Hęreticorum effrenata ora, secundùm promissionem veracis Salvatoris? Si numquam prævaluerunt Hæretici adversus Christi Ecclesiam, quomodo audetis dicere eam errare? &c. *Hinc apertè

inno-

innotescit, tàm Sanctum Theodorum, quam prædictum Patriarcham probare privilegium non errandi ex promissione Christi Divo Petro facta, tùm illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram*: tùm illis alijs: *Portæ inferi non prævalebunt.*

320 Id ipsum confirmat ipse Sanctus alio Scripturæ Sacræ testimonio, prout refert Patriarcha Gennadius, qui loco citato, *sect.* 2. de Romana Ecclesia loquens, hęc habet: * Ergo ibi Ecclesiam confitebimur, vbi non est Hæresis, nec iniquitas, neque infidelitas, immò vero firma Fides, & inconcussa. At non ita apud Orientem, vbi abundat iniquitas, & infidelitas, nec meus sermo hic est; sed Theodorus Studites prodeat, & dicat testimonium, quòd nemo poterit Inficiari. *In* 15. *Catechesi*; quem legitis quidem, & non intelligitis; quia non vultis.

321 Videtur enim Doctor hic adversus Impugnatores Imaginū pugnare, quando dicit, audio autem, quod Romæ Principis Apostolorum claves proponuntur ad adorandum, atque in honore haberi, quāquam non claves sensibiles Dominus ei tradidit, sed intellectuales ad ligandum, atque solvendum. At illi argenteas populo proponunt ad adorandum; tanta igitur apud eos est Fides, & ibi solida petra Fidei secundum Dei Verbum fundata. Hic vero, vt videtur abundat infidelitas, ac improbitas. Vides quod & Beatus hic, ibi confitetur, solidam esse Fidem, nec in Petro tantum, sed in eius successoribus? *

322 Infallibilitati Pontificis in rebus Fidei, testimonium Matth. 16. innixum exhibet B. PETRVS DAMIANVS, pręclarissimum sui fæculi tùm doctrina, tùm Sanctitate, ornamentum, in relatione legationis quam ad Mediolanum, pro Pontificis authoritate, & Infallibilitate, perfecit: * Noverit (inquit) Charitas vestra, dilectissimi, non me pro Romanæ Ecclesiæ huc honore venisse, sed vestram gloriam quærere, vel salutem, & gratiam, quæ in Christo est, cum eius auxilio, si permititis providere. Quo enim pacto honore indiget parvuli hominis, quæ laudes, atque præconia ex ipsius ore sortita est Salvatoris? Quæ autem Provincia per omnia regna terrarum ab eius ditione extranea reperitur, cuius arbitrio ipsum quoque Cœlum ligatur, & solvitur? Omnis autem, sive Patriarchatus cuiuslibet apicem, sive Metropoleon Primatus, sive Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cuiuscumque Ordinis Dignitates, sive Rex, sive Imperator, sive cuiuslibet conditionis homo purus instituit: & provt voluntas, aut facultas erat spiritualium sibi prærogativarum iura pręfixit. Romanam autem Ecclesiam solus ille fundavit; & super petram Fidei mox nascentis erexit, qui Beato vitæ æternę Clavigero terreni simul, & Cœlestis Imperij iura comisit. Non ergo quælibet terrena sententia; sed illud verbum, per quod constructum est Cœlum, & terra, per quod omnia denique condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam; illius certè privilegio fungitur, illius authoritate fulcitur.

323 Vnde non dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniuriam facit: Qui autem Romanæ Ecclesię privilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum, auferre conatur; hic proculdubiò in hæresim labitur; & cum ille notatur, iniustus, hic est dicendus Hereticus. Fidem quippè violat qui adversus illam agit, que mater est Fidei, & illi contumax invenitur, quæ eam cunctis Ecclesijs prætulisse cognoscitur.* Hæc ille. Ex quibus infertur, cum Apostolica Sedes, ceu Fidei mater ab omnibus veneratur, istaque cæteras omnes Ecclesias in Fide antecellat, Romanum Pontificem, qui illam gubernat, omnis deceptionis, & erroris immunem esse, ac liberum, quando cæteras Ecclesias Catholicis veritatibus instruit, easque ad veram sapientiam docendo Fidei Dogmatæ, perducit.

324 In fine verò huius Epistolæ id amplius confirmat, cum subdit: * Ecce omnem discretionis illius ordinem apud Mediolanensem Ecclesiam habitum, breviter exposuimus; adhuc tamen, vtrum Sedis Apostolicę iudicio placeat, ignoramus. Nos enim si quid erravimus ad Petri Magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa, vt ita loquamur, officina fabrilis, cui nimirum his, qui fabri dicebatur filius, presidet; ad cuius regulam omnis merito moneta reducitur; ad cuius rectitudinis lineam, quidquid vspiam depravatum fuerit reformatur.*

325 Eandē veritatē luculentèr expresit *in Capitula ad Hildebrandū* (qui ex Subdiacono tunc à Nicolao II. in Archidiaconum

num Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fuerat exaltatus) vbi hæc habet inter alia: * Armis autem privilegium Romanæ Ecclesiæ non incongruè comparavimus, quia dum hæc vna per Cathedram Beati Petri, totius Christianæ Religionis Caput effecta, cunctis in Orbe terrarum principetur Ecclesijs, velut Dux ante aciem, Fidelium cuneis fulta, ac specialis prærogativæ Authoritate munita, & Evangelico mucrone veritati resistentium cervicem obtruncat, & ad invictissimè dimicandum totam Christi militiam, in vnius Charitatis, ac Fidei vnanimitate confirmat.*

326 Et *Serm. 23. de Nativitate Sancti Ioannis Baptistæ* de Ecclesia Romana loquens, eam vocat Fidei Magistram, cæterarumque Ecclesiarum Matrem ob singulare indefectibilitatis privilegium, quod Christus ipsi concessit: * Illa (inquit) Mater, & Magistra Ecclesiarum omnium Ecclesia Romana, cui dictum est: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* In honore Sancti Ioannis Baptistæ post Salvatoris nomen consecrata est, & signata. * Vnde habet nisi à Summo Pontifice Romana Ecclesia, quod sit Magistra Ecclesiarum omnium, quodque non deficiat eius Fides, nisi ab inconcuso Infallibilitatis privilegio? de quo alibi dixit Bernardus: * Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna Fidei vbi non possit Fides sentire defectum: Hæc quippè, huius prærogativa Sedis.*

326 Pro eadē Romanæ Ecclesiæ Infallibilitate in Decretis Fidei, præclarum nobis præbet argumentū S. BERNARDVS *Ser. 79. in Cantica*, ibi enim asserit, ideò Ecclesiam in Fide esse infallibilem, quia super solidam, ac inconcusam Apostolorum Principis petrā fundata est.* Ex tunc, & deinceps non deficit genus Christianorum, nec Fides de terra, nec Charitas de Ecclesia: Venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit. (Vndè igitur tanta Infallibilitas, & constantia? vnde tanta immobilitas? Audi ipsum Bernardum) eo quòd fundata est supra firmam petram.*

329 Eandem Romani Pōtificis inerrabilitatem apertè propugnat S. THOMAS CANTVARIENSIS Episcopus, celeberrimus Ecclesiæ libertatum defensor, qui pro illa glorioso Martyrio occubuit; in *Epistola* namque 97. à Patre Christiano Lupo edita, quæ est: *Ad omnes Angliæ Episcopos*, hæc scribit: * Quis Romanam Ecclesiā caput omniū Ecclesiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit esse? Quis claves Regni Cœlorum Petro traditas esse ignorat? Nonnè in Fide, & doctrina Petri, totius Ecclesiæ structura consurgit donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in vnitatem Fidei, & agnitionem Filij Dei? Quicumque sit qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi qui plantavit in Fide Petri, & doctrinæ ipsius acquiescit, &c. *

330 Et *Epistola* 122. quæ est *ad Gilbertum Londoniensem Episcopum*, ait: * Solus infidelis, aut qui eum errore superat, Hæreticus, aut Schismaticus, Apostolicis obtrectat obedire mandatis.* Videatur etiam *Epist. 69.*

331 S. HILDEGARDIS 2. *parte Revelationum*, *visione* 4. *cap.* 4. apud Coccium *in Thesauro Catholico*, *lib.* 8. *tit. de Signis Ecclesiæ.* Deum Ecclesiæ suæ privilegium non errandi, fortitudinisque, ac indefectibilitatis donum cōmunicasse egregiè probat dicens: * Spiritus Sanctus in maxima fortitudine Incarnationis illius, qui verus Sponsus Ecclesiæ extitit, mirabilia sua mirabiliter operatus est: Et Ecclesiā suam tam fortem in defensionem munitionis suæ ostendit, vt illa ob eam fortitudinem, qua ab igneo dono eius munita est, numquam in errore vllius perversitatis decidere posit: quoniam per Supernam protectionem in amorem Sponsi sui sine macula, & sine ruga semper gaudebit.*

332 B. ALBERTVS MAGNVS ad illa verba: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, probat omnes Petri Successores habere plenitudinem potestatis; cuius rei rationem assignat, quia sunt in potestate Petrus: Ait enim: * Ad illud *dico* autem *tibi*, singulariter, non quòd singulariter acceperit claves Petrus, sed quia in vnitate Ordinis Ecclesiæ, vnus est, qui accipit plenitudinem potestatis, qui est Successor Petri, & Petrus in potestate: Cum igitur Petrus indefectibilem potestatem, & privilegium non errandi in Fide, habuerit, hanc eandem potestatem, ipsumque non errandi privilegium habere debent omnes Petri Successores, cum pro suo munere sint in potestate, Petrus. *

333 Eidem Pontificis Infallibilitati mirificè suffragat ANGELICVS DO-

DOCTOR, *libro* enim *contra errores Græcorum, cap.* 32. hæc scribit: * Habetur ex Græcorũ Doctorũ Authoritatibus, quod Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus *in lib. Thesaurorum*: Sicut Christus accepit à Patre Sceptrum Ecclesię gentium, ex Israel egrediens, super omnem Principatum, & potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curventur: sic & Petro, & eius Successoribus, plenissimam potestatem plenissimè commisit, vt etiam nulli alij quam Petro, Christus, quod suum est, plenum ipsi soli dedit, &c. Hoc etiam traditur Authoritate Scripturæ. Nam Dominus Matthęi 16. vniversaliter Petro dixit: *Quodcũque solveris super terrã, &c.* Ostẽditur etiã, quod Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri Successor in eadẽ potestate ei à Christo collata.*

334 Cùm ergo Christus iuxta Sancti Cyrilli, & Angelici Doctoris mentem, plenissimam potestatem super omne quodcumque est ab æterno Patre acceperit, hancque Divo Petro, istiusque Successoribus plenissimè contulerit, prout rectum Ecclesię regimen, quasi suo iure exposcebat: hinc cum Christus, Divusque Petrus Indefectibilitatis privilegium non errandi in rebus Fidei habuerint; necessariò deducitur Christum Dominum Divo Petro, istiusque Successoribus, indefectibilitatis donum concessisse; hæc enim non errandi in rebus Fidei potestas ad Ecclesiæ, Fidei, & Religionis conservationem maximè spectare, immò & necessariò pertinere videtur; sine illa enim nullatenus posset Ecclesia ab omni errore pura, ac libera conservari.

335 Hanc Angelici Præceptoris Doctrinam egregiè confirmat pietatis, ac Doctrinæ splendore insignis AVGVSTINVS TRIVMPHVS *Tract. de Potestate Ecclesiæ, quæst.* 8. *art.* 3. vbi hęc scribit: * Christus instituit Petrum suum Vicarium, cui totum, quod suum erat plenè commisit, vt loco eius regeret totam Ecclesiam. *Tritum est illud Iuris Proloquium: *Qui totum dicit, nihil excludit.* Cùm igitur Christus totum, quod suum erat, Petro plenè commiserit, vt tamquam Ecclesiæ Caput istam perfectè regeret, ac gubernaret: cumque insuper rectum Ecclesiæ regimen necessariò exposcat, vt Fideles in Fidei controversijs, quid crediturі sint certò sciant, & agnoscant, hinc iuxta istius pij Viri mentem infertur Christum indefectibilitatis certitudinem in rebus Fidei definiendis, ac toti Ecclesiæ proponendis, Petro, istiusque Successoribus concessisse.

336 Ecclesiæ indefectibilitatem, ipsiusque privilegiũ non errandi in rebus Fidei, eo quod supra Christi, & S. Petri firmitatẽ fundata sit, expressius probat S. BERNARDINVS SENENSIS *tom.* 1. *Serm.* 1. *de Christianæ Fidei firmitate, art.* 3. *cap.* 2. Hæc sunt illius verba: * Secunda Christianæ Fidei firmitas est Ecclesiæ permanentia. Non enim potest deficere Fides Ecclesiæ Dei, quę super firmam Petram Christum fundata est. Vnde *Matthæi.* 16. ait Dominus ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.**

337 Ex eodem Matthæi textu Pontificis privilegiũ non errandi in rebus Fidei probat S. ANTONINVS, Florentinus Antistes, *Titulo* 22. *cap.* 3. vbi in principio agens de Pontificis potestate circa declarationem Iuris, tùm Divini, tùm naturalis, hęc scribit: * Verùm est tamen, quod in talibus, quę sunt de Iure Divino, vel naturali, si est aliquod dubium, ad Papam pertinet authoritas declarandi. Et sic potest exponi illud scilicet, *tibi Petro*, & cuilibet Successori tuo *dabo claves*, idest, potestatem ad aperiendum, idest, declarandum Regnum Cœlorum, idest, Scripturam, scilicet, Sanctam. Vbi sciendum, quod declarare dubia in aliquibus potest contingere dupliciter: vno modo, inquisitivè, seu opinativè; sicut potest quilibet ex ingenio, vel habitu, inquirendo de dubijs alicuius Scientiæ, & isto modo declare, potest pertinere ad quemlibet scientem, vel doctum in aliqua Scientia.

338 Alio modo potest accipi declarare, cum authoritate aliqua; sic scilicet, quod declaratio sua debeat haberi pro vera, & firma. Ita quod non liceat oppositum tenere, vel opinari; & isto modo potestas, vel authoritas declarandi prædicta dubia est solum apud Summum Pontificem. Hoc autem sic probatur: Oportet enim in Ecclesia ponere vnum Caput, ad quod pertineat declarare ea, quę sunt dubia, circa quæcumque ad Fidem pertinentia, sive sint speculativa, sive agibilia; cuius ratio est: Quia oportet ponere Ecclesiam sic dis-

positam, quod tota Communitas vniversalis Ecclesię maneat in vnitate Fidei, & in vna sententia de Fide: sed hoc non posset esse, nisi tota Communitas Ecclesiæ haberet recursum ad vnum Caput, scilicet, Pręsidentem, apud quem esset authoritas declarandi dubia: Constat autem quod in Ecclesia non potest esse aliquod tale Caput, nisi solus Papa: Ergo ad ipsum pertinet huiusmodi declarare dubia.

339 Et si objiciatur contra hoc, quod cum Papa sit singularis persona, potēs peccare, & errare; apud autem potestatem errantem non debet esse authoritas, contra quam non liceat opinari. Respondendum quod licet Papa, vt singularis persona, & proprio motu agens possit errare; sicut dicitur de illo Leone, contra quem ivit Hilarius Pictaviensis ad Concilium Generale: tamen Papa vtens Concilio, & requirens adiutorium Vniversalis Ecclesię, Deo ordinante, qui dixit Petro: *Pro te rogavi, vt non defitiat Fides tua*, non potest errare; nec potest esse quod Vniversalis Ecclesia tamquam verum recipiat aliquod erroneum.*

340 Ex quibus clarè deducitur Ecclesiam habere privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis; habere, inquam, propter Pontificem, istumque propter Christi promissionem Divo Petro, istiusq; Successoribus factam, *Lucæ 22. Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* Et *Matthæi 16. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum*; prout interpretatur Sanctus Antoninus loco citato, & §. 2. immediatè sequenti, vbi hæc scribit: **Tibi dabo claves*, id est, potestatem ligandi per præcepta, & statuta; solvendi, per absolutionem, vel dispensationem, quęcumque, id est, in omni materia positiva, & Regni Cœlorum, id est, Militantis Ecclesiæ. Quod autem Papa in huiusmodi habeat plenitudinem potestatis, probatur, &c.*

341 Initio autem §. 3. sequētis *Papa (inquit) habet plenitudinē potestatis, quātū ad omnes casus, & quantū ad omnē personam existentē de Ecclesia Militanti; & hoc probatur ex illa Authoritate: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*; per id quod sequitur, *quodcumque ligaveris, &c.* scilicet sententiando per absolutionem, vel condemnationem in vtroque foro.* Et paulo infrà sic concludit:

342 *Papa ergo habet potestatem sententiandi de omni homine, pertinente ad Communitatem Christianam in omni casu, & quātum ad forum iudiciale, & forū pœnitētiale.* Cùm igitur Populo Christiano nihil vtilius sit, ac magis necessarium, quam istum infallibiles Fidei veritates intelligere, ac iudicio certò, & infallibili hæreses esse damnatas agnoscere, illosque, qui non sine ingenti, ac deploranda totius Ecclesiæ ruina hæreticis adhærebant, pœnas tanto dignas scelere suscepisse; hinc apertè deducitur debere Pontificem, qui iuxta prædicti Sancti doctrinam, in quolibet casu, & contra quamcumque Christianæ Communitatis personam, Supremus Iudex existit, infallibili in rebus Fidei definiendis authoritate gaudere; quia vt cum ipso Sancto diximus, Deo ordinante, qui dixit Petro: *Pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua*, Papa non potest errare. Nec mirum cuiquam videri debet singularissimum istud privilegium, voluit etenim Christus solum Summum Pontificem totius Ecclesię Caput existere, tamquam Petri Successorem, & tamquam Plenipotentiarium, ac in omni Ecclesia vices iurisdictionis, ac infallibilis potestatis Christi gerentem, tamquam Vicarium ipsius Christi, à quo tota Pōtificis potestas immediatè dimanat, vt rectè expendit ipse Sanctus §. 4. dicens: *Ista autem iurisdictio, & potestas vniversalis Papæ est instituta à Christo, vt patet ex illa authoritate: *Tibi dabo claves: Ego*, scilicet, Christus; & quod promisit tunc, implevit cum ait: *Pasce oves meas. Ioannis vlt.**

343 Quod clarius explicat in 3. ratione eiusdem §. dicens: *Sed Petrus, cui succedit Papa (vt autem intelligatur Pontificem non ab Ecclesia, neque à Concilio, sed à solo Christo hanc potestatem accipere, subiungit) non sicut simplex Episcopus, sed sicut generalis Vicarius super totam Ecclesiam factus est generaliter, & expressè à Christo Vicarius, modo prædicto, cum dixit: *Pasce oves meas.* Et hoc sibi promisit, cum ait: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Ego*, scilicet, Christus, non Ecclesia, vel alia persona.*

344 Pro huius veritatis confirmatione adducit Sanctus doctrinam, & quidem optimam, statuens pro conclusione, Summum Pontificem vti Petri Successorem, vnicum esse totius Ecclesię Caput, cui

pro

pro suo munere incumbit, id, quod tamquam infallibilem Fidei veritatem credituri sumus, infallibili sua potestate decernere. * In tota (inquit) communitate Christiana, seu Ecclesia est necessarium esse vnum solum Pręsidentem, quem dicimus esse Papam, Successorem Petri.* Hanc conclusionem licet immediatè exactissimè probet, tamen pro re nostra magis stat secunda ratio, quæ est prout sequitur.

345 * Secunda ratio sumitur ex conformitate Fidei, & morum, quæ debet esse tota in Ecclsia Dei, & est talis. In tota vniversitate Christiana debet esse conformitas de his, quæ pertinent ad veritatem Fidei, & bonos mores, circa necessaria ad salutem. Sed talis conformitas non potest salvari, nisi in ordine ad vnum caput, seu vnum Præsidentem, ad quem spectat sententiare quid credendum, & quid non credendũ, &c. (Et paulò infra) sed Dominus IESVS CHRISTVS, cuius Papa est Vicarius, ordinavit vnum Monarcham, vt patet per illud: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Et si dicatur, quod hæc vnitas Monarchiæ accipienda sit in ordine ad vnum Pastorem, qui est Christus, non valet, quia oportet ponere Monarcham, qui converfetur cum subditis, & eos regat secundum varietatem temporum, & locorum, & personarum, & vnum solum ordinavit Christus talem, scilicet, Sanctum Petrum, & Successores eius dicens: *Tu es petrus, &c. Tibi dabo, Claves Regni Cœlorum, &c.* *

346 Vnde cum iuxta Sancti Antonini mentem vnum tantummodo futurum sit in tota Ecclesia caput, quod in illa pręsit, ipsamque in ijs, quæ ad Fidem, prosque mores spectant, moderetur, & ad quod pertineat esse supremum Iudicem, totiusque Ecclesiæ Magistrum, vt omnes fideles credendum, & non credendum intelligant, id est, quid infallibili Fidei assensu credituri, quidvè nullo assensu credituri sint, errores nempè, qui Fidei veritati opponuntur, agnoscant; hinc apertè deducitur Pontificem, cuius hę sunt partes, vt ipse Sanctus testatur, debere esse in docendo infallibilem, ac privilegium non errandi in rebus Fidei, certò certius habiturum, vt cum ipso Sancto supra dicebamus; alias enim sequeretur totam Ecclesiam in errorum scopulos lapsuram, cum Pontifici in rebus Fidei, ac morum obedire teneatur; quod credi nullatenus potest, nec de speciali illa Providentia, qua Deus Ecclesiæ suæ adest; iuxta illud: *Ego autem vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; nec de singulari illa assistentia, qua Spiritus Sanctus ipsam docet, regit, ac gubernat, iuxta illud: *Docebit vos omnem veritatem*; quod non solum de Ecclesia, sed & præcipuè de illius Capite, qualis est Pontifex, intelligi debet; sicut non modo de qualibet veritate, sed pręmaximè de veritatibus ad salutem necessarijs, quales sunt, quæ ad Fidem, ac vniversum Ecclesiæ bonum, prosque Fidelium mores spectant, ac conducunt; ad hæc enim omnia infallibilitatis donum, privilegiumque non errandi, quod habuit Petrus, habentque omnes illius Successores, recto consequentiæ ordine extenduntur.

347 Idipsum egregiè confirmat BEATVS IOANNES DE CAPISTRANO, qui loquens de Pontificis, Romanæque Ecclesię authoritate, ac indefectibillitate in Fide, Christi verbis innixa, hęc scribit: * Habemus ex prædictis verbis Christi, anchoram firmissimam, & securam, quod durante mundo, Christi Fides in Ecclesia permanebit: quia Christi verba fallere numquam possunt, sicut ipse dixit *Matthæi 24. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

§. II.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas ex textu Matthæi 16. iuxta Summorum Pontificum intelligentiam statuitur.

348 FAcem præferat S. ANACLETVS, qui anno 103. ad Summi Pontificatus apicem evectus dicitur; hic enim *Epistola 1. omnibus Ecclesijs scipta*, sic versus finem loquitur: * Si difficiles ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporũ, vel maiorum iudicia, aut maiores causę fuerint, ad Sedem Apostolicam referantur, quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Salvatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad Sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus, vniversam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad Beatum Principem Apostolorum Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædi-*

*ædificabo Ecclesiam meam.** Hęc vsque, Anacletus.

349 Sed inter maiores, & difficiliores quæstiones proculdubiò reponendæ sunt illę, quæ ad Fidem spectant; pro illarum ergo definitione recurrendum est, iussione Domini, ad Sedem Apostolicam, sivè ad sedentem in ea, Romanum Pontificem, tamquam ad summum Iudicem, non vt habeatur aliquod iudicium absolutè incertum, aut moraliter dumtaxat certum, quale etiam haberi posset ab inferioribus Prælatis & Iudicibus, sed omninò certum, & infallibile quale decet talē iudicem, nec non exigit ipsa Fidei ratio, cuius definitio ita debet esse certa, & infallibilis, vt nullo modo possit illi subesse falsum, quod nequit esse, absque eo quod in Supremo definiente sit indefectibilitatis, seu non errandi in Fide privilegium.

350 ALEXANDER I. Pontificis, & Martyris gloria insignis *Epistola* 1. *Delatum est (inquit) ad huius Sanctæ, Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum ab ipso Domino traditæ sunt, quasi ad Caput, ipso dicente: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.**

351 Eadem est S. Pij I. Papæ, & Martyris sententia. Dum inquit *Epistola* 1. * Christus hanc Sanctam Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Caput esse præcepit, ipso dicente Principi Apostolorum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.**

352 ANICETVS etiam Summus Pōtifex *Epistola vnica* apertè affirmat: *Ad se pertinere, terminare omnium Episcoporum iudicia.* Inter hæc autem nullus dubitare potest, quin multæ sint res ad Fidem spectantes: Igitur si pertinet ad Summum Pontificem illas terminare tamquam Ecclesiæ Caput, & Successor Petri, in Sede, & authoritate illius, infallibili gaudere debet, absque dubio, privilegio non errandi.

353 Idem non errandi privilegium præclarè comprobat Sanctus ZEPHERINVS Pontifex, & Martyr, dum *Epistola* 1. *ad omnes Sicilienses Episcopos* scripta: * Iudicia Episcoporum, maioresque Ecclesiæ causas (quibus sine dubio Fidei quæstiones, Hęreticorumque condemnationes enumerandæ sunt) à Sedę Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli, & Sancti Successores eorum statuerunt, cum alijs Episcopis esse terminandas, quia licet in alios transferantur Episcopos, Beato tamen Apostolo Petro dictum est: *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis: & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cœlis.**

354 Quod apprimè confirmat Natalis olim Confessoris, historia, qui miserè pecunia corruptus Theodoti Hæreseos, cum patrocinium suscepisset, tandem sui compos factus, erroris pœnitens, ad Sanctum Zepherinum Papam veniens, patrati sceleris egit exomologesim pedibus eius advolutus. Apud Eusebium, *lib.* 5. *cap.* 27. Ex quo, & alijs similibus casibus, in Historia Ecclesiastica relatis, & in progressu huius operis notandis, colligitur consuevisse Hæresiarchas erroris pęnitentes adire Romanum Episcopum, probè intelligentes à Sedis Petri Catholicę Ecclesiæ Primario Antistite, supremoque Fidei Iudice quærendam esse Infallibilem Fidei veritatem, errorumque in ea commissorum veniam, nec ab alio, quam à Summo Pontifice, Ecclesiæ Capite, communionem Catholicam esse expetendam. Quæ omnia satis eius Infallibilitatem ac non errandi privilegium in rebus Fidei demonstrare videntur.

355 Hanc eandem Pontificum Infallibilitatem apertè comprobat IVLIVS I. Pontifex, dum *Epist.* 1. & 2. *ad Orientales Episcopos* data, manifestè docet Romanæ Ecclesiæ, Divique Petri Sedi competere Generalia Ecclesiæ Concilia congregarė, de Episcopis omnibus agnoscere, & de maioribus causis, inter quas errores etiam, vt hęreses comprehenduntur, vt ex Ecclesiastica Historia, sacratissimisque Concilijs innotescit, iudicium, aç sententiam proferre. Quare de Romana Ecclesia loquens hæc scribit: * Ipsa namque omnibus maior, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodo Canonum, & Sanctorum Patrum Decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum: *Tu es* (inquit) *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.** In fine insuper eiusdē Epistolæ ad Orientales Episcopos, arguit audaciæ, & excessus, quo sibi authoritatem, & Iurisdictionem vindicabant: * In quam culpam (inquit) nullo modo potuissetis incidere, si vnde consecrationem

nem honoris accipitis, inde legem totius observantię sumeretis, & Beati Apostoli Petri Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater est Dignitatis, esset Ecclesiasticæ Magistra rationis,&c.* Idem repetit in *Rescripto contra Orientales Episcopos*, ipsos redarguens, quod Sanctum Athanasium, aliosque nequissimè damnaverint.

356 Eandem nostræ conclusionis veritatem elegantèr confirmat S. PONTIFEX DAMASVS, *Epistola* namque 2. *ad Stephanum, & ad Africæ Concilia*, hęc habet: * Scitis fratres firmementum à Deo fixum,& immobile, atque Titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum: Tu es enim Petrus, & super firmamentum tuum, Ecclesiæ columnæ, qui Episcopi intelliguntur,confirmatæ sunt;& tibi claves Regni Cœlorum commisi, atque ligare, & solvere potestatem, quę in Cœlis sunt, & quæ in terris, promulgavi. Tu Princeps existis omnium, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatæ Fidei, cuius vice hodie gratia Dei,legatione pro Christo fungimur.*

357 Et *Oratione de Transfiguratione* hanc Ecclesię stabilitatem, & firmitatem in Fide,præclarè ostendit, dum dicit talem esse, vt eam, nec hæresis consternare, nec error concutere vmquam valuerit. * Adversus hanc (inquit)inferorum portæ, Hæreticorum ora, dæmonum organa impetum quidem facient, sed non prævalebunt. Sagittæ parvulorum, plagæ eorum fuerunt,& erunt: In suam enim perniciem mala fabricatur, qui veritati obsistit. Hanc precibus tuis,Petre, conserva, vt ab omni perturbatione, ac fluctibus immunis sit; nam quod numquam futurum sit, vt evertatur, aut labefactetur, aut expugnetur,planè confidimus.*

358 Nec minori consideratione digna est pro Infallibili Pontificis in Decretis Fidei Authoritate, *Epistola* 89. *cap.* I. quam LEO MAGNVS, *ad Viennenses Episcopos dedit*,in qua sic scribit: * Sed huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium Summo, principalitèr collocaret, vt ab ipso quasi quodam Capite,dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij Divini intelligeret esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ vnitatis assumptum, id, quod ipse erat, voluit nominari, dicendo; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*,vt æterni Templi ędificatio, mirabili munere gratiæ Dei,in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam sua firmitate corroborans, vt illam, nec humana temeritas posset appetere, nec portę contra illam inferi prævalerent vmquam: Quia soliditas illius Fidei, (inquit *Sermone* 2. *de sua Assumptione*) quę in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est,& sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit.*

359 *Sermone* insuper 2. *de sua Assumptione ad Pontificatum* idem docet dicens: *Manet ergo dispositio veritatis,& Beatus Petrus in accepta fortitudine petrę perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit: sic enim præ cęteris est ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum Regni Cœlorum Ianitor constituitur, dum ligandorum, solvendorumque arbiter,mansura etiam in Cœlis Iudiciorum suorum definitione præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus.* Hæc ille.

360 Et *Sermone* 3.*de eadem sua Assumptione*, Dominum sic cum Divo Petro loquentem considerat: * *Et ego dico tibi*,hoc est, sicut meus Pater tibi manifestavit Divinitatem meam, ita ego tibi notam facio excellentiam tuam, *quia tu es Petrus*, idest, cum ego sim inviolabilis petra,ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum,ego fundamentum, præter quod nemò potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Super hanc, inquit, fortitudinem, æternum exstruam Templum,& Ecclesiæ meę Cœlo inferenda sublimitas in huius Fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi, non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. *

361 Nec parum ad Thesim nostram facit id,quod HORMISDAS Pontifex,*ad Possessorem Episcopum* scripsit, dicens; *Non est ignota Ecclesijs Dei de huiusmodi

modi procellis, aut insueta tempestas, quãvis Rectoris sui gubernaculo inconcussa persistat, varijs tamen insurgentium fluctuum laborat vexata turbinibus.* Quare etiam tunc suas habuit prærogativas docendi, prędicandi, definiendi, & audacias Arianorum reprimendi. Vnde etiam nascentis Ecclesiæ exordia, progressusque impedientes, concionante Petro dictum illud reportarunt: * Si ex hominibus Concilium hoc opus dissolvetur, si vero ex Deo est non poteretis dissolvere eis: ne fortè Deo repugnare videamini.* Vnde Hieronymus, *in cap. 9. Amos*: * Ex quo intelligimus Ecclesiam vsque ad finem Mundi concuti quidem persequutioni bus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari &c. Et hoc fiet, quia Dominus Deus Omnipotens, sivè Dominus Deus eius Ecclesię, se facturum pollicitus est, cuius promissio, lex naturę est.*

362 Ipse Sanctissimus Pontifex cum Legatos ad Imperatorem Iustinum Anastasij Successorem cum Encyclicis, seu Circularibus Litteris instructos misisset, dedit eis & Libellum professionis Fidei, quam emissuri erant tum Patriarcha Constantinopolitanus, tum cæteri Orientales, Hæreticorum, & Schismaticorum Communione infecti: Hic autem Libellus sic incipit: *Prima salus est, rectę Fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenùs deviare, quia non potest Domini nostri IESV CHRISTI prætermitti Sententia dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc quę dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur religio. De qua igitur Fide non cadere cupientes, & Patrum sequentes, in omnibus constituta: anathematizamus omnes Hæreses, &c.*

363 Hanc veritatem confirmat S. Pontifex GREGORIVS MAGNVS, qui *Eulogio Alexandriæ Episcopo* scribens *Epistola* 181. * Quis nesciat (inquit) Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à Petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Cui rursum dicitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.** Hęc Sanctus.

364 Et *libro 3. Epist. 33. ad Theodelindam Reginam*, Romanę Ecclesiæ privilegium non errandi infallibili, ac firma Sancti Petri Fide innixum confirmat, sic scribens: * Cum itaque integritatem nostram ex aperta mea traditione, seu professione cognoscitis, dignum est, vt de Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis nullum vlterius scrupulum dubietatis habeatis: sed in vera Fide persistere, & vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est, in confessione Beati Petri, Apostolorum Principis soliditate.* Hęc Sanctus.

365 Ex vtroque predicto textu Lucæ nempe 22. *Ego rogavi pro te, &c.* & *Matth. 16. Tu es Petrus, &c.* Sancti Petri, istiusque Successorum Infallibilitatem confirmat ADRIANVS I. *Epistola* 3. dicens: * Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro claves Regni Cœlorum, & totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quoque dicitur: *Petre amas me? Pasce oves meas.* Ipsi dicitur: *Ecce Satanas expetivit, vt cribraret vos sicut triticum, sed ego rogavi pro te.* Ipsi dicitur: *Tu es Petrus, &c.* Ecce cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur.* Hæc ille.

366 NICOLAVS I. *Epistola 6.* ad illa verba *Matthæi, Tu es Petrus, &c.* Ecclesiam habere Infallibilitatem non errandi in Fide, ex eo probat, quod eandem Infallibilitatem Divo Petro concesserit Christus: *Postquam Beato Petro Principi Apostolorum Dominus, ac Redemptor noster IESVS CHRISTVS ligandi, atque solvendi in Cœlo, & in terra potestatem tribuit, & ianuas Regni Cęlestis reserandas concessit, supra soliditatem Fidei suam Sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Ad quam promissionem Sanctæ Apostolicę institutionis cęmento cœperunt huius fundamenta ex preciosis succrescere lapidibus, & annuente Divina Clementia per studium structorum, & Apostolicæ Authoritatis solicitudinem vsque ad culmen insolubiliter perducta, perpetualiter mansura, sine sinistræ auræ impulsu consistere, cuius Primatum Beatus Petrus Princeps Regni Cœlorum, & Ianitor Regni Cœlestis meritò promeruit.* Hęc ille.

367 Præclarum huius veritatis argumen-

mentum nobis præbet Sanctissimus Pontifex LEO IX. *in libro etenim, quem ad Michaelem Imperatorem, & Leonem Acridanum scripsit, cap.* 7. hæc habet: * Taliter Sancta Ecclesia supra Petram, id est Christum, & super Petrum, vel Cepham filium Ioannis, qui priùs Simon dicebatur, ædificata est, quòd inferi portis, disputationibus, scilicet, Hęreticorum, qui vanos ad interitum introducunt, nullatenùs foret superanda. Sic pollicetur ipsa Veritas, per quam sunt vera, quęcumque sunt vera: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Cuius promissionis effectum, se precibus impetrasse à Patre, ipse Filius protestatur, dicendo ad Petrum: *Ego autem rogavi pro te, &c.* Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui Orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vanam putare? Nonnè à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quàm per Successores suos reprobata, atque cōvicta, atque expugnata sunt omniū Hæreticorum commenta, & Fratrū corda in Fide Petri, quæ nec deficit, nec vsque in finem deficiet, sunt confirmata?* Hæc ille.

368 Hanc sententiam de Pontificis, & Ecclesię Infallibilitate, ac privilegio non errandi in rebus Fidei, præclarè elucidavit Sanctus Pontifex GREGORIVS, *in expositione* namque *Quinti Psalmi Pœnitentialis*, sic scribit: * Terra quippè in æternum stare dicitur, quia scilicet Ecclesia à Catholica Fide nequaquam deficiet, & in futuro, cum Deo æterna stabilitate permanebit. Nam quod in hac vita nullis adversitatibus frangenda sit, nullis persecutionibus superanda, ipse super quem ædificata est evidenter ostendit, cum ait: *Portæ inferi, &c.* Portæ inferi hæreses sunt, quę dum multos in Fide infirmos, fucata verborum calliditate decipiunt, quasi inferorum eis aditum pandunt.* Hæc Sanctus.

369 Et *libro* 35. *Moralium, cap.* 7. exponens illa Domini ad Moysen verba, *Exodi* 33. *Est locus apud me, & est avis supra petram, &c.* hæc habet: * Quia enim ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur, quia nisi quis Fidei soliditatem tenuerit, Divinam Præsentiam non cognoscit. De qua soliditate Dominus dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* * Idem tenet *in Psalm.* 4. in initio.

370 Ipse Sanctus *lib.* 8. *Epistola* 21. probat indefectibilem Sancti Petri, istiusque Successorum dominatum, ditionem, & potestatem super omnes Christi Fideles, Supremoque Pontificis Imperio Supremos adhuc Principes, Potentissimosq; totius Christiani Orbis Reges supplici, ac humili animo subijci debere: * Quis (inquit) ignorat vocem Domini nostri IESV CHRISTI dicentis in Evangelio: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo Claves Regni Cælorum, &c.* (In cuius textus expositione ait): Numquid hic Reges excepti, aut non sunt de ovibus, quas Filius Dei Petro commisit? Quis rogo in hac vniversali concessione ligandi, atque solvendi, à potestate Petri se exclusum esse existimet, nisi fortè infelix ille, qui iugum Domini portare nolens, Diaboli se subiecit oneri, & in numero ovium Christi esse recusat? *

371 Et infra. * Hanc itaque Divinę Voluntatis institutionem, hoc firmamentū dispensationis Ecclesiæ; hoc privilegium Beato Petro Apostolorū Principi cœlesti Decreto principaliter traditum, atque firmatum, Sancti Patres cum magna veneratione suscipientes, Sanctam Romanam Ecclesiam, *Vniversum Matrem* appellarunt. * Hæc ille.

372 Idem confirmat INNOCENTIVS III. qui Patriarchæ Constantinopolitano, hæc scribit: *IESVS CHRISTVS Ecclesiam in se ipso, lapide angulari fundavit, & eius Magisterium Apostolorum Principi Beato Petro, cui (licet immeriti) in Apostolatus successimus Dignitate, concessit, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (Et post:) *Tibi dabo claves Regni Cælorum*; & etiam curam ovium suarum; tertiò dixit: *Pasce oves meas*: & quod eius Fides numquam deficeret, se orasse fatetur. Præterea licet vniversis Apostolis dixerit in communi: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remituntur eis, &c.* Ad eum tamen verbo vtitur speciali dicens: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis.** Hæc ille.

ille. Deindè pluribus demonstrat Gręcam Nationem Petri Successori, & Sedi Apostolicæ subiectam, vestem Christi inconsutilem scidisse, & quia extra Arcam Noe sunt, extra viam salutis esse.

373 Consonat INNOCENTIVS IV. qui *in Apostolicis veris Litteris ad Ioannichum, Serviæ Patriarcham* datis, ipsum exortans, vt ad Sanctæ Ecclesię sinum redeat pro Infallibilitatis privilegio hæc scripsit: * Mediator Dei, & hominum CHRISTVS IESVS, in Petri petra Romana videlicet, & Catholica, & Apostolica Ecclesia, omnium Fidelium Christi Matre, quam solus ipse fundavit, & rexit, ac regit, & quæ super alias cunctas Orbis Ecclesias Divina dispositione Primatum Fidei, cuius idem ipse Christus Author est, sic solidè fundamenta locavit, sicque illam insolubili vinculo & inseparabili vnione copulavit eidem, quod licet multos ab ipsius Ecclesię corpore, fallente Diabolo, vel contagiosus hęresis morbus abiecerit, vel scissura damnati schismatis separarit, ipsius tamen Fidei immaculata sinceritas, apud eandem Ecclesiam inseparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abscessum palę purgatius remanet, & lux fulgentis sideris, quæ apparet clarior per excussionem offuscantium nebularum, semper purior elucescit. * Hæc ille.

374 Tandem hanc veritatem confirmat NICOLAVS III. *de Elect. in 6. cap.* 17. sic scribens: * Huius muneris sacramentum ita Dominus voluit ad omnium Apostolorum Officium pertinère, vt in Beato Petro, Apostolorum omnium Summo, principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam Capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet, hunc enim in consortium individuæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat Dominus voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* *

§. III.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas ex ipso Matthæi textu c. 16. Imperatorum Rescriptis munitur.

375. PONTIFICIS Infallibilitati egregiè favent verba, quibus Imperator CONSTANTINVS IV. à Leone II. Pontifice Concilij Sexti OEcumenici confirmationem exposcens, apertè affirmat: * Apostolicam Sedem esse eam petram, super quam Dominus fundavit Ecclesiam, & prædixit numquam fore, vt portæ inferi, hoc est, hæreticæ insidiæ, adversus eam prævalerent.*

376 *In Edicto* item *pro Sexta Vniversali Synodo*, hæc scribit: * Hæc Petrus, qui & petra Fidei est, & Princeps Apostolorum.*

377 Huic adhęret Imperator LEO VI. qui anno 880. floruit, *Oratione* enim *pro Divo Petro*, præclarum pro Divi Petri Infallibilitate nobis præbet argumentum. Ne autem tanti Imperatoris verbis aliquid elegantię, & maiestatis detrahamus, ea hic transcribenda duximus: * Post Resurrectionem ter Petrum Dominus percontatus, an ab eo diligeretur, Principem Pastorem constituit, deditque ei pascendi potestatem, petens ab eo pascendi curam, tamquam vicem redamandi. Idcircò enim aiebat: *Amas me? Pasce agnos meos.* Petrus verò cum intelligeret Principatum eum magnum esse, & magnis indigentem viribus; videretq; Ioannem sequentem, illum dico, quem Iesus vehementer amabat: Hic, inquit, quid? quod perindè erat, quasi diceret: Me ne pręfici vis Caput Discipulis? Hunc verò à te dilectum, qui voluit sedere ad dexteram; hunc, inquam, quid facere iubes? Ne igitur occasionem erroris aliqui conciperent, quod omnibus Discipulis communitèt dixisset:

378 *Quæcumque solveritis in terra, &c.* respondit Dominus, quasi increpans Petrum: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere*; id est, sequere me hoc Baculo Pastorali: & sicut ego cum eram vobiscum, servabam vos, vt Pater, & Caput, ac Magister, vigilans pro vobis; sic tu estò meo loco, & sequere me Principatu, ac potestate tua, fratres tuos confirmans; te enim volo esse meo loco: vnde manet in hodiernum vsque diem Petrus sequens Christum in Successore suo.*

379 Cum Imperator iste Pijssimus apertè sentiat, ac fateatur Divum Petrum Christi Principatui, & Potestati, ac Magisterio suffici, potestas autem Christi, & Doctrina omninò fuerit infallibilis, hinc necessario deducitur Christum Dominum

minum Infallibilitatis Fidei donum, ac privilegium non errandi in rebus Fidei Divo Petro cõcessisse, vt Ecclesiã, istiusq; filios Fidem iste doceret ac in illa securissimè instrueret; alias Christus Dominus Ecclesiæ suæ, quam pretioso suo Sanguine adquisivit, erroris Magistrum reliquisset; quod de purissimo illo veritatis fonte nemo poterit arbitrari. Insuper cum Pontifices sint Petri Successores, isteque Christi Sedem, & authoritatem in Ecclesia possederit; cum aliunde tam Christus, quam Petrus in rebus Fidei Infallibiles extiterint, necesse profectò est, vt Petri Successores, Romani nempe Pontifices, ceu Christi Vicarij, Infallibiles etiam existant. Huc egregie facit quod SIXTVS III. loquens de malis Doctoribus, & operibus Fidei, elegantissimè protulit: * Apostolorum Princeps ille est, super cuius firmitatem Fidei, spiritualis fabricæ ædificata constructio est, & Ecclesiasticę domus collocata fundamina, &c. Cuius super terram gesta iudicia, confirmantur in Cœlis.*

380 Tandem Imperator ANASTASIVS *in Epistola ad Pontificem Hormisdam data* hæc scripsit: * Deus, ac Salvator noster Sanctos Apostolos divino Sermone docuit, ac maxime Beatum Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suę constituit. * Cum autem Christus Dominus Ecclesiæ suæ fundamenta in Fide iecerit, & iuxta prędicti Imperatoris mentem, Petrus, ob dignitatem Pontificiam, sit Ecclesiæ firmitas, ac robur, voluit absque dubio, Petrum, istiusque Successores in Fide Infallibiles esse, iuxta illud: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

§. IV.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas ex ipso Matth. textu c. 16. iuxta Sapientissimum Eminentissimorum Cardinalium iudicium, comprobatur.

381 PRo hac nostra Conclusione de Romani Pontificis Infallibilitate, illo Matthæi textu innixa, egregiè stat Eminentissimus Cardinalis B. PETRVS DAMIANVS, cuius Verba, *cap. 3. §. 98.* adduximus.

382 Pro eadem Sententia militat Eminentissimus Cardinalis IOANNES A TVRRECREMATA Ordinis Prędicatorum, *libro 2. de Ecclesia, cap. 109.* vbi hanc conclusionem proponit: * Quod Sedis Apostolicę Iudicium in his, quæ Fidei sunt, & ad humanam salutem necessaria, errare non possit.* Quam Conclusionem hisce eruditissimis verbis confirmat. *Ex his, quæ in superiori capitulo dicta sunt, datur nobis luce clarissima intelligere, quod tanta soliditate veritatis Apostolicum Thronum Clementia Divinitatis firmaverat, quod iudicium eius in his quę Fidei sunt errare à veritate non possit; Decebat sanè, vt Sedes illa, quæ superni dispositione Concilij, Magistra Fidei, & cardo omnium instituebatur Ecclesiarum, in his, quæ Fidei sunt, hominumque necessaria saluti, ab ipso omnium Authore Deo, cuius Providentia in sui dispositione non fallitur, hoc singulari Infallibilitatis munere donaretur: In cuius rei Sacramentum, primo illius Sedis Pontifici, Divinæ dispensationis nomen firmitatis imponitur, scilicet, *Petrus*, quod Syra lingua *Rupes* interpretatur.*

383 Et paulò infra dicit: * Quod autem hoc, quòd diximus sit privilegium, & munus amplissimum Apostolicæ Sedis, multipliciter probamus. Primò, Authoritatibus; secundò, rationibus. Authoritate, primò illa Salvatoris promissione, quæ cassa esse nõ potest, qua Petro loquutus est dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quam Christi promissionem de firmitate Fidei Apostolicę Sedis accipiendam esse Sancti Doctores in religione, & sapientia clarissimi contestantur.* Hæc ille.

384 Huic subscribit Cardinalis BELLARMINVS, qui *de Romano Pontifice, lib. 4. cap. 3.* hanc statuit conclusionem: * Summus Pontifex cum totam Ecclesiam docet in his, quæ ad Fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Quod probat ex illa promissione Petro facta, *Matthæi 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* In cuius textus expositione pro conclusione à se statuta, hæc scribit: *Nam, vt supra ostendimus *lib. 1. cap. 10.* ad litteram Petra, & fundamentum Ecclesiæ, dicitur Petrus, vt Sũmus Rector Ecclesiæ, & proindè quilibet eius Successor, similiter est Petra, & Fundamentũ Ecclesiæ. Ex quo duplex sumitur argumentum. Primum

mum ex nomine Petræ. Quare enim Pontifex dicitur Petra, nisi ratione constantiæ, & soliditatis? Certè, si Petra est, non frangetur, nec circumferetur omni vento doctrinę, id est, non errabit in Fide, saltem quatenus Petra, id est, quatenus Pontifex est.

385 Secundum ex ratione fundamenti sustentantis ędificium, quod nullo modo ruere potest; nam si tale est ędificium, vt non possit ruere, certè nec eius fundamentum ruere potest. Non enim intelligi potest, quomodo fundamentum destruatur, & domus non cadat. Non enim fundamentum à domo, sed domus à fundamento accipit firmitatem. Et hoc modo exposuerunt Patres omnes, & hinc deduxerunt Petrum, & consequenter alios Pontifices non posse errare.* Hactenus ille.

386 Pręclarè ad rem facit, quod solita eruditione Eminentissimus Cardinalis IACOBATIVS, in vtroque Iure peritissimus, notatu dignissimum tradit, *lib. 6. de Concilijs in quæst. An sententia Papæ præferatur sententiæ Concilij?* vbi respondens ad sextum argumentum, quòd probare intendebat Christum Ecclesiam constituisse, non in solo Petro Apostolorum Principe, sed in omnibus Apostolis, satisfacit inter alia dicendo: * Quòd autèm Christus primò, & principalitèr fundaverit Ecclesiam in Petro, & Successoribus, probat textus *in cap. 1. de Homic. in 6.* Et alijs iuribus infra proxime adducendis; Et *in cap. cum Beatissimus. 24. quæst. 1.* vbi dicitur, quod Petrus à Domino Principatum accepit. Quod autem post Petrum, in Apostolis, & successivè in alijs Episcopis dicit textus 21. *dist. cap. 1.* ibi: Simpliciter verò maiorum, & minorum Sacerdotum in novo Testamento discretio, ab ipso Christo sumpsit exordium, qui duodecim Apostolos, tamquam maiores Sacerdotes, & septuaginta duos Discipulos, quasi minores Sacerdotes instituit: Petrum verò, quasi in Summum Sacerdotem elegit, dum ei præomnibus, & pro omnibus claves Regni Cœlorum tribuit, & à se Petra ei Petri nomen imposuit, atque pro eius Fide, se specialiter rogasse testatus est: & vt ipse cæteros confirmaret subiungit, dicens: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

387 Et quòd principaliter in Christo, & de Christo, primum in Petro, & Successoribus, deindè in Apostolis, & successivè, ac consequentèr, in Episcopis, qui succedunt loco Apostolorum (vt *in cap. Ecclesiæ Princeps. 35. dist.*) Probat textus *in cap. Ita Dominus. 19. dist.* Sed huius muneris Sacramentum, ita Dominus, ad omnium Apostolorum Officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo, principaliter collocaret, & ab ipso, quasi quodam Capite, dona sua, velut in Corpus omne difunderet. Appellat ergo Petrum Caput, & Apostolos Corpus, & ibi: Hunc enim in consortium, individuæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat Dominus voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratię Dei in Petri soliditate consisteret. Ad idem per omnia textus *in cap. Fundamenta.* in principio. *de Elect. in 6.**

388 In cuius confirmationem, non mediocriter facit, quod in responsione ad primum adducit, cum inter alia hæc asserat: * Ad id quod dicitur, quod Papa potest errare, respondetur: Quod non est verisimile, quod Deus hoc permittat. Pro hoc *Gloss. in cap. Quodcumque. 24. quæst. 1.* Et *in cap. In Sede. ea cau. & quæst.* Et licet Glossa *in c. A recta. eadem causa, & quæst.* dicat Papam posse errare, intelligitur secundum se, & considerata ipsius persona, & non tãquam Vicarius Dei, cui dat scientiam intellectus, iuxta illud, *Sapientiæ 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam Sanctorum.* Et ita respondet Brixiensis, in quibusdam suis Allegationibus confutantibus Allegationes Abbatis, factas in Concilio Basileensi.*

389 Et infra ad quintum, ad maiorem huius elucidationem, hęc scribit: * Non obstat, quod dicitur, quod Ecclesia haberet plura fundamenta: quia respondetur, quod tantum vnicum est fundamentum in Ecclesia, scilicet, Christus: Quod Christi fundamentum, idem est quod Petri, ex demandatione Christi: qui ascensurus ad Patrem, ne Ecclesiam sine Pastore desereret, Petro curam Ecclesię commisit, vt suæ stabilitate Fidei cęteros in Christiana Religione firmaret: vt dicit textus in dicto *cap. 1. de Homicidio in 6.* Idem textus *in cap. 1. 22. dist.* ibi: Illam verò solus ipse fun-

fundavit, & super petram Fidei, mox nascentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ Clavigero, terreni simul, & Cœlestis iura Imperij commisit.*

390 Tandem ibi ad Quintum hæc addit: *Papa, enim, qui Vices Dei tenet in terris (vt *in Cap. 1. vt Ecclesiastica Beneficia, & in Cap. ad Apostolicæ. de re Iudicata in 6.*) à Deo potestatem sumpsit, vt *in Cap. Novit. de Iudicijs*, quia Christus potestatem dimisit Petro Vicario suo, & per ipsum Successoribus eius, vt *in Cap. Quanto. de Translatione Prælat.* & *in Cap. licet. eo. Tit. & Cap. Solitæ. de Maior. & Obedien.* Et consequentèr cum Petrus, & Successores, idem Tribunal habeant cum Christo, & sic eandem iurisdictionem (quia omnia possunt, quæ Christus, clave non errante, vt dicit Hostiẽsis *in dicto Cap. Quanto. de Transf. Prælat.* Et Innocẽtius *in Cap. Quanto. de iureiuran.* Et refert Abbas *in Cap. Proposuit. de Concess. Præben.*) meritò principaliter in Petro, Ecclesiæ fundamentum, à Christo constitutum est.* Hęc ille. Quæ omnia, tàm in Divo Petro, quàm in illius Cathedræ Successoribus, Romanis Pontificibus, in rebus Fidei decernendis, ac toti Ecclesiæ proponendis, Infallibilitatis donum, ac non errandi privilegium manifestè demonstrant.

391 Idem sentire videtur Eminentissimus Cardinalis LAVRENTIVS BRANCATVS DE LAVRÆA, qui *in 3. Sententiarum, Disp. 5. de Fide, & Fidei Decretis, Art. 3. n. 121.* pro conclusione statuit: *Romanum Pontificem in materijs credendorum, etiam si extra Concilium definiat, habere privilegium non errandi.* Et *num.* 131. sic probat, quia: *Tàm Concilia, quàm Patres semper tenuerunt in Sede Apostolica, seu Romano Pontifice, adesse firmitatem illam, & Infallibilitatem Fidei, quæ Petro à Christo est promissa. *Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.** Quod probat ex Chalcedonensis Concilij Decisione: *Patres sexcenti & triginta (inquit) Concilij Chalcedonensis postquam, vt supra patuit, lecto Leonis Decreto, dixerunt: Hęc est Fides Catholica, &c. In petitione confirmationis ex *Actione 16.* sic dicunt de Fide à Leone decreta: Quam velut auro textam seriem ex veste Christi, & præcepto Legislatoris venientem vsque ad nos ipse servasti, vocis Beati Petri omnibus constitutus Interpres, eius Fidei Beatificationem super omnes adducens. Vndè, & nos quippè, vt inchoatori bonorum, ea ad vtilitatem vtentes Ecclesiæ filijs hæreditatem, sortemque veritatis ostendimus, &c. Et eramus in communi corona gaudij, quasi Imperialibus cœnis, & delicijs spiritualibus epulantes, quas per suas litteras Christus præparaverat invitatis: Ergo fatentur, quod ex Christi Oraculo infallibili, Leo Decretum illud Concilio proposuit. *Et *num.* 163. concludit: *Ex quibus evidenter constat (relatis aliquibus Patribus in favorem dictæ conclusionis) omnes præfatos Patres, agnovisse in Romano Pontifice, Infallibilitatem Iudicij in rebus Fidei.* Hactenùs ille.

392 Tandem eandem veritatem luculẽtèr expressit Eminẽtissimus Cardinalis IOSEPHVS AGVIRRE; expendens enim illa verba, hæc habet: * Vbi planè ad litteram ex communi Patrum consensu, Petrus Apostolus dicitur à Christo Petra, & Fundamentum Ecclesiæ, quatenus Supremus Rector illius, & Vicarius Christi. Cumque Romanus quilibet Pontifex, ritè electus, succedat ipsi in eadem Dignitate, consequens est, vt & ipse sit quoque Petra, ac fundamentum Ecclesiæ. Porrò tàm Petrus, quàm quilibet eius Successor dicitur Petra, ratione constantię, & firmitatis: iuxta quam permanebit suo loco, nec circumferetur omni vento Doctrinę; sed solidam vbique, & constanter tradet circa Fidem, & mores, quoties loquatur ex Cathedra, quatenus Summus Pontifex est. Dicitur præterea fundamentum Ecclesiæ, quasi Domus numquam ruituræ, sive adversus quam portę inferi numquam prævaliturę sint. Quo ipso palam denotatur fundamentum ipsum, id est Petrum, & quemlibet illius Successorem, saltem quatenus talem, firmum semper futurum in recta Fide ex Cathedra tradenda: Vt propterea Domus, sive Ecclesia semper in eadem Fide permaneat. Domus enim suam firmitatem habet à fundamento, non è contra: ac proindè, vt Ecclesię firmitas in Fide perpetua sit, neque vnquam vacillet, constantia Romani Pontificis in definiendo, seu tradendo ex Cathedra Fidem, perpetua esse debet.

393 Hoc sensu planè obvio & litterali, Patres Ecclesię ea verba exponunt. (Et

num.

num. 40. ait: * Itaque penè nullus locus litteralior, aut expresior iuxta vnanimem sensum Sanctorum Patrum inveniri potest ad suadendum quodlibet Dogma, veluti Fide Divina certum, quam præcedens, ad stabiliendam firmitatem, seu Authoritatem infallibilem Sedis Apostolicę, tùm in Divo Petro, tùm in eius Successoribus, quoties aliquid tradunt circa controversias Fidei, & morum. Si enim in eo errare possent, nullatenus haberent firmitatem illam Petræ, supra quam fundata, & stabilita est Ecclesia, *& portæ inferi*, id est, errorum, & hæreseon, contra illam prævalerent. Quæ omnia sunt contraria verbis illis, & pollicitationibus Christi.* Hęc ille.

394 Et eandem conclusionem illustrat Origenis, Sancti Hieronymi, Sancti Augustini, & Sancti Gelasij Papę prçclaris sententijs, quas, quia supra retulimus, hic iterum non recensemus.

§. V.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas ex ipso Matthæi textu c. 16. iuxta Eruditissimorum Patriarcharum mentem statuitur.

395 ACATIVS Patriarcha Cõstantinopolitanus, Pontificis Infallibilitatem, privilegiumque non errandi in rebus Fidei probaturus, eodem Matthæi textu innititur, *Epistola 4. ad Hormisdam Pontificem data*, vbi inter alia hæc scribit: * Vnam Sedem accipio, illam Sedem Apostoli Petri, &c. Quia prima salus est, Fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deviare; quia non potest Domini nostri prætermitti sententia: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc quę dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur Religio.* Hæc autem privilegium non errandi in rebus Fidei manifestè convincunt.

396 IGNATIVS, Patriarcha etiam Constantinopolitanus *ad Pontificem Nicolaum I.* scribens, privilegium non errandi eleganter confirmat, *Actione* enim 3. *VIII. Synodi*, hæc habet: * Christus, &c. vnum singularem, & Catholicissimum medium ex toto produxit, videlicet, tuam fraternam Sanctitatem, & Paternam Almitatem, propter quæ dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Tales enim Beatas Voces, non solùm Apostolorum Principi circunscripsit, & definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant Summi Pastores, & Divinissimi, Sacrique Pontifices Senioris Romæ transmisit, & ideò ab olim, & prisco tempore in exortis hæresibus, &c. Eradicatores facti sunt earum multi, qui Sanctitatem tuam illic præcesserunt, Successores videlicet Principis Apostolorum, & nunc Beatitudo tua, &c.

397 *Epistola* item *ad Adrianum II.* sic scribit: * Omnium Magister dicit Petro, & Magno Summo Apostolorum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tales Beatas Voces non secundùm quandam vtique sortem, Apostolorum Principi Petro solùm circunscripsit, & definivit, sed ad Successores quoque derivari voluit.* Hæc ille.

398 Nõ minori pretio, digna est, Epistola, quam *ad Orientales* MAXIMVS Patriarcha Constantinopolitanus scripsit, in illa enim, pręclarum nobis argumentum suppeditat pro Infallibilitate Sancti Petri, quem Christus elegit, & Vniversalem Orbis Cathedram, & Magisterium ei concessit, sicque & privilegium non errandi in rebus Fidei certò certius communicavit: * Decebat (inquit) tantæ Dignitatis, & Sapientię virum non ab alio Cœlestis mysterij arcana requirere, nisi ab eo potissimum, quem non potuit caro, & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse sua secreta dignatus est aperire: *Beatus es* (inquit) *Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.*

399 Hunc enim ex cęteris mortalibus, de toto Orbe, Conditor Orbis elegit, cui Cathedram Magisterij principaliter possidendam tenere, perpetuo privilegij iure concesit, vt quisquis Divinum aliquod, aut profundum nosse desiderat, ad huius pręceptionis Oraculum, Doctrinamque recurrat, nec illi humiliter offerre, quod solvendum est, erubescat, etiã si ipse quod quęritur, non ignoret. Numquid Angelus de Cœlo veniens erat nescius docere Cornelium, quem videlicet, vt id quod sibi agendum esset edisceret, destina-

na-

navit ad Petrum? Poterat planè Sanctus Angelus docere hominem gentilem, quid sibi opus esset ad salutem, sed eius nolebat vsurpare Officium, cui docendi Magisterium fuerat cōmissum.* Hactenus ille.

§. VI.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas ex ipso Matthæi textu c.16. iuxta Venerabilium Episcoporum interpretationem fulcitur.

400 POntificis Infallibilitati haud obscurè suffragatur CHALCEDONENSE CONCILIVM *Act.* enim 3. de Beato Petro loquens hęc habet: *Laude dignissimus Beatus Petrus Apostolus, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ Fidei fundamentum.* Hæc autem cohærere non possunt, quin Petrus privilegio non errandi in Fide nobilitetur; quomodo enim totius Ecclesiæ Fidei fundamentum esset, si ipse posset in errorum scopulos impingere? Nonnè certissimum est fundamento nutante totam fabricam ruituram? Qua ergo ratione rectę Fidei fundamentum diceretur Petrus, si insurgentibus errorum procellis, vndosis, ac horrendis hęresum Syrtibus illideretur?

401 Hanc eandem veritatem luce nova perfundunt totius *Cypri Episcopi*, qui *ad Theodorum Pontificem* hæc scribunt: * Firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam Fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit, (ò Sacer Vertex) Christus Deus noster. Tu enim es, sicut Divinum veraciter enuntiat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ firmatę sunt. Tibi claves Cœlorum commisit; atque ligare, & solvere potestatem, & quæ in terra, & quæ in Cœlo sunt promulgavit: Tu prophanarum hæresum depositor existis; Princeps, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatæ Fidei. Igitur non despicias Patrum tuorum, Pater. Fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violatam, necnon periclitantem; resolve nebulam insipientium lumine tuæ divinæ Scientiæ, ò Sanctissime; abscinde blasphemias, & iactantiam vaniloquorum noviter emergentium hæreticorum Doctorum.* Hactenus illi, vt testatur Baronius, *tom.*8. anno 643.

402 Nec minus dissertè pro infallibili Romanæ Ecclesiæ Magisterio in rebus Fidei, loquūtur ÆGYPTII EPISCOPI in *Epistola*, quā *Sūmo Pōtifici Felici* scripserunt de infestationibus Arianorum, de qua ipsi in Sancta Alexandrina Synodo congregati Pontificem certiorem reddunt: *Ideò, inquiunt, Pater Beatissime, quia semper Antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica Sancta Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam, & summam expetimus iuxta Canonum Decreta Sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde Prædecessores nostri Ordinationes, & Dogmata, atque sublevationes ceperunt. (Et paulò infra.) Ipsa enim Firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipsam, formam vniversorum titulorum lucidissimam, Dominus IESVS CHRISTVS vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est enim Sacer Vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, relevantur, & sicut in Christo Christiani, & in Petra, id est Christo, Petrus, Petri renovantur Ecclesiæ.* Hæc ille.

403 Legenda videntur hæc vltima verba; & *sicut in Christo Christiani, ita & in Petro renovantur Ecclesiæ*, vt sit sensus: Romanę Ecclesię Pontificem, si quid in cęteris Ecclesijs vitiatum, aut depravatum sit, suprema sua, & infallibili authoritate, & posse, & debere corrigere, vt prosequuntur Episcopi, & ex eorum verbis colligitur, quæ sequuntur: * Tu es enim, sicut Divinum veracitèr testatur elogium, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, idest, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ; tibique claves Regni Cœlorum commisit, atque ligare, & solvere potestativè, quæ in terra, & quæ in Cœlis sunt, promulgavit. Tu prophanarum hæresum, & imperitorum, atque omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, caputque omnis Orthodoxæ Doctrinæ, & immaculatæ Fidei existis.* Hęc illi. Hæc autem persistere non possunt sine privilegio non errandi in rebus Fidei; illud ergo habent Pōtifices, ceu Christi Vicarij, Divique Petri successores.

404 ORIENTALES EPISCOPI, cum in maximis versarentur angustijs, ac gra-

gravissimis anxietatibus præmerentur, ad Pontificem Symmachũ, ceu supremum Ecclesię Pastorem, & Patrem, ac infallibilem Christianę Fidei Doctorē, tamquā ad firmissimā anchorā, immò & securissimũ Fidei portum, vehementi tempestate suborta confugerunt, illum humilitèr, ac enixè orantes, vt eos contra nefandas Hæreses, quę illam Orientis plagam vexabant, ac deplorandam perniciem Christianę reipublicę afferebant, sua protectione muniret, sua ope defenderet, suoque protegeret patrocinio, ac ea, quę ad illarum Hæresum extirpationem necessaria viderentur, Pastorali sollicitudine provideret; scripserunt itaque Epistolam, quæ extat *tom.2. Epist. Romanorum Pontificum*, in qua sic illius opem implorant: * Tu autem affectuosus in Filijs Pater, non in visione, sed in veritate spiritualibus cernens oculis, percuntes in prevaricatione Patris nostri Acacij, noli remorari: magis autē (vt ita dicam sicut Propheta) non dormites, sed festina ad liberandum nos: quia non in ligando tantum, potestas est tibi data, sed in solvendo quoque diu victos ad imitationem Magistri: neque in eradicando, vel diruendo, sed in plantando, & ędificando, secundum Beatum Ieremiam, magis secundum Salvatorem mundi Christum, in cuius ille extitit Typo: neque in tradendo tantum Satanæ in interitum carnis, sed in charitate formando longa aversione deiectos: ne (quod absit) maiori tristitia absorptis nobis a Satana videamini pertulisse dispendium. Non enim ignoras eius ingenium, qui quotidie à Sacro Doctore tuo Petro doceris, oves Christi per totum habitabilē Mundum creditas, tibi pascere, non vi, sed spontè coactas: qui cum doctissimo Paulo clamas nobis subiectis, & dicis: *Non enim dominabimur vobis in Fide, sed cooperamur in gaudio.* * Et sic deinceps, &c.

405 Pro eadē Suprema, ac Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei authoritate Matthæi verbis innixa, lectu etiā dignissimus est libellus, quē contra Hæreticos, istorumque fautores Agapeto Pontifici, tunc Constantinopoli commoranti, Orientales Episcopi tradidere; ibi enim hæc inter alia leguntur: * Ex quo Christus Deus noster, pro debitis vobis præmijs, propter ipsam in omni tempore cum vera fiducia, sua invisibili, ac terribili virtute divulgatam confessionem, super venerabile Caput vestrum requievit, cum Sedem Apostolorum vobis, Pater Beatissime, commisit, *& firmavit supra firmam petram pedes vestros, & direxit gressus vestros, & implevit os vestrum cantico novo, hymno Deo nostro, multi sperauerũt in Domino*; secundum Psalmidicum eloquium, clarificari à spirituali splendore vestro, per quem tamquam lucerna splendens super sancto Candelabro, caliginem eorum qui in tenebris sedent, & cęcos illuminastis, & oculos mentis ipsorum aperuistis. Propterea confisi, & credentes Divino eloquio dicēti: in tēpore nō timebit cor firmatum in cogitatione intellectus ad intellectũ: Et experientia intellectus cognoscentes, vos esse diligentes Custodes thesaurorũ Apostolicorũ &c.* *Ierosol. Synodo, Act.1. ad finem*, recitata, *in Synodo Constantinopolitana sub Menna, Actione* 1.

406 Hanc quoque veritatem egregiè confirmat ASCANIVS, Tarraconensis Episcopus, qui anno 500. floruit; etenim in Epistola, quam cùm alijs illius Provinciæ Episcopis *Pontifici Hilario, contra Silvanum* scripserunt, hęc habent: * Et si nulla extaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ expetendum re vera nobis fuerat illud privilegium Sedis vestrę, quo susceptis Regni clavibus post Resurrectionem Salvatoris per totum Orbem Beatissimi Petri singularis prædicatio vniversorum illuminationi prospexit; cuius Vicarij Principatus, sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine quærela servitis, ad Fidem recurrimus, Apostolico ore laudatam, indè responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione pręcipitur. * Quibus nihil clarius pro infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei privilegio.

407 Venerabilis, & Antiquissimus ENNODIVS, Diaconus, Episcopus postea Ticinensis, *in Libello, quem pro Symmachi Pontificis Authoritate composuit contra aliquos Schismaticos, qui per summum nefas ausi sunt à Theodorico Rege Visitatores contra Pontificem exposcere*, hæc inter alia scribit: * Visitatores & alijs Episcopis dedit ipse; Et iustum est, vt facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso, diù mendacijs adhærentia verba non arguo: Dico tamen Latorem Iuris definitionis suę, nisi velit, terminis non includi, & nisi

Prin-

Princeps fastigij summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, ius vocatur. Lex probitatis, & mentis est, quæ hominem viventem sine lege castigat: propriè moribus impendit, quia necessitati non debet disciplinam.

408 Aliorum fortè causas hominum, Deus voluit per homines terminare, sed Sedis istius Præsulis, suo sine quæstione reservavit arbitrio: Voluit Beati Petri Successores Cœlo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite timere eas animas de inquisitione non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reservavit examini.

409 Dicas forsitan: omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo vni dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cœlis.* Et rursus Sanctorum voce patet, Pontificum Dignitatem Sedis eius, Sanctam, toto Orbe venerabilem, dum illi quidquid Fidelium est vbique submittitur, dum totius Orbis caput esse designatur: de qua mihi videtur dictum per Prophetam Isaiam, *cap. 10. Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? Et vbi relinquetis gloriam vestram?** Hæc ille.

410 Consonat Africanus Episcopus POSSESSOR, qui sæculo 600. floruit; in *Epistola* namque *ad Hormisdam Pontificem data*, censet in quæstionibus ad Catholicam Fidem spectantibus, nullum alium debere Iudicem agnosci, nisi illum, qui vniversali Catholicæ Ecclesiæ præsidet, qualis est Summus Pontifex, Sancti Petri successor: * Decet, inquit, & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos sollicitudinem gerit, aut à quo magis nutantis Fidei stabilitas expectanda, quam ab eius Sedis Pręside, cuius primus à Christo Rector audivit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:** Hæc ille. Quod ad indefectibilitatis privilegium in Romano Pontifice statuendum non mediocriter conducit.

411 PAVLINVS AQVILEIENSIS *adversus Felicem Orgellitanum*, Ecclesiæ Infallibilitatem, & firmitatem in Fide ex Divi Petri Infallibilitate deducit: * Sancta, inquit, & vniversalis Ecclesia super firmam immobiliter fundata est Petram, & portæ inferi nequeunt prævalere adversus eam. Verumtamen, quia in mari huius sæculi constituta persistit, adversis hęreticorum fluctibus, violentis perfidorum procellis, spumantibusque maledicorum vndis illisa concutitur, licet quassari possit, & mergi nequeat, Christi firmata dextera, & Apostolico Gubernaculo moderata.* Hæc ille.

412 Doctissimus RVPERTVS, Abbas Tuitiensis, qui anno 1100. mira eruditione enituit, Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitatem ex ipso Matthæi textu egregiè confirmat; *Lib. enim 2. de Divinis Officijs, cap. 22. adversus Græcos, de Azymis disserens*, hęc inter alia habet:* Tantis autem hæresibus fermentata est Græcia, vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantę è contra sinceritatis semper fuit Sancta Romana Ecclesia, vt cui deest Scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, sola illi de azymo contra Græcos sufficere debet eius authoritas. Nam Constantinopolitana non solum Hæreticos, sed & Hęresiarchas protulit multos: Romana verò Ecclesia super Apostolicæ Fidei petra altius fundata, firmiter stetit, & tam Græcię, quam totius Orbis hæreticos semper confutavit, & de excelso Fidei Tribunali, data sententia iudicavit.*

413 Et in fine idem Rupertus prosequitur, dicens:* Quæ Beata Ecclesia, quæ in fundamento suo Petram illam excepit, quam in suo veritatis ore laudavit, & beatificavit: tali structura super illam ędificata est, vt contra omnes Hęreses pręstaret murus inexpugnabilis; & quacumque Mundi ex parte periclitata Fides ad illam confugit: mille Clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium, qua se defenderet, pendentem, & præparatam invenit.* Hęc ille.

414 Prudentissimus OTHO, Imperatoris Henrici Cancellarius, impium schismaticorum errorem de investituris Ecclesiarum à laica manu, execratus, se Romanum Pontificem, vti Supremum Ecclesię Caput, agnoscere, ac venerari palam confessus est; nec aliter ad Bambergensem Episcopatum, Ruperti obitu, sibi ab ipso Imperatore oblatum, promoveri voluit, nec in illius possessionem venire, nisi & consecrationem pariter, & investituram canonicè consensu, & petitione Ecclesię

suę, à Domini Apostolici manu, suscipere mereretur; qui Otho Legatos, Epistolamque, illa, qua par erat, veneratione, & animi submissione ad Paschalem tunc Romanam Sedem gubernantem misit; illius autem Epistolam, quia humilitate plenam, & ad rem, de qua agimus aptissimam, hic duximus transcribendam.

415 *Domino, & Patri suo Paschali, Sanctę, & Apostolicę Sedis vniversali Episcopo. Otho Banbergensis Ecclesiæ id quod est, tam devotę, quam debitæ subiectionis Orationes, & servitium. Quia totius Ecclesiasticæ dignitatis, ac Religionis firmamentum in Christo Petra est, & in Petro eius Discipulo, & eius Successoribus: idcircò ab hac linea, ab hac virga directionis, virga Regnorũ, Põtificatuũ, & omnium potestatum in Ecclesia, insanũ duxi aberrare. Vobis igitur, Pater Sanctissime, & Sanctę Matri nostræ Romanæ Ecclesię, collum devotè submittens, auxilium, & consilium de rebus meis flagito.

416 In obsequio enim Domini mei Imperatoris per aliquot annos degẽs, & gratiam in eius oculis inveniens, suspectam habens in manu Regis investituram; semel, & iterum cum dare vellet, renui Episcopatum: Nunc verò iam tertiò in Bambergensi Episcopatu me ordinavit; in quo tamen minimè permanebo, nisi Vestræ complaceat Sanctitati, per Vos me investire, & consecrare. Quidquid ergo placeat discretioni vestræ de me, per Nuncios mihi significate, servo vestro, nè forte in vanum curram, si ad Vos currere incipiã.* Hactenus Othonis litterę, apud Halberstadensem *in vita Othonis, lib. 1. cap. 3.*

417 Eamdem veritatem eruditè probat Doctissimus pariter, ac Illustrissimus MELCHIOR CANO, Canariensis Episcopus, qui de *Locis Theologicis, lib. 6. cap. 3.* pro secunda statuit conclusione: * Petrum, cum Ecclesiam docebat, aut oves in Fide firmabat, errare non potuisse. Hanc conclusionem demonstrat illud Matthæi 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quę verba explicans *Hom. 1. in Matthæum* Origenes ait: Manifestum est, etsi non exprimatur, quod neque adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum. Nam si prævalerent adversus petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam item prævalerent. Petrus ergo firmus stabat in fide, nè fabrica super ipsum fundata rueret.* Hæc ille. Ex hoc principio infert Canus Romani Pontificis Infallibilitatem, quia nempè Divo Petro, in eadem authoritate, & potestate Iure Divino succedit, vt latè probat *Propositione 3.* cum autem Divus Petrus authoritatẽ infallibilem, privilegiumque non errandi in rebus Fidei habuerit, vt manifestè probaverat ipse Canus; hinc omnes Romani Pontifices, vti legitimi Divi Petri in Cathedra, & Pastorali Officio Successores, eodem debent privilegio insigniri.

418 Idem non errandi privilegium in rebus Fidei definiendis elegantèr probat Illustrissimus Episcopus SEQVEYROS ET SOTOMAYOR, in Complutensi Academia Insignis Theologiæ Professor; etenim in *Eurythimia Pontificali*, §. 2. hanc conclusionem statuit: * In definitionibus Fidei, non solum Pontifex est principalis pars, sed vnica vivens Fidei regula, tam intra, quam extra Concilium. (Quam conclusionem deducit ex illo Matthæi textu: *Tu es Petrus, & super hanc petrã, &c.* In cuius expositione hęc scribit *n. 7.*) Hæc promissio, vtpote infallibilis, fuit adimpleta. Notanda enim sunt illa verba: Primò, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

419 Secundò: *Tibi dabo claves Regni Cælorum.* Tertiò: *Quodcumque ligaveris.* In primo considera obiter, solum Simoni tunc Christum apposuisse nomen Cephas, vel Petri, quia solum supra Petrum erat Ecclesiæ stabilitatem fundaturus. Vocat enim Pontificem, Petram, cui namque de doctrinæ veritate confideret securius, quam ei, in quo illa petræ soliditas perseverat? Ideoque Divus Ambrosius, *lib. 4. de Fide, cap. 3.* ait: Cum Petrum, Petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit. Deinde exprimens solum loqui de Petro, non vero de Ecclesia, aut alijs Apostolis, explicat esse filium Ioannis, & apponit illa pronomina repetita; *& ego dico tibi*, ac si diceret, & non alijs, quia tu, & quasi alios excludendo, petra es.

420 In secundo notandum, Clavium traditionem Ius, potestatem, & possessionem significare, & cui Claves dantur, is Dominus, & Possessor instituitur; quod testantur tàm Sacrę, quàm prophanæ lit-

litterę, vt advertunt Bellarminus, Stapletonus, & Cornelius. Aliquando Clavium traditio solum denotat custodiam, & administrationem. Sic Antiqui Romani claves vxoribus suis tradebant, vt quæ domi essent administrarent, & ita apud quem sunt claves, is, vel iure suo possidet, & sic erit Dominus, vel alieno, & sic erit Vicarius, vsum, & administrationem manifestans in Clavium acceptatione. In hoc sensu Christus Petro promittens Claves Regni Cœlorum, propria Authoritate Vicarium designat. Cum ergo Claves solum fuerint Petro traditæ, solus Petrus erit Christi Vicarius, & Ecclesiæ Caput.

421 In tertiò advertendum, aliud esse aperire, & claudere; aliud ligare, & solvere: quia aperire, & claudere, Clavium; ligare verò, & solvere, non Clavium, sed funium est; & non circa portas Cœli, sed circa homines; homines enim non dicuntur claudi, & aperiri, portæ etiam non dicuntur ligari, & solvi; soli tamen Petro traduntur Claves cum potestate ligandi, & solvendi, quæ Authoritas ligandi, & solvendi ad hoc collimat, scilicet, solvere emergentium Fidei difficultatum nodos, ligare vagantia dissoluta Dogmata, extirpando errores, diabolica fraude seminatos, illosque perpetuis silentijs concathenando, & ligando. Sed hoc solum habuit Petrus, & eius Successores à Christo Domino: Ergo solum Petri Successores, ex Christi testimonio, in quæstionibus Fidei, possunt indefectibiliter solvere, aut ligare.* Hæc ille.

422 Illustrissimus AVGVSTINVS BARBOSA, Episcopus Vgetinus *in Decret. Dist. 40. cap. Si Papa. 6.* hanc veritatem confirmat, in illius enim textus expositione *num. 2.* hęc habet: * Sciendum est Summum Pontificem, vel considerari posse tamquam Supremum Iudicem, & vniversalem Ecclesię Pastorem, vel tamquam privatam personam: Si primo modo consideretur, certum est in definiendis his, quæ sunt Fidei, habere infallibilem Authoritatem, ita vt in publico Fidei iudicio, minimè errare possit.* Et in secunda probatione ad rem nostram dicit: * Probatur secundò ex Authoritate eiusdem Christi *Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quam authoritatem de Petro, omnibusque eius Successoribus explicat Leo Pontifex *in cap. Ita Dominus. Dist. 19.*

423 ALEXANDER, Alexandrinus Episcopus, vt certissimum tuetur solam Romanam Ecclesiam esse, & dici Catholicam, & Apostolicam, quæ in Fide semper fuit, & erit constans, ac firma. Sic enim *ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum* scribit: *Ecclesiam vnam solam Catholicam, & Apostolicam agnoscimus, quæ sicut numquam expugnari potest, etiam si totus Mundus eam oppugnare instituat, sic omnem impiam Hæreticorum incursionem evincit, ac profligat, quandoquidem eius Dominus nos efficit satis animosos, dum clamat: *Confidite, ego vici mundum.** Hęc ille. Ex qua Fidei firmitate, ac erroris immunitate manifestè deducitur, ea potiri Petrum, cum constitutus à Domino fuerit Ecclesiæ firmamentum, ac perinde eius Successores, eius Cathedrę hæredes, eodem firmitatis privilegio gaudere.

424 ZAGA ZABO, Episcopus Æthiops, *in Confessione Fidei Æthiopiæ.* * Credo (inquit) Sanctum Petrum, petram esse legis, quæ lex ædificata est super Sanctos Prophetas, Fundamentum, & Caput Ecclesiæ Catholicę, & Apostolicę, Orientalis, & Occidentalis, vbi est nomen Domini nostri IESV CHRISTI.* Ex quibus verbis manifestè deducitur, & Sanctum Petrum in rebus Fidei fuisse infallibilem, cum totius Ecclesię Fundamentum, ac Caput extitisse probetur, quod sine Infallibilitatis dono, & Fidei firmitate reperiri nequit, istiusque Successores, Romanos scilicet Pontifices, eadem Infallibilitate, eisdemque prærogativis insigniri.

425 Illustrissimus IACOBVS SIMANCHAS, Pacensis Episcopus, *Tomo de Catholicis Institutionibus, tit. 45. de Papa, & illius Authoritate,* ex professo disserit de Pontificis Infallibilitate in rebus Fidei decernendis, ne autem tanti Antistitis verbis, quæ ferventissimo Ecclesię Zelo Typis mandavit anno 1575. aliquid detrahamus, iuvat ea transcribere: * Hæc autem (inquit) sententia memoratu digna est, Fidem, ac Definitionem Sedis Apostolicę, principium esse certissimum indubiæ veritatis eorum, quæ certa Fide tenenda, credendaque nobis sunt: nec enim dissensit vmquam à sententia Catholicę Ecclesiæ: sed cum Sacris Litteris, & Apostoli-

cis, Ecclesiasticisque traditionibus semper ei convenisse compertissimum est. Quam veritatem plurimi Sanctissimi, & Sapientissimi Viri docent, & comprobant, asserentes Cathedram Apostolicam ab ipso Deo Christo, tali privilegio in persona Petri donatam fuisse, vt sicuti numquam erravit hactenus, sic etiam in finem vsque sæculi, Fidem eius numquam defecturam esse credamus. Hoc scriptis suis testantur Antistites multi, Sanctitate, doctrina, & antiquitate venerandi.* Quos refert ibi.

426 Et *num.21.** Comprobant (ait) multarum Synodorum, & Sanctorum Patrum testimonia quam plura.* Quæ refert ibi. *Num.* verò 22. sic prosequitur: *Hęc eadem sententia satis apertè probatur illis Christi verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* (In cuius expositione ait:) Quæ verba non tantum de Petro, & pro ipso Petro dicta sunt, sed etiam pro Summis Pontificibus, legitimis Petri Successoribus, quorum Fides in Officio illo Pastorali non deficit, nec deficiet vmquam. *Et portæ inferi*, hoc est, hæresis, infidelitas, & erronea Fides *non prævalebunt adversus* hoc fundamentum Ecclesiæ. Adde, quod si verum est, sicuti est, quod Sacerdoti Legali concessum erat in veteri Synagoga privilegium hoc, vt in rebus Fidei, ac Religionis iudicaret semper iudicij veritatem, vt in Deuteronomio continetur, multo magis credendum est, concessum id ipsum fuisse Pontifici Summo, qui præest Apostolicæ Cathedræ, quam elegit Dominus, *Lucæ 22. Ioannis 21. & 17. Matthæi 16. Deuteronomij 17.* hanc veritatem Catholicę Ecclesiæ traditione, Sacrisque Litteris fulcitam, rationes quoque multæ vivæ atque spirantes comprobant.* Hactenus ille.

427 Nec omitti potest quod Illustrissimus IOSEPHVS, Methonensis Episcopus, *in Concilij Florentini Apologia contra Marcum Ephesiorum Primatem* scripsit: * In Romana (inquit) Ecclesia nec turpè Dogma vmquam mansit.*

428 Illustrissimus IGNATIVS FIVME, è Sacro Prædicatorum Ordine, in suis Tomis *Schola Veritatis Orthodoxæ contra mendacia Lutheri, Calvini, cæterorumque protestantium*, inscriptis *2. parte, tract.3. de Romano Pontifice, lib.1. lect.2.* hanc cōclusionem statuit: * Veritas Catholica: Iudicium Roman Pontificis ex Cathedra definientis controversias Fidei, est prorsus inerrabile (quam assertionem varijs probat argumentis, sed ad rem nostram aptissimè *num.29.* scribit:) * Adest & alius locus Novi Testamēti, quo inerrabilitas in decidendis, ac docendis rebus Fidei, Fideique perpetua firmitas Petro, Romanæ Sedi à Christo promittitur Lucę 19. Divina dispensatione Petro nomen firmitatis imponitur, eique singulare Infallibilitatis munus confertur; dum dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.** In cuius expositione gravissimus iste Author (cui ob ingentem, ac ferventissimum Ecclesiæ, & Fidei Zelum, quo in præcipuas, ac Neotericas hæreses, quæ magnam Fidelibus calamitatem minabantur, vehementer insurgit, easque firmissimis premit argumentis, ac fortissimis Authoritatum, & rationum momentis refellit, cum Sacri Prædicatorum Ordinis, licet immeritò, Magistri Generalis munus gererem, annui, & publicę vtilitati consulens, vt prædictos tres Dogmaticos Tomos Typis cōmitteret, ac magno litterariæ Reipublicę bono ederet, indixi) hęc scribit: * Quibus verbis, & petræ soliditas declaratur, & portas inferi (scilicet hostes Fidei) numquam adversus eam prævalituras ostenditur. Hinc Cyrillus *apud Divum Thomam in Cathena Aurea ad hunc locum* ait: Secundum hanc promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumventione manet immaculata. Et Divus Augustinus *in Psalm. contra partem Donati*, ait: Ipsa est petra, quam non vincunt inferorum portę.* Hęc ille.

429 Illustrissimus, & Eruditissimus Dominus FRANCISCVS PEÑA, Hispanus, Sacræ Theologiæ, & vtriusque Iuris Doctor, & Sacrę Rotę pro eadem Natione Auditor, *in Commentarijs in Directorium Inquisitorum* à Nicolao Eymerico Sacri Prædicatorum Ordinis, præclaro Fidei Inquisitore, compositum *in Scholijs in 2. part. lib.2. Schol.21.* Pontificis Infallibilitatem in rebus Fidei apertè tuetur, eamque ex prædictis Matthæi, & Lucæ textibus confirmat; sic enim scribit: * Sit tertia regula: Si Sedes Apostolica, Summusvè Romanus Pontifex ma-

maturo consilio quippiam definiat, tamquam ad Fidem spectans, id Catholica Veritas censendum est. Romanus enim Pontifex claves habet Petri, & verus Successor eius est, pro quo oravit Christus, ne Fides eius deficeret, vt fratres suos, hoc est, Fideles, quandoque in Fide vacillantes, & nutantes confirmaret. Erit ergo eius Iudicium certissimum, stabile, & infallibile: quod egregiè docent, qui de Summi Romani Pontificis Authoritate adversus nostri temporis hæreticorum monstra, tractatus scripserunt, & inter alios Ioannes Turrecremata *in Summa de Ecclesia, libro 2. cap. 109. & sequentibus.*

§. VII.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas ex ipso Matthæi textu c.16. iuxta Doctorum mentem, stabilitur.

430 AGmen ducat acutissimus TERTVLLIANVS, qui *lib. 4. contra Marcionem, cap. 13.* aptissimè pro hac re videtur loquutus: * Cum enim dixisset Apostolos adumbratos fuisse per illos duodecim lapides, quos à Iordanis alveo extraxit Iosue, *cap.* 4. vt sic Fide solidi, tamquam veri lapides præsignarentur, subnectit: * Mutat, & Petro nomen de Simone. Sed cur Petrum? Si ob vigorem Fidei, multę materiæ, solidęque nomen de suo accommodarent. An quia Petra, & Lapis Christus? Itaque affectavit charissimo Discipulorum, de figuris suis peculiariter nomen communicare.* Quasi diceret: Licet Apostolis omnibus virtus lapidũ in soliditate cõmunicata sit; at Petro, nõ cuiusvis Lapidis, sed illius, qui Christus est, stabilitas concessa invenitur. Et ideò, vt Christus ipse, per analogiam ad ipsum, Petra ab ipso Christo vocatur: cum tamen cæteri Apostoli, per analogiam ad Iordanis lapides, petrei, aut solidi nominentur. Cum igitur à Fide nullus Apostolorum, post Spiritus Sancti adventum desciverit; sed omnes pro ea vitam cum morte commutaverint, consequens est, tantam hanc soliditatem Petri aliquid amplius exprimere, quam suæ personæ stabilitatem, vtique Successorum eius, qui vt Vicarij Christi, vigorem Petrę, quæ est Christus, in stabilitate Fidei docendæ, atque propagandæ divinitus participant.

431 Idem Tertullianus *de Pudicitia, cap.* 21. ad illa verba *Matthæi 16. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* hæc habet: * Super te ædificabo Ecclesiam: & dabo tibi claves: non Ecclesiæ; & quæcumque solveris, vel alligaveris, non quæ solverint, vel alligaverint. Sic enim, & exitus docet: In ipso Ecclesia extructa est; id est, per ipsum, ipse clavem imbuit: Vides quam.* Quod sine dubio addit Tertullianus, vt intelligatur Christum Dominum hanc infallibilitatem, non quidem Concilio seorsim à Pontifice, sed soli Petro, istiusque Successoribus concessisse. Ex illis ergo Tertulliani verbis: In ipso Ecclesia extructa est, id est, per ipsum, clarè deducitur privilegium non errandi, quòd in Romanis Pontificibus tuemur.

432 Consonat Doctissimus ZENO VERONENSIS, qui *Sermone de Circuncisione* asserit: Christum Dominum super Petrum, istiusque Successores suam construxisse Ecclesiam: * Non sine ratione Simoni, super quem ædificavit Ecclesiam Christus, *Petrus* nomen imposuit.*

433 Nec omitti potest eruditi ORIGENIS sententia, qui ad prędicta Matthæi verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, scribit, cum enim hę particulę, *adversus eam*, videantur ambiguę; & num ad Petram, an vero ad Ecclesiam referri debeāt? Respondet Origenes: * Neque adversus Petram, super quam Christus ædificavit Ecclesiam; neque adversus Ecclesiam portas inferi prævalituras: Quemadmodum, nec via serpentis in Petra potest inveniri, iuxta quod scriptum est in Proverbijs.* Vnde cum hæc non Petro, vt particulari personæ, sed vt vniversalis Ecclesiæ Pastori, atque adeò eius in hac Dignitate Successoribus, dicta fuerint, concludendum est nec eos, quatenus Pastores, aut Ecclesiæ fundamenta, vllatenus falsarum dogmatum ventis concuti, Fideique erroribus in docendo agitari posse, privilegioque non errandi potiri.

434 MAXIMVS, Taurinensis Præsul, *Homil. 1. in Natali Apostolorum Petri, & Pauli*: * Hic est (inquit) Petrus, cui

cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit. Vt enim (sicut Paulus Apostolus docuit) *Petra autem erat Christus*; ita per Christum Petrus factus est Petra, dicente ei Domino: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: nam sicut in deserto, iussu Dominico, sitienti Populo aqua fluxit è petra; ita vniverso Mundo perfidiæ ariditate lassato, de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas, agnosque commendat, vt quos ille pietate, miserationeque redemerat, hic Fidei suę virtute servaret. Et rectè sanè ei, arbiter occultorum Dei Filius, pascendas oves suas, tuendasque commisit, cui noverat in nutriendo grege Dominico, nec studium deesse, nec Fidem.* Hæc ille.

435 PHILIPPVS, Presbyter, *in Concilio Ephesino, tom. 2. cap. 16.* ex illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et tibi dabo Claves, &c.* sic pro Infallibilitate Summi Pontificis stat: * Nulli dubium, immò sęculis omnibus notum est, Sanctum, Beatissimumque Petrum Apostolorum Principem, & Caput, Fideique Columnam, Ecclesiæ Catholicæ Fundamentum, à Domino IESV CHRISTO Salvatore nostro, humanique generis Redemptore Cœlestis Regni Claves accepisse, solvendique, atque ligandi potestate, quam acceperat, vsum fuisse, necnon per Successores suos hucvsque semper vivere.* Hæc ille. Indè rectè colligi apparet, infallibilem Petri Fidem; nam si in Petro, vt Columna, & Fundamento Fides nutaret, tota Ecclesia in Fide vacillaret; absurditas neutiquam concedenda. Immò asserendam credimus eam Fidei firmitatem in Petro, quam Christus voluit ei communicare, & Successoribus eius, vt eius in Fide firmarent Ecclesiam.

436 His adhæret THEODORETVS, qui Romanę Ecclesię Infallibilitatem, in rebus Fidei, ex Fidei infallibilitate, quæ in Divo Petro illuxit, eleganter confirmat; etenim super illa verba *Psalm. 47. Bene fundata est in exultatione vniversæ terræ*, hæc scribit: * Hanc autem in lętitia vniversę terrę bene, & optimè, ac solidè ędificavit. Ædificavit namque ipsam (ait D. Apost. *ad Hebr. 2.*) *supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, cùm sit Petra angularis eius CHRISTVS IESVS; & ipse Dominus Beato Petro, *Matthæi 16.* inquit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: hoc igitur, *bene fundata*, pro solidis fundamentis posuit, vt ipsa intrepida, & inconcussa permaneat.* Hæc ille.

437 ISIDORVS PELVSIOTA, *lib. 1. Epist. 238.* Romanæ Ecclesiæ in Fide firmitudinē, & indefectibilitatem tuetur: * Per inferi (dicens) portas Divinus Sermo impiorum hominum cætus, atque hęresum blasphemias intelligit, quibus omnibus obsistens Dei Ecclesia, eas quidem frangit, & expugnat, ab ijs autem vinci non potest.*

438 Quod ipsum confirmat *Epistola 311.* vbi sic scribit: * Ecclesia firmo loco defixa est, eamque causam habet, vt ipsi ne portæ inferi quidem dominentur; quemadmodum is, qui eam constabilivit pollicitus est.*

439 Sed clariùs *lib. 3. Epist. 5.* * Non tamquam nemo Ecclesiæ bellum indicturus, atque extinguere adnixurus esset, verum quod multi quidem adversus eam pugnaturi, sed tamen vincendi, & profligandi essent, dictum est: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, subaudi Ecclesiam: Sic quippè contigit: oppugnata enim est, sed non oppressa: verum ijs ipsis, qui eam extinguere tentaverunt, splendidior emicuit. Quid igitur miraris, si Sancti etiam Viri bello exagitantur? Ex bellis enim præclariora trophea, atque ornatiora spolia esse videntur.* Hæc ille.

440 NILVS THESSALONICENSIS, *de Primatu Papæ.* * Petrus quidem (inquit) & Apostolus, & Apostolorum Princeps, &c. Et Petrus quidem Præceptor Vniversi Orbis.* Ex quo legitimè infertur, Petrum, istiusque Successores privilegium non errandi in rebus Fidei habere debère; aliàs Vniversus Orbis cum ipsis erraret in Fide.

441 PROCOPIVS GAZÆVS ad *cap. 33. Isaiæ* ex infallibili Petri Fide, infallibilem Ecclesiæ Fidem deducit: * Veteris (inquit) Ierusalem, quæ toties olim expugnata fuit, tabernacula ceciderunt: at nova Civitas, quia super petram stat, ipsis persecutionum temporibus immobilis permanet. Neque enim *portæ inferi*

feri adversus eam prævalebunt. Matthæi 16. quæ nullo imbrium impetu, nullo fluviorum, nullo ventorum denique, cum supra firmam petram fundata sit, ceciderit.* Hæc ille.

442 Eandem veritatem confirmat GERMANUS CONSTANTINOPOLITANUS, *in Epist. ad Thomam Claudiopoleos Episcopum.* * Dicat (inquit) nobiscum B. Evangelista Ioannes (1. *Ioann.* 5.) *Hæc est victoria, quæ vicit mundum Fides nostra*: Hæc proponatur nobis, de hac nobis dicatur, ipsa est petra, supra quã Christus ædificavit Ecclesiam suam, in portas inferni; hoc est, impressionum, & insultationum contrariæ potentię, inconcussum, & incommutabile præsidium.*

443 ALCUINUS *ad Psalm.* 118. * Ecclesia (inquit) ab initiò generis humani exorta, nullis generationibus defuit. * Sed clariùs pro Romanę Ecclesiæ Infallibilitate loquitur *in Genesim* paulò ante finem, vbi sic scribit: *Ecclesia in littore maris habitat, & credentibus refugium, & periclitantibus demonstrat Fidei Portum. Hęc contra omnes turbines sæculi, inconcussa firmitate solida, expectat naufragium Iudęorum, & Hæreticorum procellas, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, quorum, etsi tunditur fluctibus, nõ tamen frangitur.* Cum ergo Ecclesia estò Hæreticorum fluctibus impellatur, illis tamen non frangatur; hinc est asserendum, totam hanc stabilitatem à Romani Pontificis Infallibilitate oriri; si enim ille, vt Vniversale Caput Ecclesiæ, in Fidei rebus definiendis fallibilis esset, proculdubio tota Ecclesię infallibilis firmitudo corrueret.*

444 Ad eamdem veritatem stabiliendam præclarè facit POTHO PRUMIENSIS *lib.* 3. *de Statu Domus Dei.* * Sacrosancta (inquit) Ecclesia supra petrã ædificata, & à Christo fundata, in cunctis adversitatibus incõcussa firmitate perdurat, sicut ei vox Spiritus Sancti *in Psalmo* 9. promittit, dicens: *Non timebis á timore nocturno*, nec *á sagitta volante in die, á negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & Dæmonio meridiano.**

445 Cathedræ Divi Petri Fidem necessariam esse necessitate salutis, sicque æternam gloriam consequi non posse, qui illam non sequatur, sentit RABANUS MAURUS *in cap.* 16. *Matthæi*; Ex quo apertè deducitur privilegium non errandi in Fide, quod in Divo Petro, istiusque Successoribus tuemur: * Habent quidem (inquit) eamdem iudiciariam potestatem Apostoli, quibus post Resurrectionem ait Christus: *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Habet, & omnis Ecclesia in Episcopis, & Presbyteris, sed ideò specialiter Petrus accepit, vt omnes intelligant, quod quicumque ab vnitate Fidei, & societate eius, se separaverit, nec à peccatis solvi, nec Cœlum potest ingredi.*

446 Quod confirmat *in cap. vltimum Ioannis*, vbi sic scribit: *Simon, id est obediens, qui propter primatum Apostolici Ordinis vocatur Petrus, id est firmus.* Vnde cum Divus Petrus hanc Fidei firmitatem, & stabilitatem, ratione Officij Pastoralis possideat, necesse est, vt cæteri Pontifices eadem Infallibilitate fruantur.

447 S. EVLOGIUS TOLETANUS, *in Memoriali Sanctorum*, Divum Petrum firmissimum Ecclesię fundamentum appellat: Vnde cum tota Ecclesiæ firmitas innitatur Fide; proculdubiò à Divo Petro, totam suam firmitatem accipiet Ecclesia: * Nam & Beatus Petrus (inquit) Princeps Apostolorum firmissimum Ecclesię Catholicæ fundamentum, vtpotè cui ab ipso Redemptore dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.**

448 Sed idem non errandi privilegium Romano Pontifici, vti Ecclesiæ Capiti, & Divi Petri Successori concessum, clarius probatur *ex lib. Altercationis Synagogæ, & Ecclesiæ, cap.* 19. apud Coccium *lib.* 7. vbi hæc habentur: * Romanæ Sedis numquã intermorituram esse Fidẽ, Christus pronũtiasse videtur, quãdo cõcreditis, atque collatis Petro Cœlestis Regni Clavibus, id est, totius Ecclesiæ Suprema potestate commissa: *Ego* (inquit) *rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* Et alibi: *Tu es Petrus, &c.* Petrum quippè Romanæ Ecclesię Præsulem fore, ibique martyrio consummandum prævidit, cuius Fidem non defecturam promittit. Quid quæso nobis insinuasse censendus est, quam quod ea potissimum Ecclesia, cuius Petrus velut è vicino (cum esset alias omniũ post Christum Ecclesiarum Caput, & Summus Antistes) Præsul erat futurus, in vnius, ac veræ Fidei Confessione, perpeti consensu, semper esset permansura?*

THEO-

449 THEOPHILACTVS *ad cap. Matth. 16.* *Remunerat (inquit) Petrum Dominus, mercedem ei dans magnam, quod super eum ædificavit Ecclesiam.*

450 Et *ad cap. 22. Lucæ* super illa verba: *Tu conversus*, hæc habet: *Planus huius intellectus est: quia te habeo vt Principem Discipulorum, postquam me negato fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros: hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, & firmamentum.*

451 EVTHYMIVS *ad cap. 16. Matthæi* super prædicta verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, hęc habet: *Tu es Petrus, vt qui post abnegationem Fidei petra futurus es, vel tamquam iam prudentia firmus. Itaque super hanc firmitatem ędificabo Ecclesiam meam, sive Te ponam fundamentum credentium: *Et dabo tibi claves Regni Cœlorum.* Cùmque confessus esset ipsum esse Dei Filium legitimum, iam ei demonstrat suæ Divinitatis Dignitatem, dicens: *Ædificabo super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claves Regni Cœlorum*, videlicet, vt ad illud introducas; siquidem Clavigeri est introducere.*

452 Et *ad Psalm. 47.* super illa verba: *Deus fundavit eam in seculum*, hæc scribit: *Hæc verba soli conveniunt Ecclesiæ Fidelium: *Portæ* enim *inferi non prævalebunt adversus eam.* Ipsa etenim Ierusalem à fundamentis eversa, ac solo æquata est. Quid igitur ad hæc dicere possunt Iudæi?*

453 ANGELVS CANINIVS, *in Nominibus Hebræorum Novi Testamenti, cap. 131.* optimè ad rem nostram facit, dum ibi inter alia docet: *Vox ergo Petri, & Petræ notat Sancti Petri, quasi Principis Ecclesiæ, & Successorum eius Pontificum soliditatem, & constantiam in Fide, & Religione Christi.* Hæc ille.

454 THEODORVS BALSAMON, *ad Canonem 16. Carthaginensis Synodi.* *Portę (inquit) inferi adversus Ecclesiam non pręvalebunt, quæ à Domino supra Dei pręconem Petrum ædificata est.*

455 IOACHIMVS, Abbas, *ad cap. 13. Isaiæ*; privilegium non errandi Romanæ Ecclesię concessum esse, probat: *Christus (inquit) in Apostolis transit ad gentes, quasi ad Romanum Imperium convertendum, in quo, & abscondet Populum Christianum in foramine petræ, id est Roma, in qua Fides Christi vsque modo inviolata, & illæsa permansit, & permanebit vsque in finem.*

456 Ad idem facit NICEPHORVS CALLISTVS, *lib. 2. Historiæ, cap. 14.* *Sub Claudij Imperio (sic scribit) quæ omnia sapienter propter summum in genus humanum amorem dirigit Providentia, quasi Antesignanum, & insuperabilem, atque invictum Fidei propugnatorem, qui virtutis, ardorisque gratia, primas inter Apostolos divinitus est consequutus, Petrum, perindè atque contra feram agrestem, ac perniciosam excitavit.* Facit allusionem *ad cap. Matthæi 16. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et *cap. 44.* ait: *Coryphęus, & Princeps eius Chori, est Petrus.*

457 GENNADIVS SCHOLARIVS, *de Primatu Papæ, sect. 2.* *Si mundanę (ait) potestates, quando disiunctę sunt, intereunt, ac dilabuntur, quomodo debuit Christus Ecclesiam suam omittere sine Capite? vt confusio sequeretur, & ex confusione destrueretur? sed vti supra omnem ordinem positus, & vti existens is, qui ordinem constituit, voluit, & ordine suam societatem, videlicet, Ecclesiasticam, contineri: & vt ipse in terris erat Caput, Dominus, ac Magister Discipulorum, & Pater, & Pastor: sic cum decrevisset ad Paternum Thronum ascendere, Petrum Præfectum ipsis constituit, Patrem, & Magistrũ, & vt vno verbo dicam, suum Vicarium, & Successorem.* Vndè cum Christus, qui Vniversale Ecclesiæ Caput, cum plena potestate extitit, habuerit, proculdubiò, inerrabilitatis donum; Petro, quem toti Ecclesiæ Præfectum, Patrem, & Magistrum Fidei, & vt clarius loquar suum Vicarium, & Successorem constituit, eandem potestatem, privilegiumque non errandi pro vniversalis Ecclesiæ vtilitate concessisse, præsertim in rebus Fidei definiendis, perspicuum erit.

458 Eruditissimus IOANNES LENSÆVS, Lovaniensis Doctor, *in tract. pro vna in terris Christi Ecclesia*, de quo Enricus Gravius se nihil ad veritatem stabiliendam, falsitatem eliminandam, ac Hęreticorum nostri temporis ora obturanda, nec solidius, nec efficacius vmquam vidisse testatur. Et *in Oratione*

tione Theologica, *de admirabili Ecclesiæ concordia*, *cap.* 19. pro Infallibili Pontificis Authoritate extra Concilium, hęc notatu dignissima scribit.

459 *Nunc postremo breviter commonstremus oportet, quantum adferat momenti, non solum ad concordiam, verum etiam ad concordię perpetuitatem, quod vnus est, Divina institutione, Pręfectus omnibus, quem Dominus iusserit audiri ab omnibus. Fecit semper admirabili Providentia, vt omnibus vbicumque positis Pastoribus, & gręgibus curę id esset maxime quo Sedi Apostolicę, quæ omnium Ecclesiarum est caput, consentanea, & docerentur, & discerentur. Nihil proinde Generalibus Concilijs, quæ quidē robur authoritatis in Ecclesia habeant, quacumque Orbis in parte celebrata illa fuerint, conclusum, decretumque reperimus, quod non voluerint Patres, Sedis Apostolicę Iudicio congruere, eiusque Censura, & Approbatione firmari; ac sicut ab ea Sede doctrinæ salutaris, piæque omnis institutionis semper aquę, velut suo de fonte fluxerunt, quę ad omnes circumquaque diffusas Christiani Orbis Ecclesias derivarentur; sic viceversa hanc omnes suspexerunt; ad hanc in gravioribus negotijs, sibi confugiendum esse putaverunt: Huius in Iudicio acquiescendum esse non dubitanter agnoverunt; nimirum quod in ea fratrum confirmatorem, omnium ovium Pastorem, familiæ suę Patrem, & cui Claves traditæ essent, sui Regni Gubernatorem, collocasse Dominum perspiciebant. Quem ergo fratres, motis persecutionum turbinibus, sequerentur, nisi à quo firmarentur? Cuius audiendam vocem oves censerent, nisi sui Pastoris? A quo doctrinę disciplinęque cibum, nisi à Patre familias peterent? Cuius obedirent legibus, nisi quem vice Christi Regno Prępositum scirent? Cui, postremo de Doctrinæ veritate confiderent securiùs, quam ei, in quo illa Petræ soliditas, adversus quam portę inferorum prevalere non possunt, perseverat? *

460 Pro eadem Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei authoritate, memoratu dignissima est insignis PARISIENSIS VNIVERSITATIS SENTENTIA, *in declaratione à Parisiensi Episcopo Stephano facta, in litteris pro Beati Thomæ Aquinatis doctrina, editis anno* 1324. vbi sic scribitur: * De consilio Venerabilium Virorum Decani, & Capituli Parisiensis, & Venerabilis Patris Domini Guilielmi, Dei gratia, Archiepiscopi Viennensis, Sacræ Theologię Professoris, & aliorum viginti trium Magistrorum in Theologia, necnon triginta novem Baccalaureorum in Theologia. (Hæc enim declaratio facta est ob eam causam, quę his verbis exprimitur): Nos igitur attendentes cum eis, quod Sacrosancta Romana Ecclesia, Fidelium omnium Mater, & Magistra, in firmissima Petri Christi Vicarij confessione fundata, ad quam velut ad vniversalem regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio, & reprobatio Doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum, prefatum Doctorem Venerabilem, cuius Doctrina fulget Ecclesia, vt Sole Luna, nuper Sanctorum Cathalogo adscribendum Doctrinę diligenti excussione, & examinatione præhabita super vita ipsius, & Doctrina, ipsumque quoad vitam puram, ac Doctrinam salutarem Orbi terræ commendabilem prædicavit, &c.*

461 Hæc autem declaratio eo maioris ponderis, authoritatis, & æstimationis censeri debet, quod facta fuerit, à prædicto Episcopo, qui antea aliquas Divi Thomæ sententias impugnari permisserat; ex quo planè deducitur ideo illum calculum reduxisse, ac priorem mutasse sententiam, quia, vt ipse innuit, Romana Ecclesia Angelici Pręceptoris Doctrinam maximè commendarat. Quæ clariùs innotescent ex Parisiensis Vniversitatis historia, *Tom.* 4. ad dictum annum 1324.

462 GVILIELMVS TORNACVS *de Officio Episcopi*, *cap.* 35. Infallibilem Romani Pontificis authoritatem comprobat, dicens. * Sola Romana Ecclesia, cuius Fides in nulla tentatione deficit, vtpote supra Petram stabilem solidata, nullis Hæresibus, nullis erroribus potest, vel potuit, vel poterit inquinari. Licet enim prora vacillet in mari, licet carina eridatur fluctibus, pupis tamen permanet immobilis, &c. Papa Typum tenet individualiter Domini nostri IESV CHRISTI, de cuius potestate magis est reverentialiter subtiscendum, quam temere discutiendum.*

463 EVSEBIVS CÆSAREENSIS,

privilegium non errandi, Fideique in Romana Ecclesia indefectibilitatem clariùs probat, *lib. de Præparatione Evangelica, cap. 3.* vbi sic scribit: * Certum est igitur Salvatorem nostrum prędixisse Doctrinam suam in testimonium omnium gentium, per vniversum terrarum Orbem prędicatum iri, & Ecclesiam, quę postea virtute sua constituta est, invictam, atque inexpugnabilem fore, nec vmquam futurum, vt à morte superaretur; sed firmam fore semper, & immobilem, tamquam in lapide stabilitam, atque fundatam: Cuius divinationis effectus omnem impudentissimam linguam vana, contradicentem, profecto arcere potest. (Et infra): Ecclesia hoc nomine etiam ab ipso donata radices egit, ac vsque ad astra Sanctorum Virorum orationibus glorificata, luce, ac fulgore Orthodoxæ Fidei splendet, neque hostibus terga dat, neque ipsis ianuis mortis cedit, propter pauca verba, quæ ille protulit, super lapidem *ædificabo Ecclesiam meā, & portæ inferi non prævalebūt adversus ipsam, &c. Matth. 16.** Hæc ille.

464 ANDREAS CRETENSIS, *Oratione de Transfiguratione Domini*: * Petrus inquit) supra Petram, idest, Christum stabilitèr fundatus est, & Fidei fundamentum, & quæ fit per virtutes Ecclesiæ dispensationem, in se suscepit.* Hęc ille.

465 Et *Sermone de Sanctis Apostolis*, THEOPHANES CERAMEVS * *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: Tu Petrus es, Petra Fidei, Verbi, & Ecclesiæ firmatę Fundamentum, ac spiritualis ædificationis primus aditus. Super hanc enim confessionem fundamentum Ecclesiæ stabit. Tali namque Petra, & rupe collocata, reliqua dogmata firmè, ac tutè ædificabuntur.* Quæ quidem, tam in Petro, quam in Successore eius vt Supremo Iudice, ac Ecclesiæ Magistro, sine Infallibilitatis Privilegio stare non posse, videntur.

466 Pro maiori veritatis huius illustratione MICHAEL SYNGELLVS, *in Dyonisio Areopagita*, hæc scribit: * Hic magno illi, & omnium Summo Petro comparandus est, cui æternam Filij generationem Pater revelavit: super quem, tamquam Petram, & inconcusūm Fidei Fundamentum, Christus, verè vitæ Petra, qui omnia fecit, & continet, propriam Ecclesiam fabricavit: quemque Cœlestis habitationis, ac hęreditatis clavigerum, ac hæredem declaravit, ac potestatem illi Divinam ligandi, atque solvendi funes peccatorum prębuit.*

467 IEREMIAS CONSTANTINOPOLITANVS, *in Respons. Epist. 1. ad Martinum Crusium*, pro Ecclesiæ Romanæ Infallibilitate stat, dicens: * *Ecclesia Christi* (vt cum Paulo loquamur) *Columna, & Firmamentum veritatis*, cui nec portę quidem inferorum (vt Divina Domini promissio habet) prævalebunt. Etiam si enim aliqui monstrosa imaginatione aliquid pervertant, nihilominus tamen ea manet stabilis, & inconcussa: fundata firmiter in Petra, & ijs quibus innititur veritas.* Hæc ille.

468 P. M. ALBERTVS SENNERVS, è Sacro Prædicatorum Ordine, *in Armamentario Evangelico*, pro præcipuis hoc tempore controversijs, *Controversia 5.* de Ecclesiæ Infallibilitate, discutit: * An tota visibilis Christi Ecclesia in doctrina Fidei errare possit? * Cui difficultati negativè respondet, quod probat ex Divo Paulo *ad Timoth. 3.* Vbi Ecclesia *Columna, & Firmamentum veritatis* appellatur. Et ex *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et ex *Epistola Pauli ad Ephes. cap. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, nec rugam, &c.* Ex quibus infert, quod si Ecclesia supra Infallibilem Sancti Petri firmitatem fundata, in Fide posset errare, error ille in Christum, & Spiritum Sanctum refunderetur (actiones enim vitales capiti tribuuntur, & cordi) Christus autem, vt docet Divus Thomas, *3. part. quæst. 8. art. 1. in corpore*: Est Caput Ecclesiæ, & Spiritus Sanctus est Cor: Consequens tamen absurdum est, cum *Christus sit splēdor Patris, & figura substantiæ eius*; & Spiritus Sanctus, Pater veritatis. Vnde deducitur Ecclesiam in Fide Petri fundatam indefectibilem esse.

469 Ad maiorem conclusionis confirmationem affert idem Sennerus illud Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*, in cuius expositione hæc habet: * In quo loco pro Petro rogat prę cęteris, & duo petit, scilicet indefectibilitatem

tatem Fidei, & potestatem cõfirmandi Fideles. Sic Augustinus, Chrysostomus, Leo, Cyrillus, & Beda.*

470 Doctissimus THOMAS GRAVINA, *cont. 2. parte tomo 4. articulo 1. de Infallibilitate Romani Pontificis*, nostræ Conclusionis assumptum probat ex illis Christi verbis Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, duas in illis prerogativas, duoque Divi Petri privilegia expendens; alterum in illis verbis: *Tu es Petrus*, contentum; alterum vero in illis alijs, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, inclusum: * Duas enim (inquit) prærogativas continet, vnam quæ respicit firmitatem, super quam fundandũ erat Ædificiũ Ecclesię: *Tu es Petrus, & super hãc Petrã ædificabo Ecclesiã meã*. Et alterã, quę Officiũ Pastorale: *Et tibi dabo claves Regni Cœlorũ*. Ad quã adversativam Cyrillus respiciens, dixit, quod Beatus Petrus tã nobiles honores cõsequutus est, filium Dei confessus. Et Chrysostomus *Homil. 55. in Matth.* Pater revelavit Petro; Christus Dominus, ipse Filius Dei, ait, tribuit Petro, vt Petra sit; quod pertinet ad primum honorem, & prærogativã.

471 Ad secundam pertinet: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum.* Quapropter totam, & adæquatam potestatem Regni Cœlorum in completa Gubernatione, & OEconomia Ecclesiastica dedit; tam Iurisdictionis (secundum quam dictum est Eliachim Summo Sacerdoti, in persona Christi: *Dabo Clavem David super humerum eius*; & Clavis potentię à Divo Ambrosio *Sermone 66.* dicitur) quã Sapientiæ Magistralis, secundum quam Tertullianus *lib. de Pudicitia*, dixit: Petrũ in Concilio, in disceptatione illa, de non observanda veteri Lege, *Actorum 15.* reserasse aditum ad Regna Cœlorum.

472 Vtrumque notat privilegium brevissimè Chrysostomus, *Homil. 56.* his verbis: Se ipsum Petro his duabus pollicitationibus revelando Filium Dei ostendit, namque Deus solus concedere potest remissionem peccatorum. (Cui adde ex dictis plenam potestatem iurisdictionis in adæquata, & plena clavium traditione. Et subdit idem Chrysostomus;) & vt futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius Pastor, & Caput, Piscator homo, atque ignobilis, terrarum Orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet: Hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum, &c. Et paulò post: Datum (ait) Petro, vt tàm Patris, quàm Filij sui revelationẽ, vbique terrarum posset seminare, partim, vt quamvis homo esset mortalis, Cœlesti tamen potestate polleret, vt claves haberet Regni Cœlorum. Sic Chrysostomus.

473 A Christo Domino nullus auferre potest Clavem excellentię, de qua dicitur *Apocalipsis 3.* Quod *habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Vbi plenissima Filij Dei facultas, & iurisdictio exprimitur: Ergo neque de Petri manibus, eamdem (quam participativè accepit) ex promissione Christi poterit auferre. Vnde Hilarius *in Matthæum*, Beatum dicit Petrum Ianitorem, cuius arbitrio Claves æterni aditus traduntur: ergo nec Clavem Magistralem, qua aperiũtur Scripturæ, de qua Christus dicebat, *Lucæ 11. Tulistis clavem scientiæ*; quam exercuit *Lucæ 24.* aperiendo Discipulis illis sensum, vt intelligerent Scripturas, quod pertinet ad primum privilegium.

474 Et quantum attinet ad secundum, nè vllus potentia, scientia contra Ecclesiam, supra firmam petram fundatam insurgeret, adamantinam naturam tribuit Petro, vt immobilis, firma, nulli errori, vel persecutioni cedens, persisteret; quæ omnia, cum Dei propria sint, facta sunt cũ Petro participatione communia.* Vide alia pro eadem Thesi *apud Gravinam loco citato.*

475 Et *Catholic. Præscript. Tomi 4. part. 1. de Magist. Eccl. art. 4. contr. 5.* explicans citata Matthæi verba: *Super hanc petram, &c.* hæc scribit: * Quo loco apertè indefectibilitatem in Fide demonstrari, docent Patres, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Hieronymus, & alij in hunc textum Matthæi, dicentes: Per portas inferi Hæreticos significari, qui numquam contra Ecclesiam prævalituri pronuntiantur. Prevalerent autem certè portæ inferi adversus Ecclesiam, vt aptè colligunt Patres Concilij Trevirensis, *si errare Ecclesia perniciosé posset, aut noxia docére*; numquam ergo Ecclesia à Fide deficiet.*

476 HENRICVS LANCELLOTVS, è Sacro Divi Augustini Ordine, eximius Theologus, insignis Lovaniensis

sis Doctor, & acerrimus hæresum, quæ in Germania grassabantur, debellator, *in lib.* quē scripsit: *Hæreticū Quare, per Catholicū Quia, clare solutū ad novē Quare*, de Papę Primatu, & pro illo, prędictum Matthęi textū elucidans docet ex illis verbis necessariò deduci Sanctū Petrum totius Ecclesiæ Fundamentum fuisse, & Caput: Cumque Romanus Pontifex, eius Cathedrę sufficiatur, necesse esse, vt etiam totius Ecclesię Caput existat, eique, vt tali debitum honorem exhibendum esse Scripturę Sacræ textus, ac Patrum traditio manifestè convincunt. Primò etenim verba illa: *Ædificabo Ecclesiam meam*, perpetuitatem denotant. Secundò, Ecclesia, de qua loquitur Christus, id ipsum proculdubiò significat, ob infallibiles promissiones, quibus Christus pollicitus est eam vsque in finem Mundi perennaturam: Cum autem Petrus mortalis vitę conditioni esset obnoxius, perpetuitas illa soli illi iuniti non poterat, sicque verba illa de Petro, istiusque Successoribus necessariò sunt intelligenda, vt rectè expressit D. Thomas, *lib. 4. contra Gentes, cap. 86.* sic scribens: Vt ostenderetur Potestas Clavium (seu Capitis) per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesię vnitatem, & pro vtilitate Ecclesiæ vsque ad finem sęculi. Per hoc autem excluditur quorundam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subiectione Petri, Successorem eius Romanum Pontificem, vniversalis Ecclesię Pastorem non recognoscentes.

477 Tertiò, quia verbis illis: *Pasce oves meas*, Christus Divum Petrum, Supremum totius Christiani Gregis, & Ecclesiæ Pastorem constituit: cum autem istud Pastoris, & Ordinarij Prælati, sicut & Apostolatus extraordinarij, Officium sit, vt etiam fatetur Calvinus; hinc deducitur Petrum habere Successorem in munere pascendi, gubernandi, præsidendi, ac dirigendi, vt oves debitam ei obedientiam impendant, vt in hanc rem aptissimè scripsit Augustinus *ad Innocentium Papam, Epist. 92.* Arbitramur authoritati Sanctitatis tuæ, de Sanctarum Scripturarum authoritate depromptę, facilius eos, qui tam perversa, & perniciosa sentiunt, esse cessuros.

478 Veritas certissima est iteratis omnium ferè ętatum attestationibus confirmata, nullos Pontifices, sive Episcopos, nisi Romanos, successivè sine aliqua interruptione, aut aliqua potestatis, & authoritatis limitatione, in Sancti Petri loco, & Apostolica Sede ab vniversali Ecclesia fuisse veneratos, immò ad illos solos, vti veros Divi Petri Successores, graviores Ecclesiæ, Fidei, Divini Cultus, Sacramentorum, Rituum, sicque omnes maioris gravitatis, ac momenti causę delatę sunt. Huc respicientes omnes ferè Sancti Patres, tàm Græci, quàm Latini, vti Athanasius, Theophylactus, Chrysostomus, Cyprianus, Augustinus, & alij in multis suorum Operum locis docuerunt, adhuc ante eorum ætatem Romanos Pontifices præcipuè Melchiadem, Episcoporum Tribunalibus præbuisse doctrinam, quam sequutura esset Ecclesia Catholica, definientes, oppositasque hęreses damnantes. Hoc latè prosequitur Augustinus, *Epist. 162. ad Episcopos Donatistas. Et Epistola 166. & 95. & 157.* probans quòd sicut vnus est Christi Grex in terris, sic & vnus debet esse Pastor, vnum Caput, vnus Supremus Episcoporum Episcopus, & Supremus controversiarum Fidei, & Religionis Iudex. Ex quibus omnibus infallibilem Pontificis Authoritatem in rebus Fidei extra Conciliū infert idē Lancellotus loco suprà citato, sic concludens, *num. 12.* * Pontifex Romanus, sive cum Concilio Generali, sive absque eo, si suis adhibitis, aliquid definiat, absolutè errare non potest, quando scilicet definit esse de Fide tenendum, vel præcipit sub anathemate, vt omnes ita sentiant, ac dicant.* Ratio autem qua ad id affirmandum ducitur, est; quia Sanctus Petrus, istiusque Successores sunt Ecclesiæ Petra, & Fundamentum. Vndè necessariò deducitur istorum Fidem debère esse firmam, & instar firmissimi lapidis solidam; sicque impossibile videtur Summos Pontifices posse errare in Fide, quando Fidei veritatibus Ecclesiam instruunt; si enim illorum Fides nutaret, cum illa sit Ecclesiæ fundamentum, ingens ruinæ discrimen Ecclesia subiret, erroresque, & hæreses, quę iuxta Sanctos Patres portæ inferi dicuntur, de Ecclesia, illiusque Fide triumpharent, contra Christi promissionem Apostolorum Principi factam: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

479 P. M. HIERONYMVS SAVANAROLA, Sacr. Præd. Ord. *de Verit. Fidei, l. 4. c. 6.* apud Dominicū à S. Trin. *lib. 3. c. 16, sect.*

Sect. 4. pro Suprema Infallibili Sūmi Pōtificis Authoritate in rebus Fidei definiendis, hæc scribit: *Vnum militantis Ecclesiæ Præsidem esse, oportet. Videmus vbicumque in naturalibus regimen apparet, ad vnum redigi: quemadmodum omnes motus ad vnum primum motorem, apes ad vnum Regem, omnia animalis membra ad vnum diriguntur: Ergo in Ecclesia Dei tanto magis necessarium est Caput vnum, ad totius Populi Christiani gubernationem, quāto omnia regimina sua Dignitate excellit, &c. (Et infrà:) Singulariter Christus Petro iniunxit: *Pasce oves meas.* Et iterum: *Petre rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quapropter Petrum Vicarium suum ostendebat.*

480 Et prosequitur: *Quod etiam apertius expresit cum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiā meā.* (In cuius textus expositione hęc habet:) Non autem dicendū est, hanc Dignitatem vni Petro, & non eius posteris esse concessam, cum Ecclesiam pari ordine vsque in finem sæculi duraturam, Christus Instituerit, &c. Sequitur ergo, vt ministerium hoc perpetua successione, vsque ad consummationem sæculi, tamquam ipsi Ecclesię perutile omninòque necessarium, sit confirmatum. Cum itaque Petrus fuerit à Christo Vicarius, totiusque Ecclesiæ Pastor subrogatus, consequens est, vt omnes Petri Successores eandem habeant potestatem. Cumque Episcopi Romanę Sedis locum Petri teneant, manifestum est, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum esse Ducem, atque Magistram, omniumque Fidelium Congregationem Romano esse Pontifici vniendam. Qui ergo ab vnitate Romanę Ecclesiæ in Doctrina dissentit, proculdubiò per devia aberrans à Christo recedit.* Hęc ille.

481 Præclarissimè, in Sacris Litteris apprimè Eruditus CORNELIVS A LAPIDE hunc locum Matth. 16. exponit dicens: * *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sensus est, quasi dicat: *Tu es Petrus*, id est Petra Ecclesię: Super te enim, quasi super Petram firmissimam, ædificabo Ecclesiam meam.* Et paulò infrà refellendo Calvinum, qui aliter intelligit hunc locum, inquit: * Verum ipsum Petrum hic dicit Petrā, reliqui omnes Patres, quasi vniversim conspirant, quos fusè citat hic Calvinomastix Maldonatus, & Bellarminus, *lib. 1. de Romano Pontifice, Cap.* 10. Sensus ergo est, quasi dicat: Tu es Kepha, sive Cephas, idest, Petra, sive saxum durissimum, & firmissima cautes à me designata, & destinata, vt post mortem meam recepto in Pentecoste Spiritu Sancto, planè solidata, & roborata sis Fundamentum Ecclesiæ, quam super te ædificabo.*

482 Et infra adducens varias rationes, cur Petrus hic vocetur Petra. * Denique inquit, Christus hoc tribuit Petro, vt Pontifici futuro Ecclesiæ: Quare idem tribuit ceteris Pontificibus eius Successoribus; idque in bonum Ecclesię, vt scilicet illa ab eis, quasi à Petra in Fide, & Religione Christiana solidetur.*

483 Et infra, ad illa verba: *Ædificabo Ecclesiam meā*, ait: *Quasi dicat, ideò voco te Petrū, & Petrā quia sicut super petrā ædificatur domus, vt illi innixa sit firma, & immobilis contra omnes ventorum flatus; sic ego super te, Petre, quasi super Petram firmissimam, ędificabo Ecclesiam meam, vt tibi innixa firma consistat, contra omnes Hęreticorum, & impiorum insultus, vt quæ tu eam in vera Fide, & Cultu Dei contineas, & sustentes, sicut Petra, quasi fundamentum sustinet, & continet totam domum ędificatam. Ita Sanctus Ambrosius *Serm.* 4. Petra, ait, dicitur Petrus, eo, quod tāquā saxū immobile, totius Operis Christiani compagem, molemque sustineat.*

484 Et ad illa verba: *Portæ inferi*, idē Author ait: *Maximè tamē per portas inferi intelligit Divus Augustinus Hæreses, & Hæresiarchas; hi enim Fidem Petri & Ecclesiæ exprofesso oppugnant, prodeuntque ex inferno, & suscitantur à Diabolo; ita S. Epiphanius *in Anchorato, non longè post initium.** Et ad illa verba: *Non prævalebunt*, inquit: *Non poterunt ei, Ecclesiæ scilicet, resistere; ita S. Hilarius. Simplicius, ait, non prævalebunt, idest, non vincent, non superabunt, non avertent Ecclesiam.*

485 Et infrà prosequitur: *Tertiò, ait, illi æquè, ac Capiti eius Petro, id est, Pōtifici promittit de omnibus victoriā, & triūphum. Ratio est, quia Christus ei assistit, & pro ea pugnat. Rursum Christus, & Spiritus Sanctus peculiari cura assistunt Capiti eius, Romano Pontifici, vt in Fide non erret, sed firmus sit, vt Adamas, ait S. Chryso-

sto-

stomus, vtque Ecclesiam rectè administret, & regat, dirigatque in viam salutis, sicut direxit Noë, & Arcam, ne mergeretur diluvio.* Hactenùs ille. Quo quid luculentius, quid elegantius, pro Summi Pontificis in rebus Fidei decernendis Authoritate infallibili dici potest?

486 Eruditissimus P. CHRISTIANVS LVPVS, Lovaniensis Doctor, *in Notis in Concilium OEcumenicum 6. Constātinopolitanum 3. cap. 6.* numquam satis laudatis; nostram assertionem eleganter confirmat, Romani Pontificis, illiusque Cathedræ Infallibilitatem sic statuens: *Romanam Cathedram, ac ex illa docentē Romanum Episcopum errare in Fide nō posse, est Divinum istius Ecclesię privilegium, ac perpetuæ gloriæ supremum fastigium. (Et paulò post prosequitur) Et Romanam Ecclesiam numquam in Fide errasse, atque errare non posse, non est Commentum Agathonis. Quis enim Simonem Magum, Montanum, Policratem, Arthemonem, Paulum Samosatensem, Originem, errorem Sancti Cypriani, aliosque olim plures damnavit, nisi sola Sedes Apostolica, cuius Iudicium tamquam Divinum Oraculum, nequaquam retractavit Nicæna Synodus, sed reverenter confirmavit? Sanctū Firmilianum Cæsareensem in Cappadocia Archiepiscopum, Ponticæ Diœceseos Primatem, quod Romanam Ecclesiam de Apostolici Dogmatis, ac Traditionis prævaricatione traduceret Sāctus Stephanus Pontifex, à Communione suspendit, & omnis sub Cœlo Ecclesia est adversata.*

487 Et subdit: *Gratianus, ac Theodosius Augusti, dum Arij, Eunomij, Macedonij, Apollinarij, Marcelli, aliorūque errorum grassantem suo tempore impietatem supprimunt, omnem Ecclesiam coegerunt, ad Damasi Pontificis Fidem, & Communionem, eamque legem Theodoretus laudat, *in Historia Ecclesiastica, lib. 5. cap. 2.* Et non tantum Theodosius Iunior, sed & Iustinianus Augustus suo Codici inscripsit: Quod nempè Romanus Episcopus, sit Fidei Petra immobilis, & immaculabilis radix Communionis. S. Ambrosius *in libris de Fide, lib. 2. cap. 4.* laudat Italiam, quod semper Confessores mittere soleat, in Fide aliquando tentata, mutata numquam: Vtique ob Sedem Romanam, cui semper firma adhæsit. Et S. Hieronymus scribit *adversus Rufinum, lib. 3. cap. 4.* Scito Romanam Fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiam si Angelus aliter annunciet, quam semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam, non posse mutari.* Et ibi multa, quę ad nostrum intentum valdè conducunt, idem Author eruditè scripsit, sed præcipuè infrà concludens ait.

488 *Latiùs hęc dixi, adversus nescio quos nostrorum temporum turbines, qui cum Schismaticis, atque Eusebianis Græcis, cum Pseudosynodo Basileensi, ac Sanctione Pragmatica conantur Romani Episcopi in definiendis Fidei controversijs infallibile Iudicium circunscribere, & mutilare glorioso illo privilegio, de quo dixit Dominus ad Petrum: *Confirma fratres tuos*, vtique cunctos vniversæ sub Cœlo Ecclesiæ Episcopos, etiam in Generali Synodo adunatos. Adversum similes Lotharij, Francorum Regis, & quorundam eius effręni impudicitiæ patrocinantium Episcoporum insolentias, edixit in Romana Synodo Nicolaus I: Si quis Dogmata, Mandata, Interdicta, Sanctiones, vel Decreta pro Catholica Fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apostolicę Præsule salubriter promulgata, contempserit, anathema sit. De quo Edicto ad Hugonem, Ecclesię Lugdunensis Primatem, scripsit S. Ivo, Episcopus Carnotensis, *Epistola 60.* Hæc mandata sic volumus observare, vt parati simus, Deo coöperante, quælibet adversa pro eorum defensione tolerare: quia nempè novimus Pontificem in illis labi non posse, aut falli.* Hactenùs Lupus.

489 EMMANVEL CALECA, è Sacro Prędicatorum Ordine, qui *contra Græcorum errores* Volumen, singulari eruditione refertum, composuit, quem Ambrosius Camaldulensis quattuor digestum libris latinitate donavit, *lib. 4. cap. 16.* de Romana Ecclesia loquens, idem tuetur. Sed quia eius verba suprà rettulimus, *cap. 3. fol. 29. num.* 170. hic omittimus.

490 P. DOMINICVS A SANCTA TRINITATE, *lib. 3. cap. 16. sect. 4.* Pontificis privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis ex triplici Christi promissione confirmat; nempè, *Pasce oves meas.*

meas. Ioannis vltimo. *Ego rogavi pro te.* Lucæ 22. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. In quarum expositione, sic scribit: * Quas omnes Christi promissiones pro Infallibilitatis privilegio non in solo Petro terminatas fuisse, sed vna cũ Supremo Ecclesię Primatu ad Romanos Pontifices eiusSuccessores transijsse.(Et infra ait):Dictæ enim promissiones factæ nõ fuere Divo Petro,vt privata erat persona,sed vt Pastor erat, aut esse debebat vniversalis Ecclesiæ, &consequenter in vtilitatem publicam Ecclesię, potius quam in privatam, & personalem Divi Petri, eas referri, necesse est: Igitur eisdem rationibus, quibus supra ostendimus contra Hæreticos, Petro datum esse Primatum Ecclesię, non in eo terminandum, sed perpetuo in Successoribus eius Romanis Pontificibus duraturum, fatendum quoque est ad illos transijsse omnia privilegia Supremę Pastoris Dignitati annexa, nec non ad vniversalis Ecclesiæ ædificationem, & conservationem necessaria, inter quę præcipuum tenet locum Infallibilitas indefiniendis rebus ad Fidem spectantibus. *

491 Eruditus Pater FRANCISCVS BORDONVS, Tertij Ordinis S. Francisci, *tom.* 1. *cap.* 5. *de Romanæ Ecclesiæ Pontifice*,inquirit, *quæres* 33. *An Papę definienti assistat Spiritus Sanctus speciali modo illum dirigendo, ne erret?* Cui difficultati respondet:* Affirmativè de Fide tenendum probatur: Tùm, quia id apertè colligitur ex Concilio, *Actorum* 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Hic docetur, asserta assistentia Spiritus Sancti. Tum quia illi deficere non potest Fides: Ergo habet assistentiam Spiritus Sancti illuminantis, & docentis illum, quænam sit vera Fides. Indeficiencia enim Fidei conservatur per illuminationem Spiritus Sancti, & cum certa sit indeficientia Fidei, certa quoque eius est conservatio per assistentiam Spiritus Sancti. Tum quia *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ea ratione, quia defensor tutatur, & protegit Ecclesiam, & Petram super quam fundata est. Ista autem deffensio contra portas inferi, id est, Diabolum, ne in errorem inducat Ecclesiam in Petro, nihil aliud est, quam Spiritus Sanctus, cuius proprium est illuminare, & docere omnem veritatem: Ergo in his veritatibus assistit. Tum quia Christus hanc assistentiam promisit, & declaravit illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ sæculi.* Non deest ergo assistentia Spiritus Sancti Petro pro tempore illum illuminando, & dirigendo in viam veritatis, ne errare possit.* Hæc ille.

492 Pater Magister VINCENTIVS FERRE, Valentinus, iam supra laudatus, *in* 2. 2. *Divi Thomæ*, *tract. de Fide*, *quæst.* 12. §. 1. Hanc assertionem statuit: * Summus Pontifex, vt Caput Ecclesiæ, & vt Christi Vicarius nequit errare in definiendis veritatibus spectantibus ad Fidem, Religionem, & mores populi Christiani.* Quam assertionem probat ex textu Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam*,dicens: *Quibus firmitudinem Petræ Christus promisit Petro,& Successoribus eius, in eo quo Petro Succedunt. *

493 IOANNES SINNICHIVS, Insignis Lovaniensis Doctor, ac in illa Vniversitate Professor, in Imperiali Helenopolis Congressu singulari sua doctrina Lutheranorum Confessionistarum sectarios ita confudit, vt Pontificum Diploma meruerit, quo Pontifex ei grates persolvit pro ferventissimo zelo, quo Catholicam Fidem propugnavit; & Apostolicam Sedem veneratus, illam ab Hæreticorum calumnis vendicavit. Ipse vero vt tantum, tamque insigne Apostolicæ Sedis beneficium gratum, acceptumque referret, præclaram Fidei Confessionem contra Luthæranam hęresim composuit, quam pluribus Scripturæ Sacræ textibus exornat, quibus infallibilem Romani Pontificis authoritatem in definitionibus ad Fidem, moresque spectantibus, omni Generali Concilio superiorem esse demonstrat; simulque singulare Romani Pontificis Iudicium irreformabile esse, & ab Ecclesia, Concilijque consensu independens: Imo totam Concilij Authoritatem, & Infallibilitatem à Romano Pontifice dependere, istudque Pontificis approbatione indigere, vt illius Definitiones infallibiles existant, clarissime ostendit; vt in diversis capitibus, & cõclusionibus probat;præcipuè vero,*cap.*72. *in Synopsi*, & §. 225. vbi sic scribit: *Petrus Christi Vicarius,Christiani ovilis Pastor, Ecclesiæ navigãtis Archigubernius, eiusdẽ consistẽtis Firmamẽtũ:* Hi autem præclarissimi tituli,illis Christi

Do-

Domini verbis innituntur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Tibi dabo claves Regni Cœlorum*: quibus Christus se Apostolorum Principi claves Regni Cœlorum daturum esse promisit; vt autem ostenderet se promissis stare, ac re ipsa, & opere promissum solvere, ipsi Petro, non quidem de futuro, vt apud Matthæum, sed de præsenti, apud Ioannem dixit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Pastorem istum vniversalem designaverat Dominus, vt suas oves Monarchicè pasceret, cum in eodem textu præmiserat: *Fiet vnum ovile, & vnus Pastor*; Ecclesia autem, quæ hic vnum vocatur ovile, alibi Navis nuncupatur, de qua sic scribit Ambrosius: * Navis quę adhuc secundum Matthæum fluctuat; non turbatur hæc Navis, in qua prudentia navigat, abest perfidia, Fides aspirat; quemadmodum enim turbari poterat, cui præerat is, in quo Ecclesię firmamentum est?* Petrum vocat Ecclesiæ firmamentum, quia Ecclesia supra illum, tamquam supra firmissimum, ac solidissimum lapidem erat ædificanda.

494 Huic præcipuè, ac singulariter dixisse Dominum legimus: *Duc in altum*: alijs verò tantummodo: *Laxate retia vestra in capturam, Lucæ 5.* * Et si alijs (inquit Ambrosius) imperatur, vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur: *Duc in altum*, hoc est, in profundum disputationum.* Et *cap.67. §.219.* affert S. Cypriani authoritatem, qui *lib. de Vnitate Ecclesiæ* recensens varias artes, ac calliditates, quibus humani generis hostis homines ab Ecclesia segregatos, tamquam oves à Catholico Grege errantes, in varia schismatum, & hæresum prærupta exturbat, huius præcipitij rationem assignans, ait: * Hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur, nec Magistri Cœlestis doctrina servatur. Loquitur Dominus ad Petrum, *Matthæi 16. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Et: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*; & iterum post Resurrectionem suam: *Pasce oves meas.* Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas; vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua authoritate disposuit. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur.*

495 Quibus verbis addit MILEVITANVS, *lib.2. contra Parmen.* * Cathedra vna est, & negare non potes, scire te in Vrbe Romæ Petro primùm Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput, Petrus, inde Cephas appellatus; in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus servaretur, &c. Inferi, portas habere noscuntur, contra quas, Claves salutares accepisse legimus Petrum, Principem scilicet nostrum, cui à Christo dictum est: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & portæ inferi non* vincent *eas.** Quibus verbis Fidei firmitatem, ac Sancti Petri, istiusque Successorum Infallibilitatem satis, superque declarat, multisque alijs eruditè ibi idem privilegium, præclarè demonstrat.

496 Pontificis Infallibilitatem, prędicto Matthęi textu innixam, apertè tuetur P. M. HYACINTHVS CHALVET, è Sacro Prædicatorum Ordine, suprà laudatus, qui *tom.7. tract. de Fide, lib.2. cap. 5.* agens de Summo Pontifice Romano, Divi Petri legitimo Successore, & Supremo Iudice controversiarum Fidei exponenda sumit illa verba, *Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Pro conclusione dicti *cap.* statuit: *Summus Pontifex Romanus, ex Cathedra Divi Petri, in qua sedet, Fidei Oracula fundit, quare per lapidem vocalem, & sonorum Orphæi, pulchrè figuratur.* Romani Pontificis privilegium non errandi, in rebus ad Fidem spectantibus, ex prædictis Matthæi verbis deducit: expendens verba illa Pauli: *Petra autem erat Christus*, & illa *Psalmi 140. Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum*, hæc habet: * Petrus primus Ecclesiæ Romanæ Iudex, & Princeps, iunctus Petræ, nempè Christo, totus in Petram absorptus est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi, &c.* Petra efficitur Petrus, sed sonora, & firma adversus quam portę inferi numquam prævalebunt: Sonora, quia ex Cathedra loquens Oracula veritatis fundit: Firmissima, quia numquam à Fide erravit: Vtrumque autem habet ex Christi contactu. Non potuit in Fide errare Petrus, quia primus sedit in Cathedra Christi; cuius vices gessit in terris. * Immediatè verò post prædicta verba proponit §. 2. assertionem, in qua ad Romanæ Ecclesiæ Cathe-

thedram descendens, hæc scribit: * Cathedra Ecclesiæ Romanę, non lignea qualis olim Mosayca, sed saxea, & in qua Petrus primus sedit, eius in rebus Fidei Infallibilitatem demonstrat. (Et infrà clarius se se explicat, dicens): Cathedra ergo Ecclesiæ Romanæ non lignea, qualis olim Mosayca, super quam sedebant Scribæ, & Pharisæi, sed saxea, in qua Petrus primum sedit, Romanorum Pontificum Infallibilitatem, & in Fide constantiam demonstrat: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Divi autem Petri in Fide firmitas, & Infallibilitas ex triplici capite declaratur. Primò, quia ab increato Patre, à quo omne lumen descendit, in Fide edoctus, & eius Discipulus effectus: *Beatus est Simon Bar-Iona, quia nec caro, aut sanguis, sed Pater meus Cœlestis revelavit tibi.* Secundò, quia à Christo ad regimen suæ Ecclesię evectus, Caput illius visibile constitutus est: *Tu es Petrus, &c. Dabo tibi claves Cœlorum.* Tertiò, quia à Spiritu Sancto adoptatus, quod nomen *Bar-Ionæ* declarat; *Bar-Iona* enim apud Hebræos, idem est, ac *filius Columbæ*, sub cuius specie Spiritus Sanctus visibiliter apparuit. Triplici hac Petri prærogativa fulgent Summi Pontifices Romani, qui Petro in regimine Ecclesiæ succedunt, quare ad illos expectat Oracula fundere, Fideique enigmata solvere.* Vide ibi multa alia, quibus probat Petri Cathedram, seu Petrum ex Cathedra loquentem, similiterque omnes in ea succedentes nullatenus in decernendis rebus ad Fidem spectantibus errare potuisse.

497 Tandem P. M. FRANCISCVS DANGVIEN, Dominicanus, *in Responsione Historicò-Theologica ad Cleri Gallicani de Potestate Ecclesiastica declarationem, art.* 4. adversus illam propositionem: Summi Pontificis Iudicium non esse irreformabile, nisi Ecclesiæ consensus accesserit, hanc affirmativam statuit Assertionem: * Summus Hierarcha, Antistes Romanus, dum docet vt talis, in Fidei quęstionibus, ac morum Decretis, independentèr ab Ecclesię consensu, indubia, & irrefragabili, ac omninò Infallibili pollet authoritate, cui Ecclesia suam debet firmitatem. Hanc Sanctæ, & Apostolicæ Sedis prærogativam Catholicæ veritatis basim, atque incorruptæ doctrinæ regulam, ac cũctarum Hæreseon profligatricem, Romani Pontifices scriptis immortalibus testatã reliquerunt, & gestis toti Mũdo cõspicuis coillustrarunt* Sancti scilicet Patres, ab eo relati in ipso articulo. Et adducta in probationem conclusionis Authoritate Sancti Leonis Maximi, *Serm. 3. in Anniversario suæ Assumptionis*, quem tradidimus supra, infert idem Danguien ibi: * In Petrum igitur, eiusque Successores Romanos Pontifices, immediatè à Christo, non media Ecclesia, firmitas derivatur, sed Ecclesiæ soliditas, à Petri, Successorumque eius Infallibilitate descendit, vt idem Pontifex perspicuè etiam, & iuxtà eleganter expressit, *Epistola 89. ad Episcopos Viennenses*: Id quod ipse erat voluit nominari dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei Petri soliditate consisteret; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portę contra illam inferi prævalerent vmquam, quia soliditas illius Fidei (inquit *Serm. 2. de sua Assumption:*) quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est: & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit.*

498 Ex hucusque dictis satis suffulta apparet Catholica veritas de Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitate, illam siquidem ex Sacra Scriptura, apertissimis vtriusque Testamenti testibus, seu securioribus, ac firmioribus veritatis muris vallavimus, eamque non modo tot Authorum, qui Romani Pontificis Ecclesiæ, Sanctęque Apostolicæ Sedis indefectibilitatem in Fide, privilegiumque non errandi vno ore fatentur, dilucida expositione munivimus; sed etiam Sanctissimorum Virorum, qui præter prædictos Patres, Gravissimosque Authores, pro Summi Pontificis, Romanæque Sedis Infallibilitate strenuissimè verbis, & scriptis decertarunt, perspicua intelligentia, & elucidatione firmavimus. Et quidem, si cuncta, quæ superioribus capitibus diximus, iterum, atque iterum ad consilij (vt sic dicam) calculos, & ad librum mentis, ac rationis expendantur, veritatis scopum attigisse videbimur; omnes enim Sanctissimi isti Viri, Gravissimique Authores (quos sua virtute, doctrina, & authoritate in præcipuis Christiani Orbis Regnis, & gentibus commendatos, Sancta veneratur Ecclesia) ea verborum expres-

sione Romani Pontificis Infallibilitatem tueutur, ea dilucidatione prædictos Matthæi, & Lucę textus pro Romani Pontificis Infallibilitate explicant, vt nullus, non modo doctus, sed ne rudis quidem dubitare possit, quin prædicta Pontificis Infallibilitas in Sacra Scriptura iuxta verum Sanctorum Patrum, Grauissimorumque Authorum sensum contineatur.

499 Verum estò prędicta sufficiant, vt Romani Pontificis Infallibilitas, tamquam vna ex illis Catholicis veritatibus primi generis, quæ nempè in Sacrà Scriptura continentur, à Catholica diffiniatur Ecclesia; nihilominus tamen, vt nos omnibus fundamentis, & principijs, quibus Catholica Ecclesia, vt aliquam veritatem Catholica Fide tenendam definiat, adducitur, instructos esse appareat, ad secundam rationem, Fideique argumentum, Apostolicam, scilicet, Traditionem, sequenti capite progrediemur.

CAPVT V.

ROMANI PONTIFICIS IN rebus Fidei Infallibilitas, Apostolica Traditione fulcitur.

500 SECVNDA ratio, qua moueri potest Ecclesia, vt aliquam veritatem definiat, eamque nobis Catholica Fide credendam proponat, est Apostolica Traditio. Quod vt aptius innotescat prænotandum est, nostram Fidem, & Religionem, sola Diuina Infallibili veritate inniti, quę hominibus ad imaginem, & similitudinem Dei efformatis, & finem, ad quem conditi sunt, reuelare, & media quibus illum consequi debent, ordinari, ipsisque patefacere dignata est.

501 Primum igitur nostræ Fidei, & Religionis principium, certum quidem, & Infallibile, est Diuina veritas, quę nec fallere potest, nec falli; ad quod principium omnia, quę ad Fidem, Religionemque spectantia tenemus, necessariò reuocanda sunt. Si enim omnes Dei vocem nobis intùs, aut extrà loquentis, & necessaria cognitu docentis, audiremus, certòque agnosceremus Deum esse, qui nobis intùs, aut extrà loquitur, nullatenus Deo dicenti credere, dubitaremus, nec quid ad Fidem, Religionemque nostram certissimè pertineat, in controuersiam vmquam veniret; omnia enim, & sola illa necessaria à nobis tenenda, crederemus, quæ certò nobis à Diuino Numine reuelata esse constaret.

502 Cęterum cum Deus nobis immediatè non loquatur, sicut olim Patribus, & Prophetis arcana sua multifariè, multisque modis enunciabat; nec ea, quæ à nobis sunt necessariò credenda per se ipsum immediatè doceat, aut proponat, ideò frequenter in Ecclesia multæ suboriuntur fluctuationes, multæque occurrunt ambiguitates. Vnde necesse est, vt aliqua detur regula certa omnino, ac infallibilis, qua ea, quæ ad Fidem nostram, Religionemque expectant, dirigi debeant, ac regulari. Grauis tamen difficultas occurrit in assignanda hac infallibili regula, qua ad veritatum Fidei cognitionem securissimè dirigamur, præcipuè in controuersijs in quibus de Diuina Reuelatione in Sacris Litteris contenta, dubitatur. Ne autem prolixis præludijs effundamur, mentem nostram sequentibus duximus aperiendam.

PRO CONCLVSIONE statuitur, Traditionem Apostolicam esse, post Scripturam Sacram, securissimam regulam, certissimumque principium, quo adducamur, vt veritates in Scriptura Sacra contentas, aliasque à Deo reuelatas, estò in Sacris Litteris non expressas, tamquam Catholicas veneremur, illisque oppositas, ceu verè Hæreticas fugiamus.

503 Hanc communem esse Catholicos inter, & Dogmaticos, nemo, qui illos attentè legerit, dubitabit; nihilominus tamen ne firmissimis fundamentis destituta videatur, eam Sacræ Scripturæ testimonijs, Pontificum Oraculis, Conciliorum Decretis, Sanctorum Patrum autoritatibus, celebriorumque Authorum consensu, firmabimus.

§. I.

§. I.

APOSTOLICAM TRADITIOnem esse securissimam regulam ad Catholicas veritates dignoscendas, ex Scriptura Sacra ostenditur.

504 PRæclarum huius veritatis argumentum nobis suppeditat Apostolus Paulus, qui in celebri illa *Corinthiorum disceptatione*, de qua *Epist. 1. cap. 11.* Vt illorum plures, qui mulieres aperto capite cogendas esse orare in Templo arbitrabantur, convinceret, efficacius argumentum contra illos ex Apostolica Traditione, oppositaque Ecclesiæ consuetudine desumpsit, dicens: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*, quasi diceret: Si quis adeò est durus, suique propositi tenax, vt argumentis propositis non abducatur, sed adhuc contendat fœminam aperto capite orare oportere; hunc non alitèr refellendum putat, quam ei ostendendo Ecclesiam Dei talem consuetudinem non habere. Ea est Traditionis, & Ecclesiasticæ consuetudinis efficacia, vt visum fuerit Paulo, eos, qui nec Scripturæ Sacræ authoritatibus, nec rationum pondere de suscepta sententia deijci poterant, Ecclesiasticæ Traditionis efficacia diversos, & alios à se, in contrariam sententiam pedibus, & animo abituros.

505 Ipse Apostolus 1. *Timoth. 6. Si quis* (inquit) *aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus*; vbi diligentér animadvertendum est, non dixisse Paulum: *Nõ acquiescit scripturis, sed sermonibus.* Et *ad Galatas* id ipsum confirmat, dum *cap. 1. Si quis* (inquit) *vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Quæ verba expendens Origenes *in Commentarijs Epistolæ ad Titum*: *Hæreticum (inquit) definit eum, qui se Christo credere profitetur, & aliud de veritate Fidei Christianæ credit, quam habeat Traditio Ecclesiastica.*

506 Et *Lib. 1. Periar.* *Sicut multis, inquit, apud Græcos, & Barbaros pollicentibus veritatem desuevimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, postquam credidimus Filium Dei esse Christum, & ab ipso hanc dicendam esse, persuasi sumus: Ita cum multi sint, qui se putant scire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant, servetur vero Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesijs permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica Traditione discordat.* Hactenus Origenes.

507 Et quidem Apostolicas Traditiones parem cum Scripturis Sacris authoritatem habere, docet ipse Paulus *ad Thessalonicenses*, 2. vbi sic scribit: *Tenete traditiones, quas accepistis, sive per Epistolam, sive per sermonem.* Quem locum explicans Sanctus Basilius *lib. de Spiritu Sancto*, *cap.* 25. Parem vim habere Apostolica Dogmata, pariterque retinenda esse, sive scripto, seu verbo ad Ecclesiam pervenerint declarat, dicens: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in mysterio occulto recepimus: quorum vtraque parem vim habent, ad pietatem, nec in his quisquam contradicit, qui sanè vel tenuiter expertus est; nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tamquam non multum habentes momenti, conemur reijcere, & ea damnabimus, quæ in Evangelio necessaria, ad salutem habentur: immò potius ipsam Fidei prędicationem ad nudum nomen contrahemus.* Hæc ille.

508 Et S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, *Homil.* 4. prædictum Pauli textum explicans, hęc habet: *Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderint, sed multa etiam sine litteris; eadem vero Fide digna sunt, tam illa, quam ista: itaque Traditionem quoque Ecclesiæ Fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius. Ostendit hic multos à Traditionibus istis fuisse dimotos.* Hæc S. Chrysostomus.

509 Inde fit, vt Ecclesia Dei Apostolicas Traditiones, ac si essent Fidei Dogmata, ita semper fuerit venerata, vt æquè pro Hæreticis habeat eos, qui se se prędictis Traditionib⁹, ac eos qui se se Fidei veritatibus in Scriptura Sacra cõtentis opposuerint. Hęc est Sanctorum Patrum, hæc Sacratiorum Conciliorum mens, & sententia. Hinc Augustinus *lib. de Hæres. cap.* 53. Hæreticos reputat, qui solemnia Quadragesimæ ieiunia ab Apostolis accep-

ta pro nihilo habuere; quod sensit etiam Gangrense Concilium, *Epist. ad Episcopos Armeniæ*; vnicum autem, tam prædicti Concilij quam Sancti Augustini, aliorumque Sanctorum fundamentum ad prædictam Hereseos notam, solemnia Quadragesimæ ieiunia negantibus, adscribendam, est, quia Ecclesia prædicta ieiunia ex Apostolica Traditione suscepit; idemque dicitur de pluribus alijs Apostolicis Traditionibus, quas vt tales Catholica veneratur Ecclesia; de quibus vide Dogmaticos Authores, qui illas diligentissimè congesserunt.

510 Hinc etiamsi de Fide est, quod in Sacra Scriptura continetur, quodque Deus nobis in illa revelare, ac pręcipere dignatus est, Fide etiam tenendum est, & diligentèr adimplendum, quod nobis in Apostolicis Traditionibus præscribitur. Id docuit Paulus 1. *Corinth.* 11. dicens: *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*, in cuius textus elucidatione Sanctus Ioannes Chrysostomus Traditiones non scriptas intelligit; sic enim scribit: * Ergo sine litteris multa tradiderat, quod alibi sæpè meminit, quod tunc tantum tradidit, nempè comam viris non nutriendam, hoc autem in loco rationem affert, dicens: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Ex quo ostendit (subdit Chrysostomus) quod vniverso Orbi terrarum se objiciunt, & oppugnant non obtemperando.*

§. II.

EADEM CONCLVSIO Summorum Pontificum Decretis munitur.

511 SANCTVS CLEMENS ROMANVS, Beati Petri Discipulus, ab Apostolica veritate alienum reputat eum, qui se se ab Ecclesiæ Traditionibus subtraxerit; ipse etiam fatetur Sanctum Petrum, cæterosque Apostolos multas nobis veritates per Traditionem reliquisse; & *Epist.* 5. de aliquibus conquerens, hæc scribit: * Quidam adversantur sanis doctrinis, & prout eis videtur, non secundum Traditionem Patrum, sed iuxta sensum suum docere videntur.* Tandem loquens de Doctrina, suis in Apostolicis Constitutionibus contenta, illam gloriosis Salvatoris nostri vocibus consonam, ideòque ab omnibus amplectendam esse, arbitratur.*

512 S. THELESPHORVS, *Epist.* 1. *ad Episcopos* docet, Fidem, quam sequi tenemur Apostolorum Doctrinæ, ipsorumque Traditionibus consonam esse, debere: * Credimus (inquit) Sanctam Fidem vestram in Apostolorum eruditione fundatam, &c. hanc Populis vniversis exponere, quæ videlicet à Constitutis Apostolorum, eorumque Successoribus, nulla ratione dissentit.*

513 Consonat S. HYGINIVS, qui *Epist.* 1. *exhortatoria ad Fideles.* * Vnanimes (inquit) Divinis, & Apostolicis Constitutionibus pareatis.*

514 Idem tenet S. DAMASVS Pontifex, qui *Epistola* 2. *ad Orientis Episcopos*, illis pro Fidei norma, ac perpendiculo, Apostolicas Traditiones præscribit: * Iam semel (inquit) formulam edidimus, vt qui se Christianum profitetur, illud teneat, quod ab Apostolis traditum est; quippè Divinus Paulus sic loquitur: *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.**

515 Ijs adhæret S. COELESTINVS, qui *Epist.* 5. *Decretal. ad Nestorium*, sic scribit: * Qui vmquam non dignus est anathemate iudicatus, vel adijciens, vel detrahens Fidei? planè etenim, ac manifestè tradita ab Apostolis nobis, nec augmentum, nec imminutionem requirunt.*

516 Audaciæ suę pœnas ęquissimè subiturum, qui Fidei regulas, Apostolicas nempè Traditiones, sequutus non fuerit, docet Sanctissimus Pontifex LEO: Loquens etenim de Apostolica Ieiuniorum, & Exorcismorum Traditione, *Epist.* 5. sic ait: * Inultum post hęc esse non poterit, si quisquam Apostolicas Regulas in aliquo crediderit negligendas.*

517 Ipse Sanctissimus Pontifex, *Serm.* 2. *de Ieiunio Penthecostes*, *c.* 1. vti Spiritus Sancti Doctrinam, quę vnum est ex infallibilioribus principijs, quę ad Fidei Dogmata stabilienda, impiorumque Hęreticorum errores eliminandos, in Ecclesia Dei agnoscuntur, Apostolicas Traditiones admittit; sic enim scribit: * Dubitandum non est, omnem observantiam Christianam Traditionis esse Divinę; & quidquid ab vna Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de Traditione Apostolica, & de Spiri-

Spiritus Sancti prodiere doctrina, qui nunc quoque cordibus suorum Fidelium præsidet suis institutis, vt ea omnes, & fideliter custodiant, & sapienter intelligant.* Legendus idem Sanctus, *Serm. 9. de Ieiunio 7. Mensis, cap. 2.*

518 Sanctissimus Pontifex ALEXANDER Ecclesiasticæ Traditionis ordinem sequutus, *Epist.* 1. docuit, ex eadem Traditione: *In Calice non aquam solum, non vinum solum offerendum, sed vtrumque offerendum permixtum.*

§. III.

VARIA CONCILIA IDEM Assertum confirmant.

519 CONCILII NICÆNI PATRES, vt Filij Consubstantialitatẽ contra Arium, istiusque sequaces explicarent, hanc vocẽ *Homousion*, id est, *Consubstantialem*, in Fidei formula, & Symbolo ibi edito, apposuerunt; istud autem verbum, non quidem ex Scriptura, sed potius ex Apostolica Traditione desumpserunt, vt testatur (prӕter Theodoretum, *lib.* 1. *Hist. cap.* 8.) Sanctus Athanasius *in Epist. ad Afros.* * Episcopis non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea à Patribus, testimonia conscripserunt.*

520 Eiusdem Sanctissimi Concilij Patres (vt in Codicibus Bibliothecæ Venetæ Sancti Antonij, habetur) sic loquuntur: * Nos Fidem à Domino, iam indè ab initio per Sacrosanctos eius Apostolos, vt edocti sumus, hanc à maioribus nostris Sanctissimis, qui Fidem ab ijs acceptam religiosè conservarunt, Doctrinam veram, & indubitatam per manus traditam, accepimus (Et paulò infrà subdunt.) Hӕc ita se habere, vt dicimus infinitis Scripturarum testimonijs parati sumus ostendere. *

521 Ipsa S. NICÆNA SYNODVS, Macarij Ierosolymitani Episcopi ministerio, *contra Phedonem Arianum respondens*, postquam multa Christianæ Fidei capita explicuerat, sic concludit: *Hæc Fides est Ecclesiæ ab Apostolis tradita, & in qua nihil reprehendi potest, hanc iam inde ab ipso Domino per Apostolos acceptā, à maioribus ad posteros transmissam, & quasi per manus traditam, observat Ecclesia; eam hactenus tenet, eam in omne tempus tenebit, quod ita est à Domino Discipulis dictum: *Euntes docete omnes gentes, &c.**

522 Ex quibus manifestè innotescit Ecclesiam, Sanctissimosque Patres, ad Catholicas veritates stabiliendas, hæresesque extirpandas Apostolica Traditione, ceu indefectibili principio inniti.

523 QVINTA SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA 2. *Canone* 8. vnitatem personæ in Christo, in duabus naturis subsistentis, vt Catholicam veritatem definiens, oppositumque, ceu hӕreticum damnans, vtrumque ex Apostolica Traditione deduxit; anathematizat enim eum. *Qui nō sic has voces intelligit, sicut Sancti Patres docuerunt, quod ex Divina natura, & humana vnitione secundum subsistentiam facta, vnus Christus factus est. Et *Canone 9.* Anathema dicitur ei, qui non vna adoratione Verbum Deum Incarnatum cum eius carne adorat, iuxta quod Sanctӕ Ecclesiæ ab initio traditum est.* In fine tandem Concilij sic concludunt Patres: * His igitur confessis à nobis, quæ, & accepimus de Divina Scriptura à Sanctorum Patrum Doctrina, &c. Si quis conatus fuerit contraria ijs, quæ à nobis piè terminata sunt tradere, &c. anathematizabitur.*

524 Eamdem veritatem egregiè comprobat SEXTA SYNODVS GENERALIS CONSTANTINOPOLITANA 3. *Act.* 4. in illa namque lecta fuit *Agathonis Epistola*, qui multas veritates in illa contentas, & Apostolica Traditione probatas, tamquam Fidei regulas stabilit: * Vt autem (inquit) vestræ pietati, quid Apostolicæ nostræ Fidei vigor contineat, breviter intimetur, quam percepimus per Apostolicam, Apostolicorumque Pontificum Traditionem, &c. Sic igitur status est Evangelicæ, atque Apostolicӕ Fidei, regularisque Traditio, vt confitentes Sanctam, & inseparabilem Trinitatem, vnius naturæ, & subsistentiæ, sive essentiæ vnius, eam prӕdicemus, & naturalis voluntatis, virtutis, &c.*

525 Et *Act.* 8. eiusdem Concilij in hanc *Epistolam*, & Legatorum eiusdem Agathonis instructionem devotè consenserunt Sanctissimi illius Synodi Patres, qui *Actione* 12. hæc verba protulerunt: * Omninò necesse est, non solum secundum sensum, sequi Sanctorum Patrum Dogmata,

ta, sed & eisdem vocibus uti cum illis, nihilque penitùs innovari*

526 Nec ab sententia discedit VII. GENERALIS SYNODUS, NICÆNA II. *Act. etenim 3.* dicitur: * Apostolicas autē Ecclesiæ Traditiones, quibus veneratio, culturaque Sanctorum docetur, recipimus, & veneramur.* Et *Actione 6.* Epiphanius pro Sancta Synodo respondens, inquit: * Quod autem cum multis alijs, quæ in Ecclesia observantur sine Scriptura, nobis Imaginum veneratio tradita sit ab Apostolorum temporibus, latè per historias traditum est.* Tandem *Actione 7.* prædicti Concilij Patres sic concludunt: * Fatemur autem vnanimiter nos Ecclesiasticas Traditiones, sivè scripto, sivè consuetudine valentes, & decretas retinere velle: quarum de numero est Imaginum effiguratio.*

527 Præclarè etiam pro nobis stat VIII. SYNODUS GENERALIS CONSTANTINOPOLITANA IV. *Actione* enim 10. *cap.* 1. hæc notatu dignissima leguntur: * Regulas, quæ Sanctę, Catholicæ, & Apostolicæ, tam à Sanctis Apostolis, quam ab Orthodoxorum vniversalibus, nec non, & localibus Concilijs, vel etiam à quolibet de illo, quo Patre, ac Magistro Ecclesiæ traditæ sunt, servare, & custodire profitemur, quibus, & propriam vitam, & mores, omnem Sacerdotij Cathalogum regamus, sed & omnes, qui Christiano censentur vocabulo, damnationibus, quę per illas prolatę sunt, canonicè subijci decernimus. Tenete quippè Traditiones, quas accepimus, sivè per Sermonem, sivè per Epistolam Sanctorum, qui ante fuerunt, Paulus, apertè admonet. 2. *ad Thes.* 2.*

528 Tandem Concilia Latteranense, Constantiense, Florentinum, & Tridentinum, si attentè legantur, ita à nobis stare agnoscet quilibet, vt illorum verbis nihil ad rem nostram aptius, nihilque nobis favorabilius inveniri posse, videatur: In illis enim multa de Fide definiuntur, de Sacramentis, Ecclesiæ Clavibus, Indulgentijs, Imaginum cultu, aliæque huiusmodi Definitiones à Catholica Ecclesia, tamquam Fidei Dogmata, receptæ, & Apostolica Traditione innixę passim occurrunt.

529 Quanti autem ponderis, & efficacię sit huiusmodi argumentum, ad Fidei, morūque Veritates definiendas, eleganter docet TRIDENTINA SYNODUS, *Sess.* 4. in qua de prędictis Traditionibus loquens, hæc habet: * Eas tamquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, ac veneratur. (Et postea ait:) Si quis Traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.*

§. IV.

IN EVNDEM SCOPVM Sanctorum Patrum testimonia collimant.

530 SANCTVS POLYCARPVS, S. Ioannis Evangelistæ discipulus (iuxta S. Irenei mentem, *lib. 3. cap.* 3.) Romam veniens, ac Apostolorum Traditionē prædicans, Hæreticos ad sanā mentem reduxit, & quod ab Apostolis ipse susceperat, Ecclesia tradidit.* Extat huius Sancti *ad Philippenses Epistola*, cuius fragmenta sunt apud Eusebium, de qua meminit etiam S. Hieronymus in Cathalogo; in hac ergo Epistola hęc inter alia leguntur: * Serviamus ergo ei cum timore, & reverentia, secundum quod Evangelizaverunt nobis Apostoli Domini, & Prophetæ annuntiaverunt adventum Domini nostri IESV CRISTI, &c. (Et infra:) Propter quod relinquentes vanitates multorum, & falsas doctrinas, ad illud, quod traditum est nobis à principio, verbum revertamur.* Et apud Eusebium *lib. 5. cap. 2.* refert verba, quæ dicta à Domino, ab Apostolis ipse audierat, & de Virtutibus eius, ac Doctrina.

531 Huic adhæret S. DIONYSIVS AREOPAGITA, Divi Pauli Discipulus, qui *lib. 1. de Cœlesti Hierarchia, cap.* 1. sic scribit: * Necessariò itaque primi illi nostri Sacerdotalis Muneris Duces, cum ex summa super substantialique Deitate, ipsi Sancti Muneris plenitudinem percepissent, & id ipsum deinceps proferre, & propagare à Divina Bonitate missi essent; ipsique posteros ad Divina provehere affatim cuperent, visibilibus signis Cœlestia Sacramenta texuerunt, atque in ijs, quæ nobis sunt familiaria, summa illa, & supersustantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis (iuxta quod Sacræ definiunt leges) nobis tradiderunt.*

Con-

532 Consonat S. IRENÆVS, dum *lib.3. cap. 3.* in initio, hæc habet: * Traditionem itaque Apostolorum in toto Mūdo manifestatam in omni Ecclesia, adest perspicere omnibus, qui vera velint audire. (Et ibidem, ait): Vnam, & eandem vivificatricem Fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis, vsque nunc, sit conservata, & tradita in veritate.*

533 Idem Sanctus *lib.4. adversus Hæreses, cap.43.* eandem Fidem Apostolorum Traditioni, quam ipsorum Scriptis adhibendam esse, convincit, probans eiusdem esse efficaciæ, & authoritatis, quod ore, ac quod scripto Apostoli nobis tradiderunt.

534 Horum doctrinam sequutus S. IGNATIVS, *Epistola ad Heronem*, hæc habet: * Omnis qui dixerit præter ea, quæ tradita sunt, tametsi Fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem servet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat.* Hæc ille. Si igitur anathema, Hereticus, & lupus (iuxta Sanctissimum istum Virum) habendus est, qui se se Ecclesiasticæ Traditioni opposuerit, proculdubiò huiusmodi Traditio certissimū erit argumentum, tam ad Fidei Dogmata stabilienda, quàm ad Ecclesiæ mores comprobandos.

535 Eamdem sententiam valdè illustrat S. CYPRIANVS, qui *Epist.74. ad Pompeium*, sic scribit: * Si ad Divinæ Traditionis Caput, & originem revertamur, cessat error humanus, & Sacramentorum Cœlestium ratione perspecta, quidquid sub caligine, & nube tenebrarum obscurum latebat, in lucem veritatis aperitur. (Et *lib. 2. Epist. 3.*) Admonitos (ait) nos scias, vt in Calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, vt Calix, qui in commemoratione eius offertur, mixtus vino offeratur. (Et infrà loquens de Sacramentis, dicit:) Nec minus est, quod dictante Spiritu Sancto, Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri, præcepit.* Hanc Cypriani authoritatem Vvitakerus infirmare conatur, dicendo: Cyprianum non fuisse Apostolum, ac proindè examinanda eius verba. Sed perperam; nam etsi non Apostolus extiterit; vir tamen fuit Zelo Apostolicus, Martyrique laurea eximia illustratus.

536 Novo doctrinæ splendore nostram Assertionem perfundit S. CLEMENS ALEXANDRINVS, ex Eusebio *lib. 6. cap. 11.* asseverans: * Extorqueri sibi à fratribus, vt ea, quæ à Presbyteris, Apostolorum Successoribus, voce sibi sola tradita essent, describeret in his libris, ac posteris traderet.*

537 Nec obstat dicere, hos S. Clementis libros interijsse: estò enim isti perierint, permanent alij, in quibus Traditioni egregium præbet testimonium. Etenim *lib. 1. Stromatum*, sic scribit: * Duplex agricultura, nempè, Christianæ Fidei, vna scriptis non est contenta; alia verò est scripta. (Et iterum:) Ineffabilia autem, arcanaque, sicut Deus, non litteris creduntur, sed voci. (Cuius rei hanc rationem ibi subiungit): Siquidem Mysteria creduntur mysticè, vt sit in ore quoque loquentis, quod loquitur, potius autem non in voce, sed intelligentia. (Et iterum dicit, *lib. 5.*) Cognitio ipsa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis absque scripto tradita pervenit. (At ad rem nostram aptius *lib.7.* sic ait:) Domino fidelis esse perdidit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit Traditionem, & in humanarum hæreseon desilivit opiniones.*

538 Eadem est S. HILARIJ mens, qui *lib. contra Constantinum Augustum*, acerrimum Traditionum hostem, cum perfido ore protulisset iste: * Nolo verba, quæ non scripta sunt, legi. (Sic contra ipsum insurgit Sanctus): Hoc tandem rogo, quis Episcopus iubeat? Quis Apostolicæ Prædicationis vetet formam? Dic prius, si rectè dici putas, nolo adversus nova venena, novas medicamentorum comparationes.*

539 Iis Sanctissimis Viris subscribit S. EPIPHANIVS, qui *Hæresi 69.* de Arianis conqueritur, & meritò, quod Apostolicas Traditiones impugnent, quando eas ipsi in Fidei mysterijs sequuntur: * Respondete (inquit) nobis Arij Discipuli. *Ingenitum* dicimus omnes simul Patrem, *& increatum*: & admirabilis est dictio, scilicet. Vbi itaque est dictio hæc scripta, ostendite. Neque enim lex dicit, neque Prophetæ, neque Apostoli. Si itaque piè dicimus dictionem non scriptam, estque recepta, dum pro gloria Dei dicitur; quis nos reprehenderit, etiamsi non esset vox *coessentialis* scripta?*

540 Ipse Sanctus multis in locis se se

inex-

inexpugnabili Traditionis scuto, contra varios errores protexit; præcipuè *Hæresi* 55. vbi Fidei Dogmata demonstraturus, hæc scribit: * Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio Fidei, & Apostolorum Traditiones, & Scripturæ Sanctę, & successiones doctrinæ, & vndequaque Veritas Dei munita est. Nemo igitur vos decipiat novis fabulis.*

541 Et *Hæresi* 75. * Ecclesia (inquit) necessariò hoc (quod pro Defunctis orat) perficit Traditione, à Patribus accepta. Quis autem poterit Statutum Matris dissolvere, aut legem Patris? Velut Salomon dicit: *Audi fili sermonem Patris tui, & ne repudies statuta Matris tuæ.* Ostendens per hoc, quod in Scripturis, & sine scripto docuit.*

542 Tandem ipse Sanctus ibidem eundem Aerium Paschatis solemnitatem, & ieiunium Quadragesimæ & pro Sabbato oppugnantem, hoc fortissimo telo confodit: * Quis autem magis de his novit, hic ne secundus homo, qui etiam nunc superest, & hucusque in Mundo versatur, aut qui ante nos testes fuerunt habentes ante nos Traditionem, in Ecclesia quoque etiam à suis Patrib⁹ didiscerunt, qui ante nos fuerunt, quomodo Ecclesia acceptam à Patribus suis veram Fidem, vsque huc continet; itemque Traditiones? Et corruat huius Sentẽtia de Paschate. (Et *Hæresi* 61. hæc habet:) Oportet autem, & Traditione vti, non enim omnia à Divina Scriptura accipi possunt.*

543 S. BASILIVS, *Homilia* 28. *contra Sabellium, Arium, & Anom.* Catholicum Dogma de Spiritus Sancti cum Filio, & Patre consubstantialitate probaturus, argumentum à Traditione desumpsit, sic contra illam negantes insurgens: * At ne (dicit) Spiritum Sanctum à Patre, & Filio separes, absterreat te Dominica Traditio? Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Martyres confirmarunt: satis tibi sit, vt dicas quemadmodum edoctus es.*

544 Ipse Sanctus, *Epist.* 61. iustè conqueritur de illis, qui Apostolicas Traditiones contemnunt, suæ sententiæ pervicacitates, & inventa, vt zizaniam in tritico seminantes: * Dogmata (inquit) Patrum contemnuntur, Traditiones annihilantur, recentiorum hominum inventa Ecclesijs inseruntur.*

545 Sanè ipse BASILIVS confirmat idem, *cap.* 29. *libri de Spiritu Sancto* * Apostolicum (inquit) arbitror esse, etiam in non scriptis Traditionibus perseverare. *Laudo* (inquit Apostolus) *vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis* Traditiones continetis.*

546 S. ATHANASIVS, vt Filium Patri consubstantialem contra Arianos demonstret, sic contra ipsos ex Apostolica Traditione insurgit: * Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus. Vos autem, ò novi Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere Progenitores? * Hæc Sanctus *de Decretis Nicænæ Synodi contra Eusebium.* Et alibi, *in Epistola ad Orthodoxos*, asserit: *Non novitia, non nupera est Canonum Ecclesiasticorum Institutio, sed à primis vsque Patribus, opera discipulorum, in nostram vsque ætatem propagata est.*

547 Idem S. ATHANASIVS loquens de Synodis Arimini, & Seleuciæ, hæc scribit: *In negotio Paschatis, quia res ea ad Ecclesiæ praxim pertinebat, dicebant Patres: Visum est nobis; de Fide verò non scripserunt: visum est nobis; sed, sic credit Catholica Ecclesia, & statim confessio ipsa credendi adiuncta est: vt ostenderent eam non novam esse sententiam, sed Apostolicam: & quæ ipsi scripsissent non esse sua inventa, sed Apostolorum documenta.*

548 S. HIERONYMVS, *Dialogo ad Lucifer. cap.* 4. sic scribit: * Etiamsi Scripturę authoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar pręcepti obtineret: nam & alia multa, quæ per Traditionem in Ecclesijs observantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurpaverunt.* Hæc ille.

549 Pro veritatibus Fidei, Religionisque Christianæ stabiliendis vtilissimas esse Traditiones, non obscurè docet S. AMBROSIVS, dum *lib.* 3. *cap.* 7. hoc nos salutari documẽto instruit: *Servemus pręcepta maiorum, nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus, &c. Qui violare non ausi sunt, Confessores, & Martyres extiterunt. Quo modo Fidem eorum possumus derogare, quorum victoriam prędicamus?*

550 Quem locum eruditè expendens S. VINCENTIVS LIRINENSIS, eidem Am-

Ambrosio subscribens, *lib. contra prophanas vocum novitates, cap.* 7. hæc habet: * Prædicamus, ò venerande Ambrosie, prędicamus planè, laudantesque miramur. Nam quis ille tam demens est, quod eos, & si consequi non valeat, non exoptet sequi, quos à defensione Fidei maiorum nulla vis depulit?*

551 S. AVGVSTINVS multa Fidei Dogmata sola Traditione confirmat, sic *lib. 2. contra Donatistas, cap.* 7. Catholicum Dogma de non rebaptizandis Hęreticis, ex Ecclesiæ Traditione deducit: * Quam (inquit) consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Concilijs posterorum, & tamen quia custodiuntur per vniversam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Idem dicit *lib.* 1. *contra eosdem, cap.*23.

552 Sic etiam *lib.* 3. *contra Maximum Arianum*, vt illum convincat, ad Apostolicam Traditionem recurrit, *cap.* namque 3. sic scribit: * Da, inquis, testimonia, vbi adoratur Spiritus Sanctus, quasi ex ijs, quę legimus, alia etiā quæ non legimus, intelligamus. Sed nec quærere multa compellar; tu vbi legisti Patrem Deum ingenitum, vel innatum? Et tamen verum est. * Ex quibus deducit Sanctus benè posse aliquam veritatem inter Catholicas recenseri, & vt talem à Catholicis admitti, quin ipsa in Sacris Litteris expressè contineatur, dummodo ex Apostolica Traditione innotescat.

553 Cuius rationem addit *Epist.*118. *cap.* 1. vbi hęc habet: * Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto Orbe terrarum observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas commendata, atque statuta retineri, sicut & Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & Adventus de Cœlo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, &c.*

554 At ad rem nostram apertius *Epistola* 174. *propè initium*, sic scribit: *Non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inveniuntur. Verumtamen facta esse ex cęteris documentis probantur. Scriptum est, quando baptizatus sit Apostolus Paulus, *Actorum* 9. Verumtamen etiam ipsos Apostolos baptizatos intelligere debemus, &c.* *Epist.* 108. *ad Seleusianum.*

555 S. VINCENTIVS LIRINENSIS, supra citato *lib. contra prophanas vocū novitates, c.*1. vnū è iaculis, quæ profert ad Hæreses confodiendas, est Apostolica Traditio, docens, quemlibet Fidelem duplici posse contra Hęreses se se clypeo munire: * Primo, scilicet, Divinæ Legis Authoritate: tùm denique Ecclesię Catholicæ Traditione.*

556 Id ipsum confirmat ipse Sanctus, *cap.* 9. vbi Pontificem Stephanum commendat, quod *in quæst. de Baptismo Hæreticorum*, illud scripserit: Nihil innovādum, nisi quod traditum est. In quorum verborum expositione, & commendatione, hæc subdit: * Intelligebat etenim vir Sanctus, & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi vt omnia, quæ Fide à Patribus suscepta forent, eadem Fide filijs consignarentur, nosque Religionem, non quà vellemus ducere, sed quà potiùs illa duceret, sequi oportere. Idque esse proprium Christianę modestię, & parvitatis, non sua posteris tradere, sed à maioribus accepta, servare.* Legendus de eo argumento toto eodem opere.

557 Et *Epist.*83. hæc ad rem nostram aptissima, scripsit: * Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura Divina nos instruit, & Traditio maiorum. * Et alibi Symbolum Apostolorum docet haberi ex Traditione, multaque alia Dogmata sola traditione confirmat *Sermone* 25.34.38.& 75.

558 Traditionibus eximiè patrocinatur S.CYRILLVS HYEROSOLIMITANVS, qui *Catechesi* 5. * Videte (inquit) fratres, vt servetis Traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudinem cordis eas describite, vt cum pietate eas custodiatis.*

559 Favet etiam S.PETRVS CHRYSOLOGVS, qui *Serm.* 85. * Christianus (inquit) animus, quę sunt Traditione Patrum, & ipsis roborata temporibus, nescit in desperationem deducere, sed venerari ea toto desiderat venerationis eloquio.*

560 Nec ab hac sententia discedit S. CYRILLVS ALEXANDRINVS, qui Apostolicas Traditiones, vti ditissimum, & pretiosissimum Fidei, Religionisque Christianæ thesaurum humilitèr veneratur, ac Fidelibus custodiendum commendat, scribens namque *ad Theodosium de recta in Deum Fide*, hęc habet: * Cedo, quid nos

N

nos ad hæc respondebimus? Apprimè indignum esse, nos antiquissimam Fidei Traditionem (vt quę ab ipsis Sanctis Apostolis profecta, ad nos vsque pervenit) propter curiosas quaidam, ac supervacaneas rationes, & disceptationes defferere.*

561 Idem Sanctus, *Homil.* 8. *Heortastica*: * Hic Traditionem Ecclesię (inquit) tamquam thesaurum quemdam in penetrali cordis recondens, amplectere occupationes Deo gratas, vt non solum Fide splendeas, sed & pietate luceas.* Hæc ille.

562 VENERABILIS BEDA, *in cap.6. Marci*, vniversalem Ecclesiæ circa Energumenos, & infirmos, Ritum ex Apostolica Traditione confirmat: * Patet (inquit) ab ipsis Apostolis hunc Sanctum Ecclesię morem esse traditum, vt Energumeni, vel alij quilibet egroti vngantur Oleo, Pontificali benedictione consecrato.* Hæc ille.

563 S. IOANNES DAMASCENVS, *lib.* 4. *de Fide Orthodoxa*, *cap.* 13. inquirit; cur Ecclesia adorationis Altaria Orientem versus ædificet? Cum enim in Ecclesia nihil proprius Catholicæ Fidei sit, quam adoratio Dei; nec ex Scriptura constet sacrificiorum, cultus, & adorationis Altare, versus Orientem debere construi, qui fieri potest, vt Ecclesia omnia sacrificiorum Altaria versus Orientem erigat? Huic Dogmaticæ dubitationi, sic respondet: *Quocirca (ait) eius adventũ aperientes, ad Orientem, adoramus. Est autem Apostolorum hoc institutum, Litteris Sacris haudquaquam proditum; quam plura etenim illi, nulla Scripturę authoritate nixa, nobis tradiderunt.* Hæc ille. Legendus *cap.*17. *de Sanctis Imaginibus, Epist. de Trif. orat.* 3. *de Imag. oratione de Defunctis.*

564 S. BERNARDVS, Ecclesiæ Traditiones ad illius Ritus confirmandos non minus laudat, quam sequitur, *Epist.* namque 174. * Nullo (inquit) modo placebit, contra Ecclesiæ Ritum præsumpta novitas, Mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis: Ego quod ab Ecclesia accepi, securus trado. *

565 Et *Epist.* 190. contra Petrum Abaylardum, hæc scribit: * Quid secretius tibi revelatum iactas, quod tot pręterierit Sanctos, effugerit sapientes? Tu vero de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti. *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Ioan.* 8.*

566 Doctissimus, ac Venerabilis P. ANASTHASIVS ANTIOCHENVS, *lib.*1. *de Rectis verissimæ Fidei nostræ Dogmatibus*, inter illa Ecclesiasticas Traditiones constituit; sic enim scribit: * Verùm autem descriptionem Fidei hanc pronuntio, non quia à me præscripta est, sed quia doctrina hæc à viris profecta sit, Theologica sapientia præditis, eiusque exacta Traditio ad nos vsque pervenit, quasi sors quædam hæreditatis paternę, legitimo iure, quasi per manus accepta, vt quæ à Parentibus spirituali doctrina locupletans ad ingenuos liberos pervenerit. *

567 ANGELICVS DOCTOR, aliqua Fidei Dogmata in Ecclesia recepta probaturus, argumentum ab Apostolica Traditione desumit. Vnde 3. *par. quæst.* 25. *art.* 3. *ad* 4. * Dicendum (inquit) quod Apostoli familiari instinctu Spiritus Sancti, quædam Ecclesijs tradiderunt servanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiæ per successionem Fidelium. Vnde ipse dicit 2. *ad Thessalonicenses* 2. *State, & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem*, scilicet ore prolatum, *sive per Epistolam*, scilicet scripto transmissam: Et inter huiusmodi Traditiones, est Imaginum Christi adoratio. Vnde, & B. Lucas dicitur, depinxisse Christi Imaginem, quæ Romæ habetur. *

568 Et *Quæst.* 64. *art.* 2. *ad* 1. hæc habet: * Ea vero, quæ sunt de necessitate Sacramenti ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, & homo: & licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum Traditione, sicut Apostolus dicit, 1. *ad Corinthios* 11. *Cætera cum venero, disponam.**

§. V.

IMPERATORVM TANDEM Rescriptis, celebriorumque Authorum dictis, prædicta veritas fulcitur.

569 PRæclaram huius veritatis confirmationem nobis præbet Pijssimus Imperator IVSTINIANVS; argumentum enim quo vtitur ad Fidei Dogmata asseveranda est Apostolica Traditio. Notatu certè dignissima sunt illius verba, *Cod. de Summa Trinitate, & Fide Ca-*

Catholica, *L.* 5. quæ sic se habent: * Cum recta, & irreprehensibilis sit Fides, quam prædicat Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, nullo modo innovationem recipiat. Nos sequentes Sacrorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in Sanctis Dei Ecclesijs conversati sunt, Dogmata, iustum fore existimavimus, cunctis manifestum facere, qualitèr de Fide, quæ in nobis est, sentiamus: insistentes, & adhærentes Traditioni, & confessioni Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ. *

570 Consonat CAROLVS MAGNVS, Christianissimus Imperator, qui in Epistola ad Hispaniæ Episcopos data, hæc à Catholico pectore, & ferventissimo Fidei Zelo profecta, conscripsit: * Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesię, & Catholicis Traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor.*

571 Subscripsit potentissimus Imperator CAROLVS QVINTVS, qui *in responsione ad* 15. *Augustanæ confessionis Articulum*, anno 1540. edita, hæc habet: * Admonendi sunt (Protestantes) vt Ritus Ecclesiastici, tam vniversalis Ecclesiæ, quam qui in qualibet Provincia vsque ad nos piè, & religiosè sunt custoditi, ipsi Principes, & Civitates in suis Dominijs, & districtibus faciant observari; & si qui ex illis fuerint intermissi, vt eosdem restituant, atque omnia iuxta pristinam formam in Ecclesijs suis fieri ordinent, disponant, atque cum effectu subditis pręcipiant.* Hactenus ille zelantissimus Imperator, Traditionum Ecclesię fidissimus custos, vigilantissimusque observator. Hęc Imperatotores, nunc ad Authores gradum faciamus.

572 ORIGENES apertè docet Apostolicam Traditionem, solidissimum fundamentum esse ad Fidei dogmata stabilienda; initio enim, *lib.* 1. *Periarcon*, hæc scribit: * Cum multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant, servetur vero Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesijs permanens. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica Traditione discordat. (Et alibi, *tract.* 29. *in Matthæum* asserit:) Nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.*

573 Idem tenet TERTVLLIANVS, qui *lib. de Corona Militis*: * Antiquas (inquit) observationes Ecclesię, si nulla Scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit, quę sine dubio de Traditione manavit. (Recensitis aliquibus Traditionibus, de quibus in Scriptura nulla fit mentio) Istarum, ait, & aliarûm disciplinarum si expostulas legem, nulla tibi legis Traditio prętendetur. Auctrix est cõsuetudo, confirmatrix est, & Fidei observatrix, idonea est Testis Traditionis veteris. Consuetudo autem etiam in Civilibus rebus pro lege suscipitur: nec differt Scriptura, an ratione consistat. * Hactenus ille.

574 EVSEBIVS, *lib.* 1. *Demonstrationum Evangelicarum*, *cap.* 8. expressè docet, Apostolos quædam litteris, quędam absque litteris, quasi quodam iure non scripto, servanda commendasse. Et alibi *contra Marcellũ Episcopũm Ancyranũ*, hæc habet: * Ecclesia à finibus terrę, vsque ad fines, ex Divinis Scripturis testimonia, ex non scripta Traditione confirmat.*

575 Doctissimus Magister, ac Illustrissimus Antistes MELCHIOR CANVS, *lib.* 3. *de Apostolicis Traditionibus*, *cap.* 6. hanc veritatem egregiè confirmat; probat enim Apostolicam Traditionem esse firmissimum argumentum ad veritates Catholicas comprobandas: * Non erit (inquit) difficile ostendere, id quod in hac parte maximè quæritur, ex Christi, & Apostolorũ Traditionibus certissima posse argumenta elici, & ad Ecclesiæ consuetudines, & ad Fidei Dogmata comprobanda.*

576 Idem tenet Illustrissimus D.D. BARTHOLOMÆVS DE CARRANZA, Toletanus Præsul, qui *in controversijs de Authoritate Papæ, & Conciliorum, controversia* 1. in qua de Apostolicis Traditionibus Sermonem instituit, pro decidendis Fidei Dogmatibus, Apostolicę Traditioni quantum detulerit, illius verba notatu dignissima demonstrant: * His præmissis (ait) respondetur ad primã cõtroversiam, primum principium certum, & infallibile, ex quo potest demonstrari aliquid esse verum, & indubitatò tenendum in Fide, & Religione Christiana, est sine

scripto aliquo Ecclesiastica Traditio, & vniversalis Ecclesiæ communis definitio. Bifariam accipiunt aliquid Fideles ab Ecclesia: primò per Traditionem, & eam antiquatam, sine aliquo scripto, vt de Baptismo parvulorum refert Origenes: secundò per definitionem in scripto, vt de Processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio in Concilijs definita.* Et omissis pro nunc varijs rationibus quibus hanc certissimam sententiam confirmat, sic controversiam absolvit: * Sit igitur primum principium rerum ad Religionem pertinentium, Ecclesia, sivè Ecclesiastica Traditio per Scripturam, vel per antiquatum vsum citra aliquam Scripturam.*

577 Tandem quantę efficacię sit in rebus Fidei Apostolica Traditio, affatim convincitur ex Actis Concilij Nicæni I. In illo enim contra Arium, & in II. Nicæno contra Iconoclastas, sola Apostolica Traditione definitum est.

578 Et ratio omnium est, quia nullum aliud efficacius argumentum reperimus ad probandum Evangelium, quòd nobis conscriptum reliquit S. Matthæus, verè esse S. Matthæi, nisi quia id à Patribus continua Traditione accepimus. Et quidem non potest non ingentis ponderis, ac momenti esse, quod S. Polycarpus, S. Iræneus, Tertullianus, alijque Patres ad convincendos Marcionis, & Valentini errores; S. Epiphanius ad Melchisedechianos, aliosque refellendos; S. Hieronymus contra Vigilantium; S. Augustinus contra Donatistas, ad istorum errores, ac Hęreses extirpandas, veritatesque Catholicas stabiliendas, Apostolicam Traditionem, in his, quę in Scriptura Sacra non exprimuntur, firmissimum semper duxerint argumentum. Ergo estò Romani Pontificis in rebus Fidei infallibilitas in Sacris litteris non contineretur (prout contineri, ac exprimi, latè suprà probavimus) adhuc aliud nobis non minoris efficaciæ remanebit argumentum, quo illam, ceu Fidei Dogma statuamus, si nempè prædictorum Sanctorum vestigia sequentes, eam ex Apostolica Traditione innotescerę probaverimus.

(::)

CAP. VI.

Aperitur aditus ad Apostolicas Traditiones agnoscendas.

579 Statuta iam Apostolicæ Traditionis efficacia, ad propositiones Fidei comprobandas, Catholicaque Dogmata stabilienda, operę pretium facturi videmur, si aliquas statuamus regulas, quibus ducti, certissimè possimus agnoscere, quãdo aliquod Dogma Apostolica Traditio censeatur. Et licet ex his, quę de Traditionib⁹ scripserũt, pauci hæc signa ad eas pernoscẽdas disertè exposuerint; nihilominus tamen maioris authoritatis in Ecclesia Viros sequuti, aliquas hic subijcimus regulas, quibus tamquam ad Lydium lapidem, Apostolica Traditio à nobis discernatur.

§. I.

Prima regula Apostolicæ Traditionis dignoscendæ est aliquid esse à tota Ecclesia vniversaliter receptum.

580 Innititur hæc regula Apostoli Pauli testimonio, qui *Epistola ad Colossenses c. 1.* illos exhortans, vt in Traditionis Fide permaneant, eis tamquam securissimam regulam ad Evangelij Traditionem agnoscendam, vniversalitatem proponit; illud nempè Evangelium in toto terrarum Orbe omni genti, omnique creaturæ fuisse ab Apostolis prędicatum. *Prædicatum est* (inquit) *in vniversa creatura, quæ sub Cœlo est,* prout Discipulis suis præceperat Christus, *Marci 16. v. 4. Eũtes in mundũ vniversũ, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

581 Id ipsum confirmat AVGVSTINVS, dum in varijs locis, præcipuè verò *lib. 4. contra Donatistas, cap. 24.* pro certissima Traditionis regula vniversalitatem assignat; sic enim scribit: * Quod vniversa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Hanc regulam rectè explicat Illustrissimus CANVS, *de Traditioni-*

nibus, *lib.3. cap.4.*

582 Eruditus Magister GRAVINA, *de Traditionibus, tom.1. lib. 4. de præs. art.6.* de hac Augustini Regula loquens: * Hanc (inquit) Regulam, quam ponit S. Augustinus cognoscendæ Traditionis, omnes Doctores amplectuntur: Ex hac etiam desumpsit S. Vincentius Lirinensis, *cap.3. contra prophanas novitates*, qui cum omnia Dogmata constare dixisset ex authoritate Sacræ Scripturæ, & Traditione; ad Traditionem istam cognoscendam, docet magnopere curandum, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Et hoc demum fieri subdit, si sequamur vniversitatem, antiquitatem, & consensionem.*

583 Has igitur tres S. VINCENTIJ LIRINENSIS Regulas præ oculis habentes, ad primæ à prædicto Sancto Vincentio adductæ, *Vniversitatis* nempè probationem progredimur.

584 APOSTOLVS PAVLVS 1. *ad Timotheum* 3. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis ex eo colligit, quod eius Evangelica doctrina vniversaliter in toto Orbe prædicata sit, & credita: Quia Evangelium prædicatum est in carne, &c. *Creditum est in Mūdo, assumptū est in Gloria*: *Vnde*(inquit)*vt scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est columna, & firmamētum veritatis; & certé magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatū est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, &c.*

585 S. AVGVSTINVS, *lib. de Vnitate Ecclesiæ, cap. 19.* expendens hæc vltima S.Pauli verba, ex illis contra Donatistas arguit, probans ibi esse Evangelij veritatem, vbi illius prædicationis, & Fidei vniversitas reperitur: * Vbi hic(inquit) Affrica in parte Donati nominata est vt in ea remanserit pietatis Sacramētum, de quo vsque in finē ita cucurrit, vt diceret: *Prædicatum est in gentibus? &c.* * Optima ergo consequentia est ex Augustino. Ibi est veritas, vbi est diffusio per omnes gentes, & vniversitas, quæ cum non sit in parte Donati; ibi non est veritas, nec Apostolica Prædicatio.

586 Id ipsum confirmat S.IRENÆVS, *lib.1. contra Hæres. cap.3.* vbi sentit, ibi Apostolicam inveniri Doctrinam, vbi & vniversitas reperitur; id est, tunc aliqua doctrina, vt Apostolica est veneranda, quando à tota Ecclesia vniversaliter admittitur, aut à cunctis Christianæ Religionis cultoribus creditur. * Hanc (ait) Fidem (scilicet Apostolicam) in vniversum mundum disseminatam, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans (nempè Ecclesia) & similiter credit, ijs videlicet, quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum possidens os. Nam si in modo loquendi dissimiles sunt, sed tamen virtus Traditionis, vna, & eadem est. Neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Hiberis sunt; neque hę, quæ in Celtis; neque hæ, quæ in Oriente, &c. neque hę, quæ in medio Mundo sunt constitutę; sed sicut Sol creatura Dei, in vniverso Mundo vnus, & idem est, sic & lumen, & prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.*

587 Clarius loquitur ATHANASIVS, qui (vt refert Theodosius, *lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3.*) vnà cum Ægypti Episcopis ad Iovinianum Imperatorem scribens, vt probet Concilij Nicæni Decretis Fidem esse adhibendam, argumentum ab hoc vniversalitatis capite desumpsit: * Huic (inquit) omnes vbique Ecclesię assensę sunt, vt Hispanię, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes Ecclesiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, &c. Orientis denique Ecclesiæ, exceptis paucis, quę Sectę fuerunt Arianæ: nam istarum omnium cognitam habemus sententiam. * Ab opposito autem, scilicet, quod Hæresis Ariana in aliquibus Mundi angulis delitescat, magis ratio prędicta firmatur. Vbi claré apparet ideo Sanctum Athanasium probare Concilij Nicæni Decreta esse Infallibili Fide veneranda, quia in tota Ecclesia Vniversaliter recipiebantur.

588 Huc spectat illud Divi Pauli, 1. *ad Corinth. 1. Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et ad Philippenses, 3. *In eadem permaneamus regula.*

589 At dices: Si ex Ecclesiarum vniversalitate, sive ex vnanimi illarum consensu Apostolica dignosceretur Traditio, proculdubio, vt hanc certò possemus agnoscere, ad omnes Christiani Orbis Ecclesias

sias esset à nobis recurrendum; atqui hoc impossibile prorsus apparet: ergo & quod prædicta regula subsistat.

590 Istius tamen argumenti solutionem prçocupaverat iam Tertullianus, *lib. de Præscriptionibus*, *cap.* 2. docens ad Apostolicam Traditionem dignoscẽdam, satis, superq; esse ad Apostolicas Ecclesias recurrere, quin opus sit ad omnes Ecclesias accedere, & ab omnibus Traditionem inquirere. Vnde sic scribit: *Quid autem prædicaverint, (nempe Apostoli) id est, quid illis Christus revelaverit, & hic prçscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva (quod aiunt voce) quam per Epistolas postea. (Et paulò infra:) Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quç cum illis Ecclesijs Apostolicis Matricibus, & originalibus Fidei conspiret veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.*

591 Ne autem tam difficile videatur ad omnes penitùs Ecclesias recurrere sufficit (vt docet ipse Tertullianus) Apostolicam Traditionem, illiusque veritatem accipere ab aliqua ex illis Ecclesijs, quas Sanctissimi Apostoli çdificarunt, præcipuè à Romana Ecclesia, quam Apostolorum Principes, Sanctus Petrus, Sanctusque Paulus condiderunt, suoque Sanguine consecrarunt. * Age iam (prosequitur ipse elegantèr loco citato) qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ: percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsi adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis prçsident, apud quas authenticç litterç eorum recitantur, sonantes vocem, & representantes faciem vniuscuiusque; proxima est tibi Achaia, habes Corinthum, si non longe es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses, si potes in Asiam tendere, habes Ephesum; si autem Italiç adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas prçsto est. Statu felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Hçc ille.

592 Præcipuè verò Romanç Ecclesiæ meminit Tertullianus ad Apostolicam Traditionem, istiusque vniversalitatem comprobandam, quia sola illa sufficiens est, vt ex vniversalitate, Apostolica Traditio demonstretur.

593 Sic censuit AVGVSTINVS, *lib.* 1. *contra Iulianum*, arguens enim contra prçdictum Apostatam, cum multos Orientis Patres pro se, & Traditione in medium produxisset, ne miraretur Iulianus, nullum Occidentis Patrem ab Augustino fuisse adductum, sic contra illum insurgit: * Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare, cui Ecclesiç Præsidentem Beatum Innocentium, si audire voluisses, iam tunc periculosam iuventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. (Et huius rationem assignans subdit:) Quid enim potuit Vir ille Sanctus Antistes Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana, cum cçteris perseveranter tenet Ecclesijs?*

594 Ad vniversalitatis confirmationem egregiè facit APOSTOLVS PAVLVS, qui 1. *Corinth.* 12. aliquorum doctrinam existimantium posse mulieres in Ecclesia aperto capite orare reprobaturus argumentum ab vniversitate desumpsit: talis siquidem mos apud nullam Ecclesiam vigebat, immò omnes Ecclesiç oppositum inviolabiliter observabant. * *Nos* (inquit) *talem consuetudinem non habemus* (aliter scilicet faciendi) *nec Ecclesia Dei.* Et loquens de Romanorum Fide, ad istius stabilitatem, & firmitudinem comprobandam, ad vniversitatem etiam recurrit, dicens: *Quia Fides vestra annunciatur in vniverso mundo.* *

595 Pro hac eadem re adduci potest HIERONYMVS, qui *adversus Luciferianos*, *cap.* 4. pro se allegat II. Nicçnç Synodi Decretum, in quo vt Apostolica veneratur Traditio, quidquid ab vniversali Ecclesia solitum fuerit observari. * Fatemur vnanimiter nos (inquiunt illius Synodi Patres, *Actione* 7.) Ecclesiasticas Traditiones, sivè scripto, sivè consuetudine valentes, & decretas, retineri velle.*

596 Ratio autem, qua id confirmat HIERONYMVS, notatu dignissima videtur: * Nam vis (inquit) legis ex consensu resultat; consensus autem non minor inest consuetudini, quam legi scriptç: nam con-

consuetudinem longus, & apparatus vsus inducit, quę nullius impediente clamore, Divino magis, quam humano videtur recepta consilio; leges autem quamvis Dei nutu decerni credantur, sępè tamen vel Populi, vel Senatus magna parte dissentiente traduntur, ob quam rem non minus plectendus est vetustę consuetudinis, quam scriptę legis prævaricator.*

597 Ipse Sanctus *in eodem Tractatu*, de Confirmatione baptizatorum loquens, ex eo aliquas Traditiones probat, quod in Ecclesia vniversalitèr receptæ sint; quæ vniversalis Ecclesiæ consuetudo, & consensus istius, filijs instar indefectibilis legis esse debet, sic enim scribit: * Exigis vbi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Et etiam si Scripturæ Authoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus, instar præcepti vim obtineret. Nam & multa, quę per Traditionem in Ecclesijs observantur, authoritatem præscriptæ legis vsurpaverunt*

598 Nec ab hac sententia discedit S. LEO Papa: censet enim, vt Apostolicam Traditionem suscipiendum, quidquid more maiorum, & consuetudine in Ecclesia vniversaliter fuerit comparatum. Hinc *Serm. 9.* vt Apostolica Traditione statutum, septimi mensis ieiunium demonstret, hęc scribit: * Quod dudum, & Traditio decrevit, & consuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas prętermittit.*

599 Idem Sanctus, *Serm. 2. de Ieiunio Pentecostes*, iudicat ad Apostolicam Traditionem probandam, necesse non esse ad omnes penitùs Ecclesias recurrere, dummodò id moris apud aliquam ex Apostolicis Ecclesijs, præcipuè Romanam increbruerit. * Dubitandum (inquit) non est, omnem observantiam Christianam Traditionis esse Divinæ, & quidquid ab vna Ecclesia est in consuetudinem devotionis receptum, de Traditione Apostolica, & de Spiritus Sancti prodire doctrina, &c.* Hæc ille.

600 Assentitur TERTVLLIANVS, *lib. de Corona Militum, cap. 3. & 4.* vbi antiquas observationes Ecclesię, nulla Scriptura determinatas, sola tamen vniversali consuetudine traditas, argumentum sufficiens ad Fidei Dogmata stabilienda arbitratur, vt videre est supra fol. *99.* num. 573.

601 Nec omitti potest S. AVGVSTINVS, qui *Epist. 86. ad Casulanum* (& habetur *in cap. In his. dist. 11.*) censet vniversalem Ecclesiæ consuetudinem Divinæ instar legis esse venerandam. * In his rebus (inquit) de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos Populi Dei, & instituta maiorum, pro lege tenenda sunt.*

602 Et ad rem nostram aptissimè *Epist. 118.* quæ est *ad Ianuarium.* * Illa (inquit) quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe servantur, dantur intelligi, ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri.* Idem docet *lib. 11. cap. 2. contra Faustum.*

603 Quæ sententia habetur in *Can. Catholica, d. dist. 11.* in hunc modum: * Catholica Ecclesia per Orbem terrarum diffusa tribus modis probatur existere. Quidquid enim in ea tenetur, aut authoritas est Scripturarum, aut Traditio vniversalis, aut certè propria, & particularis institutio, sed authoritate tota constringitur vniversali Traditione maiorum.*

604 Id ipsum confirmat *lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 7.* vbi tamquam certum Apostolicæ Traditionis signum, vniversalem Ecclesię consuetudinem constituit: * Quam (inquit) consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Concilijs posterorum; & tamen, quia custodiuntur per vniversam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur. (*Lib. 4. cap. vltimo*, ait:) Quod vniversa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

605 Et *lib. 5. cap. 23.* *Sunt (inquit) multa, quæ vniversa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur.*

606 Et *lib. 5. contra Donatistas, cap. 23.* agens de celebri illa S. Cypriani controversia vna cum Episcopis ipsi adhęrentibus, arbitrantibus Hæreticos ad Fidem cōversos, estò in hæresi baptizati essent, debere post conversionem ad Fidem, rebaptizari: cui se se viriliter opposuit S. Stephanus Pontifex probans oppositum ex Apostolica Traditione deduci: de hac, inquam, controversia disserens, vt Sancti Stephani

assumptum probet, ad vniversalitatem recurrit: *Consuetudo (inquit) illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quæ vniversa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta, benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Hęc Sanctus.

607 Notatu etiam dignissimũ est, quod ipse Augustinus scribit, *lib. 1. cōtra Cresconium, cap. 33.* Vbi æquè, ceu Catholicam veneratur doctrinam, quod in Ecclesia vniversaliter receptum est, ac quod ex Divina Scriptura innotescit. *Quamvis (inquit) huius rei in Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniversæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas.* Et optimo quidem iure; de Ecclesia enim inquit *Paulus 1. ad Timoth. 5. est columna, & firmamentum veritatis.* Vnde pro infallibili veritate tenendum est quidquid in illa vniversaliter receptum fuerit, ac creditum; sicque eodem modo vt Apostolica Traditio venerandum, quidquid moris in illa vniversaliter invaluerit.

608 Similitèr id docuit Augusti. *lib. 10. de Genesi, &c.* de consuetudine baptizandi parvulos ante vsum rationis, quę vniversaliter est ab Ecclesia recepta. *Hanc (inquit) ex Apostolica Traditione provenire.* Licet in Concilijs sit etiam firmata.

609 Idem tenet S. BASILIVS, dum *lib. de Spiritu sancto, cap. 7.* Spiritus Sancti Divinitatem ex Traditione, & vniversali Ecclesiæ Fide confirmat *contra Macedonium* pro quo Generale II. Concilium Constantinopolitanum I. Congregatum est: *Quotquot morum (inquit) constantia antiquitatis maiestatem, ac maiorum Traditionem conservarunt, in singulis regionibus, ac civitatibus hac voce sunt vsi. (Et paulò infra:) Proinde quod à maioribus nostris dictum est, & nos dicimus gloriam esse communem, &c. (Et *Epist. 73.* ait:) Nos confitemur, quod etiam traditum accepimus, cum Patre, & Filio locatum esse Spiritum Paraclytum.* Hæc Sanctus.

610 Et ideò NICÆNVM CONCILIVM dici præcepit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Ex Baronio, anno 325. Et à Damaso in Concilio Romano idem præceptum est: Ex eodem Baronio, anno 382. Tamquam vniversalitèr, per totam Ecclesiam traditum, vt optimè notat Spondanus in Epitome Annalium ad annum 325. dicens: *Siquidem eumdē ipsum Glorificationis Hymnum, sic à maioribus dictum, nequaquam (vt aliqui putant) inventum esse à Nicęno Concilio, aut aliquo alio postea Canone statutum; sed ab ipsis Apostolorum temporibus, cum ab eis Sacrum Baptisma iussu Domini *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* collatum est, à Fidelibus occini cœptum, & absque scripto Ecclesiæ traditum (atque ab omnibus Catholicis vbique vsurpatum) S. Basilius pluribus docet.*

611 Nec prætermitti potest S. Pontificis LEONIS Doctrina, *Sermone 9. de ieiunio Pentecostes.* Et habetur *de Consecratione, dist. 3. Can. Sabbatho,* vbi hæc habet: *Dubitandũ (ait) non est, dilectissimi, omnem observantiam Christianam, eruditionis esse Divinę, & quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de Traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire Doctrina.* Idem docet *Serm. 8. & 9. de Ieiunio septimi mensis.*

612 Finem tandem imponat CELESTINI I. Pontificis authoritas, qui *Epist. Decretali, Decreto 11.* peritè, & dissertè tradit, debere nos tamquam Fidei Dogma, & Apostolicam Traditionem credere, quidquid in Ecclesia vniversaliter fuerit observatum. Hæc sunt illius verba: *Observationum etiam Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto Mundo, ac in communi Ecclesię Catholicæ vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex statuat supplicandi.* Hæc ille.

S. II.

§. II.

SECVNDA REGVLA TRADItionis Apostolicæ dignoscendæ est, aliquid esse in Ecclesia à priscis temporibus receptum.

613 CVM sufficienter (vt arbitror) tot Sanctorum Patrum Authoritatibus probaverimus, Vniversitatem esse primam regulam ad Apostolicam Traditionem dignoscendam, ita vt iuxta Sanctos Patres, quos supra laudavimus, illud vt Apostolica Traditio venerandum sit, quod Vniversali Ecclesiæ consuetudine receptum est: progrediendum modo nobis videtur ad secundam Regulam, quam S. VINCENTIVS LIRINENSIS nobis pro norma præscripsit. Docuit enim, *lib. Contra prophanas vocum novitates* iam citato, *cap.* 3. nos pro Apostolica Traditione veneraturos: * Quod vbique in Ecclesia, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Quod iuxta ipsum Sanctum perfectè assequemur, si sequamur Vniversitatem, Antiquitatem, & Consensionem. Cum igitur iam Vniversitatem pro prima Regula statuerimus.

614 Modò PRO SECVNDA CONCLVSIONE proponimus: Antiquitatē in Ecclesia esse securissimam Regulā, qua certissimè agnoscamus illud vt Apostolicam Traditionem venerandum, quod à priscis temporibus in Ecclesia fuerit observatum.

615 Id docuit S. IOANNES, Apostolus, & Evangelista, *Epist.* 1. *cap.* 2. nobis Antiquitatem suadens: * *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.**

616 Nec minus apertè pro nobis loquitur Apostolus Paulus, qui 1. *ad Timotheum* 6. enixè cupiens omnes novitates ab Ecclesia penitùs eliminare, suadet, vt quod in ea antiquitus statutum est, religiosè sequamur; sic enim ad Timotheum loquitur: * *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.**

617 Consonat Doctissimus TERTVLLIANVS: *lib.* enim 4. *contra Marcionē*, explicans istum Sancti Pauli textum sic scribit: * Timotheum etiam hortatur, vt devitet profanas vocum novitates; tamquam novam, & peregrinam Hæreticorum doctrinam habendam dicit S. Ioannes, *Epist.* 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nec Ave ei dixeritis.** Censet Tertulianus, Doctrinę Antiquitatem, in Ecclesia sine discrimine receptæ, certissimum esse Catholicæ, & Apostolicæ Traditionis inditium: sicut è converso novitates Doctrinæ illi oppositas manifestum esse doctrinæ à Catholica veritate deviantis, argumentum.

618 Id ipsum confirmat, *eodem lib.* 4. *contra Marcionem*, vbi affirmat.* Id verius, quod prius; id prius, quod ab initio. (Et *de Præscriptionibus*, *cap.* 31.) Id esse Dominicum, & verum censet, quod prius sit traditum, id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum.*

619 Doctrinā huic planè consentaneam nobis tradit S. IGNATIVS, qui ad Philippenses scribens, hæc habet: * Relinquentes vanitates multorum, & falsas doctrinas, ad illud, quod traditum est nobis à principio verbum, revertamur.*

620 S. BASILIVS, *Epist. ad Antioch. Eccl.* ad hanc rem appositè nos docet, in rebus Religionis nequaquam propriam mentem, proprijque iudicij tenacitatem, sed Sanctorum Ecclesiæ Patrum Antiquitatem, pro norma esse sequendam. *Nos verò fidem (inquit) neque ab alijs scriptam, nobis recentem admittimus, neque ipsi mentis nostræ germina, sive cogitationes tradere audemus, ne verba Religionis, humana commenta existimentur, verum quæ à Sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus, nos annunciamus.*

621 Nec ab hac sententia discedit S. CYRILLVS ALEXANDRINVS, qui nobis salubritèr suadet, ne in rebus Dogmaticis novitates, sed antiquissimas Sanctorum Patrum sententias, quæ Apostolicam Traditionem nobis reddunt securiorem, sequamur. Id tradit *lib. de recta in Deum Fide ad Theodosium*, *lib. Apologetico*, *in Epistola ad Nestorium*: & *in Expositione Symboli Niceni, in fine*, vbi sic scribit: * Sequamur autem Sanctorum Patrum sententias, & Sanctorum Apostolorum, Evangelistarumque Traditionem.*

622 Hanc eamdem Antiquitatis sentētiam venerans Doctissimus, & Antiquissi-

ssimus P. IOANNES CASSIANVS, *Oratione* 21. *cap.* 12. * Oportet (ait) nos Authoritati Patrum per tantam annorum seriem prolatę, vt antiquitus tradita est, iugi observantia, ac reverentia custodire.*

623 Sanctissima TRIDENTINA SYNODVS, *Sessione* 13. plures Canones edidit ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & Confessionis spectantes, quorum Traditio in Antiquitate fundatur: quia scilicet antiquissimi Ecclesiæ Patres ea, quę ibi à Concilio statuuntur, nobis tot retro sęculis tradidere: sic enim scribit Concilium in illius Sessionis procemio: * Sancta Synodus sinceram de hoc Divino Eucharistię Sacramento Doctrinam tradens, quam semper Ecclesia ab ipso Domino IESV CHRISTO, & eius Apostolis erudita retinuit, &c.* Ex qua antiquissima Sanctorum Patrum Doctrina, vndecim Canones de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento formavit.

624 Ipsum TRIDENTINVM CONCILIVM, *Sess.* 14. *cap.* 5. Confessionem Sacramentalem secretam, esse Apostolicam Traditionem affirmat, ea ductum ratione, quod à Sanctissimis, & Antiquissimis Patribus magno, vnanimique consensu secreta Confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia Sancta vsa est, & modò etiam vtitur, fuerit semper commendata: falsumque sit quod quidam arbitrabantur, eam scilicet initium habuisse in Concilio Lateranensi III.* Manifestè refellitur (inquit Concilium) inanis eorum calumnia, qui eam à Divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur.*

625 Nec parum huic suffragatur sententiæ NICOLAVS Pontifex I. relatus *Can. Ridiculum*, *dist.* 12. vbi sic loquitur: * Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt temporibus nostris vel falsò insimulari Sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas Traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, pro libitu semper errantium, infringi patiamur. *

626 In cuius Canonis explicatione Cardinalis TVRRECREMATA, ad maiorem nostrę sententię elucidationem, hæc scribit: * In quo Magister Gratianus continuando propositum suum inducit dictum Nicolai Papę II. quod Patrum Traditiones, quæ Apostolicis, aut Divinis non obsunt præceptis, maximè antiquę servandę sunt: Antiquitas enim Traditiones, authorizat. Non enim faciliter præsumitur Statutum antiquo tempore durasse, si patenter obsisteret rationi, aut inutile foret. Ierem. 6. (*Interroga de semitis antiquis: quia in antiquis est sapientia.*)*

627 In hanc rem aptissimè cadit id, quod ROMANVS CLERVS in causa lapsorum, *ad Cyprianum* scripsit, hoc Dogma in Evangelicæ doctrinæ Antiquitate fundans. * Sed antiqua hæc (inquit) apud nos severitas, antiqua Fides, disciplina legitur antiqua: quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset, dicendo: *Quia Fides vestra prædicatur in toto mundo*: nisi iam exinde vigor iste radices Fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, quarum laudum, & gloriæ degenerem fuisse, maximum crimen est.*

628 Notatu etiam dignissima est hanc circa rem DIVI HIERONYMI sententia. *Epistola* (namque) *ad Pammachium, & Occeanum*, paulò ante finem, hæc scribit: * Quisquis es assertor novorum Dogmatum, quæso te vt parcas Romanis auribus, parcas Fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antea nescivimus? Cur profers in medium quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? vsque ad hunc diem Mundus Christianus sine ista doctrina fuit, illam senex tenebo Fidem, in qua puer natus sum. *

629 Omnia, quæ diximus eleganter cõfirmat S. TRIDENTINA SYNODVS, quę volens pręcavere damna, & detrimẽta, quæ oriri possent, si certò non innotesceret quęnam ex multis Latinis Sacrorum Bibliorum editionibus, quæ circumferebantur, pro authentica habenda esset, altissima sua providentia decrevit, vt illa, quæ *Vetus*, & *Vulgata editio*, passim nuncupabatur, ad omnia Dogmata Evangelij quæ prædicationem, ac quamlibet lectionem, & disputationem pro autentica haberetur. Ratio autem, qua adductum fuit Tridentinum ad prędictum Decretum statuendum, nobisque iniungendum vt prędictam vulgatam editionem tamquam Traditionem, & Fidei Dogma suscipiamus, est ipsius Vulgatæ in Ecclesia Dei antiquitas. Iam Tridentini verba,

sess.

sect. 4. audiamus. * Sancta Synodus considerans, non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quę circumferuntur Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, vt hæc ipsa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & vt nemo illam reijcere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* Hactenus Concilium.

630 Ex hucvsque dictis apertè colligitur, quàm certa, quamque Sacrorum Conciliorum, Sanctorumque Ecclesiæ Patrum menti, & sententiæ consona sit secunda illa Regula, quam nobis ad Apostolicas Traditiones dignoscendas S. VINCENTIVS LIRINENSIS præscripsit, nempè doctrinæ Ecclesiæ Antiquitatem. Transeamus ad Tertiam.

§. III.

TERTIA REGVLA AD Apostolicam Traditionem dignoscendam est, aliquid ab omnibus credi.

631 TErtia Apostolicam Traditionem dignoscendi Regula est CONSENSIO, id est communis, & vnanimis Sanctorum Patrum consensus. Itaq; Sanctos Patres à priscis temporibus ad hanc vsque ætatem, in aliquam veritatem vnanimi consensu conspirasse, certum, & infallibile est Apostolicæ Traditionis argumentum.

632 Huic Regulæ favere videtur pijssimus Imperator Iustinianus, qui *in C. de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, *l.* 5. sic scribit: * Nos sequentes Sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in Sanctis Dei Ecclesijs conversati sunt, Dogmata, iustum fore existimamus cunctis manifestum facere, qualiter de Fide, quæ in nobis est, sentiamus.*

633 Hanc doctrinam, hancque praxim nos docuit II. NICÆNA SYNODVS, quæ ad Imaginum venerationem definiendam ducta fuit Traditione, communique vsu Ecclesiæ successiva Sanctorum Patrum Doctrina edoctę; inquit enim: * Regiam viam incedentes, & Sanctorum Patrum Doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua Spiritus Sanctus inhabitat, Traditionem observantes, definimus.* &c.

634 Ad alicuius Dogmatis Traditionem probandam efficax argumentum est, tale Dogma à Sanctis Patribus, suis in Ecclesijs, multis sęculis fuisse edoctum. Ita sentire videtur TERTVLLIANVS, dũ *de Præscriptionib. cap.* 29. hæc scribit: * Cęterùm quod apud multos vnum invenitur, non est erratum, sed traditum. (Cuius rationem his verbis subiungit:) Ecquid verisimile est, vt tot, ac tantę Ecclesiæ in vnam Fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est vnus exitus: variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum.*

635 At S. IRENÆVS, *lib.* 4. *cap.* 45. Dogmatum Fidei Traditionem in continua, & successiva Sanctorum Ecclesiæ Patrum Doctrina expressius fundat, dum dicit: * Vbi Charismata Domini posita sunt, ibi dicere oportet veritatem, apud quos est ea, quæ ab Apostolis est successio, & id quod est sanum, & irreprobabile, &c. sermonis constat. Hi enim, & eam quæ est in vnum Deum, qui omnia fecit, Fidem nostram custodiunt, & eam quæ est in Filium Dei dilectionem adaugent, qui Scripturas sine periculo nobis exponunt, &c.*

636 Et *cap.* 63. id ipsum confirmat subdens: * Agnitio vera est Apostolorum Doctrina, & antiquus Ecclesię status in vniverso Mundo, & charactere corporis Christi, secundum Successionem Episcoporum, quibus illi eam (quæ in vnoquoque loco est) Ecclesiam tradiderunt, quæ pervenit vsque ad nos custodita sine fictione, neque ablationem recipiens, lectio sine fallatione, & secundum Scripturas expositio diligens sine periculo, & sine blasphemia.*

637 Ex quibus infertur esse certum Apostolicæ Traditionis indicium, quotiescumque secundum seriem suæ successionis Patres aliquod, vt Dogma tradiderint Fidei, & oppositum, vt erroneum confutaverint: hac enim via gravissimi Viri, Apostolicique Patres, & Episcopi, vsi fuere, ex antecedẽtium Patrum, ac Apostolicorum Virorum Doctrina, & exemplo, Hæreticos sui temporis oppugnarunt: sic Sanctus Basilius, super Conglorificatione Spiritus Sancti; Sanctus Hieronymus adver-

versus Helvidium; Sanctus Leo, contra Euthychetem, &c. Traditiones Patrum successivis temporibus Hæreticorum erroribus opposuerunt.

638 Illorum Patrum sententijs non vterentur, nisi compertò esset, ex notissima veritatis regula dicere; vt de Cypriano dixisse fertur Augustinus, & Nazianzeno, eorum authoritate vtens ad Originale peccatum probandum.

639 Non levitèr pro hac re facit ipsius S. IRENÆI Doctrina, qui *lib. 3. cap. 4.* * Si Apostoli (inquit) non reliquissent nobis Scripturas, non me oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias?*

640 Idem etiam deducitur ex ORIGENE, 1. *Periarchon*: * Cum multi sint, qui se putent sentire ea, quę Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant: servetur vero Ecclesiastica prędicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque in præsens in Ecclesijs permanens; illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica Traditione discordat.

641 S. VINCENTIVS LIRINENSIS, *Lib. Contra prophanas vocum novitates, cap.* 40. censet nos in Religionis Dogmatibus debere sequi Traditionis perpendiculum, ac normam, quam Sancti Ecclesiæ Patres per temporum successionem docuere: * Hos ergo (inquit) in Ecclesia Dei divinitus per tempora, & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici Dogmatis vnum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum.* Hæc ille.

642 Et quidem Sanctissimi Ecclesiæ Patres, celebrioresque Doctores ad veritates Catholicas stabiliendas, hęresesque penitùs extirpandas in ijs, quę expresse in Scriptura Sacra non continentur, ab Apostolica Traditione, vel oretenùs à Christo, vel à Spiritu Sancto dictata, & per Apostolos, istorumque Successores, continua successione in Ecclesia Dei conservata, argumentum semper deduxerunt.

643 Id docère videtur S. IRENÆVS, cum loquens de Apostolis, istorumque in prędictis Apostolicis Ecclesijs Successoribus *lib. 3. cap.* 4. hæc scribit: * Quibus Ecclesias committebant, valdè enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus esse volebant, quos & Successores relinquebant, suum ipsorum locum Magisterij tradētes.* Hęc ille. (De hoc successivō ordine inquit Sāctus, *eodē lib. 3. c. 3.*) Ea, quę est ab Apostolis Traditio, & veritatis pręconizatio, pervenit vsque ad nos.* Hæc ille.

644 Constat autem Ecclesiam non novas revelationes accipere, cum Dogmata prædicat: nec de suo loquitur aliquid, vel præter Fidem inducens; nam in Ecclesia est, vt inquit idem Irenęus, * Ea quę est ab Apostolis successio, & id quod est sanum, & irreprobabile conversationis, & inadulteratum, & incorruptibile sermonis constat.*

645 Quidquid prędicat Ecclesia, de Apostolica Traditione secundum temporum, & Patrum successionem descendit, vt censet Irenęus, *lib. etiam 3. c. 3.* dicens: * Et est plenissima hæc ostensio, vnam, & eandem vivificatricem Fidem esse, quę in Ecclesia ab Apostolis, vsque nunc sit conservata, & tradita in veritate. Traditionem ergo Apostolorum in toto Mundo manifestatam in omni Ecclesia, adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt in Ecclesijs, & Successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his (Hæreticis) deliratur.*

646 Apostolicam Traditionem ex continua temporum successione elegantèr confirmat S. EPIPHANIVS; ex hac enim continua temporum serie probat contra Manichæorum hæresim, iustitiam in Mundo semper fuisse conservatam; ait enim: * Iustitia fuit tempore Abel, & Henoch, quibus non erat lex scripta, sed naturalis tantum intelligentia, & Traditio per successionem ex patribus ad filios.*

647 Consonat S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Homil. 18. in Genesim*; loquens enim de Sacrificio Cain, hęc scribit: * Quis, oro, illum ad hanc cognitionem perduxisset? Nullus alius, quam, quæ in animo conscio, scientia.* Patres enim oretenùs Ritus Sacrificiorum, Doctrinam morum, & media necessaria ad salutē cōtinuò filios edocebāt. Circumcisio enim, vt ait Salvator, non erat ex Moyse, sed ex Patribus. Abrahæ, Isaac, Iacob, immo & Noë, Henoch, Enos, Seth, & Adami documenta circa mores, & super naturalia non per scripturam, sed oretenùs ad manus Iudæorum pervenerunt; ea autem erant media ad salutem pro statu illo.

Et

648 Et legis naturæ tempore prætermisso, si ad scriptæ legis ętatem recurrimus, non minor nobis occurret ratio, & fundamentum ad Traditionem in Fidei Dogmatibus ex successione probandam. Egregium huius veritatis experimentum nobis suppeditat RABBI MOYSES, Ægyptius *apud Sixtum Senensem, lib. 2. V. Esdras*, vbi sic scribit: *Moyses in monte duplicem à Deo accepit legem, vnam litteralem, quam ipse ex præcepto Dei omnibus Iudæis evulgavit; alteram spiritualem, quam ita iubente Deo, non scripsit, sed solis septuaginta sapientibus, quos ipse ad custodiam legis delegerat, occultè communicavit, eisque itidem pręcepit, ne eam scripto præberent, sed successoribus suis viva voce revelarent; tùm illi posteris suis, eodem in perpetuum servato ordine, aperirent.*

649 Id ipsum confirmari potest ex *lib. 4. Esdræ, cap. 14.* (estò enim liber iste inter Canonicos non recenseatur, nec tamquam Canonicus sit definitus, attamen Ecclesiasticus est, illiusque authoritate & Ecclesia, & Sancti Patres vtuntur, primamque post Canonicos libros obtinet authoritatem, & ideò post illos in Sacris apponitur Biblijs,) in illo igitur capite loquens Deus cum Esdra hæc dicit: *Adduxi Moysem in Monte Sina: & enarravi ei mirabilia multa, & ostendi ei temporũ secreta, & finem: & præcepi ei, dicens: Hæc in palàm facies verba, & hæc abscondes.* Et in fine eius capitis, de se ait: *Cum complevissem quadraginta dies loquutus est Altissimus, dicens: Priora, quæ scripsisti, in palàm pone, & legant digni, & indigni: Novissimos autem septuaginta conservabis, vt tradas eos Sapientibus de Populo tuo.*

650 Hanc sententiam sequutus Doctissimus ORIGENES, *Homil. 5. in Numeros* de lege Moysi hæc scribit: * Non enim tutum erat aperire, & pandere, sed operire debere singula, & operta cæteris minus capacibus tradere portanda.*

651 Subscribit S. HILARIVS, qui *in expositione Psalmi 2.* sic melius explicat: * Idem Moyses, quamvis veteris Testamenti verba in litteris condidisset; tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senibus, qui Doctores deinceps manerent, insinuaverat; Cuius doctrinæ etiam Dominus in Evangelijs meminit, dicens: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: Omnia, quæ dixerint vobis servate, & facite.**

652 Eamdem sequuti sententiam, id ipsum clarius explicarunt Rabbini, *in cap. Patrum; Moyses accepit legem*: in cuius expositione inquit RABBI IVDAS: *Tractatus hic explicat ordinem Traditionis oretenùs acceptæ.*

653 At RABBI FAGIVS id apertiùs dilucidat, dum sic scribit: * Tenet Iudęorum opinio, Moysem duplicem legem à Deo accepisse; alteram, quam vocant scriptam, quia in scriptis traditam; alteram ore traditam nominant, atque hanc postremam succedaneo quodam ordine per Moysem ad posteros derivatam affirmant. Primus omnium Iosue à Moyse accepit, quam postea senioribus illis, deinceps Prophetis, &c. quam Iudæi, alio nomine Cabalam appellant.* Vndè manifestè probatur, adhuc in veteri Testamento in Dogmatibus ad Cultum, Religionem, maioremque legis intelligentiam, & observantiam spectantibus, Traditionum legem extitisse, hancque continua temporum successione, ac successiva Patrum ad Patres doctrina probari.

654 Id ipsum magna certè expressione confirmat Eruditus PETRVS GALATINVS, *lib. 1. de Arcanis Catholicæ veritatis, cap. 1.* hæc scribens: * Iudæi dogmatum genus duplex habent; vnum quod vocant legem scriptam; alterum, ore traditam; quam nihil aliud esse aiunt, quam legis scriptæ explicationem à Moyse primum Divinitus acceptam, deinde per manus traditam vsque ad Esdram.* Vbi apertè innotescit, Iudæos in veteri Testamento dogmata, quæ vt Divinam Traditionem venerabantur, successiva Patrum doctrina provasse.

655 Nec pro hac eadem doctrina stabilienda efficacia desunt in Novo Testamento argumēta. *Ioann. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cũ autē venerit ille Spirit⁹ veritatis, docebit vos omnem veritatē.* (Et infra:) *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* (Et in c. 14. ait:) *Paraclitus autē Spirit⁹ Sāctus, quē mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* In cuius expositione TERTVLLIANVS, *de Præscriptionibus, cap. 21.* hęc habet; * Dixerat pla-

planè aliquando: *Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modò ea sustinere.* Tamen adijciens, *cum venerit ille Spiritus veritatis, &c.* ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consequuturos per Spiritum veritatis repromiserat, & vbique implevit promissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus Sancti.* Hæc ille.

656 Nec minoris ponderis est, pro hac eadem veritate suffulcienda, textus ille S. Ioannis, *Epist.* 2. vbi sic scribit: *Plura habui vobis scribere; nolui per chartam, & atramentum; spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, vt gaudium vestrum sit plenum.* In cuius expositione notatu dignissima est S. AVGVSTINI sententia, *Serm.* 183. *de Tempore*, sic loquentis: * Bonus Magister est Paraclitus, quia dicit, quę Christus dicenda servavit: hoc enim docet Spiritus Sanctus, quod Dominus docendum se habere dicit. (Et *Serm.* 185.) Nec enim poterant portare angusta eorum pectora sensuum magnitudinem, vt possent intelligere quemodo erat Verbum Deus apud Deum, sicut Dominus insinuat, &c.*

657 Hinc non minorem, sed omninò æqualem sibi vēdicant venerationem Dogmata illa, quæ continua temporum successione, & ex communi Patrum doctrina constat esse à Christo oretenùs tradita, vel à Spiritu Sancto edocta, quam ea, quę Apostoli proprijs manibus exararunt: vtrumque enim pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, ac veneratur Ecclesia.

658 Hanc propositionem elegantèr confirmat SECVNDA NICÆNA SYNODVS dum de Imaginum effiguratione loquens, hæc scribit: * Fatemur vnanimitèr Ecclesiasticas Traditiones, sivè scripto, sivè consuetudine valentes, & decretas, retinere velle, quarum de numero est Imaginum effiguratio.*

659 Idem censet CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM IV. *cap.* 1. Sed clarius, & ad rem nostram aptius TRIDENTINA SYNODVS, *Sess.* 4. *in Decreto, de Scripturarum Canone*, vbi hæc habet: * Necnon Traditiones ipsas tùm ad Fidem, tùm ad mores pertinentes, tamquam vel oretenùs à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, ac veneratur.* Hactenus Concilium.

660 Hæc eadem doctrina recepta fuit, ac venerabiliter admissa in multis antiquis Provincialibus Concilijs; præcipuè in Trevirensi, *C.* 4. Toletano, 12. *C.* 4. & Senonensi, *C.* 5.

661 Ex quibus apertè deducitur, manifestum esse Apostolicę Traditionis indicium Dogma illud, quod à Patribus ad Patres per successionem fuerit derivatum. Idque etiam vterque GREGORIVS confirmat NAZIANZENVS nempè, & NYSSENVS: ille enim *Oratione in Iulianum*: * Præ cæteris (inquit) Traditione accepta vsque in hanc diem servavimus.* Iste verò *ad Ablavium*: * Traditionem quidem (ait) quam à Patribus per successionem accepimus, servavimus in perpetuum firmam, & immotam.*

662 Idem docet S. IRENÆVS, *lib.* 3. *cap.* 3. loquens enim de Polycarpo S. Ioannis Apostoli Discipulo, hæc habet: * Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, & tradidit, & sola sunt vera. (Sed ad rem nostram apertius *cap.* 4.) Cum ad eam (inquit) iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quę per successionem Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, provocamus eos, qui adversantur Traditioni* Hæc ille.

663 Suffragatur S. CLEMENS ALEXANDRINVS, antiquitate, & doctrina Vir Insignis, qui *lib.* 1. *Stromatum.* Apostolicas Traditiones ex continua temporum successione, & Patrum ad Patres doctrina, elegantèr probat, dicens: * Qui veram quidem beatæ doctrinæ servabant Traditionem, statim à Petro, & Iacobo, & Ioanne, & Paulo, Sanctis Apostolis, filius à patre accipiens (pauci autem sunt patribus similes) ad nos quoque Deo volente pervenerunt, illa à maioribus data, & Apostolica depositi semina.*

664 S. ATHANASIVS tam acerrimus fuit Sacrarum Traditionum Apostolicarum defensor, vt plerumque contra Arianos, cæterosque sui temporis Hæreticos, solidissimo hocce argumento vtatur: gloriaturque se se Traditionis virtute, quam ex continua temporum successione deducit, præclarum illum Scriptorem Eusebium Cæsariensem ab Ariana hæresi deiecisse, & ad Catholicam Fidem perduxisse. Notatu certè dignissima sunt illius verba *in tractatu de Synodo Nicæna*, vbi sic scribit: * Quod maioris admirationis est, Eusebius ex Cæsarea Pa-

lesti-

ſtinæ, cum pridiè abnegaſſet, in eamdem ſententiam poſtridiè ſubſcripſit, quam etiam Eccleſiæ legendam miſit, dicens, eam eſſe Eccleſię Fidem, & Patrum Traditionem.* (Et infrà:) *Ecce(inquit) nos demonſtramus, iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres, quaſi per manus traditam eſſe.*

665 Idem ipſum confirmat Athanaſius dum *tractatu de Incarnatione Verbi* cenſet, ideò Paulum Samoſatenum lapſum eſſe, quia à Traditionibus receſſiſſet.

666 Et explicans verba Divi Pauli *ad Theſſalonicenſes 2. Tenete Traditiones*, iudicat ęqualem ſibi promereri Fidem Dogmata illa, quæ ex ſucceſſiva Traditione Patrum ad Patres ſine Scriptura, Catholica tenet Eccleſia, ac illa, quæ nobis ex Sacris litteris innoteſcunt. * Hinc ſanè (inquit) perſpicuum eſt, pleraque Paulum ſine ſcriptis, ſermone dumtaxat, hoc eſt viva voce, non Epiſtolis ſolum, ijs tradidiſſe. Non enim ſecus illa, atque hęc, Fide ſunt digna, itaque & Eccleſiæ Traditionem dignam exiſtimemus, cui præſtanda ſit Fides, vt ſi quid ab ea ſit traditum, nihil vltrà perquiras.* Hęc ille.

667 Traditionem ex continua ſucceſſione clarius confirmat S. EPIPHANIVS, dum *Hæreſi* 25. * Termini (inquit) nobis poſiti ſunt, & fundamenta, & ædificatio Fidei, & Apoſtolicæ Traditiones, & Scripturæ Sanctæ, & ſucceſſiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita eſt.* Hęc Sanctus.

668 Certitudinem de libris Sacris, tàm veteris, quàm novi Teſtamenti, ex infallibili Traditionis ſucceſſivæ à Patribus ad Patres argumento, proculdubiò nos habere dignoſcimus. Quod planum fit ex *Seſſ.* 4. S. TRIDENTINI CONCILIJ. Pro decernendis enim libris, qui eſſent tamquam Canonici in Eccleſia ſuſcipiendi, ad Traditionis Patrum Sancta Synodus fundamentum recurrit. Sancta Synodus, &c. Orthodoxorum Patrum exempla ſequuta, omnes libros, tàm veteris, quam novi Teſtamenti, & Traditiones ipſas, &c. ſuſcipit, & veneratur. Ipſi verò Patres Tridentini ſequuti ſunt Definitionem, & Traditionem Patrum Concilij Florentini, quod iſti ſunt libri Canonici; nam eos omnes receperunt ex Antiquorum Traditione, vt videre licet *in Seſsione vltima, in Decreto vnico Iacobitarum*, vbi Traditio ex ſucceſſione probatur; illi verò longa annorum ſerie, imperturbataque ſucceſſione ex Romanę, & Catholicę Eccleſiæ, Traditione, per ſuccedentes in ea Paſtores, & in ſuis Archivijs, Prædeceſſorū, & Conciliorum Acta ſervantes acceperunt, qui & quot eſſent Canonici libri.

669 Sententiæ etiam noſtræ mirificè ſuffragatur Tridentina Synodus, *Seſſ.* 7. *in Proœmio*; probatura enim Sacrorum Canonum, Conciliorumque Decretorum in rebus Fidei, & morum certitudinem, ac Infallibilitatem, Traditionis vtitur argumento, quam quidem Traditionem ex communi, & ſucceſſiva Sanctorum Patrum Doctrina deducit; ſic enim ait: * Sacrę Scripturæ Doctrinę, & Apoſtolorum Traditionibus, atque aliorum Conciliorum, & Patrum conſenſui inhęrendo, hos præſentes Canones ſtatuendos, & decernendos cenſuit.*

670 Quod amplius confirmat, dum *Seſſ.* 13. *in Proœmio* hæc habet: *Sancta Synodus ſinceram de hoc Divino Eucharistię Sacramento Doctrinam tradens, quam ſemper Eccleſia ab ipſo Domino IESV CHRISTO, & eius Apoſtolis erudita retinuit.* Et *Seſſ.* 14. *de Sacramento Vnctionis, cap.* 1. præmiſſis illis Iacobi verbis: *Orent ſuper eum vngentes, &c.* hęc addit: * Quibus verbis, vt ex Apoſtolica Traditione, per manus accepta, Eccleſia didicit, &c.*

671 Et *Seſſ.* 22. *cap.* 1. ex ſucceſſiva Patrum Traditione docet, laicis non eſſe præceptam Communionem ſub vtraque ſpecie, & parvulos ad eam ſub nulla ſpecie teneri. Et *cap.* 4. *eiuſdem ſeſsionis* tradit, Miſſæ Canonem non ex Sanctorum Pontificum pijs inſtitutionibus, ſed ex Chriſti verbis, & Apoſtolorum Traditionibus conſtare. Et *cap.* 9. hæc habet: * Qui adverſus veterem hanc in Sacroſancto Evangelio, Apoſtolorum Traditionibus, Sanctorumque Patrum Doctrina fundatam Fidem, &c. Miſſę, & Euchariſtiæ, &c.* De qua re, octo Canones Sancta Synodus conformavit.

672 Id amplius confirmat *Seſſ.* 23. *cap.* 1. vbi Doctrinam de poteſtate ſacrificandi, & de Sacrificio, ex Scriptura, & Traditione deducit, dicens: * Sacræ litteræ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ Traditio ſemper docuit. * Et *cap.* 2. Ordinum numerus, & munus à ſacris litteris, & Traditione in Eccleſia haberi affirmat. Et *cap.* 3. loquens *de Sacramento Ordinis, &c.*

de

de effectu, clarius asseverat, hunc ex Apostolica Traditione, & successivo Patrum consensu manifestè constare. * Ex Sacris (inquit) litteris, & Apostolica Traditione, ac Patrum omnium consensu, per Sacram Ordinationem gratia confertur.*

673 INNOCENTIUS I. *Epist. 3. cap. vlt.* loquens de libris Canonicis, illorumque numero, qui in Ecclesia Dei recepti sunt, hæc habet: * Qui verò libri recipiantur in Canone Sanctarum Scripturarum, brevis annexus ostendit. Hæc sunt ergo, quæ desiderata moneri voce voluisti. Moysis libri, &c.* Et immediatè omnes suo ordine recenset. Et vt pateat Catholicam Ecclesiam hos libros pro Canonicis habere, & hos esse, è quibus infallibilia argumenta pro Fidei Dogmatibus eruuntur, fatetur Ecclesiam hos ex successiva Patrum Traditione suscepisse; vt constat ex *illius Epistola ad Decensium*, vbi sic scribit: * Id, quod à Principe Apostolorum Petro, Romanæ Ecclesiæ traditum est, atque nuncvsque custoditur, ab omnibus debere servari, &c. *

674 Id ipsum confirmat CONCILIVM CARTHAGINENSE III. *cap.* 4. Cum enim decrevisset, quinam Sacræ Scripturæ libri, vt Canonici essent in Ecclesia suscipiendi, volens sui Decreti rationem reddere, cur nempè soli illi in prædicto Concilio recensiti, & non alij essent, vt Canonici admittendi, ad successivam Traditionem recurrit, dicens: * Quia à Patribus ita accepimus in Ecclesia legenda. *

675 Nec omitti potest, id quod narrat THEODORETVS, *lib.* 1. *Historiæ, cap.* 8. loquens de celebri illa controversia, quæ sub Arij tempestate, Ecclesiæ Fideles turbavit: Negabat Arius Consubstantialitatem Filij cum Patre; oppositum ex Sacra Scriptura apertissimè constabat, illis precipuè Locis: *Ego, & Pater vnum sumus. Qui videt me, videt & Patrem. Ego in Patre, & Pater in me est.* Hi autem loci, iuxta communem Sanctorum Patrum Doctrinam, de vnitate Substantiæ, & Essentiæ interpretabantur. Nihilominus tamen, vt refert Theodoretus, Sancta Synodus, ex Doctrina tradita, hæresim Arij damnavit, & quod maximè miratur Athanasius, Eusebius Cęsarensis, cum alijs paucis, Cōsubstantialitati non cōsentiebat, & tādē ob solā Traditionem Patrum, assensum præbuit. Testis est Athanasius, *Tract. de Synodo Nicæna*, paulò post initium. * Quodque (ait) dictu mirum est, Eusebius Episcopus Cæsaræ Palęstinæ, quamquam ante vnum diem negarat, postea tamen subscripsit, ac per litteras significavit Ecclesię suæ, hanc esse Fidem Ecclesię à Patribus traditam, cunctisque palàm ostendit, quod prius errassent, frustraque contendissent adversus veritatem.*

676 Pro coronide, prætereunda non est S. NICÆNA SYNODVS, quæ ante Fidei confessionem, *in cap. Iam monuimus*, postquam omnes Articulos ad Christum attinentes recensuit, vt omnes Fideles illos Fide certa, & infallibili crederent, ad successivam Sanctorum Ecclesiæ Patrum Traditionem recurrit, dicens: *Hęc est Ecclesiæ Fides, Apostolica, inculpata, quam desuper ab ipso Domino per Apostolos, & à patribus ad filios traditam Ecclesia colit, & vsque nunc, & in sempiternum retinet.* Hæc Nicænum Concilium.

677 Ex ijs omnibus apertè deducitur, ad Apostolicas Traditiones dignoscendas, certissimam esse Regulam illam, quam tertio loco cum Sancto Vincentio Lirinensi proposuimus, continuatam nempe, ac successivam Sanctorum Patrum Doctrinam, qua ad Fidei Dogmata stabilienda, securissimè adduci possumus, ac moveri; vt solidissimis Sacræ scripturæ, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum Doctrinis statuimus, ac probavimus.

CAP. VII.

OSTENDITVR QVÆNAM sit Ecclesia, quam, ceu Apostolicæ Traditionis Cynosuram, præ oculis habere debeamus.

678 PPropositis iam, ac sufficienter suffultis tribus illis, iuxta Sanctos Patres, certissimis Regulis, quibus ad Apostolicam Traditionem dignoscendam, ducamur, nempe Vniversitate, Antiquitate & Consensione, inquirendum modò nobis est, quænam sit Ecclesia, à qua Apostolicam Traditionem, his tribus designatam Regulis, accipiamus.

CON-

CONCLVSIO.

A sola Romana Ecclesia, quę Primatum inter Apostolicas obtinet, Catolicamque Fidem puram semper, inviolabilem, & incontaminatam servavit, & servat, possumus, & debemus Apostolicarum Traditionum certitudinem accipere.

679 Hanc nostram assertionem eleganter probat Sanctissimus Pontifex INNOCENTIVS I. *Epist. I. ad Descensium*, vt habetur *in Can. Quis nesciat, Distinct.* 11. vbi hęc habet: * Quis nesciat, aut non advertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nuncvsque custoditur, ab omnibus debere servari? Nec superinduci, aut introduci aliquid, quod authoritatē non habeat; aut aliunde accipere videatur exemplum? &c.*

680 Ipse Sanctissimus Pontifex postquam dixit Hispaniam, & Galliam Sancto Petro, solique Romanæ Ecclesiæ Fidem, & Magisterium debere, subdit: * Quod si non legunt, quia nusquam invenitur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse, non dubium est: ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpè dilectionem tuam ad Vrbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, & quem morem, vel in consecrandis Mysterijs, vel in cęteris agendis arcanis teneat, cognovisse. Quod sufficere arbitraremur ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, &c. (Et infra:) Vel si qui à Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut nobis indicare non differas, vt scire valeamus, qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ, quam Romanæ, existimant consuetudinem esse servandam.* Hęc ille.

681 Id ipsum egregiè confirmat *Can. Nolite, ead. Dist.* in quo IVLIVS PONTIFEX I. hoc nobis præbet documētum. * Nolite errare, fratres mei, doctrinis varijs, & extraneis charissimi nolite abduci. En instituta Apostorū, & Apostolicorū Virorū, Canonesque habetis. (Et infra:) Satis enim indignū est, quemquā, vel Pontificum, vel Ordinū subsequentiū, hanc regulam refutare, quā Beati Petri Sedem, & sequi videat, & docere. Multum enim convenit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quæ inde authoritatem habet, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit Principatum. *

682 Facit optimè pro hac re sententia CALIXTI I. Pontificis, *Can. 1. Dist.* 12. sic loquentis: * Non decet à capite membra discedere: sed iuxta Sacræ Scripturæ testimonium omnia membra caput sequuntur. Nulli verò dubium est, quod Apostolica Ecclesia (loquitur de Romana) Mater est omniū Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus vos convenit deviare, &c.*

683 Consonat GREGORIVS Pontifex IV. *Canon. 2. Dist. ead.* dicens: * Non novum aliquid pręsenti iussione præcipimus: sed illa, quæ olim videntur indulta, firmamus: cum nulli dubium sit, quod non solum Pontificalis causatio (id est accusatio Episcoporum, vt notat Glossa) sed omnis Sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apostolicam, quasi ad Caput Ecclesiarum, debeat referri, & inde normam sumere, vnde sumpsit exordium, ne Caput institutionis videatur omittere. Cuius authoritatis Sanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ Petræ, super quam Christus vniversalem fundavit Ecclesiam, soliditate divelli. Si quis hæc Apostolicæ Sedis præcepta non observaverit, percepti honoris esse hostis non dubitetur.* Ex quibus Canonicis textibus, ab omni Ecclesia admissis, manifestè convincitur, ad Fidei, religionis, & Apostolicæ Traditionis certitudinem, & securitatem, nobis sufficere Romanæ Ecclesiæ Fidem, & Traditiones amplecti: Ipsa enim in Fidei, & religionis magisterio prima dignoscitur, à qua cęterarum Ecclesiarum religio, Fidesque tamquam à purissimo, ac crystallino fonte manavit. Cum autem cæterę Apostolicę Ecclesiæ primitivam illam Fidem, in qua ipsas Apostoli condiderunt, minimè retinuerint; hinc apertè deducitur, nos ad Apostolicarum Traditionum probationem obtinendam, earumque certitudinem dignoscendam, solum posse, & debere ad illas recurrere, quæ apud Romanam Ecclesiam Vniversitate, Antiquitate, & Consensione floruerint; sic enim certissimè agnoscemus prædictas Traditiones esse Catholica Dogmata, tenerique Fideles prædictis Traditionibus eadem infallibili certitudine, qua veritates in Scriptura Sacra revelatę creduntur, assentiri.

684 Quod ad Apostolicarum Traditio-

tionum probationem, & certitudinem debeamus ad primam, & pręcipuam Apostolicam Ecclesiam, qualis est Romana ab Apostolorum Principibus Divo Petro, Divoque Paulo, proprio sanguine condita, & irrigata, recurrere, docent non modò laudati Pontifices, sed etiam Sanctissimi illi Patres, qui apud Ecclesiam maiori pollent Authoritate.

685 S. IRENÆVM, vnum ex antiquissimis Patribus, vtpote qui secundo sæculo floruerit, audiamus; hic enim, *lib. 3. cap. 2. 3. & 4.* hęc scribit: *Sed quoniam valde longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, & gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis Traditionem, & annunciatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum pervenientem vsque ad nos, indicantes, confidimus, eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquàm oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique Fideles; in qua semper ab his, qui sunt vndique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.* Hæc ille. Et Card. Baron. Anno 179. refert, Irenęum Romam venisse, ad investigandas Apostolorum Petri, & Pauli Traditiones.

689 Suffragatur S. AVGVSTINVS, *Epist. 86. ad Cassulanum*, vt habetur *in Can. In his, Dist. 11. & lib. de Fide Christiana, vel Epist. ad Ian.* cuius sententia refertur *in Can. Catholica*, ibid. Loquẽs enim de Ecclesia Romana, & de illius Fidei, & Apostolicarũ Traditionũ certitudine, hæc scribit: *Quidquid in ea tenetur, aut authoritas est Scripturam, aut Traditio vniversalis, aut certè propria, & particularis institutio. Sed authoritate tota constringitur vniversali Traditione maiorum. (Et *in lib. Contra Manichæos* relato *in Can. Palam dict. Dist.* idem asserit:) Palam est, quod in re dubia ad Fidem valeat authoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum, vsque ad hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum Consensione firmatur.* Hæc ille.

686 TERTVLLIANVS, qui de Traditionibus non perfunctoriè scripsit, hanc veritatem sæpius, & luculentèr cõfirmat, *lib.* enim *de Præscriptionibus, cap. 19. & 20.* hæc habet: *Vbi apparuerit esse veritatem disciplinæ, & Fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarũ, & omnium Traditionũ Christianorũ.* At vnde probandæ sunt Traditiones? Respondet ipse, *lib. de Præscrip. adver. Hæret. cap. 20. & 21.* probandas esse ex Ecclesijs, quas Apostoli ædificarunt; cumque nulla istarum Fidem ab Apostolis acceptam retinuerit, nisi sola Romana, ex hac vna certum, infallibile, ac indubitatum Apostolicarum Traditionum desumendum est argumentum.

687 Id ipsum confirmat ipse Tertulianus, loco citato, vbi paulo post, hęc habet: *Quid autem Apostoli prędicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, & hic pręscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva quod aiunt voce, quàm per Epistolas postea. Si hęc ita sunt, constat inde omnem Doctrinam, quę cum illis Ecclesijs Apostolicis, matricibus, & originalibus Fidei conspiret, veritati deputandam: id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam vero doctrinam de mendacio pręiudicandam, &c.*

688 Et *lib. 1. contra Marcionem, cap. 21.* pro Apostolicis Traditionibus, & ad confirmationem doctrinæ, qua statuerat, has debere præcipuè accipi ex Ecclesijs, quas Apostoli ędificarunt, quęque primitivam Apostolorum Fidem retinent, ac conservant, hęc scribit: *Apostolica Traditio nihil passa est in tempore suo circa Dei regulam, & non alia agnoscenda erit Traditio Apostolorum, quam quæ hodie apud ipsorum Ecclesias editur. Nullam autem Apostolici census Ecclesiam invenias, quę non in Creatore Christianizet. Aut si hę erant à primordio corruptę, quę erant integrę?* Hęc ille.

689 *Lib.* item *de Præscriptionibus, cap. 36.* *Age iam (inquit) qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuę; percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Catholicę Apostolorum suis locis pręsidentur, apud

quas

quas ipsę authenticę litterę eorum recitantur, sonantes vocem, & reprȩsentantes faciem vniuscuiusque. (Et intra:) Habes Romam, vnde nobis quoque Authoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam Doctrinam Apostolicam sanguine suo profuderunt, vbi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, &c. Videamus, quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis Ecclesijs contesseraerit. *

690 Eamdem Doctrinam confirmat, *lib. 4. adversus Marcionem, cap.* 5. vbi sic loquitur:* In summa, si constat id verius quod prius; id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis; pariter vtique cōstabit esse ab Apostolis traditū, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit Sacrosanctum. Videamus quod lac à Paulo Corinthij hauserint; ad quam regulam Galatæ sint recorrecti; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij; quid etiam Romani de proximo sonent, qui Evangelium, & Petrus, & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.*

691 Tandem quam optimo iure Catholica Dogmata, quę non ex Scriptura, sed ex Apostolica Traditione Christiana sequitur Religio, non ex alia, nisi ex Romana Ecclesia desumantur, & ex Vniversitate, Antiquitate, & Consensione apud illam probentur, optimè declarat cæterarum Ecclesiarum consuetudo, & observantia; istæ enim in materijs Fidei, controversijsque Dogmaticis se se semper, ad Ecclesiæ Romanæ Magisterium, & Doctrinam contulerunt. De Gallicana Ecclesia refert Baronius, *tom. 9. anno* 831. ipsam pro ingenti desiderio, quo exoptabat in Divini Cultus Ritibus instrui, ad Romanam Ecclesiam cōvolasse, cum Ludovicus Rex ad Gregoriū misit Amalarium, vt de Ordine, ac Ritu Officij instrueretur; immò existente Romæ Carolo Magno Imperatore, cum Clerici Galliæ, suas cæremonias, & solemnitates Officiorum, Romano Ritui præferre intenderent, Pius Imperator silentium eis imposuit, inquiens: rivum suo fonti nec præferri, neque comparari posse.

692 Aliæ pariter Orientales Catholicæ Ecclesiæ Romam semper pro dubijs, nedum Fidei, sed Rituum, miserunt, & ab ipsa præscriptas leges, atque Ritus, ex Apostolica Traditione acceperunt. Ecclesiæ item Græciæ, Armeniæ, aliæque plures, de quibus postea dicemus, idem omninò prȩstitere. At si præcipuam inquiramus rationem, ob quam omnes Ecclesiæ, vt Fidei, Religionis, & Apostolicę Traditionis Infallibilitatem inveniant, ad Romanam recurrunt Ecclesiam, nulla alia melior nobis occurret, quam illa, quę à Galliarum Episcopis (prout refert Baronius, *anno* 825. *tom. 9.*) affertur. Illorum verba notatu dignissima ob venerationē, & ęstimationem, quam de infallibili Romanę Ecclesiæ Authoritate testantur, audiamus.

693 *Hęc Sancta Ecclesia per eosdem Apostolos protegente Spiritu Sancto, ab omni hęresi illibata hucusque conservata est, vt non solum quodlibet erroris diverticulum declinaret, sed potius omnes à rectę Fidei tramite quoquomodo deviantes, per Orthodoxos eorundem Successores, toto Orbe terrarum, ad recti ordinem revocaret. Testis huius rei est, non quilibet angulus, sed Orbis terrarum vniversus, quia quoties tales per Mundum prȩceptiones motę sunt, &c. ob huius Sanctitatem Sedis Pontificię, aut certè cum consensu illius, verbis vel litteris porrecto, corrigere, porrectumque, ad conservandum statuere consuevit. (Et infrà:) Semper huius Sanctę Sedis Vicarij Apostolorum, &c. revocare studuit.* Eam enim semper Fidei, ac disciplinę ab Apostolis acceptæ Magistram agnoverunt ijdem Galli, vt cōstat ex *Epistola Caroli Regis ad Nicolaum I.* teste Cardinali Baronio, *tom.* 10. *anno* 863.

694 Cum igitur Romana Ecclesia, prę omnibus alijs Apostolicis, sinceram Fidei, Cultus, & Religionis puritatem servaverit, istaque vnica sit, quę privilegium istud retineat; hinc apertè deducitur, quam iure optimo S. Augustinus, S. Irenęus, alijque Sanctissimi Patres, & eruditissimi Viri (quos ne importuni videamur missos facimus) dixerint, & censuerint, pro Apostolicis Traditionibus in rebus Fidei, Cultus, Rituum, cæterorumque Sanctorum Ecclesię morum, debere nos ad Ecclesiam cęterarum originem, & fontem recurrere, Romanam nempè, quam gloriosissimi Apostoli, Apostolorumque Principes D. Petrus, Divusque Paulus, sua Doctrina plantarunt, suoque sanguine irrigarunt.

CAP. VIII.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitatem Apostolica Traditione fulciri, luculenter probatur.

695 SAcratissimorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum Doctrina satis suprà probavimus Apostolicam Traditionem esse firmum argumentum, ac solidum fundamentum ad veritates Fidei confirmandas; statuimus insuper eisdem Concilijs, Sanctissimisque Ecclesiæ Patribus inhęrentes, tres securissimas Regulas, quibus Apostolica dignosci debet Traditio; ac tandem ostendimus nullas alias Regulas securiores esse, & certiores ijs, quas Romana Ecclesia docet, sequitur, & observat. His igitur sufficienter traditis, modò nobis inquirendus est præcipuus nostri laboris scopus, an videlicet Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitas firmari possit argumento à Traditione desumpto.

CONCLVSIO.

Adeò firmum, & indubitabile est, Divi Petri Successores, Romanos nempè Pontifices habere privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis, vt certissimè statuere possimus, prædictam Romani Pontificis Infallibilitatem, esse Apostolicam Traditionem, omnibus bonæ Traditionis numeris absolutam.

696 Huius Conclusionis ratio, meridiana luce clarior, effulget. Etenim Apostolica Traditio, vt Sacratiorum Conciliorum, Sanctissimorumque Patrum testimonijs supra in Traditionis Regulis latè probavimus, Vniversitatem, Antiquitatem, & Consensionem, sive vnanimem Sanctorum Patrum consensum exigit, & exposcit: at Romana Ecclesia istis Conditionibus, & prærogativis, vt supra etiam ostendimus, insignitur; Summumque illius Pontificem habere privilegium non errandi in rebus ad Fidem, moresque spectantibus, vniversaliter in tota Ecclesia, continua ferè omnium sęculorum successione admittitur, ipsumque fatentur, ac venerantur non modò Sacratissima Concilia, tùm Provincialia, & Nationalia, tùm Generalia, sed etiam admirabili Consensione Sanctissimi Ecclesię Patres, qui in omni ętate sapientia, virtute, ac Doctrina floruerunt; neque illud denegant, immò humilitèr agnoscunt, totius Orbis Christiani Regna, vt ex Imperatorum, Regumque, qui præcipuis Orbis Regni dominati sunt, pijssimis rescriptis perspicuum fiet: necesse ergo est, vt privilegium non errandi, quod in Summo Pontifice propugnamus, Ecclesiasticam, & Apostolicam Traditionem esse fateamur. Demõstrata superius maiori; minorem, ad quam tota devolvitur difficultas, in sequentibus probaturi sumus.

§. I.

ROMANVM PONTIFICEM habere privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis, multæ Sanctorum Episcoporum Authoritates ostendunt.

697 NOstram Conclusionem apertè confirmat Vniversalis in omnibus, & præcipuis Christiani Orbis Regnis Confessio facta ab Episcopis, qui Apostolis succedunt in Officio, & Doctrinæ veritate, qua Ecclesiam instruunt. At quia multi sunt Episcopi, qui hanc veritatem fatentur, ideò claritatis gratia, varia testimonia, per sęcula dividenda censuimus.

§. II.

EX SÆCVLO TERTIO.

698 NOSTRAM Assertionem manifestè probat celebris illa controversia, quæ iam hoc tertio Sęculo, sub Sancto Pontifice, & Martyre Stephano, Novatianorum, & Cataphrigarum occasione agitata est. Cum enim inter Episcopos disceptaretur: An ab Hæreticis baptizati, cum se se ad Catholicam Ecclesiam conferrent, essent denuò baptizandi? Plures Orientis Episcopi pro affirmativa parte acriter decertabant, quibus in Africa Sanctus Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, subscribebat. Re tamen, vtpotè ad Fidem, moresque spectante, ad Sanctum Pontificem Stephanum delata, Sanctissimus Pontifex vni Apostolicę Traditioni in Romana Ecclesia receptę innixus, totam controversiam ab-

absolvit, ac quid ab omnibus tenendum esset, decrevit; vt sentit Dominicus à Sancta Trinitate, *Biblioth. Theolog. lib. 3. sect. 4. cap. 16.* qui hac de re sermonem instituens, hęc habet: * Tum maximè enituit quanta in Petri Successore esset Authoritas, quamque infallibile eius in quæstionibus Fidei Iudicium, quandoquidem Sanctus Stephanus Papa, nullis alijs fermè armis, quàm maiorum Traditione vallatus, cuius Sedes Romana fidelis semper, & invicta custos extitit, omnem Orientalium, & Occidentalium impetum sustinuit Episcoporum.*

699 Cum igitur Sanctissimus Pontifex Synodos Iconiensem, & Carthaginensem damnasset, illasque irritas declarasset, decrevit, & definivit: Ritè semel ab Hæreticis baptizatos, venientes ad Ecclesiam, non esse iterum baptizandos, cui Apostolico Decreto, ceu omninò certò, infallibili, ac indubitabili, quotquot pro Hæreticis haberi noluerunt, humiliter paruerunt, ipsique Catholica Fide assensi sunt, idemque non modò Orientis, & Occidentis Episcopi, sed Fideles etiam omnes pia, laudandaque animi demissione pręstiterunt. Et ipse Sanctus Cyprianus, qui ingenti animi contentione pro contraria parte steterat, calculum reduxit, & Ecclesiæ Definitioni cōstāter adhæsit. *Non incongruenter existimandum esse (inquit Augustinus, *Epist. 48. ad Vincentium*) quod suam correxit sententiam, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. *Immò addit Augustinus certò non constare, Sanctum Cyprianum oppositam vmquam tenuisse sententiam: * Quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub eius nomine à præsumptoribus, atque mendacibus fuisse confictum.*

§. III.

EX SÆCVLO QVARTO.

700 EAdem conclusio confirmatur ex ijs, quæ ÆGYPTI EPISCOPI in Alexandrina Synodo congregati, *ad Felicem Pontificē* scripserunt, ipsi narrantes impias, ac inhumanas crudelitates, quas sibi ab Arianis inflictas pro Fide constanter patiebantur, illiusque opem, & auxilium humilitèr implorantes, vt illos sua Infallibili in rebus Fidei Authoritate protegeret, & à barbaris illis hostilitatibus vendicaret: * Ideò, Pater Beatissime, (inquiunt) quia sępe Antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica Sancta Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus, pręfatam Apostolicam, & summam expetimus, iuxta Canonum Decreta, Sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde Prædecessores nostri Ordinationes, & Dogmata, atque sublevationes cæperunt.*

701 Et paulò infra: * Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipsam formam vniversorum titulorum lucidissimam Dominus IESVS CHRISTVS vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est enim Sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, relevantur. Et sicut in Christo Christiani, & in Petra, id est Christo, Petrus, Petri renovantur Ecclesiæ.*

702 * In his vltimis verbis (Dominicus à Sancta Trinitate, *vbi sup.* ait:) legendum videtur, & sicut in Christo Christiani, ita & in Petra, id est Petro, renovantur Ecclesiæ, vt sit sensus: Romanę Ecclesiæ Pontificem, si quid in cæteris Ecclesijs vitiatum, aut deprabatum sit, suprema sua, & Infallibili Authoritate, & posse, & debere corrigere. *

703 Ægyptij igitur Alexandrinæ Synodi Patres prosequuntur: * Tu es enim, sicut Divinum veracitèr testatur eloquium, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibique claves Regni Cœlorum commisit, atque ligare, & solvere potestativè, quæ in terra, & quæ in Cœlis sunt, promulgavit. Tu prophanarum hæresum, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, caputque omnis Orthodoxę doctrinæ, & immaculatæ Fidei existis.* Hactenus illi. Quibus verbis Athanasius cum cæteris Ægypti Episcopis Infallibilem Romani Pontificis authoritatem apertè fatentur; ipsum siquidem vocant omnis Orthodoxæ Fidei, & immaculatæ Doctrinæ Principem, Doctorem, & Caput, quod absque privilegio non errandi subsistere non potest.

704 Huc egregiè facit præclarum STEPHANI, aliorumque trium Africano-

norum Episcoporum testimonium, qui *ad Sanctum Damasum* scribentes, Apostolicæ Sedis Supremam super omnem Ecclesiam potestatem apertè fatentur, simulque docent omnes in gravioribus rebus, præcipuè verò in Episcoporum causis debere ad illam recurrere, nihilque de re alicuius ponderis, aut momenti, sine Apostolicæ Sedis consilio, authoritate, disponi posse, ac stabiliri. Cumque inter graviora Ecclesiæ negotia recensenda sint ea, quæ ad Fidei Infallibilitatem spectant; & inter Episcoporum causas, multæ circa Hęresum damnationem occurrant, hinc planum fit, omnes hasce causas, & pręcipuè eas, quę ad Fidei Infallibilitatem spectant, Africanorum Episcoporum testimonio esse comprehensas. Illorum autem verba hęc sunt: * Notum facimus vestrę Beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros, Venerabiles videlicet Episcopos, Vobis inconsultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur, cũ vestræ Sedi, Episcoporum iudicia, & summorum finem negotiorum Ecclesiasticorum, in honore Beatissimi Petri, Patrum Decreta omnium, cunctam reservavere sententiam inquirendi reverentia de Dei rebus, quas omni cura, & sollicitudine observare debemus. Maximæ vero, iustè debent ab ipso Pręsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quam relevare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid horum quamvis in remotis, vel in longinquo positis, ageretur Provincijs, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almæ Sedis vestrę fuisset deductum, vt eius authoritate, iuxta quod fuisset pronuntiatum, firmaretur.* Quibus verbis pro Infallibilitatis privilegio Ecclesię, Romanoque Pontifici in rebus Fidei, nihil aptius potest excogitari. Si enim Africani Episcopi intelligerent, Romanum Pontificem Infallibili non errandi privilegio carere, neutiquam ad Summum Pontificem, vti Supremum Ecclesię Caput recurrerent; in rebus maximè Fidei, & Religionis, quæ resolutionem, ita omninò certam, & infallibilem, vt falso subesse non possit, tuo sibi iure vendicant, & exposcunt.

705 Supremam Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitatem egregiè confirmat S. ATHANASIVS vnà cum Ægypti Episcopis, *in Epist. ad Pontificem Marcum scripta* (quam etsi Sancti Athanasij esse dubitet Baronius, genuinam tamen esse, ac legitimam gravissimi testantur Authores) in illa hæc inter alia leguntur: * Optamus vt à vestræ Sanctæ Sedis Ecclesiæ Authoritate, quæ est Mater, & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem Fidelium Orthodoxorum percipere per pręsentes Legatos mereamur, quatenus vestra fulti Authoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi à memoratis ęmulis Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, evadere, nobisque commissos eruere valeamus. Verè novimus Apostolatus vestri cor, gratia Sancti Spiritus, in tantum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis, quanto magis nobis, qui licet exigui, Ordinis tamen vestri sumus, vobisque obediẽtes, cum omnibus nobis commissis, & sumus, & semper esse volumus? Ideò decet, & oportet vos nobis hęc, & alia, quæ necessaria iuxta Sapientiam, quam vobis præstitit Altissimus, esse cognoveritis, absque tarditate præstare.*

706 Quibus verbis supponunt sanam, & integram Fidem in Romano Pontifice tunc fuisse, ipsumque Authoritate pollere ad Hæreticos corrigendos, ac emmendandos, & ad Catholicos in vera Fide confirmandos, quod absque Infallibilitatis privilegio præstari non potest. Et estò pręd̄icta Epistola notata esset de illegitima, Divoque Athanasio falso adscripta, adhuc non possent adversarij, Sancti Athanasij authoritatem subterfugere, cum idem Sanctus eadem in substantia testetur in Epistola ad Pontificem Felicem II. scripta, quam supra tradidimus, & *tom.* 1. Conciliorum habetur.

707 Pro infallibili Romani Pontificis Authoritate lectu dignissimum est illud, quod S. BASILIVS Divo Athanasio scripsit *in Epist.* 52. in qua agit de Legatione Romam mittenda, & Roma postea ad Orientalem Ecclesiam deleganda; asserit enim: * Visum est autem mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quę hic geruntur consideret, detque consilium. Et quoniam difficile est, vt communi, ac Synodico Decreto aliqui illinc mittantur: ipse sua Authoritate in ista causa vsus, Viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos, verum iuxta ad hoc quoque accomodatos, vt mansuetudine,

ne, & facilitate ingenij eos, qui distorti, & obliqui apud nos sunt, corrigant, aptè, ac dispensatoriè sermonem attemperantes; omniaque secum habentes, quę Arimini ad necessariam solutionem gestorum illic facta sunt.*

708 Quod S. BASILIVS, cum alijs Orthodoxis Orientis Episcopis, Legatos ad Damasum Papam, cęterosque Occidentis Antistites, in rebus Fidei, & Religionis pluries miserit, necnon etiam litteras scripserit, quibus licet desit germana Inscriptio, tantumque *ad Occidentales* Titulus ponatur, eas tamen primo loco ad ipsum *Damasum Romanum Pontificem* esse conscriptas, quæ paulò ante ex *Epistola ad Athanasium* diximus, satis clarè ostendunt, pluribusque insuper demonstrat Cardinalis Baronius, *tom.* 4. *Annal. ad annum Domini 372.* vnde satis colligitur quanti fecerit in rebus Fidei, & Religionis, Romanæ Sedis Authoritatem.

§. IV.

EX SÆCVLO QVINTO.

709 NEc in Quinto Sæculo gravissimi defuere Patres, qui huius Supremæ, & indefectibilis Authoritatis Pontificiæ in rebus Fidei, & Religionis assertores fuerint, & testes. Primò etenim loco effulgent duo principalissima, & præclarissima Gallicanæ Ecclesiæ lumina VICTRICIVS ROTHOMAGENSIS, ET EXVPERIVS TOLOSANVS, EPISCOPI, qui ambo, cum in his, quæ ad Fidei Doctrinam, & Ecclesiasticam disciplinam pertinent, ab Innocentio Papa, vt patet ex ipsius ad eos Epistolis, normam tenendam sollicitè petierint, satis ostenderunt, necnon alij Sancti eiusdem Ecclesiæ Episcopi eorum imitatores, ad Sedis Apostolicæ Doctrinam, tamquam ad Divinum semper in Petro loquens Oraculum, confugiendum esse: illudque firmum, ac solidum existimandum, quod tantæ Sedis Authoritate semel fuerit comprobatum.

710 Nec minori consideratione pro Suprema, & infallibili Romani Pontificis Authoritate dignum videtur, quod ad Orientales Episcopos, MAXIMIANVS, CONSTANTINOPOLITANVS EPISCOPVS, scripsit: *Omnes (inquit) fines terræ, quę Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram Fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tamquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ Fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam Fidem esse confessus, Domino revelante, cum dixit: *Tu es Christus Filius Dei Vivi, &c.* Decebat tantæ Dignitatis, & Sapientię virum, non ab alio Cœlestis Mysterij arcana requirere, nisi ab eo potissimum, quem non potuit caro, & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse, sua secreta dignatus est aperire. *Beatus es* (inquit) *Simon Bar-Iona, &c.* Hunc enim de cęteris mortalibus, ex toto terrarum Orbe, Conditor Orbis elegit, cui Cathedram Magisterij principaliter possidendam tenere, perpetuò privilegij iure, concessit, vt quisquis Divinum aliquid, aut profundum nosse desiderat, ad huius pręceptionis Oraculum, Doctrinamque recurrat: nec illi humiliter referre, quòd solvendum est, erubescat, etiam si ipse, quod quæritur, non ignoret.* Si Fideles Catholicæ Fidei lucem, Vniversalemque in rebus Fidei Doctrinam, & Magisterium à Romano Pontifice recepturi sunt (teste Maximiniano) profectò necesse est, vt iste indefectibilitatis privilegio effulgeat, ne dicatur Deū Ecclesiæ suę sufficiēter nō providisse, cū daturus illi veritatis Doctorē, erroris Magistrum in illa cōstituisset; Ecclesia enim vnà cum illo erraret, si iste privilegio non errandi careret.

711 Hoc eodem Sęculo S. TVRIBIVS, ASTVRICENSIS EPISCOPVS, in Priscilianistarum causa, non satis tutus, de his, quæ viderat admonuisse, Hispaniarum Antistes, ad Davidis Turrim confugit Romanę Sedis, inde quęsiturus arma contra grassantem impietatem; legavit enim Diaconum suum, cui de omnibus litteras dedit ad Sanctum Leonem Romanum Pontificem. Addidit eis & commonitorium, insuper & libellum: Litteris quidem, quis esset Hispaniarum Ecclesiarum status, eum redidit certiorem: Commonitorio, sexdecim capita Priscilianistarum hæresis, cōplexus est: Libello verò supplici rogabat, vt afflictis Ecclesijs, pro sua summa in illis authoritate, subveniret. Vbi clarè apparet Sanctissimum istum Antistitem, vt Priscilianistarum hæresibus occurreret, ac in Hispania Fidei veritatem, & firmitatem stabiliret, se se ad Supremam, & infallibilem

lem Sancti Leonis Pontificis Authoritatem in rebus Fidei contulisse.

712 Nec obstat dicere, in dubio esse prædicti Episcopi Turibij ad Sanctum Leonem Epistolam. Constat enim de litteris, quam Sanctus Pontifex Leo prædicto Turibio rescripsit. Quibus generalē in vniversa Hispania, more maiorum, indicens Synodum, quod munus erat Apostolicæ Sedis Antistitis, implevit; ibique Fidei assertio ex eius præscripto est constituta.

713 Ad eamdem rem pertinet quod FLAVIANVS, CONSTANTINOPOLITANVS EPISCOPVS, rescripsit Sancto Leoni Pontifici, qui illius silentium, in ijs, quæ ad Eutychetis hęresim spectabant, fuit admiratus; eo namque silentio, suspicioni certæ locum dedisse videbatur. Nihilominus tamen ipsę litteræ, quas Sanctissimo Leoni rescripsit, summam æstimationem, qua infallibilem Apostolicę Sedis Authoritatem ad extirpandas hæreses, Fidemque stabiliendam venerabatur, præseferunt, ac enũtiant. Illius ergo dignissima audiamus verba: * Sed his ita gestis, litteræ nobis datæ sunt vestræ Sanctitatis, per admirabilem Comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem Euthyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia, atque calliditate, dicens, Iudicij tempore libellos se dedisse appellationis, & nobis, & hic convenienti Sancto Concilio, & appellasse vestram Sanctitatem: quod nequaquam ab eo factum est. Sed etiam in hac parte mentitus est, tamquam per fallaciam mendacij, subrepere se Sanctis vestris auribus putans.*

714 Et prosequitur dicens: * Commotus itaque, Sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab eo pręsumpta sunt, & ob ea, quę in nos per Sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atque fiunt, pro consueta fiducia, fiducialiter age, secundum quod Sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam, & Sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum regulariter factã, & per propria scripta, dignare: confortare autẽ, & pijssimi, & Christo deditissimi nostri Imperatoris Fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem, cuncta perducere. Sic enim Hæresis quæ surrexit, & turbæ, quę propter eam factæ sunt, facile destruentur, Deo cooperante per vestras Sanctissimas Litteras: Removebitur autem, & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam vbique Sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* Ex quibus duo inferuntur. Primum: Tam Flavianum Antistitem, quam Eutychetem, cum quo de rebus Fidei disceptabat, cuiusque nomen tamquam Ordinarius Iudex deferebat; vtrumque inquam, Actorem nempè, & reum, ad Romanum Pontificem recurrisse, quod nullus vtique præstaret, nisi vterque supremã, quam habet Pontifex authoritatem iudicãdi, & definiẽdi in rebus Fidei agnosceret indefectibilẽ: illo enim recursu, supremã Romani Põtificis in rebus Fidei Infallibilitatẽ vterque apertè profitebatur. Secundũ, quod infertur est, prędictum Episcopum tantum Authoritatis, & Infallibilitatis ad res Fidei definiendas extra Concilium in Romano Pontifice agnoscere, vt iudicet, solam illam sufficere, ac nullatenùs Generali, & OEcumenico Concilio opus esse, certissimè arbitretur.

715 Nihilominùs tamen Sanctissimus Pontifex LEO, cum Theodosij Imperatoris ab Euthychetis sequacibus pellecti, & inducti potentiam comprimere non potuisset, neque ipsum flectere, vt in Orientali parte Generale non congregaretur Concilium; ne Catholicę Fidei causa aut aliqua ex parte imminueretur, aut aliquod detrimentum subiret, Ephesum Legatos à Latere misit, vt Generale celebraretur Concilium, præcipiens, ne aliquid Sacro Evangelio non consonum, circa Verbum Divinum Humanitati vnitum, ab illis Patribus decerneretur. Illa autem Euthychetis hęresis postea in Chalcedonẽsi Concilio, vnanimi sexcentorum Patrum consensu, damnata fuit.

716 Quanto verò in honore, & ęstimatione apud Gallicanos Episcopos fuerint Apostolicę litterę circulares, quas Sanctissimus Pontifex LEO in causa Fidei, & extirpationis illius hæresis Orientalibus Episcopis misit, satis ostendunt tres illi Gallicani Antistites, quorum virtus, & sapientia in ore omnium celeberrima versabatur, Ceresius nempè, Salonius, atque Veranus; isti enim illarum, quas acceperant, Epistolarum exemplar ad Leonem Pontificem miserunt, vt cum illarum autographo conferre iuberet, ipsosque de earum legitimitate redderet certiores, ob summam

summam venerationem, qua ea, quæ in ipsis continebantur, vnanimes suscipiebant. Vnde post multa de eadem Epistola ab ipsis effusa præconia, hæc, quæ sequuntur, habēt, apud Sanctū Leonem, *Epist*.51.

717 *Deprecamur, vt opus & præsentibus, & futuris temporibus profuturum, quod nos, asservandi studio, folijs mandare curavimus, Sanctitas vestra percurrere, & siquid librarij errore defuerit, emendare dignetur: vel si salutarem lecturis omnibus paginam, aliquo studij vestri accumulastis augmento, id ipsum addi libello huic, sollicita pietate iubeatis: vt non solum plures Sancti Episcopi, fratres nostri per Gallias, verum etiam multi ex laicis filij vestri, qui Epistolam istam magnopere pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos, & Sancta manu vestra emmendatam trāscribere, legere, & tenere mereantur.*

718 Ex quibus clarè innotescit, quanta fuerit antiquorum Galliarum Antistitum, erga Supremam Romani Pontificis Authoritatem, veneratio, cultus, & obsequium: prædicti siquidem Sanctissimi Episcopi adeò Romani Pontificis menti, & dispositioni, in materia Fidei, adhęrere, exoptarunt, vt ab illa, vel in minimo, & levi discedere, flagitium ducerent gravissimum.

719 Sed præter tres prædictos Episcopos summam, ac infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei potestatem, expressius professi sunt QVADRAGINTA QVATTVOR ALIJ GALLICANI ANTISTES, qui acceptis prædictis Apostolicis Litteris, quibus Sanctissimus Pontifex Leo, Catholicæ Fidei stabiliendæ, & Eutychetis hæreseos extirpandæ formam pręscribebat, tanti beneficij memores, hęc, quę sequuntur, Sancto Pontifici Leoni, Synodaliter in Gallia Narbonensi congregati, rescripserunt: *Perlata ad nos Epistola Beatitudinis vestrę, quam ad Orientem pro Catholicæ Fidei assertione misistis, &c. (Et paulò infra;) Multi, itaque, in ea gaudentes pariter, & exultantes recognoverunt Fidei suæ sensum; & ita se semper ex paterna Traditione tenuisse, vt vester Apostolatus exposuit, iure lętātur. Nōnulli verò solicitiores facti, Beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberè ac fiducialiter, suffragante etiam Apostolicę Sedis Authoritate, loquantur, & asserat vnusquisque, quod credit.*

720 Et ad eius Epistolæ calcem, de Sanctissimo Pontifice loquentes, hæc, pro suprema illius infallibili Authoritate, notatu dignissima verba exararunt: *Quod nos ante oculos semper habentes, non desinemus Deo, ac Domino nostro, gratias agere, & pariter supplicare, gratulantes, quod tantæ Sanctitatis, tantæ Fidei, tantæque Doctrinæ, Apostolicæ Sedi, vnde religionis nostræ, propitio Christo, fons, & origo manavit, Antistitem dederit: Petentes etiam, vt datum, concessumque munus Pontificij vestri, longissima, ad ædificationem suarum Ecclesiarum, ætate custodiat.* Ex his, alijsque similibus verbis, fusius in dicta Synodali Epistola contentis, infertur, agnoscere prædictos Antistites supremam Romani Pontificis Authoritatem, tamquam Pręsidentis, Magistrique vniversalis Christiani Orbis; aut veluti ex eminenti Cathedra docere omnes Catholicam Fidem, quod satis exponit singulare privilegium non errandi in rebus Fidei.

721 THEODORETVS, Vir Doctrina, & Ecclesiastico Zelo insignis, cum audisset, se in Ephesino Conciliabulo fuisse depositum, ad Supremam Romani Pontificis Authoritatem confugit, ad quem iure spectat super Conciliorum causis iudicem esse, & ea, quæ ab illis minus rectè acta, vel decreta fuerint, rescindere. Quapropter ad Sanctum Leonem Pontificem appellans, ipsi Leoni Sanctum Flavianum Episcopū æmulatus, Epistolā (quę est 113.) scripsit, in qua hæc, inter alia, leguntur: *Si Paulus pręco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ contendebant, ab ipso afferret solutionem: multò magis nos, qui abiecti sumus, & pusilli, ad Apostolicam vestram Sedem currimus.* Et postquam singularia Authoritatis Romanorum Pontificum privilegia retulit, eaque eximijs preconijs ornavit, loquens cum Sancto Pontifice Leone, de *Epistola*, quam ipse Sanctus Leo in materia Fidei ad omnes Ecclesias miserat, hæc habet.

722 *Nos autem admirati spiritualem Sapientiam tuam, quæ per vos loquuta est, Sanctissimi Spiritus gratiam laudamus, hortamurque, rogamus, obsecramus, & supplicamus Sanctitati Tuæ, vt quæ tem-

pestate agitantur, Dei Ecclesijs opē feras.*

723 Ipse THEODORETVS, *in Epistola data ad Cardinalem Renatum*, qui vnà cum Iuliano, & Hilario, Apostolici Legati munere perfunctus fuerat in Ephesina Synodo, eodem ipso anno celebrata, hæc pro Suprema, & Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritate, scribit:

724 * Cognovimus calidum, & ferventem, ac iustum tuæ pietatis Zelum, ac iustissimam, & legitimam Authoritatem, qua vsus, Domine, ea, quæ Ephesi audacter gesta sunt, arguisti, & repressisti. Non autem nos soli hæc didiscimus, sed in vniversam terram tuæ rectitudinis sonus exivit, &c. Hac igitur de causa, tuam oro Sanctitatem, vt persuadeas Sanctissimo, ac Beatissimo Archiepiscopo, vt Apostolica vtatur Authoritate, & pręcipiat ad vestrum convolare Concilium. Habet enim Sanctissima illa Sedes omnium per Orbem Ecclesiarum Ducatum, & Principatum, multis quidem de causis, pręcipuè verò, quod hæretica labe immunis permansit, & nullus, qui contraria sentit veritati, in illa vnquam sedit, sed Apostolicam gratiam integram, & immaculatam servavit.* Hactenus Theodoretus, cuius testimonium adeo efficax est, pro suprema Romani Pontificis Authoritate, specialique illius non errandi in rebus Fidei privilegio, vt plures Doctores prædictum testimonium etiam ad Pontificem, vt particularis Doctor est, & persona, extendi fuerint arbitrati. Pro hac eadem re videatur ipse Theodoretus *lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 22. & lib. 5. cap. 10.*

725 Nec minoris momenti est quod ASCANIVS, TARRACONENSIS EPISCOPVS, vnà cum omnibus suę Provinciæ, Supremam, ac Infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem recognoscens, ac prædicans contra Sylvanum, Hilario, Summo Pontifici, scripsit: * Et si nulla (inquit) extaret necessitas Ecclesiasticę disciplinę, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium Sedis vestræ, quo susceptis Regni clavibus, post Resurrectionem Salvatoris, per totum Orbem Beatissimi Petri singularis prędicatio vniversorum illuminationi prospexit: cuius Vicarij principatus, sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela servitis, ad Fidem recurrimus, Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Hactenus ille.

726 Nec ad maiorem eorum, quæ diximus, confirmationem omitti potest quod ANASTASIVS PATRIARCHA IEROSOLYMITANVS, Felici III. Pontifici scripsit: * Fuit semper (inquit) Apostolicæ Sedis vestræ licentia, iniustè damnatos, vel excommunicatos potestatis suæ authoritate restituere, & sua omnia ijs reddere, & eos, qui eos condemnaverunt, aut excommunicarunt, Apostolico punire privilegio: sicut etiam nostris, & anterioribus novimus factum temporibus, &c. (Et paulò infra:) Antiquis regulis sancitum est, vt quidquid, quamvis in remotis Provincijs super eorum quęrelis, aut accusationibus ageretur, non prius tractandum, vel accipiendum esset, quam ad notitiam Almæ Sedis Vestræ esset deductum, vt huius Authoritate, iuxta quod fuisset faciendum, infirmaretur, aut firmaretur.*

727 Idipsum confirmant DARDANIÆ EPISCOPI, qui acceptis Apostolicis litteris, quibus Gelasius Pontifex eis iniungebat, vt ab Eutychianorum communione declinarent, Supremam, ac Infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem fatentur, sic ipsi Gelasio Pontifici rescribentes: * Saluberrima Apostolatus vestri præcepta Tryphone, Viro religioso, filio nostro, deferente, qua oportet devotione, suscepimus. Et maximas Deo Omnipotenti, & Beatitudini vestræ referimus gratias, quod nos Pastorali admonitione, & Evangelica Doctrina visitare dignatus es, Domine Sancte, Apostolice, & Beatissime Pater Patrum. Desiderij enim, & voti nostri est iussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus nostris accepimus, Sedis Apostolicæ, quæ vitæ, & meritis vestris delata est, præcepta intemeratè servare, atque Religionem Orthodoxam, cuius estis Prædicatores, fideli, & inculpata devotione, prout nostrę rusticitatis sensus patitur, custodire.* Numquam autem Sanctissimi isti Episcopi similia verba proferrent, ni intelligerent, ac crederent, Romanum Pontificem Infallibili in rebus Fidei Authoritate gaudere.

§. V.

§. V.

EX SEXTO SAECVLO.

728 IN hoc Sæculo alios inter preclarissimos Viros enituit ENNODIVS, primò Diaconus, deinde Ticinensis Episcopus, qui pro Infallibili Pōtificis Symmachi Authoritate, libellum contra Schismaticos edidit, in quo hæc ad rem nostram aptissima verba, inter alia, leguntur: * Aliorum fortè hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed Sedis istius Præsulis suo sine quæstione reservavit arbitrio: voluit Beati Petri Successores Cęlo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini, inviolatam exhibere conscientiam. Nolite timere eas animas de inquisitione non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reservavit examini; Dicas forsitan: omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo vni dictum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; *Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Et rursum Sanctorum voce patet, Pontificum Dignitatem Sedis eius Sanctam, toto Orbe venerabilem; dum illi quidquid fidelium est, vbique submittitur, dum totius Orbis Caput esse designatur: de qua mihi videtur dictum per Prophetam Isaiam, *cap.* 10. *Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam vestram?* * Hęc, pluraque alia his similia pro Suprema, ac Infallibili Romani Pontificis Authoritate scripsit Sanctus Episcopus contra schismaticos, qui, per summum nefas, visitatores contra Pōtificem Symmachum à Theodorico Rege postularunt.

729 Lectu etiam dignissima est EPISTOLA, quæ Orientalis Ecclesiæ nomine Pontifici Symmacho scripta est, & extat, *tom.* 2. *Epistol. Rom. Pontific.* Cum enim dictæ Ecclesiæ Episcopi Summis præmerentur angustijs, ad supremam, & Infallibilem Romani Pontificis Authoritatem recurrunt, illius opem, & auxilium in his, quæ ad Fidem, religionemque spectabant, humiliter implorantes. * Tu autem, (asserunt) affectuosus in filijs Pater, non in visione, sed in veritate spiritualibus cernens oculis pereuntes in prævaricatione Patris nostri Achatij, noli remorari: magis autem (vt ita dicam sicut Propheta) *non dormites, sed festina ad liberandum nos*: quia non in ligando tantum potestas est tibi data, sed in solvendo quoque diù vinctos ad imitationem Magistri: neque in eradicando vel diruendo, sed in plantando, & ædificando, secundum Beatum Ieremiam, magis secundum Salvatorem Mundi Christum, in cuius ille extitit typo: neque in tradendo tantum Satanæ in interitum carnis, sed in charitate formando longa aversione deiectos: ne (quod absit) maiori tristitia absorptis nobis à Satana, videamini pertulisse dispendium. Non enim ignoras eius ingenium, qui quotidie à Sacro Doctore tuo Petro doceris oves Christi per totum habitabilem Mūdum, creditas tibi pascere, non vi, sed sponte coactas, qui cum doctissimo Paulo clamas nobis subiectis; & dicis: *Non enim dominabimur vobis in Fide, sed cooperamur in gaudio.* * Et sic deinceps.

730 Huic Orientalium Episcoporum ad supremam, & Infallibilem Romani Pontificis Authoritatem, Fideique Magisterium recursui, consonat recursus Illustrissimi IOANNIS EPISCOPI NICOPOLITANI, Epiri veteris Metropolitani, vt apertè demonstrat illius ad Hormisdam Pontificem Epistola, in qua hæc leguntur: * Votum autem mihi est, vestram sequi doctrinam, sicut inter Sanctos Prædecessor meus Alcyson extiterat. Et anathematizo Dioscorū, ac Timotheum, appellatione Elurum; & Petrum, qui Antiochenam perturbavit Ecclesiam; sequens in omnibus Synodicas, & Apostolicas Epistolas, scriptas à vero Præsule Romanę Ecclesię Leone. Rogo autem, plenius, atque perfectius, quæ servari oportet, commonete; & à quibus abstinere debeam, vestris custodibus litteris intimate: vt si fortassis adhuc inexercitatus Ordini deputor Lectionum, seu dixi, seu egi Apostolicis vestris doctrinis incongruum, vestris imbutus sermonibus possim hæreticorum obsistere machinis. Hoc enim facientes, Sanctissime, firmiores nostrę Sanctæ Synodi invenietis Episcopos, & bonorum actuum Clerum, & populum confirmabitis, tamquam familiarem vobis reddentes Sanctam Nicopolitanorum Ecclesiam. Venerabilem vero Diaconum Rufinum ad tam necessariam causam directum, pacificè, sicut decet, rogati suscipite,

pite; & fiduciam tribuentes, celerem eius recursum ad nos prestare dignemini, portantem spiritualia, atque Apostolica constituta.*

731 Inter antiquos magnę authoritatis Patres, meritò recensetur AFRICANVS EPISCOPVS, POSSESSOR, qui Supremam, ac Infallibilem Romani Pontificis Authoritatem agnoscens, ipsius in rebus Fidei Magisterium consuluit. *Decet (inquit) & expedit ad Capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos sollicitudinem gerit, aut à quo magis nutantis Fidei stabilitas expectanda, quam ab eius Sedis Præside, cuius primus à Christo Rector audivit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*?*

732 Eamdem Infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei, & Religionis Authoritatem egregiè confirmat EVLALIVS, CARTHAGINENSIS ECCLESIÆ METROPOLITANVS; scribens namque *ad Pontificem Bonifacium II.* hæc habet: * In Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica servata Religio: de qua spe, & Fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes Constituta, anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt cervices: sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes eius omnia Constituta, & per omnia spero, vt in vna Communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis, & perfecta soliditas.* Hæc ille.

733 ORIENTALES EPISCOPI Agapeto Pontifici (Constantinopoli, vbi tunc erat) supplices libellum pro suprema, ac infallibili illius in rebus Fidei authoritate, contra Hæreticos, illorumque sequaces tradiderunt, vbi sic loquuntur: *Ex quo Christus Deus noster, pro debitis vobis præmijs, propter ipsam in omni tempore cum vera fiducia sua invisibili, ac terribili virtute divulgatam confessionem, super venerabile Caput vestrum requievit, cum Sedem Apostolorum vobis, Pater Beatissime, commisit, & firmavit supra firmam petram pedes vestros, & direxit gressus vestros, & implevit os vestrum Cãtico novo, Hymno Deo nostro: multi speraverunt in Domino, secundum Psalmodicum eloquium, clarificari à spirituali splendore vestro, per quem tamquam lucerna splendens super Sancto Candelabro, caliginem eorum, qui in tenebris sedent, & cæcos illuminastis, & oculos mentis ipsorum aperuistis. Propterea confisi, & credentes Divino Eloquio dicenti: In tempore non timebit cor firmatũ in cogitatione intellectꝰ ad intellectũ: Et experiẽtia intellectus cognoscẽtes, Vos esse diligẽtes Custodes Thesaurorũ Apostolicorum, exoramus, &c. * *Ierosolymitana Synodo, Actione 1. ad finem, recitata etiam in Synodo Constantinopolitana sub Menna, Actione 1.*

734 Quod autem tunc temporis Pontifex Agapetus Constantinopoli esset, apertè constat ex Romanæ Bibliothecę prothotypis, *num.* 1538. apud Sancti Gregorij Regestum, *pag.* 194. relatum à Baronio *tom.* 7. *ad annum Christi* 536. vbi agens de Agapeti Constantinopolim adventu, hæc habet: * At verò Agapetus, iuxta præceptum Petri, vniversis profuturus Ecclesijs, quæ per id tempus omnes in se inclinatæ recumbebant, in ipsarum se necessitatem convertit, columnamque se suffulsit immobilem.* Etenim, vt dictum est, vbi Constantinopolim venit plures de miserando statu Ecclesiarum ei libelli oblati sunt, petentes omnes ab ipso, cui vniversalis gregis cura in Petro credita fuit, cui & dictum est: *Confirma fratres tuos*; auxilium impertiri.

§. VI.

EX SEPTIMO SÆCVLO.

735 SANCTVS LEANDER, HISPALENSIS EPISCOPVS, Supremum, ac Infallibile Romanæ Ecclesiæ Magisterium agnovit; cum enim ob Arianos recens ad Fidem conversos, ingens in Hispania de trina in Baptismo immersione cõtroversia esset suborta, & ipse Sanctus, cum alijs Episcopis, sanam Catholicamque circa illam tradidisset Doctrinam: nihilominùs ad maiorem tantę rei securitatem, vtque melius Catholica veritas, ac Dogma Infallibili Apostolicæ Sedis Decisione stabiliretur, Romanum Pontificem Gregorium Magnum consuluit, vt ex eius responsione, *lib.* 1. *Epist.* 41. innotescit.

736 Eadem veritate inductus EVLO-

LOGIVS, PATRIARCHA ALEXANDRINVS, cum elegantissimum hac de re texuisset librum, nullatenùs illum divulgari permisit, quin prius approbationem à Romano Pontifice mereretur, pręcipuè cum liber contra Agnoitas Hæreticos ederetur. Ipse verò Gregorius Pontifex prædictum librum, vt Catholicum laudavit, *lib.* 8. *Epist.* 42. *Indict.* 3.

737 Id ipsum confirmant HIBERNIÆ EPISCOPI, qui Gregorium Pontificem consulerunt, ab ipso inquirentes, quid de Nestorianis, ad Ecclesiam redeuntibus, esset agendum? An nè essent denuò baptizandi? Quibus Sanctissimus Pontifex, ex antiquo Catholicæ Ecclesiæ instituto respondit, *lib.* 6. *Epist.* 61. *Indict.* 4.

738 Ad rem est quod IOANNES, RAVENNATENSIS EPISCOPVS, Sancto Pontifici Gregorio Magno scripsit, dicens: * Recolo me in sinu, & gremio Sacrosanctæ Ecclesiæ vestrę Romanæ enutritum, & Deo auxiliante provectum. Et quibus ausibus, ego Sanctissimæ illi Sedi, quæ vniversali Ecclesię iura sua transmittit, pręsumpserim obviare?* Est inter Epistolas Gregorij, *lib.* 2. *Indict.* 11. *Epist.* 5.

739 Præclarè ad rem faciunt verba, aut ISIDORI MERCATORIS, vel peccatoris (vt aliqui volunt) aut potius S. ISIDORI EPISCOPI HISPALENSIS (vt docent Ivo Carnot. *lib.* 2. *Decret. tit.* 11. *cap.* 2. Genebrardus ad annum 618. & alij) *in præfatione ad opus Conciliorum*, vbi sic legimus: * Subiecimus reliqua Præsulum Romanorum Decreta vsque ad S. Gregorium, & quasdam ipsius Epistolas, in quibus pro culmine Sedis Apostolicæ non impar Conciliorum extat authoritas, &c. Nullam Synodum ratam esse legimus, quę non fuerit Apostolicæ Sedis authoritate congregata, vel fulta.*

740 Consonat CONSTANTINOPOLITANVS ANTISTES, SERGIVS, qui tempore quo vt Catholicus habitus erat, nondum detecta eius calliditate, & turpissimo errore de vna tantum in Christo voluntate, in duabus naturis, *in Epistola, quam Romano Pontifici Honorio scripsit, quæ extat in VI. Synodo, Act.* 12. hæc habet: * In tantum vobis Sanctissimis, in omnibus vnanimitate spiritus constringimur, vt studeamus omnium Conciliorum nostrorum, & actionum, Vos Sacratissimos habere Præsidentes. Et nisi plurimum locorum distātia seiungeret, hoc vtique quotidie gereremus, vestrę honorandę vnanimisque fraternitatis munito, muratoque nos metipsos circumspicientes consultu. Attamen quoniam nobis etiam sermo, atque absque labore littera, quod studem⁹ impartit: confestim ea pro quibus hoc scribimus, enarramus. * Hactenùs ille.

741 Notatu dignissima est allegatio à S. SOPHRONIO, IEROSOLYMITANO ANTISTITE facta qui cum hæresi Cyri Episcopi vnam tantūmodo in Christo Domino voluntatem asserētis se se viriliter opposuisset, vt in re adeò gravi infallibilem certitudinem acciperet, Oratorem ad Honorium Pontificem, Stephanum Episcopum misit, vt quisnam esset illius hęresis status, Honorio Pontifici patefaceret; Episcopus autem Stephanus, Legati munus exequens, illius hæreseos statum coram Concilio Romano sub Martino Pontifice, secreto 2. Sophronij mentem exposuit. Quantum vero laudis Infallibili Romani Pontificis Authoritati detulerit, quibus encomijs illam ornaverit, quavè tādem veneratione fuerit prosequutus, hęc, quæ sequuntur verba, demonstrant.

742 * Annuntiamus (inquit) hæc omnia omnium præpositæ Sedi: dico autem summæ vestræ, & principali, ad mediciale consultum emersi vulneris: quippè quoniam hoc potestativè olim, & ab antiquitus facere per Apostolicam, sive Canonicam consuevit Authoritatem; dum aperta lucubratione non solum Claves Regni Cœlorum creditæ sunt ei, atque ipse tantummodo ad aperiendum eas Fidelibus quidem dignè, minimè autem Evangelio gratiæ credentibus, iustè claudere, magnus secundum veritatem, & Princeps Apostolorum meruit Petrus; sed etiam & pascere primus iussus est oves totius Catholicæ Ecclesię, cum Dominus dicit: *Petre amas me? Pasce oves meas.* Et iterum ipse præcipuè, ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum, & immutabilem Fidem, convertere aliquando, & confirmare exagitatos consortes suos, & spirituales meruit fratres, vtpotè dispensativè super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est, Deus, potestatem accipiens, & Sacerdotalem Authoritatem.*

Prose-

743 Prosequitur: * Quod vtique sciens beatæ memoriæ Sophronius, quondam Patriarcha Sanctæ Christi Dei nostri Civitatis, sub cuius Dioecesi fungebar Sacerdotali Officio, non acquiescens omninò carni, & sanguini, sed sola, quæ Christi sunt iuxta Sanctitatem vestram excogitans, studuit meam humilitatem sine mora pro huiusmodi tantum Capitulo cum sua suggestione ad hanc Apostolicam, magnamque dirigere Sedem.* Vbi satis clarè apparet omnes promissiones Apostolorum Principi à Christo Domino factas, privilegiaque Infallibilitatis in pascendis ovibus, confirmandisque fratribus, ipsi concessa, neutiquam in eo, aut cum eo cessasse, sed in eius Sede, hoc est, Romanis Pontificibus eius Successoribus, semper perseverasse.

744 Pro infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritate amplius suffulcienda, egregiè facit Epistola à IVLIANO VICTORE, CARTHAGINENSI EPISCOPO, & à SERGIO CYPRI, Theodoro Pontifici scripta, quę extat in Actis Cōcilij Romani sub S. Martino I. celebrati, secreto 2. in illa enim hæc leguntur: * Sanctissimo, & Beatissimo à Deo, honorabili Domino meo, Patri Patrum, Archiepiscopo, & vniversali Papę Domino Theodoro, Sergius humilis in Domino salutem. Firmamentum à Deo fixum, firmum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam Fidei vestram Apostolicam Sedem constituit, ò Sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut Divinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesię Columnæ confirmatæ sunt: Tibi & Claves Regni Coelorum commisit, atque ligare, & solvere potestativè, quæ in terra, & quæ in Coelis sunt promulgavit: Tu profanarum hæreseōn depositor existis, vt Princeps, & Doctor Orthodoxę, & immaculatæ Fidei. Igitur non despicias patrum tuorum Pater Fidem æstuantem, & ab aliquibus hęreticis ventis violentatam, necnon periclitantem: resolve nebulam insipientium, lumine tuæ sapientiæ Divinę, ò Sanctissime, &c.* Hactenus ille.

§. VII.

EX SAECVLO NONO.

745 GENNADIVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, *in expositione pro Concilio Florentino, cap. 5. Session 17.* refert quędam Sancti Theodori Studitæ verba, qui in Epistola, quam ad filium suum Naucrasium è carcere, in quem pro fide detrusus erat, scripsit, loquens de pastoralibus Paschalis Pontificis exhortatorijs litteris Constantinopoli datis contra Iconomachos Imaginum venerationem negantes, sic in istos invehitur.

746 * Testor (inquit) nunc coram Deo, & hominibus; se ipsos avulserunt à corpore Christi, & Supremo verticali Throno, in quo Christus Fidei Claves posuit, adversus quem non prævaluerunt vmquam, nec prævalebunt vsque ad consummationem, portę inferi, ora scilicet hæreticorum, sicut pollicitus est, qui non mentitur. Gaudeat igitur Beatissimus, & Apostolicus, & nomine suo dignus Paschalis, quoniam Petri opus implevit. * Gennadius igitur loco citato relatis his S. Theodori verbis, alia pro Romani Pontificis Infallibilitate aptissima verba adiungit, quibus sic adversarium compellat:

747 * Audis (ait) quo pacto ea, nempe Romana Ecclesia, Caput est Ecclesiæ Christi, cuius Petrus est primus Præses; & quod numquam prævaluerunt, neque prævalebunt, vsque ad consummationem sęculi, hæreticorum effrenata ora secundum promissionem veracis Salvatoris? Si numquam prævaluerunt hæretici adversus Christi Ecclesiam, quomodo audetis dicere, eam errare?*

748 Nec omitti potest Epistola, quam GERMANIÆ EPISCOPI *ad Michaelē Imperatorem scripserunt*, ipsum Catholicè admonentes, nullatenus ad illius Authoritatem spectare de Divinis, & Ecclesiasticis rebus agere; sed id ad Apostolicam Sancti Petri, istiusque Successorum Sedem pertinere, cui Infallibilitatis donum in rebus ad Fidem, religionemque spectantibus, erat concessum. * Sed si quid est (inquiunt) huiusmodi, de quo ambigat, aut diffidat divina Magnificentia vestra piè à Patriarcha dissolvi posse, iubeat

beat magna ipsius, & à Deo confirmata manus ad communem vtilitatem à vetere Roma suscipi declarationem, provt olim, & ab initio paterna Traditione transmissus mos fuit: Hęc enim, Christi ęmule Imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus Sedem prius tenuit, ad quem Dominus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Locum hunc refert Gennadius, in expositione Concilij Florentini, ad demonstrandum, supremam Apostolicæ Sedis Authoritatem semper in Ecclesia cognitam, & prędicatam fuisse.

749 Eruditus HINCMARVS, RHEMENSIS ARCHIEPISCOPVS, cum sibi impositum esset, se se in Apostolicæ Sedis Authoritatem non valde pronum ostendere, nihilque Pontificię Infallibilitati amicum ab eius ore fuisse auditum, hanc à se calumniam dimovere desiderans Pontificis Authoritatem, eiusque in rebus Fidei, & Religionis Infallibilitatem pręclaris laudibus extollens, eamque summa veneratione prosequutus, & amplexus est, vt satis demonstrat eius Apologetica Epistola *ad Nicolaum Pontificē* scripta, cuius superscriptio est: *Domino Sanctissimo, & Reverendissimo patrum Patri Nicolao I. ac Summę Sedis Apostolicę, & vniversali Papæ, Hincmarus Episcopus, & vestrę Sanctissimæ Paternitatis devotissimus famulus.* Et postquam de Romani Pontificis authoritate summa fuit veneratione locutus, Laudunensi Episcopo, qui eum, vt diximus, exigui affectus erga Apostolicæ Sedis Authoritatem accusaverat, satisfacere desiderans, dolore commotus, hęc, inter alia, effudit.

750 *Post alia multa (ait) super dolorem vulnerum meorum addens, dicis (sicut in scriptis tuis perversis invenio) quia Apostolicæ Sedis potestati derogo. Vnde nemo sanum sapiens tibi vmquam credidit, vel credet, quoniam, & ipsa scripta, quę ad Apostolicam Sedem misi, & illa, quæ tibi resultanti sępè transmisi, te revincent, & in isto sęculo, & in futuro iuditio. Non enim de me verum esse, valebis vmquam, vel vsquam, probare, quod dicis: ab his, inquiens, à quibus pro Apostolicæ Sedis privilegijs, quæ Christi sunt, vsque ad mortem fas erat decertare, prædicatur, & docetur in his, quæ eadem Sedes statuit, vel dum respuendum, probari.*

751 Et inferius post illatas in eum criminationes: *Ego (inquit) Decretales Epistolas Sedis Apostolicæ, diversis temporibus, pro diversarum partium consolatione, ab eiusdem Sedis Pontificibus datas, & venerabiliter suscipio, & venerabiliter suscipiendas dico, & scribo, & Sacros Sanctorum Conciliorum Canones, cum Decretis Sedis Apostolicæ, ex eisdem Sacris Canonibus promulgatis, & recipiendos, & custodiendos, & servandos, sicut supra ostendi, profiteor, & cętera, quæ superius.* Ita Hincmarus hic, & alibi vi veritatis adactus, etsi Cardinalis Baronius *Annalium, tom.* 10. verbis captiosis, atque scriptis; factis tamen, aliter se habuisse, testetur.

752 Pro eadem Suprema, ac Infallibili Romani Pontificis Authoritate, omnem sibi mentis aciem revocat Epistola, quam GALLICANI EPISCOPI sub Lothario Rege, Nicolao Summo Pontifici, ipsius opem, & auxilium implorantes, scripserunt, cuius meminit Baronius, *tom.* 10. *Annalium*, cuiusque titulus sic inscribitur: *Domino verò Beatissimo, ac Sanctissimo, totiusque Sanctæ Dei Ecclesiæ, roseo pij Regis Christi sanguine adquisitæ, Pontifici, & Vniversali Papę Nicolao, &c. (Et infra:) Apostolicis Documentis, & Pontificalibus Decretis multipliciter informamur, vt vestri Sanctissimi Apostolatus apicem, Principis Apostolorum Fide, & nomine consecratum, quoties Sancta Ecclesia aliqua novitate pulsatur, humiliter adeamus; ibique veri consilij saluberrima instituta sinceriter hauriamus, vbi mitis Magister Christus, & Summum Caput nostrum, fundamentum Ecclesię posuit, &c.* Hęc ille.

753 Nec omitti possunt Epistolæ, quas ADVENTINVS, METENSIS IN GALLIA EPISCOPVS, *Nicolao Pontifici* scripsit: in illis enim supremam, & indefectibilem Sancti Petri Authoritatem, in Summo Pontifice Sedem, ac Domicilium collocasse, nō obscurè agnoscit. In prima Epistola eum Summum, & Vniversalem Papam appellat; & inter alia hæc scribit: *Magnum enim, & quasi totius meriti gaudium obtinerem, si ad limina Apostolorum, vestramque desiderabilem, & præeminentissimam præsentiam, virium imbecillitas me ire sineret. Sed quia podagri-

grici dolores, & veterani mei artus, optata denegant, Omnipotenti Deo, & Sancto Petro, atque incomparabili Clementię Vestræ magnitudinis meæ parvitatis quantitatem committo, qui vices Dei tenetis, & in reverentissima Summi Principis Cathedra verus Apostolus residetis, vt vestris fovear solaminibus.*

754 Quare cum prædictus Episcopus Romanum Pontificem, ceu vices Dei tenentem in terris consideret, cumque eadem Apostolica Sancti Petri, in cuius Cathedra, tãquã verus Apostolus, residet, Authoritate insignitum agnoscat, inde illum Divo Petro in infallibili Authoritate æqualem confiteri, eiusdemque Infallibilitatis participem venerari debemus.

755 Nec minoris pretij pro hac re, de qua agimus, digna videtur secunda eiusdem Episcopi ad ipsum Nicolaum Epistola, quę sic incipit: * Sanctissimo, ac Perbeatissimo, atque Angelico Domino Nicolao Summo Pontifici, & Vniversali Papæ, Adventinus humilis Metensium Sedis Episcopus, nunc, & in æternum feliciter valere. Apices Sanctissimi Apostolatus Vestri, nostræ parvitati nuper directi, pręclara dispensationis Ecclesiasticę Dogmata affatim propinantes, fulgido, ac vivido mentis fœnore, Principem Pastorum Vos diligere declarant, & curam pascendarum ovium ineluctabiliter gerere testantur, quippe Corpus Christi, quod est Ecclesia, per illum, & ipso salubriter exornare satagitis, qui vobis in Petro loquitur: *Si diligis me, pasce oves meas.* Revera quia erga commissum gregem perspicacibus excubare vigilijs non negligitis, manifestum est, quod claritas Superni Luminis pervigilem circumfulget Pastorem; immò Æthereo Angelicæ visionis, vt credimus blandimento solatiatur.*

756 Tandem prętereunda non est Epistola, quam HINCMARVS LAVDENSIS, alteri Hincmaro, Archiepiscopo Rhemensi, scripsit: iste enim illi impedimentum objiciebat, seque interponebat, quo minus ad visitanda Apostolorum limina proficisceretur: qua de re conquæstus Laudensis Episcopus, Epistolam Infallibili Apostolicæ Sedis, istiusque Decretalium Epistolarum Authoritati faventem, ad prædictum Rhemensem Archiepiscopum dedit. Etenim cum iste Apostolicæ Sedis, istiusque Epistolarum Infallibilitatem non magnifacere videretur, ideò Laudensis Antistites Pontificiæ Authoritatis Zelo commotus, sic illum per prædictam Epistolam redarguit: * Et nunc (ait) quoque obsecro, & idem declamo, vt & hactenus egi, quod vestra Archiepiscopali Authoritate apud Domini nostri Regis Caroli clementiam obtineatis, quatenus Domini, & vniversalis Papæ præceptis, ac institutionibus Ecclesiasticis mihi (vt omnibus expedit) veluti ei, qui de omni Ecclesia fas habet iudicandi, liceat obedire; videlicet, vt ad Limina Apostolorum Petri, scilicet, & Pauli, merear, vt devovi, & ab eodem insuper vocatus sum, penetrare. Alioquin me vobis ab hinc, vt Archiepiscopo Episcopus obtemperare debet, canonicè sciatis obsequi non posse. Quia vt decernit Beatus Papa Gelasius: Nesciunt quid loquuntur, qui Decretis Sanctæ Romanę Sedis Præsulum, quasi Canones opponunt, quibus contraire, contra Canones est, ipsos se erigere. Iste Gelasius Papa venerabilis, & Sanctus, omnes Decretales Epistolas venerabiliter sanxit suscipiendas. Et qui nec eas venerabiliter suscipit, licet ad Thomam (alias Romam) caput inclinet, & eis non obedit, sed potius Petro obvians manus inferens (quod sine periculo agi non potest) respuit, vtpote, qui de se iudicari non prospicit. Nam velimus, nolimus, aut eis parebimus, aut eorum iuditio percellemur, quorum neminem quippe reprobare valemus. Hæc ille.*

§. VIII.

EX SAECVLO DECIMO.

757 QVanto in honore, & æstimatione fuerit apud S. BRVNONEM, COLONIENSEM ARCHIEPISCOPVM, suprema, ac infallibilis Romani Pontificis Authoritas, satis ostendit legatio illa, quam Agapito secundo Pontifici misit, vt scripta habetur à Rotgero Monacho in vita Sancti Brunonis, *cap.* 23. apud Surium, *Tom.* 5. *die* 11. *Octobris*, vbi hæc leguntur: * Servus Domini Bruno, secundum dignitatem Sedis suę, Romanæ quoque Sedis, & Apostolicæ benedictionis privilegijs debuit insigniri, & cum eis pariter, qui traditam à Beato Petro Apostolo

stolo sanam servavere Doctrinam Catolicæ Fidei integritate in vera Confessione, & inviolabili veritate prędicationis vniri. Synodicam suam Epistolam per Adamarum, venerabilem Fuldensis Monasterij Abbatem, Romam ad Agapitum miræ Sanctitatis Papam, direxit.*

758 (Et paulò infrà:) * Legatus ergo, vt loqui cœpimus, Roma rediens bonum Nuntium Coloniam ferre acceleravit portans Sacrum Habitum (pallium videlicet) ab vniversali Papa missum, prætendentem iugum Domini suave, & onus leve, & ipsum, quod sub eo dispensatur, humile ministerium, quod verba Domini testantur dicentis: *Qui maior est vestrum erit minister vester.* Ferens simul reliquias de proprio Corpore Sancti Pantaleonis Martyris, & privilegium, Apostolicæ sublimitatis Authoritate traditum. Quo, & eodem pallio, præter consuetudinem, Sacerdos Domini, quoties vellet, indui permissus est.* Hæc ille.

759 Eodem Sęculo floruit in Gallijs, præclarus ille Vir RHEMENSIS ARCHIEPISCOPVS, HERVEVS, qui cum Romanum Pontificem in aliquibus Fidei dubijs circa Normannorum conversionem consuluisset, ab eo tamquam Supremo Fidei Iudice, ac Magistro infallibilem decissionem expectasse testantur Ioannis Papæ IX. litteræ ad eumdem hoc titulo notatæ: * Rescriptum Domini Ioannis Papæ, ad consultum Heruei, Rhemorum Archiepiscopi, de Normannis nuper ad Fidem conversis, quorum alij baptizati fuerant, & rebaptizati, & post Baptismum gentiliter vixerant, qualiter illis consulendum sit, vbi demùm habetur absolutio sui, suorumque.*

§. VIII.

EX SAECVLO VNDECIMO.

760 PRo infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritate, non leviter facit quod DVRANDVS, LEODIENSIS EPISCOPVS, ad Henricum, Gallorum Regem, scripsit. Cum enim audijsset prædictum Regem adversus Brunonem, Andegavensem Episcopum, & Berengarium ad Concilium advocasse, sic exclamat: * O pia voluntas, & verè Rege dignissima! Quæ vtinam effectum habere posset, vt in tanto Sacrilegio convictos (quod certè facillimum est) absque vlla dilatione debita vltio consequeretur! Sed desperamus id fieri posse, cum Bruno existat Episcopus; Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam, præter Apostolicam Authoritatem, &c. Ergo maiestatem tuam omnes exoratam vellemus, vt interim illorum impiam, sacrilegam, & nefariam assertionem audiri contemneretis, donec, accepta Romanæ Sedis Audientia, damnandi potestatem haberetis. * Hæc ille.

761 Pro eadem re notari debet quod advertit, & refert BERNOAVGIENSIS, Author gravissimus, & antiquissimus, qui eadem sęculo 11. floruit. Agens enim *in suo lib. de Rebus ad Missam spectantibus*, hæc pro privilegio non errandi, Apostolicæ Sedi concesso, commemorat: * Cum Romanorum Præsbyteri ab Henrico Imperatore, (tum Romæ existente) interrogarentur; cur post Evangelium (vt in alijs Ecclesijs fiebat) Symbolum non canerent? Me (inquit Berno) assistente: Audivi eos eiusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fece infecta, sed secundum Sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicę Fidei permaneret inconcussa; & ideò magis ijs necessariũ esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari.* Hęc ille.

762 Pro eadem sententia præclarè facit S. ODILO, ABBAS CLVNIACENSIS, Legatis Polonorum ducens suum Casimirum, Monachali habitu vestitum, iamque Diaconum, requirentibus respondit, apud Longinum rerum Polonarum Scriptorem: * Se quidem ad gerendum petitioni, & requisitioni, eorum morem, ex compassione, & affectione singulari, vt calamitates Polonici Regni depelli, & sanari possent, benevolum, atque pronum esse; non tamen suæ potestatis fore, vt & Monachum, & Diaconum à Religione professa emancipet, & in terreni Regni regimine, pręvaricato professionis suæ tenore, succedere permittat. Proinde supremum in terris Tribunal, supremamque potestatem, Sedem videlicet Apostolicam, Romanam, & Vicarium Christi adirent, &c.* Prout contigit, Summusque Pontifex tunc Benedictus

IX. Legatorum precibus annuens, Casimirum illis precario Regem donavit; vxoremque illi ducere, & filios procreare, concessit.

763 In clarissimorum vndecimi sæculi Authorũ nomenclatura censetur RVPERTVS, TVITIENSIS ABBAS, qui *lib. 2. de Divinis Officijs, c. 22.* Adversus Gręcos de Azymis disputans, hæc Sancto Ecclesiæ Patri dignissima, & pro suprema, ac indeffectibili Romani Pontificis in rebus Fidei, & religionis authoritate, aptissima verba, scribit: * Tantis autem hæresibus fermentata est Græcia, vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantæ è contra sinceritatis semper fuit Sancta Romana Ecclesia, vt cui deest Scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, sola illi de Azymo contra Gręcos sufficere debet eius authoritas. Nam Constantinopolitana, non solum hęreticos, sed & hæresiarchas protulit multos: Romana verò Ecclesia, super Apostolicæ Fidei petra altius fundata, firmiter stetit, & tàm Gręciæ, quàm totius Orbis Hęreticos semper confutavit, & de excelso Fidei tribunali, data sententia, iudicavit. (Et infrà ait in fine:) Quæ Beata Ecclesia, quę in fundamento suo Petram illam excepit, quam in suo veritatis ore laudavit, & beatificavit: tali structura super illam ædificata est, vt contra omnes Hęreses perstaret murus inexpugnabilis. Et quacumque Mundi ex parte periclitata Fides, ad illam confugit: mille clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium, qua se defenderet, pendentem, & pręparatam invenit.* Hec ille.

764 ARCHIEPISCOPVS CANTVARIENSIS LANFRANCVS, vir singularis virtutis, ac doctrinæ, Berengarium Hæresiarcham in Concilio Romano sub Nicolao II. laciniosis strophis luxuriantem, & commentis fallacibus illudentem, robustiore sapientiæ falce demessuit. At cum iste idem hæreseos scelus repetijsset, & vitijs iam excussis denuò se implicasset, multasque in Romanam Ecclesiam blasphemias è pestifero, ac sacrilego suo ore eructasset; prædictus Antistes pro ferventissimo illo Zelo, quo se totum ad Dei, & Romanæ Ecclesię honorem, ac proximorum salutem effundebat, necnon pro illo ardore, quo Infallibilem tuebatur veritatem, qua Catholica Ecclesia veram, physicam, & realem Sanctissimi Corporis Christi in Eucharistia præsentiam veneratur; ac tandem pro ingenti studio, quo privilegium non errandi Romano Pontifici concessum propugnabat, sic exclamat: * Verum, ò infelix anima, de hæresi ad periurium priùs transijsti; nunc iterùm de periurio ad hæresim remeasti. Propterea traditus in reprobũ sensum, Sanctã Romanã Ecclesiã vocas Ecclesiã malignantiũ, Concilium vanitatis, Sedem Satanæ: Et hoc impio ore garrijsti, quod garrisse nemo legitur, non hæreticus, non schismaticus, non falsus aliquis Christianus. Quotquot enim à primordio Christianę Ecclesiæ, Christiani nominis dignitate gloriati sunt, & si aliqui relicto veritatis tramite per devia erroris incedere malverunt, Sedem tamen Sancti Petri Apostoli magnificè honorarunt, nullamque adversus eam huiusmodi blasphemiam, vel dicere, vel scribere præsumpserunt. Quod indubitatum habet, qui eorum scripta legit. (Et paulò infra.) Deinde ipse Dominus honorificè alloquitur eam in Evangelio suo dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatũ & in Cœlo, &c.* Quæ tametsi de Pastoribus Sãctæ Ecclesiæ dicta esse credantur, præcipuè tamen de Romana Ecclesia intelligenda esse, Sacri Canones, & Pontificum Decreta testantur.* Hactenus ille.

765 Infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem, eleganter confirmat Epistola, quam ad Leonem Pontificem IX. PETRVS PATRIARCHA ANTIOCHENVS scripsit. Qui Communionem cum Apostolica Sede vehementer exoptans, illiusque supremam, ac Infallibilem Authoritatem agnoscens, suę Fidei professionem, prędicto Pontifici misit, vt ex responsiva Leonis Pontificis Epistola apertè innotescit, in qua, & illius professionem, & ipsum Patriarcham ad Fidei communionem admisit. Extat autem prędicta Leonis Epistola, *tom. 3.* Epistolarum eiusdem Romani Pontificis, vbi hęc inter alia leguntur: *Ab Apostolica tua Sede, nostram Apostolicam Sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deviare à Dominico, & omnium Sanctorum Patrum concordi Decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto

Or-

Orbe terrarum Ecclesijs, Sancta Romana, & Apostolica Sedes Caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda Concilia, sic humanę leges promulgant, sic ipse Sanctus Sanctorū, Rex Regum, & Dominus dominantium confirmat, quatenus ibi principalis Dignitatis, & totius Ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat, & præcellat, vbi ipse Vertex, & Cardo Apostolorum Petrus, carnis suę beatam resurrectionem in novissimo die expectat. Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret eius Fides, Dominus, & Salvator asserit, se rogasse, dicens: *Ego rogavi pro te, &c.** Hæc ille.

766 Cum VRBANVS II. Pontifex ob ingentia, ac enormia Gaufridi crimina ipsum à suo loco, & honore amovisset, illius Provinciæ, Ivonem celeberrimum, & Doctrina, & Sanctitate virum, suffecit, Carnotensemque Episcopum creavit. At cum iste à Senonensi Archiepiscopo, cuius sufraganeus erat, non ęquè esset receptus, ipseque Archiepiscopus illi aculeatas, ac valde iniuriosas Epistolas scripsisset: alias iste egregio sanè Zelo, sapientia, fortitudine ipsum redarguens, rescripsit, quarum inscriptio sic se habebat: *Richerio, Dei gratia, Senonensi Archiepiscopo, Ivo per eandem gratiam Petri manibus Ecclesię Carnotensi consecratus, & delegatus Episcopus, à Romanæ Ecclesiæ pace non discedere, & siquid aliter sapuit valde celeriter resipiscere, &c.* Et in eadem Epistola progrediens ad id, quod nempe Gaufredi sedem invasisset, satisfacit illi, prout alibi referemus.

767 Et paulò post, deveniens ad illud quod sibi objiciebatur, nempè quod Benedictionem, per manus impositionem Papę, illi datam, & Cardinalium Romanę Ecclesię, non simpliciter benedictionē, sed qualēcūque, hostili irrisione, appellaret in suis idem Richerius litteris, respondet, eum in hoc evidentissimè, & irreverentissimè os suum posuisse in Cœlum, & linguam suam transijsse in terra: *Cum (inquit) ad Romanam Ecclesiam principaliter, & generalissimè pertineat, tàm Metropolitanorum, quàm cæterorum Episcoporum Consecrationes confirmare, vel infirmare, Constitutiones vestras, & iudicia retractare, suas verò inconcussas detinere, & nullius inferioris iudicio retractandas, vel corrigendas concedere.* Quod pluribus deinceps probat.

768 Huic tandem Sęculo finem imponat S. ANSELMI, ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS illustre testimonium, pro Romani Pontificis, in Fidei rebus, ac morum, authoritate perspicuum, *lib. enim de Incarnatione Verbi, quem ad Vrbanum Papam II.* misit, eius scribendi occasionem in nūcupando ipsum, ad nostrum Institutum præfando, declarat, dicēs: *Domino, & Patri Vniversæ Ecclesiæ, in terra peregrinantis, Summo Pontifici Vrbano, Fr. Anselmus, vita peccator, habitu Monachus, sive iubente, sive permittente Deo, Cantuariæ Metropolis vocatus Episcopus, debitam subiectionem, cum humili servitio, & devotionis Orationibus. Quoniam Divina Providentia Vestram elegit Sanctitatem, cui vitam, & Fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum alium rectius refertur, siquid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, vt eius authoritate corrigatur, nec vlli alij tutius si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur. Qua propter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius præsentem Epistolam, quam Vestræ destino sapientiæ, quatenus si quid in ea corrigendum est, Vestra censura castigetur, & (quod regula veritatis tenet) vestra authoritate roboretur.* Quibus sanè verbis apparet, quem recognoscat Sanctus Anselmus Caput totius Ecclesiæ, Supremum, atque adeò infallibilem Doctrinę arbitrum, & Dogmatum cognitorem, atque Iudicem.

§. X.

EX SAECVLO DVODECIMO.

769 INfallibilem Romani Pontificis Authoritatem clarissimè ostendit humilis illa observantia, qua Supremam Paschalis Pontificis Authoritatem veneratus est BAMBERGENSIS IN GERMANIA EPISCOPVS, OTTHO, qui estò magnus Imperij Cancellarius esset, numquam tamen adduci potuit, vt Episcopatus investituram ab Imperatoris manibus acciperet. Quare Paschali Pontifici Nuncios, & Epistolas misit, in huc modū dicēs: *Domino, & Patri suo Paschali, Sanctæ, &

Apostolicę Sedis Vniversali Episcopo, Ottho Bambergensis Ecclesiæ id quod est, tam devotę, quam debitę subiectionis Orationes, & servitium. Quia totius Ecclesiasticæ Dignitatis, ac Religionis firmamentum in Christo Petra est, & in Petro eius Discipulo, & eius Successoribus, idcircò ab hac linea, ab hac virga directionis, virga Regnorum, Pontificatuum, & omnium potestatum in Ecclesia, insanum duxi aberrare. Vobis igitur, Pater Sanctissime, & Sanctæ Matri nostræ Romanę Ecclesię collum devotè submittens, auxilium, & consilium de rebus meis flagito. In obsequio enim Domini mei Imperatoris per aliquot annos degens, & gratiam in eius oculis inveniens, suspectam habens in manu Regis investituram, semel, & iterum, cum dare vellet, renui Episcopatum: nunc verò iam tertiò in Bambergensi Episcopatu me ordinavit. In quo tamē minimè permanebo, nisi Vestrę complaceat Sanctitati, per Vos me investire, & consecrare. Quidquid ergo placeat discretioni Vestrę de me, per Nuncios mihi significate servo Vestro, ne fortè in vanum currā, si ad Vos currere incipiam.* Hactenùs Orthonis litteræ apud Alberstadensem, *Vitæ Otthonis*, *lib.* 1. *cap.* 3.

770 Nec minus pro Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei, & morum authoritate facit Epistola, quam BALDVINVS, CANTVARIENSIS IN ANGLIA ARCHIEPISCOPVS, Sanctissimo Pontifici Vrbano III. misit, se illi gratum, memoremque præstans, ac semper memori mente, & animo, gratiam pro Archiepiscopali Pallio, sibi ab ipso Pontifice misso, persoluturum promittens. Hęc autem Epistola refertur à Matthæo Paris. Anno 1186.

771 Hæc autē sic se habet: *Sanctissimo Patri Vrbano, Dei gratia Summo Pōtifici, Balduinus Cantuariensis Ecclesiæ minister, salutem, & debitum devotionis obsequiū. Domus Dei, quæ in Lapide adiutorij, super fundamentum Apostolorū, & Prophetarū stabilita est, à Petro, & Successoribus eius formam semper eruditionis, & statum incolumitatis accepit. Quod enim stipiti, rami; quod capiti, mēbra; quod radij, Soli; quod fonti, rivuli; hoc Apostolicæ Sedis eminentiæ debent Ecclesiæ omnes, quas vbique terrarum, Religio Christiana fundavit, &c.*

772 Vnde si Romani Pontifices Doctrinam Fidei tradituri, errores, & hæreses, dum ex Cathedra loquuntur, docere possent, neutiquam Cantuariensis Episcopus Domum Dei à Petri Successoribus formam semper eruditionis, & incolumitatis statum accipere, & acceptură esse, assereret.

773 Idipsum egregiè confirmat Epistola, quam GREGORIVS, PATRIARCHA ARMENIÆ, Supremam, ac Infallibilem Romani Pontificis Authoritatem agnoscens, Pontificis Cœlestini III. Successori, Innocentio III. scripsit, quæ extat *lib.* 1. *Epistolarum Innocentij*, *ordine* 206. sic enim loquitur: * Vobis, qui estis Caput post Christum, consecrati ab eo, & Caput Catholicæ Ecclesię Romanæ, Matris omnium Ecclesiarum, adeò prudentes, & Sancti, quod debetis esse in loco Apostolorum sublimis Papa, & vobis Sanctis Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Presbyteris, Clericis, & omnibus, qui sunt de Vestra Sancta Ecclesia, salutem, & fraternitatem. Pax Dei sit inter Vos. Gregorius homo IESV CHRISTI, per gratiam Dei, Catholicus totius Ecclesiæ Armeniorum, filius Vestræ Sanctæ Ecclesiæ, quæ est fundamentum legis totius Christianitatis.

774 Sciatis (prosequitur) quod nos Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, & Clerici oramus IESVM CHRISTVM, qui est Caput omnium nostrum, vt servet Vos, & Vestros ab omnibus malis: quia cum Vos, qui estis Caput, estis incolumes, nos qui sumus corpus, benè valebimus per Vestram benedictionem. Noveritis Domine, quod ad nos venit Nobilis, Sapiens, & Sublimis Archiepiscopus Moguntinus, qui nobis attulit ex Dei parte, & ex parte sublimitatis Ecclesiæ Romanę, & ex parte Magni Imperatoris Romanorum sublimem Coronam, & coronavit Regem nostrum Leonem, & nobis reddidit Coronam, quam nos perdidimus à longo tempore. Vnde nos fuimus elongati à Vobis, & nos recepimus eam libenter, & cum magno gaudio, & inclinamus, & regratiamus Deo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & alto Imperatori Romanorum. Sciatis Domine, quod ipse nobis monstravit Vestra præcepta, & nos ea multum libenter audivimus, & libenter volumus legem, & fraternitatem sublimis Ecclesiæ Romanæ, quæ est Mater omnium Ecclesiarum: & nos solebamus eam habere, & nunc eam habe-

habemus, & libenter volumus esse ad Vestrum mandatum. Et similiter sunt ad mandatum Vestrum omnes Archiepiscopi, Episcopi, & omnis Clerus nostræ Ecclesię, qui sunt in terris nostris, & sunt multi per Dei gratiam, &c.* Hactenus ille.

§. XI.

EX SAECVLO TERTIODECIMO.

775 INfallibilem Romani Pontificis Authoritatem, elegantèr confirmat appellationum vsus, in Ecclesia Dei, ab antiquis temporibus obseruatus; nulla siquidem appellatio à Romano Pontifice ad alium, siue Episcopum, siue Patriarcham, Regem, aut Imperatorem in Catholica Ecclesia admittitur; cum è contra ab omnibus Ecclesijs ad Romanam, eiusque Summum Pontificē, possit appellari, prout Sacri Canones in omni Ecclesia approbati, & vsu toties exerciti, statuunt, & decernunt. Pręcipuè enim Patriarchales Ecclesiæ post Romanam, ad quattuor rediguntur, quę in Lateranensi Concilio sub Innocentio III. *Cap.* 5. hoc fuerunt ordine constitutæ: Prima Constantinopolitana, secunda Alexandrina, tertia Antiochena, quarta Ierosolymitana. Ex his, Sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, & Paulus Constantinopolitanus Antistes in causis Fidei, & Religionis ad Iulium I. appellarunt: Sanctus Ioannes Chrysostomus, Constantinopolitanus Episcopus, ad Innocentium I. Flavianus, Constantinopolitanus etiam Antistes, ad Leonem I. Theodoretus, & Cyrorum Episcopi, ad eundem Leonem: Adrianus, Thebanæ civitatis Antistes, ad Gregorium I. provocavit, vt constat *ex Epistola* 6. *&* 7. *lib.* 3. necnon 52. *lib.* 4. *&* 24. *lib.* 5. Omnes, inquam, isti in Fidei, & religionis causis, à primis Patriarchalibus Ecclesijs ad Romanam, illiusque Caput, Romanum nempe Pontificem, supremam, ac infallibilem in illo Authoritatem, ad definiendum in rebus Fidei, & religionis agnoscentes, tamquam ad superius Tribunal, ac iudicium appellarunt.

776 Eamdem Pontificis Infallibilitatem præclarè confirmat, quod omnes Fideles in omnibus Christianæ Reipublicæ regnis, id solum vt Catholicum suscipiunt, quod à Romana Ecclesia, Summisque illius Pontificibus fuerit approbatum; id verò vt non Catholicum renuunt, quod ab illa fuerit damnatum, vt in hæresum damnatione ipsa experientia testatur. Et satis innotuit in Marcione Hæresiarca, qui, simul atque eum Anicetus Pontifex damnavit, à tota Ecclesia vt hæreticus habitus fuit. Felix, Iovinus, Maximus, & alij ab Africanis Patribus damnati, numquam audierunt Hęretici, quousque in eos damnationis sententia à Cornelio Pontifice prolata fuit.

777 Basilidem Legionensem, nec non Rebaptizantes, statim ac à Pontifice Stephano damnati fuerunt, tota Ecclesia vt hæreticos aspernata est: Ariani, concordiam simulantes, à Pontifice Iulio I. condemnati sunt, vt ex eorum ad Iulium, & Iulij ad ipsos litteris, innotescit: Vitalis hæreticus, qui Apollinaris sectam profitebatur, à Pontifice Damaso; Pelagius, & Cælestius Hęresiarchæ, à Pontifice Zozimo; Nestorius, à Pontifice Cęlestino, ad quem contra Cyrillum appellaverat, & innumeri alij, ne Lectori fastidium prolixa exemplorum pariat narratio. Eutyches Hæreticus, à Leone Pontifice, vt diximus, condemnatus est. Post istorum autem Hæresiarcharum damnationem, à prædictis Romanis Pontificibus factam, illos vt perniciosissimos hęresiarchas, eorumque errores, tota Ecclesia abominata est, eosque ceu contagiosam, ac mortiferam luem, diligenti sollicitudine declinavit. Quæ omnia Infallibillitatis donum in Ecclesia, circa res Fidei, evidentissimè arguunt. Necesse enim est, vt illud Infallibilitatis donum habeat Ecclesia, dum Catholicas veritates, quas amplecti, & sequi Fideles tenentur, proponit, erroresque veritatibus illis oppositos, damnat. Cumque id Ecclesia semper interveniente Romani Pontificis Definitione, præstiterit; proculdubio iste, idem Infallibilitatis donum habere debet. Si enim hic in errorem posset incidere, posset & Ecclesia, contra illam Infallibilem Christi Domini promissionē: *Ego autē rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua.* Ne ergo de Catholica Ecclesia tā noxiū, & incredibile absurdū proferatur, necessariò dicturi, ac propugnaturi sumus, Romanum Pontificem in Decretis Fidei, & morum omnimoda Infallibilitate gaudere, privilegioque non errandi certissimè potiri.

778 Eamdem veritatem confirmat, Summum Pontificem, vti Supremum in re-

rebus Fidei Magistrum, & Doctorem, veneratum fuisse à toto Christiano Imperio, & à celebrioribus omnium Regnorum Præsulibus, qui in gravioribus Fidei, & religionis controversijs ad veritatis fontem, ad Divi Petri Cathedram, ad Romanos, inquam, Pontifices, qui in illa præsunt convolarunt, ab illorum ore tamquam à certissimo, immò & Divino veritatis Oraclo, vltimam Decissionem, infallibilemque Definitionem accepturi. Innumera nobis suppetunt huius veritatis exempla, quæ quia passim in Sacris Decretis, Decretaliumque Canonibus occurrunt, tamquam vulgaria omittimus, aliqua tantum notatu dignissima prolaturi.

779 Supremum ac vniversale Romani Pontificis magisterium à LVGDVNENSI ARCHIEPISCOPO, agnitum fuisse, ac veneratum, testantur gravissimæ Fidei quæstiones, quas ipse Innocentio III. proposuit, huiusque ad illas responsa, *lib. 5. Epist. 122. & lib. 6. Epist. 14.*

780 Idem Supremum Romani Pontificis in omni Ecclesia Magisterium agnovit etiam Blanchorum, Bulgarorumque Princeps CALO IOANNES, qui sui Regni cum Romana Ecclesia vnionem, & communionem vehementer exoptans, *Epistolam ad Innocentium III.* magna animi submissione scripsit, in qua eũ vocat: * Sanctissimum Dominũ Fidei Christianorũ ab Oriente vsque ad Occidentem, Patriarcham, Papam Romanum (necnon adhuc) Sanctissimum Dominatorem, & vniversalem Papam, sedentem in Sede Beati Petri, & Dominum Patrem Regni sui, Papam Sedis Apostolicæ, Ecclesię Romanæ, & totius Mundi Magistrum: * Quæ omnia nullatenus proferret, ni certò intelligeret, Romanum Pontificem habere non errandi in rebus Fidei privilegium.

781 BRACARENSIS, ET AVRIENSIS, HISPANIARVM EPISCOPI, magna contentione curarunt, vt per supremum Fidei magisterium, Romanã nempe Sedem, instruerentur, Innocentiũ III. Pontificem in Fidei dubijs exorantes, vt ex *Epistolis Innocentij. III.* innotescit, *lib. 9. Epist. 3. & 33.* & ipsius Successoris Honorij Tertij, *Epist. 44.* comprobatur.

782 Summum Romanum Antistitem consuluit: PRAGENSIS EPISCOPVS, An à gerendis Sacerdotijs, natalibus illegitimis procreati subnovendi essent? carnesvè in feria sexta, cum in illam festum Natalis Domini incurreret, degustari possent?

783 Eo etiam tempore LVGDVNENSIS PRÆSVL à Romano Pontificem edoceri desideravit circa Sacrosancti Missæ Sacrificij Ritus, ac Cæremonias, quo haud leviter Supremum Pontificis Magisterium, & recognovit, & veneratus est, ab eo spectans Infallibile Divini Cultus, in tanti momenti re, Decretum, vt demonstrat Pontificis Honorij III. *lib. 10. Epist. 16.*

784 GALLICANVS CLERVS, sub Gregorio IX. Pontifice Maximo ægrè ferens cuiusdam Decimę Impositionem, occasione expeditionis contra Albigenses Hęreticos impetratæ, in hoc dubio Supremum Romani Pontificis Magisterium, litteris recognovit, quibus hęc elogia Supremam Pontificis Authoritatem testantia præfixit: * Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino Gregorio Miseratione Divina Summo, & Vniversali Pontifici, devoti, & eius humiles famuli PP. Decanus, totumque Capitulum Ecclesię Parisiensis, subiectionis, devotionis, & totius obedientiæ plenitudinem.*

785 Innocentius IV. Pontifex Maximus, Orientis Schismaticos ad Romanæ Ecclesię vnitatem adducere, concordiamque illos inter, & Romanam Ecclesiam constituere desiderans, de hac re, ad Fidem maximè spectante, Apostolici sui Vicarij ministerio egit. Hic autem Innocentio Pontifici aliquas Orientalium Patriarcharum Epistolas misit, in quibus isti Supremum Romani Pontificis in omni Ecclesia Magisterium verbis magnam venerationem præseferentibus agnoscunt, ac confitentur.

787 Orientis enim Catholicus apud Innocentium, *lib. 4. Epist. 119.* scripsit vt modò sequitur: * Ad præsentiam Papæ Magnifici, ex parte illius, qui petit orationes eius in subsidium debilitatis suæ, RABAN ARA, VICARII ORIENTIS, adorantis inter manus eius, Patri Patrum, Decori Pastorum, Misericordiæ vitæ, Fonti pietatis, & indulgentię; Intercedenti pro Populo Domini, Perfecto in Divinis, Excellenti in spiritualibus, Soli iustitię, cuius lux oritur super quattuor mundi climata, qui lucet, & splendet in Ecclesijs Catholicis Sanctis, Cherubim corporeo, & Seraphim carneo,

neo, tenenti Sedem Beati Petri, Domino meo Sanctissimo Papæ Vrbis Romæ, & omnium climatum Mundi coram Deo, &c.*

787 Extat etiam ibidem PATRIARCHÆ IACOBITARVM, *Epistola* 120. quæ infallibilem, ac Apostolicam Romani Pontificis Authoritatem pręclarè commendat; asserit enim: * Illi generi Supremo constitutivo omnium specierum, quod ita vocatur genus, quod non contingit ipsum vocari speciem; Patri Patrum, Sanctissimo Innocentio, tenenti Sedem Beati Petri, Principis Apostolorum, glorificato à Christo Deo, qui credidit Beato Petro Claves Regni Cœlorum, & posuit eum fundamentum Ecclesię; Servus servorum Christi Ignatius debilis, cui creditum est à Spiritu Sancto, vt sit Pastor Syrię, & totius Orientis Populo Iacobitarum, adorationem sinceram in spiritu, & corpore, &c.*

788 Idipsum confirmant ea, quę Illustrissimus EPISCOPVS VINCENTIVS BELLOVACENSIS, è Sacro Prędicatorũ Ordine, scribit, *in Prologo, in quatuor specula doctrinal. c.13.* * Sancta (inquit) Romana Ecclesia nullis Synodicis institutis cæteris Ecclesijs prælata, sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri Primatum obtinens, dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.** Hęc ille.

§. XII.

EX SÆCVLO DECIMOQVARTO.

789 AT pro Suprema, ac infallibili Romani Pontificis Authoritate expresius loquutus fuit ORIENTALIS EPISCOPVS HIABALABA, qui *in Epistola ad Benedictum II. Chaldaicè scripta*, Catholicam Fidem professus, Romanum Pontificem esse Supremum Fidei Caput confitetur: in illa enim Epistola latinitate donata, initio sic scribit: * Superabundanti Patri in Sanctitate, & superexcellenti in spiritualibus donis, Vicario Domini nostri IESV CHRISTI super totam Fidem Christianam, sedenti super Sedem Beati Petri Apostoli Pastoris nostri, & Patroni, Patri Patrum, Regi Regum, Sanctissimo Papę Benedicto, quem Deus induit Sanctissima, ac dignissima veste. (Et infrà, paucis interiectis, de morte Bonifacij per fratrem Iacobum Ordinis Prædicatorum manifestata) Insinuavit insuper nobis (inquit) quod istud donum permaximum, & maxima Sedes Throni Apostolici, ac Vniversalis Paternitas omnium Fidelium, ac Summus Pontificatus omnium Pontificum, in omni Ecclesia Catholica, & Apostolica à Deo Omnipotente, & Pijssimo, Vestræ collatus fuit Sanctitati, quam Deus custodiat, & conservet.*

790 In fine demùm hæc habet: * Profitemur insuper Sanctum Romanum Summum Pontificem, & Patrem Vniversalem omnium Fidelium Christi: & confitemur quod ipse est Successor Beati Petri, Vniversalis Vicarij IESV CHRISTI super omnes filios Ecclesiæ ab Oriente vsque ad Occidentem; cuius amor, & dilectio in nostris cordibus est firmata, & nos sub eius obedientia sumus, & requirimus, & imploramus suam benedictionem, & sumus parati ad omne eius pręceptum, &c.* Habetur *lib. privilegiorum Romanæ Ecclesiæ, tom.3.*

791 Illustrissimus DVRANDVS DE SANCTO PORTIANO, è Sacro Prędicatorum Ordine, MELDENSIS EPISCOPVS, Vir omnibus scientiarum instrumentis ornatus, & disciplinarum ornamentis instructus, qui singulari Doctrina specialem in celebrioribus Vniversitatibus Cathedram promeruit, Supremam, ac infallibilem Romani Pontificis Authoritatem præclarè commendat; etenim *in 2. Sententiarum*, *dist.* 44. *quæst.* 5. inquirit: Vtri Monachus teneatur plus obedire, an Prælato suo Religioso, an Episcopo, seu Papæ? Et respondet inter alia: * Omnium Superiorum Ecclesiasticorum potestates procedere à potestate Papę, & vnam subijci alteri tantum in certis casibus, prout volunt Iura Canonica, quorum Papa est Conditor.*

792 Et 4. *Sententiarum, dist*, 24. *quæst*.5. discutit: Vtrùm in Ecclesia sit aliqua potestas maior Sacerdotali? Et præmissa distinctione de potestate Iurisdictionis, & Consecrationis, respondet: Multos esse maiores simplici Sacerdote quoad primã: * Quia potestas (inquit) quę tota data est vni in suo fonte, nõ est in alijs, nisi derivata, & limitata pro illius volun-

luntate; sed potestas iurisdictionis, quæ est ad regendum Populum tota, & in suo fonte, data fuit soli Petro, & Successoribus eius, quando cura Ecclesiæ ipsi fuit commissa, dicente Domino, *Ioan. vlt. Pasce oves meas.* Hoc enim nulli aliorum dictum est Apostolorum: nec tunc, nec antè, nec post: Ergo talem potestatem plenam, & perfectam habet solus Successor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quasi Pater Patrum. In alijs autem non est nisi derivata, & limitata prout Papæ placet.* Quomodo autem dicta potestas, ad regendum populum Dei cum omni plenitudine data, in omni materia religionis & Fidei principaliter soli Petro, & Successoribus eius fuisset, si Infallibilitatis privilegium non haberent, sed in docendis Fidelibus, errores, & hæreses illis credendas proponerent? Absit tantus error. Immò credendum eam potestatem regendi Ecclesiam, quam Christus, cum Infallibilitatis dono, Divo Petro dedit, eamdem Successoribus, cum non errandi privilegio contulisset.

793 Nec minorem apud litteratos obtinuit Authoritatem PETRVS PALVDANVS, Sacri Prædicatorum Ordinis, & Patriarcha Hierosolymitanus, qui veritatem istam præclarè confirmat. *In 4.* enim *Sententiarum, dist. 24. quæst. 6.* eisdem ferè Durandi verbis, hæc habet: *Potestas iurisdictionis, quę ad regendum populum tota in tuo fonte data fuit soli Petro, & in eo Successoribus eius, quando cura Ecclesiæ sibi soli commissa fuit, dicente Domino *Ioan. 21. Pasce oves meas.* Hoc nulli aliorum dictum fuit, nec tunc, nec antè, nec post. Ergo talem potestatem plenam, ac perfectam habet solus Successor Petri, quia ob hoc Papa dicitur, quasi Pater Patrum.

794 Duos hos Authores Gallos, duo alij Hispani Doctores meritò subsequentur, qui ingenti Zelo, ac laudabili veneratione, de suprema, ac infallibili Romani Pontificis Authoritate loquuti sunt. Alius erit ALVARVS PELAGIVS è præclaro Minorum Ordine, Sylvensis Episcopus, & Summi Pontificis Ioannis 22. eiusque supremę Authoritatis defensor acerrimus, qui *in opere* numquam satis laudato *de Planctu Ecclesiæ*, precipuè, *lib. 1. cap. 45. & 58.* hęc scribit: *Sciendum est, quod potentia Summi Pontificis, & Christi Vicarij plena dicitur. Primò, quod ab hac potentia, nullus ad Ecclesiam militantem qualitercumque pertinens, excipitur, sed omnis homo in præsenti Ecclesia existens ei subijcitur. Secundò, quia omnis potestas, ad gubernationem Fidelium à Deo ordinata, & hominibus data, sive spiritualis, sive temporalis, in hac parte comprehenditur. Tertiò, quia omnis potestas in Ecclesia ad hac potestate derivatur. Quartò, quia à nulla potestate humana exceditur.* Vide eundem, *lib. 2. cap. 11. & multis alijs in locis.*

795 Precipuè videndus est ipse Alvarus Pelagius, *lib. 1. cap. 13.* ibi enim infallibilem Romanū Pontificem esse Vicarium Christi in quantum Christus homo erat, ostendit, dicens: * *Matthæi vltimó* dicit Christus: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Sed Papa etsi veri Dei Vicarius sit in terris. *Vt extra. de Transla. Quanto.* Non tamen habet Vicariam, nisi sicut Dei hominis. Nam in quantum Christus Deus est, semper etiam in terra est, quia Deus omnia implet. *Ieremiæ 23. Cœlum, & terram ego impleo.* Nec Vicario opus esset: sed in quantum verus homo est, ascensurus ad Patrē, ne Gregē suum absque Pastore dimitteret, curam eius Petro, & Successoribus eius dereliquit. *Extra. li. 6. de Homicidio. Pro humani,* id est *respons.* in verbis autem prædictis: *Data est mihi omnis potestas, &c.* Sicut verus homo, loquitur Filius Dei: quia sicut Deus, eamdem semper potestatem habuit, quam Pater: Vnde Athanasius: *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, &c. Extra. De Summa Trinit. cap. 1. respons. 1.* Item dicit: *Omnis potestas.* Ergo nihil excepit. *1. ad Corinth. 15. Ad Hebræos 2. 19. dist. si Romanorum.* Item *in terra*, Ergo Vicarius eius in terris, omnis Papa, omnem habuit potestatem in terra, quam habuit Christus, nedum sicut Deus verus, sed sicut verus homo.* Hæc ille. Cum igitur Christus sicut Deus, & homo, habeat supremam, Infallibilemque potestatem in vniverso Mundo iuxta illud quod de ipso dicitur *Zachariæ, cap. 9. Potestas eius à mari vsque ad mare.* Et *Psal. 71. Et dominatur à mari, vsque ad mare.* Vnde, & Ecclesiasticus loquens de Potestate Papali, *Eccl. 17. Dedit illi Deus potestatem eorum, quæ sunt super terram.* Sequitur Papam tamquam Christi Vicarium, & San-

Sancti Petri Successorem, ad universale regimen Ecclesiæ, maximè in rebus Fidei & morum, infallibilem habere potestatem.

796 Alius erit Doctissimus GVIDO, Carmelitani Ordinis quondam Generalis, & postea Maioricensis Episcopus, qui *in tractatu contra Vualdensium errores*, Privilegium non errandi, quod in Summis Pontificibus, aut Divi Petri Successoribus, adstruimus, mira eruditione defendit. * Constat (inquit) quod Dominus Petrum, & in Petro Petri Successores, posuit omnium Fidelium Caput, cui ait Dominus, *Lucæ 22. Rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ita quod in directione, & confirmatione Fidei, Petro, & Petri Successoribus est standum, & obediendum, &c. Manifestum est, quod in Petro omnes continentur, vt in Capite post Christum, & ovium Christi Pastore. Sic quod Petri Fides non deficiet à Sede Apostolica, nec à Romana Ecclesia Christi Sponsa, quæ *tota pulchra est*, & labes hæresis, seu macula non est in ea, &c. Item nolentes obedire Romano Pontifici Pastori ovium Christi, cui in Petro Dominus ait: *Pasce oves meas*, desinunt esse oves Christi, quia oves Christi vocem eius audiunt: *Ioann.* 10. Et Christus cum Petri Successoribus adest, per suam gratiam eos dirigens, & confirmans in Fide, vt eorum Doctrina, & regimine perseveret Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, sine ruga, aut macula hæreticę pravitatis.* Hactenus ille.

§. XIII.

EX SÆCVLO QVINTODECIMO.

797 IN exitiali illo schismate, quod quinquaginta annorum spatio, ab Vrbano nempè VI. Martinum vsque V. Ecclesiam Dei vehementer afflixit, quodque occasionem præbuit, vt duo illa Concilia, Pisanum scilicet, & Constantiense celebrarentur, estò non defuerint aliqui, qui in Pontificiam Authoritatem insurrexerint; adfuerunt tamen alij singulari Doctrina, ac virtute insignes, qui Ecclesiæ, istiusque Supremæ, ac infallibilis authoritatis, quę in istius Capite, Romano nempè Pontifice residet, defensores acerrimi extitere; quorum Antesignanus censendus videtur IOANNES PATRIARCHA ANTIOCHENVS, qui sub Constantiensi Concilio singulari Doctrina, ac ferventissimo Sedis Apostolicæ Zelo enituit. Hic enim celeberrimæ illi, quæ tunc disceptabatur quęstioni: * An nempè Catholicus Pontifex Generali subijciatur Concilio? * negativè respondet. Ad quod suadendum plures rationes apertissimis textibus innixas adducit, è quibus primam solummodo subscribam hic, quæ prout sequitur se habet.

798 * Quia (inquit ipse) potestas Ecclesiæ ita data fuit per Christum Corpori Mystico Ecclesiæ Militantis, & sic eam voluit ad omnium, Apostolorum Officium pertinere, vt in Beatissimo Petro Apostolorū Summo omnium principaliter collocaret, & ex ipso quasi quodam Capite dona sua, velut in corpus omne, diffunderet, teste Beato Leone Papa *in Can. Ita Dominus 19. distinct.* Cui concordant communiter Alexander de Hales, & alij Doctores Sacræ Theologiæ. * Hæc ille. At qui potestas illa, quam Christus Dominus Mystico Ecclesiæ Corpori dedit, vt in rebus Fidei, ac morum regeretur, cum Infallibilitatis privilegio, proculdubio coniuncta est: ergo si iuxta prædictum Patriarcham Antiochenum hęc potestas Divo Petro, Apostolorum omnium Summo, à Christo Domino principaliter collata fuit, vt ex ipso, quasi quodam Capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, non mediocriter deducitur, Summos Pontifices, sicut Divo Petro in Dignitate Capitis, & Potestate gubernandi Ecclesiam succedunt, succedere etiam in Infallibilitatis dono, Privilegioque non errandi in rebus Fidei, quod Christus Dominus Divo Petro, vt prudenter omninò, ac securè commissam sibi Ecclesiam gubernaret, largitus est.

799 Cum Eugenius IV. Pontifex Maximus, ORIENTIS, ET ÆTHIOPVM PATRIARCHIS de rebus ad Fidei, Ecclesięque bonum spectantibus scripsisset, ij *in suis litteris* ingenti sanæ Supremæ, ac Infallibilis Authoritatis Pontificiæ veneratione, ac magnificis istius præconijs rescripserūt. Ioannes enim Alexandrinus Patriarcha Pontificem Romanum, Sacerdotij perfectionem, & omnium Ecclesiarum Apostolicum

licum Pastorem vocat, Sacerdotum Principem, peregrinantium, qui cæteris viam ostendat, Ducem, & languentium Medicum: Ipsius verò Vicarius Ierosolymitanus, Andreas Abbas Syrus, Caput, & Vniversalis Ecclesię Doctorem appellat. *Ex Iacobo Navarcho in Epistola Asiatica.*

800 Omitti minimè potest quod pro infallibili Romani Pontificis, in rebus Fidei, Authoritate, eleganter dixit GREGORIVS, vel GENNADIVS SCHOLARIVS (qui cum ad Constantinopolitanum Patriarchatum assumptus fuisset, nomen mutavit) *lib. de Primatu Papæ, cap. 9.*

801 Ibi siquidem, hæc habentur: * Quomodo (ait) Athanasius ad Iulium, Chrysostomus ad Innocentium, Ignatius Tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, & cæteri Orientis Sacerdotes, eiecti, ac suis Sedibus pulsi, vel ipsi venientes confugerunt, vel litteras dantes significaverunt, vndè litteris acceptis suas Sedes receperunt, nisi ij Summum Pontificem, ac Petri Successorem agnovissent, vt qui poterat ijs esse in præsidio? Quomodo Reges, ac Principes inspectis Papæ litteris tacuissent, ac illis permisissent suas recipere Sedes, si Petri tantùm potestas fuisset, ac non eius Successorum?*

802 Et *Cap. 16.* * Pontifex (inquit) Romanus, est Petri Successor, & Vicarius Salvatoris nostri IESV CHRISTI, isque solus obtinet omnem potestatem ligandi, atque solvendi, vel arguendi, benedicendi, maledicendi, corrigendi, & medendi: solus habet facultatem de Fide, & Sacerdotio exquirendi.* Quod alitèr intelligi non potest, quàm respectu totius Ecclesiæ, & ex privilegio Infallibilitatis specialiter illi concesso. Cæteri namque Episcopi etiam in suis Diœcesibus facultatem habent exquirendi de Fide, erroresque in illa, & moribus notoriè scandalosos, doctrinalitèr condemnandi, non autem finali, & indeficienti iudicio, quod solius Primæ Sedis est proprium, præcipuumque privilegium. Eundem Authorem Consule *in Expositione pro Concilio Florentino, cap. 5. Sess. 1.* * Quod iustè, verèque dictum sit Papam Caput esse totius Ecclesię Christi.*

§. XIV.

EX SÆCVLO DECIMOSEXTO.

803 PRo re nostra militat *Professio Fidei*, quam SIVD, sivè SVLAKA, Patriarcha Civitatis Mozal, sivè Seleuciæ Parthorum, anno 1552. Græco Sermone edidit Romæ, cum ad eam Civitatem, vt ibi consecraretur, pervenit, secum afferens etiam illorum Assyriæ, & Persidis Populorum Epistolam, qua Summum Pontificem, Vniversi Orbis Pastorem agnoscunt. In illa ergo Fidei Professione, quam Andreas Masius latinitate donavit, prædictus Patriarcha, Nestorij errores detestatus, hæc habet; * Synodus scripsit de Ecclesia Sancta Romana, quæ est Sedes Petri, quod sit Caput omnium Ecclesiarum, quod donum dedit illi Christus per illa verba, quæ dixit ad Petrum, plantatorem illius, nimirum; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Habetur apud nos illa Fides, &c. Recipimus omnia illa Concilia, quę recipit Ecclesia Romana, excommunicamus, quos excommunicat Ecclesia Romana. Veneramur quoque, exaltamus, atque laudamus Ecclesiam Romanam, & Caput eius Papam Sanctum, atque omnes proles ipsius benedictas.*

804 Idipsum confirmat *alia Fidei Professio*, quam ABDISVS, è Civitate Gesirę, quam Tygris lambit, S. Antonij Monachus, & Primas, sivè Civitatis Mazal Patriarcha, in Assyria, cum Romam, sub Pio IV. Pontifice, Nonis Martij, anno 1562. Confirmationem obtenturus, accessit; ibi enim inter alia hęc habentur. * Ego Abdisus iuro, quod ita credo, & ore confiteor, Sanctæque Romanę Ecclesiæ Fidem approbatis omnibus, & singulis alijs, quę ipsa approbat, & damnatis similiter omnibus, quæ ipsa damnat, amplector, & promitto, & perpetuò me amplexurū, & retenturum esse profiteor, & omnes fratres meos Metropolitas, sivè Episcopos, ac Diœcesanos, quovis modo meæ iurisdictioni subiectos, ita credendum, & tenendum esse docebo, & modis omnibus, quibus potero, persuadere conabor; ita me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Hæc ille.

805 Hinc apertè deducitur, quod si Romana Ecclesia, Romanusvè Pontifex in illa præsidens, Infallibilitatis donum in rebus

rebus Fidei non haberet, nullatenus ab ipso, Orientis Ecclesiæ, illius in Fide Magisterium, tamquam Infallibilem Fidei Regulam susciperent, id vnum reprobantes, quod Romanus Pontifex damnaverit, id que vnum tenentes quod ipse approbaverit. Cum ergo tot, tamque diversæ, ac distinctæ Nationes id vnum, quod Summus Pontifex, ceu Vniversalis Fidei Magister docet, tamquam Catholicam Fidem, Infallibilique assensu credendum suscipiant, proculdubiò dicendum est, Romanum Pontificem, in rebus Fidei, Infallibilitatis dono insigniri.

806 Ad rem etiam spectat *celebris illa Legatio*, quam GABRIEL, PATRIARCHA ALEXANDRINVS, cum tota sua Ecclesia, Apostolicæ Sedis communionem obtenturus, illique debitam obedientiam exhibiturus, ad Romanum Pontificem misit, quæ Romæ, mense Ianuario 1594. inclyta, spectandaque celebritate, & solemni, lętoque plausu peracta est. In Epistola namque ad Clementem VIII. data, prędictus Patriarcha Supremam Pōtificis infallibilitatē, illius in rebus Fidei Magisterium, hisce fatetur verbis: *Humilis Gabriel, Dei gratia, famulus Sedis S. Marci in Vrbe Alexandrina Ægyptia, &c. Salutem impartitur, atque osculum offert spirituale Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum Principi, Tertiodecimo Apostolorum, Gloriosi Domini nostri IESV CHRISTI, & Quinto Sanctorum Evangelistarum, & Sancti Petri Apostoli Successori, Petræ Fidei, super eius Cathedram in magna Roma sedenti, cui data est à Deo potestas ligandi, atque solvendi, cuius mentio fit in sacro Evangelio, cum dicit: *Tibi*, ò Petre, *dabo claves Regni Cælorum, &c.*

807 Tu enim (prosequitur idem) loco eius constitutus, & Successor es super terram, Pater noster, & Dominus noster, atque Corona capitis nostri, Dominus Papa Clemens Octavus. Gratias agimus Deo altissimo, eumque Sanctificamus, & magnificamus, quod te constituit Christus Catholicæ Fidei habenas tenentem, & Sanctę Catholicę, & Apostolicę Romanæ Dei Ecclesiæ fundamenta servantem, misericordem, & pium super vniversum populum Christianum, ac dirigentem omnes in Christum credentes, instar Beatissimi Petri, qui te fecit succedere in eius Cathedram. Tu qui effectus es Caput, & Maximus Patriarcharum, & Magister, & Prædicator totius populi Dei.*

808 Et in Confessione Fidei, quam emisit, hæc habet: *Teneo, & confiteor, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Vniversum Orbem tenere Primatum, & ipsum Romanum Pontificem Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ esse Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Vniversalem Ecclesiam à Domino nostro IESV CHRISTO plenam potestatem traditam esse. Itaque promitto me, tamquam obedientiæ filium, ordinationibus, præceptis, Censuris, & iussionibus Sanctissimi Domini nostri D. Clemētis Divina Providentia Papę VIII. & Successorum suorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, & Sedi Apostolicæ, semper, & Fideliter obtemperaturum.*

809 Sequenti anno, nempe 1595. missi fuere à Metropolitano Michaële Kioviensi, cæterisque Principatus Russiæ versus Poloniam Episcopis, vt Romanæ Ecclesiæ vnirentur, & ab ea Cōmunionem, Fideique Professionem acciperent, duo Episcopi, alius VVLODIMIRIENSIS, alius vero CYRILLVS LVCEORIENSIS, qui illorum, à quibus mitteb antur, nomine, Fidei professionem eodem planè modo, quo supra Patriarcha Alexandrinus, emiserunt: solumque *ad calcem* addidere: *Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco; Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, & IESV CHRISTI Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.* Hactenùs ille.

810 Hucvsque ex diversis Christiani Orbis Regnis, maioris authoritatis, & doctrinæ Episcopos retulimus, qui omnes Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei, & morum authoritati vnanimi consensu patrocinantur. Pro coronide tamen huius octavi Capituli, in testes Supremæ, atque infallibilis Authoritatis Pontificiæ, duximus addendos Gallicani Regni Præsules Illustrissimos, qui litteris magnopère floruerūt, & sunt qui modo sequūtur,

811 Primò occurrit Illustrissimus HINCMARVS, RHEMENSIS ARCHIEPISCOPVS, qui *in Præfatione Opusculi, de Divortio Lotharij Regis, & Tetbergæ Reginæ*, hoc pro Suprema, ac Infallibili Romani Pontificis Authoritate, illustre testimonium dedit, dicens: * De omnibus dubijs, vel obscuris, quæ ad rectæ Fidei tenorem, vel pietatis Dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia, vt omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, Nutrix, & Doctrix, est consulenda, & eius salubria monita sunt tenenda, maximè ab his, qui in illis Regionibus habitant, in quibus Divina gratia, per eius prędicationem, omnes in Fide genuit, & Catholico lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit ęternam.* Ex quibus rectè infertur, quod si Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum in rebus Fidei, & morum Doctrix est, ac Magistra, erit & Gallicanæ, & sic in rebus Fidei necessariò non errandi privilegio pollere debet, ne veritatis Doctrix, fieret Magistra erroris.

812 Illustrissimus IVO, CARNOTENSIS EPISCOPVS, Infallibili Romanę Ecclesiæ in rebus Fidei Authoritati, etiam suffragatur egregiè, Hæreticum reputans illum, qui à Romanæ Ecclesiæ sensu, & sententia discesserit; scribens namque suo Metropolitano Richerio Senonensi Archiepiscopo, qui ægrè ferre videbatur, quod ipse ad Carnotensem Episcopatum à Pontifice fuisset assumptus, ideòque ei intrusionem in illam Sedem obijciebat, respōdetque ei his verbis, Apostolico Zelo plenissimis: *Dicitis etiam in litteris, me Sedem invasisse Gaufridi Coepiscopi vestri, in quo manifestè contra Sedem Apostolicam caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos, quantum in vobis est, destruitis; & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis. Huius Iudicijs, & Constitutionibus obviare, planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere, cum Scriptura dicat: Hęreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat.*

813 Nec pro infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei Iudicio, minori cōsideratione videtur dignum, quod ad Iacobum, Maioris Britaniæ Regem, scripsit ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPVS *in Apologia Evangelij pro Catholicis edita Parisijs anno 1625. lib. 2. cap. 1.* vbi, inter alia, hęc dicit: * Grandi quodam privilegio Romanus Pontifex, Custos Fidei à Patribus habitus, vt Ephesina Acta *Cœlestino Papæ, Custodi Fidei* acclamatum testantur, necnon & postea insertum Chalcedonensibus Actis insigne monumentum illud est Petri Episcopi Ravennatis, *Epist. ad Eutychem.* In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, vt his, quę à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis, scripta sunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede & vivit, & præsidet, pręstat quærentibus, Fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & Fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi causas Fidei definire non possumus, &c.*

814 Multa etiam Romani Pontificis epitheta, id ipsum significantia, congerit ipse doctissimus Antistes, qualia sunt, Romanum Pontificem esse Fidei custodem, violatæ Fidei vindicē, totius Fidei Caput, &c. Et ibidem *cap. 2.* affert etiam partem Epistolæ Agathonis Summi Pontificis *in VI. Synodo, Actione 4. Synodicé lectæ*, in qua Pontifex hæc ad Imperatores, de Romana Ecclesia profatur: * Hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei Omipotentis gratiam, à tramite Apostolicę Traditionis numquam errasse probabitur, &c.* Et *cap. 12.* maiori efficacia hęc scribit: * Cui non patet, Fidei ostium Romanis Clavibus aperiendum, à Romanoque Pontifice patefaciendum esse?* Certè si prædictus Antistes non intelligeret, Romanum Pontificem in rebus Fidei Infallibilitate gaudere, privilegiumque non errandi habere, neutiquam prædicta verba, & encomia indefectibilitatis donum præseferentia, & ipsum quasi suo iure exigentia, protulisset.

815 Celeberrimus apud antiquos Galliarum Antistites mos invaluit, vt in Fidei, Religionisque dubijs, ad Romanam Sedem recurrerent, quia nempè Sanctissimi illi, & antiquissimi Episcopi Romanum Pontificem, ceu infallibilem Fidei, Religionisque regulam venerabantur, vt *Epistola 89.* Sancti Leonis Papæ clarissimè demonstrat. Hic autem laudabilis mos semper in Gallijs viguit, semper floruit, semper perseveravit: Gallicani namque Episcopi Romanum Pontificem, tamquam Divinū Oraculum, à quo certa, ac infallibilis Definitio desumenda est, omni tempore

pore, omnique ætate, venerati sunt.

816 Quod prçclarè confirmat celebris ille Scriptor ÆGIDIVS, BITVRICENSIS ARCHIEPISCOPVS, qui *in expositione Cap. Cum Marthæ. De celebratione Missarum*, hæc habet: *Archiepiscopus igitur Lugdunensis de omnibus ijs dubitans, Sedem Petri, ad quam pertinet maiores causas, & præsertim Articulos Fidei, & ea quç ad Articulos ordinantur, decidere, consuluit, ne in ipsis vlterius vacillaret.*

817 Nec minus pro Suprema, ac Infallibili Romani Pontificis Authoritate, non quidem priscis illis, sed nostris adhuc temporibus loquutus videtur Illustrissimus MASSILIENSIS EPISCOPVS, PATER NICOLAVS COEFFETEAV, Insignis Parisiensis Doctor, *in tractatu pro sacra Monarchia Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, adversus Rempublicam Marci Antonij de Dominis Archiepiscopi Spalatensis, 5. par. discuss. num. 5. cap. 12. lib. 1.* vbi indefectibile Fidei lumen in Romano Pontifice, his verbis adstruit: *Dico igitur non esse par lumen in reliquis cum Summo Pontifice; namque vni ei in persona Petri dictum est: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* Quare ea luce collustratus plus eius oculus cernit, quam multorum oculi.*

818 Expressius mentem suam, pro infallibili Romani Pontificis Authoritate, aperuit Illustrissimus GABRIEL ALBASPINEVS, AVRELIANENSIS EPISCOPVS, exponens illa Tertulliani verba, *lib. de Pudicitia*: *Episcopus Episcoporum*, sic enim scribit: *Quacumque igitur ratione, aut mente, de Romano Pontifice hçc dixerit Tertullianus, seriò, vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum potestatem fuisse de rebus Fidei iudicia peremptoria ferre, & totius Orbis Episcopos monere, atque docere, quis non agnoscit? Eoque magis, quod vnus Tertullianus, iam hæresi implicitus, de hac re, cęteris Ecclesiæ Episcopis non reluctantibus, conqueratur: nam de his rebus eum oppugnando, coniecturam facit ea tempestate id iuris Romanis Episcopis concessum fuisse, eosque revera hanc potestatem exercuisse.*

718 Verum non modò Illustrissimi totius Galliç Archiepiscopi, & Episcopi sigillatim, sed prçstantissimi etiam, ac doctissimi illius Regni viri, sive in Parisiẽsi Academia, sive in alijs prçclarissimis Galliarum Vniversitatibus, sive in Ecclesiastici Status Cœtu, qui præcipuè ex Illustrissimis Dominis Episcopis, Archiepiscopis, cæterisque Ecclesiasticis Communitatibus coalescit, congregati, supremæ, ac Infallibilis Romanorum Pontificum in rebus Fidei, & morum Authoritatis acerrimi defensores, omni tempore extitere, vt ex ijs, quæ sequuntur, omnibus innotescet.

819 Quænam fuerit hac de re Parisiensis Ecclesię, & Vniversitatis sententia, satis ostendit Declaratio facta anno 1324. ab Illustrissimo Parisiensi Episcopo STEPHANO *in litteris pro Beati Thomæ Aquinatis Doctrina editis*: *De consilio (vt ibi dicitur) venerabilium Virorum Decani, & Capituli Parisiensis, & Venerabilis Patris Domini Guillielmi, Dei gratia, Archiepiscopi Viennensis, Sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum viginti trium Magistrorum in Theologia, necnon triginta novem Baccalaureorum in Theologia.* Prędictæ autem Declarationis causa ea fuit, quę ijs, que sequuntur verbis Infallibili, ac indeffectibili Romani Pontificis Authoritati secundis, ac propitijs, exprimitur.

820 *Nos igitur (inquit) attẽdentes cum eis, quod Sacrosancta Romana Ecclesia Fidelium omnium Mater, & Magistra, in firmissima Petri Christi Vicarij Confessione fundata, ad quam velut ad Vniversalem Regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum; præfatum Doctorem venerabilem, cuius Doctrina fulget Ecclesia vt Sole Luna, nuper Sanctorum Cathalogo adscribendum, Doctrinę diligenti excussione, & examinatione præhabita super vita ipsius, & Doctrina, ipsumque quoad vitam puram, ac Doctrinam salutarem Orbi terræ commendabilem prædicavit, &c.* Ex quibus verbis clarè constat non modò Archiepiscopum, sed totam etiam Parisiensem Vniversitatem, ita pro Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritate stetisse, vt nulla alia verba ad rem nostram aptiora inveniri possint, ac fingi.

821 Celebris etiam fuit Cœtus ille GALLICANORVM ANTISTITVM, in Meloduñẽsi Cõventu factus, anno 1579. *tit. 1. Cõst.* Omnes enim Gallicani Prçsules, quot-

quotquot illò convenere, pro Privilegio non errandi Romanæ Ecclesiæ apertissimè stant, *Tit.* enim 1. *Constitutionum*, qui est *de Fidei Professione*, istud promulgatur Decretum: *Operam dabunt ij, quibus hæc cura demandata est, Episcopi scilicet, & eorum Vicarij, vt in omnibus Synodis, tā Diœcesanis, quā Provincialibus omnes & singuli, tū Clerici, tum laici, amplectantur, & aperta professione eam Fidem pronuncient, quam Sancta Romana Ecclesia, Magistra, Columna, & Firmamentum veritatis, profitetur, & colit. Ad hanc enim propter suam principalitatem necesse est omnes convenire Ecclesias.* Ex quibus necessariò deducitur, Romanum Pontificem in rebus Fidei, Infallibilem esse, privilegiumque non errandi obtinere; aliàs perperàm Romanam Ecclesiam in rebus Fidei Magistram, Columnam, ac Firmamentum veritatis appellarent.

822 Pro nobis etiam dignissimum est Vniversitatis Parisiensis testimonium, quod in Sacro Consistorio, coram Summo Pontifice Clemente, anno. 1387. Magister PETRVS DE ALLIACO, prędictæ Vniversitatis nomine, Infallibile Romani Pontificis in rebus Fdei Magisterium, ac Iudiciū cōfessus est, vt ex eiusdem Vniversitatis Historia, & ex verbis, ad hunc annum relatis, quibus prędictus Magister, ceu illius Vniversitatis Orator, Clementem Pontificem alloquutus dicitur, innotescet; quæ, vt illa Historia refert, vt sequitur se habent.

823 *Igitur pro vestris humilibus filijs Vniversitatis prædictæ, & pro nobis eorum Nuntijs, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde, & ore vnanimiter protestamur, quod quidquid hactenus in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc, vel aliàs pro eis acturi, aut dicturi summus, totum Iudicio, & correctioni Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus; dicentes cum B. Hieronymo 24. *quæst.* 1. Hæc est Fides, Pater Beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, in qua si minus peritè, aut minus cautè fortè aliquid positum est, emendari petimus à te, qui Petri Fidem, & sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissime tenemus, & nullatenus dubitamus, quod Sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam, eodem Hieronymo teste, fundatā est Ecclesia, vt habetur *eadem, quæst. in cap. Quoniam vetus.* Et sicut dicit Cyprianus 93. *dist. Qui Cathedram.* De qua Sede, in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est: *Petre, rogavi pro te, vt non deficiat fides tua; Lucæ* 22. Hæc est igitur ad quam determinatio Fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticę impietatis detestatio maximè pertinet.* Hæc ille.

824 Infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem fuisse semper ab Vniversitate Parisiensi, tāquam constantissimam veritatem infracto animo propugnatam, docet Insignis Parisiensis Doctor, & Professor ANDREAS DVVALLIVS, *in lib. de Suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate, anno* 1614. *in lucem edito*, & à duobus alijs Parisiensibus Doctoribus approbato, qui vnanimi consensu tuentur Privilegium non errandi, quod Divus Petrus habuit, ad eius Successores defluxisse, adduntque, non nisi à ducētis annis quemquam ab ea sententia recessisse. Istorum verba audiamus.

825 Velint, nolint (inquit) adversarij, liquidò constat veteres Ecclesiæ Gallicanę Proceres hanc in Summis Pōtificibus Petri Successoribus Infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini Orationem in Petro non stetisse, sed ad eius Successores certissimè transijsse, eosque, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, à ducentis, aut circiter, annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cœpisse.* Hęc ille.

826 Nec pro huius rei confirmatione omitti potest PARISIENSIS SENATVS Authoritas, qui Ludovicum II. Francorum Regem per Ioannem Lozellier Inquisitionum Cameræ Præsidem, sic alloquitur, *Artic.* 20. vt refertur à Petro Puteano *inter Tractatus de Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus*: *Protestatur Curia Vestræ Maiestati se nullo modo, propter quæcumque inferius dicenda, velle excellenti Sanctitati, Dignitati, Honori, & Authoritati nostri Sancti Patris Papæ, Sanctæque Sedis Apostolicæ derogare: sed contra, ei omnem honorem, reverentiam, & obedientiam, quam omnes boni Fideles Catholici Supremo Ecclesiæ Pastori prętare tenentur, sicut veros filios Ecclesiæ Matri Sanctissimę reddere, & exhibe-

hibere: protestans insuper, si quid dictum, factumque à se fuerit, quod correctione egeat, illud totum velle se omninò Ecclesiæ Sanctæ Apostolicæ, & Romanę determinationi submittere, quæ errare non potest, *iuxta Can. A recta 24. quæst. 1.**

827 Insuper infallibilem Romani Pontificis, in rebus Fidei, Authoritatem, egregiè confirmãt OCTVAGINTA QVINQVE ILLI GALLICANI ANTISTITES, qui Privilegium non errandi, in rebus Fidei definiendis, in Romano Pontifice agnoscentes, Innocentio X. vt quidnam circa quinque Iansenij propositiones infallibilitèr, & Catholicè credendum esset, decernere dignaretur, humilitèr supplicarunt, dicentes: * Beatissime Pater, maiores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesię mos est, quem Fides Petri numquam deficiens perpetuò retineri pro iure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio, Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus, &c.* Vbi clarè patet, omnes Gallicanos Episcopos, ad sedandas seditiones, & tumultus, quos in tota Gallia propositiones Iansenij excitarant, vtque eos in rebus ad Fidem spectantibus comprimerent, ijsque mederentur, non quidem ad Concilium, sed ad Pontificem extra Concilium recurrisse, vt ab infallibili illius Definitione, quid in rebus Fidei credendum esset, acciperent. Vnde infrà, sic prosequuntur: * Sed quia locus etiamnum aliquis quorundam cavillis, & effugio relictus est, intercludendum autem penitùs speramus, si, vt præcamur, Sanctitas Tua quid in hac re sentiendum sit, clarè, distinctèque definiat.*

828 Tandem pro coronide adducenda venit *Epistola*, quam Parisijs anno 1653. GALLICANI EPISCOPI ad Innocentium X. scripserunt, postquam ab isto, damnationis propositionum Iansenij, Decretum acceperunt: in illa enim infallibilem Apostolicæ Sedis, Summorumque Pontificum in ea præsidentium, in rebus Fidei extra Concilium Authoritatem, Privilegiumque non errandi ad Catholica Dogmata stabilienda, oppositosque errores damnandos, apertissimè confitentur. Hanc autem Epistolam quia ad rem, de qua agimus, non obscurè facit, hic integram transcribendam censuimus. Estque prout sequitur.

829 * Sanctissimo Patri Innocentio X. Summo Pontifici. Beatissime Pater, optata pervenit ad nos tandem Constitutio illa, quæ Vestræ Sanctitatis Authoritate, quid sentiendum sit de controversis quinque propositionibus, quæ sunt excerptæ è Cornelij Iansenij, Iprensis Episcopi libris, perspicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones, flagrabant etiam in Gallijs, & latissimum incendium per vniversas Ecclesiæ partes minabantur, ni pesti grassanti, & certissimam perniciem allaturæ, obstitisset Beatitudinis Vestrę indeffessum studium, & ex alto petita Potestas, quæ sola acerrimam illam animorum collissionem compescere poterat. Agebatur de re magni momenti; de aditu scilicet, ad salutem, per necessaria Christianę gratiæ præsidia, & humanæ voluntatis adiumentis illis excitatę, ac fotæ conatus liberos; atque de Divina Christi pietate, ac beneficentia in vniversum genus humanum. Huius Doctrinæ lucem recentioris illius Authoris disputationibus obscuratam, pristino nitori restituit, iuxta veterem Fidei regulam, ex scripturis, & antiqua Patrum Traditione, in Concilijs olim, & nuper, Authoribus Summis Pontificibus constitutam, prolatum à Sanctitate Vestra, postulantibus compluribus Galliarum Episcopis, Decretum. Quo in negotio, illud observatione dignum accidit, vt quemadmodum, ad Episcoporum Africę relationem, Innocentius I. Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim ex adverso Pelagianę oppositam, Innocentius X. Authoritate sua proscripserit. Enimverò vetustate illius ætatis Ecclesia Catholica, sola Cathedrę Petri communione, & Authoritate fulta, quę in Decretali Epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi altera ad vniversos Orbis Episcopos Epistola subsequuta est, Pelagianæ hęresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversus Appollinarium, & Macedonium, nondum ab vlla Synodo OEcumenica damnatos, à Damaso paulò ante iactis, Iudicia pro sancienda regula Fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum cõsultatione (sivè suam in actis relationis sententiam ponant, sivè

omit-

omittant, prout illis collibuerit) Diuina æquè, ac summa per vniversam Ecclesiam Authoritate niti: cui Christiani omnes ex Officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur.

830 Ea nos (prosequitur) quoque sententia, ac Fide imbuti, Romanæ Ecclesię præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, Authoritatem, debita obseruantia colentes, Constitutionem diuini numinis instinctu à Beatitudine vestra conditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenarum Archiepiscopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam curauimus in Ecclesijs, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud Fideles populos vrgebimus.*

831 Et infra concludit, dicens: Quare cum Rex Cœlestis hac in causa fœderatum habeat Regem terrarum (si fas ita loqui cum Sixto III.) Sanctitas Vestra, per Petrę soliditatem, iam contusis veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione de noua hæresi triumphos aget. Porrò nos Innocentio X. cuius ore Petrus locutus est, vt Leoni I. acclamabat Quarta Synodus, hanc diuinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ Fastos, quod olim de Synodis œcumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus; cui optatissimam in longęva vita felicitatem adprecantur, qui sunt cum ea, qua par est, veneratione.*

832 Ex dictis Suprema Romani Pontificis Infallibilitas, infallibilisque eius Authoritas manifestè deducitur; vberiusque probatur, hanc Infallibilitatem esse Apostolicum Dogma, ac Traditionem, cum vnanimi consensu pro ea stent nobiliores, ac illustriores Christiani Orbis Antistites, qui hoc Catholicum Dogma, hancque indefectibilem veritatem fere omnibus sæculis constanter vno ore confessi sunt. Et quamvis prędicta sufficerent, vt concluderetur, Supremam Romani Pontificis Infallibilitatem inter Apostolicas Traditiones esse adnumerandam; tamen vt hęc veritas amplius elucescat, apertiusque dignoscatur, eamdem Infallibilitatem luculentissimis Sacratiorum Conciliorum testimonijs firmandam, ac stabiliendam aggredimur.

CAP. IX.

INFALLIBILIS ROMANORUM Pontificum Authoritas apertissimis Sacrorum Conciliorum testimonijs, quæ eam diversis confirmarunt Sæculis, amplius statuitur, ac firmatur.

§. I.

EX SÆCULO QUARTO.

833 PRo Suprema Romani Pontificis Infallibilitate est SYNODALIS EPISTOLA, quam Ægypti Episcopi *in Alexandrino Concilio* Synodaliter congregati ad Felicem Pontificem, Infallibilem illius in rebus Fidei Magisterium agnoscentes, scripserunt, illum suppliciter exorantes, vt tamquam Vniversalis Fidei Pater, infallibilem suam Authoritatem Arianæ hæreseos extirpationi adijceret, cuius verba; quia iam alibi retulimus, *cap. scilicet* 8. §. 3. *Sæcul.* 4. *num.* 700. hic iterum omnittimus referre.

834 Nec minorem huic veritati confirmationem addit TRIUM AFRICANORUM CONCILIORUM, cum Archiepiscopo Stephano attestatio; omnes enim isti præstantissimi, ac eruditissimi Viri Synodaliter congregati, infallibilem Damasi Pontificis in rebus Fidei definiendis Authoritatem agnoverunt. Illorum nunc verba non adducimus, quia loco supra citato, *num.* 704. adduximus.

835 Eamdem veritatem egregiè probat GENERALIS, ET OECUMENICA CONSTANTINOPOLITANA SYNODUS contra Macedonij hęresim, Spiritus Sancti Diuinitatem negantis, congregata, anno Dómini 381. Damasus enim Pontifex, anno Pontificatus sui quintodecimo, prędictum Concilium, vt de prędictæ hæreseos damnatione ageretur, Suprema sua Authoritate iussit celebrari, vt Sexta Synodus *Act.* 18. hisce testatur verbis: * Macedonius Spiritus negabat Deitem, & Dominum, eumque conseruũ prædicabat: Sed Maximus Theodosius Imperator, & Damasus Fidei adamas, obstiterunt.*

Hanc

836 Hanc autem Macedonij Eunomijque hæresim, iam antea extra Generale Concilium, infallibili sua in rebus Fidei Authoritate vtens, damnaverat, *vt ex suis Epistolis* innotescit, & habent etiam vetera Romanę Ecclesiæ monumenta, quibus res gestæ Damasi describuntur, in quibus hęc leguntur: * Sed hanc insuper de eorum damnatione sententiam confirmari præcepit in Sancta Secunda Synodo, quæ præcepto, & Authoritate eius, apud Constantinopolim celebrata est.* Quæ verba etiam à Baronio, *tom.* 4. *Annalium* referuntur, vbi rectè de his dubitari non posse affirmat, quę quidem non obscurè Supremum Summi Pontificis in rebus Fidei infallibile Magisterium demonstrant.

837 Eodem Sęculo Sanctus Pontifex Damasus, anno sui Pontificatus sextodecimo, aliud GENERALE CONCILIUM ROMÆ congregavit, vt Fidei, Religionisque causa maiora incrementa acciperet, hęresesque oppositæ penitùs extirparentur. Ad hanc autem Synodum Venerabiles, ac Prudentissimi ex diversis Orientis, & Occidentis Provincijs, immò è toto Christiano Orbe Episcopi confluxere, vt narrat Cresconiana Conciliorum Collectio, nobili antiquitate veneranda; & post varios Canones, variaque Decreta in prędicto Concilio edita, statuta fuit Patriarchalium Cathedrarum prærogativa, Supremæ, ac infallibili Romanorum Pontificum in rebus Fidei, ac morum Authoritati valdè propitia; cuius Decreti verba, quia ad rē nostrā aptissima, hic transcribimus: * Post has omnes Propheticas, & Evangelicas, & Apostolicas, quas superius deprompsimus, Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per Gratiā Dei fundata est; etiā intimandū putavimus, quod quamvis per Orbem Catholicæ diffusę Ecclesię quasi vnus thalamus Christi sit, Sancta tamen Romana Ecclesia nonnullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs pręlata est: sed & Evangelica voce Domini Salvatoris nostri Primatum obtinuit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, &c.* Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi.*

§. II.

EX SÆCULO QUINTO.

838 NEC minori observantia, ac pietate, Sacra Concilia hoc quinto Sæculo celebrata Supremam Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem, ipsiusque non errandi Privilegium venerata sunt, vt demonstrat CONCILIUM TOLETANUM I. in quo anathemate feriuntur, quotquot Priscilianistarum errori adhærentes, ab infallibili Supremę Divi Petri Sedis Sententia, ipsiusque indefectibili Magisterio in his, quæ ad Baptismum spectant, temerè ausi fuerint discedere. * Si quis (inquit Concilium) in errore Priscilliani, sectam sequitur, vel profitetur, vt aliud in salubri Baptismo contra Sedem Sancti Petri faciat, anathema sit.*

839 Eadem fuit CONCILIJ CARTHAGINENSIS III. sententia, *cap.* 47. Postquam enim prędicta Sancta Synodus decreverat, quænam Scripturæ, ceu Divinæ, ac Canonicę erant admittendæ, vt prædictum Decretum infallibili certitudine roboraretur, omnes prædicti Concilij Patres Ecclesiam transmarinam (Romanum nempè Pontificem in ea sedentem) consulendam esse censuerunt. * Hoc etiam (inquiunt) fratri, & Consacerdoti nostro Bonifacio (qui tunc temporis Romanæ Ecclesię gubernaculo præerat) vel alijs earum partium Episcopis, pro confirmando isto Canone, innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.*

840 Pro maiori infallibilis huius Authoritatis confirmatione legi potest Epistola, quam idem Carthaginense Concilium Innocentio Pontifici scripsit, vt Pelagij hæresim damnaret. * Hoc itaque gestum (asserunt illius Concilij Patres) Domine frater, Sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt Statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicę Sedis adhibeatur Authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam etiam perversitate corrigenda. (Et infrà:) Veremur (inquiunt) ne apud Te ipsa ista commemorando, qui maiori gratia de Apostolica Sede prædicas, inconvenienter facere videamur. (Et inferiùs concludunt:) Quæcūque autē alia eis objiciuntur, nō dubiū, venerationē

tuam, cum gesta Episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id iudicaturam, vnde omnes in Dei misericordia gaudeamus.*

841 Cui Synodali Epistolæ hæc rescripsit Pōtifex, quæ Supremū, ac Infallibile istius, in rebus Fidei, Magisteriū sufficiēter demonstrant:* Inquirendo (inquit) de ijs rebus, quas omni cum sollicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & Catholico tractari Concilio, antiquæ Traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ Religionis vigorem, non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse Iudicium, scientes, quid Apostolicę Sedi (cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota Authoritas nominis eius emersit. Quem sequentes, tam mala iam damnare novimus, quàm probare laudanda: vel id verò, quod Patrum instituta Sacerdotali Officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humana, sed Divina decrevere Sententia: vt quidquid, quamvis de disiunctis, remotisque Provincijs ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius notitiam Sedis perveniret, vt tota huius Authoritate (iuxta quæ fuerit) pronuntiatio firmaretur: indeque sumerent cæterę Ecclesię (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diversas totius Mundi Regiones, puri capitis incorruptæ manarent) quid percipere, quos abluere, quos veluti in cœno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus vnda vitaret.*

842 Ad idem egregiè facit MILEVITANI CONCILIJ DECRETUM, quo illius Synodi Patres, Carthaginensis Concilij vestigijs insistentes, Supremam, ac Infallibilem Romani Pontificis Authoritatem, ad Catholica Dogmata statuenda, Hæresesque oppositas in vniversali Ecclesia destruendas, agnoscunt; eidem namque Innocentio Pontifici scribentes, Arianæ Hæreseos progressum aperiunt, eamque radicitus convellere, ac funditus eruere cupientes, ad Pontificiæ ac Infallibilis Authoritatis præsidium, hæc loquentes, confugiunt: *Quia Te Dominus, gratię suo pręcipuo munere, in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quę pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quā ea Tu possis, vel fastidiosè, vel negligentèr accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi Pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. (Et infra, in fine Epistolæ concludunt.) Arbitramur (adiuvante Misericordia Domini Dei nostri IESV CHRISTI, qui Te, & regere consulentem, & orantem exaudire dignetur) Authoritati Sanctitatis Tuę, de claro Scripturarum lumine depromptæ, facilius eos (qui tam perversa, & perniciosa sentiunt) esse cessuros, vt de correctione potius eorum gratulemur, quam contristemur interitu, Domine Beatissime.*

843 Hæc amplius confirmat GENERALE, ET OECVMENICVM CONCILIVM EPHESINVM I. cum enim Cœlestinus Pontifex prædictum Concilium contra Nestorianam Hæresim, Theodosio Imperatore efflagitante, congregasset; primum quod in ipso lectum fuit, fuit condemnatio, quam prædictus Pontifex in Nestorianam hæresim extra Concilium protulerat: statimque omnes illius Concilij Patres, *Actione* 4. ex præscripto Litterarum Cœlestini Papæ, eundem Nestorium hæreticum, & contumacem, omnium sententia damnarunt, vt constat ex ijs, quæ *Actione subsequenti* Philippus, Pontificis Orator, coram omni Concilio dixit: * Nulli dubium est, imò sęculis omnibus notum est, Sanctum Beatissimumque Petrum, Apostolorum Principem, & Caput, Fideique Columnam, Ecclesię Catholicæ fundamentum, à Domino IESV CHRISTO, Salvatore nostro, humanique generis Redēptore, Cœlestis Regni Claves accepisse; ligandi, atque solvendi potestate vsum fuisse; nec non per Successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse. Huius itaque ordinarius Successor, & Vicarius, Sanctus, Beatissimusque Papa, & Episcopus noster Cœlestinus, nos suos pro se quasi Vicarios ad hanc Sanctam Synodum misit, &c.*

844 At id clariùs innotescet ex gratulatorijs litteris, quas ILLIVS CONCILIJ PATRES ad Cœlestinum Pontificem, tamquam Supremum Pastorem, & Fidei Iudicem, grates ei, ob Nestorianæ Hæreseos damnationem rependentes scripserunt: sic enim cum ipso Pontifice loquun-

loquuntur: * Sanctitatis Tuæ circa pietatem, Zelum, eiusdemque circa Fidei sinceritatem curam, nostri omnium Servatori apprimè gratam, & placitam, cum omni admiratione complectimur. Est enim vobis tam eximijs in more positum, vt in omnibus celebres sitis, studiaque vestra solida Ecclesiarum firmamenta constituatis.* Vbi non solùm de Cœlestini persona, sed de Suprema etiam illius Cathedræ Authoritate loquentes hæc addunt: * Quia verò necessitas exigebat vt omnia, quæ in Sacra Synodo acciderunt, Sanctitati Tuæ declarentur, non potuimus hisce nostris litteris ad Tuam Sanctitatem non præscribere.*

845 Eamdem veritatem præclarè confirmarunt CHALCEDONENSIS CONCILII PATRES, vt ex ijs, quę in eo peracta sunt, innotescit. Primò enim prædictum Concilium contra Eutychetis, & Dioscori hæresim Sancti Leonis Papæ Authoritate congregatum fuit. Deinde cum plenum esset iam Concilium Paschasinus, Lilibæi in Sicilia Episcopus, Summi Pontificis Legatus, prior omnium pro sua Dignitate, sic ad Synodum exorsus est: * Beatissimi, atque Apostolici Papæ Vrbis Romæ, quę est Caput omnium Ecclesiarum, pręcepta habemus præ manibus, quibus pręcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus, Alexandrinus Archiepiscopus, nō sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc ergo observare necesse est, &c.* Prout statim factum est. Ex quo (sicut ex eo, quod omnium Patrum consensu admissus fuit in Synodum Theodoretus, cui Sanctus Leo Episcopatum restituerat) satis constat eos Supremam eius Authoritatem in rebus Fidei, & Ecclesiæ agnovisse.

846 At *Actione* 2. EIVSDEM CONCILII cum lecta fuisset Fidei formula, ac Epistola de Verbi Divini Incarnatione, quam Sanctissimus Pontifex Leo ad Flavianum miserat, & in prædicto Concilio legi pręceperat, eam mirificis laudibus illius Concilij Patres prosequuti sunt ita vno ore clamantes: * Hęc Patrum Fides; hæc Apostolorum Fides; omnes ita credimus; Orthodoxi ita credimus, anathema, qui non ita credit; Petrus per Leonem ita loquutus est; Apostoli ita docuerunt; piè, & verè Leo docuit.* Hactenùs illi. Quo quid pręclarius, pro Romani Pontificis Privilegio non errandi in rebus Fidei, dici potest?

847 Et ipse PONTIFEX LEO ad Theodoretum scribens, *Epist.* 73. *cap.* 4. asserit, totum Concilium vniversali Patrum consensu, & acclamatione prædictæ suæ Epistolæ, seu Fidei Formulę, subscripsisse: dicit enim eam fuisse vniversalis Sanctæ Synodi assensu firmatam. Nec obstat dicere, hoc potius prędictæ formulæ confirmationem, quam simplicem assensum videri: hoc enim ipsis illius Concilij Patrum verbis prorsus corruit, ac infringitur. Etenim prædicti Sanctissimi Patres meritò conquærentes quod Dioscorus in Ephesina Synodo eis Fidei veritatem in prædicta Sancti Leonis Epistola contentam celasset, sic de illa loquuntur: * Hęc vera Fides, (loquendo de dicta Epistola) Catholici ita sapimus; Hęc Patrum Fides; Hęc in Epheso lecta non sunt. Hęc Dioscorus occultavit.*

848 Mirabiliùs eadem veritas adhuc elucet: estò enim inter Apostolicos Legatos, & Anatholium Constantinopolitanum Episcopum, ingens sub ortum esset certamen, circa Dignitatis suę gradus, & Constantinopolitanę Ecclesiæ privilegia: nihilominus tamen Anatholius cum omnibus Episcopis, ipsi adhęrentibus, de Leone Pontifice, Supremaque illius Authoritate mirificè loquutus est; etenim *in vltima Peroratione*, quam TOTVM CONCILIVM habuit de Leone Pontifice cum Martiano Imperatore loquens, hæc verba infallibili Romani Pontificis Authoritati valdè propitia profantur: * Vnde nobis impenetrabilem in omni errore Propugnatorem Deus providit, & Romanæ Ecclesię Papam ad victoriam pręparavit, & Doctrinis eum per omnia veritatis adstringens, vt quemadmodum Petrus, & hic affectu ferventiore decertans omnem ad Deum sensum, & intelligentiam perducat.*

849 Ex quibus satis apertè colligitur, quam magnam, ac pręclaram de infallibili Romani Pontificis Authoritate existimationem imbiberint sexcenti illi gravissimi S. CHALCEDONENSIS CONCILII PATRES, vt non modò ex paulò ante allatis verbis, sed ex vltima etiam Synodali Epistola, quam ad Sanctum Leonem Papam, ipsi, quid in illa Synodo peractum esset, enarrantes scripserunt, ab eo humili-

T 2 ter

ter petentes ea cuncta rata haberi, ac firmari, nec non vt Constantinopolitana Ecclesia primum post Romanam locum obtineret, sic enim scribunt: *Qui enim locum Vestræ Sanctitatis obtinent Sanctissimi Episcopi Paschasinus, & Lucentius, & qui cum eis est, Reverendissimus Presbyter Bonifacius, ijs ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, proculdubiò à Vestra Providentia inchoari hoc bonum volentes, vt sicut Fidei, sic bonæ Ordinationis, Vobis deputetur effectus.* En quomodo Sancti Concilij Patres cognoscentes in Romano Pontifice Supremum Ecclesiasticæ Authoritatis culmen effulgere, cui sicut rerum Fidei Confirmatio, ita & graduum Ecclesię distributio spectat, Sanctus autem Leo, pro eadem Suprema sua Authoritate ita Decreta Fidei confirmavit, vt tamen illud de præeminentia Patriarchæ Constantinopolitani nullatenùs admittere voluerit, vt constat ex Epistolis eius ad Anatholium, necnon ad Martianum, & Pulcheriam Augustos, ac demùm ad eamdem Synodum Chalcedonensem, non quod tunc perduraret, sed ad Episcopos omnes, qui ad ipsum Concilium convenerant.

850 Nec omitti potest Synodalis Epistola, quam ROMANVM CONCILIVM sub Felice Pontifice, anno Pontificatus istius secundo, ad Presbyteros, & Archimandritas Orthodoxos, Constantinopoli, & Bithynię consistentes, scripsit: tota enim illa præclara confirmatio est infallibilis Authoritatis, quam, circa res Fidei, in Romano Pontifice adstruimus: * Quoties intrà Italiam (inquiunt) propter Ecclesiasticas causas, pręcipuè Fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, vt Successor Præsulum Sedis Apostolicæ, ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui Caput est omnium, Domino ad Beatum Petrum Apostolum dicente: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quam vocem sequentes trecenti decem & octo Sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque Authoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesię detulerunt.* Hactenùs ille.

§. III.

EX SÆCVLO SEXTO.

851 IN *cap.* 3. Historię CONCILIJ ROMANI QVARTI Symmacho Ecclesiæ clavum tenente celebrati, Laurentius, Mediolanensis Ecclesiæ Episcopus, in prædicto Concilio perorans, hęc inter alia pro infallibili Romani Pontificis Authoritate in Vniversum Orbem, dixisse, narratur: *Qua Statutis Synodalibus consuevit (Pontifex scilicet) tribuere firmitatem.*

852 Eidem infallibili Romani Pontificis Authoritati suffragatur etiam Epistola, quam CARTHAGINENSE CONCILIVM hoc Sęculo celebratum ad Ioannem Pontificem, ipsum in rebus Fidei consulens, sic scripsit: * Definitionibus (inquit) autem Nicęni Concilij publica lectione transcursis, inter alia, de quibus nasci debuit, disputatione requiri iam cœperat: Quomodo Arianorum Sacerdotes ad Catholicam Fidem suscipi oporteat? Vtrùm ne in suis honoribus, an in laica Communione? Sic omnibus nobis vnanimiter subitò placuit, sciscitari primitùs Beatitudinis Vestræ sententiam; potest enim Sedes Apostolica (quantum speramus) tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat. Ex omnium quidem Collegarum tacitis motibus, nemini placere sensimus, vt in suis honoribus Ariani suscipiantur. Verumtamen convenire charitati credimus, vt quid habeat sensus noster, in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius, vel consuetudo nobis, vel Definitio Romanæ Ecclesiæ proderetur.* Hactenùs ille.

853 Cum acriter agitata fuisset IN IV. AVRELIANENSI CONCILIO hoc eodem Sæculo celebrato, gravissima illa de Paschatis Celebratione controversia, iudicantes gravissimi illius Sancti Concilij Patres, Gallicanique Episcopi, se infallibilem prædictæ controversiæ, ad Divinum Cultum spectantis, Decisionem à nullo potiori iure, quàm à Romano Pontifice accepturos, hoc Decretum promulgarunt. * De hac solemnitate quoties aliquid dubitaretur, inquisitam, vel agnitam per Metropolitanos, à Sede Apostolica Sacram Constitutionem teneri.*

Pro

854. Pro eadem infallibili Romani Pôtificis Authoritate, egregiè facit MOPSVESTENÆ SYNODI testimonium, cuius Acta habentur *in 5. Synodo, Act. 5.* In causa enim Theodori, quondam eiusdem Civitatis Antistitis, contra quem prædictum Concilium fuerat congregatum, hæc ad Vigilium Papam scribit: * Decebat verè, cum primam Sacerdotis Dignitatem sortiti estis, Sanctissimè, ea quæ ad Sanctarum Ecclesiarum Statum respiciunt, manifesta Vestræ Divinitus honoratę Beatitudini fieri. (Omnibusque narratis, quæ in dicto Concilio gesta sunt, hæc Pontifici Patres in calce dicunt:) Petimus divinitus inspiratos Vos, Religiosissimis, & Deum placantibus Vestris Orationibus, nos humiles suffulcire.*

855 Nec minorem sibi attentionem vendicat pia illa veneratio, qua TVRONENSIS CONCILIJ PATRES, *cap. 21.* Innocentij Pontificis Decreta, in prædicto Concilio recitata, susceperunt; ex illa enim veneratione, Suprema, ac infallibilis Romani Pontificis Authoritas rectè deducitur, cum sic scribunt: *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Et quorum Authorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper intromisit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit Authoritas.*

856 BRACARENSE CONCILIVM hoc eodem Sæculo celebratum, cui Lucretius, Bracarensis Episcopus præfuit, Supremam, ac infallibilem Romani Pontificis Authoritatem mirificè agnovit: in illo enim ante omnia Priscillianistarum hæresis, aliorumque Hæreticorum errores, septemdecim Capitulis ex Apostolicæ Sedis Decreto, damnati sunt; & sicut Fidei Regula, ac formula ex Apostolica Sede in prædicto Concilio præscripta fuit; sic etiam rectum regimen, ac Ecclesiastica disciplina, viginti duabus Regulis, in eodem Concilio à Romano Pontifice statuta est, & ad Profuturum prędicti Lucretij Prædecessorem, missa. De his ergo Apostolicis litteris prædicti Concilij Patres magnam infallibili Romani Pontificis Authoritati venerationem deferentes, sic Pontificem alloquuntur: * Si quid est illud magnum, vel parvum, quo variari videmur, ad vnam (sicut dictum est) formulam pręfixis rationabiliter Capitulis, revocetur: precipuè cum & de certis quibusdam causis, instructionem apud nos Sedis Apostolicę habeamus, quam ad interrogationes suas quondam venerandę memoriæ Prædecessoris tui Profuturi Prudentia, ab ipsa Beatissimi Petri accepit Cathedra.*

857 In eodem Concilio lecta fuit Epistola, qua illis Pontifex in Missæ cultu, & celebratione, Sacrum Ritum pręscribebat, & inter alia hæc habentur: * Item placuit, vt eodem ordine Missę celebrarentur ab omnibus, quo Profuturus, quondam huius Metropolitanæ Ecclesię Episcopus, ab ipsa Apostolicæ Sedis Authoritate accepit scriptum.* Quibus certè apparet Assertionis veritas.

§. IV.

EX SÆCVLO SEPTIMO.

858 NEC defuere in hoc Sęculo Pontificię Infallibilitatis irrefragabiles testes, vti fuit CONCILIVM ILLVD, QVOD CYPRI EPISCOPI congregarunt, qui Ecclesię Navim tumidis, ac sęvissimis Monothelismi fluctibus iactatam, summo dolore adspicientes, nullum securiorem portum invenerunt, nullumque firmiorem arietem ad illius Hæreseos murum pęnitus diruendum excogitarunt, quam ad Infallibilem Theodori Romani Pontificis Authoritatem, ipsiusque non errandi in rebus Fidei Magisterium confugere, vt ex Synodali Epistola, quam totius Concilij nomine Metropolitanus Sergius his verbis scripsit, innotescit: * Sanctissimo (inquit) & Beatissimo, à Deo honorabili, Domino meo, Patri Patrum, Archiepiscopo, & Vniversali Papæ, Domino Theodoro, Sergius humilis, in Domino salutem. Firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam Fidei, Vestram Apostolicam Sedem constituit (ò Sacer Vertex) Christus Deus noster: Tu es enim (sicut Divinum veraciter pronunciat Verbum) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ Columnæ confirmatæ sunt: Tibi, & Claves Cœlorum commisit, atque ligare, & solvere potestativè, quæ in terra, & in Cœlis sunt, promulgavit: Tu prophanarum Hęresum depositor existis, vt Prin-

ceps,

ceps, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatę Fidei. Igitur non despicias Patrum tuorum, Pater, Fidem æstuantem, & ab aliquibus Hæreticis ventis violentatam, necnon periclitantem; resolve nebulam insipientium lumine tuæ Divinæ scientiæ, O Sanctissime; abscinde blasphemias, & iactantiam vaniloquorum, noviter emergentium Hæreticorum Doctorum; nihil etenim minus est Orthodoxę, & Apostolicę Vestrę Definitioni, atque Traditioni, quatenus augmentum aliquod suscipiat à nobis Fides.* Hactenus prętati Episcopi *ex Actis Concilij Lateranensis sub Martino I. secre. 2.*

859 Ad rem etiam nostram fuit Synodalis Epistola, quam TRIA AFRICANA CONCILIA, ad Pontificem Theodorum scripserunt, ipsum de Ecclesię, Hęresumque ipsam perturbantium statu certiorem reddentia, vt Apostolico, ac infallibili suo Magisterio prędictorum Conciliorum Patres doceret, instrueret, eisque provideret. In illa enim Epistola omnes Sanctissimi illi Patres indeffectibile Romanorum Pontificum non errandi in rebus Fidei Privilegium, hisce verbis, non leviter recognoscunt: * Domino Beatissimo, Apostolico culmine sublimato, Sancto Patri Patrum, Theodoro Papæ, & Summo Omnium Præsulum Pontifici, Columbus primæ Sedis Episcopus Concilij Numidiæ; & Stephanus primę Sedis Episcopus Concilij Bysaceni; & Reparatus Episcopus primæ Sedis Concilij Mauritaniæ, & vniversi Episcopi de tribus Concilijs antedictis Africanæ Provinciæ. Magnum, & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere Fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter vniversum largissimè irrigantes Orbem Christianorum, cui etiam in honore Beatissimi Petri, Patrum Decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quę omnino, & sollicitè debent, maximè verò iustèque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudanda: antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur Provincijs, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almę Sedis Vestræ fuisset deductum, vt huius Authoritate iusta quę fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diversas totius mundi Regiones puritatis incorruptæ maneant Fidei Sacramenta salutis, &c.*

860 In SEXTA GENERALI SYNODO CONSTANTINOPOLITANA, in Trullo, Agathonis Pontificis iussu, congregata, lecta fuit Fidei Formula, quam ipse Pontifex Agatho contra Monothelitarum hęresim, duas in Christo voluntates negantium, ediderat: fuitque hæc Fidei Formula tali, tantaque veneratione, plausu, & acclamatione à toto illo Concilio suscepta, vt Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus, *Act.* 7. eiusdem Concilij, professus fuerit in scriptis, duas naturas, duas voluntates, & operationes credere, & prædicare, sicut Sedes Apostolica, iuxta scripta Agathonis Papæ, prædicabat. Idemque alij illius Concilij Episcopi non sine ingenti Agathonis acclamatione, *Act.* 8. pręstiterunt. Et Domitius Episcopus Prusiados, hęc dixit: * Directas sugestiones à Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romę, ad à Deo coronatum, & mansuetissimum nostrum Dominum, & Magnum victorem Imperatorem, tamquam ex Spiritu Sancto dictatas per os Sancti ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito ter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas, suscipio, & amplector, & ita credo.*

861 Hoc ipsum omnes illius Concilij Patres confirmarunt, *Act.* 17. in qua Orthodoxæ Fidei Decretum à Patribus publicè lectum est, & demùm apposita fuisse dicitur damnatio Monothelitarum Hæreticorum ex prescripto Epistolę Agathonis Romani Pontificis, atque Synodi Romæ ab eodem coactę.

862 At *Act.* 18. *in acclamatoria Peroratione ad Imperatorem* infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem clariùs demonstrarunt, dicentes: * Proindè inspiratione Sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis Sanctissimi Patris nostri, & Summi Papę dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes. (Et infra aiunt:) Summus autē nobiscum cōcertabat Apostolorum Princeps: Illius enim imitato-

torem, & Sedis Successorem habuimus fautorem, & Divini Sacramenti Mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi à Deo inscriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & Dogmatum diem à vespertinis partibus extulit. Cartha, & atramentum videbatur, sed per Agathonem Petrus loquebatur.*

864 Nec minoris momenti est Synodalis Epistola, quam prædicti Vniversalis Concilij Patres, ad Agathonem Pontificem scripserunt; in illa enim, Supremam Romani Pontificis Authoritatem, istiusque singulare non errandi in rebus Fidei Privilegium confessi sunt. Extat autem hæc Epistola inter alias ipsius Successoris Leonis; immò inter illas, primas obtinet, quæ sic se habet: * Sanctum, & vniversale Concilium, quod per Dei gratiam, & piam sanctionem Pijssimi, ac Fidelissimi magni Imperatoris Constantini, congregatum est in hac, à Deo conservanda, & Regia Constantinopoli, nova Roma, in secreto Palatij, dicto Trullo, Sanctissimo, ac Beatissimo Papę Senioris Romę Agathoni, in Domino salutem.

865 Maximi morbi (inquiunt) maioribus indigent auxilijs, vt scitis, Beatissimi; atque idcircò Christus Deus verus noster, virtus verè rerum omnium conditrix, & gubernatrix, sapientem dedit medicum, Vestram à Deo honoratam Sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem remedijs Orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque Tibi, vt Primæ Sedis Antistiti Vniversalis Ecclesiæ, quid gerendum sit relinquimus stanti supra firmam Fidei petrã, libenter perlectis veræ confessionis litteris à Vestra paterna Beatitudine ad Pijssimum Imperatorem missis, quas vt à Summo Apostolorum Vertice divinitus scriptas agnoscimus: per quas exortam nuper multiplicis erroris hęreticam sectam depulimus, Constantino nobis ad decernendum hortatore, qui Diviné imperat, sceptraque clementissimè regit.*

866 Et infra dicunt: * Sic nos Sancto Spiritu illustrati, vestraque instituti Doctrina, infesta Dogmata depulimus. (Tandem in fine:) Orthodoxę autem Fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus, quam etiam vt per honorabilia vestra Rescripta confirmetis, Vestram oramus Paternam Sanctitatem.* Hęc ibi.

§. V.

EX SAECVLO OCTAVO.

867 IN hoc etiam Sęculo plura exempla, pluraque Conciliorum Decreta, ad rem nostram aptissima, inveniemus: siquidem in AVGVSTANA SYNODO, quam Sanctus Bonifacius, Germanorũ Apostolus, ex Gregorij III. Pontificis Maximi pręscripto congregavit, ipse S. Bonifacius in Epistola, quam ad Cuthbertum Episcopum scripsit, inter alia illi perseveranter affirmat, in prædicto Concilio hoc statutum fuisse Decretum: * Decrevimus in nostro Synodali Conventu, & confessi sumus Fidem Catholicam, & vnitatem, & subiectionem Romanæ Ecclesię fine tenus vitę nostrę velle servare, Sancto Petro, & Vicario eius velle subijci. * Hoc autem Decretum in Romana Ecclesia Privilegium non errandi supponit: Aliàs superfluum esset prædictum Conciliare Decretum, si Romanus Pontifex, eiusque Apostolica Cathedra, errandi periculo non caruisset.

868 Supremam ac infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei, & Religionis Authoritatem, egregiè confirmat quod IN SEPTIMA GENERALI SYNODO NICÆNA II. hoc sęculo adversus Iconoclastas celebrata, evenit. Act. nãque II. lectis Apostolicis Adriani Pontificis litteris, ad Imperatorẽ, & quę ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, pro Sacrarum Imaginum cultu, dirigebantur, Apostolici Legati, in dicto Concilio pro Romano Pontifice præsidentes, tam Patriarchę Constantinopolitano, quam cęteris illius Concilij Patribus proposuerunt, ac postularunt, vt eas Apostolicas Epistolas, quæ Definitionem contra prædictas Hęreses continebant, susciperent. Quibus omnes Sanctissimi illi Patres sic responderunt: * Sequimur, & suscipimus, & admittimus: * Nec non illas singulari plausu celebrarunt, suisque subscriptionibus probarunt.

869 At quod magis ad rem nostram facit, est, quod absoluto iam illo Concilio Patriarcha Tarasius Adriano Pontifici Concilij nomine, scripsit infelicem Hæreseos statum, & progressum illi referens verbis, quæ supremam, ac infallibilem Ro-

Romani Pontificis Authoritatem maximè commendant: * Vestra ergo (inquit) fraterna, & Summo Pontificio decorata Sanctitas, cum ijs (id est Apostolis) per Deiloquas suas Doctrinas quodammodo sermocinatur, & ab eis accepto Veritatis verbo, spinosas herbas, quæ nunc germinaverunt, fidelissimorum, & pacificorum Imperatorum veritati concordans, evellere machęra Spiritus festinavit, mittens secundum scriptam sibi petitionem nostram, ad vniversalem Synodum faciendam, æquivocos viros (Petros duos videlicet) Principis Apostolorum Petri.*

870 Et infra, paucis interiectis ad Synodi principium spectantibus, ait: * Et cum perlatę primitùs Vestræ fraternæ Sanctitatis litteræ legerentur, præstolabantur omnes, spiritualibus edulijs, tamquam in regalibus cęnis, fruentes, quæ Christus per litteras tuas æpulantibus præparabat: Et sicut oculus, totum corpus, ad rectitudinis, & veritatis semitas ostendebat: sic ergo dirupta membra in vnum conveniebant; sic vera consonantia confirmabatur; sic Catholica Ecclesia vnitatem recipiebat: cum quibus, & earum, quæ de Orientali Diœcesi missæ sunt nobis litteræ, lectione facta, integra paternæ Traditionis pulchritudo demonstrabatur, ac vis veritatis roborabatur, propositis videlicet pluribus testimonijs Patrum. * Hactenus ille.

§. VI.

EX SAECVLO NONO.

871 INfallibilis Romani Pontificis Authoritas amplius munitur ex his, quæ SVESSIONENSIS CONCILIj Patres *in fine Synodalis Epistolæ ad Nicolaum Pontificem* hoc IX. Sæculo directæ, decreverunt: narrantes enim in hac Epistola ea, quę in prædicto Concilio acta fuerunt, ac statuta, hæc ad Romanum Pontificem scripserunt: * Postremo supereminens Sublimitatis vestrę Sapientia, hæc, & alia, quæ intellectus nostri exiguitas non valet attingere, perspicaci indagatione contemplabitur, multòque solicitiùs providebit cavenda, nobisque significabit sequenda: vt & præsentibus medelam, & futuris dignanter impendat custodiam. Apostolatus Vestri Decus prępollentissimum, ad Ecclesiæ Sanctæ sublimitatem, & pacem optamus vbique pollere, & perpetua stabilitate ad suffragij nostri munimen, atque tutelam vigere.*

872 Lectu etiam dignissimæ sunt Synodales Epistolæ, quas TRECENSIS CONCILIj PATRES, ad Summum Pontificem Nicolaum hoc Sæculo miserunt; quę quia prædictum Nicolaum iam defunctum invenerunt, Adriano Pontifici traditæ sunt. In illis enim prædicti Concilij Patres supremam, ac indefectibilem Romani Pontificis Authoritatem agnoscentes, ac clarè confitentes, ad Apostolicum Thronum doloribus, quibus angebantur, solamen quęsituri recurrunt: illarum autem litterarum titulus huiusmodi erat: * Reverendissimo, & Sanctissimo Domino, Patri, ac vniversali Papæ Nicolao, Episcopi, qui pręterito anno per gratiam Dei, & Decretum vestrum apud Suessonicā Vrbem, cum alijs, qui tunc nequiverunt adesse, nono Kalendas Novembris, &c. (Postea verò hęc habent:) Nobis quoque in eiusdem rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, eo vsque causam perduximus, vt solummodo Magisteriali vestro culmini, eorum assignaretur restitutio, attribueretur reformatio, adscriberetur redintegratio.*

873 Et paulò post prosequuntur, dicentes: *His itaque pro quantitate intelligentię nostræ decursis, submissę devotionis obsequio, Vestri Apostolatus exoramus magnificam Beatitudinem; vt sapientissima indagine consideratis vtriusque partis relatis, more Beatissimorum Prædecessorum Vestrorum, quæ de statu Sacri Pontificalis Ordinis ab eis statuta, & inprævaricabili Authoritate firmata sunt, & immota de cętero maneant, mucrone Apostolico quorumcumque Metropolitanorum temeraria præsumptione suppræsa; quin etiam reliquorum Episcoporum quorumcumque, seu quantorumcumque audaci conniventia pœnitus summota, Privilegia, & Decreta servari, innovata Constitutione decernatis, ita vt nec vestris, nec futuris temporibus, præter consultum Romani Pontificis, de gradu suo quilibet Episcoporum deijciatur.*

874 Hoc etiam sæculo celebratum fuit GENERALE, ET OECVMENICVM CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM VIII. cuius

Acta Supremam, ac infallibilem Romani Pontificis Authoritatem apertè conuincunt. Primò: quia Apostolici Legati in illo Concilio Pręsidentes, pręceperunt, vt in illo legeretur libellus, sive Fidei Formula, quam iuraturi erant ij, qui è Schismate ad Ecclesiæ vnionem admittendi erant, & qui Catholicæ Fidei erant reciliandi. Et quamvis hęc Fidei Formula, ab Adriano Pontifice missa, eadem fuit cum illa, quam Nicolaus Pontifex, vt in hæresim lapsis mederetur, in Constantinopolitano Concilio legi præceperat; in isto tamen ab omnibus Concilij Patribus singulari plausu suscepta est, vt hæc illorum verba apertè demonstrant. * Quia non potest Domini nostri IESV CHRISTI prætermitti Sententia dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica immaculata est semper Catholica servata Religio, & Sancta celebrata Doctrina. Ab huius ergo Fide, atque Doctrina separari minimè cupientes, & Patrum, & precipuè Sanctorum Sedis Apostolicę Præsulum, sequentes in omnibus constituta: anathematizamus omnes Hæreses simul cum Iconomachis: Anathematizamus etiam Photium, qui contra Sacras Regulas, & Sanctorum Pontificum Romanorum Sacra Decreta, repentè deCuriali administratione, sæcularique militia sublatus, superstite Ignatio Patriarcha, in Constãtinopolitana est, pervasoriè, immò tiranicè à quibusdam Schismaticis, vel anathematizatis, atque depositis, institutus Ecclesia, donec Sedis Apostolicæ Sanctioni inobediens perseverans, eius Sententiam tam de se, quam de Patriarcha nostro Ignatio spreverit, & Conciliabuli Acta, quod se Authore contra Sedis Apostolicę reverentiam congregatum est, anathematizare distulerit, &c.*

875 Secundo; quia inter sacros huius Concilij Canones, observatione dignus est CANON XXI. qui agens de honore, veneratione, & observantia, quæ Patriarchis, precipuè verò Summo Romanæ Ecclesię Pontifici debetur, statuit: *Neminem debere conscriptiones contra Sanctissimum Papam Senioris Romæ, ac verba complicare, atque componere, sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum, quod nuper Photius fecit, & ante Dioscorus. Quisquis autem tanta iactantia, & audacia vsus fuerit, vt secundum Photium, vel Dioscorum in scriptis, vel sine scriptis, iniurias quasdam contra Sedem Petri Principis Apostolorum moveat: ęqualem, & eamdem, quam illi condemnationem, recipiat. (Et paulò infra:) Porrò si Synodus vniversalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas, & controversia: oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de proposita quęstione sciscitari, & solutionem accipere, & aut proficere, aut profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra Summos Senioris Romę Pontifices.*

876 Luculentius adhuc supremum Romani Pontificis in rebus Fidei Magisterium ostendit SYNODALIS EPISTOLA, quam prędictum Generale Concilium Adriano Pontifici scripsit, Apostolicum istius Zelum in predicti Concilij convocatione dilaudans, eumque exorans, vt ea, quę ab illo Concilio circa Fidem, & mores statuta fuerant, approbare, & confirmare dignaretur. * Igitur libenter (inquiunt illius Concilij Patres) oppidò, & gratantèr, imitatrice Dei Sanctitate Vestra, omnium nostrum Conventum, & Vniversalis huius, atque Catholicæ Synodi consensum, ac consonantiam recipiente, prædica eam magis, ac magis, veluti propriam, & sollicitius confirma Coangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, vt per sapientissimum Magisterium vestrum etiam alijs Vniversis Ecclesijs personet, & suscipiatur veritatis verbum, & iustitiæ Decretum.* Hanc autem Octavam Synodum fuisse Generalẽ, & OEcumenicam, pluribus, ex Anasthasio demonstrat Cardinalis Baronius, *tom.* 10. *Annalium, anno Christi* 869.

877 IN CONCILIO GENERALI TRECENSI à Pontifice Ioanne VIII. congregato, cui & ipse præfuit, Episcopi, qui ad illud confluxerunt, præcipuè verò Gallicani, & Belgici, Scripturam Zelo suo dignissimam, qua Supremum, ac infallibile Apostolicæ Sedis in rebus Fidei Magisterium demonstrant, ipsi Pontifici tradiderunt, in qua sic scribunt: * Domine Sanctissime, ac Reverendissime, Pater Patrum, Ioannes Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesię, Sanctę videlicet Romanę, Primæ Sedis Papa, nos Filij, Famuli, ac Discipu-

li Vestræ Authoritatis Galliarum, & Belgicarum Episcopi, his, quę super vulnera dolorum vestrorum, maligni homines, ac ministri diaboli, addentes ad Sanctam Matrem nostram, ac Magistram omnium Ecclesiarum commiserunt, compatimur, & dolori vestro consentes condolemus, atque Iudicium Vestræ Authoritatis (quod privilegio Beati Petri, & Sedis Apostolicæ in eos, & complices eorum iuxta Sacros Canones, Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia consecratos, ac secundum eiusdem Sanctæ Romanę Sedis Pontificum prędecessorum vestrorum Decreta protulistis) voto, voce, & vnanimitate nostra, atque Authoritate Sancti Spiritus, cuius gratia in Episcopali Ordine sumus congregati, gladio Spiritus Sancti (quod est verbum Dei) eos interimentes persequimur, scilicet quos, sicut prædiximus, excommunicastis, excommunicatos tenemus; quos ab Ecclesia abiecistis, abiicimus: quos anathematizastis, anathematizatos esse iudicamus: & quos regularitèr satisfacientes Vestra Authoritas, & Apostolica Sedes receperit, recipiemus.* Hactenùs illi.

878 Iste autem Gallicanorum Antistitum pro Romanis Pontificibus, istorumque Authoritate, Apostolicus Zelus, imitatione dignior est, quàm execrabilia Hæreticorum studia, quę semper eò collimant, vt non modò Pontificiam Authoritatem, tùm in temporalibus, tùm in spiritualibus, deprimant, ac minuant, sed etiam penitùs deleant, immò & extorqueant, eò dementiæ devenientes, vt per summum nefas audeant, Apostolicam Romanorum Pontificum Authoritatem in rebus Fidei infallibilem, fallibilem, & errori obnoxiam adstruere. Vndè Gallicani nostri temporis Episcopi, illius Regni Hæreticis, qui Apostolicæ Sedis Authoritatem blasphemo suo ore lacessere, ac invadere non desinunt, compatientes, ac condolentes, possent meritò dicere cum Patribus Tresensibus Summo Pontifici: * His, quæ super vulnera dolorum vestrorum, maligni homines, ac ministri diaboli addentes, ad Sanctam nostram Matrem, & Magistram omnium Ecclesiarum commiserunt, compatimur, & dolori vestro consentes, condolemus.*

879 At Hęreticos contra vnanimem, securioremque Catholicorum consensum, venerandam Sanctorum mentem, Sacratiora Conciliorum Statuta, tutioremque graviorum Ecclesiæ Patrum sententiam, omnem Romano Pontifici Authoritatem non modò in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, in rebus nempè Fidei, & morum detrahere, Supremam illius Authoritatem infallibilem non confiteri, sed eam fallibilem adstruere, Supremumque Ecclesiæ Magisterium erroribus obnoxium, fallacijsque expositum admittere, non est ferendum. Quis enim illorum, quorum cordibus Catholica insit Religio, inania ista Hęreticorum deliramenta impunè prædicari, ac palā doceri, ęquo animo patietur? Adest tamē, adest his nostris infelicissimis temporibus, qui in Sacratioribus Fidei, & Religionis rebus, vana hæc Hæreticorū somnia, Catholicis veritatibus anteferri, præscribat. O deploranda nostrorum temporū calamitas! O infelix nostri Sæculi conditio! O infausti dies! Deus Optimus & Maximus infinita sua pietate avertat, ne infestum istud vulnus, exitiosaque lues Alpes, Pyrenęosque transgrediatur in alias Christiani Orbis partes grassatura: ipsaque Divina Maiestas mentis oculos aperiat ei, qui hanc tantam calamitatem ac perniciem Christianę Reipublicæ conatur inferre.

880 Pro Suprema, ac infallibili Romani Pontificis Authoritatè præclarè faciunt ea, quæ TRIBVRIENSIS (in Germania) CONCILII PATRES dixere. Concilium istud Moguntino Archiepiscopo instante congregatum fuit, & coram Arnulpho Germanię Rege celebratum, contra eos, qui Pontificis Diplomatibus, falsis quidem, ac commentitijs vtebantur, adversus huiusmodi temerarium ausum, legem statuere Patres dignam planè tanto consessu. Et omnes illius Concilij Patres magna certè veneratione de Romani Pontificis Authoritate hęc loquuti fuere. * In memoriam Beati Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem; vt quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, conferamus, & pia devotione toleremus. Si verò (quod non decet) quilibet, sivè sit Presbyter, sivè Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando redarguatur, falsam ab Apostolico detulisse Epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit, salva Fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penès

penès Episcopum sit potestas, vtrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, vsquequo per Epistolam, aut per idoneos suę partis Legatos, Apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimum sua Sancta Legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat definire, vt & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.* Hactenùs illi.

§. VII.

EX SÆCVLO DECIMO.

881 PRæclarè ad rem nostram facit SVESSIONIENSIS CONCILII a Rhemensi Archiepiscopo convocati, & in Gallia celebrati, Decisio, *in fine enim 14. cap.* quã Patres accepissent ab Apostolica Sede admonitionem, de perversa Orientaliũ doctrina Authore Photio, his significant verbis, in Magnam Romani Pontificis, eiusque Authoritatis Commendationem: * Sanè, quia innotuit nobis Sancta Sedes Apostolica, adhuc errores, & blasphemias cuiusdam vigere Photij in partibus Orientis, in Spiritum Sanctum, quod non à Filio, nisi tantum à Patre procedat, blasphemantis; hortamur Vestram Fraternitatem, vt vnà mecum, secundum admonitionem Domini Romanæ Sedis Præsidis, singuli nostrum, perspectis Patrum Catholicorum sententijs, de Divinæ Scripturæ pharetris, acutas proferamus sagittas, potentes ad conficiendam belluam monstri renascentis, & ad terebrandum caput nequissimi serpentis.*

§. VIII.

EX SÆCVLO DVODECIMO.

882 HEnricus Quartus Imperator extorquere conabatur à Paschali II. Pontifice privilegium, quo Ecclesiasticas investituras posset manu laica largiri. Renuebat Pontifex; quia huiusmodi investiturę, laica manu cõcessæ, vt Simoniacæ, erant ab alijs Pontificibus damnatæ, & gravissimis pœnis prohibitæ. At ipse Pontifex cum prædictum privilegium Imperatori istius summa vi, & potentia coactus, & invitus concessisset, vt suæ intentionis puritas, ac integritas toti Orbi innotesceret, omnesque intelligerent, se nullatenùs liberè approbare id, quod à se ipso, violentèr extortum fuerat, a suisque Prædecessoribus fuerat toties reprobatum, ROMÆ CONCILIVM indixit, ibique coram omnibus illius Concilij Patribus, elegantissimum Sermonem instituit, in quo quid ipse circa rem illam sentiret, aperuit, quàmque ab omni errore, & deceptione longè esset, ostendit, contra ea, quę improbi aliqui malitiosè sentiebant, dicens: *Amplector omnem Divinam Scripturam, scilicet veteris, & novi Testamenti, legem scriptam à Moyse, & à Sanctis Prophetis: amplector quattuor Evangelia, septem Canonicas Epistolas, & Epistolas Gloriosi Doctoris Beati Pauli Apostoli, Sanctos Canones Apostolorum, quattuor Vniversalia Concilia, sicut quattuor Evangelia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense, Decreta Sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè Decreta Domini mei Papæ Gregorij, & beatę memorię Papæ Vrbani. Quę ipsi laudaverunt, laudo: quę ipsi tenuerunt, teneo; quæ confirmaverunt, confirmo; quæ damnaverunt, damno; quæ repulerunt repello; quæ interdixerunt, interdico; quæ prohibuerunt, prohibeo in omnibus, & per omnia, & in his semper perseverabo.*

883 Hæc autem Pontificis verba toto audiente, & applaudente Concilio recitata, sufficientèr ostendunt, non minus in Romanis Pontificibus, cum ex Cathedra res ad Fidem, Religionemque pertinentes definiunt, infallibilem authoritatem residere, quam in plenarijs Concilijs ab ipsismet congregatis, & confirmatis.

884 Hanc similitèr Infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem præclarè confirmat id, quod in CONCILIO LATERANENSI III. sub eodem Paschali Pontifice celebrato evenit. Ibi enim Bruno, Signinus Episcopus sublimi voce dixit: Se infinitas grates Deo rependere, quod Dominum Papam Paschalem, pręsenti Concilio Præsidentem, audivisset proprio ore damnantem illud Privilegium, Henrico IIII. concessum, quod pravitatem, & Hæresim continebat. At cum deinde cavillatoriè subiunxisset: *Si privilegium illud Hæresim continebat: qui fecit illud, Hæreticus fuit.* Contra hanc propositionem, tam cavillatricem, & malitiosam, ac Episcopo indignam (qua ipse Fidei puritatem Paschalis Pontificis

modulis inclusam obtenebrare, ac fœdare conabatur) acritèr insurrexit Apostolicus Caietani Episcopi Zelus, qui sancta indignatione commotus, hæc in prædictum Episcopum effudit: * Tu ne hic, & in Concilio nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas Hæreticum? Scriptum quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, sed Hęresis non fuit. (Et alter quidem adiecit:) Immò nec malum dici debet; quia si liberare Populum Dei bonum est: quod Dominus Papa fecit, bonum fuit; sed liberare Populum Dei bonum est. Authoritate Evangelij, qua præcipimur animas quoque pro fratribus ponere.*

885 Id singulari Patientia, & mansuetudine Summus Pontifex audivit; at quia videbat præclarum Sanctæ Sedis, illorumque, qui Sacrum illum Thronum occupant, honorem contumelijs illis affici, & proscindi, silentium indixit, Sanctoque suo Zelo maculam, qua falsò aspersus fuerat, diluit; Dignitateque, & honorem tùm suum, tùm Apostolicæ Sedis, ex calumnijs vendicavit, & in veritatis lucem asseruit, de Infallibili Cathedræ Divi Petri, illorumque, qui in illa pręsident, Authoritate, brevibus his, & gravissimis verbis perorans: * Fratres (inquit) & Domini mei audite Ecclesia ista numquam habuit Hæresim; immò hic omnes Hæreses conquassatæ sunt. Hic Ariana Hæresis, quæ per trecentos ferè annos viguit, annullata est: Ab hac Sede Hæresis Eutychiana, & Sabelliana contrita: Photinus, cęterique Hæretici destructi sunt: Pro hac Ecclesia Filius Dei in Passione sua oravit, cum dixit: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua.* * Hactenùs ille.

§. IX.

EX SÆCVLO TERTIODECIMO.

886 VNum è præcipuis argumentis, quibus Suprema, & Infallibilis Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritas fulcitur, est Generalium Conciliorum convocatio, eorumdemque confirmatio. Estò, enim, Generale Concilium in rebus Fidei aliquid statuat, & definiat; numquam tamen eius definitio in Ecclesia, vt legitima suscipitur, quin prędictum Concilium à Romano Pontifice congregatum fuerit, ac approbatum. Quod pluribus exemplis illustrare possemus, si brevitas, quam optamus, id nobis permitteret. Nihilominus tamèn de NICÆNO CONCILIO, cuius Authorem Hęretici Constantinum faciunt, hæc habentur *in VI. Synodo, Act. 18.* * Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis, Magnam, atque Insignem in Nicęa, Synodum congregabant. * Ex quibus clarè colligitur, non modò Constantinum Imperatorem, sed Sylvestrum etiam Pontificem, prędicti Concilij extitisse Authorem; cum non modo ad illius convocationem concurrerit, sed etiam in illo ipse, vel ipsius nomine, Hosius Episcopus præfuerit.

887 Pro maiori huius veritatis confirmatione videri potest AVTHOR VITÆ SYLVESTRI PONTIFICIS, qui hæc dixit: * Huius temporibus factum est Concilium, cum eius consensu, in Nicęa Bithyniæ.*

888 Id ipsum constat ex GENERALI CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO, attestante Damaso, sub quo celebratum fuit; *vt docet Theodoretus, lib. 2. cap. 22.* vbi refert dixisse Pontificem: * Nullius momenti esse Decreta eius Synodi, cui ipse non præbuisset assensum.* Et *Act.* 18. Synodi Sextæ, hæc etiam legũtur: * Macedonio Theodosius, & Damasus obstiterunt.*

889 Sanctus Cyrillus Alexandrinus prȩfuit EPHESINO CONCILIO, nomine Cęlestini Pontificis, & Legatus Paschasinus Chalcedonensi Synodo, Sãctissimi Leonis Pontificis nomine præfuit. Prętereà ad maius huius veritatis stabilimentum notatu dignum est id, quod *ex Act. Chalcedonensis Concilij*, innotescit. Celebratum fuit Sanctissimum istud Concilium contra Dioscorum Episcopum, qui Generale Concilium Authoritate propria congregare ausus fuit. Contra huius igitur non ferendam audaciam, & temeritatem prædictum Concilium, *Act.* 1. his gravissimis verbis insurgit: * Synodum ausus est facere sine Authoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est.*

890 Nec pro infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritate levitèr facit quod IN GENERALI LVGDVNENSI CONCILIO ab Innocentio IV. Põtifice cõgregato, factum fuit. Huic enim Synodo Innocentius Pontifex personaliter præfuit, Imperatoremque Federicum

Secundum, se se Pontificis, Sacrique Concilij obedientiæ subijcere renuentem, toto approbante Concilio, damnavit. Nec omitti possunt verba, quibus Sanctissimus Pontifex Sententiam in Federicum, ob patrata illius scelera, in prædicto Concilio promulit. * Nos itaque (inquit Pontifex) super præmissis, & quam pluribus alijs eius nefandis, & execrandis excessibus, ac flagitijs, cum fratribus nostris Cardinalibus, & Sacrosancto Concilio, deliberatione præhabita matura, & diligenti; cum Domini nostri IESV CHRISTI vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in Beati Petri Apostoli persona sit dictum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, &c.* memoratum Principem, qui se Imperio, & Regnis, omnique denique honore, ac Dignitate reddidit tam indignum; quique propter suas iniquitates, atque scelera à Deo, ne regnet, vel imperet, est abiectus; suis ligatum peccatis à Deo abiectum, omnique honore, ac Dignitate privatum à Domino ostendimus, ac denuntiamus, & nihilominus sententiando privamus, &c.*

891 VAVRENSIS, in Gallia prope Tolosam, SYNODI PATRES, Supremam Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem probè agnoverunt, in litteris, quas ad Innocentium Pontificem dederunt, debitas ei gratias referentes ob ea, quæ in Fidei causa contra Raymundum Tolosanum Comitem, cæterosque illarum partium hæreticos statuerat. Illis autem litteris hic erat præfixus titulus: * Sanctissimo in Christo Patri, ac Beatissimo Domino suo Innocentio, Dei gratia, Summo Pontifici, devoti, & humiles servi eius Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, in Concilio apud Vaurum, pro Sanctæ Fidei congregati negotio.*

892 Ex ea ipsa Synodo scribentes Legati Pontificij, quibus Concilij Patres Authores fuerant, ne Raymundi purgatio reciperetur, hæc habent: * Volentes igitur finem mandati diligentissimè custodire, meram, & plenam veritatem, scilicet totius facti seriem, & processum Beatitudini Vestræ breviter intimamus; cui soli Dominus imponendi finem tantis cladibus plenissimam scientiam, & potestatem concessit.* Quibus verbis infallibilem Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem non mediocritèr agnovisse videntur.

893 Ingentis ponderis, ac momenti pro hac re esse videtur Vniversalis LATERANENSIS CONCILII, in Romano Pontifice Supremum Ecclesiæ in rebus Fidei Magisterium agnoscentis Authoritas: *Capite* namque 5. Innocentius III. qui in illo præerat Concilio, constituens ordinē, quā inter se Patriarchales Sedes servaturæ erant, sic loquitur: * Antiqua (inquit) Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, Sacra Vniversali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias, ordinariæ potestatis obtinet Principatum, vtpotè Mater vniversorum Christi Fidelium, & Magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet propria Dignitate, ita quod postquam eorum Antistites à Romano Pontifice receperunt pallium, quod est plenitudinis Officij Pontificalis insigne, præstito sibi Fidelitatis, & obedientiæ iuramento, licenter, & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se Professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientię ab eisdem. Dominicæ verò Crucis vexillum ante se facient vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicumque Summus Pontifex pręsens extiterit, vel eius Legatus vtens insignijs Apostolicę Dignitatis. In omnibus autem Provincijs eorundem iurisdictioni subiectis, ad eos, cum necesse fuerit, provocetur, saluis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.*

894 Ex hoc autem Conciliari Decreto supremam Apostolicæ Sedis super omnes Ecclesias Authoritas rectè deducitur: ius namque appellandi ab omnibus in quolibet causarum genere, etiam in rebus Fidei supremam Romanę Ecclesiæ super omnes totius Christiani Orbis Ecclesias Authoritatem, ac Infallibile Magisterium, in rebus Fidei, supponit. Supremum autem istud ius appellandi semper in Christiana Republica ad praxim, & actum, ab omnibus Ecclesijs reductum fuisse, omnibus istis ad Apostolicam Sedem, vti ad superiorem etiam in rebus Fidei recurrentibus, apertè ex Ecclesiastica Historia, communique cęterarum adhuc Supremarum Ecclesiarum

rum vsu innotescit. Superiores namque post Romanam Ecclesiæ, ad quattuor Patriarchales in prædicto Lateranensi Concilio hoc ordine constitutas, rediguntur. Prima est Constantinopolitana: secunda Alexandrina: tertia Antiochena: quarta Ierosolymitana. Et quamvis quattuor istę Patriarchales Ecclesiæ omnibus alijs, prętter Romanam, superiores existant, nihilominus Sanctus Athanasius, Alexandrinus Episcopus, Paulusque Constantinopolitanus Antistes, ad Pontificem Iulium I. appellarunt: S. Ioannes Chrysostomus, Patriarcha Constantinopolitanus, ad Innocentium I. Flavianus, Constantinopolitanus Episcopus, ad Pontificem Leonem I. ad quem etiam Theodoretus, Cyri Episcopus, provocavit: ac tandem Hadrianus, Thebanæ Antistes ad Papam Gregorium I. appellavit, vt ex illius *Epistolis 6. & 7. lib. 3.* necnon 52. *lib.* 4. manifestè convincitur.

895 Vndè si Superiores Ecclesię, vti sunt Patriarchales, Apostolicam Sedem, Summumque Pontificem in ipsa præsidentem, esse etiam in rebus Fidei Supremum Iudicem agnoscunt, & fatentur; proculdubiò cæteras omnes Ecclesias Supremum, ac infallibile Magisterium in rebus Fidei decernendis in Apostolica Sede, Romanoque Pontifice agnituras esse, videtur.

CAP. X.

INFALLIBILEM ROMANORUM Pontificum in rebus Fidei Authoritatem, Imperatorum, Regumque Rescripta probant.

896 QVamquam ex tot luculentissimis celebriorum totius Orbis Episcoporum, tùm divisim, tùm coniunctim Authoritatibus, & Confessionibus, apertissimisque Antistitum in Concilijs, tùm Nationalibus, tùm Generalibus congregatorũ attestationibus, tot denique Gravissimis Sanctorum Patrum testimonijs superiori Capite adductis, Suprema, ac infallibilis Romanorum Pontificum in rebus Fidei Authoritas, eorundemque Supremum in Ecclesia Magisterium satis videatur suffultum, ac roboratum, ita vt tot testimonijs pro hac Romani Pontificis Infallibilitate propositis, nihil amplius addi posse videatur: nihilominùs tamen vt hæc Catholica veritas clarior illucescat, ipsaque Suprema Pontificum Infallibilitas fortiùs muniatur, præter Pontificũ, Episcoporumque Authoritatem, testimonia luculenta, nempè celebriorum Christiani Orbis Imperatorum, Regum, Principumque pro eadem veritate stantium Rescripta, servato Sæculorum ordine, adijciemus.

§. I.

EX SÆCVLO QVINTO.

897 LEctu dignissimum est VALENTINIANI IMPERATORIS Rescriptum, qui pro Apostolica, ac infallibili Authoritate constantèr stetit, Romanique Pontificis Sancti Leonis potestatem, contra Hilarium Arelatensem Episcopum, qui totam illam Ecclesiam concitarat, mirificè propugnavit, vt constat *ex Valentiniani Novella inter Theodosij Novellas post Theodosianum Codicem, titulo 24. de Episcopi ordinatione*, vbi hæc scribuntur: * Certum est nobis, & Imperio nostro vnicum esse præsidium in supernæ Divinitatis favore; ad quem promerendum præcipuè Christiana Fides, & veneranda nobis Religio suffragatur. Cum igitur Sedis Apostolicæ Primatum, Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis Coronæ, & Romanæ Dignitas Civitatis, Sacrę etiam Synodi firmavit Authoritas, nequid prętter Authoritatem Sedis istius inlicitum pręsumptio attentare nitatur: Tunc enim demùm Ecclesiarum pax vbique servabitur, si Rectorem suum agnoscat Vniversitas. Hæc cum hactenùs inviolabiliter fuerint custodita: Hilarius Arelatensis (sicut Venerabilis Viri Leonis, Romani Papæ, Fideli relatione comperimus) contumaci ausu inlicita quædam præsumenda tentavit; & ideò Transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus invasit, quod recens maximè testatur exemplum.

898 Hilarius (prosequitur) enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesiæ Romanę Vrbis inconsulto Pontifice, indebitas sibi Ordinationes Episcoporum sola temeritate vsurpans, invasit: nam alios incom-

incompetentèr removet; indecentèr alios, invitis, & repugnantibus Civibus, ordinavit. Quiquidem, quoniã non facile ab his, qui non elegerant, recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem, vel obsidione cingebat, vel aggressione referabat; & ad sedem quietis, pacem prędicaturus, per bella ducebat.

899 His talibus (prosequitur) contra Imperij maiestatẽ, & contra reverentiã Apostolicæ Sedis admissis, per ordinẽ Religiosi Viri Vrbis Papæ cognitione discussis, certa in eum ex his, quos malè ordinaverat, lata Sententia est. Et erat ipsa quidem Sententia per Gallias etiam sine imperiali Sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis Authoritate in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hęc ratio provocavit, ne vlterius vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari, sola mansueti Præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut pręceptis Romani Pontificis liceat obviare.

900 Ausibus enim (idem ait) talibus Fides, & reverentia nostri violatur imperij. Nec hoc solum, quod est maximi criminis, submovemus: verum ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in reliquo minui religionis disciplina videatur; hoc perenni Sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum, contra consuetudinem veterem liceat sine Viri Venerabilis Papæ Vrbis æternę authoritate tentare; sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis Authoritas: ita vt quisquis Episcoporum ad Iudicium Romani Antistitis evocatus, venire neglexerit, per moderatorem eiusdem Provincię adesse cogatur; per omnia servatis, quæ Divi Parentes nostri Romanæ Ecclesię detulerunt, Aëti Pater Charissime Augusti.* Hactenus ille.

901 Hoc eodem sæculo cum Sanctus Pontifex Leo, Romę Generalem Synodum congregasset, aderat ibi idem Imperator Valentinianus, cum sua vxore Eudoxia, & matre, Galla Placidia; qui omnes ad eam civitatem Sacra Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli sepulchra veneraturi confluxerant: cumque ad illos perlatę fuissent inhumanæ sævitię, ac effrenes crudelitates, quę supremæ Apostolicæ Sedis Authoritati in Ephesino Concilio fuerant illatæ, prædictum nuntium ęgrè, molestèque tulerunt, & tamquam pijssimi Principes infelicem Religionis, & Ecclesiæ vicem condolentes, & tam perniciosam scintillam, prius quam in flammam adolesceret, comprimere, & extinguere vehementèr optantes, omnes illi religiosissimi Principes gravissimas, ac Christianam pietatem, & Catholicam Religionem spirantes Epistolas ad Orientem dederunt, inter quas prima, quam Imperator Valentinianus Theodosio Imperatori scripsit, habetur, vt sequitur.

902 *Cum advenissem (inquit) in vrbem Romam, ad Divinitatem placandam, sequenti die ad Basilicam Apostoli Petri processi: & illic post venerabilem noctem diei Apostoli, & à Romano Episcopo, & ab alijs cum eo ex diversis Provincijs rogatus sum scribere Vestræ Mansuetudini de Fide, quæ cum sit conservatrix omnium animarum, dicitur perturbata; quam nos à nostris maioribus traditam debemus cum omni competente devotione defendere, & Dignitatem proprię venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conservare; quatenus Beatissimus Romanę Ecclesię Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes, antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de Fide, ac Sacerdotibus iudicare, Domine Sanctissime Pater, & Venerabilis Imperator. Hac enim gratia secundum Solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit propter contentionem, quę orta est de Fide.* Similia in suis habent litteris Galla Placidia, & Eudoxia ad eundem Theodosium Imperatorem. Extant hę litteræ ante Concilium Chalcedonense, *tom.1. Conciliorum*. Ex quibus clarè colligitur, Valentinianum Imperatorem, cum fateatur Romanum Pontificem in rebus Fidei esse Supremum in Ecclesia Iudicem, fateri etiam consequenter ipsum in Fidei Decretis, & Definitionibus infallibilem existere.

903 Theodosio Imperatore defuncto IMPERATOR MARCIANVS Sanctę Pulcheriæ consensu ad altissimum Imperatorię Dignitatis apicem evectus est. Cui visum fuit, se nullis melioribus avibus sui imperij regimen auspicari, nec felicioribus auspicijs posse illud adire, quam ab egregia animi fortitudine, qua se se acerrimum, & Ecclesiæ, & Supremę Romani Pon-

Pontificis, atque adeò in rebus Fidei infallibilis Authoritatis, defensorem, propugnatoremque ostenderet, vt ex Epistola, quam Sancto Leoni Pontifici scripsit, apertissimè innotescit. * Ad hoc (inquit) maximum Imperium venimus Dei Providentia, & electione Senatus Excellentissimi, cunctæque militiæ. Vnde pro reverenda, & Catholica Religione Christianæ Fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentię confidimus gubernari, Tuam Sanctitatem, Principatum in Episcopatu Divinę Fidei possidentem, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam: invitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, statuque nostri Imperij æternam Divinitatem Sanctitas Tua deprecetur, & vt tale propositum, atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum, Te Authore, maxima pax circa omnes Episcopos Fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura, & intemerata cōsistens.* Hęc ille.

§. II.

EX SÆCVLO SEXTO.

504 PRimas occupet IMPERATOR ANASTASIVS, qui cum in Orientalibus Ecclesijs ingentes, ac gravissimæ subortæ essent disceptationes de rebus ad Religionem pertinentibus, Romano Pontifici Hormisdæ humiles, ac pijssimas litteras scripsit, quibus illū, vt æquissimum Ecclesiasticæ pacis arbitrum, & Supremum controversiarum Fidei Iudicem veneratur; sic enim loquitur: * Nunc autem currens de vobis suavis opinio, ad memoriam nostram, bonitatem paternæ affectionis adduxit, vt illa requiramus, quę Deus, & Salvator noster, Sanctos Apostolos Divino Sermone docuit, ac maximè Beatum Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suę constituit. His igitur præfatis initijs, hortamur, vt ad ea, quæ de Scythiæ partibus mota sunt, vndè & Concilium fieri convenire perspeximus, mediatorem se Apostolatus vester faciat: vt contentionibus amputatis, vnitas Sanctæ restituatur Ecclesiæ.*

905 Idipsum mirificè confirmat Pijssimus IMPERATOR IVSTINIANVS, qui cum vastum Imperij sui mare, turbidis hæresum fluctibus inquietum vidisset, diversisque procellis, ob multas, quæ tunc grassabantur hæreses, commotum conspexisset, ne Catholicæ Fidei Navis, in suo Imperio, turbulentissimis illarum tempestatum motibus penitùs obrueretur, ad Fidei anchoram, ad securitatis portum, ad Supremum Catholicæ Religionis Magisterium, Cathedram nempè Divi Petri, quam tunc Hormisdas Pontifex felicissimè moderabatur, remis, velisque tetendit, id vnum Catholica Fide, ac infallibili assensu amplexurus, quod à Romano Pontifice decretum fuerit, ac statutum, vt ostendit *Epistola*, quam ipse Imperator, dum ad Imperij apicem fastigiaretur, *ad Romanum Pontificem* his verbis scripsit: * Propitia (inquit) Divinitate, quę semper Ecclesiam Catholicam per incrementa Fidei instituit, vnitas Sanctarum Ecclesiarum per Doctrinam, & Authoritatem Apostolatus vestri provenit. (Et infra ait:) Post semel enim Divina Misericordia donatam Ecclesiæ Catholicę vnitatem, quidam asserunt, Christum Filium Dei, Dominum nostrum, pro nostra salute carne crucifixum, vnum de Trinitate debere prædicari: quod si suscipiendum sit, paterna provisione Reverentia Vestra cautissimo suo Rescripto, quid sequi, quidvè vitare super hoc debeamus, nos certiorare dignetur. Quoniam verba videntur facere dissensionem: nam sensus inter Catholicos omnes vnus esse probatur. Imponite igitur Vobis semel susceptum laborem, Sancte ac Venerabilis Pater, etiam in hoc Prædecessores Vestros sequentes, quorum memoriam & amplectimini, & consortio Pontificatus ornatis, & de hac intentione liberos nos properate reddere, & securos. Hoc enim credimus esse Catholicum, quod Vestro Religioso Responso nobis fuerit intimatum.* Hæc ille.

906 Ex quibus pijssimis Imperatoris verbis apertè dignoscitur, quam ingens, ac præclara fuerit existimatio, quam ipse Iustinianus Imperator de suprema, ac Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritate imbiberat, quantoque honore eam prosequebatur, cum solam illam veritatem, vt Catholicam, ac dignam, quæ vt talis in toto suo Imperio susciperetur, iudicaverit, quę in Fidei controversijs suprema Pontificis Authoritate fuerit definita.

907 Ipse Imperator Iustinianus omnes Hæreses toto suo Regno dispersas penitus extirpare, eisque opportunius, ac expeditius

tius remedium suppeditare, ac providere vehementer desiderans, agnoscensque Supremum Romani Pontificis in tota Ecclesia Magisterium, illius Infallibilem Authoritatem humiliter exoravit, vt Fidei controversias, quibus Romanum concitabatur imperium, Apostolica, ac firmissima sua Decisione feliciter terminaret, vt demonstrat *alia Epistola*, quam ipse Imperator ad prædictum Romanum Pontificem his verbis direxit: * Quanta (ait) reverentia Vestram Beatitudinem veneremur, multis Epistolis, ex quo Serenissimus Imperator filius vester regnavit, cognoscitis. In præsenti quoque, debito pudore salutantes Tuam Sanctitatem, postulamus enixius, vt nobis tam de sermone, de quo vertitur controversia, quam de nominibus Episcoporum sub Achatio defunctorum, per Eulogium virum sublimem, Tribunum, & Notarium, dignetur Apostolatus vester integrum, indubitatumque destinare responsum; omnibus videlicet, quę præsentibus Legatis vestris ordinata sunt, in perpetuò firmiter duraturis. (Et paulò infra.) Æternitatis igitur supernæ, tremendique iuditij non immemor Sanctitas Vestra, quę sibi commissa sunt, efficaciæ tradi deproperet; vt intelligant cuncti rectè Vos Apostolicæ Sedis esse Primatum sortitos. Hæc Igitur, quæ à nobis scribuntur, affectu paterno iubete quantocius adimpleri: scitis namque, quam sit admirabilis glorię, tantorum errores annorum, vestri Pontificatus tempore stirpitùs aboleri.*

908 Idem Imperator, *lege* 8. *Cod. de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, nomine omnium sui Imperij in Oriente Episcoporum, in quibusdam Fidei controversijs, ne ipse, suumque Imperium, in tanta dubiorum varietate, ac inconstantia, circa rem adeò gravem, immò omnium gravissimam, nutarent, ad firmiorem, securioremque Supremi Magisterij Apostolicę Sedis asylum confugit, sperans ab Infallibili Romani Pontificis Autoritate, istiusque Apostolica Doctrina certiorem, securioremque instructionem eorum, quæ ipse, suumque Imperium credere, quibusque audire tenerentur. Hoc significare voluit Imperator illis verbis, quæ ad Romanum Pontificem Ioannem per Legatos à se missos, Metropolitanos nempe Cæsareensem, & Ephesinum scripsit: * Reddentes (inqnit) honorem Apostolicæ Sedi, & Vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto & fuit, & est) vt decet Patrem honorantes Vestram Beatitudinem, omnia quę ad Ecclesiæ Statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre Vestræ Sanctitatis: quoniam nobis semper fuit magnum studium, vnitatem Vestrę Apostolicæ Sedis, & Statum Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes vniversi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire Vestrę Sanctitati properavimus.*

909 Prosequiturque idē inquiens: * In præsenti ergo quæ commota sunt, quamvis manifesta, & indubitata sint, & secundum Apostolicæ Vestræ Sedis Doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita, & prædicata, necessarium duximus, vt ad notitiam Vestræ Sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum Statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit quod movetur, vt non etiam Vestrę innotescat Sanctitati, quæ Caput est omnium Sanctarum Ecclesiarum.*

910 Tandem concludit dicens: * Petimus ergo vestrum paternum affectum, vt vestris ad nos destinatis litteris, & ad Sanctissimum Episcopum huius Almę vrbis, & Patriarcham fratrem vestrum (quoniam & ipse per eosdem scripsit ad Sanctitatem Vestram festinans in omnibus Sedem sequi Apostolicam Beatitudinis Vestrę) manifestum nobis faciatis, &c. Plus enim ita, & circa vos omnium amor, & Vestrę Sedis crescit Authoritas, & quæ ad Vos est vnitas Sanctarum Ecclesiarum, inturbata servabitur, quando per Vos didicerint omnes Beatissimi Episcopi, eorum, quæ ad vos relata sunt, sinceram Vestrę Sanctitatis Doctrinam.*

911 Et *l. 7. C. de Summa Trinitate, & Fide Catholica sup. tit.* Epiphanio Patriarchę Constantinopolitano præscribit, vt in magnam suarum Ecclesiarum cum Summo Pontifice veteris Romæ vnionem, omnes nervos contendat, nec patiatur ne quidquam eorum, quę ad Ecclesiasticum Statum pertinent, ad Romanum Pontificem deferatur, cum iste sit Sacerdotij Caput, cuiusque Infallibili Authoritate omnes semper Hæreses extirpatæ sunt. Verba tanto Imperatore digna audiamus. * In omnibus servato statu vnitatis Sanctissimarum Ecclesiarū cum ipso Sāctissimo Papa veteris Romæ, ad quē similia hisce perscrip-

scripsimus. Nec enim patimur, vt quidquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant Statum, nō etiam ad eiusdem referatur Beatitudinem, cum ea sit Caput omnium Sanctissimorum Dei Sacerdotum; vel eò maxime, quod quoties in ijs locis hęretici pullularunt, & sententia, & recto iudicio, illius venerabilis Sedis coërciti sunt.* Hactenus ille. Similia habentur, *Novella 9. 42. & 131. Cap. 2.*

912 Pro nobis certè stat Legatio, quā CHILDEBERTVS, GALLIARVM REX ad Romanum Pontificem Pelagium II. fuit, ad quem vti ad supremum Fidei Magistrum confugit, ab illo humiliter postulans, vt ipsi præscribere dignaretur formam, & rationem, qua se gerere deberet in Fidei controversijs, tunc temporis in suo Regno occurrentibus. * Childebertus (inquit Papyrius Masso Annalium Francorum, *lib. 1.*) Rufinum in Italiam ad Pelagium Romanum Pontificem miserat, rogatum an Catholicè Leonis Tomum adversus Euthychetem sequeretur. Pelagius respondit, librum illum Ecclesiæ probari; ipseque, vt Rex postularat, novam Fidei Formulam scripsit.*

§. III.

EX SAECVLO OCTAVO.

913 NEC pretermitti liceat in hoc Sęculo Octavo quanti fecerit CAROLVS MAGNVS, FRANCORVM REX, Magisterium Ecclesiæ Romanæ, vt satis colligitur ex eo, quod orta inter Romanos, & Gallos de cantu Ecclesiastico contentio, quinam melius illum callerent, ait Pijssimus Rex ad suos Cantores: * Dicite palàm, quis purior est; & quis melior, aut Fons vivus, aut rivuli eius longè decurrentes?* Responderunt omnes vna voce, fontem, velut Caput, & originem puriorem esse, rivulos autem quanto longius à fonte recesserint, tanto turbulentos, & sordidos, ac immundicijs corruptos. Et tunc dixit Rex Carolus: * Revertimini vos ad fontem Sancti Gregorij, quia manifestè corrupistis cantinelam Ecclesiasticam.* Mox igitur petijt ipse ab Hadriano Papa, Cantores, qui Franciam corrigerent cantu, &c. Ita habetur in veteri Choronico Caroli Regis Francorum, quod Pithæus edidit.

914 Quod autem de Cantu Ecclesiastico Carolus, id à fortiori de Romanorum Pontificum Definitionibus in materia Fidei credidit, indeque cum illis nullum errorem obrepere posse sciret, & firmiter, quod ipsi statuunt esse tenendum, iudicaret, non alio, quam ad Sedem Apostolicam pro obortarum Fidei quęstionum Decisione recurrere consuevisse, patet ex eiusdem epistola ad Elipandum, qua ait: * Ad Beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem, de hac nova inventione, nostræ devotionis ter, quaterque direximus Missos, scire cupientes, quæ Sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta Traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione. (Et inferius de acceptis ab illa responsis, sollicitius custoditis, subijcit ista) Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis Traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor.*

915 Qua etiam de causa idem Carolus Imperator, Felicem Vrgelitanum Episcopum, è Concilio Ratisponensi, quantumvis in eo damnatum, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romam mitti voluit: vbi rursus coram ipso in Basilica Sancti Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abiuravit.

916 Ad rem etiam nostram egregiè facit, quod ex capitulis eiusdem Caroli Magni habetur *cap. 2. dist. 19.* vbi hæc ab eo dicta narrantur: * Sic omnes Apostolicæ Sedis Sanctiones accipiendæ sunt, tamquam ipsius Divini Petri voce firmatę sint.* Similiter pro nobis militat, quod inter eiusdem Regis viginti tria Capitula recitatur à Gratiano, *cap. 3.* eiusdem *dist. 19.* ibi: * In memoriam (inquit) Beati Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem: vt quę nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Ecclesiasticę Magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas: vt licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Tandem *lib. 6. cap. 267.* dicit idē Carolus: * Authoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Hactenùs ille.

EX

§. IV.

EX SAECVLO NONO.

917 NEc sine admiratione prætermitti posset summa reverentia, & observantia, qua Venerabilis, & Sanctus Rex CAROLVS MAGNVS, qui in Gallijs tūc singulari florebat virtute, Apostolicam Romani Pontificis Sedem venerabatur: siquidē, tam Imperator Carolus Magnus, quā eius filius Ludovicus, Romanum Pontificem exorarunt, vt politicas suas leges, quas ad bonū illius Regni regimen statuerant, aprobare, & confirmare dignaretur, eas nullatenus edicere, & promulgare ausi, quin prius Approbationem ab Apostolica Sede meruerint.

918 Pro maiori huius veritatis confirmatione acquiescam ijs, quæ præclarus eiusdem Gallicanæ nationis scriptor P. Dominicus à Sancta Trinitate narrat in sua Bibliotheca Theologica, *lib.3.Cap. 16. Sec. 4.* Ad eandem (inquit) supremam, ac Infallibilem Romanorum Pontificum Authoritatem facit, quod primùm Carolus Magnus, deinde Ludovicus, genitoris pietatis non minùs quam Imperij successor, non solum eorumdem Pontificum consensu, atque hortatu suas leges, Capitularia dicta, sanciverint, authoritateque roborata esse voluerint, vt testatur Benedictus Levita, in præfatione ipsis præposita.*

919 Prosequitur idem, dicens: * Sed insuper ibidem Decretorum Romanorum Pontificum observantiam religiosè præcipiant, quodque vbi in rerum consultationibus aliquid quod videri posset arduū, vel quid magni momenti consulendum esset: id nequaquam, nisi consulta rursum Apostolica Sede definiri præsumeretur: Et quid amplius? Nullius prorsus esse Authoritatis, quòd contra Apostolica Decreta sanciretur; quin etiam statutas ab eis Synodos, per ipsos Romanos Pontifices, atque eius Vicarios irritas posse reddi, sancita lege decreverunt: de quibus vide præfatorum Capitula, *lib. 6.cap. 267. lib. 7. cap.91. 104. 187. 205. 265. & 267. & Additione 4. ad lib.7.cap. 12.* *

920 Si æquissimæ istę horum Pijssimorum Regum leges, hac nostra tempestate in illo Regno observarentur, nullatenùs iustissimis, ac promeritis Censuris subijcerentur, qui his nostris calamitosis temporibus, in eo ipso Regno, Supremam infallibilem Romanorum Pontificum in rebus Fidei Authoritatem tam audacter, ac temerè inficiantur. Quod quam longè absit à Catholico illo Zelo, qui in illorum Zelantissimorumque Principum Caroli, & Ludovici cordibus, circa venerationem Supremæ infallibilis Apostolicæ Sedis Authoritatis, non modò in spiritualibus, sed etiam in temporalibus debitam æstuabat, prudentum iudicio relinquimus. Insuper quam longum discrimen inter infelicissima nostra tempora, & aurea illa Caroli & Ludovici sæcula intercedat, optimè agnoscet, qui Gallicani Cleri determinationem anno 1682. editam attentè legerit: sola enim illius inspectione ingens inter vtraque tempora dissidium intelliget; cum in illa Supremam, & infallibiliorem totius Orbis Authoritatem Gallicani illius Authores, non modò extollere, sed immò potius eam penitùs deprimere, illiusque gloriam obscurare conentur.

921 Non immeritè pro nostra adducitur Assertione Epistola, quam ad Eugeniū Pontificem magna sanè Supremæ istius Authoritatis, Apostolicique Magisterij veneratione LVDOVICVS IMPERATOR scripsit, siquidem in ea sic illi alloquitur: * Vnde (inquit) sicut dignum, & verè dignum, & iustum est, vt præeunte Spiritus Sancti virtute, ille inter eos in nomine Domini talia correcturus, & ad viam veritatis Sanctissimo moderamine reducturus, primus in hominibus Arbiter occurrat, quem Deus Omnipotens in Sede Apostolica collocare, eorumque Vicarium eidem Sāctæ suæ Ecclesiæ dare dignatus est, & ob hoc ei nomen speciale in toto Orbe terrarum ab eadem Sancta Dei Ecclesia, præ omnibus Pontificibus decretum est, vt solus, non sua abusione, sed Sanctorum Apostolorum Authoritate, Vniversalis Papa dicatur, scribatur, & ab omnibus habeatur.*

922 Insuper probè agnovisse Romanum Pontificē esse Supremū Fidei, & Religionis Magistrum, satis ostendit ipse Imperator, cum Amalarium Fortunatū ad Romanum Pontificem Gregorium IV. Legatum miserit, vt ex Romana Ecclesia Gallicanos Antiphonarios corrigeret, emendaret, & augeret, vtrumque testatur P. Domini-

minicus à Sancta Trinitate, loco suprà citato.

923 Nec parum pro re nostra facit Epistola, quam LVDOVICVS REX, Caroli Galliarum Regis frater, Nicolao Pontifici scripsit; in illa enim, Christianissimus Princeps Supremam Apostolicam Romani Pontificis Dignitatem Catholicè agnoscit, & humilitèr veneratur, illam Epistolam sic inscribens: * Domino verè Beatissimo, ac Sanctissimo totiusque Sanctæ Dei Ecclesiæ, roseo pij Regis Christi sanguine acquisitę, Pontifici & Vniversali Papæ Nicolao, Ludovicus Magnus, & Lotharius Divina pręveniente Gratia, Reges, in Principe Pastorum Christo sempiternam summæ felicitatis pacem, & gloriam, &c.*

924 Nec minori ęstimatione digna est Epistola, quam LOTHARIVS, GALLIARVM REX, ad Nicolaum Pontificem dedit, ob magnam venerationem, qua infallibilem Romani Pontificis, istiusque Apostolici Magisterij Authoritatem honorat, ac reveretur; sic enim scribit: * Postquam nobis Divina dignatio, sua gratuita Clementia, Regni gubernacula commisit, more Prædecessorum nostrorum Christianissimorum Regum, semper, & in omnibus sublimandam Beati Petri Apostolorum Principis Sedem, vt dignum est, reverenter dileximus, atque instantèr, quantum in nobis, illam exaltare parati sumus, deque vestro, tamquam summo spiritualis Patris regimine, semper salubria haurire cupientes, veritatis voce vobis dictum recolimus: *Petre, amas me? Pasce oves meas.* Et per Prophetam: *Ego pascam oves meas*, dicit Dominus Deus; *Quod perierat, requiram; & quod abiectum fuerat, reducam; & quod confractum erat, alligabo; & quod infirmum, consolidabo.* Admodum quippè desideramus citiùs vobis nostram exhibere præsentiam, vt illud veriori experientia implere possitis, quod idem Propheta post pauca subintulit: *Et iudicabo illas in iudicio, & iustitia.* * De his Epistolis vide Baronium *tom.* 10.

925 Æqualem sibi vendicat laudem Epistola, quam Nicolao Pontifici, Supremum istius in rebus Fidei, & morum Magisterium agnoscens scripsit CAROLVS, GALLIARVM REX, illi siquidem loquutus sic est: * Sanctissimo, ac Reverendissimo Patri Nicolao, Catholicę, & Apostolicæ Sedis Summo Pontifici, & Vniversali Papæ, Carolus gratia Dei Rex, & spiritualis filius vester. Quia sicut devotio nostra erga Sanctam Sedem Apostolicam, omniumque Ecclesiarum Matrem, atque Magistram & erga Sancti Apostolatus vestri honorem, in istis Cisalpinis Regionibus longè, latèque, gratias Deo, cognoscitur; ita & colendæ cum summi amoris veneratione Paternitatis Vestræ benignitas, erga filialem nostram dilectionem, non solùm nostris benevolis, sed & æmulis, Authore Deo, certis indicijs, veluti Sanctitatem Vestram, scilicet Religionis culmen, decet, innotuit, &c.* Hactenùs ille.

§. V.

EX SAECVLO DVODECIMO.

926 PIISSIMI ANGLIÆ, ARMENIÆ, ET SYRIÆ REGES, CATHOLICAQVE ISTORVM REGNA, multas, variasque Legationes ad Romanum Pontificem Eugenium III. miserunt, qui Supremum in rebus Fidei & morum Magisterium in Divi Petri Cathedra agnoscentes, ad Summum Pontificem in ipsa Præsidentem confugerunt, vt Legati ab eis missi Romani Pontificis in rebus Fidei, & religionis Authoritate edocti, precipuè verò in Fidei controversijs, in illis Regnis tunc temporis emergentibus, Apostolica doctrina, quid infallibili certitudine, & Catholica Fide tenendum esset, ad illa Regna deferrent, teste Othone Frisingensi, celeberrimo illorum temporum Authore, *lib. 7. cap. 31. 32. & 33.* Attestantibus præsertim Armeniæ Legatis, se vt de illis instruerentur venisse, & ob natas inter se controversias de Ritu Sacrificij, Romanam Ecclesiam Iudicem elegisse, formamque Sacrificij iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcere, vt contigit, miraculoque confirmatum fuisse narrat pręfatus Author, probitate insignis, & veritatis cultor exactissimus. Quę quidem Supremam satis ostendunt, ac infallibilem Romanorum Pontificum in rebus Fidei, ac Religionis, Authoritatem.

927 Egregia, ac eximia veneratio, qua GALLICANORVM REGES Apostolicam Sedem, istiusque Supremam Authoritatem semper prosequuti sunt, præclarè innotescit ex reverentia, quam quatuor Pontificibus, Paschali nempè II. Gelasio II.

II. Eugenio III. & Alexandro III. ipsi Galliarum Reges exhibuerunt: prædictos enim Pontifices, vt narrat Abbas Conradus Vrspergensis, *in suo gravissimo, & antiquissimo Chron.* maximo cum amore, & honore Galli accepere. Paschalem, non aliter in Gallia, quam legiferum de Cœlo missum, susceptum, tractatum, atque auditum fuisse; vbi etiam Alexandro Papę III. Parisios properanti: *Ludovicus, tamquam pius & mitis Rex (ex eiusdem Alexandri vitæ Actis) cum Baronibus, & Militibus suis per duas leucas occurrit: quo viso statim descendit, ad streguam eius festinantèr accurrens, humiliter deosculatus est pedes ipsius, & statim ad eius oscula cum devotione fuit receptus; deindè singulariter procedentes, intraverunt prædictam Civitatem.*

928 Nec illis solummodo, sed multis etiam alijs temporibus GALLIÆ REGES Christianissimum suum Zelum, religionem, summamque venerationem, qua supremam Apostolicæ Sedis, Summorumque Pontificum in ea pręsidentium, in rebus Fidei, & Religionis Authoritatem prosecuti sunt, toti Orbi sępe sæpius demonstrarunt, adeò vt dixerit Baronius, Apostolicam Sancti Petri Sedem, cum sævioribus persecutionum fluctibus ageretur, tutissimum portum in pijssimis, religiosissimis, ac invictissimis Gallorum Regibus invenisse, ipsumque Francorum Regnum semper Romanis Pontificibus persecutione vexatis, & à Catholicæ Fidei, Sedisque Apostolicę hostibus oppressis, securissimum asylum, ac inexpugnabile propugnaculum extitisse.

929 Omitti non possunt ea, quæ à Baronio dicuntur, qui reflectens ad illa Gelasij II. verba, fugam in Gallias parantis: *Sequamur Patres nostros, quoniam bonum valde est, antiquos sequi parentes: Ita quidē (inquit) benè provocat Gelasius, vt audisti, ad antiquitatem. Siquidem vnicum illud vsitatum, tutum, certumque refugium fuit semper Romanis Pontificibus persecutione vexatis, Regnum Francorū, ipsos Francorum Reges adire, à quibus & dignè consuevissent suscipi, dignius retineri, atque dignissimè, cum facultas adesset, compressis hostibus, ad Romanam Ecclesiam revocari; adeò, vt siquis dicat, portum Romanæ Ecclesię fluctuantis Naviculæ Petri, Galliam esse, non mentietur.* Hinc Sugerius Abbas Sancti Dionisij in Ludovico hæc de nostrō Gelasio: *cum tyranide Imperatoris per Romanos à Sancta Sede Romanæ Ecclesiæ arceretur, ad protectionem Serenissimi Regis Ludovici, & Gallicanę Ecclesiæ compassionem, sicut antiquitus consueverunt, confugit.*

930 Optimè hùc expectant, quæ memoratu dignissima eruditus Gallicanus, Dominicus à Sancta Trinitate, supra laudatus, *hoc eodem sæculo* protulit, dicens: *Nec talis profectò Gallorum erga Sanctam Sedem, Summosque eius Pontifices vana fuit religio, sed illa, crevit semper Coronæ Gallicę maiestas, crescetque magis in dies, quanto maiorum Pietatem imitati Reges nostri Christianissimi, Pontificiæ Dignitati devotiùs se subiecerint, amandatisque sinistris omnibus in contrarium consilijs, in rebus Fidei, & Religionis, vt oves, Pastoris vocem, fideliter indubitanterque audierint.* Hęc ille.

931 Ad rem nostram non leviter conducunt, verba, quibus LVDOVICVS FRANCORVM REX piissimus, irrisit propositum à Magno Imperij Cancellario Rainaldo, Imperatoris Edictum ipsi piissimo Regi, his verbis expressum: *Mandat (inquit) vobis Dominus noster Fridericus Imperator Romanorum, & specialis Romanæ Ecclesię Advocatus, quod ad nullos Ecclesiarum Prælatos de causa electionis Romani Pontificis iuditium facere pertinet, nisi ad eos tantum, qui sub Romano Imperio existunt: Ideoque bonum videtur, & iustum, vt cum Episcopis, & Clero vestro ad eumdem Imperatorem tamquam amicum, & socium accedere, & illius sententiam audire debeatis.* Hæc Rainaldus.

932 Quibus auditis laudatus Ludovicus Francorum Rex, hæc verba æterna memoria dignissima, & pro Suprema Romanorum Pontificum super omnes Christiani Orbis Principes, & Reges Authoritate, aptissimè respondit: *Miror (inquit) prudentem virum vana mihi, & fabulosa verba misisse. An ignorat prædictus Imperator, quod Dominus noster IESVS CHRISTVS cum esset in terris Beato Petro, & per eum vniversis Successoribus eius, oves suas pascendas commisit? Nonne audivit in Evangelio ab eodem Dei Filio eidem Principi Apostolorum dictum: *Simon diligis me? Pasce oves meas.* Numquid sunt hic Francorum Reges, vel aliqui*

Præ-

Prælati exempti? An Episcopi Regni mei non sunt de ovibus, quas Filius Dei Beato Petro commisit? Et his dictis, vertit habenas equorum cum contemptu, &c.* *ex Actis Pontificatus Alexandri III.*

933 Quæ quidem, si attentè perpendantur, manifestè ostendunt piissimos illos, & Christianissimos Francorum Reges nihil antiquius, & æstimabilius habuisse, quam se ipsos, suumque Regnum Romanis Pontificibus subdere, ac humiliter submittere.

934 Singulare videtur exemplum illud, quod nobis præbuit CASIMIRVS REX (apud Longinum, qui eum Poloniæ Ducem appellat) qui cum quasdam pro bono sui Principatus, ac Regni moderamine instituisset leges, ob ferventissimum Zelum, egregiamque venerationem, qua Supremam Romani Pontificis Authoritatem prosequebatur, nullatenus eos promulgari permisit, quin prius ab Alexandro III. Pontifice approbationem, confirmationemque impetrasset: * Cuius confirmationis (inquit præfatus Author) pro rescindendo dubietatis scrupulo, exemplar subnectimus, cuius à nobis originale, in Ecclesia Cracoviensi conditum, sæpè, & attrectatum & visum est.*

935 Præclarè facit quod Arnoldus Lubecensis Abbas, *lib. 6. cap. vlt.* refert de Maguntino Archiepiscopo, & Sabinensi Antistite Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali in Legatione, qua functus est, vt Romani Pontificis nomine ARMENIÆ DVCEM Diademate Regio donaret; sic enim scribit: * Ipse enim Rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis populi Dei (in expeditione scilicet Terræ Sanctæ per Principes Christianos) & quia Dominus ad introitum omnes inimicos eorum terruisset, & quia gloriosè multa loca multa obtinuissent; missis nuntijs honoratis, cum muneribus non paucis, ipsos Principes devotè salutavit, & quanto desiderio ipsorum adventum expectaverit per scripta simul, & verba amplissima intimavit; paratissimum se dicens Romano subdi Imperio, si Coronam diù desideratam ab* ipsius mereretur suscipere Nuncio. Gloriatur Ecclesia Romana, quæ non solum in spiritualibus, sed etiam favente Christo, dilatatur in temporalibus, vt etiam Reges Transmarini hoc titulo affectent insignia :::: Viderint tamen illi, qui hac Dignitate neglecta, plus diminutionem, quàm * Romani Orbis attendunt dilatationem.* Hactenus Arnoldus.

936 Adnotavit rectè Baronius prædictum textum corruptum esse, ita vt vbi primùm pingitur stellula, expunctum fuerit nomen Romani Pontificis; vbi verò secunda, loco *Romani Orbis*, restituendum sit, *Romanæ Ecclesiæ*, vt ex antecedentibus, & consequentibus apertè deducitur. Et clarius innotescit ex Epistola, quam Cœlestino III. Innocentij III. Successori, Armeniæ Patriarcha Gregorius scripsit; cuius verba, etsi Supremam Romani Pontificis, & Apostolicæ Sedis Authoritatem mirificè commendēt, transcribenda hic prætermittimus, cum eam Epistolā dederimus, fol. 132. num. 773. & 774.

§. VI.

EX SAECVLO TERTIODECIMO.

937 PRo Suprema Romanorum Pontificum in Vniversali Ecclesia Authoritate eaque infallibili, vbi dubia Fidei ex Cathedra decreverint, audire libeat CHRISTIANISSIMVM GALLIARVM REGEM PHILIPPVM, ad Innocentium Papam III. ita scribentē: *Sanctissimo Patri, & Domino Dei gratia Sacrosanctæ Romanæ, & Vniversalis Ecclesię Summo Pontifici, charissimo consanguineo suo, Philippus eadem gratia Francorum Rex, Salutem, & tàm debitæ, quàm devotę subiectionis obsequium.*

937 Sic innumeri Principes, Episcopi, & Concilia alijs Romanis Pontificibus inscripserunt. Vnde si communi Regum, Regnorumque plausu Romani Pontifices sunt Vniversales Ecclesiæ Papæ; erunt & Vniversales, ac Supremi Iudices in maioribus causis, Fideique controversijs, & Infallibilitatis donum, præclarumque non errandi privilegium certissimè habebunt. Etenim cum Romano Pontifici tota Ecclesia obedire teneatur, si Pontifex, vt Vniversale Ecclesiæ Caput, ac Supremus Fidei Iudex aliquod Catholicum Dogma declarat; profectò illud à tota Ecclesia Catholica Fide tenendum erit: si verò aliquid tamquam Hæreticum respuat, illud etiam à tota Ecclesia erit reijciendum. Quare si Supremo Infallibilitatis dono insignitus non esset Pontifex, sed errori obnoxius, tota Ecclesia illi obediens posset adhuc in rebus

Fidei

Fidei in errores incidere: cum autem id apertè falsum sit, ac erroneum, necessariò vt Catholicum Dogma tenendum est, Romanum Pontificem privilegio non errandi in rebus Fidei condecorari.

938 Idipsum confirmat Epistola à DALMATIÆ REGE ad Innocentium Pontificem data, quę sic inscribitur: * Beatissimo, atque Sãctissimo Patri, ac Domino Innocentio, Dei gratia, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, & Vniversali Papæ, Vulcanus eadem gratia Diocliæ, atque Dalmatiæ Rex, Salutem, & devotionis affectum.*

939 Cum Coloniæ promulgata fuisset OTHONIS PRINCIPIS in Romanorum Regem confirmatio, hic Supremam Romani Pontificis Authoritatẽ agnoscens eidẽ Innocentio Pontifici his verbis scripsit: * Reverendissimo in Christo Patri, & Domino charissimo Innocentio, Dei gratia, Summo Pontifici, & Vniversali Papæ, Otho eadem gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, debitam devotionem, & fidelem subiectionem, &c.*

940 Plures GERMANIÆ PRINCIPES in litteris quibus Philippum Sueviæ Ducem, de Imperio deiectum perperam conquęruntur, quamvis acervo, & infenso forent animo, eumdem tamen Innocentium, eiusque Apostolicam Sedem consuetis gloriæ titulis, attenta Suprema, & vniversali Primatus eius Authoritate, ornare non prętermiserunt: *Sanctissimo (inquiunt) Patri, & Domino Innocentio, Sacrosanctę Romanæ Sedis Summo Pontifici Vniversali, Dei gratia Magdeburgensis, Bremensis Archiepiscopi, &c.*

941 Æquius conquæri poterat PHILIPPVS, SVEVIÆ PRINCEPS, qui cum Othone de Imperio præcipuè contendebat: nihilominus tamen Innocentio Pontifici magna Supremæ istius in Ecclesia Authoritatis veneratione scribens, hęc habet: * Item si nos in aliquo vos, vel Sacrosanctam Romanam Ecclesiam (quam, vt præmiserat, nos recognoscimus esse Matrem, & Dominam omnium Ecclesiarum, & quam nos semper revereri volumus, & honorare sicut Matrem nostram Catholicam, & Apostolicam) offendisse videmur; nos pro honore Domini nostri IESV CHRISTI, cuius vicem in terris geritis, & ob reverentiam Beati Petri, Principis Apostolorum, cuius Vicarius estis, & ob salutem nostram nos ad satisfaciendum Vobis supponimus; si verò Vos in aliquo nos, vel Imperium læsisse videmini, conscientiæ vestrę super ijs Vos relinquimus. Cum enim nos piè credamus, & ante Passionem, & post Passionem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM Beato Petro Apostolo Claves Regni Cœlorum contulisse, & tradidisse ius ligandi, atque solvendi, scimus, & protestamur, quod Vos, qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in huiusmodi articulis ab homine non estis iudicandùs, sed iuditium vestrum soli Deo reservatur, cuius iudicium & examen, quod sibi soli debetur, nobis non quærimus vsurpare.* Hæc ille.

942 Ad nostrum etiam institutum pertinent verba, quibus ARMENIÆ PATRIARCHA, ipsi Põtifici Inocentio III. scripsit cum eodem vniversalis Ecclesię Pontificis titulo, quo Dalmatiæ Rex eundem Innocentium veneratus fuerat, salutans, alijsque nominibus summam venerationem, agnitionemque supremi, & vniversalis in Ecclesia Magisterij præseferentibus, condecorans: * Post Deum (inquit) qui est Caput omnium bonorum, Apostolicam Sedem tenenti, & summo Capiti totius Ecclesiæ, & totius terrenæ Sedis Magno Christo Confessori, primę domui hospitalitatis totius populi, & religionis, & Successori Beati Petri, maioris nati post Christum Principis, & Patris totius Mundi, sedenti secundum Deum, & portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, & vniversali Papę Summæ Sedis Romanę Vrbis, qui imperiali triũpho vniversũ Mũdum suo subiugavit dominio, & nostro in Christo Patri spirituali, tantæ civitatis gloria sublimato, Gregorius minimus, Episcopus Catholicus omnium Armeniorum, peccator, & servus Fidelium Christi.*

943 Pro maiori huius veritatis munimine notanda est Epistola, quam ad Pontificẽ Innocentium III. dedit CALO IOANNES BLANCORVM, BVLGARORVMQVE PRINCEPS, ipsi expones ardentissimum desiderium, quo sui Regni, istiusque Ecclesiarum cum Romana in Fide, & Religione vnionem exoptabat: cuius verba magnam venerationem & honorem, quo supremam, ac vniversalem Apostolicam Authoritatem prosequebatur, apertissimè ostendunt, sed quia eam retulimus, *fol.* 134. hic duximus omittendam.

Nec

944 Nec minoribus laudum præconijs supremam Apostolicam Romani Pontificis Authoritatem, & vniversale istius in tota Ecclesia Magisterium celebravit LESKVS, POLONIÆ DVX *in Epistola*, quam Pontifici Honorio III. scripsit; sic enim loquitur: * Omnes quos aqua Baptismatis in vnitate Ecclesiasticæ disciplinæ solidavit, scire debent, & confiteri, Sanctam Romanam Ecclesiam esse totius Orbis Magistram, & Dominam. Nam vt ex instructione Patrum nostrorum Episcoporum, & aliorum Ecclesiæ Rectorum didicimus, quod hæc Ecclesia est Mater nostra, quæ ex vberiori iure, cęlitus sibi concesso, in solvendo, & ligando plenitudinem habet potestatis.*

945 At quod supremam Romanorum Pontificum Authoritatem apertissimè demonstrat, est, ipsam non modo à Catholicis, sed ab ÆTHNICIS etiam PRINCIPIBVS Evangelica luce destitutis evehi, extolli, ac mirificis pręconijs decantari, vt videri potest in Sultanorum Epistolis, quæ habentur *in Pontificatu Gregorij IX. lib.* 8. Ibi enim extat *Epist.* 443. ALATINI SVLTANI ICONII cum hoc titulo: * Sanctissime & Angelis æqualis Archiepiscope Magnę Romæ, & Magne Papa omnium per Orbem terrarum Christianorum.*

946 In Pontificatu Innocentij IV. *lib.* 3. *Epist.* 29. legitur alia SVLTANI ÆGYPTI, cum hac inscriptione: *Præsentiæ Papæ, Nobilis, Magni, Spiritualis, Affectuosi, Sancti, Tertijdecimi Apostolorum, vniversalis loquelæ Christianorum manutenentis, adoratoris Crucis, Iudicis populi Christiani, Ductoris filiorum Baptismatis, Summi Pontificis Christianorum: * Aliæ huiusmodi Epistolæ reperiuntur in eodem Innocentij Pontificatu, *lib.* 4. vbi sunt *Epist.* 115. 116. 117. & 118. Quæ omnes apertè probant huiusmodi Principes, cum acerrimi Ecclesiæ hostes extiterint, nullatenus Romanos Pontifices his nominibus, Supremam in terris Authoritatem præseferentibus, salutaturos, ni id vniversali Traditione, & communi Ecclesię vsu in ipsa receptum esse intellexissent.

947 Cum Romanus Pontifex Vrbanus IV. Crotoniensi Episcopo, Nicolao Legationem ad IMPERATOREM MICHAELEM PALEOLOGVM dedisset, ipsique Imperatori Christianam Fidem amplecti exoptanti præcipuos Fidei Articulos, quibus debebat edoceri, scriptos misisset, respondit Imperator, qui tunc Constantinopoli degebat, se & ad Catholicam Fidem profitendam, & ad omnes sui Imperij Ecclesias Apostolicæ Sedi, Romanoque Pontifici subijciendas, paratum esse, ac promptum, Romanumque Pontificem Principatum super omnes Sacerdotes habere, Doctoremque esse summum vniversalis Ecclesię, necnon loco Petri à Deo esse omnibus Ecclesijs prælatũ, constanter affirmat: *Cęterum (inquit) Vestrã Sanctã Paternitatem rogamus, quatenus sicut Princeps omnium Sacerdotum, & vniversalis Doctor Catholicę Ecclesię, sollicitetis continua promptitudine, ad reuniendum eamdem Ecclesiam amodò, cui loco Beati Petri, Deus præcipuè Vos præfecit, quia iam & nostram tranquillitatem, ad hoc peragendum, Sanctitas Vestra habet.*

948 Pro Suprema Romani Pontificis Authoritate non leviter facit Epistola, quam ipse Imperator Paleologus Gregorio X. Pontifici scripsit, quamque eius Nuntij, Pontifici, Lugdunensi Concilio Præsidenti, exhibuerunt; in illa enim Imperator hæc, inter alia, in sua Fidei Professione, scribit: * Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum, & plenum Primatũ, & Principatum, super vniversam Ecclesiã Catholicã obtinet; quẽ se ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit; & sicut prę cęteris tenetur Fidei veritatem defendere, sic & si quę de Fide subortę fuerint quęstiones, suo debent Iudicio definiri; ad quem potest gravatus quilibet super negotijs ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare, & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest Iudicium recurri, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subiectæ, ipsarumque Prælati obedientiam, & reverentiam sibi dant. Apud hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales præcipuè, diversis privilegijs eadem Romana Ecclesia honoravit: sua tamen observata prærogativa, tum in Generalibus Concilijs, tum in aliquibus alijs semper salva. *Cum hæc, inquam

quam, ad verbum ex prefata Fidei Professione, in suis ad Gregorium Litteris protulisset Imperator, mox subdit: *Primatum quoque eiusdem Sanctę Romanę Ecclesiæ, sicut in præmissa serie continetur, ad ipsius Sanctę Ecclesię obedientiam spontaneam venientes, confitemur, & recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus.*

949 GRÆCORVM IMPERATOR, ANDRONICVS, ex Imperatoria Comnenorum familia, in Epistola, quę grecè scripta extat in Bibliotecha Palatina, ex Coccio, apertè fatetur, Romanum Pontificem esse vniversale totius Ecclesię Caput, supremumque illius in rebus Fidei Iudicem; seque & infallibili Authoritate potiri; cuius verba hæc sunt: * Hæc similiter Sacrosancta Romana Ecclesia, supremum, absolutũque Principatũ, Potestatẽque super vniversam Ecclesiã Catholicã habet: quam quidem Potestatem in se ipsa iure & humiliter agnoscit esse, atque accepisse cum plena Authoritate ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe, ac Vertice, cuius Romanus Pontifex est Successor. Et quemadmodum præter alias Ecclesias habet Potestatem de Fide iudicandi; sic & quę de Fide subortæ fuerint quæstiones, huius Iudicio dissolvendę sunt. Ad hanc vnusquisque vexatus provocare potest, & in omnibus causis, quæ ad examen Ecclesiasticum spectant, ad huius Iudicium potest quisque recurrere. Et huic omnes Ecclesiæ sunt subiectę.*

§. VII.

EX SÆCVLO DECIMOQVARTO.

950 CONsonat gratulatoria Epistola, quam CHRISTIANISSIMVS REX PHILIPPVS PVLCHER *ad Benedictum II. Bonifacij VIII. Successorem* scripsit; sic enim exorditur: * Sanctissimo Patri Domino Benedicto, Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ, ac Vniversalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Philippus Dei gratia Francorum Rex, devota pedum oscula, &c.*

951 HENRICVS VII. in professione Fidei, quam consecratus Imperator edidit, hęc ad Romanæ Ecclesiæ, & ipsius Antistitis Supremam Authoritatem habet: * Sanctam Romanam Ecclesiam sicut Matrem, & ipsius Sedis Antistitem, tamquam Christi Vicarium, & Beati Petri Apostoli Successorem veneramur, & precipimus à cunctis ex debito venerari. Ipsam enim Romanam Ecclesiam in Spiritualibus, Divinæ Providentię altitudo Vniversis dispositione incommutabili Ecclesijs prætulit, & totius Orbis laurea precipua insignivit, & ideò hanc esse omnium Ecclesiarum Caput, & Patrum regulæ, & Principum Statuta declarant, ac Serenissimi nostri testantur affatus.* Ex manu scripto Vaticanó, apud Bsovium *tom.* 14.

952 PRINCEPS MICHAEL CATHARVS, Gręcorum Imperatoris Andronici ex filio nepos, quem Ioannes XXII. ad Ecclesiæ vnionem recepit, in Fidei Professione, quam emisit, Romanam Ecclesiam esse Matrem omnium Christi Fidelium, Romanumque Pontificem esse Caput, Pastorem, & Vniversalem Antistitem, atque adeò Episcoporum Principem, dissertis verbis pronunciavit, seque in Romanę Ecclesiæ vnione, ac Romani Pontificis obedientia fore, spopondit. *Ciaconius in Ioanne XXII.* Et *Odoricus Reynaldus.*

953 Ex quibus verbis, cum Pontifex iuxta prædictum Principem, sit omnium Fidelium, omniumque Ecclesiarum in rebus Fidei Magister, apertè deducitur, ipsum habere Privilegium in rebus Fidei non errandi: cum enim Ecclesia Romano Pontifici parere, illiusque Doctrinam amplecti teneatur; si Pontifex posset à recto veritatis, & Fidei tramite deviare, posset & tota Ecclesia vnà cum ipso in errorum scopulos incidere, quod quam falsum, & non ferendum sit, nemo est, qui non videat, nemo qui non agnoscat.

954 Idipsum in sua Fidei Confessione preclarè confirmat IOANNES CANTACVZENVS, IMPERATOR PIISSIMVS, qui Constantinopolitano Imperio deposito, sub Divi Basilij vexillo mirificè meruit. At cum Imperij clavum tenuit, se se acerrimum, ac prestantissimum infallibilis Magisterij, Supremęque Authoritatis, quam in Romano Pontifice adstruimus, tutorem, propugnatoremque, non sine ingenti admiratione exhibuit, vt testatur Gregorius II. in Epistola ad ipsum Imperatorem data, quinto kalendas Februarij, Pontificatus anno 5. in qua sic scribit: * Quia Venerabilis Frater noster Ioannes, Episcopus Tarbitiensis, lator

tor præsentium nobis exposuit, quod in quadam disputatione, quam nuper tu, & quidam alij Græci, tàm Prælati, quàm alij, cũ quibusdam Fratribus Ordinis Prædicatorum, quos ad partes Armeniæ Maioris, ad conservationem Fidelium, & conversionem Infidelium dictarum partium mittebamus, super his, in quibus Græci à Latinis discordare noscuntur, in Civitate Constantinopolitana habuistis, non immemor verbi Salvatoris nostri, qui dixit Beato Petro (cuius sumus Divina Permissione Successor) *Tu es Cephas*; spontè confessus es, te credere, & tenere Sanctam Romanam Ecclesiam, quę Mater est omnium Fidelium, & Magistra, super omnes Orbis Ecclesias obtinère Primatum: & quod ad hoc defendendum, si expediret, morti exponeres corpus tuum; cuius quidem Episcopi, vti Fide digni, relationi huiusmodi, nos Fidem indubiam adhibentes, quàm plurimum sumus de dicta Confessione lętati, agentes Deo gratias, qui cordi tuo est dignatus infundere, vt verbum tàm bonum, tàmque salutiferum eructaret.* Hæc ille.

C A P. XI.

PRO EADEM INFALLIBILI Romanæ Sedis Suprema Authoritate, adducuntur varia Summorum Pontificum testimonia.

955 QVamquam Suprema Romani Pontificis in rebus Fidei, & Religionis Authoritas, ex hucvsque dictis satis videatur suffulta, cum à celebrioribus ferè in omnibus Sęculis Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & Prælatis adstruantur, eamque tot Synodalia, Nationalia, & Generalia Concilia in omnibus temporibus celebrata agnoscant, ac eam tandem Reges, & Imperatores, præcipua totius Christiani Orbis Capita, venerentur, qui vnanimi omnium consensu de prædicta infallibili Romanorum Pontificum Authoritate singulari semper reverentia, honore, summaque acceptatione, & approbatione loquuti sunt, adeò vt in prędictæ Authoritatis laude, & cõfirmatione; celebrioris ingenij, sũmæq; Sapiẽtię fontes exhausti esse videantur; robustiores nihilominùs vires nostrum accipiet argumentum, si ei Supremum Authoritatis gradum superaddamus, Romanorum nempè Pontificum Decreta, qui vt Vicarij Christi, vt Divi Petri Successores, vt Suprema Ecclesiæ Capita, quibus Supremi Orbis Principes subijciuntur, ac tandem, vt Divina veritatis Oracula, suæ tam altę, Supremęque Dignitatis plenitudine superiorem, indefectibilioremque probationem nobis subministrabunt ad probandum communem vsum, vniversalemque consuetudinem, qua semper Ecclesia, tamquam infallibilem Fidei veritatem suscepit id, quod Summi Pontifices ei ex Cathedra tradiderunt, vt innotescet ex ipsorum Pontificum rescriptis, quibus ipsi in rebus Fidei, & Religionis Ecclesiam semper instruxerunt, Catholicasque, ac infallibiles veritates semper eam docuerunt, itaque eas vt tales singulari semper acceptatione amplexa est, ac in omnibus Sæculis præcipuo eas honore venerata executioni mandavit.

§. I.

EX SÆCVLO SECVNDO.

956 PAcem pręferat S. ANACLETVS PONTIFEX, qui *in circulari Epistola ad omnes Ecclesias* missa, hanc veritatem ostendit, cum inter alia ad Epistolæ calcem hæc scribit: * Quod si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam (si appellatum fuerit) referantur; quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Salvatoris, vt maiores, & difficiliores quęstiones, semper ad Sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus Vniversam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad Beatum Principem Apostolorum Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et reliqua.* Hæc ille. Cum igitur graviores quæstiones illæ proculdubiò sint, quę ad Fidem, Religionem, & Ecclesiasticum pertinent cultum; hinc necessariò deducitur, à nobis pro earũ Decisione infallibili, iuxta Christi pręceptum, provt prędictus Pontifex censet, esse ad Romanam Ecclesiam, eiusque Caput, Romanum nempè Pontificem, recursuros; quod nequit esse, absque eo quod in Supremo definiente sit Infallibilitatis, seu

ſeu non errandi in Fide privilegium.

957 Idem, eſto diverſis verbis, cenſet EVARISTVS PONTIFEX, *Epiſt. 1. ad Africanam Eccleſiam*, dicens: *Siquidem dilectio Veſtra normam ſequuta prudentium, ad Sedem Apoſtolicam referre maluit, quaſi ad caput, quid deberet de rebus dubijs cuſtodire, potius quam vſurpatione præſumere.*

958 Anacleto expreſsè conſonat PONTIFEX ALEXANDER I. *Epiſt.* namque 1. ſic ſcribit: *Relatum inſuper eſt ad huius Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis Apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnium negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad Caput, ipſoque dicente Principi Apoſtolorum Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.**

959 Id ipſum comprobant, quæ PONTIFEX PIVS I. ſcribit, dum inquit: *Chriſtus hanc Sedem Apoſtolicam omnium Eccleſiarum Caput eſſe præcepit, ipſo dicente Principi Apoſtolorum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.**

960 Et PONTIFEX ANICETVS, *Epiſt. vnic.* ait: *Ad ſe pertinere omnia Epiſcoporum iudicia terminare.* Si ergo omniũ Supremum cauſarũ Iudicium ad Romanũ Põtificẽ ſpectat, cum illarũ multę, & pręcipuæ ſint in rebus Fidei, Religionis, & cultus, vtique ad ipſum pertinebit, illiuſq; proprium erit, eſſe ſupremum Iudicem, vt res Fidei, & Religionis Infallibili definitione decernat.

§. II.

EX SAECVLO TERTIO.

961 PRo infallibili Romani Pontificis Authoritate egregiè facit S. ZEPHIRINI PAPÆ, & MARTYRIS Sententia, qui *Epiſt. 1. ad omnes Sicilienſes Epiſcopos* data, docet: *Iudicia Epiſcoporum, maioreſque Eccleſiæ cauſas (quas inter primas tenent Fidei controverſię, Catholicarum veritatum Definitio, hęreſumque condemnatio) à Sede Apoſtolica, & non ab alia, ſicut Apoſtoli, & Sancti Succeſſores eorum ſtatuerunt, cum alijs Epiſcopis eſſe terminandas: quia licet in alios transferantur Epiſcopos, Beato tamen Apoſtolo Petro dictum eſt: *Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis: & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.**

962 CALIXTVS I. PONTIFEX, *Epiſt. 1. ad Benedictum Epiſcopum*, de Temporibus Ieiuniorum, & criminationibus Doctorum, ex loco *Matth. 16.* Romanam Eccleſiam totius Eccleſiæ Caput appellat, & ad ipſam Vniverſale Magiſterium pertinère affirmat; & tandem in fine illius Epiſtolæ: *Memor enim ſum (inquit) me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cuius à Domino IESV CHRISTO eſt glorificata confeſſio, & cuius Fides omnes deſtruit errores; & intelligo, alitèr mihi non licere, quam vt omnes conatus meos ei cauſæ, in qua Vniverſalis Eccleſiæ ſalus infeſtatur, impendam.*

963 FABIANVS PONTIFEX, *Epiſt. 1.* infallibili Eccleſiæ Authoritati, & Vniverſali illius Magiſterio, quod ad Romanum Pontificem in rebus Fidei, & Religionis pertinère tuemur, graviſſimis hiſce verbis patrocinatur. *Dilectiſſimis vbique Catholicę Eccleſię Comminiſtris (inquit in Epiſtolæ titulo, quam ſic proſequitur) Divinis præceptis, & Apoſtolicis monemur inſtitutis, vt pro cunctarum Eccleſiarum Statu, impigro vigilemus affectu. Vnde conſequens eſt, debere vos ſcire, quę apud Romanam in Sacro aguntur Ritu Eccleſiam, vt eius ſequentes exempla, eius veri filij inveniamini, quæ Veſtra eſt Mater vocata.*

964 Id ipſum clariùs, & expreſſiùs cenſet, & affirmat *in Epiſtola 2. ad omnes Orientales Epiſcopos, & in 3. ad Hilarium Antiſtitẽ*, vbi de ſe aſſerit: *Ob hoc Divina gratia fuiſſe ad Sacerdotale faſtigiũ provectum, & in quadam Sacerdotum Dei ſpecula conſtitutum, ad prohibendum illicita, & docendum ſequenda.* Quę omnia in vniverſali Eccleſiæ Magiſtro, ſupremoque in rebus Fidei Iudice, ſine Infallibilitatis dono, privilegioque non errandi ſubſiſtere non poteſt; ſi enim à Supremo Fidei Iudice privilegium illud abeſſet, proculdubio Eccleſia maximis plurimorum errorum periculis eſſet obnoxia, quod de Divina Providentia, qua eam Spiritus Sanctus medio viſibili totius Eccleſiæ Capite, Romano nempe Pontifice, ſpeciali ſua aſſiſtentia gubernat, nullatenùs credendum videtur.

965 Nec obſtat dicere: verum quidem

dem esse, Romanos Pontifices habere Infallibilitatis donum, Privilegiumque non errandi ad Catholicas veritates definiendas, hæresesque oppositas in tota Eclesia damnandas: at ipsos prędictum Privilegium non habere extra Conciliun, sed vt sunt capita Ecclesiæ, in Generali Concilio congregatæ. Non, inquam, obstat; quia vt ex ijs, quę infra fusius dicemus, apertè innotescet, id nulla ratione, nulloque fundamento fulciri, certum enim est, tribus illis prioribus Ecclesiæ sæculis, vtpotè Pretiosissimo Sanguini, quem Christus pro Ecclesia sua generosè profudit, vicinioribus, Apostolicum Zelum, Fidem, Religionem, hęresumque (quas antiquus humani generis hostis in amęnissimo, ac fœcundissimo Ecclesiæ agro in istius primordijs superseminabat) extirpationem, ob infinita Pretiosissimi Sanguinis IESV CHRISTI merita, mirabiliter floruisse: cumque certissimum etiam sit, primis illis trecentis annis inumeras hæreses fuisse damnatas, numquam prædictæ hęresum damnationes in Generalibus Concilijs promulgatę sunt. Cum enim infideles Principes, qui toti tunc dominabantur Orbi, numquam Catholicos generaliter congregari permitterent, nulla tunc Generalia celebrata fuere Concilia. Sola ergo tunc infallibili Romanorum Pontificum Authoritate, soloque non errandi Privilegio, Pōtificiæ Dignitati annexo, infallibiles Fidei veritates statuebantur, oppositę hęreses damnabantur, semperque illorum temporum Catholici omnia Decreta, quæ in rebus Fidei, & Religionis à Romano Pontifice emanabant, Infallibilia ducebant, ea que vt talia debito honore, ac veneratione prosequebantur; certissimè enim agnoscebant Romanum Pontificem, vti supremum Ecclesiæ, Religionisque Caput, eis securitatem ad credendum, ac mandatis obtemperandum, indefectibili sua Authoritate elargiri.

966 Hanc veritatem mirificè nos docet S. LVCIVS PONTIFEX, ET MARTYR, *in Epistola, quam ad Hispaniarum, Galliarumque Episcopos scripsit*; ibi enim versus finem, hæc habet: * Hæc Sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum, Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ Traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed vt in exordio normam Fidei percepit, ab Authoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus manet, secundum ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, qui discipulorum suorum Principi in suis fatus est Evangelijs: *Petre* (inquiens) *ecce Satanas expetivit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Consideret itaque vestra excellens prudentia, quam bonum sit persistere in dispensatione nobis credita, & in Fide recta, atque hęreticis, & æmulis Christi repugnare, & numquam à veritatis tramite declinare: quoniam Dominus, & Salvator omnium, cuius Fides est, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos suo redimit sanguine, Fidem B. Petri numquam defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum. Quorum & pusillitas mea, licet impar, & minima, pro suscepto tamen, divina dignatione, ministerio, pedisequa cupit existere.*

967 Huc spectat SIXTI II. PONTIFICIS Epistola, qui ad Gratum quemdam Episcopum scribens, cum in principio dixisset: *Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino nostro IESV CHRISTO est glorificata confessio, & cuius Fides nullum vmquam fallit, sed omnes quidem hæreses destruit. (Postea versus medium subdit:) De cætero tuam moneo Dilectionem, vt cunctos, quos errore cognoveris, ad Catholicam Fidem, & ad vnitatem rectè credentium convertere studeas, & tu numquam ab Apostolico tramite recedas. Si autem te non audierint, & errantes, quod absit, permanserint, nobis eos manifestare, quàm citius poteris, non tardes, vt Apostolica Authoritate, aut citò ad Ecclesiam convertantur, aut ab Ecclesia separentur.*

968 In eundem scopum collimant DIONYSII PONTIFICIS, verba *ad Severum Episcopum*, sic scribentis: *Olim, & ab initio tantam percepimus à Beato Petro, Apostolorum Principe, fiduciam, vt habeamus Authoritatem vniversali Ecclesiæ, auxiliante Domino, subvenire: & quid-

quidquid nocivum est Authoritate Apostolica corrigere, & emendare. (Et infra subdit:) Vnumquodque tunc salubritèr completur officium, cum fuerit vnus, ad quem possit recurrere Prępositus.*

969 Pro hac etiam re præclarè facit *Epist.* 1. quam SANCTVS FELIX PONTIFEX, ET MARTYR, ad Paternum scripsit; in illa enim *ius appellandi ad Romanum Pontificem*, expressè asserit. Facit etiam 3. eiusdem *ad Benignum Episcopum Epistola*: in principio enim sic scribit: * Suscipientes Fraternitatis tuæ Epistolas, quibus me requisiisti super Fidei documentis, quę ab alijs habebantur alitèr, quàm rectæ Fidei contineant Sacramenta, prout Dominus dedit pro fraternitatis amore, respondere non reluctavimus. Semper enim dubia, & maiora negotia, terminum ab hac Sancta Sede, à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueverunt. Et ideo tu rectè fecisti, qui huius Sanctæ Sedis consultis, te cæterosque firmari, & instrui voluisti.*

970 Deinde versus finem, ait: * Hæc Sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis Gratiam a tramite Apostolicæ Traditionis numquam errasse probatur, nec ab hæreticis novitatibus depravanda succubuit, secundum ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem: *Petre, ego pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua.**

971 Nec solus Sanctus Pontifex Felix, Cathedrę Divi Petri Privilegium, istiusque vniversale super totam Ecclesiam in rebus Fidei, & Religionis, ideoque Infallibile, Magisterium elegantèr probat, sed id ipsum eodem sæculo mirabilitèr confirmat Gloriosus S. CAIVS, *ad Felicem Episcopum*, in qua sic scribit: * Et quamvis sonus eorum toto Orbe diffusus, & vsque ad fines Orbis terræ verba eorum (nimirum Apostolorum) distensa, dilectionis tuæ corda Christo probaverunt esse fidelia: tamen si quid ex ijs in Ecclesia, quæ tuę gubernationi (Domino auxiliante) commissa est, necdum plena luce claruerit, ad eumdem fontem, de quo illa salutaris manarat lympha, recurritis, idest, quod debita Charitate sumus amplexi: quia fiducialitèr de his, vnde apud vos observantiam esse dixistis ambiguam, nostra voluistis responsione firmari. Quapropter Dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis, quid iuxta Catholicam disciplinam teneat Apostolicæ Sedis Authoritas, subiectis aliquibus etiam Sanctarum Capitulis Regularum, te credimus instruendum.*

972 Si autem Summus Pontifex Infallibilem in rebus Fidei ex Cathedra proponendis, Authoritatem absolutè non haberet, non esset vnde eius responsione firmarentur, illum consulentes in dubijs Fidei, vt hic testatur Caius; cum igitur semper ad Sedem Petri, tamquam ad arcem veritatis in dubijs Fidei Quæstionibus recursum fuerit, dicendum est illam maiorem præ cæteris habere certitudinem in illis definiendis, fratribusque confirmandis, quæ alia esse non potest, quam Infallibilitatis perrogativa, Divinitùs illi concessa, qua non potest, non verè docere, nec non conformiter ad Fidei regulas instruere.

§. III.

EX SÆCVLO QVARTO.

973 EGregium, & efficacissimum infallibilis Authoritatis in rebus Fidei, & Religionis argumentum suppeditabunt Sanctissimi illi Romani Pōtifices, qui hoc quarto Sæculo floruere. Adsit omniū antesignanus S. MARCELLVS I. qui *Epist.* 1. *ad Anthiochæ Provinciæ Episcopos*, explicans illa Christi verba, *Matth.* 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, hæc scribit: * Eius enim Sedes primitùs apud vos fuit, quæ postea, iubente Domino, Romam translata est, cui adminiculante gratia Divina, hodierna præsidemus die. Nec ab eius dispositione vos deviare oportet, ad quam cuncta maiora Ecclesiastica negotia, Divina disponente gratia, iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsere principium. (Et paulò infrà:) Apostolos, eorumque Successores, inspirante Domino, constituisse, vt nulla Synodus fieret pręter eiusdem Sedis Authoritatem.*

974 Consonat *Epistola*, quam MELCHIADES PONTIFEX *ad omnes Hispaniæ Episcopos*, de Iudicijs Episcoporum, maioribusque causis, ad Apostolicam Sedem deferendis, circa principium, his verbis scripsit: * Episcopos nolite iu-

iudicare, nolite condemnare absque Sedis huius Authoritate. Quod si feceritis, irrita erunt vestra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim Privilegium huic Sanctę Sedi, à temporibus Apostolorum, statutum est servare, quod illęsum manet vsque in hodiernum diem. Episcopos ergo, quos sibi Dominus tamquam oculos elegit, & Columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi, & solvendi dedit potestatem, suo Iudicio reservavit, hocque Privilegium Beato Clavigero Petro, sua vice, solummodo commisit. Quod eius iustè pręrogativum subcrescit Sedi, futuris hęreditandum, atque tenendum temporibus; quoniam & inter Beatos Apostolos fuit quædam discretio potestatis. Et licet cunctorum par electio foret, Beato tamen Petro concessum est, vt alijs præmineret, eorum, quæ ad quærelam venirent, causas, & interrogationes prudenter disponeret. Quòd Dei Ordinatione talitèr ordinatum esse credimus, ne omnes posterorum cuncta sibi vindicarent, sed semper maiores causæ, sicut sunt Episcoporum, & potiorum curę negotiorum, ad vnam Beati Principis Apostolorum Petri Sedem confluerent, vt indè suscipiant finem iuditiorum, vnde acceperunt initium Institutionum, ne quandoque à suo discreparent Capite.*

975 Quibus verbis elegantissimè agit dę Suprema, & Vniversali Authoritate, qua res Fidei, aliæque maiores Ecclesię; finalitèr terminandæ sunt: cumque Suprema hæc Authoritas nulla alia sit, quam Pontificia Cathedræ Divi Petri Potestas, proculdubiò prædictum Infallibilitatis donum potestati illi, & Authoritati erit annexum. Vt enim suprà probavimus, cum Supremo Ecclesiæ in rebus Fidei Magisterio indispensabiliter connectitur infallibilis certitudo, qua Supremi Ecclesiæ Iudicis, vnicique in rebus Fidei, & morum Capitis, Sanctissimis Decretis, ac æquissimis Statutis obtemperandum est.

976 Luculentissimum huius veritatis testimonium nobis exhibet SVMMVS PONTIFEX MARCVS, *in Epistola*, quam *Sancto Athanasio*, *cæterisque Ægypti Episcopis* scripsit, post cuius principium hæc inter alia leguntur: *Et Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, & Beato Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit, sine vlla hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistet.*

977 Idipsum confirmat *prima & secunda Epistola*, quam IVLIVS PRIMVS PONTIFEX, *ad Orientales Episcopos* scripsit, ipsis demonstrans, Romanam Ecclesiam primam esse, cui iure competit Synodos, Generaliaque Concilia congregare, Episcopos iudicare, gravioresque Ecclesiæ causas decidere. * Ipsa namque (inquit Pontifex) omnibus maior, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodo Canonum, & Sanctorum Patrum Decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce, singularem obtinuit Principatum. *Tu es* (inquiens) *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.*

978 Et vlteriùs progrediens ipsos coarguit excessus, & audaciæ, qua Supremam potestatem sibi per summam iniuriam vendicabant, dicens: * In quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si vnde Consecrationem honoris accipitis, inde legem totius Observantię sumeretis: & Beati Petri Apostoli Sedes, quæ vobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esset Ecclesiasticæ Magistra rationis.* Quæ repetit in Rescriptis datis pro Sancto Athanasio, cęterisque Episcopis, quos Orientales Antistites iniustissimè condemnarant.

979 Vniversali etiam Ecclesiæ in rebus Fidei Magisterio præclarè suffragatur LIBERIVS PONTIFEX, *in Rescriptis ad Sanctum Athanasium*, *cæterosque Ægypti Episcopos* directis; in illis enim sic loquitur: *Olim, & ab initio tantam percepimus à Beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus Authoritatem pro Vniversali Ecclesia, ad rectam defendendam Fidem, quatenùs nulli liceat Statum Sanctæ Ecclesiæ commovere ad læsionem rectè credentium absque periculo sui honoris.* Idipsum confirmant duæ elegantissimę, & gravissimæ Epistolæ, altera Damasi Papæ I. altera Felicis Pontificis *ad Athanasium*, *cæterosque Ægypti Episcopos* data.

980 At notatu dignissima est 3. *Epistola*, quam ipse PONTIFEX DAMASVS *ad Archiepiscopum Stephanum, & ad Africæ Concilia* scripsit; in illa enim quidquid pro Romanorum Pontificum Authoritate infallibili dici potest, mirificè com-

comprehenditur, dicens: * Scitis, fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam Sedem esse constitutam, & Verticem Ecclesiarum. Tu es enim, sicut Divinum pronunciat Verbum veraciter, Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ Columnæ, qui Episcopi intelliguntur, confirmatę sunt; & tibi Claves Regni Cœlorum commisi, atque ligare, & solvere potestatem, quæ in Cœlis sunt, & quæ in terris, promulgavi. Tu profanatorum hominum, & membrorum meorum, maximèque Discipulorum meorum existis, vt Princeps, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatæ Fidei, cuius vice hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, & omnes huius Sanctæ Sedis Præsules eius vicem gesserunt, gerunt, & gerent. Ideò omnia, quę innotuistis, non licere mandarem, nisi Vos tam plenitèr instructos esse scirem, quod cuncta, super quibus consulitis, illicita esse non dubitetis.

981 Discutere (prosequitur ipse) namque Episcopos, & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas Metropolitano, vnà cum omnibus suis Comprovincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotijs, licet: sed definire eorum, atque Ecclesiasticarum summas quærelas causarum, vel damnare Episcopos, absque huius Sanctę Sedis Authoritate, minimè licet, quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio, oportet. Nam, vt nostis, Synodum sine eius Authoritate fieri, non est Catholicum: nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitè damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quę non sunt fulta Apostolica Authoritate.*

982 Quod iterum confirmat ipse Pontifex Damasus, *in 5. Epistola*, in qua de Ariminensi Concilio loquens, hæc scribit: * Patrum Sententiæ in Nicæa constitutæ, præiudicium aliquod fieri non potuisse per numerum Arimini congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum, cuius ante omnia decebat eos expectare Decretum, neque alios talibus prębuisse consensum.*

983 Nec pro Infallibili Romanorum Pontificum Authoritate prętermitti potest Romani Concilij hoc eodem sæculo sub Sancto SILVESTRO PONTIFICE, in Traiani Thermis Celebrati, Decretum, postquam Constantinus Imperator in æternam vitam renaturus, salutaribus vndis immersus est, & ad Catholicam Fidem admissus; *in illo enim Concilio* statuitur: * Vt nemo diiudicet Primam Sedem, quoniam omnes Sedes à Prima Sede desiderant temperari: neque quoque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque a Populo Iudex iudicetur.*

984 Eodem tempore, anno nempe 325. iuxta probabiliorem sententiam, Primum Generale Nicænum Concilium, Sancti Sylvestri Pontificis, Authoritate congregatum fuit, illiusque Decreta, Apostolica prædicti Pontificis Authoritate, omnibus illius Concilij Patribus humiliter postulantibus, confirmata sunt: * Id omnino prohibente (vt ait Socrates, *lib. 2. cap. 13.*) Canone Ecclesiastico, ne Decreta absque sententia Episcopi Romani, Ecclesijs sancirentur.* Cum igitur id moris in Ecclesia vniversaliter inoleverit, vt Romani Pontifices Conciliorum Decreta sua Authoritate confirment; cumque vniversalis huius consuetudinis nullum ab Apostolorum temporibus agnoscatur initium, indispensabiliter deducitur, prædictum vsum esse Apostolicam Traditionem, & in ista ipsum non errandi Privilegium, in rebus Fidei definiendis, esse proculdubio inclusum. Si enim quod maiori gaudet Infallibilitate in rebus Fidei definiendis, adhuc iuxta ipsos, quos impugnamus, Authores, sunt Fidei Decreta, quæ in Generalibus Concilijs statuuntur; si ista vt supremæ Infallibilitatis gradum attingant, iuxta Apostolicam Traditionem, vniversalemque Ecclesiæ consuetudinem, in omnibus sęculis observatam, à Romano Pontifice confirmari exigunt, & exposcunt; rectè hinc deducitur Romanos Pontifices habere Infallibilitatis donum, Privilegiumque non errandi in rebus Fidei, & morum statuendis, istudque privilegium ab ipsa vniversali Ecclesia in Generalibus Concilijs representata, agnosci, admitti, & approbari, cum ipsa in omni tempore à Romanorum Pontificum Authoritate Infallibilitatem, ac firmitudinem Decretis suis conciliare sollicitè procuraverint.

EX

§. IV.

EX SAECVLO QVINTO.

985 MEmoratu dignissima est *Epistola 26.* quam INNOCENTIVS I. PONTIFEX, *Milevitano Concilio* scripsit, circa recentem Pelagij hæresim, de qua fuerat consultus: * Diligenter ergo (inquit) & congruè Apostolici consulitis honoris arcana (vel, vt alij legunt, Arcam) honoris, inquam, illius, quem præter illa, quę sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, que sit tenenda sententia; antiquę scilicet regulę formam sequuti, quam toto semper Orbe mecum nostis esse servatam. Verum hęc missa facio. Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quod per omnes Provincias, de Apostolico fonte, petentibus responsa semper emanent, presertim quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est sui nominis, & honoris Authorem, referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio; quod per totum Mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse. * At quod Sanctissimus iste Pontifex hic verbo dixerat, & docuerat, in Sancti Ioannis Chrysostomi causa, & Pelagianę Hæresis damnatione re ipsa præstitit, & pro Infallibili Authoritate executione mandavit.

986 In hanc rem venustè cadit quod ZOSIMVS PONTIFEX in Cœlestij Pelagiani causa dixit, etenim *in Epistola ad Aurelium, & Carthaginense Concilium*, sic scribit: * Quamvis Patrum Traditio, Apostolicę Sedi Authoritatem tantam tribuerit, vt de eius Iudicio disceptare nullus auderet; idque per Canones semper, regulasque servaverit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina, Petri nomine, à quo ipsa quoque descendit, reverentiam, quam debet, exolvat: tantam enim huic Apostolo Canonica Antiquitas per Sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, vt & ligata solveret, & soluta vinciret; par Potestatis data conditio in eos, qui Sedis hæreditatem, ipso annuente meruissent.

987 Habet enim (prosequitur) ipse cum omnium Ecclesiarum, tùm huius maximè, vbi sederat, curam; nec patitur aliquid Privilegij, aut aliqua titubare aura sententiæ, cui ipsa sui nominis firma, & nullis hebetata motibus constituit fundamenta, & quę sine periculo nullus temerè incesset. Cum ergo tantæ Authoritatis Petrus Caput sit, & sequentia omnium maiorum studia firmaverint, vt tam humanis, Divinisque legibus, & disciplinis omnibus, firmetur Romana Ecclesia, cuius locum nos regere, & potestatem nominis obtinère non latet vos, sed nostis, fratres charissimi, & quemadmodum Sacerdotes, scire debetis: tamen cum tantum nobis esset Authoritatis, vt nullus de nostra possit retractare sententia; nihil egimus, quòd non ad vestram notitiam nostris vltrò litteris referremus, dantes hęc fraternitati, vt in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quòd contra vtilitatem Ecclesiæ veniens, displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos (sicut ipsi per litteras dicitis) fuerit accusatus, & ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens Iudicium, ex appellatione pristina, venerit Sedem, accusatores suos vltrò deposcens, & quæ in se crimina per rumorem falsò dicebat illata, condemnans.* Hæc ille.

988 Cum ad COELESTINVM I. PONTIFICEM perlatum fuisset Nestorium perniciosos, ac blasphemos errores divulgare, Sanctissimus Pontifex vt Apostolicum suum Zelum, Supremamque infallibilem in rebus Fidei Authoritatem, quæ ad eum pro sua Dignitate spectabat, ostenderet, litteras ad Sanctum Cyrillum Alexandriæ tunc Episcopum, misit, vt veritatem sollicitè inquireret, qua diligenter indagata, ipse Cyrillus ex Summi Pontificis præscripto, omnem animadversionem, & diligentiam excitavit, vt Nestorius ex miserrimis flagitiorum, & blasphemiarum sordibus emergeret, & calculum suavissimè admonitus reduceret, ac Palinodiam cantaret; quòd cum prædictus Episcopus nullatenus ab eo obtinère potuisset, coactus fuit Sancti Pontificis Zelus, vt prędicto Nestorio Pastoralem Epistolam mitteret, in qua Suprema infallibilis Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritas apertissimè innotescit. Et quamvis prædictę Epistolæ plurima exemplaria, è Græco in Latinum translata, circumferantur, sequemur

tamen

tamen illud, quod in Cresconiaca Collectione invenitur, in quo, inter alia, hæc leguntur.

989 *Apertè igitur hanc nostram scias esse sententiam, vt nisi de Domino Christo nostro ea prædices, quæ Romana, & Alexandrina, & Vniversalis Ecclesia tenet, sicut & Sacrosancta Constantinopolitanæ Vrbis Ecclesia, ad te vsque, optimè tenuit; & hanc perfidam novitatem, quæ hoc, quod Venerabilis Scriptura coniungit, nititur separare, intra decimum diem à primo innotescentis tibi huius conventionis die numerãdum, aperta, & scripta Confessione damnaveris; ab Vniversali te Ecclesię Catholicę Cõmunione deiectum. Quam formam nostri iudicij filium meum Possidonium, Diaconum, cum omnibus chartis ad Sanctum Cõsacerdotem meum, memoratę Alexandrinę Vrbis Antistitem, qui ad nos super hoc ipso pleniùs retulit, destinavimus, vt agat vice nostra.* Hucvsque Cœlestinus ad Nestorium.

990 Ad Cyrillum etiam scripsit per Possidonium, ab ipso Cyrillo ad Pontificem missum, eum certiorem reddens de his, quæ Romæ contra Nestorij hęreses peracta fuerant, eique iniungens, vt Apostolica Decreta executioni mandaret. Quare *Epistola 3.* inter alia, hæc habet. *Quamobtrem nostrę Sedis Authoritate ascita, nostraque vice, & loco cum Potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita severitate, sententiàm exequeris; nempe, vt nisi decem dierum intervallo, ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi, Dei nostri, generatione Fidem, in posterum confessurum se spondeat, quam & Romanæ, & tuæ Sanctitatis Ecclesia, & vniversa denique Religio Christiana prædicat: illicò Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.*

991 Vt autem assiduus Apostolicus Zelus, quo prelaudatus Cęlestinus Pontifex in pestiferas Nestorij Hęreses invehebatur, toti Orbi innotesceret, omnesque intelligerent Cœlestinum pro virili sua parte, vti vniversalem animarum Medicum, omnia remedia abhibuisse, vt mortiferis Nestorianę Hæreseos vulneribus mederetur, aliam Epistolam Constantinopolitano Clero his scripsit verbis: *Sed ille abusus nostro studio, quo illum sequimur, qui nec de pusillis aliquem vult perire; mortem desperatus optavit. Denique, & medicinam respuens, elegit abscindi; tulit de se Apostolicum, vel hoc nobiscum sentiens, ipse iudicium, vt abscinderetur, qui nos contristabat, volebat convertere Evangelium Christi. Nulla, suo vitio languenti, medica, vt diximus, arte defuimus. Non factum est nostræ celeritate sententiæ, vt esset nobis Publicanus, aut Ethnicus. Scimus qualiter, & quoties hos, qui ad hæc tendunt, Scriptura iubeat conveniri; quod nunc quoque videtur impletum. Dicendum denique adhuc. Tunc frater fratrem admonuit; de hinc pertinax vno, & altero, imò & multis testibus conventus est; consequenter ab vniversali Ecclesia, nostro quoque sermone correptus, &c.* Hęc ille.

992 Tandem *in Epistola 6.* quam ipse Pontifex Cælestinus *ad Ioannem Antiochenum Episcopum* direxit, eum certiorem facit de sententia, quam contra Nestorij Hæresim protulerat: *Sciat (inquit) Sanctitas tua, huiusmodi à nobis, vel ab ipso veriùs Christo Domino, ac Deo nostro, per nos sententiam in Nestorium latam esse, &c.* Quibus Epistolis manifestè cõprobatur antiquissimus Pontificię Authoritatis vsus, in rebus Fidei, Hęresumque extirpatione à tota Ecclesia admissus: ex quo manifestè deducitur, Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem Infallibilem existere.

993 Pro cuius maiori confirmatione memorandum censuimus, quod de Cœlestino Pontifice, illiusque Infallibilis Authoritatis effectu S. PROSPER, *contra Collatorē* dixit, sic scribens: *Per hunc virum (Cœlestinum videlicet) omnes Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrię vrbis Antistiti, gloriosissimo Fidei Catholicæ defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio; quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur.*

994 Infallibili Romani Pontificis in rebus Fidei, & Religionis Authoritati præclarè patrocinatur S. LEONIS PONTIFICIS, *Epistola 89. ad Episcopos Galliæ, Viennensis Provinciæ* directa, in qua Sanctissimus Pontifex hæc de suprema Romanæ Sedis, & Ecclesiæ Authoritate præfatur: *Huius muneris Sacramentum ita

Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium Summo, principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam Capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exsortem se Mysterij intelligeret esse Divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.*

995 Predictam infallibilem Romani Pontificis Authoritatem egregiè confirmat celebre illud, ac maximè memorabile decretum, quod sub eodem Leone Pontifice totus Orbis laudavit, cum enim ad Priscillianistarum hæresim extirpandam Generale in tota Hispania Concilium congregari iusisset, vt constat *ex eius Epistola 93. ad Turibium* directa, *cap.* 17. vix huius convocationis notitia ad Barbaros Principes, ac Reges, qui illa tempestate his Hispaniæ Regnis dominabantur, pervenit, cum ipsi, estò Ariani, eo honore, & æstimatione Sancti Pontificis præscriptum venerati sunt, vt statim iusserint, ne aliquis sui Regni Episcopis ad prædictum Concilium properantibus obsisteret, aditumque præcludere auderet. Illud autem Concilium in Fidei Decretis nihil aliud statuit, quàm id, quod à prædicto Pontifice præscriptum fuerat. Declaratio verò, qua prædicti Concilij Patres definierunt Spiritum Sanctum non à solo Patre, sed etiam à Filio procedere: *A Patre, Filioque procedit*: propria Concilij Authoritate facta non fuit; sed eam ex verbis Epistolæ ad eos à Sancto Leone missæ, *cap.* 1. desumpserunt: quam quidem Epistolam Concilij Patres ea, qua par erat, veneratione susceperunt, vt illius, tamquam Divini Oraculi, verbis vsi fuerint ad Symbolum, infallibilemque Fidei Regulam, cōtra emergentem hæresim eformandam.

996 Ipse Sanctissimus Leo anno quarto ante Chalcedonense Concilium, vtens Pontificia Authoritate Suprema, non modo super omnes Episcopos, sed etiam super Superiores Patriarchales Sedes, Bassianum Ephesinum Episcopum, totiusque Asiæ Primatem deposuit, quod Pontificia Sede vacante in illam Patriarchalem Sedem violentèr fuerit intrusus, vt verè testatur Stephanus, *Act.* 11. *Chalcedonensis Concilij*, vbi eiusdem Sancti Leonis Epistola in hunc finem scripta citatur.

997 Memorabile est quod *ex Mariani Scoti Chronicis, & Pontificalis* innotescit: iste namque Antiquissimus, & Gravissimus Author cuiusdam meminit Decretalis Epistolæ à PONTIFICE HILARIO, Sancti Leonis Successore, scriptæ, quæ Supremam Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatem apertissimè demonstrat. * Fecit (inquit) Decretalem, & per Vniversum Orientem sparsit Epistolam de Fide Catholica, confirmans tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem, & Tomum Sancti Archiepiscopi Leonis; & damnavit Eutychetem, & Nestorium, & omnes eorum sequaces, & omnes Hæreticos, confirmans dominationem, & Principatum Sanctæ Sedis Catholicæ, & Apostolicæ.*

998 SIMPLICIVS PONTIFEX, *in Epist.* 3. quam ad Zenonem Imperatorem misit, eum filium vocat, paternèque hortatur, vt Catholicam Fidem strenuè, ac constanter propugnet; & quamvis Imperatori, vt ipsi animum addat, ipsumque vehementius inflammet, S. Leonis Papæ Epistolam ad id aptissimam mittat; hæc nihilominus scribit: * Perstat (inquit) enim in Successoribus suis (id est Petri) hæc & eadem Apostolicæ norma doctrinę, cui Dominus totius curam ovilis iniunxit, cui se vsque ad finem sęculi minime defuturum, cui portas inferi numquam prævalituras esse promisit; cuius sententiæ, quę ligarentur in terris, solvi testatus est non posse, nec in Cœlo.*

999 Singularem sibi attentionem conciliat, quod Cardinalis Baronius de magna, ac suprema Romanorum Pontificum in rebus Fidei, & Religionis Authoritate, quę priscis illis temporibus effloruit, solita eruditione adnotavit; loquens enim de PONTIFICE SIMPLICIO, *Tom. 6. ad annum Domini* 483. affirmat: Simplicium perindè ac in suma pace, otio, & tranquilitate fuisse insedisseq; Cathedrę Petri, & vniversi orbis Ecclesijs Occidētalib⁹, & Oriētalib⁹ sanxisse leges, cognovisse causas, definivisse sentētias, illos exauthorasse, hos promovisse, illosque in Sedes Episcopales restituisse, relevasse oppressos, fastu elatos deiecisse, coercuisse Imperatores, obstitisse omnibus barbaris, victoribus Regibus, insuper ab Oriente, & Occidente suscepisse legationes, in omnibus denique arbitrum ipsis, atque iudicem concedisse; & vbi corpore non posset præsens assistere, legationum Autho-

thoritate, ac per vicarias Præfecturas, tum etiam Orientali semper Orbi præsto fuisse, præfuisseque cunctis Ecclesijs.*

1000 Quare præsentium temporum infelicitatem meritò deplorat videns nostram ætatem, ob iniquam temporis conditionem, eò miseriæ, calamitatis, immò & audaciæ devenisse, vt Supremæ iurisdictionis vsum diminuat, nec illum integrũ, & omninò liberum Romano Pontifici derelinquat.

1001 Non minori Apostolico Zelo FELIX III. Supremam in rebus Fidei, & Religionis Authoritatem ad vsum, & praxim laudabiliter revocavit, & in ea, magna omnium commendatione, & plausu versatus fuit; vt manifestè constat non modò ex ordine, & forma, qua ad Zenonem Imperatorem, Acatiumque Constantinopolitanum Antistitem scripsit, sed etiam ex eo quod creatus Pontifex pro Suprema in rebus Fidei, & Religionis Authoritate cõfestim reiecit Zenonis Henoticum, susceptoque Ioannis Alexandrini appellationis, ac querelarum libello, Romæ Concilium quadraginta duorum Episcoporum coëgit, vnde litteras per Legatos misit Constantinopolim, ad Zenonem Imperatorem, fortissimas ad redarguendum, & efficacissimas ad persuadendum, de proditione Catholicæ Fidei in Oriente, aliasque ad Acatium de non defensa Fide, deque ipsius conniventia cum Hæreticis; addiditque libellum ad eundem Acatium instar citationis, vt responderet oblatis adversus ipsum in Apostolicæ Sedis Iudicio, ab eodem Ioanne Alexandrino obiectionibus; aliumque item ad Imperatorem, vt cogeret ipsum Acatium Romam properare, & cum accusatore experiri iudicium.

1002 Damnatus pariter fuit in eadem Synodo Petrus Fullo, isque dictus Gnapheus intrusus in Sedem Antiochenam post eiectum Calendionem. Adeò vt si vnquam, tunc maximè apparuerit, Suprema Romanæ Sedis Authoritas, ad quam venit Alexandrinus Patriarcha actor, à qua citatus est Constantinopolitanus, & Antiochenus Sententiam damnationis ob hæresim accepit, sicut & postea Constantinopolitanus, in altera tamen Synodo, cum fraternas omnes despexisset monitiones. Ad rem autem nostram valde notanda sunt verba Sententiæ, qua Pontifex Felix Petrum Fullonem damnavit, quæ desumpta *ex tom. 2. Conciliorum*, & *tom. 1. Epistol. Decret. Summorum Pontificum*, sic se habet: *Nunc igitur sum exorsus adversus te proferre sententiam, magis autem Princeps Apostolorum Petrus, qui inter Sanctorum Apostolorum præconia, Præco veridicus est.*

1003 Eandem supremam infallibilem Romanorum Pontificum Authoritatem dilucidè demonstrant duæ GELASII PONTIFICIS Epistolæ *ad Dardaniæ Episcopos* scriptæ; præcipuè vero secunda, in qua hæc, inter alia, leguntur: *Non reticemus autem, quod cuncta per Mundum novit Ecclesia: quoniam quorumlibet sententijs ligata, Sedes Beati Petri Apostoli ius habet resolvendi; vtpotè quod de omni Ecclesia fas habet iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare Iudicio. Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.*

1004 Et paulò post ait: * Sed nec præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, vt dictum est, more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla existenteSynodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippè Athanasium Synodus Orientalis addixerat; quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. *

1005 Prosequiturque dicens; * Itemque Sanctæ memoriæ Flavianum, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit; potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundæ Sedis Præsulem, sua Authoritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo summovit; ac pro veritate, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilominus sua Authoritate prostravit: quam Congregatio, quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est sequuta; quoniam sicut id, quod Prima Sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit.* Ex quibus verbis apertè innotescit vsus Supremæ Pontificiæ

ficiæ Authoritatis in rebus Fidei, & morum definiendis, vniversalisque acclamatio, qua prędictæ Authoritatis vsus in Ecclesia Dei semper susceptus est.

1006 Tandem omitti in hoc Sęculo non potest, quia huius loci proprijssimũ, Generale Decretum, quo GELASIVS PONTIFEX declaravit, ac statuit, quinam essent Sacræ Scripturæ Libri, quos Ecclesia, vt legitimos, & Canonicos esset susceptura, ac ea, quæ in ipsis continentur, ceu infallibiles Fidei veritates veneratura; quinam verò essent, quos ipsa Ecclesia vt illegitimos, ac non Catholicos esset reiectura: hoc enim Decretum in re gravissima, & ad nostrę Fidei securitatem magis conducente, singulari veneratione à tota Ecclesia susceptum est, vtpotè emanans ab eo, qui non errandi Privilegium ab ipso IESV CHRISTI ore suscepit, cum Petro, istiusque Successoribus inquit: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua.* Quibus verbis Christus Dominus Divo Petro, istiusque Successoribus, vt ex communi Sanctorum, Sacrorumque Interpretum intelligentia latè suprà probavimus, indefectibilitatis donum, Privilegiumque non errandi in rebus Fidei, & Religionis, ac in omnibus his, quæ ad rectum Ecclesię regimen pertinent, concessit.

§. V.

EX SÆCVLO SEXTO.

1007 PRo antiquissima Supremæ Authoritatis consuetudine, quam Apostolica Sedes in rebus Fidei, & Religionis semper retinuit, non parum vtiles esse videtur Epistolæ, quas Pastorali, ac Apostolico Zelo plenas, & ad maius Ecclesię bonum, Fidei, & Religionis incrementum directas, SYMMACHVS PONTIFEX diversis Provincijs hoc sexto Sæculo scripsit, vt apertè demonstrat, tùm variarum Synodorum convocatio, tùm præcipuè excommunicatio, quàm in Anastasium Imperatorem, ob heresim, qua Imperatoriam Maiestatem fœdaverat, promulgari pręcepit; & estò Imperator iustæ excomunicationis ictu perculsus, quo resipiscere debuit, acerbiùs cõmotus, se se contumeliosum prædicti Pontificis æmulum exhibuisset, attamen Deus, cuius vices gerebat Symmachus, istum ab omnibus calumnijs, quas Fidei, Religionisque hostes iniquè illi obiecerant, summo Catholicorum gaudio vindicavit.

1008 Anastasio Imperatore defuncto, Iustinus Imperator successit, cui HORMISDAS PONTIFEX, Apostolico Zelo exæstuans, per suos Legatos plures Epistolas scripsit, ex quibus Sanctæ, & Catholicę Fidei sinceritatem, quam Supremi Ecclesiæ Magistri, Romani nempè Pontifices edocebant, Imperator agnovit: cumque Catholicam Fidem in toto suo Imperio admitti vehementèr optaret, prędictus Pontifex Hormisdas Libellum, & Formulam Professionis Fidei, quam Constantinopolitanus Antistes, cæterique Orientales Episcopi, fœdissima hæreseos, & Schismatis labe infecti, emissuri erant, vt Romanę Ecclesię Communionem promererentur, ad prædictum Imperatorem direxit. Illius autem Professionis initium sic se habet: * Prima (inquit) salus est, rectæ Fidei Regulam custodire, & à Patrum Traditione nullatenus deviare: quia non potest Domini nostri IESV CHRISTI prætermitti Sententia, dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc quę dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur Religio. De hac igitur Fide non cadere cupientes, & Patrum sequentes in omnibus Constituta, anathematizamus omnes hæreses, &c.*

1009 Visu, immò & notatu dignissima est *Epistola* 76. quam eidem Imperatori Iustino ipse Hormisdas Pontifex scripsit. Cum enim Imperator, Romanum Pontificem, vti Supremum Fidei in Ecclesia Magistrum, circa illam controversiam, tàm in Oriente, quàm in Occidente, subortam, *de vno ex Trinitate passo in carne*, consuluisset; Pontifex non Imperatorem dumtaxat, cui respondet, erudiendum suscepit, sed omnibus degentibus vbique Fidelibus ab ipsius Iudicio Pontificis pendentibus, ac spectãtibus, quę eius esset de re tãta, Sentẽtiã, Epistolam ad Imperatorem scriptam voluit publicam esse instructionem, & ab omnibus vt talem suscipi, ac venerari, vt ipse testatur in *Epist. 44. ad Iustinianum* postea Imperatorem, scripta. Et præsertim *in Epist. ad Remigium*, qua Pontificiam prę Cõciliari Authoritatem extollit, eumque in rebus ad Fidem spectantibus erudiens ait: * Quoties Vniversale poscit Religionis causa, Concilium, te cuncti Fratres convo-

convocante conveniant: & si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa Sacra Lege determinando certamina. Quidquid autem illic, pro Fide, & veritate constitutum, vel provida dispensatione pręceptum, vel personæ nostræ Authoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram, instructa relationis attestatione, perveniat.*

1010 Pro Suprema Romanorum Pontificum Authoritate ad quodlibet exitiosum, & nocivum, ac Catholicæ Fidei oppositum extirpandum, egregiè facit Epistola à BONIFACIO II. *ad Eulalium Alexādrinum Episcopum* data, quę, inter alia, hæc habet: * Olim, & ab initio tantam percepimus à Beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus Authoritatem Vniversali Ecclesiæ (auxiliante Domino) subvenire, & quidquid nocivum Authoritate Apostolica corrigere, & emendare.*

1011 Consonat IOANNIS II. Epistola *ad Iustinianū Imperatorem* directa; illius enim verba, Supremæ Summorum Pontificum Authoritati, mirificè suffragantur. * Inter claras (inquit) sapientiæ, ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce, tamquam aliquod Sydus irradiat, quod amore Fidei, quod Charitatis studio, edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius Authorem, hoc est, Apostolorum Primum, Domino loquente, præceptum est: *Pasce oves meas*. Quam esse omnium verè Ecclesiarum Caput, & Patrum Regulæ, & Principum Statuta declarant, & pietatis vestræ reverendissimi testantur affatus.*

1012 Cum ad Ioannem II. Pontificem quædam dubia ad Fidem spectantia, vt ea tamquam Supremus Fidei Magister decideret, ab Africano Concilio fuissent delata; isteque, cum illa ad Romanam Sedem pervenerint, iam vita esset defunctus, illius Successori AGAPETO PONTIFICI tradita sunt, qui prædicto Concilio hisce verbis rescripsit: * Quoniam (ait) sicut & sapientes facere decebat, & doctos, immemores Principatus Apostolici nō fuistis, sed quęstionis illatæ volētes vincula dissolvere, ab eius Sede requisivistis, sicut decebat, aditum, cui potestas esset indulta claustrorum.*

1013 Nec prætermittenda est VIGILII PONTIFICIS Epistola, qui estò illegitimus Pontifex fuisset, toto illo tempore, quo Silverius legitimus Pontifex vixit, nihilominùs tamen in his, quæ ad Pontificiam Authoritatem spectabant, pręclara Apostolici Zeli indicia præbuit: Eutherio namque Hispanię Episcopo ipsum in rebus Fidei, & Religionis consulenti, hisce gravissimis verbis respondet: *Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis quid, iuxta Catholicam disciplinam, teneat Apostolicæ Sedis Authoritas, subiectis aliquibus etiam Sanctarum Capitulis Regularum, te credimus instruendum.*

1014 Et infrà, pro infallibili in rebus Fidei, & Religionis Magisterio, sic concludit: * Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum, & forma sit Ecclesiarum, à qua omnes Ecclesias principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, Beato tamen Petro concessum est, vt cęteris præemineret; vnde & *Cephas* vocatur, quia Caput est, & principium omnium Apostolorum; & quod in Capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quamobrem Sancta Romana Ecclesia eius meritò Domini voce consecrata, & Sanctorum Patrum Authoritate roborata, Primatum tenet omnium Ecclesiarum: ad quam tam summa Episcoporum negotia, & iudicia, atque querelæ, quàm & maiores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad Caput, semper referenda sunt: Nam & qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem esse sibi prælatum. Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem vocatæ sint sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiora negotia causarum, eidem Sanctæ Sedi reservata esse liquet; præsertim cum in his omnibus eius semper sit expectandum Consultum, cuius tramiti si quis obviare tentaverit Sacerdotum, causas se, non sine honoris sui periculo, apud eamdem Sanctam Sedem noverit redditurum.* Hæc ille.

EX

§. VI.

EX SAECVLO SEPTIMO.

1015 SVpremum infallibilem Romanorum Pontificum in rebus Fidei, & Religionis, Authoritatis vsum, mirificè comprobat S. GREGORIVS I. insigni sua Sanctitate, & Doctrina MAGNVS meritò conclamatus, qui hoc septimo Sęculo floruit, & Supremam suam Potestatem, vt ex illius vita, & gestis innotescit, tùm omnium Nationum, Regnorumque Episcopos confirmans, tùm alios severissimè coarguens, tùm immeritos deponens, ac deniquè in alios Censionis Sacræ fulmina evibrans, magnificè ostendit: præcipuè cum Ioannem, Constantinopolitanum Antistitem, qui sibi *Vniversalis Pastoris* titulũ superbissimè arrogabat, gravissimè reprehendit, & Sacrorum Communione privavit. Vndè *lib.* 2. *Epist.* 7. *cap.* 46. *Indict.* 11. docet: Potestatem suam esse supra omnes Episcopos, & ad omnes causas arduas terminandas. Et *Epist.* 7. *ad Gennadium*, *Indict.* 12. cum ad Concilium celebrandum Numidię Provincię Episcopi convenissent, & præter ius, fasque, aliqua statuissent, nullius ea declaravit esse Authoritatis, quatenùs Romani solius est Pontificis ob Supremam, quam habet in Ecclesia Vniversali, Authoritatem, quæ ab alijs sunt facta Episcopis, Decretavè in ipsorum Concilijs, probare, sive reijcere, vt illa dumtaxat firma sint, quæ ipse, impartita sibi divinitùs facultate, firmaverit.

1016 Hinc ipse Sanctus Gregorius, cum ad illius notitiam pervenisset, Constantinopoli quamdam Generalem Synodum, sine Apostolicę Sedis consensu, congregari, timens nè in illa aliqua novitas Ecclesiastico Statui perniciosa statueretur, præcipuè circa titulum *OEcumenici*, & *Vniversalis Pastoris* Constantinopolitano Antistiti adscribendum, compulsus fuit omnibus Orientis Episcopis scribere, ipsos vehementer exhortans, vt Cyriaco talia pręsumenti resisterent.

1017 Et de prędicto Concilio loquens *lib.* 7. *Epistolarum*, *Indict.* 2. *Epist.* 69. *vel* secundum aliam editionem 70. hæc habet: *Pręterea pervenit ad nos, quod fraternitas vestra ad vrbem Constantinopolim sit convocata. Et quamvis pijssimus noster Imperator agi illic illicita non permittat, ne tamen perversi hominis conventus vestri occasione reperta, aut pro huius nominis superstitione locum subreptionis requirant, aut ob aliam rem facere Synodum cogitent, quatenùs hoc in ea callidis machinationibus inducant: quamvis sine Apostolicæ Sedis Authoritate, atque consensu nullas, quæcumque acta fuerint, vires habeant, verumtamen coram Omnipotenti Deo contestor, & admoneo, vt nullus vestrum illic quibuslibet suasionibus, quibuslibet blandimentis, quibuslibet terroribus teneatur assensus, sed pro æterni iuditij consideratione, adversus prava desideria salubritèr, & vnanimitèr vos exhibete; & Pastorali constantia, atque Apostolica Authoritate suffulti, prædonem, irruentemque lupum excludite, & in discissionem Ecclesiæ, sęvienti non cędite, ne de hac re quacumque subreptione Synodum patiamini, quæ neque legitima quidem, nec Synodus dicenda est, celebrari, &c.*

1018 Hoc etiam sęculo MARTINVS PONTIFEX, Theodori Successor, Synodalem Epistolam, aliasque familiares, pro Infallibili Romanorum Pontificum Authoritatis vsu, scripsit: sed inter eas specialem sibi attentionem conciliat *Epistola* 5. quam *ad Ioannem Philadelphiæ Episcopum* misit: in hac enim Epistola hæc leguntur. *Vt in hoc (inquit) maximè, sicut oportet, suscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem Sacerdotalis Dignitatis, & nostræ Apostolicę vicis. Nõ enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ ad tollendam omnem hęresim, quæ verbo Fidei adversatur, & omne vitium expugnandum, quod virtuti divinæ contrarium sit. (Et infra:) Defensores enim divinorum Canonum & custodes sumus, non prævaricatores.* Quis autem talia dicere posset, si Romani Pontifices, vti cęteri homines, mendaces, errandique periculo obnoxij essent in rebus Fidei, & Religionis, vbi illas ex Cathedra definire, & docere tenentur?

1019 Huius loci proprijssima est Epistola, quam VITALIANVS PONTIFEX *ad Cretensem Archiepiscopũ* ipsum redarguens, scripsit; in illa enim hęc, inter alia, pro Suprema Romani Pontificis Authoritate eiusque exercitio, aptissima verba leguntur *Epist.* 2. *Tom. Epistol. Rom. Pon-*

Pontific. *Igitur (ait) præfatum Ioannem Antiſtitem æquè inculpabilem reperientes, iuxta textum ſententiæ à te nobis directæ, fecimus nobiſcum cum Epiſcopis ad Miſſarum ſolemnia in Eccleſias Dei precedere. Itaque ſtatuimus, atque firmamus per huius noſtræ præceptionis Authoritatem, omnia quæ à te, tuaque Synodo contra Canonum inſtituta, contra legum decreta geſta, confectave ſunt, vel ſententiam promulgatam adverſus eum, inania, & vacua eſſe, &c.* Multa deinde reprehendit, & comminatur in eum Vitalianus.

1020 Summus PONTIFEX AGATHON cum Synodum ad Fidei veritatem ſtabiliendam, Monothelitarumque hereſim penitùs extirpandam, Romæ convocaſſet, ſuprema ſua in rebus Fidei & Religionis Authoritate vtens, ſuumque Apoſtolicum Zelum manifeſtans, Legatos ad Imperatorem Conſtantinum Pogonatum cum Apoſtolicis Litteris miſit, in quibus luculentiſſimè Infallibili Romanorum Pontificum Authoritati ſuffragatur, dicens: * Et ideò, cum corde contrito, & profluentibus lacrymis, mente proſtratus exoro, porrigere dignemini clementiſſimam dexteram Apoſtolicæ Doctrinæ, quam, coöperator piorum laborum veſtrorum, Beatus Petrus Apoſtolus tradidit, non vt ſub modio condatur, ſed vt tuba clarius in toto Orbe prędicetur: quia eius vera Confeſſio à Patre de Cœlis eſt revelata, pro qua à Domino omnium Beatus eſſe pronunciatus eſt Petrus, qui & ſpirituales oves Eccleſiæ, ab ipſo Redemptore omnium, terna commendatione paſcendas ſuſcepit. Cuius adnitente pręſidio, hęc Apoſtolica eius Eccleſia numquam à via veritatis, in qualibet erroris parte, deflexa eſt: cuius Authoritem, vtpotè Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & Vniverſales Synodi fidelitèr amplectentes, in cunctis ſequutæ ſunt, omneſque Venerabiles Patres Apoſtolicam eius Doctrinam amplexi, per quam probatiſſima Eccleſię Chriſti luminaria claruerunt, & Sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque ſequuti ſunt, hæretici autem falſis criminationibus, ac derogationum odijs inſequuti.*

1021 Et infrà concludit, dicens: * Hęc eſt enim (de Divi Petri Cathedra loquitur) vera Fidei Regula, quam in proſperis, & in adverſis viuacitèr tenuit, ac defendit, hæc ſpiritualis Mater veſtri tranquilliſſimi Imperij, Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicę Traditionis numquam erraſſę probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed vt ab exordio Fidei Chriſtianæ percepit ab Authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata finetenùs permanet, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, quam ſuorum Diſcipulorum Principi in Sacris Evangelijs fatus eſt: *Petre, Petre, inquiens, ecce Satan expetivit, vt cribraret vos, &c. Ego autem pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Conſideret itaque veſtra tranquilla Clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cuius Fides eſt, qui Fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prędeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum: quorum & puſillitas mea, licet impar, & minima, pro ſuſcepto tamen Divina dignatione Miniſterio, pediſequa cupit exiſtere. Væ enim mihi erit, ſi veritatem Domini mei, quam illi ſinceriter prædicarunt, prædicare neglexero.*

1022 Nec minori efficacia Suprema infallibilis Romanorum Pontificum Authoritas comprobatur ex eo, quod omnes Catholicæ veritates, quæ in Concilijs definiuntur, totam ab illa infallibilem ſuam certitudinem accipiant, & firmitatem, vt apertè inhoteſcit ex Epiſtola LEONIS II. PONTIFICIS *ad Imperatorem Conſtantinum Pogonatum* pro approbatione VI. Synodi Generalis Conſtantinopolitanæ tertiæ (vt habetur in Actis iuxta noviſſimam editionem) in qua Sanctiſſimus Pontifex hæc ſcribit: * Sancta Synodus, quia definitionem rectæ Fidei pleniſſimè prædicarit, quam & Apoſtolica Sedes Beati Petri Apoſtoli (cuius, licet impares, miniſterio fungimur) veneranter ſuſcipit: idcircò & Nos, & per noſtrum Officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditèr, ac vnanimitèr his, quæ definita ſunt ab ea, conſentit: & Beati Petri Authoritate confimat, ſicut ſupra ſolidatam Petram, qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adepta virtutem. Proptereà ſicut ſuſcepimus, atque firmitèr prædicamus

mus Sancta quinque Vniversalia Concilia, Nicęnum, Constantinopolitanum, Ephesinum Primum, Chalcedonense, & Constantinopolitanum, quæ & omnis Christi Ecclesia approbat, & sequitur, ita & quod nuper in Regia Vrbe celebratũ est, Sanctũm Sextum Concilium, pari veneratione, atque censura suscipimus, & hoc cum eis dignè connumerari, tamquam vna, & æquali Dei gratia congregatum, decernimus.*

1023 Cum anno 5. Pontificatus SERGII quoddam Constantinopoli Concilium, vel potius conciliabulum fuisset à Callinico, eiusdem Civitatis Antistite, celebratum, in quo Sextę Synodi nomine, centum & tres Canones (quod numquã hactenùs in aliquo Concilio factum scribitur) sanciti leguntur, scirentque Episcopi, eos nullius roboris futuros, nisi à Romano Pontifice probarentur, apud Iustinianum Imperatorem pro suis viribus egerunt, vt prædicti Canones Romam, à Pontifice Sergio confirmandi, mitterentur. At Sanctissimus Pontifex, cum eos temęraria plura contra veritatem habere comperisset, numquam illos confirmare voluit, sed potius reijciendos esse Suprema sua Authoritate decrevit, eligens priùs mori, quam novitatum erroribus consentiendo fœdari.

§. VII.

EX SAECVLO OCTAVO.

1024 HOC sęculo IOANNES VII, præclarissima Apostolici sui Zeli, infallibilisque in rebus Fidei Authoritatis indicia exhibuit. Cum enim Imperator Iustinianus solemnem, ac magnificam Legationem cum commendatitijs litteris ad ipsum misisset, vt Canones in prædicto Constantinopolitano Concilio statutos discutere, & expendere non gravaretur, ac eos, quos Catholicę disciplinæ conformes agnovisset, approbare & confirmare; illos verò, quos Catolicæ Religioni, probisque moribus repugnantes reperisset, reprobare, ac reijcere dignaretur; eo quod res Fidei & Religionis aliunde, quàm à Romano Pontifice nullam Authoritatem habere posse, rectissime Imperator agnosceret; Sanctissimus Pontifex, quantumvis natione Græcus, prædictis Canonibus diligenter discussis, ac attentè, & maturè consideratis, noluit vel minimum quid ex illis comprobare; quo Apostolici sui Zeli integritatem apertissimè ostendit, cum illius constantiam nec patriæ amor, nec iteratæ Imperatoris preces, nec assidua tot Nationalium Episcoporum vota consternare, & concutere, tantumque Pontificem adducere vmquam potuerint, vt id, quod ab Infallibili Fidei, Religionisque Catholicæ (cuius inexpugnabilis murus, ac firmissimum propugnaculum, Suprema Pontificis Authoritate innititur) veritate plurimum abhorrebat, Infallibili sua Authoritate firmasset. De quo latius infra agentes Synodo Trullana, & eius illegitimitate, in Apologetica Defensione pro Honorio.

1025 Gregorij II. Pontificis exemplum sequutus GREGORIVS III. collecto Romæ Concilio, idem omnino præstitit, vt habetur *ex Anastasio*. Pontifex, *Epist. 4. ad Bonifacium* hæc scribit: * In eisdem litteris, quibusdam subnexuisti capitulis, sciscitando qualiter teneat, vel doceat hæc Sancta Apostolica Romana Ecclesia. Bene nosti satis, quia Beatus Apostolus Petrus, & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de Statu Ecclesiæ, non ex nobis, quasi ex nobis, sed eius gratia, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit dissertas, qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam dicimus: * Supponimus autem hunc Bonifacium fuisse illum Anglię Apostolum, ad eam regionem ab Apostolica Sede missum, vt illius incolas in Fide, ac Religione instrueret. Vt clarius apparet ex litteris Gregorij III. quibus dictum Bonifacium, vt Apostolicum virum eximijs ornatum virtutibus, Sanctitate, & Doctrina clarum, ad Angliæ gentes, Evangeliumque ibi propagandum misit.

1026 Pipinus, Francorum Rex, sui Regni Ecclesias in Fide, Religione, ac Apostolica Traditione perfectissimè instructas esse desiderans, ad Supremum Apostolicæ Sedis Magisterium, ac Doctrinam, Pontificem nempe ZACHARIAM, qui tunc temporis Divi Petri Cathedram moderabatur, recurrit, vt Apostolica Summi Pontificis disciplina, ac salutaribus documentis, totum suum Regnum in Catholicę Fidei Dogmatibus, ac Ecclesiastico cultu nullatenus hæsitaret, sed in illis constans, firmum, ac Infallibiliter securum per-

persisteret, vt ostendit eiusdem Pontificis *ad Pipinum, & ad Episcopos Ecclesiarum Regni Francorũ Epistola*, in qua hęc habentur: * Itaque vt flagitavit à nobis, cum vestro consultu, superiùs effatus filius noster Pipinus, vt de omnibus capitulis, quibus innotuit, responsum demus, in quantum Domino dante valemus, de vno quoque capitulo inferiùs Cõscriptum, iuxta quod à Sanctis Patribus traditum habemus, & Sacrorum Canonum sanxit Authoritas: etiam nos quod, Deo inspirante, Apostolica Authoritate decernere potuimus, mandauimus in responsis.*

1027 Eadem suprema Apostolica in rebus Fidei, & morum Authoritate vsus fuit STEPHANVS III. Pontifex Sanctissimus; cum enim Constantinopoli quoddam Conciliabulum, Septima Synodus nuncupatum, contra Sacrum Sanctarum Imaginum cultum, esset congregatum, id sciens Pontifex, ac Suprema, & Apostolica Authoritate vtens, prędictum Concilium irritum, ac nullum declaravit, adeoque felici eventu id peregit, vt ne vlla penitùs mentio de illo facta reperiatur, nisi cum à Summo Pontifice legitur condemnatum; vt *ex Adriano Romano Pontifice in Epistola ad Cõstantinum, & Irenem Augustos* innotescit.

1028 Memoratu dignissima est *Epistola*, quam ipse Pontifex Stephanus III. *ad Pipinum Francorum Regem* direxit; in illa enim, & Regis Zelum in Ecclesia Dei propugnanda ferventissimum, & Supremam Romanorum Pontificum in rebus Fidei Authoritatem deprædicat, dicens: * Explere lingua, Excellentissime Fili, non valemus, quantum tuo opere, tua vita delectamur: facta quippe diebus nostris virtute divina miracula vidimus: quod per Excellentiam tuam Sancta omnium Ecclesiarum Dei Mater, & Caput, Fundamentum Fidei Christianæ Romana Ecclesia, quę valdè ab hostium impugnatione lamentabatur, magna nunc gaudij soliditate nimirum est translata, atque confirmata, & mœrentes Christianorum animę, tuo fortissimo pręsidio maximè sunt relevatæ letitia.*

1029 Cum Imperatores Constantinus & Irene ADRIANVM PONTIFICEM certiorem reddidissent de promotione, qua ipsi Tarasiũ, cũ laicus esset, ad Pontificalem Constãtinopolitani Patriarchatus apicem, & thronum evexerant, ipseque Tarasius eidem Pontifici scripsisset, eum huius promotionis ab Imperatoribus factæ participem efficiens, vt illius approbationem mereretur obtinère, Apostolicus prædicti Pontificis Zelus in Epistola *ad prædictos Imperatores* Supremam, quæ in ipso residebat, Authoritatem, affatim demonstravit, vt constat *ex Actis Concilij Nicæni 2. Act. 2. versu Anastasij*; ibi enim promotionem, qua laicus, ac incapax ad Supremum illius Dignitatis Thronum fastigiatus fuerat, asperè, & acerbè reprehendit, simulque Imperatoribus protestatur, se nullatenùs eam promotionem acceptaturum, ac confirmaturum, quin priùs ipse Tarasius, & omnes hæresim penitùs à se abolerent, ac profligarẽt; sicq; demùm omnia illis prosperè eventura promittit.

1030 His itaque sic scribit: * Orthodoxæ Fidei sequentes Traditiones, Ecclesiæ Beati Petri, Apostolorum Principis, amplexi fueritis censuram; & sicut antiquitùs Vestri Prædecessores Sancti Imperatores egerunt, ita & vos eam honorificè venerantes, eius Vicarium ex intimo dilexeritis corde. (Et paulò infrà) Etenim eius insignia Dignitatis, Sacra pandit Authoritas, quantaque veneratio eius summæ Sedi exhibenda sit à Fidelibus cunctis per Orbem: Dominus enim eundem Clavigerum Regni Cœlorum cunctis pręposuit Principem, & hoc ab ipso honoratur Privilegio, quo ei Claves collatę sunt Regni Cœlorum. Isto igitur tam præcelso prælatus honore promeruit confiteri Fidem, suprà quam fundatur Ecclesia Christi: Beatam Confessionem Beatitudo sequuta est præmiorum, cuius prędicatione Sancta venerabilis illustrata est Ecclesia, & ex ea cęteræ Dei Ecclesiæ, Fidei documenta sumpserunt. Nam ipse Princeps Apostolorum Beatus Petrus, qui Apostolicæ Sedi primitùs pręsedit, Apostolatus Principatum, ac principalis curę Successoribus suis, qui in eius Sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit, quibus & Authoritatis Potestatem, quemadmodum à Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit Divino iussu Successoribus Pontificibus.*

1031 Tandem illam Epistolam concludit coram Deo deposcens, & eos adiurans, vt Sacratissimas Imagines in ipsa Regia Vrbe, & cęteris Gręcię partibus

à Deo conservatas in pristinum statum restituere, & confirmare iubeant. * Observantes (inquit) Pontifex Traditiones huius Sacrosanctæ nostræ Romanæ Ecclesię, abijcientes, & respuentes antiquorum hęreticorum calliditatem, vt in huius nostrę Sanctæ Catholicę, & Apostolicę, ac irreprehensibilis Romanę Ecclesiæ vlnis suscipiamini.* Ex quibus apertè dignoscitur, vsum Supremę Authoritatis Pontificię, Orietis partibus apud Supremas Dignitates, Ecclesiasticos Principes, Sæculariumque potentissimos, nempè Imperatores, in rebus Fidei, & Religionis fuisse communiter absque dubio receptum.

1032 Verum non in Oriente solùm, sed etiam in Occidente, prædictus Adrianus Pontifex, sancto Apostolico Zelo in rebus Fidei vsus est. Vix enim ad illum perlatum fuit, Felicem Vrgelitanum Antistitem, & Elipandum Toletanum Episcopum incidisse in errorem, quo Nestorianismum renovantes, Christum esse Filium Dei adoptivum docebant, illam hęresim condemnavit, vt patet ex eius Litteris *ad Gallæciæ, & Hispaniarum Episcopos* conscriptis (in quorum Provincijs ille error fuerat disseminatus) & in Francofordiensi Concilio recitatis, in quibus sic scripsit: * Quod si exigentibus indignis meritis, tam insolubili eos malignus spiritus perfidię laqueo, iusto Dei iudicio, strangulavit, vt resolvi nequeant, ex Authoritate prorsus Sedis Apostolicę, ac Beati Petri, Apostolorum Principis, ac per eum, qui illi Magister, & Dominus tradidit Potestatem, & solvendi, ligandique licentiam tribuit (quod sine gravi mœrore dicere non possumus) perpetuò eos Anathematis vinculo religatos, vltrici, cum sequacibus suis, iudicamus vindicta plectendos, ac per hoc à gremio Matris Ecclesię, & à nostro consortio definio alienos.* Hactenùs prælaudatus Pontifex.

§. VIII.

EX SAECVLO NONO.

1033 SVpremam, Infallibilem, atque indubitabilem Romanorum Pontificum in rebus Fidei Authoritatem, pręclarè comprobat vniversalis illius vbique terrarum vsus; à Solis enim Ortu vsque ad Occasum, Infallibilis Romanorum Pontificum Authoritas diffunditur, ac propagatur, vt manifestè ostendit celebre illud Leonis III. Pontificis factum, quo Religionis Zelo permotus ab Oriente in Occidentem transtulit Imperium, Imperatoremque creavit Invictissimum Regem Carolum Magnum, ne Suprema Imperatoria Dignitas, ac Maiestas diutius esset apud eos, qui non modò Ecclesiam non tuebantur, cum ad illius defensionem arctioribus vinculis adstringerentur; sed errores etiam perniciosaque Schismata perversissimè fovebant, vt latissimè probabimus, cum de Translatione Imperij, à Græcis ad Germanos, sermonem faciemus; ad cuius veritatis confirmationem, legi etiam potest Cardinalis Baronius *anno Christi* 800. & alij, quos suprà retulimus.

1034 Eiusdem infallibilis Authoritatis vsum egregiè confirmat GREGORIVS IV. in *Epistola*, quam *ad vniversos Episcopos* scripsit. Cum enim adeò acerba exorta esset inter Episcopos æmulatio, vt alter in alterius vindictam intenderet, & inter alios Aldricus, Cenomanensis Episcopus, gravem à Comprovincialibus Episcopis pateretur invidiam, atque crudelissimam persecutionem experiretur, Supremam totius Ecclesiæ Authoritatem, in Summo Pontifice agnoscens, præsidij causa ad prædictum Pontificem involavit, qui his cupiens occurrere, alijsque consulere, prædictam Epistolam ad vniversos Episcopos direxit, quam inventam in veteribus Vaticanæ Bibliothechæ monumentis refert Baronius *ad annum Christi* 839. eamque hic describendam dedimus: * Divinis (inquit) pręceptis, & Apostolicis saluberrimis incitamur monitis, vt per omnium Statum impigro vigilemus affectu. Et quia cunctarum, Divina dispensatione, Ecclesiarum curam gerimus: omnibus nostra poscentibus suffragia, Apostolica Authoritate subvenire optamus. Quoniam Divinæ virtutis, ac infirmitatis humanę sanctio est (ac si diceret, inquit Baronius: Dei, & Hominis CHRISTI IESV: eo quod dixit Petro: *Confirma fratres tuos*) vt omnium Ecclesiarum negotia, ad nostræ reparationis tendant affectum.

1035 Quapropter (prosequitur) has ad vos litteras destinamus, quibus Decreto nostro vestram rogantes Charitatem

tem

tem mandamus, vt si aliquis (quod non optamus) suorum æmulorum Aldricum, Cenomanicæ Ecclesiæ Episcopum, accusare damnabiliter attentaverit: vt honoretur Beati Petri Apostolorum Principis memoria, Ecclesięque Romanę, cui pręsedit, Privilegium, & nostri Nominis Authoritas: licet illi post aditionem Primatum Diœcescos, si necesse fuerit, appellare, & nostra Authoritate, aut ante Nos, aut Legatos nostros è latere missos, iuxta Patrum Decreta, suas exercere, atque finire actiones: nullusque illum ante hæc iudicet, aut iudicare pręsumat. Sed si (quod absit) grave, intolerandumque ei obiectum fuerit, nostra erit expectanda Censura, vt nihil priùs de eo, qui ad sinum Sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ, eiusque implorat auxilium, decernat, quàm ab eius Ecclesiæ fuerit præceptum Authoritate; quia sic vices suas alijs impertivit Ecclesijs, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Hęc ille.

1036 Huius loci proprijssima est *Epistola*, quam NICOLAVS I. Pontifex *ad Michaelem Imperatorem* scripsit, Supremum suum in rebus Fidei & Religionis Authoritatis vsum ostendens, ac laudabilitèr exequens. Conquærens enim Pontifex quod in conciliabulo Constantinopolitano, à Patriarchali Sede deturbatus esset vir adeò eximiæ Sanctitatis, & Doctrinæ, vti erat Sanctus Ignatius, istiusque Provincię suffectus vir adeo indignus, vti Photius: quamquam Imperatori grates rependat ob sedulam anxietatem, qua suum animum illarum Ecclesiarum pacè, Ecclesiasticorumque sui Imperij concordia intenderat, sic illum affatur: * Qua Propter Deo Omnipotenti multiplices referimus grates, qui vestro pectori hoc infundere dignatus est, vt fautores Ecclesiæ Dei effecti, concordiæ ipsius desideretis favere, ne quavis rubigine erroris consumatur pulchritudo Fidei, & frangatur intellectus Apostolicæ eruditionis. Ad eius etenim (sicut ipsi scitis) integritatem observationis, multoties conventus factus fuit Sanctorum Patrum, à quibus & deliberatum, ac observatum extitit, qualiter absque Romanæ Sedis, Romanique Pontificis consensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur à vobis Constantinopoli congregatum Concilium (vt vestris apicibus, nostris intimatum est auribus) huius tenoris seriem parvipendens, ab institutis prædictis manum considerationis suæ reflectere non trepidavit: adeò vt Ignatium supra iam nominatæ vrbis Patriarcham, sine Romani consultu Pontificis, ibidem cætus conveniens proprio privasset honore. Quod quantum sit reprehensione dignum, testes illi, qui ei oppositi sunt, manifestant. * Hactenus ille.

1037 Cum ipse Pontifex Nicolaus Photium Patriarchali Sede, in quam iniustè intrusus erat, abdicasset, Sanctumque Ignatium, cui ea Sedes legitimè competebat, in pristinam Dignitatem restituisset, tàm Michaëli Imperatori, quàm Photio in illam Sedem per summum nefas intruso Pastoralem Epistolam scripsit, in qua supremum Pontificiæ Authoritatis in rebus Fidei, & Religionis Magisterium haud leviter ostendit. Aliqua igitur ex illis verbis, quibus tantus Pontifex Photium alloquitur, quia omni attentione dignissima, audiamus. * Et quia vniversitas credentium ab hac Sancta Romana Ecclesia, quæ Caput omnium est Ecclesiarum, Doctrinam exquirit, integritatem Fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti, exorant: oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse, & ad speculationem Dominici gregis tantum ferventiùs anhelare, quantum hunc avidi lupi ad dilacerandum hinc inde patentiore exquirunt, quod & audiendo cognovimus, & expediendo comprobamus. Et quos per corporalem ob longinqua terrarum spatia, aut tumentes marinos fluctus, nequimus visitare pręsentiam, saltem series apicum, quasi viva voce declarent, vt nec à nobis silentij exquiratur culpa, nec audituris de ignorantia, excusandi tribuatur facultas, quia & illud à nobis cavendum est, quod per Prophetam dicitur: Canes muti, non valentes latrare: nam & Apostolus ait: *Insta opportunè, importunè.*

1038 Constat (prosequitur ipse) enim, Sanctam Romanam Ecclesiam per Beatum Petrum, Principem Apostolorum, qui Dominico ore Primatum Ecclesiarum suscipere promeruit, omnium Ecclesiarum Caput esse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis vtilitatibus, & Ecclesiasticis institutionibus, quas secundum Canonicas, & Synodicas Sanctorum Patrum Sanctiones inviolabiliter, atque irrefra-

fragabiliter retineret, exquirere, ac sectari. Et ideo consequens est, vt quod ab huius Sedis Rectoribus plena Authoritate sancitur, nullius consuetudinis præpodiente occasione, proprias tantùm sequendo voluntates, removeatur, sed firmiùs, atque inconcussè teneatur.* Ita Nicolaus Papa ad Photium, eiusdemque tenoris sunt cęteræ, quas *ad Imperatorem, & Orientales Episcopos* scripsit, Epistolæ.

1039 Nec in Oriente modò, sed in Occidenti etiam supremam suam in rebus Fidei, & Religionis Authoritatem Nicolaus Pontifex demonstravit, vt testantur plures, diversæque Epistolæ, quas in hanc rem *ad Ludovicum Imperatorem, Francorumque Reges Lotharium, & Carolum* dedit, aliæque multæ, quas, Apostolicum suum Zelum exercens, *ad omnes Archiepiscopos Regni*, in quo Ludovicus Germaniæ Rex dominabatur, scripsit, tum pro Metensis Synodi abolitione, tum pro depositione Theutgaudi Trevirensis, & Guntharij Coloniensis Archiepiscoporum, qui prædictæ Synodo præfuerant; necnon *ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem*, qui Suessionensis Concilij, Privilegiorumque suæ Ecclesiæ confirmationem petebat; cui hæc rescribit Pontifex: * Proindè (inquit) quia Dilectio tua, sequens instituta maiorum, ea quæ possunt aliquam recipere quæstionem, ad nos quasi ad Caput, & ad Apicem Episcopatus referre studuit (quod nos libenter accepimus, quia hinc Dilectionem tuam memorem Canonum comprobamus) Synodum illam, quæ à te, & à cæteris venerabilibus Archiepiscopis, atque Episcopis in Vrbe Suessionum anno Incarnationis Dominicæ 853. Indictione prima, quinto Kalendas Maij fuerat celebrata, & à decessore nostro Beatę memoriæ Benedicto Papa est confirmata; sicut idem Sanctę recordationis Pontifex illam confirmavit, ita & nos eam confirmatam, & irrefragabilem, perpetuòque mansuram, Apostolica Authoritate decernimus; salvo tamen Romanę Sedis in omnibus Iussu, atque Iudicio; & sic deinceps.* Hactenùs ille.

1040 Idem Pontifex Nicolaus Supremam suam Apostolicam in rebus Fidei, & morum Authoritatem in pluribus Epistolis ostendit; tàm in ijs, quas *ad Hincmarum, Conciliumque Silvanectense* ab ipso Hincmaro convocatum, misit; quàm in ijs, quas *ad Galliarum, cæterarumque Nationum Episcopos*, in causa Rotaldi Suessionensis Antistitis scripsit. Cum enim Archiepiscopus Hincmarus Rotaldum in prędicto Concilio deposuisset, isteque ad Apostolicam Sedē appellasset; pręlaudatus Nicolaus Pontifex Rotaldum Ecclesię suæ restituit, Decretalemque Epistolam scripsit, qua manifestè docet, Episcoporum causas ad Apostolicam Sedem privativè pertinere, cuius enim est, pro suprema sua in rebus Fidei & Religionis Authoritate, illa, quæ ad eam spectant probare, & reprobare. Tanti Pontificis verba audiamus. * Si enim Summorum Pontificum Decreto, cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur; ita vt quod Sedes Apostolica probat hodie, teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenùs inefficax habeatur: quantò potiùs quæ ipsa pro Catholica Fide, & profanis dogmatibus repellendis, pro varijs & multifarijs necessitatibus, & Fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debentur honore præferri, & ab omnibus prorsùs in quibuslibet opportunitatibus, discretione, vel dispensatione magistra, reverenter assumi.*

1041 MARINVS PONTIFEX, vix Ecclesię clavum tenuit, cum non modò Episcopum Photium damnavit, sed etiam quidquid iste in Episcopali dignitate egerat, & statuerat, irritum reddidit. Hinc impius Basilij Imperatoris furor, hinc insanus impetus, hinc igneus illius ardor, qui in blasphemias contra prędictum Pontificem, non modò vivum, verum etiam mortuum erupit. Imperator enim Basilius subdolis, ac sceleratis Photij fallacijs deceptus, impias in Marinum etiam denatum voces, ac convitia evomuit, adeò vt STEPHANVS VI. Sanctissimus Pontifex, qui Marino successit, tanti Pontificis propugnationem, ac patrocinium susceperit; vt apertè demonstrat Epistola, quā prędictus Pōtifex *Basilio Imperatori* scripsit Supremam Romani Pontificis super omnes Imperatores, ac Reges, Authoritatem præclarè commendans; hæc enim habet: *Quo pacto à Deo largitū est vobis, terrenis rebus præesse: ita etiam nos per Principem Petrum spiritualibus rebus Deus præfecit. (Deindè:) Oro itaque pietatem tuam, vt inhæreas Decretis Principum Apostolorum, vt nomen eorum honores, & Dignitatem. Institutio enim, & Sacerdo-

dotium omnium, quæ in Orbe sunt, Ecclesiarum, à Principe Petro ortum accepit, per quem etiam nos sincerissima, & purissima Doctrina monemus omnes, & docemus. Regnum verò tuum, non minimarum rerum argumento, ad ea quæ pręstantiora sunt, scrutanda se erigat, sed animadvertat qua Authoritate hęc facere aggreditur. Ille quidem, qui adversus Sanctissimum Marinum Sacras aures tuas contumelijs maculavit: adversus Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui nutu suo vniversum Orbem regit, blasphemias efutire, proculdubiò non dubitavit. Quis, inquam, ille fuit, qui adversus immaculatum eius Sponsum, & Sacerdotem, & adversus Matrem omnium Ecclesiarum, talia dicere ausus est?* Hæc ille.

1042 Ipse Pontifex Stephanus pro Suprema sua in rebus Fidei, & morum indefectibili Authoritate, Episcopis, cæterisque Ecclesiasticis viris, qui ab eo iteratis precibus rogaverant, vt Photium Patriarchali Sede abdicaret, eumvè compelleret, vt Supremo illo munere deponeretur; vt agnoscerent isti attentionem, maturitatem, spectatamque prudentiam, qua Apostolica Sedes in similibus gravissimis causis procedere solet, hisce gravissimis, suoque Apostolico Magisterio dignissimis verbis rescripsit: * Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecumque iudicium proferre non possumus. Quapropter nunc Sententiam prorogavimus. Et opus est vtriusque partis Religiosissimos Episcopos mitti, vt perpensa omni dubitatione, & veritate vtrinque manifestata, dicere possimus, quod Deus voluerit. Romana enim Ecclesia instar speculi, & exemplaris reliquis Ecclesijs constituitur. Et quodcumque definierit, in sempiternum manet incorruptum. & hac de causa Sententias magna cum inquisitione ferre decet.* Hæc ille.

§. IX.

EX SÆCVLO DECIMO.

1043 AGAPITVS II. Pontifex, Supremam in omnibus Regnis Apostolicam Authoritatem exequens, Marinum ad Francorum Regnum, istiusque Regem Ludovicum Legatum à Latere misit, vt is sua Authoritate Regnum illud, quod Hugonis Principis factio seditiosis hominibus ad tantum illius Regni incendium facem perturbarat, præferens componeret, turbidisque seditionis fluctibus sedatis, firmiter stabiliret. Prædictum item Legatum cum plena Authoritate misit, vt cum Galliarũ Episcopis cognosceret causam Rhemensis Ecclesiæ, ac pro commissa sibi Authoritate iudicaret, quisnam eius esset legitimus Antistes? an Artaldus, an verò Hugo? vt habetur apud Flodoardum *in Historia Ecclesiæ Rhemensis.*

1044 In quodam Concilio, vel vt potius dicam, Conciliabulo Rhemis celebrato, Arnulphus, Rhemensis Antistes, illa Archiepiscopali Dignitate (estò Senonensis Antistes contra malitiam, pro Arnulphi innocentia steterit) exutus fuit, & illius Provinciæ loco, ac Dignitati Gerbertus Monachus suffectus. At cũ IOANNES XV. Romanus Pôtifex huius rei certior fuisset effectus, non modò id, quod contra Archiepiscopum Arnulphum prædictum Concilium statuerat, non confirmavit, sed etiam Suprema sua in rebus Fidei, & morum totius Ecclesię, & Christiani Orbis Authoritate, vsus ea omnia contra Arnulphum gesta, penitùs abolenda conscripsit, omnesque Episcopos, qui in eadem Synodo adversus Arnulphum sententiam tulerant, Sacrorum Communione privavit, prout refert Aymonius *lib. 5. cap. 45.*

1045 Vsum pręterea, & extensionem Supremę Pontificiæ Authoritatis in omnibus Christiani Orbis Regnis, ac in omni causarum, personarumque, estò gravissimarum, ac maioris Authoritatis, genere præclarè confirmat, quod latè refert Cardinalis Baronius: hoc nempè Sæculo collatam fuisse à GREGORIO V. Pontifice facultatem eligendi Imperatorem septem viris Germaniæ Principibus ad eius electionem concurrentibus. Vt latè probabimus *lib. de Suprema Romani Pontificis in Temporalibus Potestate.*

(:)

EX

§. X.

EX SAECVLO VNDECIMO.

1046 SVpremam Romanorum Pontificum in rebus Fidei, & Religionis Authoritatem clarissimè demonstravit Apostolicus Zelus, quo LEO IX. Pontifex Maximus in diversis Christianę Reipublicæ Regnis Catholicam Fidem stabilire, hęresesque extirpare sollicitè conatus est. Primò enim sui Pontificatus anno , Romæ Concilium celebravit, in quo Simoniacos Hæreticos condemnavit. Indè eodem Fidei ardore Italiam, Gallias, Germaniamque pro componendis maximè rebus ad Ecclesiarum Statum spectantibus, duobus habitis Concilijs, Rhemensi nempè, & Moguntino, lustravit.

1047 Romę posteà, ac tandem Vercellis habito Concilio, delatam (vt ait Lanfrancus) ad Apostolicam Sedem Berengarij hæresim, ac personam, primùm condemnavit. Docebat enim Berengarius, in Sanctissima Eucharistia non esse verum Christi Corpus, & Sanguinem; deindè hoc errore revocato, aiebat , cum Corpore Christi etiam substantiam Panis manere; ac tandem, solos adultos, non verò parvulos baptizandos esse, affirmabat. Vndè Berengarius huius temporis hęreticis viam aperuit, Zuinglianis in primo errore, Lutheranis in secundo, & Anabaptistis in tertio. At ipse tandem resipuit , & in Catholica Fide obijt.

1048 Petrus Patriarcha Antiochenus, vbi primùm Supremum Patriarchalis illius Sedis apicem ascendit , approbationem ab Apostolica Sede obtinere, eamdemque Romanæ Ecclesię Fidem profiteri, & in illius vnione, & Communione persistere vehementèr exoptans, Prædecessorum suorum exempla sequutus, Epistolam Apostolicæ Sedis veneratione refertam eidem Leoni IX. Pontifici scripsit, Professionemque Fidei, quam Romana profitetur Ecclesia, vnà cum prædicta Epistola ad eundem Pontificem misit. Pontifex verò illius Zelo dignam, referens gratiam , illiusque submissionem singulari benevolentia complectens, ei scripsit Epistolam, qua Supremum infallibilem Romanorum Pontificum Authoritatis vsum præclarè confirmat; sic enim inquit: * Ab Apostolica tua Sede nostram Apostolicam Sedem consulendo, perpendimus tuam Dilectionem nolle deviare à Dominico, & omnium Sanctorum Patrum concordi Decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto Orbe terrarum Ecclesijs Sancta Romana, & Apostolica Sedes Caput prępenitur, ad quam maiores, & dificiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse Sanctus Sanctorum , Rex Regum, & Dominus Dominantium confirmat, quatenùs ibi principalis Dignitatis, & totius Ecclesiasticæ disciplinę venerabilis apex pręfulgeat, & præcellat, vbi ipse Vertex, & Cardo Apostolorum Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in novissimo die spectat.

1049 Nimirum (prosequitur ipse) solus est ille, pro quo, ne deficeret eius Fides, Dominus & Salvator asserit se rogasse, dicens: *Simon, Simon: Ecce Satanas expetivit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te , vt non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quę venerabilis, & efficax Oratio obtinuit, quod hactenùs Fides Petri non defecit, nec defectura creditur in Throno illius vsque in sæculum sæculi, sed confirmabit corda fratrum, varijs concutienda Fidei periclitationibus, sicut vsque nunc confirmare non cessavit.* Hęc ille.

1050 Cum Patriarcha Constantinopolitanus Michaël Cerularius nuncupatus, vnà cum Leone Acridano, Natione Græco, Bulgarorum Archiepiscopo , in Latinorum contemptum, & contra Romanæ, & Apostolicę Sedis, immò & contra omnium Ecclesiarum Occidentalium decorem, ac Dignitatem, Epistolam opprobrijs, ac ignominijs refertam scripsisset, eam ad Tranensem Episcopum in Apulia (quæ nunc Neapolitani Regni Provincia est, tuncque ad Græciam pertinebat) impudentèr misit, vt prædictus infamatorius libellus divulgaretur. At Cardinalis Humbertus, & Sylvęcandidæ Episcopus, qui Trani tunc temporis erat, huius Epistolę certior effectus illam è Græco in Latinum transtulit, & ad ipsum Leonem IX. Pontificem detulit; qui ea perlecta, sui muneris esse arbitratus est, pro Sāctę & Apostolicæ Sedis, cæterarumq; Occidentalium Ecclesiarum innocentia, ac decore respondere,

dere, illarumque Ecclesiarum Dignitatem, quam illa, tam iniusta, quàm iniqua scripta haud leviter obtenebrarant, vindicare, ac viriliter tueri. Quare *ad prædictum Patriarcham Michaelē, & Archiepiscopum Leonem Acridanū Epistolā scripsit*, qua observantiam, venerationem, ac decorem Apostolicæ Sedi debitum fusè docet, ac ostendit, & toto *capite* 32. supremam, & indefectibilem Romanorum Pontificum in Decretis Fidei, & Religionis Authoritatem præclarè commendat. Hęc autem prima est inter Leonis IX. Epistolas, in qua inter alia hæc scribit: * Romanæ Ecclesiæ Fides, per Petrum super petram ędificata, nec hactenùs deficit, nec deficiet in sæcula, Christo eius Domino rogante pro ea, ceu testatur sub ipsa Passione sua: *Ego rogavi pro te, Petre, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quo dicto demonstravit, Fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa, & indeficiente Fide Petri, velut firmæ anchoræ subsidio figendam, & in fundamento vniversalis Ecclesiæ confirmandam: quod nemo negat, nisi qui evidenter hæc ipsa verba veritatis impugnat: quia sicut cardine totum regitur hostium; ita Petro, & Successoribus eius, totius Ecclesiæ disponitur emolumentum; & sicut cardo immobilis permanens ducit, & reducit ostiū, sic Petrus & sui Successores liberum de omni Ecclesia habent Iudicium, cum nemo debeat eorum dimovere Statum, quia Summa Sedes à nemine iudicatur; vnde Clerici eius, Cardinales dicuntur, Cardini vtique illi, quo cætera moventur, viciniùs adhærentes, &c.*

1051 Ipse Pontifex Leo *cap.* 36. prædictæ Epistolæ, hanc sententiam Apostolico suo Zelo dignissimam protulit: * Quisquis Romanæ Ecclesiæ Authoritatem, vel Privilegia evacuare, seu imminuere nititur, non hic vnius Ecclesię, sed totius Christianitatis subversionem, & interitum machinatur. Cuius enim compassione, vel sustentatione respirabunt Filiæ à quovis oppræssę, vnica illa suffocata Matre? Cuius refugium appellabunt? Ad quam confugium habebunt? &c. * Hoc dixit loco citato, cum in *capite* 34. & 35. præmonuisset, quod etsi Successores Petri non sint meritis sicut Petrus, tamen indignum sentire, vt quod Deus tribuit Cathedræ Moysi, negaverit Cathedræ Petri, cum ipse IESVS sedentibus super Cathedram Moysi, licet longè virtutibus degeneres essent, parendum tamen esse pręceperit.

1052 Sed nec prætermittenda est alia Epistola, quam idem Pontifex Leo *ad Carthaginensem Episcopum*, qui ad Romanæ Sedis Authoritatem appellabat, scripsit; in ea enim, quę tertia numero est, Infallibilem Romanorum Pontificum Authoritatem hisce gravissimis verbis expendit: * Hoc autem nolo vos lateat, non debere, præter sententiam Romani Pontificis, Vniversale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi: quia etsi licet vobis aliquos Episcopos examinare, definitivam tamen sententiam, absque consultu Romani Pontificis, vt dictum est, non licet dare. Quod in Sanctis Canonibus statutum si quæritis, potestis invenire. Quamvis enim omnibus generaliter Apostolis dictum sit à Domino: *Quæcumque ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cœlo: & quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in Cœlo*; tamen non sine causa specialitèr, & nominatim dictum est Beato Petro Apostolorum Principi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Et alio in loco: *Confirma fratres tuos*, scilicet quia omnium Ecclesiarū maiores, & difficiliores causæ per Sāctam, & principalē B. Petri Sedem, à Successoribus eius sunt definiendæ.* Hæc ille.

1053 Similiter cum Legationem pro Ecclesiæ pace, Latinos, & Græcos discordes, & dissidentes conciliaturus, misisset, Epistolam *ad Imperatorem Constantinū Monomachum* Apostolico suo Zelo dignissimam, ac proprijssimam scripsit, Romanæ Ecclesię Authoritatem mirificè extollens, vt ab omnibus Principibus, qui Christiani nominis dignitate gloriantur, debito veneretur honore. * Porrò (inquit) hæc Catholica Mater, & incorrupta Virgo, quamvis omnem terram, & fines Orbis occupaverit membris suis, & repleverit; tamen vnum Caput omnibus reverendum, & suscipiendum exerit, & prætendit. Quod quicumque exhonorat, frustrà se in ipsius membris computat. Illud autem quid sit, tua Imperialis Claritas omninò novit; illud nimirum, quod Christi vox prætulit, & præeminere voluit vniversis, & subsequens

Ecclesiæ pietas, & Generalis Sanctorum Patrum consensus iugiter hactenùs celebravit.* Hæc ille. Similiter docet in alia Epistola *ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham* occasione præfatæ Legationis.

1054 VICTOR II. Pontifex sanctum suum Zelum prȩclarè etiam exercuit, Apostolicaque in rebus Fidei, & morum Authoritate egregiè fuit vsus; nam in componendos, & restituendos probatos Sanctæ Ecclesiæ mores, sanamque eius Doctrinam conservandam diligenter incubuit. In hunc finem Concilium Florentinum celebravit, deindè in Gallias Legatum à Latere misit Childebrandum, tunc Subdiaconum (qui postea creatus Pontifex fuit Gregorius VII.) qui vbi illùc pervenit, Lugduni celebravit Concilium, deindè Heduæ, ac tandem Turonis, vt Berengarium rursus hæresim, quam fuerat detestatus, defendentem ac propalantem, in Concilio Episcoporum conventum, Apostolica Authoritate, vel hȩresim rursus damnare cogeret, vel Synodi eum sententia anathematis condemnaret; vt testatur eius temporis Scriptor Guitmundus Aversinus Archiepiscopus *lib. 3. de Sacramentis*, his verbis: * Indè enim (inquit) ipsa Romana Ecclesia, per Beatum Leonem Papam, hȩc Berengariana figmenta mox suo exortu damnavit: deindè per hunc ipsum, qui nunc prȩest, Dominum Gregorium Papam, tunc Subdiaconum eiusdem Romanæ Sedis, in Concilio Turonensi convicit: ipsumque Berengarium, vt videbatur, correctum, ac propria manu Sacramento satisfacientem clementer suscepit, &c.*

1055 Nec minora Apostolici Zeli inditia exhibuit STEPHANVS X. clarissimus Pontifex. vix enim Ecclesiæ clavum tenuit, Guillelmus Archiepiscopus Rhemensis ad eum Epistolam scripsit, Officij plenam, qua ipsi omne studium pollicitus, Fidelem in omnibus se fore Ecclesiȩ Romanæ spopondit; cui Pastorali Magisterio respondet Pontifex his verbis: * Ne deficias, aut frangaris, si adversarios pro fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclesiȩ, immò pia Sanctorum Canonum defensione pateris, sciens secundùm Apostolum, quod in hoc positus sis. Auxilium enim nostrum, & Consilium tibi, pro iustitia agonizanti, tempore nostri Pontificatus, ad quem nullo meo meritò videor assumptus, non deerit: Et secundùm quod oras, oravimus Dominum IESVM, ne à bono proposito aliquando decidas. Cæterum Romæ 5. die post Sanctum Pascha Synodum celebraturi, tuam fraternitatem cum suffraganeis eius volumus, & Authoritate Apostolica iubemus interesse, absque inevitabili necessitate.*

1056 NICOLAVS II. PONTIFEX ex quo Supremum Cathedræ Divi Petri Thronum conscendit, Prædecessorum suorum vestigia imitatus, Fidem firmiter stabilire, hȩresesque penitùs extirpare, Apostolica sua infallibili Authoritate, viriliter aggressus est, damnatam namque iam ab Antecessoribus Berengarij hȩresim, ac pro tali ab omnibus habitam, ad maiorem solemnitatem, celebrato Romȩ Concilio centum tredecim Episcoporum, iterum condemnavit, evocato etiam ad illud ipso Berengario, qui detestatus suum errorem, Catholicam quidem professus est Fidem, sed rursus in hæresim relapsus est. In hoc quoque Concilio idem Venerabilis Pontifex, Authoritate Apostolica, decernens de Electione Summi Pontificis, Constitutionem edidit, quam tamen postea labefactatam fuisse, malo Schismaticorum dolo, necnon etiam depravatam ostendit Cardinalis Baronius, *Tom. Annal. 11. ad annum Christi 1059.*

1057 ALEXANDER II. PONTIFEX Supremam suam Infallibilem in rebus Fidei, & Religionis Authoritatem, suis tàm illustribus, quàm Apostolico Zelo plenissimis factis, testatus est. Ad Fidei enim bonum, & Religionis augmentum plura indixit Concilia, aliquos Episcopos deposuit, alios iniquè depositos restituit, Henricum Germaniȩ Regem Simoniacum, Romam, ad iudicium subeundum, evocavit. Si Decretales illius Epistolas attentè evoluamus, plura, è quibus Supremæ Apostolicæ, ac Infallibilis Romani Pontificis Authoritatis vsus apertissimè deducitur, nobis passim occurrent; præsertim in illa *de rebus in Lateranensi Synodo sancitis*, quæ sic incipit: * Alexander Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Episcopis Catholicis, cunctoque Clero, & Populo salutem, & Apostolicam Benedictionem. Vigilantia Vniversalis Ecclesiȩ regiminis, assiduam sollicitudinem debentes omnibus, quæ in Constan-

ſtantiniana Synodo nuper celebrata coram centum ampliùs Epiſcopis, licet nobis immeritis pręſentibus, ſunt Canonicè inſtituta, vobis notificare curamus, quia ad ſalutem veſtram executores eorum vos eſſe optamus, & Apoſtolica Authoritate iubendo mandamus, &c.* Hæc ille.

1058 Quàm inſignis, & virtutibus & miraculis extiterit GREGORIVS VII. Pontifex Maximus, affatim oſtendit Deus toto illo tempore, quo tantus Pontifex Eccleſiæ clavum moderatus eſt. Deus enim, vt eximia, ac præclara, præſtantiſſimaque huius Pōtificis Patientia, perſecutionum ignibus nitidiùs ſplendeſceret, & maioribus incrementis augeſceret, impijſſimos Schiſmaticos, qui prædictum Pontificem aſſiduè perſequerentur, permiſit. Vt enim aromata longè, latèque odorem emittunt, ſi illa teras: ſic virtutis gloria diffunditur, ſi ipſam premas. Et ſi ſingulari polluit tolerantia, haud impari Conſtantia ſplenduit, Magnanimitate, ac Fortitudine, cuius pręclariùs dedit ſpecimen, Eccleſiam dum ipſe eò conſtantiùs protegebat, in ipſam Schiſmate, & hæreſibus nefariè irruentibus, quo maiori impetu eas, illarum Authores, tuebantur. Nec propterea huius Sanctiſſimi Pontificis decrevit inexpugnabilis virtus, quin vltra modum crevit, vt ipſius Decretales Epiſtolæ ſpiritu, ac Sanctitate refertę teſtantur, quibus noſtræ Fidei, & Religionis Catholicæ non exiguum pro ſuis viribus incrementum dedit. Verum ſi quis huius veritatis ſcire ambiat fundamentum, Cardinalis Baronij *Tomum* 11. in huius Sanctiſſimi Præſulis Pontificatu conſulat.

1059 Sed ſilentio prætereunda non eſt diligens ſollicitudo, qua ſingularia Romani Pontificis, & Apoſtolicę Sedis Privilegia in album efferre prædictus Pontifex curavit, quæ habetur *lib.* 2. *Epiſt.* 55. inſcripta: *Dictatus (inquit) Papa (Ex illis autem, quę Sanctiſſimus Pontifex in prædicta Epiſtola collegit, ea tantummodò, quæ ad rem noſtram faciunt, hic adducimus, vti ſunt): Quòd Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata. Quòd ſolus Romanus Pontifex iure dicatur vniverſalis. Quòd ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare. Quod illi ſoli licet, pro temporis neceſſitate, novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & è contra, divitem Epiſcopatum dividere, & inopes vnire. Quòd nulla Synodus abſque præcepto eius debet Generalis vocari. Quòd nullum Capitulum, nulluſque liber, Canonicus habeatur abſque illius Authoritate. Quòd Sententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit. Quòd à nemine ipſe iudicari debeat. Quòd nullus audeat condemnare Apoſtolicam Sedem appellantem. Quòd maiores cauſę cuiuſcumque Eccleſię ad eum referri debeant. Quòd Romana Eccleſia numquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura teſtante, errabit.* Hæc, aliaque multa Privilegia refert prædictus Pontifex, quæ privativè quoad omnes, ad Supremam Romani Pontificis Authoritatem pertinent, quia ſic communiter ab Eccleſia, Sanctis Patribus, & Sacratiſſimis Concilijs admittuntur. Cumque vnum ex illis ſit Privilegium non errandi; hinc clarè dignoſcitur, quàm firmus & indefectibilis maneat ipſe Romanorum Pontificum in rebus pręcipuè Fidei, & Religionis indefectibilitatis vſus.

1060 Nec minori Zelo in maius Eccleſię bonum, Fidei incrementum, hęreſumque extirpationem vires effudit omnes VRBANVS II. Pontifex, qui in ijs Apoſtolicam ſuam Authoritatem præclarè exercuit; in hunc enim ſcopum plura vbique celebravit Concilia, vt ſalutaribus Decretis lapſam diverſarum Eccleſiarum diſciplinam erigeret. In Claramontano præſertim Henricum III. Imperatorem, & Guitbertum Antipapam eiſdem de cauſis, quibus Gregorius VII. & Victor III. eius Prædeceſſor, diro Anathemate obſtrinxit; inſuper & Philippum Regem Galliarum, eò quòd propria vxore dimiſſa, militis ſui vxorem ſibi in coniugium ſociarat; quem poſtea, dum adhuc in Gallijs moraretur, pœnitentem abſolvit, & in ſuam gratiam recepit, Rex autem ſe in ſervitium Domino Papæ promptum exhibuit. Ibidem Concionem clariſſimam ad omnes habuit, qua Sacram Ieroſolymæ recuperandę expeditionem incredibili ſententiarum gravitate, verborum copia, & animi ardore ſuaſit; adeò efficax fuit tanti Pontificis ſuaſio, vt plùs quam centum millia Chriſtianorum, teſtantibus hiſtorijs, ſe ſub Crucis Vexillo milites adſcripſerint, ſeſeque illo, ad Terræ Sanctæ expugnationem, munierint.

1061 Ex Lemovicenſis Concilij Actis

innotescit, cum in Aquitania ingens subortum esset dissidium, an nempè S. Martialis fuerit Christi Discipulus, primusque qui Evangelicę veritatis luce, Aquitaniam, tamquam novus Sol, perfuderit, & illustraverit, ac Christianæ gentis Auctor, & Princeps, Gallicanę illi Provincię extiterit, quam à falso idolorum cultu ad Religionis nostræ veritatem traduxit, atque è perfidię tenebris in lucem, & claritatem asseruit, & vendicavit sempiternam? & an tandem in Sacris precibus Apostolus esset conclamandus, sicut in Ecclesia Lemovicensi ab eo erecta hactenùs factum esse constabat?

1062 Cum que nonnulli refragarentur, & obsisterent, eum non Apostolum, sed Confessorem tantummodò nuncupandum esse arbitrantes. Constat, inquam, in hac disceptatione, Romanum Pontificem, ceu Apostolicæ Sedis Oraculum, fuisse consultum; qui Suprema, ac infallibili sua in rebus Fidei, & Religionis Authoritate vtens, quid tenendum esset respondit, vt refert Lemovicensis Episcopus Iordanus, sic scribens: * Super quo DOMINVS IOANNES PAPA exemplar Epistolę nobis est dignatus destinare, magnopere testificans Apostolatus eius gloriam, & redarguens omnes, qui eum contradicunt esse Apostolum; quę Epistola Sacra conservata in promptu habetur, in quo faciè claret testimonium verum Romanæ Sedis.* Ex quo apertissimè deducitur, quod si Pontifex in Decretis, quæ in rebus Cultus, & Religionis promulgat, erraret, omnes Fideles, totamque Ecclesiam, quę Romani Pontificis Decretis ducitur, vt Sanctis Cultum, & Venerationem exhibeat, in errorum barathrum abituram; si enim Pontificis Decreta infallibilia non essent, proculdubiò Ecclesia innumeris erroribus esset exposita, quod de Divina Providentia, qua eam Spiritus Sanctus semper regit, ac gubernat, nec dici, nec excogitari potest.

1063 Hoc idem infallibile Romani Pontificis Authoritatis exercitium pręclarè confirmat, recursus, quo Carthaginensis Episcopus ad Apostolicam Sedem confugit. Cum enim varijs difficultatum turbinibus quateretur, Supremum, ac infallibile in rebus Fidei Magisterium in LEONE IX. Romano Pontifice, agnoscēs, ipsum consuluit. Cui Pontifex, vt Vniversalis Fidei, & Religionis Magister, his verbis respondet: * Sed quamvis in tali, tantoque defectu Religionis, plurimum doleamus, multum tamen gaudemus, quia Sanctę Romanę Ecclesię, Matris vestræ, Sententiam requiritis, & expectatis, super quæstionibus vestris, & quasi rivulis ab vno fonte erumpentibus, & in suo se cursu per diversa spargentibus, ad ipsius fontis primam scaturiginem, reverti debere optimum putatis, vt indè resumatis directionis vestigium, vndè sumpsistis totius Christianæ Religionis exordium.*

1064 Et infrà ait: * Quamvis enim omnibus generaliter Apostolis, dictum sit à Domino: *Quæcumque ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cœlo; & quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in Cœlo*: tamen non sine causa specialitèr, & nominatim dictum est Beato Petro, Apostolorum Principi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claves Regni Cœlorum.* Et alio in loco: *Confirma fratres tuos*, scilicet quia omnium Ecclesiarum maiores & difficiliores causæ, per Sāctam, & principalem Beati Petri Sedem, à Successoribus eius sunt definiendę. * Hactenùs ille.

§. XI.

EX SAECVLO DVODECIMO.

1065 CALIXTO II. qui hoc duodecimo Sæculo floruit, Ecclesiæ clavum moderante, ingentia ac præclara Supremæ, ac infallibilis Romani Pontificis, in rebus Fidei & Religionis, Authoritatis indicia emicuere; in Rhemensi namque Concilio, ardentissimus illius Zelus, ac miranda inflexibilitas, contra Simoniacorum Hæresim, iam à Prædecessoribus suis damnatam, mirificè effulsit. Huius Hęreseos Sectatores, Pontificiam iurisdictionem sibi, per summam iniuriam, vendicabant; Principes enim, quantumvis laici, Ecclesiasticarum Dignitatum, & beneficiorum, imo & Episcopatuum investiturā dare, temerario ausu, præsumebant. Contra hos ergo Hęreticos, sic Sanctissimus Pontifex *in prædicto Concilio* invehitur: * Quæ Sanctorum Patrum Sanctionibus de pravitate Simoniaca stabilita sunt, nos quoque Sancti Spiritus Iudicio, & Authoritate Sedis Apostolicæ confirmamus.*

Ipse

1066 Ipse Pontifex Romæ, in Lateranensi Ecclesia, Generale Concilium celebravit, in quo plùs quam trecenti Episcopi interfuerunt, vt in vita Sancti Ludovici, Francorum Regis, Sancti Dionisij Abbas, oculatus testis, affirmat. In hoc Concilio, vt citatus Author commemorat, pluribus Canonibus, pro restitutione pristinæ disciplinæ, diuturnis Schismaticorum factionibus, admodum labefactatę, editis, Sanctissimus Pontifex inde Legationem in Germaniam misit, ac tandem Deus Imperatorem movit, vt Supremam Pontificis Authoritatem agnosceret, seque Pontificis imperio subderet, ad illum per Apostolicos Legatos deferens, ac apud ipsum deponẽs, & renũtiãs ius, tamdiù inhiatum Ecclesiasticarum collationum, seu investiturarum per Annulum & baculum, ius quod ad illud vsque tempus Ecclesiam dirè vexaverat, regnorumque pacem, in quibus huiusmodi iuris prætensio introducta erat, haud leviter perturbarat. Tantam ergo tempestatem, quæ hac de causa in Divi Petri Navem ventis vndique vehementèr perflantibus ingruerat, summo omnium plausu sedari, singularissimæ Providentię, qua Spiritus Sanctus Ecclesiam gubernat, adscriptum fuit, & efficaciæ verborum, quibus Christus Divo Petro pollicitus fuit, Ecclesiam adversus inferi portas prævalituram, cui dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

1067 Eximia Apostolici Zeli Infallibilisque Authoritatis in hęresum extirpatione argumenta exhibuit INNOCENTIVS II. Pontifex in Epistola, quam *Divo Bernardo, & Episcopis* circa condemnationem errorum Petri Abaylardi, & Arnaldi Brixiensis, scripsit; vt demonstrant eiusdem Pontificis *ad Henricum Senonensem, cæterosque Episcopos, Epistola* 194. cuius hæc sunt verba: *Nos itaque, qui in Beati Petri Cathedra (cui à Domino est dictum: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*) licet indigni residere conspicimur, comunicato Fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium Consilio, destinata nobis à vestra discretione capitula, & vniversa ipsius Petri perversa dogmata, Sanctorum Canonum Authoritate cum suo Authore damnavimus; eique tamquam heretico, perpetuum silentium imposuimus. Vniversos quoque errores damnantes, eorum defensores, & Sectatores à Fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodãdos esse, censemus. Datum Laterani 17. Kalendas Augusti: * Hæc ille.

1068 Nec minora suæ infallibilis Authoritatis, in rebus Fidei, inditia præstitit EVGENIVS III. qui Pastorali suo Zelo permotus, ad maiorem Fidei exaltationem, hæresumque extirpationem, Rhemis Generale Concilium indixit, cui ipse Pontifex personaliter præfuit, & inter alia præclara, ac præcipua, quę in prędicto Concilio peracta sunt, ipse Pontifex Gilberti Porretani, Pictaviensis Episcopi, errores damnavit; & è quatuor Divi Bernardi capitulis, quæ in illo Concilio proposita fuerunt, de primo tantummodo definivit, vt sentit Ottho Frisingensis, *lib.* 1. *cap.* 57. sic scribens: * De primo tantum Romanus Pontifex definivit, vt puta, maioris momenti, inquo & totius quæstionis cardo verteretur, ne aliqua ratio in Theologia inter Naturam, & Personas divideret; neve Deus Divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi.*

1069 ADRIANVS IV. Pontifex Maximus, cupiẽs in suo se munere integrè, castèque versari, ac suam Pastoralijs Officij, & Supremi Ecclesiæ Capitis procurationem perfectè absolvere, gravissimis anxius curis, ob ingentia Græcam inter, & Latinam Ecclesiam dissidia, eis convenientèr providere desiderans, Legatos ad Emanuelem Constantinopolitanum Imperatorem misit, vt firmam, ac perpetuam concordiam Orientales inter, & Occidentales Ecclesias stabilire curaret. Sciens insuper Basilium Acridenum, Thessalonicensem Archiepiscopum, præclara singularis Sanctitatis, & eximiæ doctrinæ commendatione, in illis Orientis partibus clarescere, Apostolicò suo Zelo, quo maius Christianę religionis augmentum inhiabat, ipsi scripsit Epistolam, in qua supremam, & Apostolicam Romani Pontificis Authoritatem egregiè demonstrat. * Traditum est (inquit) quonam modo Sancti Patres, Divino Spiritu illuminati, omnium Ecclesiarum Primatum Sacrosanctam Romanam Ecclesiam absolutè obtinere iusserint, & ad eius Sententiam omnium iudicium referri præscripserint,

rint, & ad tollendam de medio divisionem, ad vnionem Ecclesiæ, ad coniunctionem divisi parietis, propter Dei dilectionem, propter animæ salutem, & propter fruitionem Gloriæ, quæ non marcescit, vigilanter adverte. Primùm apud te ipsum, deinde in alijs, quatenùs Divina Gratia largitur, da operam, vt grex cum Ecclesia vniatur, & qui se ipsos Dominicas oves confitentur, ad gregem Beati Petri revertantur, qui Domini iussu eorum curam suscepit. Nos quidem in hoc non temperariam laudem spectamus, non prętereuntem gloriam querimus, qui pascendi suscepimus officium, servos nos omnium Dei Servorum confitemur; sed cum Dominum, & Magistrum nostrum, vt vnum mortuum suscitaret in corpore, profectum fuisse, & lacrymatum legimus ad Sepulchrum, & dixisse: *Lazare veni foras*: iudicamus indignum, si Domini retineamus talentum, & quos possumus in Anima resuscitare, negligamus.* Hæc ille.

1070 Mirabilis sanè extitit Apostolicus Zelus, quo Pontifex ALEXANDER III. invicto, infractoque animo Supremæ Pontificiæ Authoritatis defensionem contra superbam ac tumidam Imperatoris Friderici Ænobarbi ambitionem, suscepit. Cum enim Imperator Legationem ad prædictum Pontificem misisset ipsi significans, se ob magna Romanę Ecclesię dissidia, quę ad ipsum perlata erant, Ecclesiasticas personas, è quinque Catholicis Regnis, ad Civitatem Papię convocasse, vt Epiphaniæ die in eam Civitatem convenirent, vbi illis coram ipso auditis, ad salubrius remedium in ijs, quæ ad Romanam Curiam spectabant, convenienter provideret; Sanctissimus Pontifex huius superbæ Legationi his verbis æterna memoria dignissimis, ac Apostolici pectoris, Sanctique Ecclesiæ Zeli proprijssimis, respondit: *Nos recognoscimus Dominum Imperatorē, ex collato, sibi dignitatis debito, Advocatum, & specialem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesię Defensorem. Vnde ipsum (si per eum non steterit) prę cæteris Principibus Orbis intendimus honorare, & præ omnibus ei primatum deferre, in quibus Regis Regum honor nullum capiat detrimentum. Vbi verò quidquam occurrit, quod absque Summi Regis offensa effectum habere nequeat, si honorandus terrę Imperator videtur, ille potius à nobis timeatur, & illius honor in primis conservetur, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, & qui Animam, & Corpus perdere, atque in æternam ignis gehennam mittere potest. Miramur itaque, illum sincerè, vt convenit, diligentes, & excelentiam eius honorare propensiùs volentes, ab eo nobis, immò Beato Petro, & Sanctę Romanæ Ecclesiæ, honorem debitum denegari.

1071 In litteris enim (prosequitur idem) quas ex parte ipsius nobis, nostrisque fratribus detulistis, hoc inter cętera tenebatur expressum: quod ipse audita dissensione, quę in ipsa Ecclesia emerserat, de quinque Regnis personas Ecclesiasticas convocaverat, &c. Nimirum longè à consuetudine Prædecessorum suorum recessisse videtur, & Dignitatis suæ terminum excessisse, dum sine conscientia Romani Pontificis Concilium convocavit, & nos ad præsentiam suam, sicut homo super nos potestatem habens, præcepit convenire. Sanè Beato Petro, & per eum Sacrosanctę Romanæ Ecclesię, cuius ipse per Deum Magister extitit, & Fundator, hoc Privilegium legitimè à Domino IESV CHRISTO, Sanctisque Patribus traditum est, & per prospera, & adversa etiam cum sanguinis effusione cum oportuit, vsque ad hęc tempora conservatum, vt vniversarum Ecclesiarum causas ipsius Authoritate discuteret, ac finiret, ipsa verò nullius vmquam iudicio subiaceret. Vndè quia nunc ab eo contra Privilegium Ecclesiæ inculcatum fieri videmus, per quem deberet ab aliorum impugnatione defendi; & quia ita scriptum est Matri, sicut cuilibet abiectæ personę: hoc absque admiratione nimia ferre non potuimus, nec debemus. Ad Curiam verò eius, vel ad Sententiam accedere, Canonica Traditio, & Reverenda Patrum Authoritas non permittit.

1072 Vndè (concludit) cum nec in minoribus Ecclesijs Advocati earum, & singulares Principes, vocationes, disceptationes, ac decisiones huiusmodi causarum sibi aut Curijs suis vsurpent, sed suorum Metropolitanorum, aut Apostolicæ Sedis semper notitiam, & definitionem habere spectent; Divina videtur animadversione dignissimum, & ab omni Ecclesia tantò duriùs arguendum, quantò ampliùs ad vniversalis Ecclesiæ periculum redundaret, si per ignorantiam nostram,

aut

aut pusillanimitatem Spiritus, à Capite (quod avertat Deus) diebus nostris iste morbus inciperet, & nos Ecclesiam, præcioso Sanguine Christi redemptam, in servitutem redigi sineremus. Ergo pro cuius libertate tuenda Patres nostri proprium sanguinem effuderunt, & nos ipsi ad eorum exemplum, exigente necessitatis articulo, extrema audemus pericula sustinere.* Ita Alexander, *apud Radevicum lib. 2. cap.* 54. Qui exindè eundem Imperatorem benignè, ac frequentèr, sed frustrà admonitum cum Episcopis, & Cardinalibus suis in Cœna Domini, apud Anagniam, tamquam principalem Ecclesiæ persequutorem, excommunicationis vinculo solemniter innodavit, pro eo quod Octavianum Schismaticum Antipapam, *Victorem* dictum, recepit, & ei pertinaciter adhęrere præsumpsit.

1073 Pontifex COELESTINVS III. Supremam, ac infallibilem suam Authoritatem affatim ostendit, cum Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum, Apostolicum Legatum creavit. Tunc enim *ad Eboracensem Antistitem, omnesque Britanniæ Episcopos, & Prælatos* scripsit, eos prædictæ electionis certiores his verbis efficiens: * Divinæ Sapientiæ inscrutabilis Altitudo Sacrosanctam Ecclesiam in huiusmodi latitudine stabilivit, & ita regimen, & gubernationem in ipsius inimitabili provisione esse voluit, vt ad eam salubriter gubernandam plures assumerentur in partem sollicitudinis, quamvis, pro vnitatis Ecclesiasticæ firmamento, Romana Ecclesia acceperit plenitudinem Potestatis. Voluit enim, vt secundum quod Ecclesiã alloquitur in Propheta, pro Patribus eius nascerentur filij, qui super omnem terram constituti, virtutum meritis, & verbo Doctrinæ rudes ad Fidem, provectos ad iustitiam erudirent. Vndè Sacrosancta Romana Ecclesia, cui Dominus super cæteras contulit Ecclesiæ Magistratum, pium ad alias materna provisione respectum habens, providit ab initio, & laudabili hactenùs consuetudine custodivit, vt de diversis Mundi partibus, ad earum ministerium implendum, viros prudentes assumeret, quorum Authoritas, & Doctrina sub Romani Pontificis moderamine constituta, quod ipse non poterat, procul distantibus Ecclesijs ministraret, &c.* Hæc ille.

1074 Nec minoris momenti digna est alia Epistola, quam ipse Pontifex in hanc rem *Lincolniensi Episcopo scripsit*; in illa enim hęc habentur: * Cum Sacrosancta Romana Ecclesia super immobile fundamentum, Lapidem scilicet Angularem, & verum, perpetua stabilitate fundata, de se ipsa veritate dicente: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, per Beati Petri merita, Ecclesiarum omnium Magisterium cœpit, & Primatum, ad Principem Apostolorum Domino protestante: *Si diligis me, pasce oves meas*, & non solùm corporum, sed etiam animarum iudiciariam accepit Potestatem, eodem Apostolorum Principe audiente à Domino: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis*: Nos, quos non propria merita, sed sola Divina miseratio ad Summi Pontificatus apicem evocavit, si Iudicia nostra recta volumus, & provida deliberatione formare, & Potestate nobis tradita non abuti, illius debemus, quantum humana permittat fragilitas, exempla sectari, in quo Sedes Apostolica fundata consistit, & à quo cęterarum Ecclesiarum curam suscepit, & ligandi, atque solvendi plenitudinem Potestatis.* Hactenùs ille.

1075 Vnum è præcipuis argumentis, quibus Romani Pontificis in rebus Fidei Infallibilitas, iuxta communem Authorum sententiam, suadetur, est hęresum condemnatio, vt latè, & eruditè prosequitur Cardinalis Brancatus de Lauræa. Et quãvis Summi Pontifices, Suprema sua Authoritate vtentes, id omni tẽpore pręstiterint, nihilominùs hoc Sæculo duodecimo EVGENIVS III. sanctum suum Zelum in hæreseos Gilberti, Pictaviensis Episcopi, condemnatione mirificè exercuit. Accusatur Gilbertus à duobus Archidiaconis suis, quibus auditis, Eugenius, dum ab Vrbe in Gallias tenderet, breviter respondit, se Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter virorum litteratorùm copiam, ibidem manentium, opportuniorem examinandi facultatem haberet, pleniùs velle cognoscere; vt accidit, præfatique Gilberti, coram ipso Pontifice in diversis Conventibus, primùm Antisiodori, deindè Parisijs, postremò in pleniori Concilio Rhemis, se sistere coacti, errores condemnavit.

§. XII.

EX SAECULO TERTIODECIMO.

1076 NEC minoribus signis suam Supremamque infallibilē, in rebus Fidei, & morum Authoritatem hoc Tertiodecimo Sæculo ostendit INNOCENTIVS III. qui sui Pontificatus initio magnos, & plures Principes redarguit: Regem nempè Legionensem, ob incestas eius nuptias cum nepti sua, Castellę Regis filia, & Philippum, Francorum Regem ob divortium cum Regina Inseburge, Regis Danorum sorore. Cum enim à Cœlestino III. Sententia, à Conciliabulo Rhemensi pro divortio pronunciata, recissa fuisset, dicta Regina Inseburge Pontificis Fidem implorante, provocanteque ad Apostolicam, tamquam ad Supremam & Vniversalem omnium Sedem, nec propterea Philippus resipuisset, sed spretis Pontificis iussis, Moraviæ Ducis filiam, Inseburge in Sacrarum Virginum Monasterio relegata, sibi coniunxisset, Innocentius tantum scandalum, ne plures exempli improbitate corrumperentur, tollendum ratus, omni cura intendit, vt Inseburgim Regio Throno restituere, nec ab incepto destitit, donec felicissimè tandem in opus illud perduxit, obtemperante Vicario Christi Christianissimo Rege Galliæ.

1077 Ipse Summus Pontifex non in morum tantum, sed in Fidei etiam rebus, Supremam suam potestatem certissimè demonstravit, perversis Hæreticorum sectis se se viriliter opponens. Cum enim non modò Aquitania tota, sed aliæ etiam Galliarum Provinciæ, variarum hęresum labe infectę essent, ad prædictas hæreses penitùs extirpandas, totus incubuit, plures Apostolicos Legatos ad eas Provincias mittens, gravissimasque, & efficacissimas exhortatorias Epistolas ad omnes illius Regni Principes, & Prælatos, pręcipuè vero ad Aquensem Antistitem, illiusque suffraganeos scribens, inter alias verò, *Epist.* 95. specialitèr de Hęreticis, hæc habet: * Magisterium Romanæ Ecclesię refugiunt, & novis adinventionibus auditorum corda seducunt, trahentes post se simplices, ac indoctos. * Hæc ille.

1078 Nec his quievit Sanctissimus Pontifex; Apostolico enim Zelo exęstuans, toto animo curavit, vt Ecclesiam Græcam ad Apostolicæ Sedis obedientiam, à qua tot sæculis se se obdurato animo subtraxerat, revocaret. Ad hūc enim finem Legatos *ad Alexium Imperatorem Constantinopolim* misit, eiusdem etiam Civitatis Patriarchæ scripsit, ipsum singulari efficacia admonens, vt Imperatorem ad id impellere, omni studio niteretur. Primòque ostendens, Divinum Numen, repudiata Synagoga, Ecclesiam sibi ex Gentibus condidisse, eam deinde Beato Petro, istiusque Successoribus regēdam cōmisisse, quod hisce ostendit verbis: *Hanc autem idem Dominus IESVS CHRISTVS in se ipso Lapide Angulari fundavit, & eius Magisterium Apostolorum Principi, Beato Petro (cui licet insufficientes, in Apostolatus successimus Dignitate) concessit: *Tu es*, inquiens, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et paulò post subdidit: *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum*; Et etiam curam ovium suarum eodem verbo, tertiò repetito, commisit, dicens: *Pasce oves meas.* Et quod eius Fides numquam deficeret, se orasse fatetur, ad eum loquens in Evangelio: *Ego pro te rogavi, Petre, vt non deficiat Fides tua: & tu conversus aliquando confirma fratres tuos.* Pręterea, licet vniversis Apostolis dixerit in communi: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis*; ad eum tamen vtitur verbo speciali, dicens: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Hoc autem Gręcorum Populus non attendens, aliam sibi confixit Ecclesiam, si tamen quę præter vnam est, Ecclesia sit dicenda, & ab Apostolicæ Sedis vnitate recessit; nec constitutionem Domini, nec Petri Magisterium est imitatus, & inconsutilem vestem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum vestium divisione pepercit, scindere vsque hodie, licet frustra, conatur.* Hæc ille. Ex quibus satis patescit, singulare præfatæ Ecclesiæ Romanæ, Summorumque Pontificum in ea sedentium, non errandi in rebus Fidei Privilegium, si enim illo non gauderent, tam Hæretici, quam omnes alij rationabiliter, eorum Magisterium, in rebus ad Fidem pertinētibus, refugere possent, quod oppositum vidi-

dimus, cum ex omnibus Mundi partibus, in tot retrò sæculis compertum sit, tam ab Orientis, quam Occidentis Provincijs, cōtinuò recursum habitum fuisse, in controversijs Fidei, ad Apostolicam Sedem Petri, & Successorum eius, pro habenda vltima definitiva, ac Infallibili decidendorum Sententia.

1079 At Græcorum perfidia, & contumacia tam longè abfuit, vt his Innocentij Litteris acquiesceret, & ad Romanæ Sedis obedientiam reduceretur, quin potiùs Camaterus, Patriarcha Constantinopolitanus, inde occasionem arripuerit, vt in Epistola, quam prædicto Pontifici rescripsit, ausus fuerit ab eo quærere: Cur Romanam Ecclesiam *Vnam*, *& Vniversalem*, *atque Ecclesiarum Matrem* appellasset? Et cur hic Dignitatis titulus Ierosolymitanæ tribuendus non sit? cum ex ea Fides Christiana emanarit? Huic interrogationi æquè superbæ, ac seditiosę, omni responsione, & satisfactione indignæ (cum prædicti Supremæ Pontificię Authoritatis tituli, a tota Ecclesia, summo omnium plausu, & acclamatione admittantur. Sanctissimus Pontifex illam Divi Pauli Sententiam secutus: *Sapientibus, & insipientibus debitor sum*; vt ipsius innocentia toti Orbi innotesceret, & prædictum Patriarcham ab ignorantię tenebris deduceret, cumulatissimè satisfecit, *lib. 2. Epist. 201.* è qua omissis his, quæ ad rem nostram non attinent, ea tantummodo, quæ pro Supremo, vniversali, ac Infallibili Romanorum Pontificum Authoritatis vsu, egregiè tacere videntur, desumenda censuimus. Loquens igitur de Divo Petro, cui Romanus Pontifex in Potestate, & vniversalitate iurisdictionis in tota Ecclesia, succedit, hæc inter alia scribit: * Huic Dominus oves suas pascendas, verbo, tertiò repetito, commisit, vt alienus à grege Dominico censeatur, qui cum etiam in Successoribus suis noluerit habere Pastorem. Non enim inter has, & illas oves distinxit, sed simpliciter inquit: *Pasce oves meas*, vt omnes omninò intelligantur ei esse commissæ. Iacobus enim frater Domini, qui videbatur esse columna, Ierosolymitana sola contentus, vt ibi semen fratris præmortui susciraret, vbi fuerat crucifixus, Petro non solum Vniversam Ecclesiam, sed totum reliquit sęculum gubernandum.

1080 Et infrà, de eodem Divo Petro loquens, sic prosequitur: * Ipse quidem primus Iudæos, ipse quoque primus Gentiles, post Ascensionem Christi, convertit ad Fidem, vt super vtrosque Fideles se Primatum accepisse monstraret. Cum ipso die Pentecostes, ad verbum exhortationis ipsius, circiter tria millia Iudæorum, Baptismi receperint Sacramentum, ac deindè Cornelium Centurionem, & suos quasi primitias gentium ad revelationem Angelicam baptizarit. Cum autem inter Apostolos, ad consultationem credentium, magna fieret conquisitio, vtrùm oporteret circuncidi Fideles, & legem Mosaycam observari? Petrus, principali fretus Authoritate, respondit: *Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervicem Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* Cuius Sententiā subsequutus, Apostolicum super ipsa quæstione Decretum Iacobus promulgavit. Paulus etiam, postquam abijt in Arabiam, & iterum redijt in Damascum, deindè post tres annos venit Ierosolymam, vt Petrum videret, cum eo Evangelium, quod in gentibus prædicaverat, collaturus; ne fortè in vacuum curreret, aut etiam cucurrisset. * Vndè sufficienter colligitur, Privilegium Primatus Vniversalis Ecclesiæ, Divo Petro, eiusque Successoribus concessum, indefectibileque eorum in rebus Fidei definiendis Iudicium.

1081 Ipse Pontifex Innocentius III. quæstiones, ac dubia à prædicto Constātinopolitano Patriarcha appositas dissolvit, ac enodat, sic ipsi respondens: * Quæsivisti dubitans, & addiscere volens, qua ratione Romanam Ecclesiam *Vnam*, *& Vniversalem* in nostris litteris vocaverimus, velut in quasdam species specialissimas iam divisam, cum & vnus sit Pastor, & vnum ovile, licet sub vno Pastorum Principe Christo, plures sint constituti Pastores. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod Ecclesia duabus de causis *Vniversalis* vocatur: intelligentia namque dictorum ex causis assumenda dicendi, cum non res Sermoni, sed rei sit sermo subiectus. Dicitur enim *Vniversalis Ecclesia*, quę de vniversis constat Ecclesijs, quę Græco vocabulo *Catholica* nominatur, & secundùm hanc acceptionem vocabuli, Ecclesia Romana non est Vniversalis Ecclesia, sed pars Vniversalis Ecclesiæ, prima videlicet, & pręcipua velut

Caput

Caput in Corpore, quoniam in ea plenitudo Potestatis existit: ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur.

1082 Et dicitur *Vniversalis Ecclesia* illa vna, quę sub se continet Ecclesias vniversas. Et secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm *Ecclesia Vniversalis* nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis Privilegio Dignitatis cæteris est prælata, sicut & Deus *Vniversalis Dominus* appellatur, non quasi iam divisus in species, aut specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam Vniversa sub eius Dominio continentur. Est enim vna Generalis Ecclesia, de qua Veritas inquit ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et sunt multæ particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus ait: *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*, ex omnibus vna consistit, tamquam ex particularibus generalis, & vna præminet omnibus, quoniam cùm vnum sit Corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus: *Omnes vnum corpus sumus in Christo*; illa velut Caput, cæteris membris excellit.* Hactenùs ille.

1083 Pro Supremo Romani Pontificis in rebus Fidei Magisterio pręclarè facit *Epist.* 104. quam ipse Innocentius III. *ad Henricum Imperatorem scripsit*, simul atque Latini Constantinopolim debellarunt, Schismatis extirpationē Apostolico suo Zelo vehementèr sollicitans, ac ardentissimè sitiens. Idcircò Cardinalem Pelagium, Albanensem Episcopum misit, vt omnes Græci, Latinorum ditioni subiecti, ad Catholicę Romanæ Ecclesiæ Gremium, & Fidem reducerentur, ac depositis offensionibus, & simultatibus, ad illius vnitatem, & gratiam redirent. Verba, quibus id suadet, audiamus. * Ipse Summus Angularis Lapis IESVS CHRISTVS, in quo omnis ędificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino, Ecclesię Fundamentum, & Fundator existens, inter cętera, quibus salutaria providit remedia Populo Christiano, ad consolidandam Fidei vnitatem, vt & vnus Pastor esset, & vnum ovile, Sedem Apostolicam totius Christianitatis Caput instituit, & Magistram, à qua *sicut vnguentum in Capite, quod descendit in barbam Aaron, & ad oram* etiam *vestimenti*, panis intellectus, & vitę ad alias procedat Ecclesias, cum Doctrina Fidei, & *aqua sapientiæ salutaris.** Hæc ille.

1084 Clariùs adhuc Supremum Infallibile Ecclesię Magisterium demonstrat responsio, qua ipse Innocentius gravissimas Fidei quæstiones, ipsi à Lugdunensi Archiepiscopo propositas dissolvit, vt ostendit *Epist.* 62. *lib.* 5. quę incipit: *Cum Marthæ*, quæ extat *in Titulo de Celebratione Missarum*; ibi enim ante quam propositis quęstionibus satisfaciat, hæc ad rem nostram aptissima scripsit: * Lippitudini Liæ, Rachelis pulchritudinem pręferentes, eam in te credimus vigere intelligentiam Scripturarum, vt non solum parvulis frangere possis panem, sed provectis etiam cibum solidum ministrare, ac nodos solvere difficilium quęstionum. Verum quoniam in Primatu Apostolorum Principis, Apostolicæ Sedis Magisterium recognoscens, ad eam credis maiores causas Ecclesię referendas, Consultationibus tuis, quas non ob commodum vtilitatis terrenę, cum non civilem contineant quæstionem, sed animarum profectum, vt videlicet in lucem prodeant obscura Scripturæ, novimus te movisse, libentèr quod nobis inspirat Dominus, respondemus.*

1085 Ipsum infallibile Romani Pontificis in rebus Fidei Magisterium haud levitèr confirmat HONORIVS III. dùm Georgiæ Reginæ respondens, hęc scribit, *Epist.* 434. *lib.* 8. * Multum gavisi sumus in Domino super devotione, quam habes ad nos, & ad Romanam Ecclesiam, Matrem Christianorum omnium, & Magistram.*

1086 Sed nec silentio prætereunda est pro eodem infallibilis Romani Pontificis in rebus Fidei Authoritatis vsu *Epist.* 56. GREGORII IX. Pontificis, *lib.* 6. in qua Germano Patriarchę Constantinopolitano his verbis respondet: * Fuit enim Paulus ex verbo Domini Petro, & cæteris Apostolis vniversaliter, sic dicentis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; cum Petro ministerium Dignitatis exercens, & ex verbis eiusdem Authoritatis singulariter Petro propositis: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*; in Petro Authoritatis Officium recognoscens; & ideò ad eum tamquam Primatem, & Evangelij Dominici Fontem, venit Ierosolymam, & post-

postmodùm cum ipso, & alijs secundùm revelationem contulit Evangelium, ne in vacuum curreret, vel cucurrisset. Quod iterum ex verbo Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccaverit, non tantùm septies, sed septuagies septies præcipitur dimittendum, ipsi soli oves suas indistinctè committens; qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis, & gravatis positis ad vmbram eius sanabantur infirmi. Cuius Authoritas ex eiusdem Domini verbis expressius roboratur, cum sibi soli dictum est: *Duc in altum*; & pluralitèr subinfertur: *Laxate retia in capturam.*

1087 Si ergo (Prosequitur ipse) Petrus propter excelentiam Fidei, qua in vno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; Claves Regni Cęlestis in terris solus accepit, cum vnus sit Dominus, vna Fides, vnum Baptisma, vnum principium, vnum corpus Ecclesiæ militantis, & corpus cum pluribus capitibus monstruosum, & sine capite Acephalum censeretur, restat, vt ad regimen Generalis Ecclesiæ, quam ipse cum Paulo, & cæteris de Gentibus, Græcis, Latinis Barbaris congregavit, Caput eiusdem, suumq; Dominus, pecea, quæ promissa sunt, manifestè ostenderet Successorem. Prævidens autem Dominus, quod Ecclesia Dei conculcaretur à Tyrannis, laniaretur ab Hæreticis, & à Schismaticis scinderetur, ait: *Pro te rogavi, Petre, vt nō deficiat Fides tua, & tu aliquando cōversus cōfirma fratres tuos.* Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedē Petri omnis sit Fidei quæstio referenda.*

1088 Et infra ait: * Tuę prudentię conscientiam sine aliqua superstitione regira, & illuminatus invenies, quod Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Caput est, & Magistra, in speculo à te proposito, Evangelij videlicet, & Epistolarum, & Doctrina aliorum Doctorum nihil contrarium invenit, quod interpretativè, vel dispensativè, secundum Statuta Sanctorum Patrum, in vnitate Fidei, & Spiritus non concordet.* Hæc ille.

1089 Ad maiorem prædictę infallibilis Authoritatis confirmationem, notatu dignissima est eiusdem Gregorij Pontificis *Epistola 253. lib. 10. ad Imperatorem Fridericum II.* scripta, qua prędicti Imperatoris refellit obiecta, inter alia enim, hæc leguntur: * Et ideò si prudentèr attenderes, quod lignum vitæ est in Paradisi medio positum, sic in centro tuorum finium prudentèr persisteres, quod nequaquam incautè ad iudicanda secreta conscientię nostrę, cui iudex in Cœlo est conscius in excelsis, propriæ ruinam conscientiæ metuens evolasses, cum Regum colla, & Principum submitti videas genibus Sacerdotum, & Christiani Imperatores subdere debeāt exequutiones suas, non solum Romano Pontifici, quin etiam alijs Præsulibus non præferre, nec non Dominus Sedem Apostolicam, cuius iudicio Orbem terrarum subijcit, in occultis & manifestis à nemine iudicandam, soli suo iudicio reservarit.*

1090 Ipse Gregorius Pontifex Apostolicum suum Zelum erga maius Fidei augmentum ostendens, supremamque infallibilem Authoritatem, qua Romanus Pontifex insignitur ad cuiusvis Hæreseos, extirpationē, destructioneq; cuiusvis Schismatis adeò Ecclesiæ vnitatē dividentis, demōstrans, Rusudæ, Georgianorum Reginæ, istiusq; Filio Davidi, suū Regnū cum Apostolica Romana Ecclesia vniri exoptantibus scripsit *Epist. 193. lib. 13.* ipsos instruens ac edocens, & præclaram existimationem, qua Romanam Ecclesiam Fidei & Religionis Magistram erant prosequuturi, & impigrum animum, quo & se ipsos, & totum suum Imperium Apostolicæ Sedis Imperio sine aliquo sui Regni, & Policitiæ gubernationis detrimento, erant subdituri. * Vna est enim (inquit) Ecclesia Catholica, Christi Sponsa, qui Beato Petro, Apostolorum Principi ligandi & solvendi Potestatem committens, & Petrum ostendens: *Super hanc*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam*; vt ostēderet solū Petrū & singularem Ecclesiā diceret, plures Ecclesias esse, & diversos Ecclesię pręponi Pastores apertiùs prohiberet. Propter quod soli Petro, vt eius oves pasceret perpetuò Edicto præcipiēs & cōversionē Gētiū futuram esse prædicens, se illas Ecclesiæ primitivæ, de Iudæis exortæ, aggregatum fore prædixit, apertiùs imperās, vt ex ijs vnum ovile fieret, & Ecclesię de Iudęis, & Gētibus aggregandæ, Pastor vnicus præsideret.*

1091 Et paulò infra: * Licet enim plures populi in cultum sint Catholicæ Fidei congregati, omnes tamen vna censentur Ecclesia, dū vni Capiti, Christi Vicario, & Beati Petri Successori cervice re-

vernetiam exhibent inclinata. Reliqui verò qui eiusdem Capitis se non membra constituunt, quasi monstra sine capite, in viam perditionis abscedunt, quia sicut nec Christus dividitur, nec in se Deitas separatur, sic etiam Christus ascendens in Cęlum vnum reliquit in terris Vicarium; sic necesse est vt, ei omnium, qui Christi esse cupiunt, subdantur capita populorum. Sed nec ex hoc fratribus, & Episcopis nostris debitum honorem subtrahimus, quos à Beato Petro, & eius Successoribus in partem sollicitudinis evocatos, vices Dei, & Apostolicæ Sedis gerere minimè dubitamus.

1092 Quare (concludens ait) oportet, Filij charissimi, vt & vos, & cæteri vestræ iurisdictioni subiecti, Romanum Pontificem Beati Petri Successorem, & Christi Vicarium, Patrem, & Caput Fidei nostræ humilitèr agnoscentes, & dolentes, quod id bonum præteritis temporibus non fecistis; ei, & Ecclesiæ Romanæ vniri, & in his, quæ ad salutem animarum vestrarum, quam & nihil aliud postulamus à vobis, obedire curetis: cum enim solùm ab homine requiramus, vt Deum timeat, & ex tota mente ipsum diligens, in eius iustificatione procedat, non videtur sani spiritum habere consilij, qui suam in hoc negat obedientiam nobis impertiri. In hac quidem obedientia nullius quantumcumque potentis imperium, nullius honor Regis minuitur: sed ex hac omnium Potestas, & libertas augetur: quia illi dignè Populorum præsunt regimini, qui sicut ipsi alios pręcellere cupiunt, sic Divinæ student excellentiæ famulari.* Hactenùs ille.

1093 Pro maiori prædictæ Infallibilis Authoritatis munimine legi possunt Encyclicę eiusdem Pontificis litterę loco iam suprà laudato *ad Senonensem Archiepiscopum* directæ, quibus omnes Christiani Orbis Præsules proxima Christi Resurgentis Celebritate ad se accedere iussit.

1094 Alterum è præcipuis, ac maioris roboris argumentis, pro Suprema infallibili Romani Pontificis, in rebus Fidei, Authoritate, est, Romanos Pontifices Generalia Concilia convocare, eis præsidere, eaque confirmare, ac Apostolica sua Authoritate Fidei Decretis, quæ in Concilijs definiuntur, omnimodam certitudinem, ac Infallibilitatem tribuere. Id sufficienter demonstrat Generale Concilium Lugdunense, cui INNOCENTIVS IV. personaliter pręfuit; in hoc enim Concilio Imperator Fridericus II. ex Innocentij Pontificis præscripto iudicialiter accusatus fuit, vt de gravissimis suis sceleribus, & profusionibus, iudicaretur. At cum iste ad Concilium illud accedere pertinaciter renueret, Imperij privatione damnatus est. Vt autem innotescat, quàm magna sit Romani Pontificis, super maiores, ac Supremos Orbis Principes, Authoritas, verba illius Sentētię adducimus, vbi, inter alia, hęc habet: *Nos itaq; super pręmissis, & quam plurimis alijs nefandis eius, & exsecrandis excessibus, ac flagitijs, cum fratribus nostris Cardinalibus, & Sacrosancto Concilio deliberatione præhabita matura, & diligenti, cum Domini nostri IESV CHRISTI vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in Beati Petri Apostoli persona sit dictum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, &c.* Memoratum Principem, qui se Imperio & Regnis, omnique denique honore, ac Dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates, atque scelera, à Deo, ne regnet, vel imperet, est abiectus; suis ligatum peccatis à Deo abiectum, omnique honore, ac Dignitate privatum à Domino ostendimus, ac denunciamus, & nihilominus sententiando privamus.* Hæc ille.

1095 Idem Innocentius Pontifex Supremum suum in rebus Fidei, & Religionis Magisterium exequens, cum Russienses vehemens desiderium, quo Catholicę Romanæ Ecclesię reuniri, deposito Schismate æstuabant, ipsi aperuissent, gratulatoriam Epistolam, quę extat *lib. 3. Epist. 476.* ad eos hisce gravissimis verbis scripsit: * Cum in partibus Vestris mores, & ritus Græcorum, qui superstitiosè, ac damnabilitèr ab vnitate Ecclesiastica recesserunt, fuerint hactenùs non sine animarum periculis observati, & nuper gratia faciente Divina illuminata fuerint corda vestra, vt recognoscentes Romanam Ecclesiam Matrem aliarum omnium, & Magistram; ac Summum Pontificem Successorem Petri, cui collatæ sunt Claves Regni Cœlestis ligandi, & solvendi, & IESV CHRISTI Vicarium esse Caput; quia cum vnus sit Dominus, vna Fides, vnum Baptisma, vnum principium, vnum Corpus Ecclesiæ Militantis, Corpus cum pluribus capitibus monstruosum, & sine Capi-

Capite, Acephalum censeretur; ad devotionem, & obedientiam Apostolicæ Sedis, & nostram redire, sicut accepimus, affectetis; nos ei assurgentes in laudem, &c.* Hæc ille.

1096 Agrigentinus Episcopus, Supremum in rebus Fidei, & Religionis Magisterium, in Romano Pontifice agnoscens, GREGORIVM IX. consuluit: Num puer quadriennis in patris iam Christianis Sacris imbuti domo, an apud Matrem, in Iudaismo perstantem, educari deberet? Cui respondit in favorem Fidei, vt apud Patrem, Christiana Religione instituendus aleretur.

1097 Ipsum etiam Pontificem, in rebus Fidei, & Religionis, Barensis Archiepiscopus, consuluit; videlicet: An ij, qui à puro Sacerdote Sacro Chrismate inuncti fuerant, Confirmationis Sacramento re ipsa essent insigniti? Et respondit negativè: rationem reddens: Quia de solis Apostolis legitur, quorum sunt Episcopi Successores, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, & ideò tàm illi, quàm confirmandi de cætero à solis Episcopis consignentur.

1098 Ab eodem Pontifice Noruegensis Archiepiscopus in rebus Religionis, & Cultus quæsivit: Num ob maximam in illis Regionibus frumenti, vinique inopiam, vini loco cerevisia, atque ex altera specie, quàm frumento confectus panis, consecrari ad Christi Corpus conficiendum posset? Respondit *lib.* 11. *Epist.* 70. Fieri non posse.

1099 Daniel, Russiæ Rex Pijssimus, Innocentium IV. in rebus Cultus, & Religionis consuluit, vt constat *ex lib.* 5. *Epist.* 174. In cuius responsione Pontifex prędicto Regi concessit, vt Ritus, qui Romanæ Ecclesiæ non repugnarent, in ipsius Regno servarentur; ac fermentato pane pro conficiendo Christi Domini Corpore, Sacerdotes vterentur. Idem præstitit, cum nunnullis Proceribus Græcis Schisma abiurantibus, vt patet ex eius *litteris ad Tusculanum Episcopum*, *lib.* 11. *Epist.* 502. vbi aliquas etiam controversias, quas Græci, & Latini magna animorum contentione ventilabant, diremit.

1100 Pontifex ALEXANDER IV. vtens Suprema Authoritate, qua ad iudicandum de Supremis Fidei causis vniversaliter in tota pollebat Ecclesia, Guilliel-mum quemdam Matisconensem Canonicum, Romam evocatum, in publico Cardinalium consessu damnavit, ac non solùm eius librum, quem in suo edicto non rationabilem, sed reprobabilem; non veritatis, sed mendacij; non eruditionis, sed derogationis; non monentem, sed mordentem: non instruentẽ veraciter, sed fallẽtem appellat, in omniũ conspectu igni tradi voluit; sed ipse Guillielm[us] insuper tùm Ecclesiastici Ordinis functione, tùm omnibus etiam redditibus privatus est, atque à Ludovico Rege tota Gallia interdictus.

1101 Ab eodem Alexandro IV. condemnatus fuit Ioannes Parmensis, istiusque liber *Evangelij Æterni* titulo divulgatus, putidissimis erroribus, ac blasphemijs refertus voracibus flammis addictus.

1102 Pro eodem Supremo Romani Pontificis, in rebus Fidei Magisterio, ac illius vsu, præclarè facit *E. i l.* 134. *quam* PONTIFEX VRBANVS IV. Natione Gallus *ad Paleologum Imperatorem* scripsit. Cum enim prædictus Imperator; Imperij nomine, suæ Ecclesiæ Gręcæ cum Catholicę Romanæ Ecclesiæ Fide, & Religione reunionem vehementer optasset, Sanctissimus Pontifex, hæc, inter alia, prædicto Imperatori respondit: * Vndè à nobis cum multa instantia petivisti, vt Nos, qui Principatum habemus omnium Sacerdotum, sumusque Doctor Vniversalis Catholicę Ecclesiæ, ad vniendam amodo hanc Ecclesiam, cui constanter affirmas Deũ Nos loco B. Petri singulariter præfecisse, ardẽti sẽper desiderio laboremus, pręsertim cum ad hoc tua tranquillitas, seu benignitas adeò in omnibus, & per omnia prompta sit exposita penitùs, & parata, quod prædictæ Romanæ Ecclesiæ Matri tuæ, tamquam totius Catholicæ Ecclesiæ corpori, Præpositæ, & Magistræ, omnes nationes & gentes, cunctasque Patriarchales Sedes extenso, per Divinæ virtutis gratiam, pręcelso Imperij tui brachio, sicut tua Serenitas obtulit planè subijcias ad laudem, & Gloriam Divini Nominis, & Christianæ Religionis augmentum, &c.* Hæc ille.

1103 Mirabilis etiam est Epistola, quã CLEMENS IV. Natione etiam Gallus *Paleologo Imperatori*, scripsit. Cum enim Imperator desiderium, quo à Pontifice congregari Concilium vehementer optabat, ipsi Pontifici aperuisset, Pontifex Apostolico suo Zelo, ac invicto animo ipsi Imperatori explicuit, ac docuit quasnam

ob Fidei causas Concilium congregari oporteat, istudque nullatenus esse congregandum, vt Fidei Decreta, & Definitiones, quæ vel à Concilio, vel ab Apostolica Sede emanarunt, in illo discutiantur, aut vt in dubium, & controversiam quoquo modo revocentur; sic enim scribit: * Porrò pręscriptam purissimam, certissimam, & solidissimam Orthodoxæ Fidei veritatem, Evangelicæ Doctrinæ consonam, à Sanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum in suis Synodis definitione firmatam, sicut nec decet, sic nec volumus novę discussioni, ac definitioni subijcere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas, & licitum in dubium revocando. Ideòque, licet in pręfata Scriptura de convocatione Concilij ageretur, licet per tuas præfatas litteras, Concilium in terra tua convocari petieris, nos tamen nullo modo proponimus, Concilium, ad discussionem, seu definitionem huiusmodi convocare.

1104 Non quod (prosequitur ipse) cuiusquam faciem vereamur, vel eandem Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, Græcorum superari pręsentia timeamus, sed quia prorsùs indecens foret, immò nec licet, nec expedit, in dubium revocari præmissam verę Fidei puritatem tot Sacræ Paginę authoritatibus, tot Sanctorum roboratam sententijs, tot Romanorum Pontificum stabili Definitione firmatam: pro cuius defensione, si necesse foret parati essemus subire Martyrium, & morti etiam exponere corpus nostrum, quam ideò ad præsens nequaquam Authoritatibus, quarum tamen satis copia nobis pro voce suppeteret, iuvare curavimus, sed in simplicitate veridica, sic purè, sic explicatè, tam prædictis tuis exhibendam Nuntijs, quam tibi decrevimus destinandam.* Hæc ille.

1105 Si ergo Sanctissimus iste Pontifex, Natione Gallus, tam acerbè tulit, aliquas Ecclesiæ Definitiones ea Prudentia, & maturitate, qua Ecclesia vtitur, statutas, in dubium, & controversiam in Gręcia revocari; quàm molestè ferret Romanorum Pontificum Authoritatem, in rebus Fidei extra Concilium definiendis, in suo ipso Galliç Regno, in dubium, & hæsitationem venire? Hoc enim ipso innumeræ Fidei Definitiones, quæ in omnibus sæculis à Romanis Pontificibus extra Concilium emanarunt; multæ insuper hęresum damnationes ab Ecclesia singulari plausu, & acceptatione receptæ, quarum plurimæ ad pias Regnorum petitiones, aliæ verò ad iteratas, & sollicitas Christianissimorum Galliæ Regum, Sanctissimorumque illius Regni Prælatorum preces, à Romanis Pontificibus extra Concilium prolatę, ac statutæ fuerunt, revocarentur in dubium; ex quo ad innumera prolaberemur absurda, omninò ab Ecclesia vitanda.

1106 Ipse Clemens Pontifex, Apostolicum suum erga Ecclesiam Zelum, & invictam animi fortitudinem exercens, Constitutionem pro Vrbis, Ecclesię, & Regni Siciliç conservatione edidit, qua Supremam Pontificis Authoritatem, ac in rebus Fidei, & morum firmam, & stabilem Divi Petri, istiusque Successorum Indefectibilitatem affatim ostendit. *Fundamenta (ait) Militantis Ecclesiæ, in Montibus Sanctis, Propheta rememorans, per Montes, Apostolos, & Prædicatores patentèr insinuat, quibus tota huiusmodi Ædificij fabrica confidentèr innititur: qui firmæ bases Ecclesiæ super Fundamento, præter quod, nemo aliud ponere potest, quod est Christus IESVS, veluti summo angulari Lapide solidantur: vt veritas, quæ antea legis, & Prophetarum præconio vehebatur, per Apostolicam tubam in salutem Vniversitatis exiret: sicut scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum*: Huius autem muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in Beato Petro, Apostolorum omnium Summo, principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodã Capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hunc enim in consortium individuæ vnitatis assumptum, id, quod ipse erat Dominus, voluit nominari dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: vt æterni Templi structura, Deo ædificante constructa, mirabili munere gratiæ Dei in Petri consisteret firmitate.* Hactenus Pontifex.

§. XIII.

EX SAECVLO QVARTODECIMO.

1107 GRavissimę fuere controversiæ, quę Religiosos inter, & Parochos hoc Quartodecimo sęculo subortæ sunt; isti enim contendebant

bant Confessionem annuam, & quæ sub præcepto cadit, ni proprio Parrocho fieret, licitam non esse; Confessionemque in Religiosorũ Cęnobijs factam esse proprio Parrocho repetendã, ac reiterandam. Vnde Apostolica indulta Religiosis minimè suffragari firmissimè tuebantur. Cumque gravissimis pro vtraque parte scriptis decertatum fuisset, multique è Sanctis Patribus & vita, & scriptis à Regularibus stetissent: quamvis tanta disceptatio sub Bonifacio VIII. terminari non potuisset; nihilominus tamen BENEDICTVS XI. suprema sua Authoritate in hujusmodi Religionis, ac Fidei quæstionibus, infallibili pronunciavit: Confessionem Regularibus factam repetere Parocho, necessarium non esse: nec Sentẽtias, ac Censuras in Religiosos viros, qui sacras Fidelium Confessiones exceperant, latas, quidquam valere. Contra quæ postea Ioannes è Poliaco Parisiensis Doctor ausus est quidem inania aliqua efutire, quę tamen in Cardinalium Consistorio Ioannes 22. Summus Pontifex damnavit.

1108 Pontifex CLEMENS V. natione Gallus, Apostolicum suum Zelum in hæresum condemnatione, & extirpatione apertissimè ostendit. Dulcini enim Sectam, Begardorumque, & Beguinorum hæreses condemnavit. Ad morum insuper reformationem Viennæ, Generale Concilium, plusquam trecentorum Episcoporum, Patrum, & Prælatorum, præter Cardinales, duosque Patriarchas, Alexandrinum videlicet, & Antiochenum, indixit; vt constat *ex litteris ad prædicti Concilij convocationem editis, & ad omnes Ecclesiasticos, Christianosque Principes directis*, quibus Vniversale Romanorum Pontificum in tota Ecclesia, in rebus Fidei, & morum Magisterium, clarissimè demonstratur: * Sancta (inquit) Romana Ecclesia, Mater Alma Fidelium Caput est, disponente Domino, Ecclesiarum omnium aliarum & Magistra, à qua veluti à Primitivo Fõte, ad singulas Ecclesias eiusdem Fidei rivuli derivantur; ad cuius regimen voluit Christi Clementia, Romanum Pontificem vice sui deputare Ministrum, vt instructionem, ac Doctrinam ipsius, eloquio veritatis Evangelicæ traditam, cuncti renati Fonte Baptismatis teneant, & conservent.*

1109 Vnde cum Romana Ecclesia Apostolico suo Magisterio, sit Fidei cęterarum Ecclesiarum Fons, & Origo, vt apertè testatur, & altè probat Sanctissimus iste Pontifex, Natione Gallus, necesse est, vt nedum ipsius Christianissimi Regni Fideles, verum & omnes totius Christiani Orbis gentes, Romanę Ecclesiæ Magisterium Indefectibile fateantur, ac Privilegium non errandi Summũ Ecclesiæ Presulem securissimè potiri, dum Ecclesiam docet, in rebus Fidei, confiteantur.

1110 IOANNES XXII. Apostolicũ suũ in rebus Fidei Magisterium indefectibile exequens, varia Decreta pro Fidei puritate cõservanda, ac hæresum vepribus à dominico agro eradicandis edidit, ac promulgavit, vt, inter alia, apertissimè demonstrat *Rescriptum cõtra Fraticellos Hæreticos* expeditum, quod sic incipit: *Sancta Romana, atque Vniversalis Ecclesia.* Necnõ aliud, quod incipit: *Gloriosam Ecclesiam.* Vbi primùm eorum reprehendens errores adversus Ecclesiam Romanam asserit: * Vna est igitur Sancta Vniversalis Apostolica, atque Romana Ecclesia quę non humana præsumptione, seu Potestate nititur, sed Divina, & prorsus incommutabili Authoritate fundatur, cuius egregium Primatum siquis impiè docendo negat, non solùm criminosus, aut schismaticus esse convincitur, sed hæreticus, impietatis suæ meritò, Divina etiam, atque humana ratione, & Authoritate censetur: quia peccatum paganitatis incurrit quisquis dùm se Christianum asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit; cui inter cętera dona, hoc privata largitione concessum est, vt saluberrima Fides, quam Beatus Petrus Cœlesti Patre revelante cognovit, & immensa Potestas, quam ei in eodem Apostolorum Principe, Christus indulsit, sic per legitimam Romanorum Pontificum successionem illibata decurrat, vt illam vsque ad finem sæculi, nec perfidia maculet, nec adulterini Pastoris Pontificium interrumpat, &c.* Quibus verbis quidquid pro Romanorum Pontificum Privilegio non errandi in rebus Fidei, & morum definiendis dici potest, insertur, ac confirmatur.

1111 Apostolicum, & Pastoralem Zelum, qui in Romanis Pontificibus residet, præclarè confirmat BENEDICTVS XII. dùm Fraticellorum hæreses, quas priùs Cardinalium Collegio adscriptus confutarat, creatus Pontifex condemnavit, *Epist.* 410. vt refert præclarissimus Di-

Directorij Inquisitorum Author Illustrissimus Eymericus, hæreticæ pravitatis Inquisitor acerrimus, ac debellator, Natione Gotholanus, vita, & Doctrina Insignis.

1112 Idem Pontifex Benedictus præclarum Supremæ Pontificiæ Authoritatis, ac vniversalis in Ecclesia Magisterij specimen dedit *in Constitutione pro Patriarcharum subrogatione, & Patriarchalium Sedium Institutione*; in illa enim sic loquitur: * Sancta Romana Ecclesia, quæ, disponente Domino, super omnes alias, ordinariæ Potestatis obtinet Principatum à Deo, vtpotè Mater vniversorum Christi Fidelium, & Magistra, quatuor Patriarchales Sedes instituit, &c.*

1113 Pro maiori Pontificiæ Infallibilitatis argumento, ac firmiori munimine in rebus Fidei, & Religionis, prætermitti non potest id, quod INNOCENTIVS IV. Pontifex Maximus, Apostolico Zelo *ad Iuannichum, Serbiæ Patriarcham* scripsit, vt iste ad Romanæ Ecclesię Fidem, & cultum rediret; his enim gravissimis verbis alloquitur: * Mediator Dei, & hominum CHRISTVS IESVS in Petri Petra, Romana videlicet & Catholica, & Apostolica Ecclesia, omnium Fidelium Christi Matre, quam solus ipse fundavit, & rexit, ac regit, & quæ super cunctas alias Orbis Ecclesias, Divina dispositione, Primatum Fidei, cuius idem ipse Christus Author est, sic solidè fundamenta locavit, sicque illam insolubili vinculo, & inseparabili vnione copulavit eidem, quod licet multos ab ipsius Ecclesiæ corpore, fallente diabolo, vel contagiosus hæresis morbus abiecerit, vel scissura damnati Schismatis separarit, ipsius tamen Fidei immaculata sinceritas apud eamdem Ecclesiam inseparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abscessum paleæ purgatiùs remanet, & lux fulgentis Sideris, quæ apparet clarior per excussionem offuscantium nebularum, semper purior elucescit.* Hactenùs ille.

§. XIV.

EX SAECVLO QVINTODECIMO.

1114 SIlentio prætereundum non est XYSTI IV. Pontificis maximi memorabile factum, qui Florentinis, ob Archiepiscopum Pisanum, ab ipsis laqueo suffocatum, Sacris interdixit; Laurentiumque de Medicis ob id ipsum Anathemate percusit. Cumque Ludovicus, Galliæ Rex Florentinis patrocinatus, Legatos ad prędictum Pontificem misisset, vt Interdicti, & Anathematis Decretum revocaret, ac, si nollet, Generalis Concilij convocationem peterent: Sanctissimus Pontifex pro suæ Ecclesiæ Immunitate, Zelo, ac invicta fortitudine dignissima verba, quæ Illustrissimus Spondanus *ad annum Christi* 1478. *nu.* 11. *ex Vaticano Codice* refert, respondit: * Si Rex Christianissimus, ęqui, & iusti amantissimus, atque libertatis Ecclesiasticę, & totius Religionis Orthodoxę observantissimus, vt audivit Laurentij Medicei quærelas, aliquem pariter pro parte Pontificis audivisset, numquam eiusmodi Legationem missurum fuisse: Nec consuevisse Christianissimos Reges facilè se committere Iudicio Dei, & pœnis, quas Lex Divina resistentibus Iudicio Summi Sacerdotis infligit; quin potiùs Carolum Magnum, à cuius sanguine derivantur, imitari, cuius hæc fuit Sententia, vt in memoriam Beati Petri Apostoli honoretur Sancta Romana Ecclesia, & Apostolica Sedes, vt quę Sacerdotalis Mater est Dignitatis, sit etiam Ecclesiasticę Magistra rationis: ac prętereà servandam esse cum omni mansuetudine humilitatem, & licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen ferendum esse, ac pia devotione tolerandum.

1115 Licet autem (prosequitur ipse) Pontifex, iuxta Decreta Patrum, de Iudicijs suis nulli teneatur exhibere rationem; nihilominùs de singulis Regi, per Nuntium ad eum missum, eiusque Oratoribus proprio ore rationem reddere: facturumque diligentiùs, cum primùm ad Vrbem redijsset: (Erat enim tunc propter pestē Romę grassantem, in Oppido Bracciano.) Ad petitionem autem Concilij Generalis respondit: si facilis eius convocatio esset, nihil sibi conducibilius in prȩsenti causa esse: non enim in ijs Principes, ac Reges Sæculares præsidere debêre, sed Romanum Pontificem; & quorum est ijs interesse, Antistites, & Sacerdotes, neminem eorum non dicturum libertatem Ecclesiasticam conservandam esse; & ius fori, quod nec ipse Romanus Pon-

Pontifex tollere Sacerdotibus potest, illibatum permanere: Quod adeò turpitèr Laurentius violavit, cum Archiepiscopum non legitime damnatum, non ritè degradatum, turpissima morte sustulit: Opportunissimum igitur futurum Pontifici, si Concilium ad hęc congregari posset: verùm multo tempore indigere, quoniam consulendus esset Imperator, & alij Christiani Reges, vocandique ex vniverso Orbe Pręlati; cum & alioqui non ad Regum libitum Concilia convocanda sint, sed solius sit Romani Pontificis de necessitate Concilij iudicare: quę nullo modo satis conveniens videretur.*

1116 Ipse Pontifex Sixtus IV. suprema sua Authoritate, in rebus Fidei infallibili vtens, Petri Oxomensis errores, quibus pręcipuè in Romanę Sedis maiestatem, & Pęnitentiæ Sacramentum contumeliosus, Romana responsa errori obnoxia esse affirmabat, &c. Primùm eius iussu ab Alphonso Carrillo Archiepiscopo Toletano examinatos, & condemnatos, rursum examinatos Romę sua Constitutione damnavit, rata habita præfati Archiepiscopi sententia, vt habetur *Constitutione* 17. *Xysti IV. tom.* 1. *Bullarij.*

§. XV.

EX SAECVLO SEXTODECIMO.

1117 EFFulsit etiam hoc Sextodecimo sæculo assiduus Romanorum Pontificum Zelus, præclarumque infallibilis eorundam, in rebus Fidei Authoritatis exercitium, vt apertè demonstrat Lateranensis Concilij convocatio à IVLIO II. Pontifice facta, vt refert Illustrissimus Spondanus natione Gallus *ad annum Christi* 1510. ad extirpationem hæresum, & schismatum, reformationem morum, tam Ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum, quę de iure, vel consuetudine reformationi, vel determinationi Concilij subijciuntur, bellorum Christianorum extinctionem, & vt vnicuique, quod iustum erat, redderetur, ac tandem ad expeditionis adversus Infideles susceptionem, vt constat *ex vigesimasexta prædicti Pontificis Iulij Constitutione*, quę habetur, *Tom.* 1. *Bullarum.* Hoc autem Pontificium Diploma à toto Christiano Orbe summa veneratione susceptum fuit, & illius virtute omnes Pręlati, omnesque Christiani Principes, opem tam Sanctis propositis laturi, ad illā Synodum confluxerunt. Prima autem prædictæ Bullæ verba, quę Supremam Romani Pontificis Authoritatem, ipsiusque Privilegium non errandi in rebus Fidei & Religionis statuendis præclarè commendant, omnem sibi attentionem, & ęstimationem merentur, non solum quia prędictum Diploma ab omnibus Ecclesiæ Pręlatis divisim sumptis, magno omnium Ecclesiarum plausu acceptum est, sed etiam à tota Ecclesia collectivè considerata, & in prædicto Generali Concilio repræsentata, singulari veneratione lectum, & susceptum est. Illa ergo audiamus.

1118 Sacrosanctæ (inquit) Romanæ Ecclesiæ, Martyrum sanguine consecratæ, Magistrę Fidei, veritatis alumnę, omnium errorum expertis, vnicæ, & immaculatæ, Divina Institutione, Sanctorum Authoritatibus, Conciliorum, Canonumque omnium testimonio, Ecclesiarum cunctarum Primatum tenentis, Fidelium Matris, regimini Superna dispositione Præsidentes, circa Religionis Christianæ puritatem, ipsiusque vnitatem, pacem, & tranquillitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum Caput, Christum videlicet, cuius vices in terris gerimus, principalitèr tendit, divisionem ovilis nobis ex alto commissi, in illoque Schisma, per quod Ecclesia scindi, & scandalizari, Grexque Dominicus nobis creditus turbari quoquo modo possit, quantum cum Deo possumus, prohibentes, &c.* Hæc ille.

1119 Infallibilem Romanorum Pontificum Authoritatem, ipsorumque Privilegium non errandi in rebus Fidei, & morum definiendis, præclarè confirmat antiquissimus, ac Vniversalissimus omnium Generalium Conciliorum vsus. Solent namque Generalia Concilia in omnibus Fidei, & Religionis materijs Decretorum suorum confirmationem, firmitudinem, & stabilitatem à Romano Pontifice, pro antiquissima consuetudine, in omnibus servata Concilijs, petere, & humilitèr exposcere, vt hic tamquam Christiani Populi Præsul in tota Ecclesia, prædicta Decreta servari præcipiat, vt patet ex Bulla PII IV. *anno* 1560. & sui Pontificatus primo edita, & ex Bulla, quam *anno* 4. sui Pontificatus iussit expediri, audita supplici deprecatione, qua Eminentissimi Cardinales Moronus, & Simoneta, nomine Concilij

cilij Tridentini, in quo prҫfuerunt, ab ipso humiliter petierunt, vt omnia ab eo confirmarentur Decreta, & Statuta in illo Concilio edita. In illa autem, quæ sic incipit: *Benedictus*; hęc, inter alia, propè medium leguntur: * Cum autem ipsa Sancta Synodus, pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigijs inhęrens, Decretorum suorum omnium, quę nostro, & Prædecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem à nobis petierit, Decreto de ea re in publica Sessione facto, Nos ex Legatorum litteris priùs, deindè post reditum eorum, ex ijs quæ Synodi nomine diligẽtèr retulerũt, postulatione ipsius Synodi cognita, habita super hac re cum Venerabilibus Fratribus nostris, Sãctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione matura, Sanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea Decreta omnia Catholica, & Populo Christiano vtilia, ac salutaria esse cognovissemus, ad Dei Omnipotentis laudem, de eorundem Fratrum nostrorum consilio, & assensu, in Consistorio nostro secreto, illa omnia, & singula, Authoritate Apostolica hodie confirmavimus, & ab omnibus Christi Fidelibus suscipienda, ac servanda esse decernimus, sicut harum quoque Litterarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & suscipi, observarique decernimus.*

1120 Vt autem hęc clariùs innotescant, legatur *Sess. 25. eiusdem Tridentini*, vbi de fine Concilij, & confirmatione à Sanctissimo Papa petenda, hæc habentur: * Illustrissimi Domini, Reverendissimique Patres, placet ne vobis, vt ad laudem Dei Omnipotentis huic Sacræ Oecumenicę Synodo finis imponatur? & omnium, & singulorum, quę tam sub Felicis recordationis Paulo III. & Iulio III. quàm sub Sanctissimo Domino nostro Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta, & definita sunt, confirmatio nomine huius Sanctę Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & Pręsidentes à Beatissimo Romano Pontifice petatur? Responderunt, placet.* Ex quibus manifestè deducitur, Concilium, cum confirmationem, firmitatem, & stabilitatem non modo in morum, sed in Fidei etiam Decretis à Romano Pontifice exposcat, duo apertissimè supponere. Primum est: Concilium per se ipsum, & independenter à Pontificis confirmatione talem stabilitatem & Infallibilitatem non habere. Secundum est, ipsum Concilium, totamque Ecclesiam in solo Summo Pontifice, tamquam supremo illius Capite Infallibilitatis donum, Privilegiumque non errandi, in rebus Fidei definiendis, agnoscere; nã frustrà Conciliũ in suis Infallibilibus Fidei Decretis huiusmodi confirmationem desideraret, & peteret, ni certissimè agnosceret indefectibilem Fidei certitudinem, inconcussamque ipsius firmitatem in Romanis Pontificibus tamquam Petri Successoribus reperiri, iuxta illam Christi promissionem Apostolorum Principi factam, *Lucæ 22. Ego rogavi pro te, Petre, vt non deficiat Fides tua.* Illa enim Christi promissio iuxta communem Sanctorum Ecclesiæ Patrum intelligentiam, soli Petro facta non est, sed etiam istius Successoribus, quibus Christus in ipso Petro indefectibilitatis gratiam, privilegiumque non errandi in Fide communicavit, vt Ecclesiam certiùs, ac securiùs gubernarent, possentque Fideles, omni dubitatione semota, certiores effici, ac securiores reddi de Catholicis veritatibus, quas credituri essent, ac sequuturi. In hoc enim prҫcipuum, & solidiùs Christianæ Religionis, ac Catholicę Monarchiæ fundamentum innititur.

1121 Vt autem frequens, & assiduus Supremę Romanorum Pontificum Authoritatis vsus in causis Fidei, Religionis, & morum à secundo Sæculo ad hęc vsque tempora, ceu manifesta Traditio in omnibus Christiani Orbis Regnis servata innotescat, adducam id quod sub INNOCENTIO X. contigit, dùm Iansenij Episcopi Iprensis propositiones, vt hæreticas, temerarias, impias, & scandalosas respectivè, ad pias, & repetitas Francorum Regis, illiusque Regni Episcoporum preces, Sanctissimus Pontifex condemnavit. Apertè id demõstrat ipsius Põtificis, *Epist. ad Ludovicum Decimumquartum, Galliæ Regem*, his verbis: * Charissime in Christo fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Constitutionem, qua post longam accurati examinis indaginem, & Spiritus Sancti lumen publicè, ac privatim sepiùs imploratum, quid sentiendum sit de quibusdam propositionibus, declaravimus, & definivimus, Maiestati tuæ cum his litteris mittimus. Ex ea Sententiam Catholicæ Fidei in gravi hoc negotio à nobis audies: nec dubitamus, quin eadem futu-

futura sit cùm Populis Christianis salutaris, tùm summoperè grata Pietati tuę; cum pręsertim & ipse per oratorem tuum pro Sanctę huius Sedis super his Decisione apud nos institeris. Maiestati tuę Benedictionem Apostolicam amantissimè impertimur. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, *die 31. Maij. 1653. Pontificatus nostri anno 9.** Hæc ille.

1121 Pro nobis etiam egregiè facit ipsius Innocentij Epistola *ad Galliæ Episcopos* data. Cum enim isti, Christianissimum illud Regnum, tot sententiarum varietate, ab his, qui Iansenio adhæserant, adeò perturbari conspexissent, vt in illo Catholicę Fidei puritas in summo discrimine versaretur, ad Innocentium X. vt ad vniversalem Magistrum confugerunt; & vt definiret quid rei esset, humiliter postularunt, quibus sic respondit Pontifex. *Venerabiles Fratres; Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Rectè, atque ordine fecit Fraternitatum vestrarum pietas, quæ cum in Ecclesijs istis propositionum, de quibus ad nos scripsistis, occasione, turbas ingentes excitari cerneret, ascendit ad locum hunc Sanctum, quem elegit Dominus, vt Catholicam super his veritatem à nobis quæreret. Nos igitur post longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas, quid sentiendum sit de propositionibus illis declaravimus, ac definivimus hac Constitutione, quam cum his litteris ad vos mittimus. Ex ea sententiam Orthodoxę Fidei in gravi hoc negotio à nobis audietis, nec dubitamus, quin futura sit cùm Populis Christianis salutaris, tùm summoperè grata insigni Zelo Fraternitatum vestrarum, quibus Benedictionem Apostolicam peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariã Maiorẽ, sub annulo Piscatoris, die 31. Maij anno 1653. Pontificatus nostri anno 9.* * Hęc ille.

1122 Ad maiorem eorum, quæ diximus, intelligentiam apponam hic ea, quæ ad rem nostram aptiora videntur desumpta ex Constitutione, cuius in prędicta Epistola meminit Innocentius; in illa siquidem Sanctissimus Pontifex Infallibilem suam in rebus Fidei & religionis Authoritatem ostendens, veritatem Catholicam, quam tota Ecclesia tenere debet, declaravit; errores, quos Catholici omnes declinare tenentur, aperuit; ac tandem Apostolica sua Authoritate prædictis controversijs finem imposuit. Sic ergo prædictum Pontificium Diploma incipit: *Vniversis Christi fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim in Gallijs, controversia super quinque ex illis; complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, vt easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.*

1123 Omissis autem alijs, quę in prędicta Bulla continentur, ne pluribus, quàm res, & materia ipsa postulat, obtundamus lectorem, iuditium tantummodo, & Sententiam, quam de prædictis propositionibus protulit Pontifex, adducemus. Sic ergo inquit: * Cum autem ab initio huiuscemodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi Fideliũ preces, tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per nos sollicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favẽte, ad infrascriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

1124 Primam prædictarum propositionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; Deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

1125 Secundam: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nũquam resistitur*: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

1126 Tertiam: *Ad merendũ, & demerendũ in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

1127 Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*: falsam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

1128 Quintam: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse*, falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, *vt Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit*, impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ Pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

1129 Mandamus igitur omnibus Christi Fidelibus vtriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prędicare aliter præsumant, quàm in hac præsēti nostra Declaratione, & Definitione cōtinetur, sub Censuris, & penis contra hęreticos, & eorum fautores in Iure expressis.* Hæc prælaudatus Pontifex.

1130 Vnde cum prædicta Definitio Veritatum Orthodoxa Fide credendarum, & refutatio errorum indeffectibiliter evitandorum, à Romano Pontifice facta, & pijs Christianissimi Regis, nec non sui Regni Episcoporum, & Præsulum precibus obtenta, communi omnium plausu tāquam Generale Fidei Dogma à Romano Pōtifice, non quidem intrà, sed extrà Concilium dimanans, in tota Ecclesia fuerit recepta; hinc perspicuum fit, & quasi per legitimam, & necessariam consequentiam deducitur, infallibilem Authoritatem in rebus Fidei decernendis, & in Vniversa Ecclesia præcipiendis, in Romano Pontifice extrà Concilium, certissimè residere. Quod non modò ex dictis deducitur, sed denuò etiam ex eorundem Galliç Præsulum Doctrina roboratur, & ex dictis, dū ab Innocentio Pontifice definitivam Sententiam extra Concilium in relatis Fidei controversijs humiliter postularunt. Vbi luce clariùs apparet, Sanctissimos Præsules omninò probatam supponere Romani Pontificis Infallibilitatem, dùm è Cathedra, quantumvis extra Concilium, definit. Quod vt clariùs innotescat, legatur Epistola ab eisdem rescripta, post receptum Decretum, quod Innocentij Iansenij propositiones damnavit; in illa enim, hæc, quę infrà adducimus, inter alia scribunt.

1131 *Quo in negotio illud observatione dignum accidit, vt quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporū consultationem, hęresim ex adverso Pelagianæ oppositam, Innocentius X. Authoritate sua proscripserit. Enim verò vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica *sola Cathedræ Petri Communione, & Authoritate fulta*, quæ in Decretali Epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zosimi altera ad vniversos Orbis Episcopos Epistola subsequuta est, Pelagianę hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit.

1132 Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversus Appollinarium, & Macedonium, nondùm ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulò ante iactis, Iudicia, pro sancienda regula Fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (sivè suam in Actis relationis sententiam ponant, sivè omittant, prout illis collibuerit) Divina æquè, ac summa per Vniversam Ecclesiam Authoritate niti: cui Christiani omnes ex Officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Ea nos quoque sententia, ac Fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ pręsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, Authoritatem, debita observantia colentes, Constitutionem Divini Numinis instinctu à Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenarum Archiepiscopo, Nuntio Apostolico, & promulgandam curavimus in Ecclesijs, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud Fideles Populos vrgebimus.*

1133 Tandem pro nostra assertione sunt duo celeberrima facta apud Gallos, quibus certissimè agnoscitur, quanta æstimatione, quantaque debita veneratione illius Nationis Principes, tamquam Magistram Fidei, ac regulam infallibilem eiusdem, Supremam scilicet Apostolicam Sedem Romanam habuerint. Quapropter ea pro coronide huius Capitis adducenda censuimus.

1134 Estque primū CLODOVEI, Primi Regis Francorum Christianissimi, qui (vt Author est Hincmarus in vita S. Remigij) Coronam auream cum gemmis, quæ Regnum solet appellari, misit ad Hormisdam, ex quo Christiano Orbi notum fuit, ad Supremam Divi Petri Sedem fuisse erectum, Supremam in eo, & vltra quam maior in terris non datur, agnoscens Authoritatem; cuius doni, ex à Deo ipse con-

consequutus est merces, vt Francorum Regni (teste Baronio) Corona hactenus perseveret, quod certè sine miraculo esse de facili nemo inveniet. Et quid mirum si tot sæculis antea dictum fuerat ab Andrea Duallio in fine tractatus de Summo Pontifice.

Pax erit, & toto florebit Gallia Mundo,
Donec adhærebunt lilia Pontifici.
Pax erit, & puro fulgebit Gallia flore,
Dùm Claves, cingent lilia, Pontificis.

1135 Alterum autem erit S. AVITI, Episcopi Viennensis, qui desiderans scire Statum Ecclesiæ Orientalis, ad Hormisdam scripsit, dicens: * Eutychetis igitur, Nestorijque damnatio, quos iam dudum per Beatissimos Prędecessores, Sanctæ Sedis Vestræ calcavit Authoritas, ad notitiam iam pridem nostram, Apostolicę ad nos diligentię, provisione perlata est.*

1136 Deindè in fine subdit: * Quęsumus ergo servitio meo iuncto, vt quid in filijs Vestris, fratribus meis, id est, Gallicanis, si consular, respondere debeam, instruatis. Quia iam securus, non dicam de Viennensi, sed totius Galliæ devotione pollicear, omnes super Statu Fidei Vestram captare Sententiam. Orate, vt sic nos prædictorum fucata Professio non fallat, sicut ab vnitate, quam regitis, veritas comperta non separat.* Hæc ille.

1137 Ex hoc conspicuo antecedenti indubitabiliter deducitur, Infallibilitatis gratiam, necnon Privilegium non errandi Supremæ Pontificiæ Authoritatis charactéri esse indispensabiliter annexam, quando Pontifex è Cathedra, quantumvis extra Concilium, vel Fidei Dogmata docet, vel ea Vniversę Ecclesiæ proponit, aut hæresim aliquam condemnat, vt ita Fideles in Fidei puritate stabiliantur. Huius illationis, & Assertionis certitudo Apostolica Traditione, qua cæteræ Fidei veritates comprobantur, non ineficaci innititur argumento; sunt namque principaliores Apostolicæ Traditionis radices, vt cum Sancto Vincentio Lirinensi diximus, Vniversalitas, Antiquitas, & communis Doctorum consensus, quarum quævis, si in Ecclesia reperiatur, veram efficit Traditionem. Cum ergo suprà diffusè, ac latè ostenderimus, hoc non errandi Privilegium in rebus, tùm Fidei, tùm morum, adeò esse antiquius, vt originem suam non à tempore Apostolorum ætate consequenti, sed immediatè à Christo Domino ducat; esseque non modo ab Ecclesiæ Patribus, & Pręsulibus vniversaliter acceptum, verumetiam à Christianorum Regnis per tot sæcula pari consensu admissum: necnon à celeberrimis Patribus, tùm in Concilijs Synodalibus, & Nationalibus, tùm Generalibus approbatum: & ab Imperatoribus, Regibus, ac Regnis ab Oriente, vsque ad Occidentem florentibus, veneratum; ac tandem vt sufficienter stabiliatur ipso vsu, & praxi proferendi vltimam in Fidei Dogmatibus Definitionem, & damnandi hæreses per totam Ecclesiam, qui vsus summo omnium plausu per tot sęcula in Ecclesia receptus viguit, vt ostendunt fermè centū & triginta Pontificū testimonia, qui, & pręclara sua Sanctitate, & summa dicendi libertate qua pollent, eo quod fuerint à Deo indifferenter in veritatis Magistros electi, eximiam suis dictis Fidē, & Authoritatē conciliarunt, & pleni assensus dignissimi efficiuntur. Cum, inquam, hæc omnia à nobis satis fuerint stabilita; hinc evidenter concluditur, omnia prærequisita veram, & legitimam Apostolicam Traditionem firmantia pro Romanorum Pontificum Infallibilitate, ipsorumque non errandi Privilegio apertissimè militare, eamque præclarissimè ostendere; at Apostolica Traditio, vt suprà latè diximus, est efficax argumentum ad Catholicum Dogma comprobandum: igitur licet ex Scriptura, & tot Patrum testimonijs suprà relatis, infallibilis Romani Pontificis Authoritas, ad res Fidei extrà Concilium definiendas, non convinceretur, adhuc nihilominùs ex vi Traditionis maneret nostra Assertio, tamquam Fidei Dogma, & infallibilis veritas in tali certitudinis gradu, vt possit ab Ecclesia, quoties libuerit, tamquam de Fide definiri.



CAP. XII.

ROMANI PONTIFICIS Infallibilitas, eiusque in rebus Fidei, morum, & Religionis Privilegium rationibus stabilitur.

1138 HVcusque Romani Pontificis Infallibilitatem in rebus Fidei, & morum definiendis, Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Patrum testimonijs plenè ostendimus, eamdemque Suprema tot Pontificum Authoritate, tot Episcoporum, Cardinalium, & Conciliorum Oraculis, ac Regum, Imperatorumque Rescriptis affatim firmavimus, & sufficientèr munivimus. At quia non desunt aliqui, qui adeò increduli existunt, vt contra illud Pauli: *Captivantes intellectum in obsequium Fidei*, soli Authoritati in rebus Fidei minimè acquiescant, sed rationes insuper, quibus convincantur, sollicitè desiderent; vt ipsis satisfaciamus, & vt tanta res nemini videatur rationum pondere destituta, ideò Sanctorum Patrum exempla sequuti, nostram assertionem non contemnendis rationibus fulciendam aggredimur. Estò enim non dubitemus quin ratio in materia Fidei argumentum debile sit, ac infirmum; at quia Catholica veritas (qualis Pontificia à nobis infallibilis existimatur Authoritas) à ratione non debet esse aliena, sed ipsi consona, videamusque Sanctos Patres ad duriores animos convincendos solere semper præter Scripturam, & Apostolicam Traditionem, magnum rationum pondus congerere; ideò Catholicæ nostræ assertioni non ignobiles rationes operepretium duximus subnectendas.

§. I.

ALIQVIBVS RATIONIBVS NOstra suadetur Conclusio.

***

1139 SIt prima: Illius Sedis Iudicium debet esse in rebus Fidei indefectibile, ad quod, ea, quę Vniversis credenda sunt, decernere attinet, ac definire; cui insuper incumbit Symbolum, certam Fidei regulam tradere, Scripturas exponere, controversias dirimere, dubia in materia Fidei, Cultus, & Religionis definitivè resolvere: sed ad Apostolicam Sedem, Romanumque Pontificem pro suo munere spectat ea, quę Fidei sunt, decernere: Romani ergo Pontificis iudicium in rebus Fidei indefectibile esse debet. Maior, tamquam primum principium, non erat vlterius probanda; nihilominus facile suadetur: Si enim Supremus Fidei Iudex, veritates credendas proponens, & errores Orthodoxæ Fidei oppositos dãnans, errori foret obnoxius, & quod præcipuum est, si in Sacramentorum materia, si in Divorum numero adscribendis virtute claris, si in Scripturis interpretandis, & Fidei, ac Religionis dubijs decidendis, falsitati esset expositus, certè periclitaretur Religio.

1140 Probata maiori, nuc superest minor probanda, videlicet, quod ad Romani Pontificis Authoritatem spectet, tamquam ad totius Orbis principalem Magistrum, & Doctorem determinare ea, quæ Fidei sunt, & per consequens edere Symbolum Fidei, Sacræ Scripturæ interpretari sensus, & Doctorum singulorum dicta aprobare, vel reprobare quod ratione, & Authoritate suadere conabimur.

1141 Ratione quidem, quia quemadmodum in omni Republica bene ordinata dandus est Præsidens in ea, qui totam Rempublicam possit movere, ac dirigere ad omnia, maximè sine quibus salus Reipublicæ stare non possit; ita etiam in Communitate Ecclesiæ dandus est vnus Princeps, qui ea, quæ maximè conferunt ad salutem Fidelium, & consequutionem vltimi finis, cuiusmodi est notitia credendorum, & agendorum, sua Authoritate, & Magisterio totam ipsam Christianam Rempublicam suo Imperio moveat, ac dirigat; & cum Romanus Pontifex sit huiusmodi Præsidens super totam Christianam Republicam, ad ipsum spectabit ea, quæ Fidei sunt, *sine qua impossibile est placere Deo*: *ad Hebræos* 11. Christiano Populo insinuare, & determinare.

1142 Tùm quia iuxta ARISTOTELEM 10. *Metaphys.* *Primum in vnoquoque onere est metrum, & mensura omnium sequentium.* & cum Romanus Pontifex primus, & maximus Ecclesiæ Prælatorum sit, ad ipsum proculdubiò pertinebit, vt sit Metrum, & Regula, ac scientia credendo-

dorum, ac omnium, quæ ad directionem Fidelium in vitam æternam necessaria sunt.

1143 Authoritate etiam probatur ex NICOLAO PAPA *in Epistola quam scripsit Photio Patriarchæ* : Constat enim Sanctam Romanam Ecclesiam per Beatum Petrum, Principem Apostolorum, qui Dominico ore Primatum Ecclesiæ suscipere promeruit, omnium Ecclesiarum Caput esse, & ab ea rectitudinem, atque Ordinem in cunctis vtilibus, & Ecclesiasticis institutionibus, quas secundùm Canonicas, & Synodicas Sanctorum Patrum Sanctiones inviolabiliter, atque irrefragabiliter retinere, requirere, & sectari; etiam Apostolica Sedes per Sanctos Patres Magistra, ac Mater Fidelium nominatur, vt habetur *in Cap. Omnes.* 24. Et S. AMBROSIVS se in omnibus sequi Magistram Sanctam Romanam Ecclesiam profitetur, SANCTVS etiam BERNARDVS *ad Eugenium*, *lib. 2. cap. 6.* Summum Pontificem in Populo Christiano agnoscit Magistrum, & Doctorem Vniversalem, sicut Moyses fuit Rex, & Rector veteri lege Populi Dei.

1144 S. CYRILVS etiam *in lib. Thesaur.* de huius Privilegio Romani Pôtificis ait: * Vt membra maneamus in Capite, in nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere quod credere, & quod tenere teneamur, & ipsum rogantes, ipsum venerantes pro omnibus: quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere, & ligare, loco illius, qui ipsum ædificavit, & elegit, & nullis alijs, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* Hęc ille. Ex quo clarè patet Authoritate, & ratione ad Romani Pontificis Authoritatem spectare, tamquam ad Generalem totius Orbis, & Ecclesiæ Magistrum, & Doctorem determinare ea, quæ Fidei sunt; ac per consequens ei competere Infallibile Iudicium in rebus Fidei, & Religionis decernendis.

1145 Secûda: Illius Sedis iudicium, quod numquam erravit in Fide, alijs errantibus, indefectibilitatis Privilegium aliquod censendum est habere, in his quæ Fidei sunt; at Romana Sedes nunquam erravit in Fide, alijs Sedibus in errorem lapsis, vt dicemus infrà: ergo Romanæ Sedis Pontifex in Fidei rebus definiendis Infallibilitatis dono insignitur. Minor licet ex dictis satis comperta sit, & ex dicendis in *Defensione Apologetica Pontificũ* in singulari luculentiùs probabitur; interim tamen quamplurimis Sanctorum Patrum testimonijs firmatur. Nam in primis EVSEBIVS PAPA *in Cap. in Sede 24. quæst. 1.* hæc protulit: * In Sede Apostolica extra maculam, semper est Catholica servata Religio.* Deinceps B. SIXTVS PAPA *Cap. Memor. 24. quæst. 1.* ait: * Memor sum me sub illius nomine Ecclesię præsidere, cuius à Domino IESV CHRISTO est glorificata Confessio, & cuius Fides nullam hæresim fovet, sed quidem omnes hęreses destruit.* Hæc ille.

1146 Nec discrepat DIVVS HIERONYMVS *in Cap. Hæc est Fides. 24. quæst. 1.* cum ferè idem proferat, dicens: * Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino providente, & Beato Petro opem ferente, in futurum manebit sine vlla hęreticorum insultatione (scilicet prevalente) atque firma, & immobilis omni tempore persistet.* Tandem PELAGIVS PAPA *in Cap. quamvis. dist. 21.* hæc scribit: *Est ergo prima Apostoli Petri Sedes Romana Ecclesia non habens maculam, nec rugam, nec aliquid huiusmodi.* Id ipsum alij Sancti Patres testantur suprà à nobis relati. Quæ omnia Sanctorum Patrum testimonia minorem satis comprobatam relinquunt. Si ergo Romana Sedes per tôt sæcula numquam erravit, nec in futurum errabit, teste Hieronymo, non aliundè provenit, nisi quia ex promissione Christi inerrabilitatis Privilegio gaudet.

1147 Tertia: Illud Iudicium censendum est indefectibile in Fide, cui si quis contradicit, Hęreticus est reputandus; at quicumque Fidei definitionibus ab Apostolica Sede emanantibus contradicere fuerit ausus, vt hæreticus à Dominico grege expellitur: ergo Romani Pontificis iudicium indefectibile est. Maior patet. Minor in qua est difficultas non aliter, nec meliùs, quam Sanctorum Patrum attestationibus fulcitur: D. HIERONYMVS *in Cap. Hæc est Fides. 24. quæst. 1. ad Damasum Papam scribens*, hæc habet: * Hæc est Fides Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus, in qua si minus peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est à Te emendari cupimus,

mus, qui Petri & Sedem, & Fidem tenes. Si autem hęc nostra Confessio, Apostolatus tui Iuditio comprobatur, quicũque me inculpare voluerit, se imperitum, & malevolum, vel non etiam Catholicum, sed Hæreticum comprobabit. * Hęc ille.

1148 Idem docuit S. CYPRIANVS MARTYR *in cap. Advocavit* 24. *quæst.* 1. his verbis: * Advocavit ad se Cyprianus Episcopũ Satyrũ, nec vllã putavit verã, nisi veræ Fidei gratiam, percunctatusque est ex eo, vtrumnam de Catholicis Episcopis esset? Hoc est: Si cum Romana Ecclesia consentiret? * Hæc ille. Ex quibus liquet, quod si quis Romanæ Ecclesiæ sensui, in rebus Fidei & morum, renuit, vel contradixerit, Hęreticus est censendus: & Romani Pontificis Definitionibus in rebus Fidei, acquiescens, tenendus est vt Catholicus. Inde sequitur Romanæ Sedis Iuditium in rebus Fidei censendum esse Infallibile.

1149 Quarta, qua idem confirmatur: Illius Sedis, aut Cathedræ sententia tenenda est in rebus Fidei, tamquam Infallibilis, à qua discedens extra Ecclesiam Dei constituitur; quam quidem inerrabilem omnes Catholici fatentur; atqui à Romanæ Sedis Sententia, vel Iudicio discedens extra Ecclesiam Dei eijcitur: Ergo huius Iudicium in rebus Fidei & morum, censendum est infallibile. Maior, & consequentia liquent. Minor deducitur ex S. CYPRIANO, & habetur *in cap. qui Cathedram, dist.* 94. his verbis: * Qui Cathedram Petri, super quam Ecclesia fundata est, deserit, in Ecclesia se esse non confidat. * Deducitur insupèr eadem minor ex DIVO HIERONYMO, *in cap. Quoniam vetusto Oriens* 24. *quæst.* 1. Vbi Damaso Papæ scribens, ait: * Cum Successore Piscatoris, & discipulo Christi loquor: Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini Tuæ, id est Cathedrę Petri, Communione consocior, super illam Petram, Ecclesiam fundatam scio: quicumque extrà hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. (Et infrà:) Non novimus Vitalem: Miletum respuo: ignoro Paulinum, quicumque *tecum non colligit, spargit,* hoc est, qui Christi non est, Antichristus est. * Hucvsque Hieronymus. Tandem eadem minor probatur *ex Cap. Schisma.* 24. *quæst.* 1. Ergo ex Hieronymi mente apparet, esse extra Ecclesiam eum, qui Romanæ Ecclesiæ Iudicio non adhęret; sicque Romanæ Ecclesię Iudicium in rebus Fidei, & morum, infallibile, & indefectibile esse debere.

1150 Quinta: Illud Iudicium est à nobis tamquam infallibile tenendum, cui iure competit in causis Ecclesiæ principalioribus, ac maioris momenti, quales sunt Fidei, vltimam proferre sententiam; atqui vltimam proferre sententiam in rebus Fidei privativè attinet ad Apostolicam Divi Petri Sedem, Romanumque Pontificem: ergo huius Iudicium vt indefectibile in rebus Fidei definiendis omnes sumus veneraturi. Maior per se nota est: quemadmodum enim ad conclusiones scientificas firmiter stabiliendas, ad prima principia, quæ vlteriori non indigent probatione, recurrimus; ita ad Fidei Conclusiones, ad similia principia debemus confugere: ideòque omnes Fidei causæ ad illud Iudicium reducendæ sunt. Et certè si hoc infallibile Iudicium in Ecclesia Dei deficeret, in tot causis Fidei, quæ quotidie in Ecclesia declarantur, nihil stabile persisteret, quin immò varia nascerẽtur Schismata, plures hęreses quotidie inter Fideles pullularent; primaque Evangelica Fides, ab Apostolis, eorumque Successoribus tradita, penitùs corrueret. Quare vt tot incommoda vitentur, fateri cogimur, adesse in Ecclesia Supremum Tribunal, & Caput, quod maiores Fidei causas, omnimoda certitudine absolvat.

1151 Neque de minoris veritate dubitare fas est; huiusmodi enim Supremum Tribunal esse penès Apostolicam Sedem, Romanumque Pontificem apertè constat *ex Cap. Quoties.* 24. *quæst.* 1. vbi hęc habentur: * Quoties Fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui Nominis, & honoris Authorem referre debere, veluti nunc retulit Vestra dilectio, quod per totum Mundum possit Ecclesijs omnibus in communi prodesse. *

1152 Consonat PELAGIVS PAPA, *in cap. Multis. distinct.* 17. vbi hęc statuit: * Maiores vero, & difficiliores quæstiones, vt Sancta Synodus statuit, & Beata consuetudo exegit, ad Apostolicam Sedẽ semper referantur. * Non inelegantiùs idipsum clamat in præceptis GREGORIVS PONTIFEX *distinct.* 12. his ver-

verbis: * Nulli dubium est, quod non solum Pontificalis causatio, sed omnis Sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apostolicam, quasi ad Caput Ecclesiarum debeat referri, & inde normam assumere, vnde sumpsit exordium, ne Caput institutionis videatur omitti: Cuius Authoritatis sanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ Petrę soliditate divelli.* Hæc Sanctus.

1153 Nec minus eandem minorum corroborat, quod habetur *in cap. Maiores. Ext. de Baptismo, & eius effectu.* dum audita in Chalcedonensi Concilio LEONIS PONTIFICIS *ad Flavianum Episcopum Epistola contra Eutychis Episcopi errores*, sic cuncti vnanimitèr proclamarunt: *Hæc est Patrum Fides; Hæc Apostolorum Fides: Omnes ita credimus: Orthodoxi ita credimus: Anathema est, qui non ita credit: Petrus per Leonem ita loquutus est.* Hæc ibi. Ex quibus certò certiùs constat, ad Apostolicam nempe Sedem, Romanumque Pontificem privativè pertinere hoc Tribunal vltimam in causis Fidei definitivam Sententiam proferens. Indeque indefectibili certitudine prędirum esse.

1154 Sexta: Tribunal, vel Iudicium, cuius in definiendo firmitas Firmitati, & Soliditati Apostolorum Principis ęquiparatur, ęstimandum est in Fidei rebus infallibile: de Petro namque ipsa Fidei, & Ecclesiæ Petra Christus Dominus prędixit: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua*; atqui Romani Pontificis Firmitas, & Potestas in dubijs Fidei, & morum decernendis Divi Petri Firmitati, & Potestati, quoad Pastorale Munus, æquiparatur: ergo Pontificis Iudicium in rebus Fidei definiendis indefectibile, ac infallibile æstimandum est. Maior huius Syllogismi citra dubium est. Minor verò, ad quam tota devolvenda erat difficultas, Sanctorum Canonum eruditione enitescit. Quare alijs testimonijs omissis, duo luculentissima proferam, alterum AGATHONIS, quòd habetur *in Cap. Sic. dist. 19. & in Cap. In Canonicis. eadem distinct.* Alterum ADRIANI PAPÆ *in Epist. ad Imperatorem Basilium* sic scribentis: * Quoniam, tranquillissime Imperator, audistis vocem Dei per Apostolicæ Sedis Officium tibi delatam.* Vbi clarissimè supponitur Romanum Pontificem tamquam legitimum Divi Petri Successorem eodem munere fungi, eademque Petri Potestate gaudere: quare ipsi eadem Divi Petri Infallibilitas nullatenùs potest denegari.

1155 Septima: Iudicium, ad cuius trutinam, tamquam certissimam regulam, omnes Ecclesię Doctores, ne in errores labantur, recurrunt, est certè infallibile ad decernendas Fidei Veritates; atqui huiuscemodi se habet Romanæ Sedis Iudicium: ergo vt infallibile est ab omnibus venerandum. Maior certa est; sola restat probanda minor, quę haud difficulter suadetur ex Maximo Ecclesiæ Doctore *in Cap. Hæc est Fides 24. quæst. 1.* prout manet iam expressum eius testimoniū pro secunda nostræ Assertionis ratione.

1156 Neque abs re est quod AVGVSTINVS *ad Bonifacium Papam* rescripsit suppliciter rogans, vt Libellum, seu Opusculum contra Pelagianorum Epistolas editum, approbare dignaretur; sic enim illum alloquitur: * Hęc ergo quę in istis duabus (vt dixi) Epistolis eorū, ista disputatione respondeo, ad tuam potissimè dirigo Sanctitatem, non tàm discenda, quàm examinanda: Vbi si fortè aliquid displiceat, emendanda constitui.*

1157 Hoc ipsum expressit ANSELMVS, *in Epistola de Incarnatione Verbi*, in qua humili animo Vrbanum Papam deprecatur, vt tamquam Supremus Ecclesiæ Magister à Deo pro directione in rebus Fidei, & morum constitutus, suos pariter, si qui essent, emendare dignaretur errores. * Domino (inquit) & Patri vniversæ Ecclesiæ in terra peregrinationis, Summo Pontifici Vrbano, Anselmus vita peccator, habitu Monachus, debitam subiectionem, &c. (Et infra:) Quoniam Divina Providentia vestram elegit Sanctitatem, cui & Fidem, & viam Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum rectiùs refertur, siquid contra Catholicam Fidem in Ecclesia, vt eius Authoritate corrigatur: nec vlli alij tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur: quapropter, sicut nulli dignius possunt, ita nulli libentius præsentem Epistolam, quam vestræ destino Sapientię, quatenùs si quid in ea corrigendum est, Vestra censura castigetur, & quod Regula veritatis tenet, Vestra Authoritate roboretur.* Hæc S. Anselmus.

Nec

1158 Nec minoris ponderis pro Romani Pontificis Infallibilitate, istiusque non errandi Privilegio videntur DIVI BERNARDI verba, qui dum de Innocentio Pontifice Sermonem instituit, hæc profatur: * Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quęque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damnum Fidei, vbi Fides defectum habere non potest, hæc quippè prærogativa est huius Sedis. Cui enim alteri dictum est? *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua.** Hæc Sanctus.

1159 At quod verbis docuit, opere complevit ipse Bernardus, Sedem dùm ipse Apostolicam, tamquam Supremum Iudicem ad scripta in materia Cultus, & Religionis corrigenda, & emendanda agnovit, vt colligi facile potest *ex Epistola*, quam *ad Lugdunenses Canonicos* circa Cultum, & Solemnitatem Conceptionis Deiparæ misit, vbi omnia in scriptis cõtenta Põtificis Iudicio, & Romanæ Sedis correctioni humiliter subijcit.

1160 Idem præstitit ANGELICVS DOCTOR, *vt ex initio Glossæ Continuæ super Evãgelia* apertissimè innotescit. Hac ipsa veneratione, & obsequentissimo animo Apostolicam Sedem prosequuti sunt quotquot Doctores sapientia, probitate, & Sanctitate in omnibus ferè Sæculis floruerunt, tùm Scholastici, tùm expositivi, tùm etiam dogmatici, vnanimiter Romanum Pontificem agnoscentes Supremum in rebus Fidei, & morum Magistrum, & talem, ac tantam ei Infallibilitatem in definiendo concedentes, vt iure optimo cuncta sua scripta Divi Petri correctioni, & Romanæ Cathedrę censuræ submittant, pro certo habentes, se in Cultus, & Religionis materia inoffenso pede percurrere, si Pontificis mentem, infallibile Iudicium, ac genuinum Supremi, ac Vniversalis Ecclesiæ Magistri sensum sectarentur. Ipsi insuper Patres, alijque Authores innumeri (quod maximè pro re nostra facit) vt omnimodam certitudinem, & firmitatem in Fidei quæstionibus, quas exagitabant, & in hæresibus, in quas acerrimè insurgebant, assequerentur, non Antiochenam, non Alexandrinam, non Constantinopolitanam, immò neque vniversam Ecclesiam, aut divisim, aut coniunctim in Generali congregatam Concilio, sed Romanam dumtaxàt Sedem, Summosque Pontifices, vt Supremos vniversæ Ecclesiæ Iudices, præclarissimosque Fidei Magistros, ac Generales in tota Christiadum Religione Doctores adierunt; eorumque correctioni omnia sua scripta, vt in rebus Fidei edocerentur, humiliter submiserunt, vno eodemque ore vnanimique voto fatentes, in Romanis Pontificibus certissimè reperiri illud singulare non errandi Privilegium, quod Christus Dominus Divo Petro, istiusque Successoribus concessit.

1161 Octava: Illius sententia, seu Iudicium, per quod semel approbata, ampliùs reprobari non licet, quin potiùs ab omnibus sint reverenter suscipienda, dubij expers in rebus Fidei definiendis tenendum est: at ita se habet Romana Sedes, Summus que Pontifex: ergo eius Iuditium in rebus fidei, & morum infallibilis est Authoritatis. Maior certa est, minorem multis possem Iuris textibus probare, eos tamen ad diffusionem vitandam omitto, vnum tantum pro ipsa evincenda relaturus *ex cap. si Romanorum. Distinct. 19.* vbi hæc habentur: * Si Romanorum Pontificum Decreto cæterorum opuscula tractatorũ approbantur, vel reprobantur, ita quod Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, &c.* Et Glossa *in cap. Hæc est Fides 24. quæst. 1. & in cap. Veniam 35. quæst. 9. in fine* idem statuit, & confirmat.

1162 Nona: Illa regula vt certa, infallibilis, ac indubitabilis tenenda est, quam omnes Ecclesiæ Patres, omniaque Oecumenica Concilia venerantur vt talem; aliàs Patrum, & Conciliorum, immò & totius Ecclesiæ Fides vacillaret; at Ecclesiæ Patres, & Concilia in rebus Fidei, morum, Religionis, & Cultus Romanum Pontificem, vt certam, & infallibilem Fidei regulam à primævis Ecclesię Sæculis agnoscunt: ergo Pontifex erit certa hæc, & infallibilis regula. Minor deducenda est ex AGATHONIS PAPÆ *ad Imperatorem Constantinum Epistola*, quę non modò perlecta, sed summo etiam plausu *in Sexta Generali Synodo* suscepta fuit; in illa enim hęc pro Romana Sede, omni attentione dignissima verba, leguntur: * Cuius Authoritatem, vt puta Apostolorum Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Vniversales Synodi fideliter amplectentes in cun-

ctis

ctis sequuti sunt. (Et infrà:) Hæretici autem falsis criminationibus, atque derogationum odijs insequuti.* Hæc ille.

1163 Idem preclarè comprobant hæc CHALCEDONENSIS CONCILII verba: * Vndè Reverendissimi Episcopi clamaverunt: vt Leo sic credimus: qui contradicunt, anathema sunt: Leo rectè exposuit. (Et infrà:) Hoc omnes credimus, hoc sequimur, hoc tenemus, quod Patris omnium nostrum Leonis Confessio habet.*

1164 In eundem scopum collimarunt PATRES CONCILII *in Octava Synodo Generali*, qui perlecto Adriani Pontificis Decreto, mirandum in modum, Romanæ Sedis, & Pontificis, in ferendis Fidei Decretis, Infallibilitatem, hisce vocibus proclamarunt: * Quoniam, sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes omnia eius Constituta, speramus, vt in vna Communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur: in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas.* Hæc ille.

1165 Nec ab istorum mente discreparunt VNIVERSALIS LVGDVNENSIS CONCILII PATRES, vt patet *ex cap. Fideli. De Summa Trinitate, & Fide Catholica, lib. 6.* vbi hæc habentur: * Hoc firmiter tenet, & prædicat, & profitetur, & docet Sancta Romana Ecclesia, Mater omnium Fidelium, & Magistra.* Quapropter *in cap. Omnis. Distinct.* 22. D. AMBROSIVS se in omnibus sequi Magistram Sanctam Romanam profitetur Ecclesiam. Ex quibus apertè convincitur iam sæpè sæpius illata consequentia, Romani scilicet Pontificis Sententiam, dùm è Cathedra Fideles in rebus Fidei, morum, & Religionis, & Cultus instruit, esse vt certam, ac infallibilem regulam venerandam.

1166 Decima: Illud Tribunal, à quo certitudo in Conciliorum Decreta, Definitiones, & Canones pro aliquo Fidei Dogmate stabiliendo, vel hæresi extirpanda promanat, est tamquam Infallibile iudicandum: cum enim Fidei veritates suapte natura Infallibiles existant, necesse est vt principium, à quo certò innotescit, quid Fidei sit, certum sit, ac Infallibile; atqui ex Romana Sede, Summoque Pontifice, Fidei certitudo in Conciliorum Decreta, Definitiones, & Canones promanat: Ergo eius Authoritas; à qua ea derivatur certitudo, vt omnino certa habenda est, ac infallibilis. Maior videtur manifesta.

1167 Minorem plures Iuris textus probant, quos brevitatis causa missos facio, his tantum contentus, *cap.* scilicet *Confidimus* 25. *quæst.* 1. §. *His ergo. & cap. Significasti. Ext. de Electione.* Quibus omnibus accedit illa Patrum in Concilijs Generalibus constans, & perpetua consuetudo, obtinendi à Romano Pontifice, tamquam à Supremo Ecclesię Capite, & Principe, suorum Decretorum, & Canonum firmitatem, ac confirmationem; quod clarius innotescet ex ijs, quę de Romani Pontificis Authoritate supra Concilia, postea dicemus. Nunc, ne iterum, atque iterum easdem repetam, satis obvias consequentias, eruditis relinquimus deducendas, quæ inde pro nostra eliciuntur sententia.

§. II.

CONCLVSIONEM NOSTRAM alijs probamus rationibus.

1168 SItque prima ex APOSTOLO *ad Hebræos* 11. dicente: *Sine Fide impossibile est placere Deo*: immò ex CHRYSOSTOMO asserente; Fides est Christianæ Religionis Fundamētum, & basis: ergo Fides (sicut firma in Ecclesiæ ædifitio Petra) immutabilis, firma, & infallibilis esse debet: Ecclesia enim iuxta illud *Matthæi* 16. suprà firmā Petram constructa est. Quapropter in Fidei controversijs, ac dubijs, quæ passim obvia sunt, ob quotidie grassantes hæreses, vndè dubia nascuntur in Fide, concedendum est aliquod principium in rebus Fidei definiendis, omninò certum, infallibile, & indubitabile, quo Fides solidata triumphet, & hæresis extirpata pereat; at cum principium certum, ac infallibile Tribunal aliud esse non possit, quam Apostolica Romani Pontificis Sedes: Romanus ergo Pontifex in rebus Fidei definiendis infallibilis habendus est.

1169 Minor probatur. Primò: quia principium illud infallibile, ac securissima Fidei Regula nequit esse Generale Concilium, cum constet, istud sine Pontifice errare posse in Fide, immò & de facto

cto erraſſe. Sic Ariminenſe Concilium, quod fuit numeroſiſſimum in ijs, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, Fideique Decretis, erravit. Pariter Leo Pontifex Concilium Epheſinum Secundum, & irritavit, & penitùs refutavit; immò ad eius errores confutandos Chalcedonenſe congregavit Concilium; at nuſquam temporis Divi Petri Sedes, eiuſque Succeſſor Romanus Pontifex in errorem prolapſi ſunt, vt Sanctiſſimi Viri, & venerandi Eccleſiæ Patres proclamant, prout latè à nobis probatum manet, & denuò oſtendunt DIVI AMBROSII verba *ſuper Marcũ in cap. Non turbatur. 24. quæſt. 1.* * Non turbatur Navis, quę Petrum habet, turbatur autem quę Iudam habet.* Cui valdè conſonat AVGVSTINVS, *Serm. 4. de Sancto Petro*, vbi de Apoſtolicæ Sedis Privilegio his clariſſimis verbis loquitur: * Navis Petri in altum huius Sæculi ita natat, vt pereunte Mundo (hoc eſt erroribus, vel hęreticis pravitatibus) omnes quos ſuſcipit, ſervat illæſſos, cuius figuram iam videmus in Veteri Teſtamento. Sicut enim Noë Arca, naufragante Mundo, quos ſuſceperat, cunctos incolumes ſervavit: ita & Eccleſia Petri conflagrante Sęculo, omnes, quos amplectetur, reſervabit illæſos.* Hucuſque Auguſtinus.

1170 Probatur ſecundò: Concilium nempè non poſſe eſſe hoc indefectibile Tribunal; quia cum in Eccleſia Dei paſſim occurrant dubia ex erroribus, & hæreſibus, quas Fidei hoſtes per Orbem diſſeminant, ſuborta, neceſſe eſt, vt in Eccleſia detur perpetuum, ac permanens Tribunal, quo Catholicis Fidei veritates, quas credere debent, & errores, quos declinare tenentur, certò, ac ſecurè innoteſcant; at Generale Concilium nequit eſſe hoc perpetuum, ac continuò permanens Tribunal ad veritates Fidei firmiter ſtabiliendas, & errores profligandos: Valdè enim difficile eſt, immò & impoſſibile Epiſcopos in vnum congregari, & congregatos diù in Concilio manère, Eccleſijs Paſtore deſtitutis, cum eas Epiſcopi iure Divino, & ex proprio munere regere, & paſcere teneantur: non ergo poteſt Generale Concilium eſſe hoc perpetuum Tribunal. Vndè optimè convincitur, totam Infallibilitatem, ac certitudinem pro Fidei, Cultus, & Religionis cauſis decidendis vni ſoli Romano Pontifici eſſe concedendam: aliter in rebus ad ſalutem neceſſarijs Chriſtus Dominus Eccleſię ſuæ perfectè non providiſſet; quod Catholicorum nemo facilè admittet.

1171 Accedit & alia ratio pro hac veritate ſtabilienda: quia Eccleſię Doctores, & Sacri Canones omnes Fidei cauſas, quę inter cæteras maioris ponderis ſunt in Eccleſia Dei, ad Apoſtolicam Sedem referendas eſſe vnanimiter ſtatuerunt, quin vmquam præceperint, vt ad Generale Concilium deducerentur: ergo quia crediderunt, Infallibilitatis, & certitudinis Privilegium, non quidem Concilio, ſed Romano Pontifici à Chriſto Domino fuiſſe conceſſum.

1172 Prodeat iam pro roboranda noſtra Doctrina ANGELICVS PRÆCEPTOR, cuius illa eſt verè aurea Sententia 22. *quæſt.* 1. *art.* 10. Fidei controverſias, non quidem plurimorum, ſed vnius, & Principis, & Eccleſiæ Capitis Iudicio eſſe abſolvendas. Et 4. *Contra Gentes* prędictam Doctrinam hac ratione confirmat: * Quia vna debet eſſe Fides totius Eccleſiæ.* Secundùm illud 1. *ad Corinthios* 1. *Id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schiſmata*, quę Fidei vnitas ſervari non poſſet, niſi quæſtio de Fide exorta, determinaretur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, vt ſic eius Sententia à tota Eccleſia teneretur firmiter.* Hæc S. Thomas.

1173 Eadem fuit S. MAXIMI mens, & Sententia, dùm *in Epiſt. ad Orientales* directa hæc habet: * Omnes fines Orbis, qui Deum ſincerè receperũt, & vbique terrarũ Catholici Chriſti Fidem confitentur, in Eccleſiam Romanorum Pontificum, tamquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſo Catholicæ, & Apoſtolicæ Fidei recipiunt veritatem.*

1174 Simillima ſunt NICOLAI PAPÆ, *in Epiſtola ad Patriarcham Photium*, quæ extat *in Act. 4. Octavi Oecumenici Concilij*, ſic enim ſcribit: * Quia vniverſitas credentium ab hac Sancta Romana Eccleſia, quę Caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem Fidei depoſcit.* Hæc ille.

1175 Quę omnia ante omnium oculos non minus elegãter propoſuit GELASIVS PAPA, *in Epiſtola ad Imperatorem Anaſtaſium ſcripta*, cuius hæc ſunt verba: * Vna eſt Chriſtiana Fides, quæ eſt Catho-

tho-

tholica: Catholica autem veraciter illa est, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorũ Successoribus consortibus sincera, pura, immaculata comunione divisa est: Hoc est quod Sedes Apostolica magnopere taxavit, vt quia Mundo radix est Apostoli gloriosa Confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsùs contagione macularetur: Nam nisi (vt Deus avertat: quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, vel cui iam resistere auderemus errori, vel vnde correctionem errantibus posceremus?* Hactenus ille.

1176 Quàm ergo alienum à Christi, Sanctorumque Doctrina sit tenaciter asserere, Sedis Apostolicę Iudicium firmum non esse, ac infallibile, sed potiùs defectibile, conspicuum erit, si rationis à nobis propositæ vis perpendatur, si velatis oculis non introspiciatur. Quod si adhuc in eodem persistant errore (ò verè miseri, ac infelices!) rei erunt iustissimæ illius censuræ, quam EMINENTISSIMVS CARDINALIS TVRRECREMATA, protulit, *lib.* 2. *de Ecclesia*, *cap.* 110. Qui adversariorum assertionem, qua afirmant Apostolicæ Sedis Iudicium in his quæ Fidei sunt, non esse firmum, sed errori obnoxium, tamquam temerariam, & à Christi, & Sanctorum Patrum Doctrina alienam tenendam esse arbitratur.

1177 Secunda ratio à maximo inconvenienti desumitur. Etenim si Apostolicę Sedis, Romanique Pontificis in illa pręsidentis Iudicium firmum non esset ac Infallibile, gravissimum inde suboriretur incommodum; nihil enim in Fide nostra firmum, nihil constans persisteret. Huius absurdi evidentia constat. Potissimum enim argumentum ad res Fidei comprobandas ex Sacra Pagina, ex Apostolica Traditione, ex vnanimi Sanctorum, Doctorumque dogmaticorum consensu desumitur; atqui quod hi Sacræ Scripturæ Libri tum veteris, tùm Novi Testamenti Canonici sint, & ad Fidei Dogmata stabilienda legitimi, quod istæ certò sint Apostolicę Traditiones, non aliundè nobis, quàm ex Apostolicę Divi Petri Sedis, illiusque Successorum Decretis, Doctrina, atque Definitione innotescit: Ergo si Apostolicæ Sedis, & Romani Pontificis Iudicium, in rebus Fidei certum non esset, ac Infallibile, nihil stabile, nihilque firmum in Orthodoxa Fide persisteret; quinimmò tota periclitaretur Fides, si Infallibilem certitudinem Romano denegaremus Pontifici. At ne huius argumenti efficacia Authoritate destituta appareat, eam laudati, & emeriti Cardinalis Turrecremata testimonio stabiliam.

1178 *Lib.* ergo 2. *de Ecclesia cap.* 112. *initio*, sic luculentissimè loquitur: * Videtur tenendum, quod sicut supra probavimus, Apostolica Sedes, ad quam pro Principatus sui sublimitate pertinet, quæ ad Fidem, & totius Christiani Populi Doctrinam, & Religionem spectant, Sententialiter definire, & interpretari, non possit errare attento Divinę pollicitationis impermutabili Decreto in his, quæ de Fide tenenda, & credenda Apostolatus sui Iudicio publicè Christiano Populo decerneret, sive definiret. Tum quia, vt argutum est aliás, non esset firma, & indubitata credulitas in ijs, quæ circa Fidem per Ecclesiam statuerentur, cum omnia huiusmodi per Romanos Pontifices statuta sint. Tum quia constat, quod Authoritate Ecclesiæ, quæ maximè in Romano Pontifice, vtpotè ipsius Ecclesiæ Capite, & Principe collocata est Libri Canonis, habent robur. Vnde quod illis Libris sit credendum, firmiter non constat, nisi per Authoritatem Ecclesię.

1179 Vnde (prosequitur) *Augustinus contra Epistolam Fundamenti.* Evangelio (inquit) non crederem, nisi Authoritas Ecclesiæ Catholicę me moveret credere, quod Eclcesia, in electione Sacræ Scripturæ Canonicæ, fuerit Spiritu Sancto directa. Ergo similiter credendum est, quod Romanus Pontifex in Iudicio eorum, quæ Fidei sunt, Spiritu Sancto regatur, & per consequens in illis non erret: aliàs posset quis eadem facilitate dicere, quod erratum sit in electione quatuor Evangeliorum, & Epistolarum Canonis, & in approbatione Vniversalium Conciliorum, & aliorum Librorum Doctorum, approbando aliquos, & alios reprobando: quod tamen vt patet *Distinct.* 15. per Romanos Pontifices, scilicet Gregorium & Gelasium determinatum legitur: & ita nulla Fides maneret certa credendorum, quo nihil periculosius, aut etiam absurdius posset in Christiana Religione excogitari. Non ergo videtur, quod Romanus Pontifex in ijs, quæ Apostolatus sui Iudicio credenda Fide, aut detestanda definit, aut iudicat, errare possit.* Hactenus Turrecremata.

1180 Tertia ratio sit: Christus Dominus tradidit Divo Petro non vnius Cœli, sed Cœlorum claves, vt benè adnotavit Origenes *Hom. 6. in Matth.* eo quidem fine, vt Petrus polleret eximia illa Potestate aperiendi Regna Cœlorum, omnia impedimenta Cœlorum ingressum intercludentia auferendo; atqui dum hanc Petro potestatem concessit, Authoritatem quoque Infallibilem dedit omnia peccatorum genera abolendi, quę Regni Cœlorum viam ex parte voluntatis possunt præcludere: Ergo pariter infallibilem potestatem concessit tollendi obices ex parte intellectus ad Cœlorum Regna penetranda; at obices ex parte intellectus sunt ignorantia, & imperitia, erroresque erga Fidei Mysteria, iuxta illud Divi Pauli: *Sine Fide impossibile est placere Deo*: Ergo Christus dum Divo Petro Claves Regni Cœlorum tradidit, Infallibilem quoque impertitus est ei Authoritatem ad res Fidei decernendas, errores Fidei oppositos reprobandos, hæreses extirpandas, ac veritates Catholicas edocendas, vt ita per Fidem Petri, istiusque Successorum, aditus pateret, prima, ac precipua ianua aperiretur, tutissima tandem ostenderetur via, qua Fideles omnimoda securitate, ad Cœlorum Regna ducerentur.

1181 Hęc omnia dilucidari vlterius possunt. Constat enim ex Sacra Scriptura Caypham, quamvis in Synagoga improbum, ac impium prophetiæ dono ad Salvatoris mortem pro humani generis salute prędicēdam à Divino Spiritu fuisse illustratū; huius autem singularis, admirabilisq; privilegij rationem subdit Sacer Textus dicens: *Cum esset Pontifex anni illius*; ex quo deducitur. Si Cayphæ impio sceleratoque homini, propheticus spiritus, in ijs, quæ prædicit, infallibilis omnino conceditur, non ob aliud, nisi quia Synagogæ Pontifex erat, potiori iure Divo Petro in Lege Gratiæ, Ecclesiæ Prefecto, istiusq; Successoribus, virtutis splendore, ac Sanctitate præcellentibus, Spiritus æquè Infallibilis, ad Fidei veritates definiendas, easque Christiano Populo proponendas, denegandus non erit.

1182 Quarta Ratio sit: Christus Dominus Petrum, & in illo, reliquos Pontifices, Petri Successores, Vniversales Ecclesiæ Pastores, Magistros, ac Doctores constituit, vt Catholicam Rempublicam in Fide instruerent, & ab oppositis erroribus liberarent; illos, inquam, Magistros constituit, cum Apostolorum Principi dixit: *Pasce oves meas*; atsi Petrus, cæterique Romani Pontifices, in errorum barathrum possent incidere, dum Ecclesiam è Cathedra instruunt, neque essent Supremi Fidei, & Religionis Magistri, neque Christus satis Ecclesię suę providisset: Ne ergo, tantam Divinæ, ac Infallibilis Providentiæ incuriam asseramus, dicendum est, Christum Dominum illis verbis: *Pasce oves meas*; Infallibilitatem non errādi, in rebus Fidei, Apostolorum Principi concessisse.

1183 Et confirmatur hæc ratio. Ideò Christus Dominus, cum suos Apostolos misit, vt Evangelium Fideique veritates Vniverso Orbi prædicarent, illos in sua Gratia confirmavit, ac impeccabilitatis dono insignivit, vt purioris vitæ exemplo suum Magisterium illustrarent, quo & Fidei veritates efficacius populis suaderent, & ipsi creditu digniores evaderent: Ergo si Petrum, eiusque Successores, Primarios Ecclesię Magistros instituit ad Catholicę Fidei veritates, & Mysteria edocenda, quę ex se, & ratione sui obiecti, Infallibilitatem exigunt, & ex parte subiecti assensum firmum exposcunt, credere vtique debemus, Christum Dominum ita Petrum, Romanosque Pontifices, in Fide cōfirmasse, vt Indefectibilitatis Dono condecorentur, ac muniantur, quoties ex Cathedra, aut definiuntur, aut docent, aut veritates credendas Ecclesię proponunt.

1184 Quinta Ratio sit: Romani Pontifices Divo Petro in Apostolica Sede Succedentes, succedunt pariter in potestate, & Authoritate Apostolorum Principi à Christo Domino communicata; quod adeò certū est, vt non modo graviores Authores id tamquam indubitatum supponant, sed etiam plura Concilia, postmodum referenda, id ipsum tamquam Catholicum Dogma definiant; nec mirum, cum ipsa ratio id convincat: Cùm enim Ecclesia, vsque ad consummationē sęculi, constans, & immutabilis sit permansura, necesse est, vt Summus Pontifex, qui pro tempore fuerit Ecclesię Caput, habeat eamdem Authoritatem, quam habuit Divus Petrus, qui primus Ecclesiæ præfuit: nulla enim excogitari potest ratio, ob quam Divus Petrus ea Authoritate fuerit insignitus, & eam non habeat Romanus Pon-

Pontifex Petri Successor; immò Romanum Pontificem eadem Petri Authoritate debere insigniri, naturali ratione evincitur, & experientia apertissimè comprobatur. Eandem enim Authoritatem, quam primus Rex obtinuit, habent & alij Reges, qui ipsi in Regno succedunt, dum Regnum illud persistit: hęc eadem consuetudo apud Æthnicos, & Barbaros invaluit: Si ergo id solo naturali lumini in omnibus Regnis, Imperijs, Principatibus, & Ditionibus privatis, sine controversia aliqua communi omnium gentium plausu observatur, indecens profectò erit, Catholicos, & rationis, & Fidei lumine prędicos, agnoscentes infinitam Christi Sapientiam elegisse, ac instituisse Divum Petrum Supremum Ecclesiæ Caput, eique plenam Potestatem ad rectum Ecclesię Regimen concessisse, non agnoscere etiam, ac confiteri, Romanis Pontificibus, Divi Petri Successoribus, parem, ac tantam dedisse Authoritatem, quantam Divo Petro concessit, cum non minus illi, quam iste, Caput totius Ecclesiæ existant. Et certè si aliter sentiremus, non modo rectæ rationi, & comuni gentium iuri esset dissentaneum, sed etiam in Divinam Providentiam iniurij, ac iniqui videremur; eo namque ipso significaremus Christum Dominum Ecclesiæ suæ denegasse optimum istud regimen, quod à Barbaris adhuc Gẽtibus communi consensu susceptum est. Ne ergo in hæc absurda incidamus, necesse est, vt fateamur, Deum, optimum provisorem, eandem Romanis Pontificibus concessisse Authoritatem, quam Divo Petro largitus est, vt sic meliùs bono Ecclesiæ regimini, consuluisse credamus. Hinc necessariò sequitur, Romanos Pontifices, dum aliquod Fidei Dogma Ecclesiæ proponunt, Infallibilitatis dono insigniri, cum istud Infallibilitatis donum, in rebus decernendis fuisse Apostolorum Principi à Christo Domino concessum nullatenùs possit dubitari.

1185 Sexta ratio ab incommodo nasciturо sic efformatur. Si Potestas Divo Petro concessa, ad cęteros eius in Pontificatu Successores non transferretur, neque Apostolorum Potestas ad illorum in Munere, & Officio Successores, quales à Sanctis Patribus, & Concilijs reputantur Episcopi, transiret: vndè in Ecclesia Dei neque Episcopi, neque animarum Rectores invenirentur, immò neque Sacerdotes, qui à peccatis possent absolvere; atqui hoc in Catholica Fide sustineri non potest: ergo ne in hoc intolerabile prolabamur absurdum, necessariò dicendum est, quod sicut Apostolis succedunt Episcopi in Officio, & Potestate, qua particulares suas Ecclesias gubernarunt; sic Divo Petro Romani Pontifices succedunt, tùm in Potestate, quam Apostolorum Principi ad rectum Ecclesiæ regimen largitus est Christus, tùm in Infallibilitate, quam ipsi Petro, ad res Fidei decernendas, communicavit, iuxta illud: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*: præcipuè cùm hæc infallibilis Authoritas maximè necessaria sit ad Ecclesiam gubernandam, in Fide stabiliendam, & ab omni hæresi immunem servandam.

1186 Septima ratio est: Deus sua ineffabili Providentia disposuit, *Exodi* 18. vt Moyses Synagogæ præesset, tamquam Supremum illius Ecclesiæ Caput, ac Princeps, ad quem, tamquam ad Supremum Iudicem, difficiliores Synagogæ causæ deferrentur, vt eas declararet, ac definiret, hancque Supremam Potestatem reliqui Moysis Successores, ex Dei pręscripto, habuerunt; at de Christi Sapientia, ac singulari Providentia, qua suam Ecclesiam gubernat, nihil minus credendum est: ergo Christus Dominus, qui Ecclesiam in Evangelica Lege fundavit, & Petrum in plenipotentissimum Ecclesiæ Caput elegit, communicabit Divi Petri Successoribus eamdem plenissimam Potestatem, quam Divo Petro concessit, vt Romani Pontifices sicut Divo Petro in Fidei Magisterio, sic etiam in Infallibilitatis dono, ad Catholicam Fidem docendam, ac toti Ecclesiæ prædicandam, & proponendam, succedant. Prædicta ratione vtitur Divus Bernardus, eamque luculenter exponit *ad Eugenium, lib.* 2. *cap.* 6. Et meritò quidem: illius enim efficaciam optimè agnoscet, qui novam Legem, veteri longè præstantiorem adverterit, ac diligenter attenderit, Catholicam Ecclesiam ad finem vsque Sæculi perennaturam.

1187 Neque huius rationis efficaciam effugies, si dicas argumentum à picto, ad vivum; à figura, ad figuratum; ab vmbra, ad lucem nullius esse roboris, ac momenti; cumque antiqua Lex, novæ Legis vmbra fuerit, ac figura, ineptum erit argumentum à paritate, à Moyse scilicet veteris Legis Capite, ad Petrum Supremum

mum

mum Evangelicę Legis Caput. Non, inquam, effugies; nos enim non arguimus à figura ad figuratum, nec argumentum à paritate conficimus, sed à minori, ad maius sic efformamus: Deus in veteri Populo, qui longè inferior, ac mera fuit Christiani Populi vmbra, Moysem constituit cum plena illa Potestate in rebus Fidei, Legis, & Religionis infallibiliter iudicandi: ergo potiori iure Christus idem fecisse creditur in Sponsa sua Ecclesia, Petrum eius Caput constituens, ipsique, & illius Successoribus Romanis Pontificibus Privilegium non errandi concedens, vt de rebus Fidei, Legis, & Religionis ea infallibilitate Iudicium proferant, vt possint Fideles de huiusmodi Fidei, & Religionis rebus certos reddere, ac securos. Quare sicut eadem Potestas, quę in Moyse resplenduit, etiam in illius Successoribus effulsit; sic eadem Potestas, & Infallibilitas, quæ in Divo Petro fuit, in omnibus etiam in illius Successoribus admittatur, necesse est.

1188 Octava ratio pro nostra Assertione, & prædictæ rationis confirmatione sic efformatur. Ecclesia Catholica ex diversis Linguis, Genijs, Institutis, & Nationibus in veritate Fidei congregatis coalescit, longiùsque extenditur, ac propagatur, quàm Synagoga, quæ intra Israëlis Hebraicum Populum includebatur: de nostra enim Ecclesia cecinit Regius Vates: *In omnem terram exivit sonus eorum*; quia nimirùm Ecclesiæ Potestas, & Imperium totum terrarum Orbem amplectitur: ergo si Deus mirabili sua Providentia disposuit, vt Israëlis Populo, qui vnius labij erat, nec tot Gentes, totque Nationes sua ditione tenebat, vnus præficeretur Summus Sacerdos, & Pōtifex, qui certa ac infallibili sua Sententia, Fidei causas absolveret, ac definiret, potiori iure credemus Divinam Christi Sapientiam altissima sua Providentia disposuisse, vt in Populo Christiano, qui adeò extenditur, vt varia Regna, Linguas, & Nationes complectatur, vndè necesse est innumeras in rebus Fidei, Religionis, & Cultus controversias suboriri, vnum esset Ecclesiæ visibile Caput, Divus nempè Petrus, quem Christus Dominus Summum Novę Legis Sacerdotem constituit, cui Romani Pontificis cum eadem plenissima Potestate, & infallibili Authoritate succedunt, tamquam Iudices à Christo instituti ad controversias Fidei absolvendas, ac perniciosa Schismata tolenda, quò & Fide suas conscientias pacarent, infallibilemque assensum veritatibus à Pontifice toti Ecclesię propositis securissimé exhiberent.

1189 Nona ratio sit: Pręsciebat Christus Ecclesię Author, ferè impossibile esse in Ecclesia sua ex tot Gentibus, totque, ac tam diversis Nationibus congregata, innumeras in materia Fidei non consurgere dissentiones, controversias, ac dubia, tùm ex nostri ingenij tenuitate, tum ex supernaturalium Mysteriorum sublimitate suborta, vt tot sæculorum experientia comprobavit: Mysteria enim Fidei adeò sublimia sunt, vt nullus ad eorum intelligentiam pervenire possit, quin Superiori lumine illustretur: ergo ineffabili Christi Providentiæ consentaneum valdè fuit, cum ad Patrem ex hoc Mundo proficiscebatur, in suum locum sufficere Supremum Fidei Magistrum, qui Fideles in his, quæ credere debent, instrueret, ac errores, quos præcavere tenentur, ipsis detegeret: congruum etiam eidem Providentiæ fuit pro dirimendis controversijs, ac Fidelibus placandis plenipotentissimum Iudicem stabilire; aliàs in vndoso discordiarum mari perpetuò iactarentur Fideles, ac inter eos perpetua opinionum, voluntatumque dissimilitudo magnum dissidium excitaret, vtpotè quia inter adeò discrepantia hominum Iudicia, quot essent Capita, tot Sententiæ, vt in Infidelibus vnico Capiti non subordinatis apertissimè innotescit. Istæ autem inter Ecclesiæ membra dissentiones à Christi voluntate penitùs abhorrent; quia Christus Ecclesiam suam in Charitate fundare, in pace, & summa vnitate stabilire voluit. *Pacem* (inquit) *relinquo vobis, pacem meam do vobis. Vna est Columba mea, &c.* Quod maximè locum habet in Religionis, & Fidei materia; nam Fidei vnitati innititur Ecclesiæ stabilitas & Regni firmitas, iuxta illam Salvatoris Sententiam: *Omne Regnum in se divisum desolabitur.* Vndè vt tot incommodis, ac dissensionibus omnis intercluderetur via, Fideliumque animi in Fidei, & Religionis vnitate congregarentur, disposuit Christus, vt vnicum esset in Ecclesia Caput, Summus nempè Pontifex, cuius vltima Sententia in Fidei, & Religionis negotijs, ac controversijs à

Ca-

Catholicis indefectibili assensu, ac humili obedientia amplexaretur.

1190 Decima ratio est: Laudabilis apud sæculares Principes consuetudo est, graviores suorum subditorum, ac Supremas Reipublicæ causas sibi reservare, ita suo finali, ac irrevocabili Decreto absolvendas, vt appellatio, via, & recursus ad alia Tribunalia penitùs præcludatur, vt in omnibus Regibus, ac Potentissimis Orbis terrarum Principibus innotescit; at Christus Dominus elegit Petrum, & successivè Pontifices Maximos, vt tamquam Supremi Principes, Christi vicem gerentes, Ecclesiæ Navim plenissimo, ac potentissimo Imperio, præcipuè in Superioribus Fidei, Cultus, & Religionis negotijs, gubernarent: ergo Christus Dominus Petro, istiusque Successoribus, facultatem dedit, & infallibilem Authoritativam Potestatem concessit, vltimam, irrevocabilem, seu irreformabilem in rebus Fidei, & Religionis proferendi Sententiam, vt ita Fideles in controversijs Fidei propter infallibile Pontificis Decretum pacati, securi, firmioresque persistant. Erit enim deterioris conditionis Christiana Respublica, quam sæcularium Principum Regimen? Absit tantum nefas.

§. III.

ASSERTIO NOSTRA ALIIS fulcitur Rationibus.

1191 PRima probatur: Quia nullus Catholicorum dubitat quod Christus Dominus dùm Petro dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis*; æquè plenissimam Divo Pedro, eiusque in Pontificatu Successoribus ligandi, atque solvendi dederit potestatem; quæ plenissima Potestas vnà cum cæteris Divi Petri Privilegij ad cæteros Successores transfertur. Neque dubitarunt vmquam Catholici, quominùs Christus per hæc verba Divo Petro dicta: *Pasce oves meas*, concesserit Petro, & reliquis in Pastorali Munere Successoribus eamdem Potestatis plenitudinem, quæ Divo Petro ad regendam Eclesiam concessa est. Ita enim docent Patres, ita supponunt Concilia. Ex hoc ergo certissimo, ac indubitato antecedenti hanc subinfero consequentiam: ergo pariter per illa verba: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*: & illa alia: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; non soli Divo Petro, sed istius etiam Successoribus, Infallibilitatis gratiam ad non errãdum in Fide, Christus Dominus pollicitus fuit. Quodnam, rogo, inveniri potest discrimen inter duo Privilegia in antecedenti relata, & tertium in consequenti contentum? Cur priora duo Privilegia ad Petri Successores descendunt, & tertium Infallibilitatis pariter cum illis ad cæteros non descendet Successores? Nonnè est Christus, qui cunctas prædictas gratias concessit? Successores nonnè æquè capaces sunt Infallibilitatis gratiæ, ac Potestatis ligandi, atque solvendi, Romanis Pontificibus æquè, ac Divo Petro concessę? Quorsum igitur tanta incredulitas? Vbi in re tam perspicua dubitandi locus? Cùm maxima agnoscatur huius Infallibilitatis necessitas ad bonum Ecclesiæ regimen, ad iurgia inter Fideles sedanda, ad profligandos errores, ad extirpandas hæreses, ad pacem inter tot bella stabiliendam, ac tandem ad solidandos Fideles, firmioresque reddendos, tùm in Religione sectanda, tùm in Fide, quæ necessaria est necessitate medij ad salutem, firmiter amplectenda; ne sicut Hęretici in suis erroribus fluctuare solent, quia sine Rectore, ac Principe, suo arbitrio, ac voluntate abducuntur, & omni doctrinæ vento circumferuntur, sic Catholici in Fidei Mysterijs instabilès sint, sed potiùs in rebus Fidei firmiter hęreant, nec ab illa ne transversum quidem vnguem discedant.

1192 Secunda probatur: Quia Romanum Pontificem esse Divi Petri Successorem in firmitate Fidei, Privilegioque non errandi in rebus Fideia, adeò certum est, vt id non modò ratio suadeat, sed ipsa etiam stabiliat Authoritas. In primis enim ANACLETVS PONTIFEX *in Epistola de Oppressione Episcoporum* sentit, Apostolos ex Christi pręcepto statuisse, quod in vrgentioribus, & gravioribus Fidelium causis ad Apostolicę Sedis Iudicium vnicè confugiamus; atqui graviores, & vrgentiores Fidelium causæ sunt controversiæ Fidei: ergo ad Sedem Romanam, Summumque Pontificem, Præsidentem in ipsa privativè quoad omnes, pertinet prędictas causas absolvere, ac definire. Idipsum quod Anacletus, sensere etiam EVARISTVS PAPA Africanis Epis-

Episcopis scribens, ALEXANDER I. *in Epist. ad omnes Orthodoxos*, SIXTVS I. & ELEVTHERIVS, qui *ad Gallicanas Ecclesias* scribētes affirmant, à Sāctis Apostolis esse institutum, vt Episcoporū Iudicia ad Sedem Apostolicam deferantur, scilicet quia maiores Ecclesiæ causæ, &c. Idem censuerunt PIVS I. *in Epistola ad omnes Ecclesias*; VICTOR PAPA, *in Epistola ad Theophilum*; ZEPHERINVS, *in Epistola ad Episcopos Sicilianos*; MARCELLVS PAPA *ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ*, dum ex his Christi verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* infert etiam ex Divina iussione, & Apostolorum Traditione ad Ecclesiam Romanam, tamquam ad Caput referenda maiora Ecclesię negotia. Consonat MELCHIADES PAPA *in Epistola ad Hispaniarum Episcopos*; vbi hæc habet: *Privilegium Episcopos iudicandi, Dominus Beato Clavigero Petro sua vice solummodò commisit, quod eius Prærogativam suę concedit Sedi, futuris hereditandam temporibus.*

1193 Non minùs præclarè, ac pro nostra Assertione, vehemētèr, & aptè loquutus videtur PONTIFEX IVLIVS, dum *in Epistola ad Orientales Episcopos*, non modo Episcoporum causas, sed graviores etiam, quales proculdubiò sunt Fidei, Religionis, & Cultus, ad Divi Petri, istiusque Successorum Tribunal, vnicè deferendas esse affirmat: immò hoc à Concilio Nicæno definitum esse, hisce testatur verbis: *Conciliorum convocandorum iura, & maiores causas ad Sedem Apostolicam Evangelicis, Apostolicisque Institutis referri oportet. Ita Sanctis Apostolis, & Successoribus eorum, ita Nicæna Synodo definitum est.* Idemque Pontifex ad prędictam veritatem firmandam affert illa Christi verba à nobis sæpè sæpiùs commemorata: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

1194 Ex quibus manifestè concluditur, quod si ex Apostolorum mente Christus Dominus totius Ecclesię Regimen Petro commisit, ac in ipso, Supremum Tribunal ad res Fidei diiudicandas constituit, pariter credendum est, quod eidem Petro Infallibilitatis gratiam, Privilegiumque, in rebus Fidei non errandi, concesserit, ipsumque Privilegium etiam Romanis Pontificibus, Divi Petri Successoribus, communicaverit: & enim si Pontifex, tamquam Supremus Fidei Iudex, potest Fideles cogere ad Fidei veritates, Ecclesiæ propositas, Infallibili, ac firmo assensu credendas, taliter vt non possint sentire oppositū, nisi tāquam Hæreticum. Necesse vtique est, Romanum Pontificem, dum è Cathedra definit Infallibilitatis dono gaudere, vt sic veritates, quas credendas proponit, tamquam infallibiles, ac indubitabiles Fidei Definitiones ab omnibus venerētur; ne si Pontificiæ Definitiones errori, vel falsitati essent expositæ, Fideles infirmi, ac inconstantes vacillarent in Fide, quę suaptè natura nequit subijci falsitati. Vnde vt istud, aliaque huiusmodi incommoda vitentur, necessariò dicendum est, Romanum Pontificem Infallibilitatis dono, Privilegioque non errandi insigniri; aliter enim fieret, errante Pontifice totam simul Ecclesiam errare posse.

1195 Id egregiè confirmat EVSEBIVS PONTIFEX, dum *in Epist. ad Episcopos Campaniæ, & Tusciæ*, hæc, inter alia, scribit: *Nec potest Domini nostri prętermitti Sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.* (Ex quibus verbis infert Pontifex) Et hęc, quę dicta sunt, rerū probātur effectibus, quia in Sede Apostolica, extra maculā semper est Catholica servata Religio.* Consonat PONTIFEX MARCVS, dum *ad Athanasium* scribēs, hæc habet: *Sancta Romana Ecclesia, quę semper immaculata mansit, & Domino providente, & Beato Apostolo Petro opem ferente, in futurum manebit sine vlla Hæreticorum insultatione, firma, & immobilis, &c.* Vt latiùs suprà tradidimus.

1196 Tertiò probatur: Quia melior legum Interpres esse nequit quisquam, quam Ecclesię Praxis, & Vsus; at cōstans est Fidelium Praxis in Fidei dubijs ad Romanum Pontificem pro infallibili credendorum Definitione recurrere: Ergo quia probè intelligunt, Romanum Pontificem Infallibilitatis Privilegio insigniri. Minor patet: quia omnes Fideles in omnibus dubijs, quę in rebus Fidei hucvsque suborta sunt, non quidem ad Ecclesias Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, Hispanam, & Gallicanam, sed ad Romanam, Romanumque Pontificem, vt ab ipso tamquam à Supremo Fidei, & Religionis Magistro edocerentur, omni tempore, ceu verè Catholici, confugerunt, expectantes ab ipso, tamquam à prima Cathedra, primòque Christianæ Fidei Fonte, ac origine vlti-

vltimam definitivam Sententiam, vt sic inoffenso pede in Catholicæ Fidei Professione percurrerent, semperque Catholici omnes Pontificias Definitiones æquè venerati sunt, ac si per illas loqueretur Christus, in cuius locum Romani Pontifices in Ecclesia sufficiuntur, & à Divino Spiritu singulari assistentia, in definiendis Fidei rebus, pro felici Ecclesiæ regimine, proteguntur. Non aliundè tamen, nisi quia in in eo certitudinis, & securitatis dono pręditi sunt, vt non errante Infallibili Potestate polleant. Quis enim dicat totā Ecclesiam in Fidei rebus, erroris magistrum quęrere, seque errori exponere? Hoc enim nefas est, de puritate Ecclesiæ in in Fidei Dogmatibus credere, & tam absurdè sentire, non parum absurdum.

1197 Quarta probatur ex Romanæ Ecclesiæ Stabilitate, ac Constantia in Catholica Fide: Reliquæ enim Catholicorum Ecclesiæ, cum ab Hæresiarchis, varijs hæresibus, ac erroribus invaderentur, à Catholica Fide recesserunt; Romana autem Ecclesia immota, ac constans in Fide semper permansit; irruentibus enim in illam Hęresiarchis, à Fide non destitit; violentis Romani Imperij potentijs in ipsam crudeliter sævientibus, non cessit; Æthnicis Christianæ Fidei Cultores immani sanè furore ac rabie trucidantibus, ita in Fide constans perstitit, ac firma, vt quàm plures illius Pontifices sanguinem potiùs fundere, ac morti succumbere maluerit, quàm Fidem deserere, avt illius candorem ac puritatem aliquo pacto fœdare. Hæc igitur tanta firmitas, hæc talis, ac tanta Pontificum invicta fortitudo, cui, quæso, potentię attribuenda est, nisi sinceræ, ac infallibili Christi pollicitationi totiès à nobis decantatę? *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ego rogavi pro te vt non deficiat Fides tua.* Ecclesia igitur, hac triplici Christi promissione Apostolorum Principi, istiusque Successoribus facta, quasi triplici funiculo suffulta à nemine expugnari poterit, ac vinci, neque in suis Fidei decretis alicui subijci falsitati.

1198 Quinta probatur: Quàm plurima Generalia Concilia absque Pontificis Authoritate celebrata in turpissimos errores, Catholicæ Fidei oppositos, prolapsa sunt, vt alibi fusiùs probabimus; Concilia verò, Apostolica Authoritate suffulta, & à Pontifice confirmata, nusquam errarunt in Fide, numquam à Catholicæ veritatis tramite deviarunt: ergo quia Romani Pontifices habent Infallibilitatis donum, excelsumque illud Privilegium non errandi in rebus ad Fidem, Religionem, hęresumque extirpationem spectantibus, de quibus principalius agitur in Concilijs.

1199 Et confirmatur: quia si Infallibilitatis donum in damnandis hæresibus, ac erroribus Romano Pontifici deesset, totius Ecclesiæ Fides nutaret, cuncta periclitaretur Ecclesia, aliaque gravissima sequerentur incommoda; vt enim censent Sancti Patres, præcipuè ingeniorum apex AVGVSTINVS, plures sunt absque dubio Hæreses à Romano Pontifice extra Concilium, quam in Generali Concilio damnatæ. Vnde si à Pontificia hæresum damnatio certa non foret, ac infallibilis, neque certum esset, errores à Pontifice damnatos esse hæreses Catholicæ Fidei oppositas; ex quo vlterius sequeretur, posse Fideles, quin à Catholica Fide deficerent, sequi, & amplexari impios, ac nefandos errores, hæresesque execrabiles, ac in Deum, in Christum, in Fidei Mysteria, & in Sacramenta blasfemas, quas extra Concilium Romani Pontifices Apostolico suo Zelo, tamquam execrandos errores damnarunt; quam quidem damnationem, estò extra Concilium factam, Catholica Ecclesia summo plausu suscepit, & singulari honore venerata est.

1200 Sexta probatur, & ex laudabili Vniversæ Ecclesiæ consuetudine vetustissima efformatur. Catholica Ecclesia in omni sæculo ita Pontificum Decreta venerata est, vt Hæreticos, Hæreticorumque errores semel à Romano Pontifice, estò extra Concilium, damnatos, vt tales semper habuerit, eosque semper fuerit, execrata, nec vmquam passa fuerit, vt causę à Romano Pontifice iudicatę ad aliud Tribunal, aliumve Iudicem deferrentur; recursum nāque ad aliud Tribunal semper abhorruit: Immò Fidei Definitiones, quę ab Apostolica Sede emanarunt, à tota Ecclesia in Generalibus Concilijs congregata, & repræsentata, summa semper veneratione susceptæ sunt; at antiqua ista consuetudo argumentum non leve est Infallibilitatis, qua in rebus Fidei Summus Pontifex insignitur: Ergo talis Infallibilitas Romano Pontifici deneganda non est. Mi-

norem ostendo: quia si Pontifex in Decretis Fidei, errorumque condemnatione posset errare, nullatenùs permitteret Deus, vt suam Sponsam Ecclesiam, quam Spiritus Sanctus speciali sua assistentia gubernat, Pontificias Definitiones tamquam omninò certas, & infallibiles sine vlla hęsitatione susciperet; cum autem summa Christi Providentia disposuit, vt tota Ecclesia, tam collectivè in Concilijs Generalibus, quàm divisivè sumpta in omnibus sæculis, tamquam certas, & infallibiles indubitanter susciperet veritates illas, quas Romani Pontifices definierunt, ac semper tamquam execrandos declinaret errores illos, quos vt tales Apostolica Sedes damnavit: Ergo probè agnovit Ecclesia, Romanos Pontifices in Decretis Fidei decernendis, & toti Ecclesię proponendis Infallibilitatis Privilegio gaudere.

1201 Septima probatur. NICOLAVS PONTIFEX statuit, hęreticum esse censendum, qui aliquod ex Privilegijs à Christo Domino, Romanæ Ecclesię concessis negaverit; sic enim loquitur *distinct.* 22. *Cap. Omnes.* * Qui Romanæ Ecclesiæ Privilegium, ab ipso Summo omnium Ecclesiarum Capite Christo traditum, auferre conatur, hic proculdubiò in hæresim labitur, nam Fidem violat, qui adversus illam agit, quæ est Mater Fidei.* Quæ quidem Nicolai Sententia benè perspecta, ac maturè considerata *in Act.* 1. *&* 7. Octavæ Synodi Generalis ab omnibus Concilij Patribus summa acceptatione approbata est, immò & executioni mandata; in eadem namque Synodo Michaël, & Phocius condemnati sunt, quia de hoc non errandi Privilegio, Romanæ Sedi concesso, improbè sentientes, illud quatefacere conabantur, prout adnotat Magister Canus *lib.* 6. *de Ecclesiæ Romanæ Authoritate, cap.* 7.

1202 Nunc sic. At Divo Petro, eiusque Successoribus concessum est à Christo Domino, Privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis: ergo qui illud denegat, hæreticus est censendus. Maior probata manet: consequentia est legitima. Sola minor videtur probanda, & pręter quam quod Scriptura, Sancti Patres, Concilia, gravissimique Ecclesiæ Doctores illam satis comprobarunt, vt fusè à nobis ostensum est, nunc ratio illam non levis momenti confirmat. Sensus etenim Catholicus non esset, Romano Pontifici denegare excelsam illam ligandi, atque solvendi Potestatem, quæ ipsi in Vniversa Ecclesia à Christo Domino concessa est: etenim tamquam Hęretici damnati sunt, quotquot istam veritatem priscis sæculis denegarunt; huiusmodi autem hæreseos condemnatio non in alio fundabatur, quàm in illis Christi verbis, quibus tale Privilegium Petro concessit, cum inquit: *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* Quem quidem locum Ecclesia, Concilia, & Patres non de solo Petro, sed de illius etiam Successoribus intellexerunt, illumque sic semper interpretati sunt, adeò vt quicumque Romano Pontifici hanc plenissimam Potestatem regendi Ecclesiam denegaverit, aut Romanum Pontificem esse Vniversalem Ecclesię Pastorem cum hac plenitudine Potestatis inficiaretur, indubitanter tamquam Hæreticus damnaretur: & meritò quidem, opponeretur enim, ac contradiceret Christi Domini verbis, quibus Salvator & Petrum, & illius Successores, Ecclesiæ Caput instituit, ac tàm Petro, quàm Romanis Pontificibus plenissimam illam Potestatem ex communi Patrum, & Conciliorum intelligentia largitus est; at similiter Privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis fundatur in illis Christi verbis toties repetitis: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*: illis enim Christus Dominus, vt Sancti Patres, quos lato calamo suprà allegavimus, Sacraque Concilia proclamant, non soli Petro, sed omnibus etiam Petri Successoribus indefectibilitatis donum concessit: ergo qui istud Divinum Christi denegaverit Privilegium Petro, & Successoribus, iuxta Sacrum Oecumenicum Concilium, eritne Hæreticus, an Catholicus?

1203 Octava probatur ex Complutensi Synodo, quam SIXTVS IV. Pontifex Maximus confirmavit. In illa enim Petrus Oxomensis vt hæreticus damnatus est, quia Ecclesiam Romanam errare posse affirmabat. Et hunc eundem errorem idem Pontifex Sixtus in Extravaganti adversus Petrum Oxomensem edita, sub eodem hęreseos nomine condemnavit; adeò vt prædictus Hæreticus compulsus fuerit Orationem retexere, ac palinodiam hacce formula cantare: * Consentio Sanctæ Matri Ecclesię Romanæ, & Sedi Apostolicę, & ore, ac corde confiteor, illam me Fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa

pa

pa Authoritate Apostolica, & Evangelica tenet, & omnes, qui contra hanc Fidem venerint, dignos ęterna damnatione pronuncio.* Consonat MARTINUS V. in fine Constanciensis Concilij, vbi tamquam Hæreticum damnat illum, qui aliter sentit, quam Ecclesia Romana docet, & observat; at Romana Ecclesia per tot Sæcula observavit, ac per Sanctos Patres, & Concilia docuit, Romanum Pontificem vti Supremum Ecclesiæ Caput, habere ad rectum Ecclesiæ Regimen, & ad bonam eius pacem, Privilegium non errandi in rebus Fidei, & Religionis definiendis: ergo qui hoc Infallibilitatis donum Romanis Pontificibus denegat, vt Hæreticus habendus est. Vndè subinfero, valdè alienum esse à Catholica mente, pręcipuè verò à Principe, qui *Christiani*, vel *Christianissimi* nomine gloriatur, contrarias Doctrinas vel tolerare, vel in suis Regnis fovere.

1204 Nona probatur ex Censura, qua ILLVSTRISSIMVS MELCHIOR CANO iustissimè inusit illos, qui Divi Petri Privilegia, & pręcipuè pręstantissimum illud non errandi in rebus Fidei definiendis, audent Romano Pontifici denegare. Illius verba audiamus, *ex lib. 6. de Romanæ Ecclesiæ Authoritate*, *cap.* 7. * Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesię, ac perniciem afferre, qui aut negant, Romanum Pontificem Petro in Fidei, Doctrinæque Authoritate succedere, aut certè adstruunt, Summum Ecclesiæ Pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in Fidei Iudicio posse. Vtrũque (inquit) Hæretici propugnant *: ergo vtrumque negare, & viriliter impugnare debet, qui Catholicis gloriosè adscribi desiderat. Et lacrymandum admodum est, non deesse in Christianissimis Provincijs, qui Romano Pontifici omnem Pastoralis Muneris Authoritatem, cunctaque Divi Petri Privilegia concedant, & vnum Infallibilitatis donum, quod ad bonum totius Ecclesiæ Regimen, Fidemque propagandam maximè spectat, pervicaciter denegent, Hæreticorum deliramenta communi Catholicorum, ac Illustrium Ecclesiæ Patrum, & Doctorum consensui, ac venerandæ Doctrinę temerè præferentes. O miseram sortem! O audaciam pijs, ac Christianissimis mentibus omninò abolendam! * Nos autem (vt prædictus Illustrissimus hortatur Antistes) cõmunem Catholicorũ Sententiã sequamur, tuto enim sequimur, quoniam communis Catholicorũ est. Præterquam quòd ea sentiunt, quæ Sacrarum etiam Litterarum testimonia confirmant, Pontificum Decreta finiunt, veterum Sanctorum Chorus concinit, Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum Traditio probat, perpetuus Ecclesiæ vsus observat.* Hactenùs ille. Quibus nihil pręclariùs, nihil breviùs, nihilque laudabiliùs pro Sententia illorum, qui infallibilem Romanorum Pontificum in Decretis Fidei Authoritatem, præstantissimumque illud non errandi Privilegium piè, ac Catholicè propugnant.

1205 Decima probatur. Pręstantiùs Regimen inter cętera à Politicis relata, est Monarchicum, quo cuncta membra vno Capite, vno Duce, vnoque Pręside gubernantur. Ita censuit Angelicus Doctor *de Regimine Principum*, quem communiter omnes Doctores de Regimine agentes sequuntur. Quod & ipsa ratio confirmat: non enim excogitari potest altius, & perfectiùs Regimen, quam Dei, Angelorum, & vtriusque Ecclesię, Triumphantis nempè, & Militantis, in quo ineffabilis Dei Providentia vnicum constituit Caput, cui cætera membra subijcerentur. Id nobis significare voluit Apostolus *ad Ephes.* 5. dùm dixit: *Vnus Deus, Vna Fides, Vnum Baptisma*: ipseque Apostolus clarè expressit damna ex pluralitate Capitum suborta, dum 1. *ad Corinth.* 1. hæc scripsit: *Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*; quibus verbis nos ad vnitatem hortatur, & à divisione, ac Sententiarum diversitate in rebus Fidei, tamquam à nefanda peste, consulit fugiendum. Hinc Augustinus *lib. 2. contra Manichæos, & contra Faustum, cap.* 36. istam Sententiarum varietatem, & Iudiciorum in materia Fidei divisionem clarè reprobat expendens, ex prædicta divisione, & scissura necessario sequi, vt de medio Fides, & Divina tollatur Authoritas, vt suus vnicuique animus Author sit, quid in vnaquaque re aut probet, vel improbet.

1206 Hinc etiam Deus in veteri Lege stabilivit, vt Synagoga ab vno solummodo Summo Sacerdote gubernaretur, qui vt Supremus Iudex in rebus Religionis, & Fidei vltimam proferret Sententiam, cui omnes sub pertinaciæ, inobedientiæ, ac tandem mortis pœna acquiescere,

cere, & obedire tenerentur, iuxta illud *Deuteronomij* 17. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis morietur homo ille, &c. vt nullus deinceps intumescat superbia.* Hac eadem Providentia disposuit Christus, vt vnum tantummodo esset in sua Ecclesia Caput, cui omnes in Ecclesiasticis rebus obsequerentur; ideoque transiturus ex hoc Mundo ad Patrem, Petrum Vniversalem Ecclesię Pastorem constituit, cum inquit: *Pasce oves meas.* Et *Matth.* 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quibus verbis Christus Dominus iuxta communem Sanctorum Patrum, Sacrorumque Interpretum sententiam, non modo Divum Petrum, Supremum Ecclesiæ Iudicem, vniversalemque illius, Pastorem, creavit, sed omnibus etiam Romanis Pontificibus, Divi Petri in Pastorali Officio Successoribus, eandem largitus est Dignitatem.

1207 Hinc in pluribus Canonici Iuris Capitibus statutũ legimus, maiores causas, difficilioresque Ecclesię controversias, in rebus maximè Fidei, & Religionis, ad Romanum Pontificem esse deferendas (*cap. Quoties.* 24. *quæst.* 1. *& cap. Multis, Distinct.* 17. *& cap. Maiores. de Baptismo, & eius effectu*) vt infallibili istius tamquam Supremi Iudicis Definitione, vltimaque Definitiva sentẽtia, omnes cõtroversiæ terminentur, omnia dissidiorum incendia planè extinguantur, & perpetua oblivione deleantur, ac tandem ij, quorum interest, quiescant, quia in Fidei controversijs ferè semper esse solent Regna, & Imperia, alia ab alijs divisa, vt multotiès accidit, & adhunc vsque diem miserrimè lugetur Schisma, quod Orientis, & Occidentis Ecclesias divisit. Ingentia etiam sub Sancto Cypriano, & Sancto Pontifice Stephano extitere dissidia, quę tandèm Romani Pontificis Definitione, qui omni tempore graves Ecclesię controversias composuit, sedata sunt, ac conquieverunt. Vnica autem ratio, ob quam Christiani Orbis mare, tot sententiarum fluctibus inquietum, tam citò sępè pacatum fuerit, est, quia omnes, qui Christiana Religione censentur, intelligunt, ac pro comperto habent, Definitionem Pontificis, quem Christus in sua Ecclesia, tamquam vnicum caput, vniversalemque in rebus Fidei, & Religionis Magistrum reliquit, certam esse, securam, & indefectibilem.

1208 Si enim oppositum intelligerent, Romanum nempè Pontificem in suis Decretis decipi posse, numquam controversiæ cessarent, numquam dissidia terminarentur, numquam Ecclesia diuturna pace exultaret, sed assiduis dissensionibus perturbaretur, vt experiuntur hęretici, qui estò cõtra ipsos, ipsorumque errores, Sũmi Pontifices plures definitivas Sententias protulerint, nũquam tamen pace gaudent; quia nempè, ita suis erroribus, obstinato animo, addicuntur, vt nulla ratio eos à suis calliditatibus, & fallacijs deducat. Quod itidem in nostri temporis Hæreticis experimur, qui à vero lumine, & veritate aberrantes, Concilia, Romanosque Pontifices in Fidei Decretis infallibiles non esse, sed errori obnoxios obdurata mente perperàm arbitrantur. E contra verò qui Christiano, & Catholico nomine gloriantur, estò aliquando in rebus Fidei ante Pontificis Definitionem in diversas, & adversas partes trahantur, ac dividantur, accedente tamen Pontificis Definitione, acquiescunt omnes, vt certum & infallibile venerantes quidquid à Romanis Pontificibus, tamquam Supremis Ecclesiæ Capitibus, in rebus Fidei, & Religionis fuerit definitum. Hinc S. PETRVS CHRYSOLOGVS Euthychetem hortatur, vt Pontificis Definitioni, tamquam si hæc ab ipso Divo Petro emanasset, obediat, ac humilitèr subiiciatur: * In omnibus (inquit) hortamur te Frater, vt his, quæ à Beatissimo Papa honorabilis Romanę Civitatis pręscripta sũt, obedietèr attendas, quam Beatus Petrus, qui in propria Sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem.* Hæc ille.

§. IV.

QVIBVSDAM TANDEM alijs rationibus conclusio nostra firmatur.

1209 PRimò *ex Actis Generalis Chalcedonensis Concilij*, in quo Sãctissimi illi Patres Pontificis Definitionem in rebus ad Fidem spectantibus eadem veneratione susceperunt, qua eam suscepissent, si vel ab ipso Christo, vel ab ipso Divo Petro, proprio ore prolata fuisset; *in Epistola enim 6. Leonis ad Flavianum* Patres acclamarunt: * Hæc est Apostolorum Fides: omnes ita credimus:

ana-

anathema ei, qui non ita credit: Petrus per Leonē ita loquutus est.* Idem accidit *in 6. Constantinopolitana Synodo Actione* 18. Audita enim Agathonis Pontificis Definitione, in hæc verba vnanimis illorum Patrum conclamatio erupit: * Chartha, & attramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Et CONSTANTINVS IMPERATOR sensum Definitionis, ab Apostolica Sede emanantis, explicans, hæc protulit verba: * Idcircò & omnes consonantèr mente, & lingua concredimus, & similitèr confessi sumus, & tamquam ipsius Divini Petri vocem, Agathonis relationem supermirati sumus.* Ad hoc ADRIANI PONTIFICIS Authoritas facit, dum *ad Imperatorem Basilium scribens*, Pontificis determinantis Definitionem, tamquam ipsius Dei vocem habendam esse, asseverat: * Quoniam (inquit) Tranquillissime Imperator, audisti vocem Dei per Apostolicæ Sedis Officium Tibi delatam.*

1210 Cum igitur Apostolica Pontificū, Definitio, in rebus Fidei, & Religionis, adhuc extra Concilium, à tota Ecclesia in Concilijs representata, vniversali acclamatione, & plausu suscepta sit, & ab Imperatoribus, vt Divinum Oraculum, & perindè, ac si per Pontificem loqueretur ipse Divus Petrus, de cuius Infallibilitate numquam inter Catholicos dubitatum est, humili animo venerata; non levem Apostolico Throno Successorum Divi Petri, istiusque Supremæ Authoritati irrogat iniuriam, qui Apostolica Decreta ad Ecclesiam, Fidem, & Religionem spectantia in dubium audet revocare, illaque tamquam omninò certa, & infallibilia agnoscere renuit, ac venerari.

1211 Secundò. Quia si Romani Pontificis Iudicium in rebus Fidei definiendis infallibile non esset, ingens, ac non ferendum sequeretur absurdum, totam nempè Ecclesię Fidem erroribus esse expositam, nihilque certi in Concilijs circa hęresum damnationem inveniri: Nam vel hæreses omnes in Concilijs Provincialibus, vel Nationalibus condemnatæ sunt, vel non? Si primum; cum hæc Concilia per se non habeant Privilegium non errandi, vt fert communis Dogmaticorum Authorum sententia, nullam ab his Concilijs certitudinem haurire potest hæresum condemnatio. Aliundè nec à Generali Concilio, nam & si in isto hæreses damnentur, cum istud sine Romani Pontificis Authoritate Privilegio non errandi destitutum sit: Ergo si Pontifex per se ipsum Privilegio illo non gauderet, nulla firma veritas, & certitudo in Ecclesia Dei reperiretur.

1212 Nec iuvat dicere: Pontificem cum Generali Concilio infallibilem esse. Nam si Concilium, quantumvis Generale sit, illa Infallibilitate non gaudet, neque Pontifex per se ila insignitur, vt oppositi Authores tuentur, quamvis Pontifex Concilio vniatur, vnaque cum ipso definiat, numquam eius definitio infallibilis existet. Etenim sicut ex duabus præmissis probabilibus, quarum nulla est Fidei, estò vniantur, & vnitæ ad conclusionem concurrant, deduci nequit conclusio, quę Fidei sit, neque consequens in Fide infallibile: sic si neque Pontifex per se (vt oppositi Authores propugnant) neque Concilium per se solum (vt omnes fatentur) habet Privilegium non errandi, estò Pontifex cum Generali Concilio ad alicuius veritatis Definitionem procedat, numquam Pontificis, & Generalijs Concilij Definitiones certę erunt, ac infallibiles: Ergo semper sequitur, ac rectè deducitur illud ingens absurdum, in Catholica nempe Ecclesia nihil certi circa Fidem, & Religionem futurum, si Pontifex illo Privilegio non errandi insignitus non esset.

1213 Pręterea: quia si Concilia, quæ Vniversalem Ecclesiam representant, suorum Decretorum in rebus Fidei confirmationem à Romano Pontifice, iuxta antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, communemque Fidelium Traditionem, petunt, & exposcunt, vtique in se ipsis non agnoscunt illam Infallibilitatem, quam Fidei Definitiones exigunt, benè verò in Romano Pontifice, à quo ipsa Concilia suorum Decretorum confirmationem efflagitant: Ergo si Pontifex Privilegio non errandi, in rebus Fidei insignitus non esset, illaque Infallibilitate careret, circa Fidei Definitiones, confirmatio certa non esset, sed errori exposita, ac fallibilis, vnde tota Ecclesiæ Fides nutaret, & in casum, ac ruinam vergeret. Hoc maximum inconveniens, ac non ferendum absurdum prævidit, ac præcavere conatus fuit GELASIVS PONTIFEX dum *ad Anasthasium Imperatorem* scribens: * Si tale (inquit) aliquid proveniret, vt esset de-

fe-

fectibile Iudicium determinantis Ecclesiæ; cui iam resistere auderemus errori? Vel vnde correctionem errantibus posceremus?*

1214 Tertiò. Quia Christus Dominus illis verbis: *Pasce oves meas*, non modò Divum Petrum Vniversale Ecclesiæ Caput, & Pastorem constituit, sed etiam tales creavit omnes Romanos Pontifices, Petri in Pastorali Officio Successores (vt cum communi Sanctorum Ecclesię Patrum, & Doctorum Sententia probavimus) quibus pro suo Munere incumbit bonæ, ac Cœlestis Doctrinæ pabula Fidelibus sibi creditis suppeditare: Fideles autem omnes tamquam Divini, & Ecclesiastici Gregis oves iure Divino tenentur Romanis Pontificibus parere in ijs omnibus, quæ Pontifices ad animarum proventum, & ad Fidem, ac Religionem spectantia eis iniunxerint. Demus ergo, aliquam Fidei controversiam à Romano Pontifice tamquam Supremo Iudice definiri: vel ergo tunc Fideles Pontificiæ Definitioni obedire adstringuntur, vel non? Si secundum dixeris: hinc, vt inquit Cyprianus, hæreses suboriuntur. Si primum: ergo si Pontifex in illa Definitione erraret, vt errare posse oppositi Authores autumant, tota Ecclesia, quæ ei in Decretis Fidei parère tenetur in errorem vnà cum ipso Pontifice ruere posset. Cum ergo vtrumque hoc sit intolerabile, eo quod Romano Pontifici Infallibilitas negetur. Ne ergo in tam absurda incidamus, necesse est, vt cum communi Sanctorum Patrum, ac totius Christiani Populi Sententia, Romanum Pontificem in Fidei Decretis omnimoda Infallibilitate prędictum agnoscamus.

1215 Id egregiè confirmat ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina Asserentis, Ecclesiam esse à Christo Domino in vnitate Fidei fundatam. Vnitas verò Fidei conservari nequit, vt diximus cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 1. *art. vlt.* * Nisi quęstio de Fide exorta terminetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, & sic eius Sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur.* Ex quibus apertissimè deducitur Romani Pontificis in rebus Fidei Definitionem debere esse omninò certam, ac infallibilem, cum non possit Pontifex Ecclesiam, istiusque Fideles obstringere, vt ei obediant in rebus Fidei, ac firmiter teneant id, quod certum, firmum, ac infallibile non fuerit ab eo definitum.

1216 Quartò. Quia idem non errandi Privilegium, quod in Romano Pontifice adstruimus, præclarè probat tùm illa animi tranquillitas, ac placida securitas, qua Pontificis Definitionibus assentimur, ac illius præceptis obtemperamus: tum illa specialis assistentia, qua Spiritus Sanctus Romano Pontifici adest, dum aliquid ad vniversale Ecclesiæ bonum spectans definit. Nequit enim inter Catholicos dubitari, Ecclesiam à Spiritu Sancto regi, & ab ipso assiduè gubernari; sicut nec inter ipsos ambigi debet, Spiritum Sanctum Romano Pontifici specialiter adesse, dum iste Ecclesiam Fidei veritatibus instruit; id enim apertissimè innotuit in Caypha, cui, estò improbissimo, adfuit Spiritus Sanctus, cuius speciali impulsu Christi Redemptionem prædixit. Istius autem specialis assistentię, & impulsus ratio nulla alia in Sacro textu occurrit, nisi Pontificatus illius: *Cum esset*, inquit, *Pontifex anni illius*, ad quod egregiè facit S. AVGVSTINI Doctrina, qui *lib.* 3. *contra Donatistas*, *cap.* 10. censet, Christum conferre Baptismum, dum istè à Christi Ministro confertur: *Christus inquit, assistens Sacramento suo, est principalis Baptizans.*

1217 Id ipsũ iuxta ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrinam in Sacramento Pœnitentiæ dicendum est: quando enim Minister profert illa verba: *Ego te absolvo*, ea tantummodo, vt Christi instrumentum profert; ac qui principaliter absolvit, & gratiam, peccatorumque remissionem confert, est ipse Christus. Vnde ipse Angelicus Doctor in *Supplemento tertiæ partis* agẽs de Pœnitẽtia rectissimè adnotavit, idem esse, Sacerdotem dicere: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ac dicere: *Authoritate Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; vt sic specialis assistẽtia, qua Deus Pœnitẽtiæ, cęterorumq; Sacramentorum administrationi adest, agnoscatur, & insuper intelligatur, eum, qui vt causa principalis gratiam confert, ac peccata remittit, non esse ipsum Sacerdotem, sed Deum, & istius Ministrum, nempè Sacerdotem, speciali Divinæ Authoritatis influxu. Hinc potiori iure colligere debemus, cum Pontifex aliquam Fidei veritatem ad commune, ac Vniversale Ecclesiæ bonum definit, Christum vti primum, ac principale Ecclesię Caput,

put, & Spiritum Sanctum, qui illam principaliter regit, ac assiduè gubernat, esse, qui Pontifici adsunt, vt omnimoda certitudine, & indefectibilitate, ac sine vllo prorsus errore, Fidei veritates, quibus infallibilitèr assentiri, ac humiliter parere necessitate salutis tenemur, Ecclesiæ proponere possit, ac definire.

1218 Hæc omnia præclarissimè illustrantur ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, qui *Quodlibet. 9. cap. 16.* expendens illud, quod de Caypha Scriptura testatur, hæc habet: * Qui *cum esset Pontifex*, Divino instinctu loquutus est, Evangelista testante.* Ad quod alluisse videtur S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Hom. 64. in Ioannem*, vbi de hoc eodem Cayphę eventu loquens, sic scribit: * Vide quanta sit Pontificalis Potestatis virtus! Os tantum gratia, non scelestum cor attigit.* Et DIVVS AVGVSTINVS *lib. 16. contra Faustum, cap. 22.* de eodem Caypha loquens, hæc ad rem nostram aptissima scribit: * Hoc quippè in eo egit Propheticum Chrisma, vt prophetaret.* Et *tract. 49.* ait: * Quod tamen Evangelista, Divino tribuit Sacramento, quia Pontifex fuit.* Si ergo Cayphę, estò improbissimo, Spiritus Sancti assistentia non defuit, vt infallibiliter nostræ Redemptionis veritatem prædiceret, id attestantibus celebrioribus Ecclesiæ Doctoribus, Angelico nempè Præceptore, Sancto Ioanne Chrysostomo, Divoque Augustino, qui omnes illud Prophetiæ donum Cayphæ, quia Pōtifici, adscribunt; quo ergo iure, quovè fundamento specialis ista Spiritus Sancti motio, impulsus, & assistentia, ac tandem ipsum Infallibilitatis donum, Summis Pontificibus pijssimis, ac Sanctissimis denegabitur, cum Fidei Definitiones communi Ecclesiæ bono congruentissimas proferunt, ac pronunciant? Hinc SANCTISSIMVS PONTIFEX LEO mirificè loquutus videtur, cum inquit: * Sedi suæ præesse Sanctus Petrus non desinit, & indeficiens obtinet cum suo Sacerdote consortium: soliditas enim illa, quam de Petra Christo, etiam ipse Petra factus accepit, in suos quoque se transfundit hęredes, & vbicūque aliquod ostenditur firmitatis, non indubiè apparet fortitudo Pastoris. (Et infrà) Quis vllas Ecclesiæ partes non ipsius sollicitudine regi, non ipsius ope credat augeri? *

1219 Quintò: Quia ANGELICVS PRÆCEPTOR *Quodlibetò citato*, expressè asserit, Pontifices in Fidei Definitionibus habere Spiritus Sancti assistentiam, dicens: * Certificari Pontificem in huiusmodi Decretis instinctu Spiritus Sancti, qui inscrutatur etiam profunda Dei.* Ex quibus verbis, Pontificem habere Privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis, sic non inefficaciter videtur concludi. Ideò Apostoli, & Evangelistæ habuere Infallibilitatis Privilegium, vt Catholica Fide tenemus, quia specialem habuerunt Spiritus Sancti assistentiam in ijs, quę scripserunt, prædicaverunt, & Ecclesiam docuerunt; at Pontifices Summi, iuxta Sancti Thomæ, & aliorum Doctrinam, in Fidei Decretis habent specialem Spiritus Sancti assistentiam; ergo ipsis denegari nequit præstantissimum illud non errandi Privilegium, quando in rebus Fidei, morum, & Religionis aliquid Ecclesię credendum, sequendum, vel vitandum proponunt.

1220 Hęc vt clariùs innotescant, suppono principium illud Catholica Fide certissimum, & à tota Ecclesia acceptum: Prophetas nempè, & Apostolos, in ijs, quæ dixerunt, & conscripserunt, infallibiles fuisse, ac ipsos in rebus Fidei Privilegium non errandi habuisse. Huius autem principij ea præcipua ratio assignatur, quia Prophetæ in antiqua Ecclesia constituti fuerunt à Deo, Vniversales Magistri Fidei Christi venturi, Apostoli verò in lege nova, Vniversales Magistri Fidei Christi pręsentis, ab ipso Christo electi sunt, ac constituti; at Summi Pontifices Vniversales Fidei, Religionis, ac Ecclesię Magistri à Sanctis Patribus, Sanctissimisque Concilijs prędicantur: ergo credituri sumus, ipsos, cum Ecclesiam Fidei, & Religionis veritatibus instruunt, ac docent, eadem Spiritus Sancti assistentia protegi, eodemque Infallibilitatis dono, quo Prophetæ, & Apostoli nobilitati sunt, insigniri. Cum enim idem sit Pontificis, ac Prophetarum, & Apostolorum Magisterium, idem debet esse honor, & Privilegium: alias enim, si id, quod Pontifex tamquam vniversalis totius Ecclesię Magister nos suis Fidei Definitionibus docet, ac credere pręcipit, certum non esset, ac infallibile, sequeretur, posse nos de certitudine Fidei, quam Prophetę, & Apostoli docuerunt, ac prędicarunt, eadem facilitate nutare, quod nullatenùs audiendum

dum est: Ne ergo in tam horrendum præcipitium, quod ex opposita Sententia deducitur, ruamus, ac deiiciamur, necesse est vt dicamus, Romanos Pontifices, cum Ecclesiam Apostolico suo Magisterio erudiunt, ac ei veritates ad Fidem, Cultum, & Religionem spectantes tradunt, proculdubio specialem Spiritus Sancti assistentiam habere, sicque & infallibili certitudine gaudere.

1221 Sextò: Quia Privilegium non errandi, quo Romana nobilitatur Ecclesia, ipsa comprobat experientia. Si enim oculos ad cęteras Apostolicas, & Patriarchales Ecclesias convertamus, conspiciemus ipsas nefandis, ac exitiosissimis erroribus eorum, qui eis pręfuerunt, Fidei puritatem fœdasse. Sic in Patriarchali, & Apostolica *Alexandrina* Ecclesia Dioscori, Eutychiani, & Syri Monothelitarū, Gregorij insuper, & Lucij Arianorum errores Fidei candorem enubilarunt. Sic etiam Patriarchalis *Antiochena Sede* in Pauli Samosateni Hæresiarchæ, Macarij Monothelitæ, Petri Gnaphæi Eutychiani, aliasque impias, ac nefandas hæreses, quas Hæresiarchæ publicè dogmatizarunt, ac ex Cathedra docuerunt, ac definierunt, miserrimè prolapsa fuit. Nec minori infelicitate Patriarchalis *Constantinopolitana sedes* Fidei splendorem obtenebravit, cum in ipsa infensissimi Fidei hostes Macedonius, Sergius, Nestorius, alijque impijssimi Hæresiarchæ præfuerunt. Patriarchalem tandem *Ierosolymitanam Sedem* eadem pestis invasit, eamque Eutychij, Irenæi, & Hilarij Arianorum, ac Ioannis Origenistę errores conquinarunt.

1222 In tam vasto ergo errorum, hæresumque Occeano, in quo cæteræ Patriatriarchales Ecclesię in miserandum, ac deflendum infelicitatis baratrum submersæ sunt, Romanam Ecclesiam puram semper, intactam, inviolatam, ac summa constantia firmam servasse illam Fidei puritatem, quam ei Christus, Apostolorumque Principes Petrus, & Paulus, ac tandem Divi Petri Successores Romani Pontifices tradiderunt, irruentibus in ipsam crudelissimis, ac potentissimis Fidei hostibus, Imperatoribus videlicet, tum Æthnicis, tum Arianis, aliorumque exitialium errorum labe infectis, qui & Ecclesiam, & Romanos Pontifices summa hostilitate insequuti sunt, summamque suam potentiam, & violentiam adhibentes, vt illos à Catholica Fide deiicerent; Pontifices verò ea animi fortitudine, ferventissimo Fidei Zelo, Christianæ Religionis inimicis adeo strenuè obstititere, vt vitam potiùs profundere, & libentiùs prodigere maluerint, quàm Fidei puritatem, quę in Romana Ecclesia semper floruerat, errore aliquo commaculare, vt supra Scriptura Sacra, Sanctis Patribus, & Concilijs late probatum reliquimus; hæc, inquam, omnia meridiana luce clariorem demonstrant specialem Spiritus Sancti assistentiam, & infallibilitatis Privilegium, quod Christus Dominus Divo Petro, istiusque Successoribus, Romanis Pontificibus comunicare dignatus est.

1223 Hùc respexisse videtur S. CYPRIANUS, cum *lib. 1. Epist. 3.* *Sola (inquit) Romana Sedes Beatissimi Papę Doctrina moderata in habita Patrum Fide semper stabilis, semper immota, semper mansit invicta, ad quam perfidia habere non potest accessum.* Aptissimè in hanc rem S. HIERONYMUS *Apologia. 3.* loquens cum Rufino, contra quem scribebat, hæc verba profert: *Scito Romanam Fidem Apostolica voce laudatam huiusmodi præstigias non recipere; etiam si Angelus aliter anunciat, quàm semel prædicatum est, Pauli Authoritate munitam non posse mutari.*

§. V.

QUATUOR PRECIPUIS RATIONIBUS roboratur Assertio.

1224 PRima: Quàm arctissimis Divinę Legis vinculis adstringamur, veritates in Sacris Generalibus Concilis legitimè congregatis, & ab Apostolica Sede confirmatis statutas, vt securissimas Fidei regulas, suscipere, amplecti, & venerari, docent tum ipsa Catholica Ecclesia in ipsis repræsentata, tum ipsi Sanctissimi Patres, qui ad prędicta Cōcilia cōfluxere. Sic CHALCEDONENSE CONCILIUM *in Edicto Martiani post finē tertiæ Actionis*: *Et quis (inquit) erraticas Synodos sequi cogeretur? Oportet Chalcedonensem Synodum sequi, in quo omnibus diligenter quæsitis, ea definita sunt, quæ pridem tres prædicti Cętus Apostolicam Fidem sequuti, omnibus observanda tradiderunt.*

Idem

1225 Idem nobis ostendunt Ss. PATRES LATERANENSIS CONCILII sub Sancto Martino celebrati; sic enim scribunt: * Quæ Sanctę & Vniversales quinque Synodi tradiderunt, intransgressibiliter retinemus.* Eandem sententiam sequuti Octavę Synodi Patres hæc protulerunt: * Regulas, sive Canones, tam à Sanctiss.mis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum Vniversalibus, nec non localibus Concilijs sunt traditæ, servare, & custodire profitemur.*

1226 Hæc eadē fuit GELASII PONTIFICIS mens & Doctrina, dum *in Epist.* 11. *ad Episcopos Dardaniæ* hæc asserit: * Patres nostri, Catholici videlicet, doctique Pontifices, in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro Fide, pro veritate, pro communione Catholica, atque Apostolica secundum Scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, facta semel Congregatione sanxerunt, inconcussum voluerunt deinceps, firmumque constare, &c.*

1227 Iis subscribit S. GREGORIVS, qui *lib.* 1. *Epist.* 24. veritates in quatuor Generalibus Concilijs definitas, æquè solidas, firmas, & Infallibiles, ac Sancta quatuor Evangelia, veneratur. * Sicut Sancti (inquit) Evangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, &c. Quintum quoque Concilium veneror, &c.*

1228 At si inquirere velimus, cur Ecclesia, Sanctique Patres veritates in Sacris Concilijs definitas eo prosequantur honore? ea præ cęteris statim nobis occurret ratio; quòd Spiritus Sāctus Cōcilio definiēti specialiter assistat: cūque Spiritus Sanctus sit veritatis Magister, hinc Concilia, Spiritu Sancto dirigente, in his, quę Fidei sunt, errare non possunt, cum ob huiusmodi Assistētiam Infallibilitatis dono fruantur. Sic sentit EMINENTISSIMVS CARDINALIS TVRRECREMATA, *lib.* 3. *de Ecclesia cap.* 58. vb inquirens: * An Concilium plenarium in his, quæ Fidei sunt, errare possit? * Negativè respondet; & inter alias suę conclusionis rationes, hanc luculentèr proponit: * In Concilijs Vniversalibus plenarijs, creduntur Sancti Patres, Spiritu Sancto Canones condidisse, & maximè circa Fidem, *sine qua impossibile est placere Deo*, vt inquit Apostolus *ad Hebræos* 11. Ergo videtur quòd talia Concilia dirigente Spiritu Sancto in his, quæ Fidei sunt, errare non possunt. Consequentia patet: quia Spiritus Sanctus, cuius gratia cōditi sunt Canones, est Magister veritatis, & non erroris.*

1229 Hæc eadem specialis Spiritus Sancti Assistentia eleganter convincitur ex *cap.* 1. *dist.* 15. quod est BEATI ISIDORI, vbi enumeratis quatuor Vniversalibus Concilijs plenarijs, scilicet Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, hæc habentur: * Hæ sunt quatuor Synodi principales, Fidei Doctrinam plenissimè prędicantes: Sed & si qua sunt Concilia, quæ Sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor Authoritatem, omni manent stabilita vigore, quorum gesta in hoc opere cōdita cōtinentur.* Cōfirmatur ex *cap. Violatores* 25. *q.* 1. vbi DAMASVS PAPA hæc ait: * Violatores Canonum voluntarij graviter à Sanctis Patribus iudicantur, & à Spiritu Sancto, instinctu cuius, ac dono dictati sunt, damnantur.* Hæc ille.

1230 Pro maiori huius veritatis munimine notatu dignissimū est illud, quod habetur *Act.* 17. SEXTÆ SYNODI GENERALIS, vbi se Concilium à Deo inspiratum appellat: * Vt à Deo (inquit) inspiratos Viros Concilium Constantinopolitanum primum, Chalcedonense, &c.* Eodem modo loquuntur Trullanæ Synodi Patres: *Canone* enim 1. * Statuimus (inquiunt) servandam Fidem 318. Sanctorum Patrum divinitùs inspiratorum, qui Nicæę convenerunt.* Et Synodus Toletana 3. *Can.* 1. ait: * Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, &c. Nihil ex hoc fiat, quod Sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, debere non fieri.*

1231 Hęc eadem fuit S. LEONIS PAPÆ Sententia; *in Epistola* enim 78. *ad Leonem Augustum*: * De rebus (inquit) & apud Nicæam, & apud Chalcedonensem (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia, vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit Authoritas.*

1232 Quam Sententiam sequutus S. ATHANASIVS *in Epist. ad Epictetum*, de Nicænis Patribus sic loquitur: * Communi calculo vnius Spiritus incitati (Hæreticos Arianos) anathemate percusserunt.* Cui subscribit S. GRGORIVS NA-

NAZIANZENVS, dum *Oratione in laudem Athanasij*, de Concilio Nicæno hæc habet: * Illo trecentorum, atque duodeviginti lectissimorum Virorum numero, quos Spiritus Sanctus in vnum coëgerat, quantum in ipso fuit, morbum compressit.*

1233 Tandē HVGO DE SANCTO VICTORE *lib. 4. de Erudit. Didascali. cap. 12.* post acceptationem primorum quatuor Conciliorum hæc subdit: *Sed etsi quæ sunt Concilia, quæ Sanctorum Patrum Spiritu Dei pleni sanxerunt, post illorum quatuor Authoritatem, omni manent stabilita vigore.* Vndè iuxta vnanimem Sacrorum Canonum, Sacratissimorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum Sententiam, Fidei Dogmata in plenarijs Concilijs stabilita, à nobis sunt tamquam Catholicæ veritates suscipienda, & infallibili certitudine credenda, eo quod Spiritu Sancto dirigente definita sunt, ac statuta.

1234 Idem dicendum est de his, quæ in Scriptura Sacra tàm veteris, quàm novi Testamenti, tàm in Prophetis, quàm in Apostolis, & Evangelistis continentur: quidquid enim in illa ad Ecclesię Doctrinam, & eruditionem scriptum est, tamquam infallibiles veritates suscepturi sumus, & veneraturi. Huius autem Infallibilitatis ratio non aliundè desumitur, quàm ex speciali Assistentia, qua Spiritus Sanctus Scriptoribus Sacris scribenda dictabat, vt plurimis Scripturæ Sacræ locis potest demonstrari. Sic Sanctus Petrus 2. *sua Epist. cap. 1. Non enim* (inquit) *voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, loquuti sunt Sancti Dei homines.* Et Paulus 2. *ad Timoth. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata, vtilis est ad docendum.* Quibus verbis vterque Apostolus clarè profitetur, totam Scripturam à Divino Spiritu esse instillatam.

1235 Hanc eamdem veritatem Sancti Patres Sapientiæ suę radijs illustrarunt. Inter Græcos quidem S. IGNATIVS *Epistola ad Philadelphios* sic scribens: *Prophetæ, & Apostoli vnum, & eundem Spiritum Sanctum bonum, eximium, verum, & Doctorem, & rectum acceperunt à Deo per IESVM CHRISTVM.*

1236 Athenagoras *Oratione pro Christianis*: * Nos (inquit) Sentētiam, Fideique testes habemus Prophetas, qui Spiritu Divino de Deo, & rebus Divinis disseruerunt.*

1237 S. IRENÆVS in eundem scopum *lib. 2. c. 7.* * Rectissimè (inquit) scimus, quia Scripturę perfectę sunt, quippè à vero Deo, & eius Spiritu dictatæ.* S. CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 5. Stromatum* de Prophetis loquens, hæc habet: * Oportet eis credere, cum sint inspirati divinitùs.*

1238 Eamdem sententiam sequutus ORIGENES *Hom. 2. in Ieremiam*: *Ex plenitudine (inquit) eius accipientes Prophetę, ea, quæ rectè de plenitudine sumpta cecinerunt, & idcirco Sacra Volumina Spiritus plenitudine spirant; nihilque est, sivè in Prophetis, sivè in Lege, sivè in Evangelio, sivè in Apostolo, quod non à plenitudine Divinæ Maiestatis descendat.*

1239 Idem tenet S. BASILIVS *Præfatione in omnes Psalmos*, vbi hæc habet: * Scriptura omnis divinitùs inspirata, & vtilis, hac vna ratione à Spiritu Sancto conscripta adstruitur, vt ex ea haud secùs, atque à communi quapiam curandarum animarum Officina, medelam suo quisque morbo salutarem, & accomodam queat seligere.*

1240 Suffragatur S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Hom. 27. in Genesim* sic scribens: * Ego vos omnes obsecro, ne simplicitèr ea, quæ in Scripturis Sacris contenta sunt transeatis: nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem Divino Spiritu afflati Prophetę loquuti sunt; ideò vti à Spiritu Sancto scripta, ingentē in se cōtinent Thesaurum.*

1241 His Sanctissimis Patribus adhęret THEODORETVS, dum 2. *ad Timoth. 3.* hęc scribit: * Gratia enim Divini Spiritus loquuta est per Prophetas, & Apostolos. Deus est igitur Spiritus Sanctus. Siquidem, vt vult Divinus Apostolus, à Deo inspirata est Scriptura Spiritus.

1242 Subscribit PROCOPIVS GAZÆVS *Præfatione in Genesim* dicens: *Opportet enim eum, qui operam daturus est Scripturæ Sacrę, non accipere illa, quę ibi traduntur, quasi proveniant ex hominibus. Altius initium, sive principium spectandum reor, firmiter credat necesse est illa Sacrosancta Dogmata ex ipso originem sumere Deo, & indè

indè per homines, quasi per canales, seu instrumentum ad nos promanare, sed clarius.*

1243 Consonat S. IOANNES DAMASCENVS, dum *lib.* 4. *Fidei Orthodoxæ cap.* 18. hæc habet: *Quocirca per Spiritum Sanctum, & Lex, & Prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli, & Pastores, & Doctores, verba fecerunt. Ex quo fit, vt tota divinitùs inspirata Scriptura proculdubiò vtilis sit &c.*

1244 Eidem Sententiæ Latini Patres apertissimè patrocinantur, precipuè SANCTVS AMBROSIVS, qui *in* 2. *ad Timoth.* 3. *Manifestum est (inquit) quia omnis Scriptura, cuius Deus Author ostenditur, vtilis est, &c.* Et *in Proœmio Lucæ*: *Matthęus, Marcus, Lucas, & Ioannes non conati sunt, sed Divino Spiritu veritatem dictorum, verborumque omnium ministrante, sine vllo molimine cœpta compleverunt.* *Epistola* verò 63. *ad Iustinum* explicans, cur in Scriptura nihil redundet, aut desit; dicit, idcò esse: *Quia Sacri Scriptores non secundùm artem scripserunt, sed secundùm gratiam, quę super omnem artem est: scripserunt enim quæ Spiritus illis loqui dabat.*

1245 Idem tenet S. HIERONYMVS multis in locis. *In Psalm.* enim 147. sic de Scriptura loquitur: *Pinguissimus est sermo Divinus: omnes in se habet delitias, quidquid volueris ex Sermone Divino nascitur.*

1246 Eamdem Sententiam sequitur AVGVSTINVS *lib.* 11. *de Civitate Dei, cap.* 3. *Hæc (inquit) priùs per Prophetas, deindè per se ipsum, postea per Apostolos quantum satis esse iudicavit loquutus, etiam Scripturam condidit Deus, quę Canonica nominatur eminentissimę Authoritatis.*

1247 Augustino, cæterisque Patribus consonat S. GREGORIVS dum *in Prologo ad libros Regum*: *Sacra (inquit) Scriptura tam mirabiliter ab Omnipotente Deo condita est, vt & si multipliciter videatur exposita, non tamen desunt ei secreta, quibus servet occulta.* Et *in Epist.* 84. *lib.* 4. *Quid est Scriptura Sacra (inquit) nisi quædam Epistola Omnipotentis Dei ad creaturam missa?*

1248 Sed luculentiùs pro hac re facit D. THOMAS *in* 2. *ad Timoth. cap.* 3. *lect.* 3. vbi hæc habet: *Si consideres eius (nempè Scripturæ) principium, habet Privilegium super omnes, quia aliæ sunt traditę per rationem humanam; Sacra autem Scriptura est Divina.* Et *in Disput. quæst.* 4. *de Potentia, art.* 1. *in corpore* ait: *Spiritus Sanctus est principalis Author Divinæ Scripturæ.* Et *Quodlibeto* 7. *quæst.* 6. *art.* 16. *Sacræ Scripturę Spiritus Sanctus est Author.* Hactenùs Divus Thomas.

1249 Ex quibus manifestè colligitur, quod si ea quæ in Generalibus Concilijs legitimè congregatis definita sunt, debemus tamquam veritates Catholicas venerari, eodemque honore, & veneratione prosequi quidquid ab Authoribus Sacris, tàm Prophetis, quàm Evangelistis, & Apostolis scriptum est, eo quod tàm Patres in Generali Concilio congregati, quàm Scriptores Sacri speciali Spiritus Sancti Assistentia in his, quæ definiunt, ac scribunt, diriguntur; eodem fundamento adstruere possumus, ac asserere, Summorum Pontificum in rebus Fidei Definitiones esse veritates Catholicas, infallibiles, omnisque erroris, ac fallaciæ expertes, eo quòd à Spiritu Sancto in rebus Fidei definiendis regantur.

1250 Quod eleganter docet S. ANTONINVS Florentinus Archiepiscopus dum 3. *part. Summæ, tit.* 12. tradit: *Ea, quæ facit Pontifex esse duplicis generis: quędam enim sunt, quæ pertinent ad particularia facta; quædam alia sunt, quæ facit Papa pertinentia ad Statum Vniversalem totius Ecclesiæ, vel quantum ad Fidem, sivè quantum ad bonos mores: & in talibus dicendum est, quod licet absolutè pensatis solis personis Papæ, & Cardinalium, Papa cum ipsis possit errare; supposita tamen Divina Providentia, & Spiritum Sanctum loqui per Ecclesiam, credendum est, Papam non posse errare; quia Christus oravit pro Ecclesia, Lucæ 22. Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua: & dicere quòd in huiusmodi Papa erraret, esset hæreticum.* Hactenùs ille.

1251 Consonat EMINENTISSIMVS CAIETANVS, qui *tractatu de Authoritate Papæ, & Cōcilij cap.* 9. oppositę sētētiæ argumenta diluens, allegansque textum *Lucæ* 22. ex illo Privilegium non errandi in rebus Fidei deducit ob Spiritus Sancti Assistentiam; sic enim scribit: *Papa in huiusmodi Iudicio est rectissimus propter

 Assisten-

Assistentiam Spiritus Sancti in Iudicio Fidei propter vniversale bonum Fidei; sicut promisit *Ioann.* 14. *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem.* Et Petro dixit: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.*

1252 Iuxta quod etiam 24. *quæst.* 1. dicit Innocentius Papa *Can. Quoties*: Quoties ratio Fidei ventilatur, non nisi ad Petrum, id est sui nominis honorem, seu Authoritatem habentem, recurrendum est. Et scito, quod cum dicitur de errore iudiciali, quod sola vniversalis Ecclesia errare in Fide non potest, non excluditur Summus Pontifex, sed includitur, quia Authoritas determinandi de Fide, competens vniversali Ecclesię, principaliter residet in Romano Pontifice, vt S. Thomas *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *ad* 3. dicit. Immò ipsa Authoritas, quæ Vniversalis Ecclesiæ dicitur, non nisi illa Papæ est, vt ex inducta authoritate ex *quæst.* 1. 22. (vbi finalis Sententia de Fide, ad Papam spectare probatur) patet. Et propterea in allegato Quodlibeto Sanctus Thomas Iudicio Ecclesiæ, & Papæ, vt synonimis vtitur, aperiēs expresse quod Sentētiæ Papę per Assistentiam Divinę Providentiæ, standū est.* Ex quibus apertè deducitur, Authoritatem Ecclesię, in decernendis Fidei rebus præcipuè in Romano residere Pontifice: cumque aliundè certissimum sit, & ab omnibus admittatur, Ecclesiam in rebus Fidei decernendis errare non posse, ob specialem Spiritus Sancti Assistentiam, hinc necessariò infertur, Romani Pontificis, in rebus Fidei definiendis, Authoritatem indefectibilem esse, nullique errori obnoxiam, ob specialem Assistentiam, qua Spiritus Sanctus ad Vniversale Ecclesiæ bonum ipsum regit, ac gubernat.

1253 Egregiè facit ad hanc rem *Epistola*, quam octuagintaquinque GALLIÆ EPISCOPI *ad Innocentium X.* vt ad Vniversalem Magistrum scripserunt, infallibilem illius extra Concilium Definitionem, in rebus Fidei, circa propositiones Cornelij Iansenij humiliter postulantes; qua obtenta, triginta duo Gallicani Antistites, nomine totius Ecclesiastici Status illius Regni, debitas gratias prædicto Pontifici rependunt, quod Divino Spiritu suggerente, tam Divinam Definitionem ediderit, qua penitùs extirparentur hęreses, quæ tunc temporis Regnum illud perturbabant, ac miserè inficiebant, gravioraque Christianę Reipublicæ damna possent afferre, ni infallibili Pontificis Definitione remedium illis adhiberetur. Sic ergo scribunt: * Quo in negotio illud observatione dignum accidit, vt quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hęresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam, Innocentius X. Authoritate sua proscripserit. Enim verò vetusta illius ætatis Ecclesia Catholica sola Cathedræ Petri communione, & Authoritate fulta, quæ in Decretali Epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi altera, ad vniversos Orbis Episcopos Epistola subsequuta est, Pelagianæ hęresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex Actis Priorum Pontificum, & ex Anathematismis adversus Apollinarium, & Macedonium, nondum ab vlla Synodo OEcumenica damnatos, à Damaso paulò antea iactis, Iudicia pro sancienda regula Fidei, à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (sive suam in Actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) Divinaque, ac Summa per vniversam Ecclesiam Authoritate niti, cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium pręstare teneantur. Ea nos quoque sententia, ac Fide imbuti Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, Authoritatem, debita observantia colentes, Constitutionem Divini Numinis instinctu à Beatitudine vestra conditam, nobisque traditam, ab Illustrissimo Athenarum Archiepiscopo, Nuntio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesijs, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud Fideles populos vrgebimus, &c.*

1254 Nobis, infallibilique Romanorum Pontificum Authoritati præclarè patrocinatur ILLUSTRISSIMUS EPISCOPUS GUIDO, quondam Carmelitani Ordinis Generalis, de quo suprà *num.* 135. Iste enim Romanæ Ecclesię Divi Petri, istiusque Successorum Infallibilitatem, ipsorumque in Fide non errandi Privilegium eruditè probans asseverat, ab

Aposto-

Apostolica Sede Petri Fidem non defecturam: * Sic quod Petri Fides non deficiat à Sede Apostolica, nec à Romana Ecclesia Christi Sponsa, quæ tota pulchra est, & labes hæresis, seu macula non est in ea.* Hoc autem non errandi Privilegium, istamque Romani Pontificis Infallibilitatem fundat prædictus Antistes in assidua Christi Assistentia, Divinaque gratia, qua Spiritus Sanctus Romanum Pontificem assiduè dirigit, & in Catholica Fide confirmat, ne fallacijs circumveniatur, aut in alicuius erroris scopulos impingat. Tanti Antistitis verba audiamus. * Nolentes obedire Romano Pontifici, Pastori ovium Christi, cui in Petro Dominus ait: *Pasce oves meas*; desinunt esse oves Christi; quia oves Christi vocem eius audiunt, *Ioann.* 10: Et Christus cum Petri Successoribus adest per suam gratiam eos dirigens & confirmans in Fide, vt eorum Doctrina, & Regimine perseveret Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia sine ruga, aut macula hæreticæ pravitatis.* Hactenùs ille.

1255 Idipsum pręclarè confirmat Eruditissimus Pater, & Sapientissimus Doctor IOANNES PVTEANVS, de quo *nu.* 11 r. diximus probare, solius Sũmi Põtificis Munus esse, res de Fide Catholica definire, & easdem certò, & indubitanter proponere credendas; quam conclusionem magna Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesię eruditione illustrat. Et ad primum Argumentum, quo oppositi Authores Infallibilem in rebus Fidei solius esse Concilij probare contendebant, respondet: Episcopos in Concilio congregatos, & vniformiter vnitos Infallibilitatis Privilegio gaudere, quia Romano ibi adunantur Pontifici, in quo Privilegium non errandi pręcipuam sibi Sedem fixit, ac domicilium, iuxta illam Christi promissionem: *Ego rogavi pro te, &c.*

1256 At totum istud Privilegium adscribit iste Sapientissimus Doctor speciali Assistentię Spiritus Sancti, qua illi Divinus Spiritus adest, vt ipse tamquam Supremum Ecclesiæ Caput, possit Fidei veritates infallibili certitudine definire, & Generalis Concilij Patres infallibili illius influxu valeant, Catholica Dogmata absque vllo prorsùs errore stabilire. Illius verba audiamus. * Infallibilis ista Assistentia Spiritus Sancti non est aliundè repetenda, quàm à promissione Divo Petro facta. Vnde propter connexionem, quam supponimus dari inter Episcopos, & Pontificem Maximum in Concilio Generali, statuendum est, Episcopos illic congregatos nullo modo errare posse in rebus de Fide decidendis.* Hęc ille.

1257 Vnde si celebriores Ecclesię Patres tam Græci, quàm latini vnanimitèr tradunt, Definitiones ab vniversalibus Concilijs legitimè congregatis editas, in materia Fidei, esse veritates Catholicas, ac vt tales à nobis suscipiendas, illasque, quos Canonici Scriptores nobis in Sacra Scriptura exaratas reliquerunt, esse vt infallibiles venerandas, eo quod tam his, quàm illis Spiritus Sanctus specialiter adfuerit, eorumque mentes sapientiæ splendoribus illustraverit; cum à nobis iam supra gravissimorum Authorum testimonijs ostensum sit, Romanos Pontifices in rebus Fidei ad Vniversale Ecclesiæ bonum definiendis, specialem Spiritus Sancti influxum, & Assistentiam habere, hinc manifestè convincitur, ipsos in rebus Fidei & morum, Privilegio non errandi insigniri.

1258 Secundò probatur conclusio: Illud tribunal, quod ex Divina Institutione habet indefectibilitatem in Fide habet quoque non errandi Privilegium; quod ita certum videtur, vt non indigeat probatione. At Sedes Apostolica ex Divina Institutione Christi, & efficacia Orationis eius, obtinuit indefectibilitatem in Fide: Igitur Sedis Apostolicæ Tribunal in rebus Fidei decernendis debet Infallibilitatis Privilegiò gaudere. Minor, in qua est difficultas, probatur. In primis ex S. BERNARDINO SENENSI, qui *Tom.* 1. *Serm.* 1. *de Christianæ Fidei firmitate art.* 3. *cap.* 2. dicit: * Nec etiam deficere potest Fides, pro qua conservanda Filius Dei ad Patrem oravit: Vnde *Lucæ* 22. ait Dominus ad Petrum: *Ego pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua.* * S. LVCIVS Papa, & Martyr, Romanam Ecclesiam, Apostolicamque Sedem errori numquam fuisse obnoxiam, sed illibatam semper permansisse in Fide, probat ex Privilegio efficacis Orationis Christi. Illius autem verba tradidimus supra *num.* 81.

1259 Consonat S. FELIX Pontifex, & Martyr, *Epist.* 3. *ad Benignum Episcopum*, cuius verba habentur *num.* 83.

Idem

1260 Idem censet SANCTISSIMVS PONTIFEX MARCVS, *in Epist. ad Athanasium, & Episcopos Ægypti* data, vbi hæc habet: * Hæc Sancta Romana Ecclesia semper immaculata mansit, & Domino providēte, & B. Petro Apostolo opē ferente in futuro manebit, sine vlla hæreticorū insultatione, firma, & immobilis omni tēpore persistens.* At si tantæ Infallibilitatis rationem inquirere velimus, inveniemus profectò eam penitùs inniti efficaciç Orationis, & promissionis Christi, *qui (vt prosequitur Sanctus) Fidem Sancti Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit.*

1261 Hæc eadem est S. AGATHONIS Pontificis mens *in Pastorali Epistola*, quam *ad Imperatorem Pogonatum* misit, cuius verba *num.* 88. adduximus.

1262 Ipse Sanctus *de Romana Ecclesia* loquens: * Hæc (inquit) Apostolica eius Ecclesia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius Authoritatem, vtpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Vniversales Synodi, fideliter amplectentes, in cunctis sequutæ sunt, omnesque Venerabiles Patres Apostolicam eius Doctrinam amplexi, &c.* vt diximus *num.* 89.

1263 Istud autem non errandi Privilegium Romano Pontifici, istiusque Successoribus concessum infert prædictus Sanctissimus Pontifex ex efficaci Oratione, de qua inquit Christus: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua.* Vt diximus *num.* 90.

1264 Sanctus Pontifex LEO IX. *de hac eadem Christi Oratione Sermonem instituens*, hæc habet: * Quæ Venerabilis, & efficax Oratio obtinuit, quòd hactenùs Fides Petri non deficit, nec defectura creditur in Throno illius vsque in sæculum sæculi, &c.* vt habetur *numer.* 93.

1265 Idem testatur S. GREGORIVS VII. qui *de Apostolicà Sede* loquens: * Cui (inquit) quamvis immeriti (Deo Authore) præsidemus, ipso gubernante, firma permansit ab ipsis primordijs, eoque tuente illibata perpetuò permanebit, testante eodem Domino: *Ego rogavi pro te, &c.** vt latiùs diximus *num.* 95.

1266 Cardinalis TVRRECREMATA Apostolicç Sedis Iudicium in his, quç Fidei sunt, indefectibile manifestè probat ex promissione Christi, qua Petro pro Sede sua loquens ait: *Ego pro te rogavi, &c.* Quòd autem de Fide Petri in Apostolica Sede indefectibilitèr semper mansura intelligendum sit, Sancti testantur Doctores, quos allegat, & retulimus *num.* 101. 102. *&* 103.

1267 Idem Romani Pontificis in rebus Fidei non errandi Privilegium probat CARDINALIS CAIETANVS *ex cap. Maiores*, docens, ideò recurrendum esse in maioribus causis ad Sedem Apostolicam Petri, & Successorum eius, quia ipse est constitutus indefectibilis Iudex in Fide; & hanc indefectibilitatem habet propter Orationem Christi, qua oravit, vt non deficeret Fides eius, vt diximus *num.* 112.

1268 Cardinalis etiam BELLARMINVS Summum Pontificem, cum totam Ecclesiam docet, in his, quç ad Fidem pertinent, nullo casu errare posse, expressè ostendit ex illa Christi promissione: *Ego rogavi pro te Petre*, vt diximus *num.* 116. vbi probat, quòd in ea Oratione Christus duo Privilegia impetravit Petro. Primum, vt non posset vmquam veram Fidem amittere; alterum, vt ipse tamquam Pontifex numquam doceret aliquid contra Fidem, sivè vt in Sede eius numquam inveniretur qui doceret contra veram Fidem. Vide, *num.* 118. *& duobus sequentibus.*

1269 Cardinalis BRANCATVS DE LAVRÆA Romani Pontificis Infallibilitatem *ex illo Lucæ textu*: *Ego rogavi pro te*; deducens: *Solus (inquit) locus iste est clarus, apertus, & obvius.* Et in hoc Patres omnes, quos ibi allegat fundantur, vt diximus *num.* 121.

1270 Eruditus Episcopus MELCHIOR CANO manifestè convincit, Petrum, cum Ecclesiam docuit, errare non potuisse; illamque Christi Orationem: *Ego rogavi pro te Petre*; efficacem fuisse obtinuisseque, ne Petri, & Successorum eius Fidei deficeret, vt possent fratres suos firmare, vt diximus *num.* 136.

1271 Eamdem istam Romanorum Pontificum Infallibilitatem *ex prædicto Lucæ textu* demonstrat CORNELIVS IANSENIVS, Gandavensis Antistes, sic scribens: *Hinc non inefficaciter quidam colligunt ex Christi verbis secundum Patrum intelligentiam acceptis, numquam etiam à Fide defecturum eum, qui legi-

legitimus fuerit Petri in Sede ipsius Successor.* Vt diximus *num.*140.

1272 Episcopus SIMANCAS apertè tuetur Apostolicæ Sedis Definitionem esse principium certissimæ, & indubitatæ veritatis, eorum, quæ à nobis certa Fide tenenda sunt, ac credenda; hancque veritatem, vt ipse asserit, plurimi Sanctissimi, & Sapientissimi viri docent, asserentes Cathedram Apostolicam ab ipso IESV CHRISTO tali Privilegio in persona Petri donatam fuisse, vt sicuti numquam erravit hactenùs, sic etiam in finem vsque sęculi, Fidem eius numquam defecturam esse credamus; quod probat ex illo: *Ego rogaui pro te*; quod intelligendum putat non solum de Petro, sed de eius Successoribus in Sede Petri: vt diximus *num.* 150. & 151.

1273 Archiepiscopus Toletanus DOMINVS BARTHOLOMÆVS CARRANZA propugnat Romanæ Sedis Authoritatem esse Ortodoxę Fidei Regulam; sicque Infallibilitatis Privilegio gaudere; quod antiquorum Patrum testimonijs probat; pręcipuè ex illo: *Ego rogaui pro te Petre*; vt videre licet *num.* 153.

1274 Illustrissimus etiam D. RODERICVS DE ACVNHA, Archiepiscopus Braccarensis, non errandi Privilegium in Summo Pontifice fatetur, dum ait: *Summus Pontifex definiens ea, quæ ad Fidem pertinent, nullo modo errare potest, nec in moribus, nec in rebus necessarijs ad salutem.* Quod probat ex illo: *Ego rogaui pro te Petre*; vt notavimus *num.*161. & 162.

1275 Tandem ILLVSTRISSIMVS ARAVJO, Segobiensis Episcopus, in Romano Pontifice Authoritatem infallibilem in definiendis rebus Fidei, & Religionis, agnoscit; & hanc in Romana Sede, & eius Pontifice, esse de iure Divino, à Christo concessam Petro, & eius legitimis Successoribus in illis verbis: *Ego rogaui pro te Petre, &c.* Vt diximus *num.* 165.

1276 Quibus irrefragabilibus testimonijs possemus addere magni ponderis, & Authoritatis celebriores Doctores, qui omnes expresśè probant Infallibilitatis, ac non errandi Privilegium in Romanis Pontificibus *ex illo Lucæ textu*: *Ego rogaui pro te*. Quos lato calamo adduximus in expositione huius textus, præcipuè tamen DIONYSIVM CARTHVSIANVM *num.* 173. NICOLAVM DE LYRA *num.* 174. ALBERTVM PIGHIVM *num.* 176. FRANCISCVM TVRRIANVM *num.*186. & 187. ALEXANDRVM DE LA TORRE, Lateranensem Canonicum *num.* 188. IOANNEM A CELAYA, Parisiensem Doctorem *num.* 189. LEONARDVM COQVÆVM, Doctorem etiam Parisiensem *num.* 190. Magistrum etiam DOMINICVM BAÑEZ, Salmanticensem Doctorem, ac Theologiæ Professorem Primarium *num.* 191. MALDONATVM *num.* 193. ANTONIVM PEREZ, Salmanticensem Magistrum, ac Benedictini Ordinis Generalem, *num.* 195. IODOCVM TILLETANVM, celebrem Germaniæ Doctorem *num.* 199. RICHARDVM DE MEDIA VILLA Doctrina, & antiquitate illustrem *num.* 203. MAGISTRVM IOANNEM A SANCTO THOMA, *num.*206. IOANNEM DE ARTIS, Doctorem, & Professorem Sorbonicum *num.* 209. ANDREAM DVVALLIVM, Parisiensem Doctorem, & Professorem Regium *num.* 210. IOANNEM PVTEANVM, Tolosanum Doctorem, ac Professorem *num.* 211. Patrem DOMINICVM GRAVINA, Neapolitanæ Vniversitatis Doctorem, & Primarium Professorem *num.* 212. DOMINICVM A SANCTA TRINITATE, Gallũ, Discalceati Carmelitani Ordinis Generalẽ *num.*216. IOANNEM VVIGVERS, Lovaniensem Doctorem *num.* 227. IOANNEM SINNICHIVM *num.*231. Patrem ANGELVM MARIA VERRICELLI, Italum *num.* 241. Patrem SEBASTIANVM BARRADAS, Hispanum *num.* 244. Patrem Magistrũ HYACINTHVM CHALVET Gallum *num.* 246. Patrem DIDACVM ISTELLA *num.* 249. Patrem IOANNEM DE NEAPOLI *num.* 251. Magistrum FRANCISCVM DENGVIEN, Lovaniensem *num.* 252. Patrem ANTONINVM DIANA *num.* 254. Patrem PAVLVM FABVLOTVM *num.* 257. & CORNELIVM A LAPIDE *num.* 263.

1277 Vnde si Sancti Patres, si Summi Pontifices, si Eminentissimi Cardinales, Illustrissimi Episcopi, ac tandem celebriores Authores, qui eximia Sanctitate præstanti Doctrina, ac ferventissimo Fidei Zelo floruerunt, vnanimiter sen-

sentiunt, Romanos Pontifices, vt legitimos Divi Petri, illiusque Fidei Successores, Infallibilitatis dono insigniri, ob efficacem illam Christi Domini Orationem: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*: Hinc necessariò deducitur Apostolicæ Sedis Tribunal habere Infallibilitatis donum, ac in rebus Fidei, morumque definiendis, ac pro bono ipsius Ecclesię regimine decernendis, non errandi Privilegio insigniri.

1278 Tertiò probatur assertio: Quando Christus Dominus, Petrum Ecclesiæ Caput constituit, *Ioannis vltimo*, dicens: *Pasce oves meas*; ipsi ad rectum Ecclesię regimen Infallibilitatis donum in rebus Fidei, vnà cum Suprema illa Dignitate, cōcessit; vt patet ex illis Christi ad Petrum verbis: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*: quibus apertè ostendi, Infallibilitatis in Fide donum Divi Petri Cathedrę esse annexum, tradunt communiter Sancti Patres, precipuè AMBROSIVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, alijque plures, quorum speciosam messem in Apologetica Divi Petri defensione colligemus. Interim omitti non potest AVGVSTINVS, qui id adeò certum esse arbitratur, vt iudicet, à nemine posse negari, Christum Dominum pro indefectibilitate Petri in Fide, Æternum Patrem orasse; illamque indefectibilitatem Divo Petro sua efficaci Oratione obtinuisse; vt videre licet in *lib. de Corrept. & Gratia cap.* 8. vbi sic scribit: * An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficiat Fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset? Hoc est, si eam vsque in Finem perseverare noluisset? Quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, vt vellet? * Atqui Summi Pontifices Divo Petro in eadem Authoritate, in qua Christus illum Ecclesię Caput constituit, succedunt, vt concors est Sanctorum Patrum, gravissimorumque Authorum consensus: Ergo proculdubiò Infallibilitatis donum, Privilegiumque non errandi, tam in rebus Fidei, quàm in his, quæ ad rectum Ecclesiæ regimen conducunt, Pontificiam Authoritatem, & Apostolicæ Sedis Dignitatem inseparabiliter comitatur.

1279 In huius Syllogismi maiori nulla occurrit difficultas; in minori verò maior assurgit; at ista penitùs evanescet, si S. PROSPERVM, Divi Augustini Discipulum consulimus: iste enim *in Epistola ad Rufinum*, Divum Petrum adeò vnum cum Christo considerat in Authoritate, quam illi Salvator largitus est, vt illius indefectibilitatem omninò necessariam, ac indispensabilem asserat: *Certè (inquit) pro eo rogaverat Dominus, ne deficeret Fides ipsius, nec vtique frustrà rogaverat, cuius vnà erat cum eo, quem rogaverat operatio.*

1280 Sed clariùs ALBERTVS MAGNVS, qui de Romano Pontifice hæc scribit: * Habet plenitudinem Potestatis, quia est Successor Petri, & Petrus in Potestate; * vt diximus *num. 61*. Ipse Albertus eadem illa Christi verba: *Vt non deficiat Fides tua*, de Petri Sede, illiusque Successore intelligit, dum hæc habet: *Fides eius non finaliter deficiet.* Eodem *num. 61*. tradidimus.

1281 Eidem minori præclarè patrocinatur S. CYRILLVS, Patriarcha Alexandrinus, à Divo Thoma relatus, dùm existimat Christum Dominum Divo Petro, pro bono Ecclesiæ Regimine, concessisse, cum tota plenitudine, eamdem illam Potestatem, quam super omnes gentes, & Regna ipse à Patre, tamquam Plenipotentiarius, acceperat: * Sicut Christus (inquit) accepit à Patre Sceptrum Ecclesiæ Gentium, ex Israël egrediens super omnem Principatum, & Potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curventur: sic & Petro, & eius Successoribus, plenissimam Potestatem plenissimè commisit, vt etiam nulli alij quàm Petro, Christus, quod suum est plenum, ipsi soli dedit, &c. Vt *num.* 333. diximus.

1282 In cuius confirmationem DIVVS THOMAS, expendens hunc locum *Matth.* 16. hæc habet: * Dominus vniversaliter hic Petro dixit: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis, &c.* Ostenditur etiam (inquit) quod Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri Successor, in eadem potestate ei à Christo collata.*

1283 Consonat B. LAVRENTIVS IVSTINIANVS, *lib.* enim *de Obedientia, cap.* 12. censet, Romanos Pontifices Divo Petro in eadem Authoritate succedere: *Hanc Petro datam Potestatem (inquit) qui post illum electi canonicè in ipsa resederunt sortiti sunt, qui respectu cęterorum Summi sunt nuncupati Pontifices.*

Omit-

1284 Omitti non potest CONCILIVM FLORENTINVM sub Eugenio IV. in illo enim, vt *nn.* 143. asservimus, definitum fuit: * Romanum Pōtificem Successorem esse B. Petri, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Vniversam Ecclesiam plenam Potestatem à Domino nostro IESV CHRISTO plenam Potestatem traditam esse.* Ex quo textu non leviter deducit Illustrissius Abelly, Ruthenēsis Episcopus, Romanum Pōtificem in Decretis Fidei eadem potiri Infallibilitate, qua D. Petrus; cuius verba dedimus *num.* 145.

1285 Pro maiori huius veritatis illustratione, ac munimine, notanda sunt ea, quæ S. LEO MAGNVS *Serm. 3. de sua Assumptione* scripsit; exponens namque illa Christi verba *Matth. 16. Et ego dico tibi*: *Hoc est (ait) sicut meus Pater tibi manifestavit Divinitatem meam, ita ego tibi notam facio excellētiam tuam: *Quia tu es Petrus*, id est, cum ego sim inviolabilis Petra, ego Lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, vt quę mihi Potestate sūt propria, sint tibi mecum participatione cōmunia, &c.* Vt diximus *num.* 360. Quis ambigit esse proprium Christi Infallibilitatis donum? & consequentur esse participatione commune Petro, & Successoribus eius in Throno Maiestatis ipsius Cathedræ, vel Sedis Apostolicæ?

1286 Ad hanc eamdem rem præclarè faciunt ea, quæ IMPERATOR LEO VI. *in Oratione pro Divo Petro memoranda* tradidit; siquidem explicans illud: *Quæcumque solveris, &c.* hæc scribit: * Respondit Dominus quasi increpans Petrum: *Sic eum volo manere donec veniam, Quid ad te? Tu me sequere*; id est: sequere me hoc baculo Pastorali, & sicut ego cum eram vobiscum servabam vos, vt Pater, & Caput, ac Magister vigilans pro vobis; sic tu esto meo loco, & sequere me Principatu, ac Potestate tua, fratres tuos confirmans; Te enim volo esse meo loco: Vndè manet in hodiernum vsque diem, Petrus sequens Christum in Successore suo.* Vt retulimus *num.* 378.

1287 At nobis expresiùs patrocinatur CARDINALIS, IACOBATIVS, dum *lib. 6. de Concilijs in quæstione*: An Sententia Papę Sententię Concilij preferatur? Ad quintum oppositæ sententiæ argumentum respondens sentit, inter Christum, Petrum, istiusque Successores, vnum solummodo Tribunal constitui; sicque Divum Petrum vti Christi Vicarium, cęterosque Divi Petri in Pastorali Officio Successores, eadem infallibili Potestate, quam Christus Dominus pro recto Ecclesię moderamine habuit, proculdubiò insigniri. Illius verba audiamus. *Papa enim, qui vices Dei tenet in terris, à Deo Potestatem sumpsit, vt *in cap. Novit. de Iuditijs*, quia Christus potestatem dimisit Petro Vicario suo, & per ipsum Successoribus eius, vt *in cap. Quanto. De Translatione Prælatorum, &c.* Et consequenter cum Petrus, & Successores idem Tribunal habeant cum Christo, & sic eandem iurisdictionem, (quia omnia possunt, quę Christus, Clave non errante, vt dicit Hostien. *in Decretal. cap. Quanto. De Translat. Prælatorum*: & Innocentius *in cap. Quanto. De Iure iurando*; & refert Abbas *in cap. Proposuit De Concessione Prebendæ*) meritò principaliter in Petro Ecclesię fundamentum à Christo constitutum est.* Vt diximus *num.* 390.

1288 Idem Cardinalis hęc addit: * Ad id quod dicitur, quòd Papa potest errare, responderetur: quòd non est verisimile, quòd Deus hoc permittat. Pro hoc Glossa *in cap. Quodcumque 24. quæst. 1.* & *in cap. In sede. Eadem causa, & quæst.* Et licet Glossa *in cap. A recta. Eadem causa, & quæst.* dicat, Papam posse errare, intelligitur secundum se, & considerata ipsius persona, & non tamquam Vicarius Dei, cui dat scientiam intellectus, iuxta illud *Sapient. 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam Sanctorum*: Et ita respondit Brixiensis in quibusdam suis Allegationibus confutantibus Allegationes Abbatis factas in Cōcilio Basileensi.* Vt citavimus *num.* 383.

1289 Idipsum elegantér confirmant ea, quę PHILIPPVS PRESBYTER *in Cōcilio Ephesino, tom. 2. cap. 16.* expēdens illa verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et tibi dabo Claves, &c.* dicens: * Nulli dubium, immò sæculis omnibus notum est, Sanctum, Beatissimumque Petrum Apostolorum Princi-

cipem, & Caput, Fideique Columnam, Ecclesię Catholicæ Fundamentum à Domino IESV CHRISTO Salvatore nostro, humanique generis Redemptore, Cœlestis Regni Claves accepisse, solvendique, atque ligandi Potestate, quam acceperat, vsum fuisse, necnon per Successores suos hucvsque semper vivere.*

1290 At clariùs & expressiùs nostram propugnat Sententiam eruditus Episcopus MELCHIOR CANVS *lib. 6. de Eccles. Rom. Auth. cap. 2. concl. 3.* vbi probat Sũmos Pontifices Divo Petro succedere in eadem Potestate, in qua illum Christus Vniversalem Pastorem, & Ecclesię Caput constituit; idque eis Divino iure competere censet affirmans: * Petro defuncto, Divino iure esse, qui illi succedat in eadem Authoritate, & Potestate. Nam, cum oves Christi essent vsque ad consummationem sæculi futuræ, desipiet profectò, qui Christum existimabit, ovili perpetuo Pastorem temporarium suffecisse. Quod igitur Dominus instituendo Pastorale Ecclesiæ Munus, primo Pastori contulit, id ordinariè cuilibet Successori intelligitur contulisse, vt Cardinalis Caietanus *de Primatu Eccl siæ Romanæ, cap. 12.* eruditissimè comprobavit.*

1291 Nec omitti potest pro eiusdem minoris confirmatione, GVILLELMVS LINDANVS, Episcopus Ruremundensis, postea verò Gandavensis, de quo diximus *num.* 137. sic enim ad rem nostram scribit: * Demonstratum est, Romanæ Ecclesiæ Episcopum, verum esse Petri Apostoli Successorem, & eamdem Cathedram Sacerdotalem, quam primùs Divus Petrus tenuit Romę, etiam nunc tenere; nunc superest, vt Romanum Episcopum eisdem ostendamus à Christo Domino exornatum Privilegijs, & Authoritatis, principalisque Potestatis prærogativa præditum, quibus ipse olim Divus Petrus.* Quod eruditè probat *cap. 36. & sequentibus.*

1292 Tandèm totum hoc præclarè confirmat Insignis ille Magister IOANNES A SANCTO THOMA, Complutensis Professor, qui eruditè propugnat, Romanum Pontificem non solùm in Episcopatu Vrbis Romę, sed etiam in Vniversali totius Ecclesiæ Regimine, esse Divi Petri Successorem; ita vt ipse sit Suprema Regula in definiendis rebus Fidei, quæ numquam deficere potest, cum ex Cathedra docet; hancque Potestatem ad finem vsque sæculi, ac Mundi consummationem, esse duraturam. Quam conclusionem definitam esse tamquam de Fide arbitratur, vt *num.* 206. diximus; & *num.* 207. idem Author Romani Pontificis Authoritatem, in qua Divo Petro succedit, omninò infallibilem esse fatetur.

1293 Vndè cum affatim hucvsque tot Sanctorum Patrum, celebriorumque Doctorum Authoritatibus convicerimus, Summos Pontifices Divo Petro, non modò in Cathedra, sed in eadem etiam Authoritate, quam illi Christus Dominus ad bonum Ecclesiæ in rebus Fidei, & morum, Regimen concessit, succedere; cumque insuper luculentissimis Divi Augustini, aliorumque Sanctorum Patrum testimonijs ostenderimus, Divum Petrum Infallibilitatis in Fide dono fuisse insignitum; necesse est vt dicamus, Romanos Pontifices in rebus Fidei, & morum, Privilegio non errandi gaudere.

1294 Quartò probatur conclusio. Illud Tribunal gaudet Privilegio non errandi in Fide, in quo puritas Fidei illibata semper servata est, quodque nulla vmquam hęreseos macula fœdare potuit, nec vllus in posterum error, fraus, aut fallacia in illud poterit prævalere: atqui Apostolicæ Sedis Tribunal, in quo Romani Pontifices iure Divino præsident, adeò in Fide firmum, & constans semper permansit, vt illud hæresi aliqua contaminari numquam Deus permiserit, nec in illud vlla hæresis vllo vmquam tempore prævalebit: ergo Apostolicæ Sedis Tribunal Privilegio non errandi insignitur. Maior adeò certa est, vt superfluum sit tempus in illius probatione insumere. Minorem probat Divinum illud ipsius CHRISTI ORACVLVM, dum de Romana Ecclesia, Summisque Pontificibus in Petro loquens, hæc proprio protulit ore: ***Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum: & quodcumque solveris super terrã, &c. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*** Hic enim per portas inferi intelligi hæreses adversus Apostolicam Petri Sedem, ob istius in Fide Firmitatem, & Stabilitatem numquam prævalituras, docet communis Sanctorum Patrum consensus.

1295 Prodeat in primis S. THEODORI STVDITES Authoritas, qui *in Epistola ad Paschalem Pontificem* ita eum alloquitur: * Audi Apostolicum

Caput

Caput, à Deo præposite, Pastor ovium Christi, Ianitor Regni Cœlorum, Petra Fidei, super quam ædificata est Catholica Ecclesia.* vt habetur *num.*58.

1296 Et *in Epist. ad eumdem Paschalem*, de qua *num.*317. * Cognovimus (inquit) manifestum Apostolorũ Principis Successorẽ Romanę Ecclesię præsidere.(Et infrà:) Vos igitur illimis, ac sincerus ab initio Fons Orthodoxæ veritatis; Vos adversus omnem hęreticam procellam tranquillus sepositus Portus Ecclesiæ Vniversę; Vos à Deo electa Civitas refugij salutis; sed quoniam temerarium est a nobis miseris, ac indignis encomia congeri Divino Numini Vestro, quod Divinæ olim linguæ Beatum prędicarunt.*

1297 Et *in Epistola, quam ad filium suum Naucratium* ex ipso ergastulo scripsit, idem istud non errandi Privilegium luculentiùs probat ex illo *Matth. 16. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: loquens enim de Epistolis, quas Paschalis Pontifex contra venerationis Sacrarum Imaginum hostes, Constantinopolim scripserat, Fideles vehementer exhortans, vt Sacras Imagines debita veneratione prosequerentur, hæc habet: * Testor nunc coram Deo, & hominibus, se ipsos avulserunt à Corpore Christi, & Supremo Verticali Throno, in quo Christus Fidei Claves posuit, adversus quem non prævaluerunt vmquam, nec prævalebunt vsque ad consummationem, portę inferi, ora scilicet hęreticorum, sicut pollicitus est, qui non mentitur. Gaudeat igitur Beatissimus, & Apostolicus, & Nomine suo dignus Paschalis, quoniam Petri opus implevit.* Hæc ille.

1298 Idipsum præclarè confirmat GENNADIVS, Patriarcha Constantinopolitanus, qui postquam prędicta Sancti Theodori verba retulit *in Expositione in Concilium Florentinum*, *cap.* 5. *sess.*17. hęc profert: * Audis quo pacto ea (nempè Romana Ecclesia) Caput est Ecclesiæ Christi, cuius Petrus est primus Pręses, & quod numquam prevaluerunt, nec prævalebunt, vsque ad cõsummationem sæculi, hęreticorum effrænata ora secundũm promissionem Veracis Salvatoris? Si numquam prævaluerunt hęretici adversus Christi Ecclesiam, quomodo audetis dicere, eam errare? &c.

1299 Hanc eamdem sententiam mirificè illustrat S. LEO MAGNVS, de quo *num.* 358. dum *in Epist.* 89. *ad Viennenses Episcopos*, *cap.*1. hæc scribit: * Sed huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se Mysterij Divini intelligeret esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.

1300 Hunc enim (prosequitur) in cõsortium individuæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, vt æterni Templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam sua firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent vmquam: quia soliditas illius Fidei (vt inquit *Serm.*2. *de sua Assumpt.*) quæ in Apostolorum Principe est laudata perpetua est, & sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit.*

1301 Idem Sanctus *Serm.* 3. *de sua Assumpt.* explicans illa verba: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: * Super hanc (inquit) fortitudinem, ęternum extruam Templum, & Ecclesiæ meę Cœlo inferenda sublimitas in huius Fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt.*

1302 Consonat Sanctissimus Pontifex LEO IX. qui *in libro, quem ad Leonem Imperatorem, & Leonem Acridanum scripsit cap.* 7. hęc, ad rem nostram valdè notanda, tradidit: * Taliter Sancta Ecclesia super Petram, id est Christum, & super Petrum, vel Cepham filium Ioannis, qui priùs Simon dicebatur, ædificata est, quòd inferi portis, disputationibus scilicet hęreticorum, qui vanos ad interitum introducunt, nullatenùs foret superanda. Sic pollicetur ipsa Veritas, per quam sunt vera, quæcumque sunt vera: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; cuius Promissionis effectum, se precibus impetrasse à Patre, ipse Filius protestatur dicendo ad Petrum: *Ego autem*

 tem

tem rogavi pro te, &c.

1303 Erit ergo (idē prosequitur) quisquam tantæ dementiæ, qui Orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vanam putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quàm per Successores suos, reprobata, atque convicta, atque expugnata sunt omnium Hæreticorum commenta, & fratrum corda in Fide Petri, quæ nec deficit, nec vsque in finem deficiet, sunt confirmata?* Hactenus ille.

1304 Notatu dignissima sunt ea, quę ad hanc rem eruditè adnotavit S. GREGORIVS Papa *in Expositione quinti Psalmi Pœnitentialis*; sic enim scribit: * Terra quippè in æternum stare dicitur, quia scilicet Ecclesia à Catholica Fide nequaquam deficiet, & in futuro, cum Deo æterna stabilitate permanebit. Nam quòd in hac vita nullis adversitatibus frangenda sit, nullis persecutionibus superanda, ipse, super quem ædificata est, evidenter ostendit, cum ait: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Portæ inferi hęreses sunt, quæ dum multos in Fide infirmos, fucata verborum calliditate decipiunt, quasi inferorum eis aditum pandunt.* Hæc Sanctus.

1305 Sed nec omitti potest IMPERATOR CONSTANTINVS IV. *in Edicto pro Sexta Vniversali Synodi*; ibi enim inter alia, hæc scribit: * Petrus, qui & petra Fidei est, & Princeps Apostolorum.* Idem insuper Imperator Sexti OEcumenici Concilij confirmationem à Leone II. Pontifice postulans asseverat: * Apostolicam Sedem esse eam Petram, super quam Dominus fundavit Ecclesiam, & prædixit numquam fore, vt portæ inferi, hoc est, Hęreticorum insidiæ, adversus eam prævalerent.*

1306 Illustrissimus ac eruditus Canariensis Episcopus D. MELCHIOR CANVS *de Locis Theologicis lib. 6. cap.* 3. pro secunda conclusione statuit: * Petrum, cum Ecclesiam docebat, aut oves in Fide firmabat, errare non potuisse.* Hanc conclusionem demonstrat illud *Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quę verba explicans Origenes *homil. 1. in Matth.* ait: * Manifestum est, & si non exprimatur, quod neque adversus Petrum, neque adversus Ecclesiam, portæ prævalere poterunt inferorum. Nam si prævalerent adversus Petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam item prævalerent.* Hæc ille.

1307 Hanc eamdem sententiam eruditè tuetur ILLVSTRISIMVS IACOBVS SIMANCAS, Pacensis Episcopus, qui, *Tom. de Catholicis Institutio. Titulo 45. de Papa, & illius Authoritate infallibili*, hæc scribit: * Hæc eadem sententia satis apertè probatur illis Christi verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et portæ inferi non prevalebunt adversus eam*: Quæ verba (ait) non tantum de Petro, & pro ipso Petro dicta sunt, sed etiam pro Summis Pontificibus, legitimis Petri Successoribus, quorum Fides in Officio illo Pastorali non deficit, nec deficiet vmquam. Et portę inferi, hoc est, hæresis, infidelitas, & erronea Fides, non prævalebunt adversus hoc fundamentum Ecclesię. (Et paulò infra:) Hanc veritatem (inquit) Catholicæ Ecclesiæ Traditione, Sacrisque Litteris fulcitam, rationes quoque multæ vivæ, atque spirantes comprobant. * Hæc ille.

1308 Preclarè ad hanc rem facit quod scripsit ILLVSTRISSIMVS EPISCOPVS FIVME, Neapolitanus, de quo diximus *num.* 428. Etenim *in expositione illius textus*: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; hæc habet: * Quibus verbis, & Petræ soliditas declaratur, & portas inferi (scilicet hostes Fidei) numquam adversus eam prævalituras ostenditur. Hinc Cyrillus apud Divum Thomam in Catena Aurea ad hunc locum ait: Secundum hanc promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumventione manet immaculata. Et Divus Augustinus *in Psal. contra partem Donati*, ait: Ipse est Petra, quem non vincunt inferorum portæ.* Hæc ille.

1309 Nec pro maiori eorum, quæ diximus, confirmatione desunt gravissimi Authores, qui predicta verba: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, de Apostolicæ Sedis, Romanique Pontificis in Fide Firmitate, & Constantia intelligant. Audiamus GVILLELMVM TORNACVM antiquitate, & eruditione insignem, qui *de Officio Episcopi cap.*

35.

35. de Romani Pontificis Authoritate sic loquitur: *Sola Romana Ecclesia, cuius Fides in nulla tentatione deficit, vtpote supra Petram stabilem solidata, nullis hæresibus, nullis erroribus potest, vel potuit, vel poterit inquinari. Licet enim prora vacillet in mari, licet carina elidatur fluctibus, puppis tamen permanet immobilis, &c. Papa Typum tenet individualiter Domini nostri IESV CHRISTI, de cuius Potestate magis est reverentialiter subtiscendum, quàm temerè discutiendum.*

1310 Pro eadem Sententia stat IEREMIAS, CONSTANTINOPOLITANVS *in Responsione Epistolæ* 1. *ad Marinum Crucium*; ibi enim pro Romanæ Ecclesiæ Firmitate in Fide, hæc habet: *Ecclesia Christi (vt cum Paulo loquamur) *Columna, & Firmamentum veritatis*, cui nec portæ quidem inferorum (vt Divina Domini Promissio habet) prævalebunt; etiam si enim aliqui monstrosa imaginatione aliquid pervertãt, nihilominùs tamẽ ea manet stabilis, & incõcussa, fũdata firmiter in Petra, & ijs, quibus innititur veritas.*

1311 Eidem Sententiæ suffragatur Doctissimus Magister THOMAS GRAVINA *de Catholicis Præscriptionibus, tom.4. part.1. de Magisterio Ecclesiæ, art.* 4. *controverf.* 5. vbi expendens illa Christi ad Petrum verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, hæc scribit: *Quo loco apertè indefectibilitatem in Fide demonstrari, docent Patres, Chrysostomus, Euthymius, Theophylact⁹, Hieronymus, & alij, in hunc textum Matthęi, dicentes: per portas inferi Hęreticos significari, qui numquam contra Ecclesiam pręvalituri pronunciantur. Prævalerent autem certè portæ inferi adversus Ecclesiam, vt aptè colligunt Patres Concilij Trevirensis, si errare Ecclesia perniciosè posset, aut noxia docere. Numquam ergo Ecclesia á Fide deficiet.*

1312 Pro maiori huius veritatis munimine, notatu dignissima sunt, quæ eruditè scripsit Sapientissimus CORNELIVS A LAPIDE ad illa verba *Matth.16. Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et portæ inferi, &c.* ibi enim hæc habet: *Sensus ergo est, quasi dicat: *Tu Kepha, sive Cephas*, id est, Petra, sivè saxum durissimum, & firmissima cautes à me designata, & destinata, vt post mortem meam recepto in Pentecoste Spiritu Sancto planè solidata, & roborata, sis Fundamentum Ecclesiæ, quam super te ædificabo.*

1313 Et infrà: *Denique Christus hoc tribuit Petro, vt Pontifici futuro Ecclesię: quare idẽ tribuit cæteris Pontificibus eius Successoribus, idq; in bonũ Ecclesiæ, vt scilicet illa ab eis, quasi à Petra in Fide, & Religione Christiana solidentur. (Et infrà ad illa verba: *Portæ inferi non prævalebunt*, ait:) Maximè tamen per portas inferi intelligit D. Augustin⁹ Hęreses, & Hæresiarchas; hi enim Fidem Petri, & Ecclesiæ, ex professo oppugnant, prodeuntque ex inferno, & suscitantur à diabolo. Ita Sanctus Epiphanius *in Ancorato*, non longè post initium.*

1314 Et ad illa eadẽ verba: *Non prævalebunt*, hæc scribit ipse Cornelius: *Non poterunt ei, Ecclesię scilicet, resistere. Ita Sanctus Hilarius. Simplicius ait: Non prævalebunt, id est, non vincent, non superabunt, non avertent Ecclesiam. (Et infrà ait:) Illi æquè, ac Capiti eius Petro, id est Pontifici, promittit de omnibus victoriam, & triumphum. Ratio est, quia Christus ei assistit, & pro ea pugnat.* Vide alia ad hunc propositum apud eumdem Authorem loco suprà citato.

1315 Huic tandem probationi coronidem imponat Doctissimus Pater Magister HYACINTVS CHALVET, Tolosanus, qui *tom.7. tract. de Fide, lib.* 2. *cap.* 5. agens de Romano Pontifice, Divi Petri in Cathedra Successore: *Summus (inquit) Pontifex Romanus, & Cathedra Divi Petri, in qua sedet, Fidei Oracula fundit. (Et infrà:) Petrus, primus Ecclesiæ Romanæ Iudex, & Princeps, iunctus Petræ, nempè Christo, totus in Petram absorptus est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi, &c.* Petra efficitur Petrus, sed sonora, & firma, adversus quam portæ inferi numquam prævalebunt; sonora, quia ex Cathedra loquens, Oracula veritatis fundit: firmissima, quia numquam à Fide erravit: vtrumque autem habet ex Christi contactu. Non potuit in Fide errare Petrus, quia primus sedit in Cathedra Christi, cuius vices gessit in terris. (Et infrà idem Author ait:) Cathedra ergo Ecclesię Romanę non lignea, qualis olim Mosayca, super quam sedebant Scribæ, & Pharisæi, sed saxea, in qua Petrus primùm sedit

sedit Romanorum Pontificum Infallibilitatem, & in Fide constantiam demonstrat: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Divi autem Petri in Fide Firmitas, & Infallibilitas ex triplici capite declaratur.* Et probato hoc triplici capite, vt diximus *num. 496.* concludit idem Author: * Triplici hac Petri prerogativa fulgent Summi Pontifices Romani, qui Petro in Regimine Ecclesię succedunt, quare ad illos spectat Oracula fundere, Fideique ęnigmata solvere.* Hactenùs ille.

1316 Ex dictis apertè deducitur, quod si Romanæ Ecclesię, Apostolicęque Sedis Tribunal summa semper Fidei puritate enituit, quin in rebus Fidei definiendis alicui errori, aut falsitati possit subijci, & quin alicuius hæreseos macula illud vmquam inquinare valuerit, vt in hac quarta ratione manifestè convicimus tot præclarissimis Sanctis, Gravissimisque, atque eruditissimis Authoribus, qui omnes tamquam solidissimo fundamento innituntur illa Christi Promissione Petro, istiusque in Cathedra, & Pontificatu Successoribus facta: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* Siquidem si ob istam Promissionem Christus Dominus primum Pontificem Petrum, omnesque illius in Cathedra Successores, ab omni errore servavit immunes; hinc iuxta prędictorum Patrum, Gravissimorumque Authorum mentem, manifestè deducitur, Summos Pontifices eodem illo præclarissimo, ac singularissimo in rebus Fidei non errandi Privilegio, quod Divi Petri Cathedræ concessit Christus, certissimè insigniri, ac præclarissimè condecorari.

1317 Cum ergo tam multiplici ratione, ex Sacra Pagina, ex Sanctis Patribus, ex Sacratissimis Concilijs, celebrioribusque Doctoribus desumpta, qui tàm in Dogmaticis, quàm in Expositivis Ecclesiam illustrarunt, manifestè probaverimus, Summos Pontifices in Decretis Fidei, & morum, Privilegio non errandi gaudere; quamvis triginta sex primæ rationes à nobis suprà propositæ id efficaciter non suaderent, certè quatuor istæ, quas modò adduximus, adeò id manifestè convincunt, vt omnem dubitandi rationem penitùs excludant, nec vllum oppositum tuendi locum relinquere videantur.

1318 Nihilominùs tamen, nostram denique Assertionem haud leviter confirmare decrevimus aliquorum Hęreticorum, quibus Romani Pontificis Authoritas in rebus Fidei infallibilis non inefficaciter fulciri videtur. CENTVRIATORES enim hæc expresśè asserunt *Centuria 1. lib. 1. cap. 7. colum. 257.* * In Ecclesia Populi Iudaici vnus tantum lege Divina erat Sacerdos Summus, quem omnes tenebantur agnoscere, eique parère.* Quod confirmat DEODATVS LVCENSIS Calvinista, dum *in Scholijs marginalibus vulgari lingua editis* ad illa verba *Deuteronomij 17. Qui autem superbierit, &c.* hęc scribit: * Sacerdotes tamquam interpretes divinæ legis in rebus, quæ per illos iudicari poterant, pronunciabant sententiam finalem.* Ex quibus verbis deducitur, quod si in antiqua Lege vnus tantùm erat Sacerdos, cui in rebus religionis omnes erant obsequuturi, & ad quem pertinebat proferre vltimam definitionem, ac sententiam, quam omnes infallibiliter sequuturi, ac perfecturi erant; cum antiqua Lex, nostrę figura fuerit, & adumbratio iuxta illud Pauli: *Omnia in figura contingebant illis*, ad Romanos vtiquè Pontifices spectabit, vltimam in rebus Fidei Definitionem, ac Sententiam proferre, cui omnes Fideles sine appellatione, & recursu infallibiliter assentiri, credere, ac obedire teneantur.

1319 Consonat ENDVVINVS SANDES Hęreticus Anglicanus Protestans, qui *in Narratione Occidentali*, agnoscit Fidei certitudinem, & illius in Ecclesia vnitatem à Romani Pontificis supremi Iudicis vnitate pendere; sic enim scribit: *Habent Papistæ Papam, &c. Iudicem, qui lites dirimat, controversias componat, Religionem in vnitate conservet.* Romanæ Ecclesię suffragari etiam videtur DVDICIVS CALVINISTA, *apud Bezam, Epist. 1. Theologica* sic scribens: * Romana Ecclesia, &c. Habet vetustatis venerandæ successionis (vtique Pontificum) ordinariè consensus perpetui speciem plausibilem; & si veritas est, quam veteres Patres mutuo consensu sunt professi, ea pro Pontificibus tota stabit.*

1320 At pro Romanorum Pontificum Privilegio non errandi in Fide clariùs loquitur BANDIVS CALVINISTA

STA *in Tractatu Pacificationis*, *sect.* 14. *circa medium*, vbi sic scribit: *Ecclesia Romana semper quodammodò in Professione Fidei permansit ex quo ab Apostolis Fidem accepit, &c. Et aliquomodo tam verbum, quàm Sacramentum à Christo Domino tradita retinuit, & conservavit, quod sanè singulare Dei donum est, & manifestum opus Spiritus Sancti.*

1321 Sed omnes inter Hæreticos Supremum Romanorum Pontificum Magisterium indeffectibile, istorumque Privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis ob specialem Assistentiam, qua Spiritus Sanctus Pontifici in suis Decretis, & Definitionibus adest nullus expressius agnovit, ac clariùs confessus est, quàm MARTINVS LVTHERVS, qui estò omnes Hæresiarchas, qui his vltimis sęculis in Ecclesiam Dei insurrexerunt, turpitudine, & fœdissimis ac nefandis erroribus superarit, hanc nihilominùs veritatem agnovit, eamque publicè prædicavit. Verba ergo, quę *in resolutione de Indulgentijs* scripsit, hæc sunt. *Authoritati Papali in omnibus cum reverentia credendum est. In Comitijs Generalibus protestatus sum me colere, & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in meis dictis, & factis præsentibus, & futuris.* Clariùs adhuc pro re nostra loquitur in alijs quatuor locis precipuè, *Tom. 1. VVitembergensi Epistola ad Papam Leonem X.* dum asserit: * Quare, Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis, &c. Vocem tuam vocem Christi in te pręsidentis, & loquentis agnoscam.*

1322 Ipse Lutherus *in prima apellatione, qua ad Leonem X. provocavit*: * Fateor (inquit) solùmmodo me disputasse, & omnia sub pedibus Sanctissimi Domini nostri Leonis X. subiecisse, &c. vt reprobet, & approbet, sicut placuerit, & vocem eius vocem Christi, in ipso præsidentis, agnoscam.

1323 In quorundam item Articulorum resolutione de eadem Ecclesia Romana loquens, ita Spiritum Sanctum Pontifici adesse asseverat, vt estò Pontifex in Fide interiùs errare voluerit, numquam id à Spiritu Sancto permittendum esse, affirmèt: * At non videmus (ait) quàm vigil sit Christus in Ecclesia sua, vt iam errare volentes, nō permittat errare?* Tandem *in Disputatione Lypsica*, hæc scribit: *Dico magnam, & infallibilem esse Ecclesiæ Authoritatem. Quod Spiritu Sancto regatur, pleno ore confiteor.*

1324 Vndè infallibilem Romanorum Pontificum in rebus Fidei Authoritatem apertissimè proclamant non modò infallibilis Scripturę Sacræ Authoritas, luculentissima tot Sanctorum Patrum testimonia, Sacratissima Conciliorum Decreta, veneranda Pontificum Oracula, elegantissima Imperatorum, Regumque Rescripta, non ignobilis tot rationum Doctrina, quibus Romanorum Pontificum Infallibilitas, ipsorumque Privilegium non errandi in rebus Fidei definiendis non mediocri evidentia evincitur. Eamdem insupèr Infallibilitatem in Romano Pontifice agnoscunt non modò graviores Ecclesiæ Catholici, & maioris inter Catholicos, ac illustrioris nominis viri, sed effrænes etiam Hęretici, ac Hæresiarchæ fatentur, præcipuè verò, fœdissimorumq; errorum origo, Martinus Lutherus, qui licet innumeris involutus extiterit erroribus, Catholicis tamen circa Romani Pontificis Infallibilitatem subscripsit; protestatur namque, se in rebus Fidei, de quibus agebat, Pontificis vocem, tamquam vocem Christi venerari, illius Infallibilitatem ob specialem Spiritus Sancti Assistentiam agnoscens, ac publicè proclamans; cumque nec de Spiritus Sancti Infallibilitate, nec de Divinæ ipsius Christi vocis certitudine queat inter Catholicos dubitari, hìnc iuxta Catholicorum, immò & Hæreticorum Sententiam, negari nequit, Fidei Oracula, & Definitiones, quę à Romano Pontifice emanaverint summam Infallibilitatis certitudinem habere.

1325 Verum, O infelicem nostrorum temporum calamitatem! O obstinatam aliquorum perfidiam! Cùm enim Romanorum Pontificum Indefectibilitas, tot Authoritatibus suffulta sit, totque rationibus munita, quæ & durissimum ęs flectere, & saxorum duritiem emollire, ac adamantis fortitudinem (si hęc insensibilia ratione vterentur) frangere vtique possent; adhùc non desunt depravata aliquorum ingenia, qui cęca pervicacia, nec Authoritatum pondere flecti, nec rationum momentis duci, nec ab errore, quo miserè tenentur, discedere volunt; sed communem Catholicorum sensum spernentes, hæreticis, qui

Se-

vtpotè infensissimi Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis inimici, istius Infallibilitatem perfidissimè inficiantur, obstinato animo adhærescunt: cumque communi Catholicorum sensui tenacissimè obsistant, se se non modò ex Christianorum ovili, sed Christianissimos ab omnibus, prohdolor! prędicari & commendari contendunt. Quòd quam difficile videatur S. CYRILLO, verbis satis perspicuum fiet: * Si Christi oves esse, & appellari desiderant, audiant vocem Pastoris, quem Christus Dominus Ecclesiæ suæ pręfecit.* Audiant, inquam, vocem Petri, istiusque Successorum, quos Dominici Gregis Pastores Christus ipse constituit, istorumque indefectibile Privilegium agnoscant, ac venerentur, aliàs enim, si in perniciosissimo illo errore persistunt, antiqui serpentis fraudes non effugient, immò subdolis illius artibus circumventi, Tartareis vndis submergentur. Ad quòd allusit idem S. CYRILLVS, dùm *in lib. Thesaurorum, apud Sãctum Thomam, Opusculo contra errores Græcorum*, hæc scripsit: * Si Christum imitamur ipsius oves, vocem eius audiamus, manentes in Ecclesia Petri, & non inflemur vento superbiæ, ne fortè tortuosus serpens, propter nostram contentionem, nos eijciat.*

1326 Nos ergo, qui Christianissimo, & Catholico nomine gloriamur, sequamur, non quidem perfidas, & sceleratas Hęreticorum calliditates, & præstigias, qui Apostolicum Thronum, infallibilemque Romanorum Pontificum Authoritatem immani semper hostilitate insequuti sunt; sed firmam, solidam, ac constantem veritatem de Romani Pontificis Infallibilitate, quam tot sæculi Catholica Ecclesia, Sanctissimi Viri, Sacratiora Concilia, Doctissimique Patres venerati sunt: hoc enim nos hortatur, & monet S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catena Aurea DIVI THOMÆ, dum ad illa verba *Matth. 16. Portæ inferi non prævalebunt, &c.* hæc habet: *Secundum hanc Promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hęretica circumventione manet immaculata.* Quod confirmat THEODORETVS, qui *Epistola ad Renatum, Præsbyterum Romanum*, inter alia, hęc scribit: * Tenet Sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tùm quia semper hæretici fœtoris expers permansit.*

1327 His tandèm coronidem imponat S. HIERONYMVS, qui Prophetico Spiritu hęc nostra tempora pręvidisse videtur, *in Epistola* namque 8. *ad Demetriadem, cap. 9.* illam exhortatur, vt se ipsam, suamque mentem, & Sententiam in omnibus Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, in qua Fidei, & Doctrinæ securitas firma omninò subsistit, humiliter subijciat. * Et quia (inquit) vereor, immò rumore cognovi in quibusdam adhuc vivere, & pullulare venenata plantaria, illud te pio Charitatis affectu præmonendam puto, vt Sancti Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ Successor est, teneas Fidem, nec peregrinam, quantumvis tibi prudens, & callida videaris, Doctrinam recipias.* Hactenùs ille. Quibus finem rationum ponderi impono: Sapienti enim, si ratione duci velit, si pietatis, ac Religionis Zelo exęstuet, præfata argumenta sufficiunt, adductæ rationes supersunt. Verum si his auditis, mentis adhuc imbecillitas, animique durities viam præcludit, ne indeflexum veritatis lumen accedat, si adeò saxea sint pectora, vt nec testimonijs, nec rationum malleo emolliri possint, quid amplius expectamus? quid prorsus agendum restat? nisi quod Deum Optimum deprecemur, vt velamen ab illorum cordibus auferat, & cæcitatis tenebras ab eorum mentibus depellat: parcatur illis, & oretur pro eis.

LI

LIBER SECVNDVS APOLOGETICVS.

ASSERITVR ROMANORVM Pontificum in Fide illibata Constantia, & ab hæreticorum, ac sequacium imposturis vindicatur.



POSTOLICÆ Sedis, Romanorumque Pontificum Infallibilitate cùm in rebus Fidei, & morum ex Cathedra decernunt, vel aliquid credēdum Ecclesiæ proponunt, superiore libro, nedùm Scripturæ Sacrę Authoritatibus, sed & Apostolicæ Traditionis testimonio, Sanctorum Patrum Sententijs, & bis viginti rationum momentis suffulta, nihil vltrà desiderandum videbatur, vt ista Assertio posset tamquam Catholicum Dogma stabiliri; sed quia ea est ęmulantium Romanæ Ecclesiæ audacia, vt non solùm ad tam splendidam lucem cæcutiant, sed immò oppositis calumniarum nebulis Solem veritatis obscurare, ac Ecclesiæ Cœlum, & Supremum Authoritatis Pōtificiæ Solium confictis infuscare mendacijs, nitantur, illibatæ Summorum Pontificum in Fide integritati, varios errores temerè adscribentes, eoque vtentes callido argumento, quod licet à potentia ad actum non subsistat consequentia, nec rectè deducatur: in errorem labi potuerunt: ergo lapsi sunt; verum è contra, ab actu ad potentiam validum ducatur argumentum, indeque colligunt: Pontifices aliqui in hæresim lapsi sunt: igitur non ab errore immunes: Infallibilitatis ergo Privilegio non fruuntur, in rebus ad Fidem spectantibus.

Ad id autem probandum proferunt in medium plures Summos Pontifices, quos non solùm, vt privatas personas, sed etiam vt publicas, ac ex Cathedra docentes, turpitèr à Fide defecisse contendunt, quod sanè non ita acritèr pręstarent aliqui, si sepè mentis oculis revolverēt laudatam ab omnibus SANCTISSIMI PONTIFICIS LEONIS IX. Sententiam, qui *Epist. 1. cap. 36.* cōtra obsistētes Romanæ Sedis Privilegijs, Apostolico Zelo sic eloquitur: * Quia quisquis Romanæ Ecclesię Authoritatem, vel Privilegia evacuare, vel imminuere nititur, non hic vnius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis subversionem, & interitum machinatur. Cuius enim compassione, vel sustentatione vlteriùs respirabunt filiæ, vnica illa suffocata Matre? Cuius refugium appellabunt? Ad quam confugium habebunt? *

In eamdem Sententiam collimat NICOLAVS I. *Epist. 32. ad Gallos Episcopos Synodi Silvanectensis*, ac eam propter, quantum ipsos opporteret Sedis Apostolicæ iura non impugnare, sed reverenter tueri, his sequentibus verbis declaravit: * Privilegia Sedis nostrę vsque ad

mortem, Divina annuente Gratia, vestigia Patrum nostrorum sequentes, defendemus. Sed & vos illa quatenus illibata, vtpote totius Ecclesię Domini remedia, custodiantur, toto conamine, & omnibus votis operari, ac desudare debetis, quoniam Privilegia Sedis Apostolicæ tegmina sunt, vt ita dicamus, totius Ecclesiæ Catholicæ: Privilegia, inquam, huius Ecclesiæ, munimina sunt circa omnes impetus pravitatum.* Et *Epist. 30. ad Carolum Franciæ Regem.* * Arma sunt (inquit) contra omnes impetus pravitatum, & munimenta, atque documenta Domini Sacerdotum, & omnium prorsùs, qui in sublimitate consistunt, immò cunctorum, qui ab eisdem Potestatibus diversis afficiuntur incommodis.*

Memoratu etiam hic dignissima sunt ea, quæ CAROLVS Ludovici Augusti pię memorię filius, Imperator, & Franciæ Rex, glorioso suo facto monstravit, Capitulorum namque, quæ ipse vnà cum consensu, ac suggestione Venerabilium Episcoporum, & Illustrium Optimatum, reliquorumque Fidelium suorum, ad honorem Sanctæ Dei Ecclesiæ & ad pacem, & profectum totius Imperij sui fecit *anno* 876. Regni sui in Francia 36. Imperij sui 1. *Indict. 9. Mense Februario, in Palatio Ticinensi*; duo priora ita sonant: *Vt Sancta Romana Ecclesia, sicut est Caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur & veneretur: neque quisquam contra Ius, & Potestatem ipsius aliquid iniustè agere præsumat. Vt honor Domino, & Spirituali Patri nostro Ioanni, Summo Pontifici, & Venerabili Vniversali Papæ ab omnibus conservetur: & quę secũdum Sacrum Ministerium suum Apostolica Authoritate decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur.* Extant *tom. 24. Concil. Collect. Reg. fol.* 419.

Vtinam in eo Regno ab aliquibus attentiùs perpenderentur hęc Pijssimi Imperatoris Decreta, in quibus tam aperta fulget Authoritatis Pontificiæ reverentia! Vtinam tot insignium Prelatorum vestigia premerentur, eorumque Zelum, in condendis legibus debitum honorem, ac obsequiũ Romanę Ecclesiæ testãtibus cuncti imitãtes sequerentur! Sileret vtique tot Sedis Apostolicæ audaces adversarij, eius decori impiè detrahentes, calumniatoribus illibatæ Fidei, ac Infallibilitatis Romanorũ Pontificum, impium os obstrueretur, maximè si præoculis haberent D. HIERONYMI Sententiam, qui *lib. 2. Apologetico adversus Rufinum, de erroribus, qui in cõpluribus Antiquorum Patrũ scriptis legi solent*, sic respondet Rufino percontanti: * Et quomodo (inquies) in libris eorum vitiosa nonnulla sunt? Si me causas vitiorum nescire respondero, non statim illos Hæreticos iudicabo. Fieri enim potest, vt vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel à librarijs imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint; vel certè antequam in Alexandria quasi Dæmonium Meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam, & minùs cautè loquuti sint, & quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.*

Quæ quidem, si vt diximus attentiùs ab adversarijs Authoritatis Pontificiæ perpenderentur, non deessent illis plures modi faciliùs excusandi, aliqua Summorum Pontificum facta, vel dicta, præsertim vbi tot suppetunt Pontificiæ Infallibilitatis argumenta, quam calumniosè eam mordendi: nec ita contra Vicarium Christi, concessaque illi Divinitùs Privilegia atrę bili suæ habenas laxandi gloriam ducerent, sed potiùs relictis Charismatibus melioribus, se tales cum hæreticis calumnias æmulari, subrubescerent. Contra hos igitur nobis erit Sermo in hoc secundo libro, in quo pro munere probandum suscipimus nullum vnquam Summum Pontificem ex Cathedra loquentem à Fide defecisse, vel heresim docuisse, vel quid non Catholicum Ecclesiæ proposuisse, immò fideliter Catholicam Fidem illibatè ab omnibus Pontificibus Summis strenuè, constantique animo fuisse custoditam, ad huiusque vberiorem notitiam adversantium tela, Authoritati Pontificiæ obsistentium, Sanctorum Patrum tutela muniti agredimur retundenda. Vtinam feliciter!



CAP.

CAP. I.

DIVI PETRI IN FIDE Constantia propugnatur.

1 PRO clariori propositi intelligentia, duplicem suppono Divo Petro lapsum adscribi: Alium, sub Christi Passionis tempore, negationem nempè, tùm ipsi à Domino prænuntiatam: *Ante quam Gallùs cantet, ter me negabis*: tùm ab ipso, tribus illis negationibus, quæ *Matthæi 26.* enarrantur, opere completam: Alium, Cęremoniarum Legis Mosaycæ observantiam ab ipso, Iudæis ad Fidem conversis concessam, & ipsius Petri exemplo confirmatam, quę Divum Paulum, vt ipsum publicè argueret, impulit, iuxta illud ipsius Pauli *ad Galatas 2. In faciem eius restiti, quia reprehensibilis erat.*

2 In vtroque autem, lapsu à Christi Fide, quam profiteri tenebatur, defecisse, non modò Nilus (non ille, qui Sanctus Abbas, sed ille qui Hęreticus) *lib. 2. de Primatu Summi Pontificis, cap. 10.* sed etiam Magdeburgenses, *Centur. 1. lib. 2. cap. 4.* ipsi Petro imponunt. Si ergo (inquiunt illi) primus à Christo Pontifex Privilegio non errandi caruit, illo ne Petri in Pontificatu Successores potientur?

3 Aliqui, cum Sancto Ambrosio, huius infringunt argumenti vires, asserentes ex Petri negatione nullatenùs ipsum in Fide defecisse inferri: Si enim tres illæ negationes attentè perpendantur, in nulla illarum ipsum in Fide deliquisse exprimitur. Quod vt clarius elucescat, in consilium maturè cogitationes nostras adhibeamus, & de prima negatione deliberemus; ita enim contigit: Cùm Salvator in Principis Sacerdotum domo, à militibus illuderetur, & colaphis cęderetur, Petro in atrio sedenti Ancilla quædam ait: *Et tu cum IESV Galilæo eras? Petrus negavit dicens: Nescio quid dicis. Et exeunte illo ianuam, alia Ancilla ait his qui erant ibi: Et hic erat cum IESV NAZARENO. Petrus autem iterum negavit cum iuramento: Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari, & iurare, quia non novisset hominem.*

4 Ex quo inferunt minimè à Petro negatum fuisse Deum, Messiam, veritatemque ab ipso enuntiatam; tantùmmodo enim inquit: *Non novi Hominem.* Quapropter Divi Petri negatio nequaquam ad Deum, qui pręcipuum Fidei obiectum est, directè collimavit, sed solùm, vt se illius hominis, de quo à Iudæis interrogabatur, Discipulum esse inficiatur: *Non novi Hominem*, illum scilicet de quo sciscitamini, illum, quem vos neque vt Messiam suscipitis, neque vt Deum veremini, sed immò ipsum tormentis traditis, & Cruci, ceu hominem perditis moribus, multis flagitijs, & sceleribus adstrictum, contaminatum, pollutum. Vndè Petrus se ad illorum arbitrium fingens, cum isti Christum non nisi vt improbum, & scelestum agnoscerent, negavit se Christum, vt vitijs inquinatum, & in flagitia se se ingurgitantem agnoscere, sicque neque esse Discipulum illius, de quo malam imbiberant opinionem. Petrus enim Christum, tamquam verũ Hominem agnoscebat, vt Verum Messiam observabat, & tamquam Verum Deum venerabatur; quare nullatenùs Deum negavit, neque Christum, Verum esse Deum inficiatus est. Solum ergo obiuravit se improbi hominis Discipulum esse. Immò Petrus se non in hominis omni vita inquinati, qui Iudæorum gentem subverteret, & tributa dari Cæsari prohiberet, sed in hominis recti, integri, & benè morati disciplinam traditum gloriabatur, eumque sibi delegisse præceptorem, quem omnis Doctrinæ, Sanctimoniæque Fontem iudicabat, Verumque Deum in partibus Cęsareę Philippi pervulgaverat.

5 Nihilominùs S. AVGVSTINVS, SANCTVSQVE HIERONYMVS Christum à Petro Deum, Hominemque negatum arbitrantur. Hieronymum priùs audiamus, Augustinum postea audituri. Hieronymus igitur *in cap. 26. Matthæi* id tam apertè sensit, vt illius mens nullatenùs sit in dubium revocanda; ad illa siquidem verba: *Et negavit iterum cum iuramento.* * Scio (inquit) quosdam pij affectus erga Apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, vt dicerent, Petrum non Deum negasse, sed Hominem, & esse sensum: nescio Hominem, quia scio Deum.

Hoc quam frivolum sit, prudens Lector intelligit, si defendunt Apostolum, vt Deum mendacij reum faciant. Si enim iste non negavit: Ergo mentitus est Dominus, qui dixerat: *Hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis*. Cerne quid dicat: *me negabis*, non Hominem.* Hactenùs Hieronymus.

6 Veniamus iam ad Augustinum, qui Hieronymi Sententię subscribens *tractatu 66. in Ioannem*: *Apostolus (inquit) Petrus, sicut eum quidam favore perverso excusare nituntur, Christum non negavit, quia interrogatus ab Ancilla, hominē se nescire respondet; sicut alij Evangelistę contestantur expressiùs: Quasi verò, qui hominem Christum negat, non Christum negat, & hoc in eo negat, quod factus est propter nos, ne periret, quod fecerat nos. Sed quid multis immoror, cum ipse Dominus abstulerit omnes humanę argumentationis ambages; non enim ait: Non cantabit Gallus, donec hominem neges, aut sicut loqui familiariter cum hominibus dignatione consuevit, non cantabit Gallus, donec Filium Hominis ter neges; sed *me*; quid est *me*, nisi quod erat, & quid nisi Christus erat? Quidquid ergo eius negavit, ipsum negavit, Christum negavit, Dominum Deum suum negavit.*

7 Nec clariùs Augustinus, nec Hieronymus loqui potuit apertiùs, testantes ambo Divi Petri negationem, non modo ad Christum quà Hominem, vt arbitratur Ambrosius, sed ad Christum etiam quà Deum, & Hominem fuisse terminatam; Petri enim negatio, Christi Prophetiæ correlativa fuit, illaque Christi verba: *Ter me negabis*, opere complevit: Cumq; Christus de se ipso, quatenùs Verus Homo, Verusque Deus erat, loqueretur, hinc vt Prophetiam illam adimpletam esse dicamus, necesse est, vt Christum à Petro Verum Deum, Verumque Hominem negatum esse fateamur.

8 At dicunt Hæretici: Si Sanctus Petrus Christum Deum, Hominemq; eiuravit, defecit ergo in Fide, sicque neque ipse, neque illius Successores non errandi gaudent Privilegio. Dupliciter huic satisfacimus difficultati, respondendo. Primò enim fatemur Sanctum Petrum in prædicta negatione graviter contra externam Fidei Confessionem peccasse; hocque amara, severaque eius Pœnitentia satis, superque demonstrat; vix enim post tertiam negationem Christus intentos oculos in ipsum coniecit, cum egressus foràs amaris lacrymarum imbribus negationis maculas detersit, & talis fuit dicti peccati cognitio, tantaque ipsius Pœnitentia, vt eam ad finem vsque vitæ, Sanctis testantibus Patribus, protraxerit.

9 Itaque neque Divum Petrum extra culpam ponere, neque illius negationibus excusationis nitimur velamen prætendere, quia hoc esset, & preclaram illius Pœnitentiam negare, illamque inficiari obligationem, qua Christum fateri tenebatur, iuxta illud ipsius Salvatoris *Lucæ 9. Qui me erubuerit, & meos Sermones, hunc Filius Hominis erubescet, cum venerit in Maiestate sua*. Quod ipse Dominus *apud Matthæum cap.* 10. confirmat, dicens: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo*. Ad quod alludens Paulus *Romanorum* 10. *Corde* (inquit) *creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Cum ergo Petrus in hac externa Fidei Confessione defecerit, neque debemus, immò nec possumus, illum ratione aliqua à peccato purgare, neque rationi consentaneum est, externæ saltem Cōfessionis Fidei culpam ab illo dimmovere.

10 Respondetur secundò, nullatenùs hinc deduci ipsum, quoad Fidei essentialia defecisse; oppositum namque, & Sacro expresse opponitur textui, & Salvatoris contrariatur Pollicitationi, qui Divum alloquens Petrum: *Ego* (inquit) *rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*. At de externa Fidei Confessione intelligi non potest, cum dicat Christus: *Ter me negabis*: Ergo, *non deficiat Fides tua*, quod Dominus dixit, tantū de Fide interna Petri verificari valet; vnde quamvis ipsum in externa Fidei Confessione deliquisse fateamur, non possumus tamen non internam Fidei permanentiam illi concedere, quam ipsi in hoc textu expresse pollicetur Christus; iuxta Sanctos Patres, quos, & supra laudavimus, & in Privilegij non errandi confirmationem, tam ipsi, quam eius Successoribus concessi, in huius comprobationem adduximus, præcipuè AVGVSTINVM, qui *lib. de Corrept. & Gratia, cap.* 8. Ibi: * An audebis (inquit) dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret Fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vs-

que

que in finem perseverare noluisset, quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset, vt vellet.*

11 Hùc egregiè facit etiam quod ipse Augustinus *lib. 6. Contra Mendacium cap. 6.* scribit: *Nonne pene omnes, qui Christum coram persequutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt, & tamen ore ad salutem non confitendo; perierunt, nisi qui per Pœnitentiam revixerunt? (Deinde de Petro ait:) Quis ita evanescat, vt existimet Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quando Christum negavit? Nempè in illa negatione intùs veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat. Cur ergo lacrymis diluit, quod ore negaverat, si saluti sufficiebat, quod corde credebat? Cur credens in corde suo veritatem, tam amaro fletu punivit mendacium, quod ore deprompsit, nisi quia magnam vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad Iustitiam, sed ore non confessus est ad Salutem?*

12 S. AMBROSIVS *in cap. 22. Lucæ*, Petrum non solùm Fidei iacturam interiùs non fecisse, verum neque exteriùs amisisse Fidem arbitratur, dicens: Nedum Petrum internè non fuisse infidelem, sed dicit eum neq; Christum, vt Deum negasse externè. Quamvis, quo ad secundum, externam nempè Fidei Cōfessionem, non modò Sanctus Augustinus, Sanctusque Hieronymus, sed communiter Sancti Patres, Sententiarum, & animorum coniunctione maximè à Divo Ambrosio dissentiant.

13 At quoad primum, Sanctum nempè Petrum interiùs Fidem retinuisse valdè consonat Ambrosio, S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Hom. 83. in Mattheum*, vbi illa Christi verba edisserens: *Ego rogavi pro te*, Fidem á Petro non amissam docet; ait enim: * Non dixit IESVS: Rogavi, vt non neges, sed *vt non deficiat Fides tua.** Vndè interioris Fidei constantia, quæ in Sancto Petro illuxit, clarissimè apparet.

14 Consonat etiam huic veritati locus ille *Matth. 16.* vbi Christus ita Divum alloquitur Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Sine dubio namque contra infrustrabilem, infallibilemque Christi Promissionem evenisset, si Sanctus Petrus Indefectibilitatem, Constantiamq; in Fide non habuisset; illæ siquidem particulæ: *adversus eam*, non modò ad Ecclesiam, sed & ad Petri Fidem, tanquam ad fundamentalem, inconcussamque eius Petram; Sancto approbante Chrysostomo, *vt in Catena Divi Thomæ* refertur. * Manifestum est (inquit Chrysostomus) quia neque adversus Petram, neque adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt; immò (ait Origines *tract. 1. in Matth.*) Quod si prævalerent adversus Petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam prævalerent.* Quia quemadmodum fundamento ædis corruente, penitùs ruinam ædes minitatur; immotò verò, & ædes immota stabilitur; cum Divus Petrus ex vnanimi Patrum consensu fundamentalis Ecclesiæ Petra adstruatur, & ex Christi testimonio: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam* roboretur, si illius Fides titubaret, haud dubiè & vacillaret Ecclesia. Itaque non dissonum rationi videtur, quod volente Christo eam stabilem in Fide permanere, indefectibilem fore in Petro altissima disposuerit Providentia; & licet ipse inconstans exteriùs apparuerit, interius tamen, quoad essentialia Fidei, ipsius animam constantem, infractam, ac firmissimam extitisse.

15 Hoc nos apertissimè docuit Sanctus LEO MAGNVS, Papa *in Anniversario Assumptionis eius*: * Commune quidem erat (inquit) omnibus Apostolis periculum, specialis tamen à Domino Petri cura suscipitur, & pro Fide Petri propriè supplicatur: tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit: in Petro ergo, omnium fortitudo munitur, & ita gratię Divinę ordinatur auxilium, vt Firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

16 His calculum suum adhibet THEOPHYLACTVS, qui prædictum Lucæ locum exponens: * Manifestus (inquit) verborum sensus est, cum te Discipulorum Principem fecerim, tu cum resipueris, confirma reliquos: hoc enim te decet, qui post me, Ecclesiæ Petra, & Fundamentum es, quamvis brevi tempore concutiendus sis; habes recondita semina Fidei; etiam si folia abiecerit Spiritus invadentis, radix tamen vivit, *& non deficiet Fides tua.** Percommodè certè cadit hæc Theophylacti mens, & expositio, vt

vt probemus Petrum semper in interiori Fidei Confessione firmum, & constantem, quamvis ipse, illiusque Fides in externa mutaverit Confessione.

17 Verum, vt hanc perfectiùs calleamus doctrinam, cum communi Theologorum animadvertendum est, duplicem in Fide reperiri actum, interiorem vnum, & exteriorem alium. Interior est, quo omnibus à Deo revelatis assensum præbemus: exterior verò est, quo Fidem hanc, sivè firmum assensum publicè coram omnibus profitemur. Hos inter actus, hoc intercedit discrimen, quod interior est primus, præcipuus, minimeque ab alio dependens: exterior verò est secundarius, minus pręcipuus, interioremque in corde supponens. De vtroque loquutus fuit Paulus, cum *Romanorum* 10. * *Corde* (inquit) *creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Regiusque Cytharædus *Psal.* 115. *Credidi propter quod loquutus sum.* Et ipse Paulus 2. *Corinth.* 4. *Et nos credimus propter quod loquimur.* Hinc cum internus Fidei assensus sit primarius, præcipuus, & à secundario, externa nempe Cōfessione, independens, iuxta communem Theologorum calculum, optimè deducitur potuisse apud Sanctum Petrum Fidem interiùs firmam permanere, quamvis stabilis in externa non fuerit Confessione.

18 Et re vera ita evenisse Sententia est Sanctorum Patrum confirmata consensu, in hanc etiam conspirat vniversus, & frequens Sapientissimorum Virorum, Sanctiorumque Doctorum Senatus. TERTVLIAN. *lib. de Fuga in persecutione.* S. AMBROS. *in Psal.* 43. docet: Petrum negare, se nosse Christum, non fuisse eius Fidem deficere, sed tentari, quà etiam ex tētatione fortior surrexit.* Vide (inquit Ambrosius) quid dicit, & intellige. Ventillatur Petrus, vt Christum negare cogatur: incidit in tentationes, quædam loquutus est, quasi palearum plena: Sed loquutus est verbo, vt fundatior esset affectu. Denique flevit, & paleas suas lavit: & illis tentationibus meruit, vt pro se Christus interveniret. Quanto maius est patrocinium, quam perturbationis illius tentamentum? Et ideo plus quam passus est, acquisivit.*

19 Ipse Ambrosius *Sermone* 47. *de Fide Petri*, in huius confirmationem Sententiæ ait: *Eum fideliorem factum esse, postquam Fidem se perdidisse deflevit.* Vbi per Fidem, fidelitas Christo debita, vel externa Fidei Confessio, qua tunc Christum confiteri tenebatur proculdubio venit intelligenda, vt ex ipsius Ambrosij verbis loco supra laudato innotescit: *Loquutus est verbo, vt fundatior esset affectu.* Et Petrum negare, non fuisse eius Fidem deficere, sed tentari.

20 Hanc eamdem Sententiam tenet, sequitur, & approbat S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *hom.* 83. *in Matth.* illum Lucæ 22. locum explicans. Eandem docuit AVGVST. *tract.* 113. *in Ioann.* S. CYRILLVS *lib.* 12. *cap.* 1. THEOPHIL. vbi supra; omnesque vnanimiter defendunt, & sentiunt Petrum in actu Fidei pręcipuo, interiori nempè, nequaquam defecisse, quamvis in exteriori deliquerit Confessione. Accuratè AVRELIVS PRVDENTIVS *in lib. Cathemerinon*, idest rerum diurnarum, Hymno primo, his cecinit verbis.

Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas:
Cum mens maneret innocens,
Animusque servaret Fidem.

21 Haud minori certè expressione hanc tradidit Doctrinam S. LEO MAGNVS *Sermon.* 9. *de Passione*: * Vidit (inquit) in te Dominus non fictam Fidem, non dilectionem eversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, vbi non defecit affectus, & fons Charitatis lavit verba formidinis: Nec tardatum est remedium abolitionis, vbi non fuit Iudicium voluntatis.*

22 Dicet aliquis: si semel S. Petrū in Fidei Confessione defecisse admittimus, salvari non potest illius in Fide firmitas, minusque Privilegium non errandi in Fide valet stabiliri. Præterea illa Salvatoris promissio: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*, de illa Fide, qua constans, firmaque fuit, debet intelligi: Cumque hanc in Fide constantiam, hancque in ipsa stabilitatem sola Ecclesia, non verò Petrus habeat: hinc non errandi Privilegium soli Ecclesię, neutiquam vero Petro, illiusque Successoribus concessit Christus.

33 Hanc tamen instantiam, nulla posse ratione subsistere, tum ex ipso Salva-

va-

vatoris verbo, tum ex Sanctorum Patrum, & Doctorum expositionibus satis, superque innotescit; ex ipso quidem Salvatoris verbo clarissimè apparet; Christus enim sermonem cum Divo Petro conferens: *Ego* (inquit) *pro te rogavi Petre*; vbi annotendæ veniunt illæ particulæ *pro te*, scilicet in speciali, quod magis explicant illa alia verba: *Vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quę verba expendens CARDINALIS TVRRECREMATA *de Ecclesia lib. 2. cap. 112.* * Clarum est autem (inquit) quod pro illius Fide personali rogabatur, qui post lapsum conversus, confirmare iubetur fratres suos. Hic autem Petrus erat, & non alius; nec Congregatio ipsa Vniversalis Ecclesiæ, quia verba illa non possunt adaptari illi: tùm quia Fides illius non deficit; tum quia ipsa non dicitur aliquandò conversa; tùm quia ipsa non dicitur propriè Fideles in fratres habere, sed potiùs in filios.*

24 Nec ad rem venit, quod Sanctus Petrus in Confessione deliquerit; nam vt ipse expendit Cardinalis: * Si ad horam deficit, non tamen finaliter, & hoc est quod Christus rogavit. Vnde non dixit ei Dominus: *Ego rogavi pro te Petre*, vt non neges; seu vt non cadas, sed *vt non deficiat Fides tua* scilicet finaliter. Vnde Beda in Glosa; non dicit; non tenteris, sed *vt non deficiat Fides tua*, vt post lapsum negationis, ad pristinum statum pœnitendo resurgas. Hoc etiam innuitur manifestè in verbis sequentibus Salvatoris, cum ait: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* In quo casu manifestè innuit Salvator, quod aliquando Petrus erat casurus, sive negaturus, non ergo rogat ne caderet; sed ne in casu maneret, quod ipsius rogatu adimpletum est, postea numquam ampliùs cadat; vt ita patet ex ipso Evangelij Textu, & Salvatoris verbo, quod ad litteram loquitur Dominus de Fide personali Petri.* Hactenus Cardinalis.

25 Hinc convincitur Christum estò Divi Petri lapsum supponeret, nihilominùs tamen ipsi Indefectibilitatem, Constantiamque in Fide illis verbis: *Ego rogavi pro te vt non deficiat Fides tua*, concessisse, hocque non modò de Ecclesiæ, sed & ipsius Petri Fide intelligendum, vt ex illis Christi verbis: *Vt non deficiat Fides tua*, stabilitum supra reliquimus: Christi autem verba ea gaudent Infallibilitate, vt priùs Cœlum corruat, terraque deficiat, quam suum illa non sortiantur effectum; iuxta illud ipsius Christi: *Cœlum, & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt.*

26 Solum remanet non parvipendenda difficultas ex eo quod licet Petri Fidem, ob speciale non errandi Privilegium ipsi à Christo illis verbis: *Non deficiet Fides tua*, concessum, indeficientem fateamur; hinc tamen non deducitur Petri Successores hoc Privilegio fruituros, quia quàvis isti in illius reponantur locum, Petro tamen in Privilegijs personalibus ipsi à Christo concessis, nullatenus succedunt, quod in Privilegio non peccandi luce meridiana clariùs apparet, quamvis enim illud Sanctus habuerit Petrus, non ideò omnes illius Successores impeccabiles existunt, eo quod illa impeccabilitas fuit speciale Privilegium Petro, cęterisque Apostolis, quando in gratia fuerunt confirmati, liberaliter à Christo erogatum.

27 Huic vt meliùs respondeamus difficultati, illiusque nodum facilius dissolvamus prænotandum duximus Pontificem Romanum D. Petri Dignitati suffici, non in gratijs, pręstantijsque personalibus, sed in Sedis Apostolicę Pontificatus pręrogativis, cęterisque eminentijs, quę ad Pastorale Officium, ad Ecclesię Caput, optimumque ipsius regimen spectant. His igitur prænotatis, Sanctus Petrus post Christi Resurrectionem, Privilegio, ne in Fide finaliter deficeret, sive erraret, insignitus fuit, immò ipso insigniti fuere cęteri Apostoli, si vt par est, Sancto credimus Chrysostomo, Christum pro omnibus rogantem arbitranti, cum *Ioan.* 18. ait. *Pater Sancte serva eos in nomine meo.* Hinc communis est Sanctorum Patrum sensus, Apostolos post Resurrectionem, in gratia fuisse confirmatos. Ad hoc allu lens *Glos. super illud Psal. 74. Ego confirmavi Columnas eius*: *Quæ (inquit) in Passione nutaverunt, id est Apostolos, qui confirmati sunt in Resurrectione.* In hoc Privilegio Romani Pontifices, Petri locum non subsortiuntur; sicut nec Episcopi, estò Apostolorum Successores existant, ipsis in Privilegio confirmationis in gratia, aut in impeccabilitatis dono succedunt.

28 Nec indè benè arguitur Petri in Pontificatu Successores Privilegij non errandi, quod habuit Petrus, hęredes non esse, iuxta ea, quę laudatus Cardinalis Tur-

re-

[Tu]rrecremata preclarè admonuit; hoc nempè Privilegium Sancto Petro sigillatim non esse concessum, sed Cathedræ etiam, Pastoralique Officio Pręceptoris Fidei, Ecclesięque Capiti communicatum. Eminentissimę huius Purpurę audiamus verba: * Habuit autem amplius singulariter Petrus super omnes alios Apostolos, vt Privilegium non errandi in Fide se extenderet ad Sedem, sivè ad Cathedram eius, itaque in Cathedra sua semper Catholica vigeret Doctrina, & in Sede sua Iudicium, in his quæ Fidei sunt, ab omni macula erroris esset alienum: prout superiùs multis Sanctorum Patrum sententijs firmavimus. Hęc autem prærogativa non est data Sedibus aliorum Apostolorum, quoniam omnes aliquo modo verecundatæ sunt: sicut patet de Achaia, vbi prædicavit Beatus Andreas; de Asia, vbi prædicavit Ioannes Evangelista; de India, vbi Thomas; de Æthiopia, vbi Matthæus; de alia India, vbi Beatus Bartholomæus; de Ierosolyma, vbi Iacobus. Omnes illæ defecerunt à Fide quasi funditùs, sola Romana Ecclesia immaculata permanet, & opitulante Deo, semper permanebit.* Hactenùs ille.

29 Hoc autem personale non errandi Privilegium, quod habuit Petrus fuisse non illius personæ modò, sed Pastorali etiam Officio, & Cathedræ concessum tenet, & ipse Cardinalis, & communis est Sanctorum, celebriorumque Doctorum Sententia: Explicans igitur Turrecremata vbi suprà, *cap. 109.* illa Christi verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ait: * Quam Christi Promissionem de Firmitate Fidei Apostolicæ Sedis accipiendam esse, Sancti Doctores, in Religione, & Sapientia clarissimi, contestantur.*

30 Hoc idem sentit CYRILLVS, ALEXANDRINVS PATRIARCHA, vt adducitur *in Glossa Continua.* Hoc S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *super Matthæum.* ORIGENES à Divo Thoma citatus ad illa verba: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* AGATHO PAPA *in Suggestione ab ipso ad Constantinum Imperatorem scripta*, vbi hęc habet: * Hęc Apostolica Christi Ecclesia, per Dei Omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ Traditionis numquam errasse probatur, nec hęreticis novitatibus depravanda succubuit, &c.* Ex ijs, alijsque innumeris Authoribus, liquet singularitatem Privilegij non errandi non modò ipsi Petro, eiusque Pastorali Officio fuisse concessam, sed & Apostolicæ Cathedræ communicatam; tùm vt ipse Vniversalis Pręceptor Fidei totius Ecclesię ex suo Officio, Pontificatuque, in Ecclesia instruenda, foret infallibilis: tùm vt eius Successores eadem gauderent Infallibilitate, cum istos Divo Petro omnibus in Privilegijs suffici nequeat dubitari.

31 Illustrissimus, ac Doctissimus MELCHIOR CANO solita Doctrinæ facundia, *lib. 6. de Locis*, mentem suam aperit, qua nostram approbat, comprobatque Sententiam; responsum namque vndecimo præbens argumento, Divi Petri Fidem adeò infallibilem propugnat, vt hæresim saperet proferre Petrum à Fide defecisse: Et quamquam contra Albertum Pighium existimet hoc personale indultum ad illius Successores derivatum non fuisse, & in asserti sui fulcimentum, aliquorum Pontificum exempla proponat, qui de facto tamquam privatæ personæ à securissimo Fidei tramite recesserunt; tamen vt indubitatum statuit nullum excogitabile adesse exemplum, quo confirmari queat Pontifices, ceu Petri Successores, & in rebus Fidei Iudices, aut aliquando protexisse, aut vmquam rem vllā Fidei oppositam, vt amplectendam edocuisse, aut tandem Fidei metas fuisse transgressos, Sententiam hanc suam sequenti Doctrina constituit. * Aliud (inquit) est in Petro, quod spectat ad hominis privatam excellentiam, aliud quod pertinet ad communem Ecclesiæ vtilitatem, quod negavit Christum, Hominis erat. Quod confirmaret fratres, erat Ecclesię. Illud proprium, hoc commune erat. Similiter, quod Fides Petri propria semper interiùs servaretur, Hominis Privilegium erat, quòd verò alijs confirmandis solidam Fidem proponeret, nec in Fidei Iudicio deficeret, Ecclesiæ publicum Privilegium erat. Romanus igitur Episcopus non fuit hęres, aut Privilegiorum, aut culparum Petri propriarum: sed successit in ijs, quæ spectabant ad Ecclesię communes, & necessarias commoditates.*

32 Cùm autem hocce in Fide non errandi Indultum, ad communem Ecclesię vtilitatem concessum sit (nihil enim, nec consentaneum magis, nec Ecclesię vtiliùs exhi-

exhiberi potuit, quam infallibilem in Fidè adstrui illum, qui Ecclesiæ, ceu Vniversalis Magister præficitur, ad ipsam in indefectibilibus Fidei Veritatibus, quibus Orthodoxi omnes firmiter adhærere tenētur, instruendam, aliter ex opposito penitùs ruinam Fidei in Ecclesia lacrymaremur) necessariò sequitur omnes Pontifices Petro in Fidei Constantia suffici.

33 Nec ad id magis, magisque stabiliendum leviter facit CARDINALIS BELLARMINI Doctrina, qui *lib.* 4. *de Romano Pontifice, cap.*3. sermonem de infallibili Summi Pontificis Iudicio instituens, pro coronide statuit, quod: * Summus Pontifex cum totam Ecclesiam docet in his, quæ ad Fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Ad huius veritatis probationem affert illum Divi Lucæ locum, in quo Christus Infallibilitatis Privilegium, Petro illis concessit verbis: *Ego rogavi pro te Petre*: Ex quo textu Romanorum Pontificum in Fide Constantia stabilitur.

34 Hoc vt magis confirmet, tres adducit huius textus expositiones, è quibus tertia non parum ad nostram roborandam doctrinam conducit * Est igitur (inquit) tertia expositio vera, quod Dominus duo Privilegia Petro impetraverit. Vnum, vt ipse non posset vmquam veram Fidem amittere, quantum vis tentaretur à diabolo. Alterum Privilegium, vt ipse, tamquam Pontifex, non posset vmquam docere aliquid contra Fidem, sivè vt in Sede eius numquam inveniretur, qui doceret contra veram Fidem.* Prius Privilegium personale, Sancti Augustini Authoritate stabilitur, qui *lib. de Correptione, & Gratia, cap.* 8. hæc habet: * Quando rogavit, vt non deficeret Fides eius rogavit, vt haberet in Fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem.* Huic etiam assentiuntur sententiæ S.Ioann. Chrysost. *Hom.*83.*in Matth.* & Theophylact. *in cap.*22.*Lucæ, &c.*

35 Secundo verò Privilegio, quod nempé Petrus tamquam Pontifex, non possit aliquid contra Fidem docere, vel in Fide errare, & Pontifices Romanos huius, Privilegij hæredes existere, ipse Cardinalis assentitur, dicens: * Ex quibus (inquit) Privilegijs primū fortasè non manavit ad posteros, at secundū sine dubio manavit ad posteros, sivè Successores.* Hæc eadem Doctrina prætérquam quod infallibilibus Conciliorum Sanctionibus, Sapientissimisque Sanctorum Patrum dictis, satis, superque stabilita remanet, adhuc nihilominùs potest Summorum Pontificum Decretis corroborari.

36 Id namque statuunt S. LVCIVS Primus Pontifex, & Martyr, *Epistola* 1. *ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ,* FELIX I. *in Epistola ad Benignum,* S.LEO I. *Serm.*3.*de Assumptione sua,* AGATHO PAPA *in Epistola ad Constantinum Imperatorem,* NICOLAVS I. *in Epistola ad Michaelem Imperatorem,* LEO IX. *in Epistola ad Petrum Antiochenum,* INNOCENTIVS III. *in Epistola ad Episcopum Arelatensem,* & habetur *cap. Maiores. Ext. De Baptismo.* Qui omnes Sedem Apostolicam, Romanumque Pontificem eamdem cum Petro in docenda Ecclesia, Infallibilitatem habere, eodemque non errandi Privilegio, quo Sanctus Petrus, ceu Ecclesiæ Pontifex, insignitus fuit, & condecoratus, frui vnanimiter tuentur.

37 Egregiè ad hanc confirmandam Doctrinam facit, quod D.BERNARDVS *Epist.* 190. *ad Innocentium Pontificem* scribit: * Oportet (inquit) ad Vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala Regni Dei, ea præsertim, quę de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna Fidei, vbi non possit Fides sentirę defectum. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando? *Ego pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua.**

38 Expressa est ergo Divi Bernardi mens Privilegium non errandi, non soli Petro personaliter, sed & illius Pastorali Officio, Apostolicæque Sedi à Christo donatum esse, & elargitum: Cumque Romani Pontifices, Divi Petri, Privilegiorumque omnium, quibus Pontificatum, Apostolicamque Sedem exornavit Christus, Successores certò certiùs existant, prout Orthodoxi omnes tenentur fateri: hinc Romani Pontifices Petro in Privilegio non errandi indispensabiliter succedunt. Vndè corruit argumentum, quo adstruebatur Romanos Pontifices Petro in Privilegio Infallibilitatis in Fide non succedere, quia illud non errandi indultum Divi Petri propriū fuisse, & speciale iudicabatur; cum enim, à contrario sensu, Privilegium illud Pastoralis D. Petri Officij pro-

proprium esse gravissimo Authoritatum pondere demonstraverimus, indè necessariò, & argumenti imbecillitas innotescit, & rationum soliditas, quibus Romanorum Pontificum Privilegium in Fidei, morumque rebus non errandi, firmavimus, meridiana luce clarior conspicitur.

39 Sed estò doctrina ista tot Pontificum Decretis, totque Sanctorum Patrum stabilita Suffragijs non subsisteret, adhuc primo argumento, è Petri negatione desumpto, facilis aditus aperitur: Petrus etenim cum à præstita Christo Fide defecit adhuc Supremis non ornabatur Infulis, adhuc Ecclesiæ clavum non tenebat, nec in gratia fuerat confirmatus, negatio namque sub ipso Christi Passionis tempore accidit: Pontificiam verò Dignitatem, Ecclesiæque dominatum Christus non nisi post suam Resurrectionem, cum *Ioannis vlt.* dixit: *Pasce oves meas*, Petro largitus est, vt ex S. CYRILLO hunc locum exponente, notat Cornelius à Lapide, dicens: * Christus abiturus in Cœlum, hic suum in terra Vicarium designat, ac Summum Pontificem creat Petrum, vt vna Ecclesia ab vno Pastore regatur. Promiserat Christus id ipsum Petro *Matth.* 16. Sed hoc loco id ipsum præstat, eumque Principem, & Rectorem totius Ecclesiæ constituit, ne quis propter trinam Petri negationem, Christum suam de eo Sententiam mutasse, autumet. Ita Cyrillus. * Vndè estò Petrus cum Christum negavit, defecerit in Fidei externa Confessione, iste tamen error non debet illi tamquam Pontifici adscribi, sed tamquam privatę personæ objici: Cumque Romani Pontifices tantummodo Petro in Pastorali Officio, Privilegijsque Dignitati concessis, non verò in personalibus ipsius defectibus, in quos antequam confirmaretur in gratia, incidit, succedant; hinc fit ipsos, vt Pontifices, numquam in errores incidere. Verum cum iam ex primi argumenti, ab Hæreticis è Petri negatione desumpti, laqueis, tamquam è scopulosis cotibus nostra enavigaverit oratio, operæ pretium duximus, vt secundum pro rei dignitate, Sanctorum Patrum pręsidio suffulti, diluamus.

40 Secundum, quod Hæretici Divo opponunt Petro, est, quod cum esset natione Iudæus, in Mosaicę legis observantia nutritus, & à Christo ad conversionem Iudæorum electus, vt ipsos in Evangelica Lege instrueret, & Christianæ Doctrinę Mysterijs initiaret, nihilominùs æthnicè, cum Ethnicis vivebat, cum ipsis convescebatur, & contra Legis Statuta familiariter utebatur; At cum Iudeorum aliqui Hierosolimis Antiochiam advenirent, ne ijs offendiculo esset, sese à Gentilium castris ad Christianam militiam confugientium mensa subtrahebat, & cibo cum Iudæis comedebat, sermonesque conferebat assiduos. Divus verò Paulus hoc Evangelicæ Legi opponi agnoscens, perpendensque Gentiles suos ad meliorem vitæ, Religionisque frugem receptos, hocce Divi Petri exemplo vulnerari arbitrantes, licitum etiam illis futurum Mosaicam legem tenere, vnaque cum Petro, illius ceremonias observare, vt ipsum publicè obiurgaret, haud temerè ductus commotusque fuit: *Cum* (inquit Paulus) *venisset Cephas Antiochiam in faciem eius restiti, quia reprehēsibilis erat.*

41 Hinc Heretici, præcipuè Nilus *lib.* 1. *de Primatu Summi Pontificis*, arguunt Petrum in hoc amisisse Fidem, pravoque exemplo Gentiles ad Iudaismum amplectendum coegisse. Magdeburgenses verò estò Divum Petrum in hoc à Fide defecisse renuant, gravissimam tamen culpam, dignamque Divi Pauli reprehensione à Petro contractam, tuentur.

42 Vtrumque tamen commentitium esse, concors est Sanctorum, Sacrorumque Interpretum Sententia; quam vt meliùs, clariùsque præcipiamus, statuimus primò levissima esse huiusce argumenti tela; quamvis enim planum ex ipso textu fiat Cepham à Divo Paulo reprehensum, *quia reprehensibilis erat*; huiusmodi tamen Cepham fuisse Sanctum Petrum, adhuc compertum non esse aliqui arbitrantur; eruditi namque Authores à BARONIO *Tom.* 1. *Annalium ad annū Christi* 51. *num.* 35. laudati, Cepham à Paulo obiurgatum, non Petrum Apostolum, sed alium è Septuaginta duobus Christi discipulis fuisse, haud improbabiliter arbitrantur. Baronium loco citato audiamus: *Nonnulli optimęque notæ Authores, qui Cepham illum, quem Divus Paulus *in Epistola ad Galatas*, à se reprehensum scribit, non Apostolorum Principem, sed alium eiusdem nominis Cepham, ex numero septuaginta duorum discipulorum extitisse, docent; hi sunt, Clemens Alexandrinus apud Eusebium Cæsariensem *lib.* 1. *Historiæ cap.* 13. Dorotheus

theus *in Synopsi*, vbi huiusmodi Cepham, in Caria factum Episcopum, tradit.* Hactenùs Baronius. Ex quibus satis apertè constat, qualis fuerit intelligentia tàm Clementis, quàm Dorothei.

44 Et quamvis Dorothei, Clementis, aliorumque hancce noxam à Petro sic dimovere conantium, affectum in Petrum simus laudatur, nulla tamē nos huius medij necessitas vrget, vt argumenti difficultatem enodemus.

43 Nè ergo difficultatem declinare, aut ipsi videamur succumbere, Doctoribus, Cepham à Paulo reprehensum, non alium à Divo Petro fuisse iudicantibus, assentimur. Fuit hæc expressa HYERONIMI mens qui *ad Galat*. 2. *Alterius (inquit) nescio cuius Cephę, nescire nos nomen, nisi eius, qui in Evangelio, & in alijs Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa, modo Cephas, modo Petrus scribitur. (Et infra:) Si propter Porphyrij blasphemiā alius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus putetur errasse, infinita erunt de Scripturis emendánda Divinis, quæ ille, qui non intelligit criminatur.*

45 Hac igitur communi Sententia admissa, dubitatum est inter nostrates de qualitate reprehensionis, an verè, & sincero prorsus animo, an verò simulatè tantummodò, & apparenter Petrum obiurgaverit Paulus? Sententiarum fluctibus inquietum huius quæstionis æstuat mare; trahuntur enim, & dividuntur in diversas, & adversas partes Sanctorum Patrum, Sacrorumque Doctorum studia. Prima Sententia est illorum, qui nullam culpam reprehensione dignam in Apostolorum Principe agnoscentes, reprehensionem simulatam, & apparentem tantummodò extitisse arbitrantur. Hanc Gravissimi sequuntur Authores, vti Origenes, Apollinaris, Dydimus, Eusebius Emisenus, Theodorus Heracleotes, quos laudat, & & sequitur HIERONYMVS *Epist*. 89. *ad Augustinum*, vbi; * Ego (inquit) immò & alij ante me, exposuerunt causam, quam putaverant, non officiosum mendacium defendentes, sed ostendentes honestam dispensationem: vt & Apostolorum prudentiam demonstrarent, & blasphemantis Porphyrij impudentiam coercerent.*

46 Eidem assentitur S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *in Epist. ad Galat. ca.* 2. THEODORETVS ibidem, THEOPHYLACTVS, OECVMENIVS, & CASSIANVS *Collat*. 17. *cap*. 20. Recentiores, qui prædictis adhęrent Patribus sunt ADRIANVS *in* 4. *Sententiarum, quæst*. 1. *de Baptismo*, SVAREZ *lib*. 9. *de Legibus*, *cap*. 20. VAZQVEZ *in* 1. 2. *disput*. 182. *cap*. 7. DIDACVS GRANADO *de Legibus*, *tract*. 4. *disp*. 6.

47 Et fundari potest hæc Sententia in ipso textu; Paulus namque, cuncta à Petro gesta simulationem appellat, dicens: *Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudei, ita vt & Barnabas adduceretur ab eis in eam simulationem*. Vbi SANCTVS IOANNES CHRYSOSTOMVS Petri reprehensionem, à Paulo simulatam fuisse sentit; idque non modò ex relatis verbis colligit, sed ex illis etiam, quibus ipse Paulus, Petri reprehensionem enarrans, dicit: *In faciem eius restiti, &c.* Græci etenim Codices ita legunt: *Secundum faciem restiti*, hoc est apparenter tantum, quoad speciem, & simulatè.

48 Neque à ratione, solidovè fundamento prædicta abest expositio, si enim attentè, diligenterque rem expendere voluerimus, quomodo poterat Paulus serio, ac sincero prorsus animo, Petrum, recenterque ad Fidem conversos observantiæ aliquorum legalium incusare, quando id ipsum Paulus ipse, pro rei, temporisvè, conditione, fuerit imitatus? Quomodo in facie Ecclesiæ iudicaret Petrum, ipsique aliquorum legalium vsum objiceret, quando ipsemet Paulus ritus illos Iudaicos multoties executioni mandare, á veritate Evāgelica alienum minimè iudicaverit, vti cum Timotheum ex Patre Gentili natum circumcidit, *Act*. 16. vel cum secundum Iudaicum Nazaræorum morem totondit caput Cenchris *Act*. 18. aut quando Ierosolymam reversus, vt sibi Iudæorum gratiam conciliaret, antequam Templum ingrederetur, se cum illis purificavit? *Act*. 21.

49 Verum neque hæc Sententia (estò sit Gravissimorum Virorum Authoritate roborata, omnique laude dignissima existat, quod Petrum à culpa, Paulumque à procacitate liberet, & mendacio) necessaria est vt in Divo Petro prærogativam non errandi in rebus Fidei incolumen servemus, & firmam; alia namque via Petrum ab Hæreticorum, qui propter le-

legalium vsum, in Fide defecisse arbitrantur, vindicabimus impostura.

50 Alij quidem Gravissimi Authores Petrum non sic extra culpam ponunt, vt in ipso aliquod genus noxæ, Pauli reprehensione dignæ, non agnoscant. Hanc Sententiam sequuti sunt TERTVLLIANVS *lib.4. contra Marcionem*, S. CYPRIANVS *in Epistola ad Quintum*, D. AMBROSIVS *in cap. 2. Epist. ad Galat.* S. AVGVSTINVS *in Epist. ad Hieronymum* 8. 9. *ac* 19. D. GREGORIVS *lib.* 28. *Moral. cap.* 12. Quibus adhærent ex Scholasticis, D. THOM. 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 4. *& ad secundum*, SCOTVS *in* 4. *Sent. dist.* 3. *quæst.* 4. D. BONAVENTVRA *ibidem, art.* 5. *quæst.* 2. Quos communiter sequuntur vtriusque Scholæ Discipuli.

51 Hac ergo Sententia supposita, asserimus, Sancti Petri à Sancto Paulo reprehensionem minimè simulatam fuisse, & apparētem, sed veram, seriamque extitisse. Fundamentum, & quidem efficacissimum, vt id statuamus, nobis præbet tota ipsius textus series, *ad Galat.* 2. ibi enim hæc habet Paulus: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem eius restiti, quia reprehensibilis erat.* Statimque huius reprehensionis causam his verbis subiungit: *Prius enim quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex Circumcisione erant; & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod rectè ambularent ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Iudæus sis, gentiliter vivis, & non Iudaicè: Quomodo gentes cogis iudaizare? nos natura Iudæi sumus, & non ex gentibus peccatores. Scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per Fidem IESV CHRISTI, & nos in CHRISTO IESV credimus, vt iustificemur ex Fide Christi, & non ex operibus legis.* Adeò manifestus est textus, vt nulla opus sit meditatione ad intelligēdū, quod estò Petrus, valida suadente ratione, ad simulationem aliquam adduci potuerit, Paulum tamen, vt verè Petrum nec immeritum increparet, consultè fuisse commotum, ob pravum nempè exemplum, quod ad Gentiles in Fide Neophytes poterat emanare, videntes Petrum vnà cum Christi lege, aliquas Legis Mosaicæ Cæremonias observare; & licet Paulum iusta ratio, qua ad id movebatur Petrus, non lateret, neque iustissima defuit Paulo, vt Petrum verè, ac sincero prorsus animo obiurgaret.

52 Nec parvi momenti, ad huius confirmationem, est attendere omnia, quæ in Epistolis *ad Galat.* & *in Apostolorum Actis* continentur, verè & sine vllo fuco dicta esse, & facta; vera namque erat, tùm comestio legalis cum gentibus, tùm substractio ab eis, cum alij à Iacobo instructi veniebant; vndè simulatio edendi, & non edendi vera quoque fuit: Ergo & reprehensio, quæ ad obiectum animadversione dignum tendebat, non quidem simulata, sed seria debuit esse, ac vera.

53 His additur Scripturarum Authoritatem penitùs corruere, ni veram fuisse reprehensionem fateamur; si enim id, quod verè, realiterque accidit, non verè, sed simulatè factum diceremus, proculdubiò fieret, nos hæreticis, vt malè, simulatèque aliqua vera Scripturæ facta intelligerent, ansam esse præbituros; ex quo notabilia suborirentur absurda, innumeraque errorum monstra pullularent, prout expendebat ingeniorum Apex AVGVSTINVS *Epist. 9. ad Hieronymum*, & habetur *in Canone. Si ad Scripturas*, *dist. 9.* vbi hæc exponuntur: * Si ad Scripturas Sanctas admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit Authoritatis? quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosę falsitatis obteratur improbitas?*

54 Valdè huic consonat sententiæ D. CYPRIANI dictum *in Epistola ad Quintum*, vbi fatetur veram, & propriam fuisse reprehensionem, immò ex patientia Petri in sufferendo, maximè humilitatem eius commendat, ad cuius imitationem omnes Superiores, etiam Supremos, invitat. Verba autem Cypriani valdè notanda sunt, quæ sequuntur: * Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ędificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de Circumcisione disceptaret, postmodum non vendicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se Primatum tenere, & obtemperari à nonnullis, & posteris sibi potiùs debere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persequutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ,

quam

quam Paulus vendicabat, facile consensit; documentum scilicet nobis, & concordię, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus; sed quæ aliquando à fratribus, collegis nostris, vtiliter, & salubriter suggeruntur, si vera sunt, & legitima, ipsa potiùs nostra dicamus.* Ex quibus veram, seriamque fuisse reprehensionem apertissimè deducitur; si enim Cyprianus Patientiam, Humilitatemque, qua Petrus Paulum obiurgantem audijt, commendat, quomodo simulatam esse reprehensionem indicavimus? Quæ enim Humilitas, quævè in reprehensione ficta sufferenda, reluceret Patientia?

55 Eidem sententię adhæret laudatus Augustinus *lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 1.* *In Scripturis (inquit) Sanctis didicimus Apostolum Petrum in quo Primatus Apostolorum, tàm præcellenti gratia præeminet, aliter quàm res postulabat, de Circumcisione agere solitum, à posteriore Paulo esse correctum.*

56 Hanc rursus correptionem veram extitisse, ac seriam, deducitur ex his, quæ ipse addit Augustinus: *Quod Paulus (inquit) in ea scripsit Epistola, in qua Deum non se mentiri testatus est. Ait enim: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*, & post hanc Sanctam, ac terribilem Dei attestationem, narravit hæc omnia: *In quibus cum vidissem, quia non rectè ingrediuntur ad veritatem Evangelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu Iudæus cum sis, &c.* (Et infra:) Si Petrus illud faciens, à Paulo posteriore corrigitur, &c.*

57 Ex quo convincitur, quod si Petri actio verè Iudaica fuit, & vera quoque fuit Petri à Paulo reprehensio. Hoc confirmat THEODORETVS dum *in Epist. ad Galatas cap. 2.* ad illa verba: *Quomodo cogis gentes Iudaizare?* Hæc habet: *Magnus, autem, Petrus, & quæ dicuntur, silentio confirmat, propemodum dicens ijs, qui ex Iudæis crediderant, & pręsentes erant, illos iustè reprehendit, nec his, quę dicit, licet contradicere; hæc autem scripsit ad Galatas Divinus Apostolus docens, quod etiam magni, & primi Apostoli, Iudęorum imbecillitatis gratia, legem servare nonnunquam substinuerunt, sed hoc non semper fecerunt.* Apertè ergo sentit Theodoretus Petrum verè, ac sincero prorsùs animo fuisse à Paulo obiurgatum.

58 Nec ab hac discedit sententia TERTVLLIANVS *lib. de Præscriptionibus adversus Hæreticos cap. 23.* Vbi fusè de hac loquitur reprehensione, & quamvis veram fuisse teneat, nihilominùs aliqualem prætexit causam, dicens: conversationis fuisse, non Doctrinæ. Sed clariùs hanc tenet Sententiam *lib. 5. adversus Marcionem* vbi: *Paulus (inquit) reprehendit Petrum non rectò pede incedentem. Planè reprehendit, non ob aliud tamen, quam ob inconstantiam victus.*

59 Idem Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem* diluēs obiectionem Marcionis, asserentis Doctrinam Evangelicam ab Apostolis fuisse adulteratam, quam ob causam Paulus, Petrum non rectò pede incedentem ad veritatem Evangelij, reprehendit, huius, inquam, Hęretici obiectioni satisfaciens, nullatenùs ad simulationem, conventionemque inter Apostolum initam recurrit, sed apertè confitetur veram, seriamque fuisse correptionem, prudenter Paulum, vt Petrum ex animo redargueret, fuisse adductum. Asserit namque: *Porrò & si reprehensus est Petrus, & Ioannes, & Iacobus, qui existimabantur columnę, manifesta causa est personarum, cuius respectu videbantur variare convictum.*

60 Ad id tandem confirmandum omitti nequeunt illa HIERONYMI verba *in Epist. ad Galatas cap. 2.* *Non ideò reprehensibilis erat, quia cum illis sedebat; sed quia postea, propter homines, se substrahebat.* Ex quibus liquet non simulatam, sed veram, seriamque fuisse reprehensionem, qua Petrus correptus fuit à Paulo.

61 Sed estò, cum ijs Sanctis, gravissimisque Authoribus, admittamus, Paulum, vt Petrum palam increparet, prudenter adductum; nihilominùs Hęreticorum argumento in initio quæstionis posito respondentes, asserimus, infirmam, imbecillemque esse consequentiam, qua ideò Petrum à Paulo obiurgatum, quod in Fide defecerit, probare nituntur; quamvis enim aliquam in Petro agnoscamus culpam, hāc tamen negamus gravem fuisse, minimèque Fidei oppositam.

62 Sufficientissium huius solutionis, ac veritatis fundamentum nobis tradit Tertullianus, qui *lib. de Præscriptio-*

tio-

tionibus, dum de hac noxa, quæ Petro obijcitur, sermonem instituens: * Fuit (inquit) error conversationis, non Fidei.* Ipseque Tertullianus *cap. 23. de Præscriptionibus*, hoc ipsum confirmat, dicens: * Etsi Petrus à Paulo reprehensus, non tamen ob aliam Doctrinam à Paulo superinductam, citra eam, quam præmiserat Petrus, & alij. (Et infrà:) itaque dexteram ei dederunt (id est Paulo) signum concordiæ, & convenientię, & inter se distributionem officij ordinaverunt, non separationem Evangelij, nec vt aliud alter, sed vt alijs alter prędicaret, Petrus in Circumcisionem, Paulus in Nationes. Cæterum, si reprehensus est Petrus, quod convixisset Ethnicis, postea se à convictu eorum separabat, personarum respectu; vtique conversationis fuit vitium, non prædicationis. (Et infrà:) Adeò pro temporibus, & personis, & causis, quædam reprehendebant, in quę, & ipsi æquè pro temporibus, & personis, & causis committebant.* Hocque ipsum duobus Pauli factis stabilit, & cum se ad Mosaicæ legis ritum accomodans, Timotheum circumcidit, & cũ Iudæorum more, caput in Cenchris totondit.

63 Hanc nempè Divi Petri culpam, nec fuisse errorem in Fide, nec prædicationis noxam, nec falsi pro vero approbationem, aut aliquid contra Fidem dogmatizando, vt putabant Hęretici, probatur vlteriùs ex ipso Tertulliano, qui *lib. 5. adversus Marcionem* oppositum sentientem, paulò post initium dum de Petri à Paulo obiurgatione loquitur, hęc habet: *Reprehendit Petrum non rectè ambulantem ad Evangelij veritatem. Planè reprehendit, non ob aliud tamen, quam ob inconstantiam victus, quem pro personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex Circumcisione, non ob aliquam Divinitatis perversitatem.*

64 Et *lib. 4. post initium*, Hęretico respondens Marcioni, qui ideò Petrum à Paulo obiurgatum statuit, quod in Fide peccaverit, Petrum defendit dicens: causam reprehensionis non fuisse Doctrinam, sed variationem convictus respectu personarum.

65 Huic etiam assentitur Sententiæ AMBROS. *in Epist. ad Galat. cap. 2.* vbi: * Iudæi (inquit) qui consenserant simulationi Petri propter scandalum eorum, qui veniebant à Iacobo, præsentibus eis non commiscebantur gentibus, timebant enim impetum eorum, qui æmulabantur legem, quod si solum fuisset, non erat reprehensibile, sed in quo erratum est, in subiectis ostendit. Nam & ipse vtique cessit animositati, & audaciæ Iudæorum, timens ne per hoc, quod facile est, subreperet scandalum, quod difficile sedaretur. (Et infrà prosequitur:) Nunc aperit causam reprehensionis, si præsentibus Iudæis dissimulasset, à Gentilibus timens scandalum. Sed id tota causa reprehensionis est, quia advenientibus Iudęis à Iacobo, non solum segregabat se ab eis, cum quibus gentiliter vixerat; sed & compellebat eos iudaizare, causa timoris illorum, vt quid horum verum esset, ignorarent Gentiles. Sciebant enim ipsum secum, non quasi Iudæum vixisse, post autem, audientes ab eo, quia Iudæorum instar sequendum erat, hęsitabant vtique quid esset verum.* Nihil igitur contra Fidem docuit Petrus, si Ambrosij, vt par est, sententiam sequamur.

66 Nec obstat illud ex *cap. 16. Matthæi*, ibi enim vix Christus dixerat Petro: *Beatus es Simon Bar-Iona, &c. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, cum illicò illud, quod Christi Passioni impedimentum afferre conaretur, hisce incusavit verbis: *Vade post me Satana scandalum mihi es; quia non sapis ea, quæ Dei sunt.* Ex quo textu hæc eruitur ratio dubitandi. Quomodo Petrus ardentissimo suum erga Magistrum amore in talem, tantamque incidit culpam, vt ex illius verbis offensionem Dominus acceperit, præcipuè cum iam Ecclesiæ Claves illi pollicitus fuerit Christus, illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petrã, &c.* Et Privilegium nõ errandi Clavibus illis annexum proculdubio videbatur? Non ergo illũ graviter errasse miremur, cùm ipsum non modo Paulus, verùm, & Christus reprehensione dignum agnoverit.

67 Difficultatem istam scitè, subtiliterque enodavit HIERONYMVS, pulcra hac excogitatata ratione, quod estò Christus de futuro pollicitus fuerit Petro, se illi Claves daturum, *tibi dabo*, illas tamen ei statim largitus non est, si enim illas iam tunc haberet Petrus, nullatenùs à veritatis tramite deviaret. Hieronymum loco citato *Matth. 16.* audiamus: *Claves de futuro promiserat, sicut & Ecclesię ædifica-

ædificacionem, super eum, ideò ea dixit. (Et cōcludens ait.) Si statim dedisset ei, nūquam in eo pravæ Confessionis error invenisset locum.* Ex quibus sanè verbis deducitur, Sanctum Petrum, iuxta Hieronymi mentem, post quam Ecclesiæ Claves re ipsa obtinuit, ante Christi ad Patrem Ascensionem, illis verbis: *Pasce oves meas, Ioan.* 21. Quibus Christus Ecclesiam suam ipsi commisit, Pastorem Vniversalem, atque Fidelium Doctorem, & Magistrum constituit, Vicarium suum in terra reliquit, Clavesque, quas promiserat, tradidit, constantem in Fide à Christo constitutum, Privilegio in rebus Fidei non errandi insignitum, & Infallibilitatis fuisse prȩditum ornamentis. Cum autem tam Petri culpa, quam ipsius à Paulo obiurgatio, post acerbam Christi Mortem, gloriosamque ipsius, acciderint, Ascēsionem: Hinc Petri culpam, ipsiusque à Paulo reprehensionem in rebus ad Fidem spectantibus extitisse, nullatenùs crediderim. Cum Petrus, non errandi Privilegio, collatis Clavibus donatus fuerit antè Ascensionem, Divo Hieronymo teste, vt diximus.

68 Etiā ad veritatis cōprobationē egregiè facit res valdè notanda, hanc nempe sententiam non ab Orthodoxis, sed ab ipsis etiam Hereticis amplecti, qui estò in Petro noxam aliquam, erroremque agnoscant, ab ipso tamen errorem in Fide eliminant, vt videri potest apud Theodorum Bezam, vnum è prȩcipuis nostri ȩvi Hæresiarchis, quem ipsi tamquam virum prȩclara eruditione ornatum, & optimarum artium studijs perpolitum existimant; exponens ergo iste, textum illum Pauli *ad Galat.* 2. hȩc in scholijs suis asserit: *Petrus hoc loco non peccat in Doctrina, sed in certo facto: quod videlicet dum Iudȩorum infirmitati cupit consultum, Evangelicam libertatem adducit in discrimen*

69 Idem sentiunt Centuriatores Hæretici Magdeburgenses *Centu.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. & 10. Istud Divi Petri factum, sic eximunt à culpa: *hi nævi, & lapsus Petri, non sine consilio Spiritus Sancti, memoriæ in Sacris Libris traditi: fuitque non postrema causa proculdubiò, ne Petro nimium attribueretur, habenti tantam Dignitatem, & prȩrogativas, id quod posterioribus sæculis futurum esse prævidit.* Apud Gravinā *de Papæ Infallibilitate in Decretis Fidei*, ad obiectionem primam. Vbi gravissimus iste Author, postquam hȩc Centuriatorum verba retulit, hæc subdit: *Quare si Successores, ad quos eadem Papalis Dignitas permeat, labuntur vt homines, in nævos, & lapsus, Divina Providentia labi permittuntur in humilitatis argumentum; permissum tamen numquam est, vt in Fide errarent.* Hæc ille.

70 Hucvsque probavimus Sanctum Petrum verè, ac sincero prorsus animo fuisse à Divo Paulo increpatum, non in materia Fidei & Religionis, prout Sancti Patres, quos supra laudavimus, tuentur. Inquirendum modò nobis est quodnam noxȩ genus fuerit illud, quo redargutus est Petrus? an nempè grave? an vero tantummodo leve illius extiterit peccatum? Et quamvis Centuriatores, vt vidimus, culpam fuisse lethalem arbitrentur; at si Sanctorum Patrum dictis standum sit, & Iudicio, prout omnes Orthodoxi stare tenentur, mortalis culpȩ omnino immunem Petrum facilè inveniemus.

71 HIERONYMVM namq; si cōsulas nullatenùs gravē Petro culpam adscribes; *Epistola enim ad Augustinum*, Petrum nobis peccati immunem proponit: *Nec Petrus (inquit) peccavit, nec Paulus procaciter eum arguit. Petrus autem fuit huius decreti Author, legem post Evāgelium non esse servandam. Petrus itaque benè sentit de abolitione legis, sed simulavit præ timore Iudȩorum, ne occasione Gentium à Fide recederent.*

72 Ipse etiam *in Epistola ad Galat. cap.* 2. Petrum in legalium observatione eximit à peccato: *Cum autem venisset (inquit) non ideò reprehensibilis erat, quia cum illis edebat, sed quia postea propter homines se subtrahebat.* In hanc eamdem Sententiam Ambrosius loco supra laudato conspirat.

73 Nec dissentit AVGVSTINVS *lib. enim* 1. *de Sermone Domini in monte*, vniversaliter loquens, docet: In Apostolis in hac vita completum esse, quod pace fruerentur in ea motus concupiscentiȩ, & sic fuisse perfectos, nec peccasse.

74 Idem *in lib. Retractationum, cap.* 19. luculentiùs se se explicat, dicens: Id intelligi non absolutè, quod nullum motum carnis arbitremur Spiritui Apostolorum repugnasse; sed in eis hanc pacem sensus cum spiritu esse completam, sicut possibile est in hac vita. Appositè certè ad

hanc

hanc rem Divi Augustini Interpres in hunc locum. *Quatuor (inquit) hinc accipiuntur documenta. Primum est, quod Apostoli post adventum Spiritus Sancti peccaverunt venialiter. Secundò, quod non peccaverunt mortaliter; quia fuerunt perfecti. Tertiò, quod nullus prçter Christum, & Beatam MARIAM fuit perfectior Apostolis. Quartò, quod numquam erit aliquis status, aut persona, quæ attingat vltra perfectionem Apostolorum simpliciter.* Quibus adde Divum Thomam, ac Illustrissimum Spondanum. Indèque inferes Petrum non peccasse mortalitèr.

75 At dices: Petrus publici scandali in re ad Religionem spectante contraxit culpam, ideòque à Divo Paulo publicè fuit increpatus; vt enim acutè satis, dixit HIERONIMVS: *Publicum scandalum non poterat privatè curari.* Cum ergo Petrus legalium observatione, vnà cum Christi lege, vulneraverit gentes, haud facile erit Petrum gravi à culpa purgâre, reprehensionemque illius non nisi levem ob culpam fuisse factam, asserere; maximè cum ipse defecisse videatur in exemplo, quod in Fide Neophytis, de exacta Evangelicæ legis adimpletione, erat exhibiturus, absque vlla legalium, quę iam Christi morte conquieverant, immixtione, vlloque Mosaicæ legis, in Christo iam absolutæ, odore.

76 Respondetur a nemine dubitari posse de celebri illa D. Pauli Sententia: *Vbi non est lex, non est prævaricatio legis.* Cum ergo Cęremoniarum Mosaicę, vt mox probaturi sumus, observatio, quæ Divo opponitur Petro, obtigerit, nulla vetante legè, non videtur adesse ratio, qua Petrum in legalium observatione gravitèr deliquisse dicamus.

77 Ad huius pleniorem intelligentiam operæpretium duximus adnotare, quod licet Hieronymus, Sanctusque Augustinus circa tempus, quo lex cessaverit vetus, novaque ligare ceperit, & obstringere dissentiant; cum ille, post Christi Passionem; iste verò, tantummodò post Evangelij promulgationem novam incœpisse legem, legaliumque observatores, inde peccato commaculari arbitretur; neutra tamen harum Sententiarum sufficit, vt Petrum in re gravi deliquisse deprehendatur.

78 Vtrumque concinnè ANGELICVS nos docet PRÆCEPTOR 1.2. *quæst.* 103. *art.* 4. qui cum sibi legales Cęremonias à Divo Petro, Divoque Paulo executioni mandatas, obiecisset, Doctrina scitu dignissima, & ad rem nostram accomodatissima, respondet. Et quia illius solutio, quidquid hac in re dicere, excogitareque possumus amplectitur, placuit tanti Doctoris verba in Responsione ad primum, hic haud innutiliter subijcere. *Ad primum ergo dicendum, quod circa hoc diversimodè videntur sensisse Hieronymus, & Augustinus. Hieronymus enim distinxit duo tempora: vnum tempus ante Passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, quasi non habentia vim obligatoriam, aut expiativam pro suo modo; nec etiam mortifera: quia non peccabant ea observantes. Statim autem post Passionem Christi incœperunt esse non solùm mortua, id est, non habentia virtutem, & obligationem, sed etiam mortifera: ita scilicet, quod peccabant mortaliter quicumque ea observabant. Vndè dicebat, quod Apostoli numquam legalia observaverunt post Passionem, secundùm veritatem: sed solùm quadam pia simulatione: ne scilicet scandalizarent Iudæos, & eorum conversionem impedirent. Quæ quidem simulatio sic intelligenda est, non quidem ita, quod illos actus secundùm rei veritatem non facerent, sed quia non faciebant tamquam legis Cæremonias observantes. Sicut siquis pelliculam membri virilis abscinderet propter sanitatem, non causa legalis Circumcisionis observandæ: sed quia indecens videtur, quod Apostoli ea occultarent, propter scandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ, & Doctrinæ, & quod simulatione vterentur in his, quæ pertinent ad salutem Fidelium; ideò Augustinus convenientius distinxit tria tempora.

79 Vnum (prosequitur) quidem ante Christi Passionem, in quo legalia, neque erant mortifera, neque mortua. Aliud autem post tempus Evangelij divulgati, in quo legalia sunt mortua, & mortifera. Tertium autem est tempus medium, scilicet à Passione Christi vsque ad divulgationem Evangelij, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur: Non tamen fuerunt mortifera, quia illi, qui conversi erant ad Christum ex Iudæis, poterant illa legalia licitè observare, dummodo non sic ponerent spem in

in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus Fides Christi iustificare non posset. His autem, qui convertebantur ex Gentilitate ad Christum, non inerat causa, vt ea observarent. Et ideò Paulus circumcidit Timotheum, quia ex Matre Iudæa genitus erat: Titum autem, qui ex Gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideò autem noluit Spiritus Sanctus, vt statim inhiberetur his, qui ex Iudæis convertebantur observatio legalium, sicut inhibebatur his, qui ex Gentibus cõvertebantur, Gentilitatis ritus: vt quædam differentia inter hos ritus ostenderetur. Nam Gentilitatis ritus, repudiabatur tamquam omninò illicitus, & à Deo semper prohibitus. Ritus autem Legis cessabat tamquam impletus per Christi Passionem; vtpotè à Deo in figuram Christi institutus.*

80 Ex hac præclara sanè Angelici Præceptoris Doctrina, Divi Petri à peccato immunitas apertè deducitur. Nam Petrus Mosaicæ Legis Cæremonijs vtens, vel nullatenùs, vel non nisi leviter deliquit. Et quidem Petrum in legalium observatione, animam suam lethaliter non vulnerasse, constans est Divi Hieronymi, ab Angelico Doctore laudati sententia; Cum enim Divus Thomas, loco suprà citato, ad secundum sibi obiecisset, Petrum advenientibus Antiochiam Iudæis se se à Gentibus subtrahere, iuxta ea, quæ *ad Galatas* 2. enarrantur, respondet: * Quod secundum, Hieronymum Petrus simulatoriè se à Gentilibus subtrahebat, vt vitaret Iudæorum scandalum, quorum erat Apostolus. Vndè in hoc nullo modo peccavit: sed Paulus eum similiter, simulatoriè reprehendit, vt vitaret scandalum Gentilium, quorum erat Apostolus.*

81 Nec solus Hieronymus, sed Augustinus etiam Petrum à peccato, iuxta Angelicum Doctorem loco citato excusat, quamvis enim à Hieronymi mente valdè dissidens, Petri à Paulo reprehensionem non simulatam, sed veram extitisse, Sanctumque Petrum peccasse, sentiat, sed non in Mosaicæ Legis, legaliumque Cæremoniarum observatione, ob quam hæretici gravem Petro obijcebant culpam; tunc enim non modò Petro, sed nec vlli ad Fidem converso legalium observatio prohibita erat, ac illicita, prout ex iam relata Augustini sententia innuimus suprà, ex eo quod, hæc in illo evenerint tempore, quod inter Passionem Christi, Evangelicæque Legis promulgationem interfluxit; & vt cum Divo statuimus Paulo: *Vbi non est lex, non est prævaricatio legis.* Hoc nostrum Iudicium, non modò Divi Augustini Doctrina, quam retulimus suprà, sed & ANGELICI PRÆCEPTORIS nititur Sententia, qui postquam Hieronymi mentem Petri reprehensionem simulatã fuisse arbitrantis, *loco superiùs citato* retulit, hæc habet: * Sed Augustinus hoc improbat: quia Paulus in Canonica Scriptura, scilicet *ad Galat.* 2. in qua nefas est credere aliquid falsum esse, dicit quod Petrus reprehensibilis erat. Vndè verum est, quod Petrus peccavit. & Paulus verè eum, & non simulatoriè reprehendit; non autem peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc sibi licebat, tamquam ex Iudæis converso.*

82 Ad suprà dictorum confirmationem maximè conducit illa Divi Thomæ ratio, qua & ipsi Apostoli, nimirum Divus Petrus, cęterique ex Iudæis conversi, in legalium observantia, vtebantur: * Ratio autem dictorum est (inquit) quia, si Iudæi statim post conversionem fuissent prohibiti ab observantijs legalium, visum fuisset eos pari passu ambulare cum idolatris, qui statim ab Idolorum cultura prohibebantur, & legalia non fuisse bona, sicut nec Idolatriam.*

83 Si ergo Hieronymus Petrum in legalium observatione nullo modo deliquisse arbitratur, si Augustinus ipsum in Mosaicæ Legis observantijs, ac Ritibus neque peccasse, neque peccare potuisse autumat, quia hoc sibi licebat, tamquam ex Iudæis converso; si Angelicus Doctor, Augustini mentem sequutus, Petrum nullius peccati reum agnoscit; vtique & nos Sacratissimis hisce tribus Ecclesiæ Doctoribus adhærentes, iure optimo statuere possumus, Petrum in hac legalium observatione toties repetita, totque probrosis verbis ab Hæreticis dilacerata, nullius peccati laqueis irretitum reperimus.

84 Ad maiorem huius illustrationem, hanc conclusionem non inefficaci rationis pondere probandam assumimus, videlicet Petrum in Legalium observatione nullatenùs peccasse, quia luce meridiana clariùs apparet, nullius peccati reum esse, qui ex speciali Dei dispensatione, revelatione, Imperio, vel Spiritus Sancti impul-

su operatur: Quod probatur: Primò, quia peccatum gravissimum foret, si quis contra Institutionem Christi, non invocato Trinitatis nomine, baptizaret, cum præceperit Christus Apostolis, vt docerent Gentes: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et nihilominùs repetitur *ad Ephesios* 4. & *ad Actor.* 8. collatus Baptismus ab Apostolis, non in nomine Trinitatis, sed tantum Christi IESV, dicitur enim ibi: *In Nomine Christi baptizabantur viri, & mulieres*: Vnde videtur eos in collatione Baptismi graviter deliquisse. Sed alios Doctores prætermittendo, cùm DIVO THOMA dicimus, eos immunes fuisse à peccato, cùm ex speciali Christi illustratione id fecerint. Audiamus verba Angelici Præceptoris id testantis 3. *part. quæst.* 66. *art.* 6. *ad* 1. vbi ait: * Dicendum, quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in Primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, vt nomen Christi, quod erat odiosum Iudæis, & Gentilibus, honorabile redderetur, per hoc, quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo.* Hæc ille.

85 Et *ad* 2. ibidem ait, reddens caussam huius dispensationis: * Ad secundum dicendum, quod Ambrosius assignans rationem, quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in Primitiva Ecclesia: quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur (dicit enim Ambrosius, vt refert D. Thomas *in ipso secundo argumento*: Si Christum dicas, & Patrem à quo vnctus est, & ipsum, qui vnctus est, Filium, & Spiritum Sanctum, quo vnctus est designasti) & ideò (prosequitur D. Thomas) servabatur ad minus integritate intelligibili, forma, quam Christus tradidit in Evangelio.* Indè liquet Apostolos non peccasse, etsi Baptismum contulerint non expressa forma à Christo instituta, cum id ex speciali Christi revelatione, vel dispensatione fecerint: quòd cõfirmat D. Thomas ibidem *in corpore articuli*, vbi ait: * Respondeo dicendum, quod (sicut suprà dictum est) Sacramenta habent efficaciam ab Institutione Christi: & ideò si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod Sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam Sacramentis non alligavit.*

86 Secundò videtur peccasse Abraham, volens occidere filium innocentem, vt habetur *Genes.* 22. Et Iudæos contra præceptum Domini non furandi, quando spoliaverunt Ægyptios *Exodi* 12. & Propheta Oseas videtur fecisse contra Castitatem, accipiens mulierem adulteram, quos liberat D. Thomas ab omni peccato cum id egerint ex speciali Dei iussione, vel impulsu; ait enim 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 4. *in corp.* * Sicut naturali necessitate omnia naturalia subduntur Divinæ motioni, ita etiam quadam necessitate Iustitiæ, omnes voluntates tenentur obedire Divino Imperio.*

87 Quapropter idem Sanctus *ad secundum*, inter alia hæc habet: * Secundum hoc ergo, præceptum Abrahæ factum, quod filium innocentem occideret, non fuit contra Iustitiam, quia Deus est Author mortis, & vitæ. Similiter nec fuit contra Iustitiam, quod mandavit Iudæis vt res Ægyptiorum acciperent, quia eius sunt omnia, & cui voluerit dat illa. Similiter etiam non fuit contra Castitatem, præceptum Oseæ factum, vt mulierem adulteram acciperet, quia ipse Deus est humanæ generationis ordinator: Et ille est debitus modus mulieribus vtendi, quem Deus instituit. Vndè patet, quod prædicti, nec obediendo Deo, nec obedire volendo, peccaverunt.* Hæc ille. Vndè perspiquum fit Abrahamum, Iudæos, Oseam omninò liberos à culpa extitisse, cum ea egerint impulsi Divinæ iussionis imperio.

88 Tertiò: quis non miretur Christum scientem, & volentem, ad tentationis locum ductum, iuxta illud: *Ductus est IESVS in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Tentatio namque est cum periculo, quod (vt dixit Cyprianus *lib. de Oratione Dominica*, & ex eodem observavit Sanctus Augustinus *lib. de Dono Perseverantiæ, cap.* 6.) quivis propter humanam fragilitatem debet timere; quia facilè succumbimus, experientia teste: vndè docuit Christus Dominus: vt ad Cœlestem Patrem orantes, diceremus: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Matth.* 6. Quam petitionem ita quidam exponunt, vt petamus non solum, ne vincamur à tentationibus, & ducamur in eum finem, quem per eas diabolus intendit, sed etiam ne ducamur in occasionem, qua tentemur. Ita explicare videtur TERTVLLIANVS *lib. de Orat. cap.* 8. & D. CYPRIANVS *lib. de Oratione Domi-*

Dominica, qui legit: *Nè patiaris induci nos in tentationem, id est, duci in occasionem, vel locum, vbi diabolus tentationes cōtra nos excitet.* Quam lectionem in pluribus exemplaribus haberi demonstrat PAMELIVS *in lib. Cypriani, de Orat.* & sæpè illam retinuisse Cyprianum docuit S. AVGVSTINVS *lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 6.* ita explicare videntur CHRYSOSTOMVS *Hom. 20. in Matthæum*, & *Hom. 5. in Epist. ad Hebr.* & EVTHYMIVS *in Matth.* qui ait: *Nostrę enim infirmitatis memores timemus pericula; & ideò oramus, vt Deus non ducat nos, nec permittat, vt in illa loca feramur.*

89 Et rectè statim subiungimus, *sed libera nos á malo. Mali* nomine diabolū multi intelligunt, vt TERTVLLIANVS *lib. de fuga in persequutione*, & *lib. de Orat.* CHRYSOST. *Hom. 20. in Matth.* CHRYSOLOGVS *Serm. 70.* GREGORIVS NYSSENVS *lib. de Orat. Hom. 5. in fine*, THEOPHYLACTVS *in cap. 6. Matth.* & EVTHYMIVS *Matth. 13.* Ideòque frequentissimum est apud Tertullianum *lib. de Pœnitentia, cap. 5. & cap. 11.* & *de Cultu fœminarum, cap. 5.* vocare diabolum *malum* absolutè, vt eius Scholiastes Pamelius eodem loco adnotavit: petimus ergo omninò liberari ab illo insigni maligno, qui totius malignitatis caput est, & principium, ne nos vincat, aut superet, vel impugnet suis tentationibus, vt enim AVGVSTINVS *Epist. 94.* & *lib. de Dono perseverantiæ*, Cyprianum explicans, docuit: *Vt tutiores simus, totum Deo oramus, quod nec ducamur in tentationem, quia infirmitatem nostram timemus, & quod liberemur à maligno (hoc est diabolo) si contigerit nos ab illo tentari.* Si ergo tam periculosę sunt tentationes, & Christus Dominus nos docuit, petere ne ducamur vbi eas patiamur, cur Spiritus Christum ducit ad desertum, non solum vbi tentetur, sed vt tentetur à diabolo? Cum Christus, ipso testante, sit nostræ salutis exemplar: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, & Paulus nos doceat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quomodo ergo inculpata salvabitur actio Christi, qua à Spiritu ductus est in desertum, vt tentaretur à diabolo?

90 Huic difficultati respondemus optimo consilio Christum ductum à Spiritu in desertum ad tentationis locum, absque vlla prorsus, nec levi, nec minima culpa; cum Spiritus Sancti impulsu, ac motu, ductus sit in tentationis locum. Pro cuius clariori nōtitia operępretium duximus adnotare, reconditam Theologiam, quę in his verbis insinuat Sacer Evangelista, certum enim est ex Divina Theologia, dari Spiritus Sancti Dona, de quibus difficiles habent Theologi disputationes. Quidam enim censent, illa non esse distincta à Virtutibus infusis: alij dicunt, distingui quidem, non re ipsa, sed ratione: alij distingui non sola ratione, sed re ipsa, vt videri licet apud Athores Scholasticos. Divinitùs tamen eorum naturam exposuit ANGELICVS D. *in 3. sent. dist. 34. & 1. 2. quæst. 68 per totam*, quam explicat supponendo id quod commune est apud omnes: Ad hoc scilicet, quod homo facilè moveatur in bonum indigere aliqua qualitate, qua reddatur facile mobilis ad illud, sicut enim ad hoc, quod plaustrum novum grave, & ex aridis lignis constructum, moveatur per loca aspera, necessarium est, vt oleo, aut pinguedine vngantur axes, quibus circumvolvuntur rotæ, ita quia homo gravi pondere carnis, & corpore fertur (*Sapient. 9. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam*) & ad malum propendit (*Genes. 5. Cuncta enim cogitatio cordis humani prona est ad malum ab adolescentia sua*) eget quibusdam qualitatibus, quibus axes animæ, id est, potentię ipsius, per quas omnem motum exercet, tamquam oleo, & pinguedine vngantur, quo facile in bonum possit moveri.

91 Ex his apertè colligitur, Virtutum, & Donorum, in potentias animę necessitas. Duplex enim bonum reperitur, ad quod homo potest ferri: vnum est, bonum secundum rationem, aut naturalem à natura inditam, aut supernaturalem à Deo nobis in Scripturis Sanctis, vel per Ecclesię Traditionem explicatam: Aliud est bonum suprà omnem rationem, cuius bonitas non desumitur, ex regula rationis naturalis, aut supernaturalis, sed ex peculiari Dei impulsu in particulari occasione. Vt homo facilè moveatur ad bonum conforme rationi naturali, vel supernaturali ponuntur Virtutes adquisitæ, & infusæ, quæ nihil aliud sunt, quam habitus, aut facultates quædam superadditę po-

tentijs reddentes eas facilè mobiles ad bonum secundum rationem naturalem, vel supernaturalem. Temperantia v. g. nihil aliud est, quam habitus, aut facultas, qua appetitus redditur facilè mobilis ad ieiunium, quando ad illud movet ratio, aut Divina, vel Ecclesiastica Lex, vel Regula.

92 Ad hoc autem, vt homo facile moveatur ad bonum, quod est supra omnem regulam rationis, ponuntur Dona Spiritus Sancti, quæ nihil aliud sunt, quam habitus quidam infusi à Spiritu Sancto, quibus homo redditur facilè mobilis ad actus excedentes omnem rationem, & deliberationem rationis, vel vt D. THOMAS dixit 2. 2. *quæst.* 52. *art.* 1. *&* 3. *part. quæst.* 7. *art.* 5. sunt perfectiones quædam, aut dispositiones potentiarum animæ, secundum quod sunt natę moveri à Spiritu Sancto ad actus excedentes omnem regulam rationis naturalis, & supernaturalis, qualis fuit actus, quo Samson occidit seipsum Dono Consilij, & Fortitudinis, & quo David puer processit inermis contra veteranum militem Goliath omnibus armis munitum: hi enim actus non fuerunt secundum rationem, secundum quam potiùs videbantur vitiosi, homicidij, scilicet & prȩsumptionis, non enim aliquis potest seipsum occidere, si rationis regulas cõsulat, neque evidenti periculo se subijcere: fuerunt tamen actus procedẽtes à Donis Spiritus Sancti, quo in illo particulari tempore motus est Samson ad mortem sibi inferendam, & David ad non timendum periculum, quod secundum rationem timere poterat, & debebat.

93 Idipsum dicimus de actu illo, quo Beata Apollonia se in ignem coniecit, & de actu, quo Iudas Machabæus aggresus est bellum illud insigne cum paucissimis. Ex quibus manifestè sunt differentię inter Dona Spiritus Sancti, & Virtutes, non modò adquisitas, sed & infusas. Primò namque actus Virtutum procedunt ab homine deliberante secundum rationem naturalem, vel supernaturalem, sicuti, qui eligit ieiunium, quia est saluti corporis, vel animæ expediens, secundum regulas legis naturalis, aut Ecclesiæ: At actus Donorum non procedunt ab homine deliberante secundum rationem, quamvis liberè eos operetur, (quia Spiritus Sanctus movens, non aufert libertatem, vt egregiè exposuit Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 52. *art.* 1. *ad* 3.) Sed ab Spirtu Sancto interiùs per Dona sua excitante, & movente in peculiari casu, & occasione.

94 Ex hac differentia sequitur secunda, quod cum homo operatur secundum Virtutes potest reddere rationem sui operis, quod scilicet illud fecerit, quia est secundum regulam rationis: At cum homo operatur secundum Dona, nescit rationem reddere illius actus, quem producit; non enim illud operatur ex virtute deliberante secundum rationem, sed ex Dono Spiritus Sancti moventis interiùs, & impellentis ad illum actum.

95 Tertiò differunt, quod operationes Virtutum examinandę sunt secundum regulas rationis naturalis, aut supernaturalis, & vt homo rectè operetur secũdum Virtutẽ, talem regulam debet considerare, vt ab ipso prodeat actus rectę rationi conformis: at Donorum operationes nequaquam sunt secundum rationis regulas expendendæ: immò potiùs essent condemnandæ, quales fuerunt illæ Samsonis, Davidis, Sanctæ Apoloniæ, &c. Sed secundum impulsum Spiritus Sancti, in particulari occasione ad illas excitantis, eas regulari oportet.

96 Tandem in actibus Virtutum, dicitur homo plenè agere, & se movere, quamvis non sine Dei adiutorio: at in actibus Donorum, potiùs dicitur agi, & moveri, quia impulsu Spiritus Sancti fertur ad id cuius rationem ipse, qui agitur, ignorat. Ita PAVLVS *ad Rom.* 8. *qui Spiritu Dei aguntur.* Propter hanc itidem causam talia Dona vocantur Spiritus, aut impulsus: *Isaiæ* 11. *Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, &c.* Id est impulsus quidem habitualis, vt D. Thomas expendit 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 3.

97 Ex quibus patet id, quod adnotavit VATABLVS *in lib* 4. *Regum cap.* 9. sępè qui per Dona, & impulsus prædictos moventur à Spiritu Sancto, iudicari amentes, & stultos, & agentes sine ratione, quia operantur id, quod est supra rationem, ex peculiari Spiritus Sancti impulsu, quem ignorant, qui talia oppera vident; ita quãdo Propheta ille Discipulus Elisæi 4. *Regum* 9. ingresus ad Gehu, & extrahens eum è medio fratrum suorum, intro duxit in cubiculum interiùs, tenensque lenticulam olei, fudit super caput eius, dicens: *Vnxi te Regem super Israel.*

rael. Qui viderunt eum venientem, & quasi ab alio motum, & actum, dixerunt: *Quid venit iste insanus ad te?* Hæc adeò sunt vera, vt Aristoteles aliquid eorum cognoverit, vt adnotat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. sed de his egregiè D. Thomas, qui naturam, numerum, vim & necessitatem Donorum Spiritus Sancti explicat, & probat talia Dona esse illa septem, quę numerantur ab Isaia, de quorum vnoquoque suis locis peculiariter disputat.

98 Tandem superest adnotare Christum Dominum non tantum habuisse omnes Virtutes naturales, & infusas, sed & Dona omnia Spiritus Sancti, idque cum maxima, & ineffabili plenitudine. Hoc demonstratur à D. Thoma 3. *par. quæst.* 7. *art.* 5. & patet ex communi antiquorum Patrum consensu, id probantium ex illo *Isaiæ* 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, &c.* GREGORII NAZIANZENI *Orat. in Sanctum Pentec.* BASILII *contra Eunomium, Sermon* 1. *cap.* 14. ATHANASII *lib. de Fide sua,* IRENÆI *lib.* 3. *contra hæreses, cap.* 10. ORIGENIS *Hom.* 6. *in cap.* 11. *Num.* TERTVLLIANI *lib.* 3. *contra Marcionem,* CYPRIANI *lib.* 1. *contra Iud. cap.* 10. AMBROSII, AVGVSTINI, HILARII, HESYCHII, & aliorum, quos referunt LEO CASTRENSIS *in cap.* 11. *Isaiæ,* & Magister noster MEDINA *in* 3. *part. quæst.* 7. *art.* 5. ita exponunt quidam, id quod Ioannes Baptista dixit, *cap.* 3. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum.* Quod de Christo intelligunt D. CYRILLVS *lib.* 2. *in Ioannem, cap.* 72. Et D. CHRYSOSTOMVS *Hom.* 29. *in Ioannem,* quem sequitur EVTHYMIVS, & exponunt multi de plenitudine Donorum in tanta perfectione, quantum potest creata natura accipere, vt quod dixit Isaias: *Replevit eum Spiritus,* dicat Ioannes: *Datus est Spiritus non ad mensuram*; qua ratione explicandum sit, Theologi affatim docent, vt hæc abundantissima Donorum plenitudo fieret manifesta, descendit visibiliter Spiritus Sanctus super eum in, specie columbæ, in Baptismo.

99 Quibus prælibatis, iterum respondendo ad argumentum dicimus, Christum insontem, & absque levissima suspicione culpæ, ductum fuisse in desertum, & ibi expositum, vt tentaretur à diabolo. Potissima enim ratio, qua ad id probandum ducimur est, quia actus fuit à Spiritu Sancto, cuius impulsu, tentandum se præbuit in deserto. Ita omnes Evangelistę indicant, ita enarrant hunc Christi progressum, vt exprimant, quod ad illum potiùs agebatur, quam ageret: *Ductus est* (inquit Matthæus *cap.* 4.) *à Spiritu. Expulit eum Spiritus,* inquit Marcus *cap.* 1. *Agebatur in Spiritu,* inquit Lucas *cap.* 4. & quidem DIVVS AMBROSIVS *lib.* 4. *in Lucam, cap. de Ductu IESV,* tribuit hunc actum Dono Consilij, quia non ignarus, sed Consilio ducebatur, non quidem Consilio secundum rationem deliberante, sed secundum Spiritus Sancti impulsum agente, vel operante, cui subscribit D. Thomas 3. *part. quæst.* 41. *art.* 2. *in corp.* vbi inter alia hæc habet: * Dicendum, quod Christus propria voluntate se diabolo exhibuit ad tentandum, sicut etiam propria voluntate membris eius se exhibuit ad occidendum, alioquin diabolus venire ad eum non auderet. (Et infrà:) Indè est, quod Christus in desertum exivit, quasi ad campum certaminis, vt ibi à diabolo tentaretur: Vndè Ambrosius dicit *super Lucam,* quod Christus agebatur in desertum Consilio, vt diabolum provocaret.* De quo Dono Cõsilij vide D. Thomam ibi.

100 Nec indè deducas voluntariè se exposuisse Christum tentationi, ac periculo; quia vt dicit CHRYSOSTOMVS *super Matth. Hom.* 13. *Tom.* 5. Quod tunc maximè instat diabolus ad tentandum, cum viderit solitarios: vndè & in principio diabolus mulierem tentavit, sine viro eam inveniens, non inquam id obstat, vt præclarè respondet Divus Thomas *loco citato, quæst.* 41. *ad secundum,* vbi optimè probat Spiritu Sancto agente ductum fuisse Christum ad tentationis locum, indeque liberum mansisse ab omni periculo, & suspicionis labe. Audiamus igitur D. Thomam, cuius hæc sunt verba: * Duplex est (inquit) tentationis occasio, vna quidem ex parte hominis, puta cum aliquis se peccato propinquum facit, occasiones peccandi non evitans. Et talis occasio tentationis est vitanda, sicut dictum est Loth, *Genes.* 19. *Ne steteris in omni regione circa Sodomam.* Alia verò tentationis occasio est ex parte diaboli, qui semper invidet ad meliora tendentibus, vt

AM-

AMBROSIVS dicit *lib.4. tom. 5.* & talis tentationis occasio non est vitãda, vnde dicit CHRYSOSTOMVS *super Matth. Hom.5. tom.2.* quod non solum Christus ductus est in desertũ à Spiritu, sed omnes filij Dei habentes Spiritum Sanctum: non enim sunt contenti sedere otiosi, sed Spiritus Sãctus vrget eos aliquod magnum apprehendere opus; quod est esse in deserto, quantum ad diabolum; quia non est ibi iniustitia, in qua diabolus delectatur. Omne etiam bonum opus est desertum, quantum ad carnem, & Mundum; quia non est secundum voluntatem carnis, & Mundi. Talem autem occasionem tentationis dare diabolo, non est periculosum: quia magis est auxilium Spiritus Sancti, qui est perfecti operis Actor, quam impugnatio diaboli invidentis.*

101 Alij hunc actum, quo Christus se exposuit tentationi, tribuunt Dono Fortitudinis, quo actus fuerit David ad pugnandum contra Goliath, de quo idem D. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. Alij tribuunt vtrique, sicuti re vera David, vtroque Dono Consilij, & Fortitudinis actus, processit contra Goliath: nam consiliatus est, non secundum rationem, sed supra rationẽ, videlicet secundũ impulsũ Spiritus Sãcti, dicẽs: *Tu venis ad me in hasta, & gladio; ego venio ad te in nomine Domini, &c.*

102 Sed vere potest tribui Spiritui Sancto agenti, & moventi Christum secundum omnia septem Dona, quod videntur Evangelistæ innuere, singulariter S. Lucas, qui postquam præmisit *IESVS plenus Spiritu, regressus est à Iordane* nomine *Spiritus* plenitudinem omnium donorum intelligens, statim eodem *Spiritus* nomine vsus est intelligendũ indicans quod præmiserat, illum plenum videlicet Spiritu Sancto, secundum omnia ipsius Dona; sic adnotasse visus fuit CYRILLVS, qui de Christi Sanctificatione agens *lib. 2. de Fide ad Regi. cap.* 5. explicat Christum dici ductum, actum, & impulsum à Spiritu, non quod vi aliqua cogente, & tollente libertatem, arreptus, adductusque eo sit, aut quod motu corporali externo, & quasi violento sit impetitus, sed interno Spiritus Sancti impulsu, supra humanæ naturæ conditionem agente. S. CYPRIANVS *lib. de ieiunio, & tentatione:* *Ductus (inquit) est à Spiritu, id est processit Spiritu Sancto duce, ac comite.* S. ATHANASIVS *Epist. ad Serapionem:* *A Spiritu Sancto (inquit) operante, & agente in illo.* Ex his omnibus manifesta relinquitur ratio CHRYSOSTOMI *Hom. 13. in Matth.* quam & tradidit THEOPHYLACTVS *in cap. 1. Marci*, cur Evangelista sacer dixerit: IESVM ductum esse, non autem ipsum ivisse, aut se ipsum exposuisse, vt tentaretur à Diabolo. Hoc enim factum est à Christo, non secundum rationem se ipsum movente, sed à Spiritu Sancto per Dona sua, supra omnem rationem, interius excitato, & impulso.

103 Ex his apertè deducitur, quod si Apostoli, in nomine Christi Baptizantes, illæsam retinuerunt Fidem, nullaque se se peccati macula inquinarunt, eo quod id non nisi speciali Spiritus Sancti impulsu, & revelatione moti præstiterint (vt suprà cum Angelico Doctore tradidimus) Si Abraham dum Filium suum nullius noxæ reum, voluit immolare, æquitatis iura neutiquam violavit; Si Oseas cum adultera copulatus, Castitatis iura servavit; Si Israëlitæ spoliãtes Ægyptios nullo se se crimine adstrinxerunt; quia scilicet tam hi, quam illi, Deo, hæc præcipienti obtemperarunt (vt ex eiusdem Angelici præceptoris Doctrina ostendimus.) Si Samson sibi vnà cum Philistæis mortem consciscens, neutiquam se peccati turpidine fœdavit; Si David nullum contraxit scelus, cum iuvenis, & inermis, manifestum vitæ periculum subijt, immani, ac truculento Giganti congrediens; Si Divæ Apolloniæ memorabile factum, cum è carnificum manibus elapsa, maiori Spiritus Sãcti flamma intùs accensa, se in ignem, sibi paratum, iniecit, à Sanctis Patribus egregijs laudibus extollitur; quia scilicet hæc memoranda facta ab speciali Spiritus Sancti Dono, & motione promanarunt, vt suprà latè à nobis ostensum est; si tandem nefas, omni scelere maius, proculdubiò esset, Christo Domino, vel minimam criminis vmbram adscribere, eo quod libens, ac lubens se se dæmonis tentationibus in deserto obiecerit; quia nempè Scriptura testante: *Ductus fuit à Spiritu in desertum, vt tentaretur;* si inquam specialis Spiritus Sancti motio, & impulsus omnem ab his rebus fœditatis maculam abstersit; æquissima sanè ratione ab omni criminis nævo liberare debemus, tùm Apostolorum Principes Petrum, & Paulum, tùm illos omnes, qui ex Iudæis con-

verſi

versi legalia medio illo tempore, quod à Christi morte, ad Legis vsque promulgationem, effluxit, aliquando servarunt; quia nempè illi eam legalium observationem, non nisi SupernaGratia impellēte, vel Divini Spiritus iussioni obtemperantes, retinuerunt, vt docet ipse ANGELICVS PRÆCEPTOR, expendens illa Pauli verba *ad Galat.* 2. *Priùs enim quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat*, ait: * Priùs quam venirent quidam, Iudæi, scilicet, zelantes pro legibus, à Iacobo, Ierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopo edebat, scilicet Petrus, cum gentibus, id est indefferenter vtebatur cibis Gentilium (& huius rationem reddit Divus Thomas, dicens:) Et hoc faciebat ex instinctu Spiritus Sācti, qui dixerat ei: *quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris*, vt habetur *Act.* 10.*

104 Eamdem Doctrinam repetit D. Thomas infra, explicans Sententiam Divi Augustini, vbi inter alia dicit: * Et ideo instinctu Spiritus Sancti permissum est, vt legalia modico tēpore servarentur, ea intentione, quæ dicta est, vt per hoc ostenderetur legalia tunc bona fuisse, vndè dicit Augustinus, quod per hoc ostendebatur, quod mater Synagoga, cum honore deducenda ad tumulum erat, dum non statim, post Passionem Christi legalia prohibita sunt. Quicumque verò, non eo modo ipsa servaret, non honoraret matrem Synagogam, sed eam extumularet.* Hactenùs D. Thomas.

105 Dices totam hanc Doctrinam Divo Paulo opponi, cum ait: *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*: Si enim Divus Paulus Sanctum Petrum reprehensibilem agnoscit; si illius reprehensio seria extitit, ac vera, vt supra statuimus, quomodo possumus Petrum culpę insontem adstruere? Quomodo culpam reprehensione dignam ab illo possumus dimovere?

106 Cum veritatis semper fuerim amātissimus ipsiq; adhærere, ac memetipsū D. Petri pedibus subijci exoptaverim, nō possum non huius rationis vim dignoscere, nec intendo animum, vt Petrus ab omni eruatur noxa, tantummodò enim do operam, vt illum ab illa eximam culpa, quam ei hæretici impingunt, dum ipsum, quod aliquas Mosaicæ Legis Cæremonias coram gentibus observaverit acriter incusant; vt enim ex tribus Sactatissimis Ecclesiæ Doctoribus probavimus suprà, Petrus in legalium observatione nullius se peccati vinculis adstrinxit, imm ò iuxta Sanctum Augustinum, cui Divus adhæret Thomas, id in ea Mosaicæ Legis observatione, opere complebat Petrus, quod sibi licitum erat, nullaque Lege prohibitum: Nemo autem peccat dum ea, quæ fas, & iura sinunt operatur.

107 Sed iam diligens veritatis indagator inquiret: Si Sanctus Petrus in legalium observatione non peccavit, quomodo reprehensibilis extitit? Quid obiurgatione dignum commisit? Respondeo Divi Petri culpam non eam extitisse, quam Hæretici inclamant, sed quam Sancti tradunt, videlicet nimiam fuisse sollicitudinem, quam ne Iudæos Ierosolymis Antiochiam advenientes offenderet, nevè ipsis scandali causa esset, si Mosaicæ Legis Ritum non observaret, adhibuit: hæc autem nimia sollicitudo minime Petro potuit non vitio verti, ipsumque obiurgatione dignum effecere, exinde enim scandalum in Gentibus ad Fidem conversis poterat suboriri: Expressa est ANGELICI PRÆCEPTORIS *loco suprà citato* 1.2. Doctrina; *ad* 2. enim hæc habet: * Non autem peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc sibi licebat, tamquam ex Iudæis converso; sed peccabat in hoc, quod circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Iudæos, ita quod ex hoc sequebatur Gentilium scandalum.*

108 Prædictum verò Divi Petri peccatum solummodo leve extitisse præclarè Divus Thomas locum illum *ad Galat.* 2. expendens, asseveravit, vbi cum Sancto Augustino sentire profitetur: * Petrum in præfata occasione peccasse venialiter propter indiscretionem, quam habuit nimis inhærendo parti Iudæorum, ad vitandum eorum scandalum.*

109 Nec obstat, quamvis dicatur, D. Petrum in legalium observantia graviter peccasse, cum hoc ipsi accepta iam gratia, & Spiritus Sancti confirmatione roborato contigerit. Quandoquidem dato casu, quod sic legalium observantia evenisset, non propterea tamen sequeretur esse grave facinus, sed è contra, sicuti loco D. Thomę suprà laudato videre est, vbi eadem difficultas obijcitur, cui his verbis mirificè satisfacit: * Respondeo dicendum, quod post gratiam Spiritus Sancti nullo modo

pecca-

by Google

peccaverunt mortaliter Apostoli, & hoc Donum habuerunt per Potentiam Divinam, quæ eos confirmaverat. *Psalm. Ego confirmavi columnas, &c.* Peccaverunt tamen venialiter, & hoc fuit eis ex fragilitate humana, 1. *Ioannis* 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, scilicet veniale, ipsi nos seducimus, &c.**

110 Eamdem sequutus sententiam, præclarè eam explicat Eminentissimus Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de Rom. Pontif. cap.* 18. dicens: *Apostolus Petrus cum Antiochiæ degeret, Christiana libertate cum Gentibus cibum capiebat: supervenerunt interim Iudæi quidam à Iacobo Apostolo ad Petrum missi: tum Petrus cogitare cœpit, vix posse se offensionem, aut Gentilium, aut Iudęorum evadere; nam si pergeret cum Gentibus cibum capere, sine dubio Iudæos offenderet, qui adhuc infirmi in Fide cum essent, non dum persuadere sibi potuerant, licere Iudæis cibis Gentium vti: sin autem segregaret se à gentibus, & seorsim cum Iudęis cibum sumeret, in offensionem Gentilium incurreret, quippè qui aut Petri levitatem arguerent, aut exemplo tanti viri ipsi quoque iudaizare inciperent.

111 Itaque in hac fluctuatione animi Beatus Apostolus id elegit, quod minus malum putavit, vt videlicet, quia Iudæorum pręcipuè Apostolus erat, Gentiles potiùs, quam Iudæos offenderet: Paulus autem electionem illam improbavit, & Petrum satis acriter reprehendit. Iam hoc Petri factum Græci Patres omni peccato vacare volunt, vt patet *ex Comment. eorum, in cap. 2. ad Galat.* Et Gręcis subscripsit S. Hieronymus, tùm *in Comment. eiusdem Epistolæ*, tùm *in Epist.* 89. *ad Augustinum.* Plerique autem Latinorum peccatum aliquod in hoc Petri facto agnoscunt, vt Tertullianus *lib.* 4. *in Marcionem*, Cyprian. *in Epist. ad* 5. Ambros. *in cap.* 2. *ad Galat.* August. *in Epist. ad Hieronymum* 8. 9. & 19. Gregor. *lib.* 28. *Moral. cap.* 12. & alij nonnulli.

112 Cæterum sine dubio peccatum illud, aut veniale, aut levissimum fuit, aut etiam solùm materialiter peccatum fuit, id est, erratum quoddam, sed absque vlla Petri culpa. Siquidem certum est, eum optimo animo fecisse, quod fecit.

113 Quod autem erraverit in eligendo, causa fuit, aut aliqua inconsideratio, & tùm peccatum fuit veniale: aut defectus luminis, & ignoratio quædam involũtaria; & tunc nulla culpa sua id fecit. Credibile autem est Divinam Providentiam id egisse, vt in eo negotio magis illustraretur Pauli, quam Petri mens, vt exemplum vtilissimum haberemus tàm libertatis in Paulo, quam Patientię, & Humilitatis in Petro.* Hactenùs ille.

114 Nec dicere iuvat, D. Petrum defecisse in exemplo, quo ipse, ceu Apostolorum, totiusque Ecclesię Caput, ac tam vehementi Catholicæ Fidei Zelo inardescens Christianæ Religionis obsevantiam, observantię Iudaicę Legis eratantelaturus: pręcipuè cum Gentes legalium observationis exẽplo, ipsis à Divo Petro exhibito, forsan scandalum paterentur: At exempli defectus in Principibus eius est naturæ, vt si subditi ipsorummet flagitiorum vestigijs imprimantur, haud facile sit eos à peccato, & gravi quidem, liberare: igitur & Petrum in exempli defectu culpæ insontem tueri.

115 Non, inquam, id dicere valet; tunc etenim temporis, quo aliquorum legalium observantia Divo opponitur Petro, nulla Divina Lege interdicebatur, immò omnibus licebat Mosaicos vsurpare Ritus, prout supra Divi Augustini, Divique Thomæ testimonijs, suffragijsque probavimus: Vnde perperam Divo Petro exempli defectus obijcitur, immò potiùs laudatu redditur dignus, quod emulatus fuerit Christum, qui estò è Patris æterni sinu, æthereisque Orbibus, tamquã Supremus Iudex, primumque Christianæ Religionis Caput, ad nos descenderit, primusque nobis Legem novam indixerit, minimè tamen confestim veteris legis Cęremonias aspernatus est, immò diligenti exemplo illam est exequutus, iuxta illud: *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Et: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia quæcumque dixerint vobis servate, & facite.* His tribus locis, pluribusq; alijs idẽ approbantibus omissis, Christus non modo Mosaicam observavit Legem, sed Scribas, & Pharisæos, vt illam adimplerent, tùm verbis, tùm factis adortatus est.

116 Sacratissima Virgo adeò antiquæ Legis observantissima extitit, vt ab illa ne transversum quidẽ vnguẽ discesserit. Immò & CARDINALIS LAVRÆA *de Fide disp.* 8. *art.* 5. existimat post Evangelicæ

licæ legis promulgationem, *act.* 15. legem ab Apostolis sine peccati gravis fœditate aliquando fuisse servatam: *Adde (inquit) quod etiam post tale Decretum, absque peccato mortali, in aliquibus casibus Apostoli aliqua legalia dispensativè observarunt, & maximè Paulus, qui circumcidit Timotheum *Act.* 16. qui erat filius patris Gentilis. Ratio ibi asignata est propter Iudæos, qui erant in illis locis, sciebant enim omnes, quod pater eius erat Gentilis; neque aliquis dicit eum peccasse mortaliter: & *Act.* 18. Paulus ipse, more Nazaræorum, capillos nutrierat ad tempus, & totondit sibi in Cenchris caput; habebat enim votum; nec vllus dicit, eum mortaliter peccasse. Fortius, *Act.* 21. & 26. hæc fecisse legitur: *Tunc Paulus assumptis viris, postera die purificatus cũ illis intravit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio, &c.* Immò *in cap.* 24. hoc in sua causa pro sui defensione adducit: *Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota in quibus invenerunt me purificatum in Templo.* Ioannes ipse, ex Polycarpij testimonio, Pascha more Iudaico vsque ad finem vitæ quotanis celebravit. Et sic de alijs.*

117 Vnde si nemo hucvsque ausus est summam Christi Innocentiam arguere, illibatum Virgineę puritatis candorem fœdare, admirabilem Pauli Sanctitatem deprimere, ac venerandam Ioannis virtutem incusare, quod in aliquo speciali evẽtu nondum antiquatæ Legis custodierint Ritus; quanam innixus ratione, quis in hoc, Petrum poterit obiurgare? & si Christi, cæterorumque Apostolorum exemplum nullam scandali occasionem præbuit, cur in hoc criminis reus iudicandus est Petrus? & si Sanctus Ioannes, post prolatam Evangelij Legem, iusta fuit ratione commotus, vt Pascha Iudaico more celebraret, nec ob hoc increpatus censetur, nullius certè ponderis erit argumentum, quo adeò graviter Divi Petri factum reprehendatur; maximè cum non post Evangelicę Legis promulgationem evenerit; efficax sanè ratio, vt Divi Petri Innocentia defendatur, & ab omnis culpæ gravitate indemnis proclametur; quamquam enim aliquam agnoverit Paulus, quæ ipsum, vt Petrum publicè argueret, impulit; hæc non nisi levissima fuit, vti Angelicus Doctor, Divus Augustinus, Sanctusque Hieronymus, quorum speciosa verba, sensusque disertos iam suprà retulimus, arbitrantur.

CAP. II.

SANCTI LINI IN FIDE *Constantia vindicatur.*

118 IN Pontificem Linum insurgunt Centuriatores, *Centur.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *col.* 672. *num.* 4. vbi Linũ violati Evangelij reum faciunt, eo quod iusserit fœminas, non nisi velato capite, lineisque operto, Ecclesiam ingredi. Sed & Iunius Calbinista in Lini derisum addit: Lino fuit nomen, itaque sui nominis monumentum, in capitibus fœminarum (Linum) esse voluit; indèque deducit eum errasse.

119 Ijs autem facile fit obviam Pontificem Linum in errorem incidisse nullum, immò regiam peragrasse viam, dum id, quod Sacra commendatum est Scriptura, ad maius Ecclesiarum decus, Dei Cultum, animarumque in primis salutem æquissime iniunxit. Quod magnam mihi ingenerat admirationem, est, Hæreticos tam assiduos, etsi importunè, Scripturę Sacræ helluones in illud Divi Pauli 1. *ad Corinth.* 11. non incidisse: vbi Sãctus præcipit Apostolus, fœminas velato capite esse in Ecclesia: *Omnis autem mulier orans* (inquit) *aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* In cuius expositionem D. THOMAS ait: **Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite*, quod repugnat propter conditionem eius, *deturpat caput sum*, id est, rem inconvenientem facit, circa sui capitis detectionem.*

120 Notandum tamen est, quod hic mulierẽ quãlibet intelligit Apostolus, scilicet, tàm virginem, & innuptam, quàm nuptam, & corruptam, omnes enim omninò velari iubet, vt docet Tertullianus, *lib. de velandis virginibus*, *cap.* 4. Additque ita Paulum intellexisse Corinthios, qui vsque hodie (inquit) ex Pauli præcepto velant, non tantum coniuges, sed & virgines suas, qui vertunt ex Gręco, id est, dedecorat, probro afficit caput suum, quasi dicat; si non velet se mulier in Templo, faict

Mm

eit contra naturalem honestatem, & verecundiam illi inditam à Deo. Vnde idem Tertullianus ibidem *cap.2.* culpat eas, quæ tenui velo vtebantur, quòd illud irritamentum magis sit libidinis, quam tegumentum pudoris, Gentilium potiùs fœminarum vsu, quam Christo credentium comparatum.

121 Nec obest, quod Daneus Hæresiarcha, discrimen Paulum inter, & Linum asignans, ait: * Paulum id non, vt necessarium, sed vt decorum instituisse, & liberum reliquisse, hunc; vt necessarium præcipisse, ideò errasse.* Verum non attigit reprehensor iniustus mentem vtriusque, nihil enim addidit supra verba Pauli Linus, sed ipsum quod Paulus præscripsit hoc ad memoriam revocavit. Sed vbi Linus præceptum necessarium imposuit? Et si posuisset, in quo errasset? Estnè alicui vetitum Principi, vel etiam Sæculari, præcepta Regni proventibus consulentia, damnisque prorsus obviantia, instituere? Centuriatores, Imperatores, Regesque consulant suos, dicantque eis errorem esse infestissimum, imperare iustum, Reique publicæ noxium inhibere; tumque callebunt, quam inopina, immò, & adversa hæc illis sua fuerit sententia, quamque citius audaciæ suæ rependerint pœnas. Insuper contra commune gentium, immò & naturæ Ius, id manifestè reor, quandoquidem, nec frequentiùs quidquam aliud, vel inter Gentiles reperiet quisquam, innumeras quam leges æquum iniungentes, quodque iniurium est interdicentes; nec quispiam vmquam deturpat caput, estò barbarus sit, qui Principibus, Magistratibusque eo erroris notam inusserit. Cum igitur Divus iusserit Linus, fœminas non nisi velato capite ingredi Ecclesiam, tùm quod ita expedire à primordijs iam iudicaverat Paulus, tùm quod fœminarum comptum, crinitumque, immò & circinatum caput, faciemque molliter illinitam, & Divino Cultui, Templis debito gravissimam calamitatem afferre, fœminarum decori officere, immò in animarum ruinam semper, Deique offensas in Sacratioribus etiam Templis vergere, ipse cognoverit Linus. Cum id, inquam, ijs, alijsque quas prætereo rationibus commotus iusserit; quisnam hebetis, vel ingenij, iustissimum, rationique consonum, Lini non ducet præceptum? Et si apud inhumaniores etiam Nationes æquum, iustumque est Reipublicæ infestum inhibere; cur itidem in Summis increpandum Pontificibus, quibus Dominus Christus Supremam Reipublicæ Christianæ nomenclaturam commisit? Etsi Sanctum notant errore Linum Magdeburgenses, quod interdixerit animarum tam nocumentum infame, cur eadem ducti sententia, eumdem non obijciunt errorem Paulo, idem quod Linus vetanti? Cùr non errori obnoxium clamitant Christum, quod leges æqui iniunctivas, pernicieique Ecclesię prohibitivas, sæpe sæpiùs Ecclesiæ reliquerit vniversæ? hæc aliaque tam propatula absurda, Authores ijdem, vel Hæresiarchæ pervicasissimi horrebunt.

122 Ad maiorem huius illustrationem egregiè facit causalis illa, quam tradit Apostolus, propter quam mulier debet incedere operto capite, dicens: *Ideó debet mulier velamen habere super caput suum, & propter Angelos.*

123 In cuius expositionem ait D. THOMAS ad illud: *Ideó debet, &c.* * Infert Apostolus conclusionem intentam dicens: *Ideó*, scilicet, *quia est imago, & gloria Dei, mulier autem est gloria viri, mulier debet habere velamen super caput suum*, quando scilicet Deo assistit orando, vel prophetando.

124 Deindè (prosequitur) cum dicit: *Et propter Angelos*: asignat tertiã rationem, quæ sumitur ex parte Angelorum, dicens: Etiam mulier debet habere velamen super caput suum propter Angelos. Quod quidem dupliciter intelligi potest: vno modo de ipsis Angelis Cęlestibus, qui Conventus Fidelium visitare creduntur, pręcipuè quando Sacra Mysteria celebrantur. Et ideò tunc tàm mulieres, quàm viri ad reverentiam eorum honestè, & ordinatè se debent habere, secundum illud *Psalmi*: *In conspectu Angelorum psallam tibi.**

125 In huius rei comprobationem subticere non possumus, quod Divo Chrysostomo non semel, sed sępiùs S. NILVS, eius discipulus, contigisse narrat *Epistola ad Anastasium*: *Ioannes (inquit) Sacerdos admirandus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & totius Orbis splendor, vir animi perspicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc in primis, cum Divinum & incruentũ Sacrificium offerebatur, quoquidẽ tẽpore stupore, at lętitia plenus rem præci-

præcipuis amicis enarravit: Cum cœpisset (inquit) Sacerdos Sanctissimum Sacrificium, plurimæ statim ex illis virtutibus descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronę, altare, magno cum silentio, & reverentia, quoad reverendum illud Mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deindè huc illuc singulæ diffusę per totam domum Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus distributionem corporis, & prętiosi sanguinis ministrantibus adhęserunt, & satagentes, & sedulò adiuvantes.*

126 Eamdem sententiam tenet D. CHRYSOSTOMVS *Homilia de Sacra Mensa* vbi admirabundus ait: * Ad quam assistunt Cherubini, descendunt Seraphini, qui senis alis præditi, vultus demittunt: vbi omnes Angeli cum Sacerdote, pro te legationem obeunt.*

127 S. AMBROSIVS *in cap.* 1. *Lucæ* in huius confirmationem de Angelo, qui apparuit Zachariæ, loquens: * Vtinam (inquit) nobis quoque adolentibus Altaria, Sacrificium deferentibus assistat Angelus, immò præbeat se videndum. Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur.*

128 S. GREGORIVS *lib.* 4. *Dialogorum* non absimilia tradidit *cap.* 58. dicens: *Quis Fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri, in illo IESV CHRISTI Mysterio Angelorum Choros adesse, summis ima sociari, terrena Cęlestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus, atque invisibilibus fieri?*

129 S. etiam DIONYSIVS AREOPAGITA *lib. de Cœlesti Hierarchia cap.* 5. *&* 9. ait: *Angelos extremi ordinis præesse Ecclesiasticæ Hierarchię, & comministrationi Sacrorum.*

130 TERTVLLIANVS *lib. de Oratione cap.* 31. reprehendens abusum sedendi in Missa, hæc ait: * Siquidem irreverens est assidere sub conspectu, contraq; conspectum eius, quem maximè reverearis, ac venereris: quantò magis sub cōspectu Dei vivi, Angelo adhuc Orationis adstante factum illud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quod nos Oratio fatigaverit?*

131 Secunda expositio, quam adducit D. THOMAS ad probandum mulieres debere velare caput suum in Ecclesia, est, non propter Angelos tantum cœlestes, sed propter Angelos terrestres. Vnde expendens hunc textum ad illa verba: *propter Angelos*; ait: * Alio modo potest intelligi, secundùm quod Angeli dicuntur Sacerdotes, in quantum Divina populo annunciant secundùm illud *Malachiæ* 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Debet ergo mulier velamen habere semper in Ecclesia propter Angelos, id est propter Sacerdotes, duplici ratione. Primò quidem, propter eorum reverentiam, ad quam pertinet quòd mulieres coram eis honeste se habeant. Vnde dicitur *Ecclesiast.* 7. *Honora Deum ex tota anima tua, & Sacerdotes illius.*

132 Secundo (prosequitur) propter eorum cautelam, ne scilicet ex conspectu mulierum non velatarum, ad concupiscentiam provocentur. Vnde dicitur *Ecclesiast.* 9. *Virginem ne aspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* Hæc D. Thomas.

133 In huius confirmationem pręclarè facit expositio Eminentissimi Cardinalis HVGO, qui in hunc locum expendens eadem verba Pauli: *Propter Angelos*; ait: *Id est, Sacerdotes, ne in eius faciem inspicientes mutentur ad libidinem: *Malachiæ* 2. *Verba Sacerdotis custodiunt scientiam, &c.* Ideò aliqui aptant ad Sacerdotes lectionem illam: *Benedicite Angeli Domini Domino, Daniel.* 3.* Quare autem dicit: *Propter Angelos*, id est Sacerdotes, & Clericos? Respondet ibi idem Cardinalis.* Quia magis prompti sunt ad libidinem propter otium cum bona vita, & quia non habent suas, & preter hęc, colloquutiones in Cōfessionib⁹. Ideò eis precipuè dicitur *Eccles.* 9. *Ne respicias mulierem multivolam, ne fortè incidas in laqueos illius.* Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Exemplum huius *Genes.* 34. de Sichem, qui statim vt vidit Dinam, *conglutinata est anima illius. Et* 2. *Reg.* 11. de Davide, & Bethsabee. *Genes.* 6. *Videntes Filij Dei Filias hominum, &c. Acceperant vxores ex omnibus.* Ideò datur sententia de peccato eorum: *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine, & erunt dies eius centum viginti anni.* Amplius non fuit

vsque ad diluvium.* Hactenus Cardinalis Hugo.

134 Quamvis ex dictis affatim colligatur, quantam calamitatem, perniciem, & damnum Sacerdotibus afferat, mulieres in Ecclesia velato capite non incedere, vt hinc apertè dignoscatur, quàm æquo iure à Sancto Pontifice Lino præceptum illud iniunctum sit; nihilominus tamen pro maiori prædicti textus intelligentia alias expositiones his apponendas censuimus. Litteralis namque illius textus sensus est: Mulieres debere habere velamen super caput ob reverentiam Angelorum, vt diximus cum D. Thoma; non quòd illi corpus habeant, & ad libidinem incitentur, vti censuerunt olim IVSTINVS, CLEMENS, & TERTVLLIANVS: hic enim est error, vt dicitur communiter *Genes. 6.* sed quia mulieres Angelos habent testes honesti pudoris, aut impudentiæ, item obedientiæ, & inobedientiæ suæ. Ita CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, THEODORETVS, & ANSELMVS.

135 Clemens *lib. 2. Hypotyposf.* per Angelos, viros bonos, & Sanctos intelligit. AMBROSIVS, ANSELMVS, & S. THOMAS, pro Angelis, Sacerdotes, & Episcopos accipiunt, quia *Apocalyp. 2.* vocantur Angeli: ne scilicet eos mulieres non velatæ, forma sua ad libidinem provocent. Vnde CLEMENS *lib. 2. Pedagogij cap.* 10 hic præcipi putat, non tantum, vt caput tegant, sed & frontem, vultumque velamine obumbrent, quod honestiores in Templis facere videmus. Verùm primus sensus maximè litteralis est, & genuinus.

136 Ex quibus rectè deducitur, quàm æquum, ac rationi consonum fuit præceptum, quo Sanctus Pontifex LINVS prohibuit, ne mulieres in Ecclesia aperto capite incederent, sed potiùs illud, cum Ecclesiam ingrederentur, velarent, lineisque operirent. Cuius quidem Præcepti æquitatem, triplici ratione ostendo.

137 Primò, quia nulla maior potest esse alicuius præcepti prohibitivi iustificatio, quàm ex eius inobservantia gravissima damna in animarum perniciem, & Dei offensam vergentia suboriri; quòd adeò certum, & manifestum est, vt nullius probationis sit opus: atqui ex Præcepti à Santissimo Pontifice Lino lati inobservantia, ex eo nempè, quod mulieres aperto, & non velato capite incedant, fucato nitore pulcritudinem, & decorem ementientes, ac muliebrem mundum ostendentes, præcipuè in Ecclesijs, gravissima damna in magnam animarum tàm sęcularium, quàm Ecclesiasticorum perniciem vergentia suboriuntur: ergo æquissimè fuit huiusmodi Præceptum à Sancto Lino impositum. Minor constat ex communi Sanctorum Patrum Doctrina, qui mulieres fucata facie ornatas sine volucro, ac velamine tàm in Ecclesia, quàm extra illam incedere, semper aliquid honestati valde nocivum, & ardentissimas dæmonis ad libidinem faces iudicarunt, ac tamquàm efficacissima ad luxuriam irritamenta detestati sunt. Ne autem aliquis id à nobis sine Authore, & sine capite dici existimet, audiat, quid viri in Ecclesia Dei Sanctitate, & litteris præstantissimi hac de re scriptis tradiderint.

138 S. CYPRIANVS *lib. de Disciplina, & Habitu Virginum*, adducto Isaię Oraculo desumpto *ex cap. 3. vers.* 17. & sequentibus, hæc habet: *Virgines comptæ turpitudinem, fœditatemque meruerunt; sericum, & purpuram indutę, Christum induere non possunt, auro, margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis, & pectoris perdiderunt. (Ad quid ita? Causam illicò reddit Sanctus:) Quis (inquit) non id execretur, quod alijs fuerit exitio? Quis id appetat, & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Christum induere non possunt, & ornamenta corporis perdiderunt.* Hæc ille. Vnde liquet virgines castæ mentis, propterea læthalis culpæ illis verbis notari, quia in modico valde ornatu, alios ad lasciviam notabiliter incitant, facie non velata; quod Sanctus Doctor gladium, & telum exitio alterius paratum vocat.

139 Idipsum egregiè ipse Sanctus confirmat, dum *in eodem libro*, virginum ornatum, & si nullo pravo fine efficiatur, condemnans, illam virginem sic alloquitur: *Si tu te sumptuosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuventis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas, vt etsi ipse non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas; excusari non potes,

quasi

quasi casta sis, & pudica, redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus.* Quod non dixisset Sanctus, si velato capite, & incerta facie incessisset.

140 Hanc eamdem sententiam præclarè exornat HIERONYMUS expendens, quàm lubricum sit fœminas muliebri mundo ornatas à viris non velata facie videri; etenim *in Epistola ad Letam*, sic illam admonet: * Cave capillum irruses, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.* Sed clarius idem Sanctus *in Epistola ad Eustochium*. * Si vir, vel mulier (inquit) se ornaverit, & vultus hominum ad se provocaverit, & si nullum indè sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.*

141 Nec minorem sibi attentionem vendicat, quod in hanc rem docet S. CLEMENS, Romanus Pontifex Maximus, *lib. 1. Apostolic. Constit. cap.* 8. vbi integro ferè *Proverbiorum 31. capite in medium* producto, atque explanato, de muliere ornata, non velata facie incedente, & sine mala intentione ornatu ipso alliciente, sic scribit: * Intellexistis quas laudes mulier pudica, & mariti sui amans à Domino deferat. Quare si vis Fidelis esse Domino, eidemque placere, ne comas te vt alienis viris placeas, neque meretriculæ capillum calamistratum, aut vestitum, aut calceos ad gestandum imiteris, vt eos, qui istis irretiuntur, ad te pelliceas: hæc enim tametsi non facias ad peccandum, sed tantummodo ad cultum, tamen ne hac quidem ratione, & via futuras pœnas effugies, quæ alium coëgisti, vt ad te appetendum alliceretur: neque cavisti (quod vtique facere posset, si velata facie incederet, vt præceperunt Paulus, & Linus Pontifex) vt neque ipsa peccato succumberes, neque alij scandalo esses: Quod si etiam pecces te ipsam dedendo, ipsa deliqueris, & animæ alterius rea fueris.* Hactenùs S.Clemens.

142 Eidem sententiæ subscribit S. CHRYSOSTOMVS *de Coniunctione* vt refert HOSTIENSIS *cap. Nè Clerici, vel Monachi*: ibi enim damnat ornatum mulieris non velata facie incedentis, sic scribens: * Mulier si se decoraverit, & vocaverit ad se oculos hominum, etiam si plagam non intulerit, vindictam tamen dabit extremam. Venenum enim obtulit, & si nullus qui biberit inventus sit.*

143 At de hac re expressiùs, & specialiùs egit ipse Sanctus, *tom. 5. Parisijs edito, anno* 1588. *Sermone*: *Quod regulares fœminæ viris cohabitent*: in isto enim Sermone, qui in alijs editionibus deest, & in ista lucem aspexit, Sanctus Doctor virgines, quę ornatę, & non velata facie incedunt, ita graviter reprehendit, vt eas à scortis, & meretricibus ægrè discerni posse, affirmet: * Nulla (inquit) ab his ratio habetur vestium, quæ virginitatem decent, vel sermonis, vel silentij, vel compunctionis, vel alicuius id genus. Quin temerè nugantur omnia, & rident intempestivè, & deridentur. Vnde enim, dic mihi, poterimus postea talem virginem ordine illarum, & societate eximere, quando & ipsa idem facit quod illæ? (scilicet meretrices.) Quando scilicet, vt adolescentum corda advolent, superba incedit & intemperans eadem pharmaca terit? Quando eosdem læthales succos miscent, eumdemque parant pulverem? Sed non dicit: Heus adesto, amore implicemur: nec dicit: Asperii accubitum meum myrrha, aloë, & cinnamomo. Vtinam accubitum, & lectum, vestes, & corpus!

144 Ille enim (prosequitur) domi est quem occultant, tu vbique laqueum circumfers, & expandis voluptatis alas obambulans in foro. Sed non dixisti, neque contulisti verba illa meretricia: Heus amore involvamur. Non loquuta es lingua, sed loquuta es gressu: non loquuta es voce, sed loquuta es oculis clariùs, quàm voce. An ideò excusatam te putas, quòd non vocaveris, non obtuleris te ipsam? Neque sic à peccato liberaris. Est enim & hęc quędam fornicationis species. Pura mansisti ab iniuria corporis quidem, sed non animę, & completum à te peccatum, etiamsi non per coitum, sed per aspectum. Cuius enim gratia vocas prętereuntes? Cùr accendis ignem? Quomodo putas te puram à peccato, cum totum ipsum opus operata sis? Etenim cum adulterum feceris perfectum eum, quem tuo isto habitu cœpisti, quomodo non potes esse adultera, cum opere tuo adulterium committitur? Illius insania, tuum opus est. Profectò te, quę adulteros præparasti, adulterij supplicium minimè posse effugere, nulli non manifestum.

145 Tu gladium (ait ipse) acuisti, tu dexteram armasti, tu armatam dexteram in miseram animam impulisti: Quomodo

do igitur poteris ab homicidij supplicio liberari? Dic enim, quos nos habemus odio, & aversamur? Quos autem puniunt Legislatores, & Iudices? Num eos, qui bibunt mortifera venena, an miscentes calicem, & præparantes ea, arteque sua perdentes alios? Non bibentes quidem, quorum vtpotè iniuria affectorum miseremur: veneficos autem omnibus calculis condemnamus: nec sufficit eis ad excusationem, quòd non seipsos offenderunt, sed alios perdiderunt: sed propter hoc tantò graviorem luent pœnam. Tu autem misera, & calamitosa miscuisti calicem hunc perniciosum, & præbuisti, & dedisti pharmacum, & postquam bibit, & perditus est, defensam te putas, quia non ipsa biberis, sed alteri præbueris venenosa? quamvis & vos tantò graviorem luetis pœnam, quàm pharmacopolæ illi, quantò & mors gravior. Non enim corpus solum, sed & animam interimitis. Et illi quidem sæpè vel furore, vel Ira hoc faciunt, vel inopia; vos autem ad nullum tale confugere potestis prætextum. Neque hoc facitis inimicis, vel eis qui nocuerunt, vel ob inopiam, sed ob solam vanam gloriam in alienis luditis animabus, & ex alienis animabus voluptatem propriam constituitis.*

146 Non absimilia docet TERTVLLIANVS *lib. de Cultu fœminarum, cap.* 2. vbi hæc scribit: * Perit ille simul in tua forma, si concupierit, & admisit iam in animo quod concupivit; & facta es tu gladius illi: vt à culpa vaces, ab invidia non liberaberis: vt cum in alicuius agro latrocinium gestum est, crimen quidem Dominum non constringit, dum tamen res eius infamia notatur, ipse quoque infamia aspergitur.*

147 Notatu dignissima est sententia, quam BEATISSIMA VIRGO MARIA in vanos, ac inhonestos mulierum ornatus tulit. Sanctissima namque Angelorum Regina condolens sibi de damnis, quę afferunt fœminæ, quæ aperta facie, nulloque velamine coöpertę ab hominibus conspici, & spectari desiderant, B. BIRGITTÆ, cui loquebatur, dolorem suum hisce verbis explicuit, vt refert ipsa *lib.* 8. *Revelation. cap.* 57. * Mulieres deponant vestes ostentationis, quas propter superbiam, & vanam gloriam assumpserunt, quia diabolus dictavit mulieribus contemnentibus mores patrię suæ antiquos, & laudabiles, quamdam novam abussionem, & ornamenta indecentia in capitibus, & pedibus, & reliquis membris ad provocandum luxuriam, & irritandum Deum.*

148 Præclarè S. CLEMENS, Romanus Pontifex mulieres admonet, vt si prædicta damna, in gravissimam animarum perniciem vergentia declinare, vt par est, desiderant, velata facie incedant; sic enim scribit *lib.* 1. *Constit. Apostolic. cap.* 8. * Ne pingas faciem tuam, quam tibi Deus finxit: nihil enim in te est, quod ornatu indigeat, quandoquidem vniversa, quæ Deus fabricatus est, pulchra nimis; impudicus verò ornatus pulchræ formæ additus, Artificis gratiam contumeliosè dedecorat. Incede ergo deiectis oculis deorsum, atque obtecta, vt mulieres decet.*

149 Dolebat etiam, ac vehementer angebatur S. BERNARDINVS SENENSIS, cum videbat aliquas mulieres, non velata facie incedere, quin ingentia, ac deflenda damna, quę inde suboriebantur, attenderent. Expendens igitur *Serm.* 47. *artic.* 3. *cap.* 2. *de Evangelio Dei*, gravem aliquarum matrum incuriam, quæ filias suas ad Templum, nitenti ornatu insignes, fuco illitas, auro onustas, gemmis circumdatas, atque nativum colorem ficta arte mutantes, adducunt, vt ab hominibus conspiciantur, hęc habet: * Si quando eas (nempè nubiles filias) ad Ecclesiam ducunt, veluti meretriculas illas ornantes, in Templi sedibus statuunt eas, quasi bestias in foro venales.*

150 Quàm verò noxius, & exitialis Reipublicę sit nimius ornatus mulierum, quæ sine vllo velamine, ac involucro facies suas dolosis illecebris amictas, extremoque nitore splendentes in vicis, & plateis, immò & in Templis omnium oculis objiciunt, rectè expendit IMPERATOR AVGVSTVS, dum vestitum insignem, ac mollem, vexillum esse superbiæ, nidumque luxuriæ asseruit, vt Suetonius *in eius vita, cap.* 3. commemorat.

151 Hinc TACITVS IMPERATOR numquam passus fuit vxorem suam muliebri mundo exornari, vt Vopiscus *in Politica, cap.* 5. testatur: * Vxorem (inquit) suam gemmis vti non est passus. Quamobrem? Nimirum damnavit in vxore hæc prodiga regnorum dispendia, libidinumque incitamenta, quæ de propinquo luxurię curant negotium, obstrepunt pudi-

pudicitię disciplinis, castimoniam prostituunt: nam dum teneracervix, frons, capilli, aures per gemmas, ignes iaculantur, incalescunt animi, mutuisque concidunt vulneribus; quæ non mulier mutuo hoc formæ, & genarum lenocinio periclitari doceat viros? Quæ verò non periclitetur, cum tot fulminibus, quot virorum percutitur oculis: sustulit pericula, & vxoria hæc naufragia Imperator, dum gemmarum omnem ornatum vetuit: sat ignium inornatam circumferre, stultum esse ab alijs novos mutuare, ni prostituere vltrò cum gemmis vxorem voles, aut tamquam suspensa hedera, venalitiam castimoniam prodere.*

152 Luculentissimum huius veritatis testimonium nobis suppeditat ille Veneri addictissimus in voluptatis colluvione versatus, & in libidinum cœno ingurgitatus OVIDIVS, qui quàm perniciosus sit muliebris mundi intuitus, inficiari non potuit; *lib.* enim 13. *Methamorphoseos* sic mirabundus exclamat:

——Proh! quanta potentia regni.
Est, Venus alma, tui!

Et rursus:

Perque oculos perit ipse suos.

153 At TERTVLLIANVS solita sua efficacia acriter invehitur in exitialem fœminarum abusum, quæ modestię velum rumpentes, faciem varijs pigmentis fucant, sese prophanis vestibus ornantes, suamque pulchritudinem publicè manifestant: *lib. enim de cultu fœminarum cap.* 2. hæc inter alia scribit: *Quid alteri periculo sumus? Quid alteri concupiscentiam importamus? Nescio, an impunè abeat, qui alicui fuerit causa perditionis; perit enim ille simul in tua forma, si concupierit; & admisit iam in animo, quod concupivit, & facta es tu gladius illi.* Et *eodem lib. & cap.* Fœminarum ornatum elaboratæ libidinis suggestum nuncupat; quippe apparatus libidinis (vt optimè notat BENEDICTVS FERNANDIVS *in Genes. cap.* 2. *sect.* 17. *num.* 4. *& sequent.*) quo se se mulier dat ostentandam ambitione, suggestum etiam est, ex quo spectantium oculis libido ipsa se se predicat, aut à Diabolo prædicatur.

154 Hinc S. PETRVS EREMITA, Matrem Theodoreti comptam ita affatur: *Nolite ergo Dei corrumpere imaginem, neque tenteris addere, quæ sapienter non dedit; neque hanc adulterinam excogitare pulchritudinem, quæ vel pudicis affert excidium, vel videntibus insidias.* Nec minori efficacia invehitur S. AMBROSIVS in vitiosum fœminarum ornatū hominibus valde nocivum. Etenim *lib.* 1. *de Virginibus*, hæc mulierum ornamenta *incentiva vitiorum* appellat; *& lib.* 3. affectati nugas decoris, *adulterini amoris illecebras* vocavit.

155 S. Ambrosij doctrinam sequutus HILDEBERTVS, Turonensis Antistes, hunc mulierum cultum *affectatum decorem* appellat, & quidquid aliud (exclamat *Epist.* 34.) quàm quod natum est fascinare oculos intuentium.

156 At S. HIERONYMVS, hanc fatalem animarum perniciem, non sine horrenda formidine, considerans, illam solito suo Zelo, rationisque efficacia, ac ingenij acrimonia, sic insectatur *in Epistola ad Furiam*. *Quid faciat in facie Christianę, purpurissus, & cerusa, & ignis iuvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia? Ornatus iste non Domini est: velamen istud Antichristi est.*

157 Eidem sententię suffragatur CHRYSOSTOMVS *in Dialogo ad Sanctum Basilium*, cuius verba refert DIONYSIVS CARTHVSIANVS *in Directorio vitæ Nobilium art.* 13. vbi, inter alia, hæc habet: *Ornatus superfluus consistit in exquisitione vestimentorum, in compositione capillorum, in depictione, colorationeque vultus, & colli; & in appositione gemmarum, vel aureorum, argenteorum, aut consimilium ornamentorum (de quibus idem S. Chrysostomus ita statuit, vt ibidem commemorat Carthusianus;) Pulchritudo faciei, oculique depicti, infectæ maxillæ, ornatus capitis, criniumque tinctura, vestis pretiosa, splendor gemmarum, odor pigmentorum, & alia, quæ ad mundum muliebrem pertinent, cor perturbant, animumque evertunt, & concupiscentię nutriunt flammam.*

158 Cui subscribit ANGELICVS DOCTOR 2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. vbi candidè fatetur, muliebrem cultum viros ad lasciviam provocare; cuius verba expēdens EMINENTISSIMVS CAIETANVS, hæc scribit: *Quoniam ars imitatur naturam, & mulier pulchra suaptè natura

est provocativa ad sui concupiscentiam; hinc fit, vt ornatus muliebris secundum se, sit provocativus ad concupiscentiam, siue lasciuiam.*

159 Nec minùs pro re nostra facit celebre illud TERTVLLIANI dictum, quo *lib. de Cultu Fœminarum*, huiusmodi mulieres, iam pridem sic sapienter præmonuit: * Non de integra conscientia ven t studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus.

160 Hanc Doctrinam solita eloquentia exornat SANCTVS IOANNES CHRISOSTOMVS, qui *Hom.* 8. *in* 1. *ad Timoth.* 2. hæc habet: * Per exteriorem cultum, & habitum plurimos post se trahunt amatorum greges: atque hinc plurimæ pessima sæpius suspicione non carent; nihilque prorsus huiusmodi lucrantur ornatu, immò & plurimis ex ea opinione nocuerunt. (Et paulò infra:) Ita ne pudica quidèm, si per habitum studeat adulterij opinione notari, quidquam ex pudicitię opinione lucrata est. Plurimos enim & ipsa ex hac opinione violavit.*

161 At luculentiùs rem istam prosequitur *Hom.* 37. *in Genesim*, vbi grauissima damna, quæ ex hac exitiali Reipublicę peste sul oriuntur, expendens, sic scribit: * At quot indè nascantur mala, non possum nunc sermone complecti; sed satis est, vt relinquam conscientiæ eorum, qui ijs occupati, quantas indè quotidianas molestias experiuntur! Etenim si quid deciderit ex aureo illo cultu, magna tempestas, magnusque tumultus oboritur, in tota domo: vel famulus subripuit, & omnes flagellantur, vel verberantur, & in carcerem conijciuntur: & invidi quidam insidiati sunt, & subitò spoliantur. Quantus tunc, & quàm intolerabilis mœror! Vel rerum difficultas ingruens, in extremam inopiam redegit, & graviorem morte vitam eis attulit: vel aliud quiddam incidens multam tristitiam peperit. Et in summa, numquam invenies animam huiusmodi occupatam, à turbationibus alienam.*

162 Lucupletiùs adhuc mala ex mulierum ornatu suborta expendit idem Sanctus *Hom.* 41. sic scribens: * A cultu autem externo innumera fiunt mala. Et nondum dico animæ nocumenta, arrogantiam, quæ intrinsecus nascitur, despectus proximi, fastum spiritus, animę corruptionem, voluptatum illicitarum fomitem. Quid quòd facilè diripitur ille cultus, & famulorum malignitate, & latronum insidijs, & sycophantarum insidijs?*

163 Chrysostomum imitatus S. ANTONINVS *part.* 2. *summæ*, *tit.* 7. *cap.* 4. §. 3. sic affatur: * Ornatus mulierum tam vanus, tripudiatus, & cantus, quid est, nisi magnum scandalum, & laqueus animarum?*

164 Huic tandem probationi coronidem imponat S. BERNARDINVS SENENSIS, qui *Serm.* 47. *artic.* 3. *part.* 1. de Evangelio Dei loquens, de mulieribus se se, adhuc sine prava intentione, ornantibus, sic scribit: * Quum tamen ex hoc multarum animarum perditio subsequatur, qui tantorum malorum præstat occasionem, æterna morte dignus meritò reputatur. (Et infra *cap.* 2.) Qua tamen via gratiam, & remissionem suorum peccaminum poterunt obtinere, quum in Ecclesia suis lasciuijs, & vanitatibus perimunt iuvenum animas, Christi Sanguine pretiosissimo redemptas?*

165 Et *tom.* 1. *de Christiana Religione*, *Serm.* 44. *artic.* 1. *cap.* 1. * Diabolus (inquit) per vnam (nempè fœminarum vanè ornatam) cum vanitatum reti quasi totam ad se Civitatem trahit, sicut de eo *Iob* 40. scriptum est: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur.** Hactenùs ille.

166 Vndè si ex eo, quod mulieres per vicos, & plateas comptæ, & ornatæ incedant, tot, tantaque damna in animarum perniciem manifestè vergentia, suboriuntur, vt Sancti Patres expendunt; multòque graviora, si aperta facie ingrediantur Ecclesiam, in qua Deo, illiusque Ministris maior debet reverentia exhiberi, & vbi ab omnibus Fidelibus curandum est, vt omnis absit occasio ad Dei offensam provocandi, quod fieri nequit, si mulieres non velata facie suam pulchritudinem ostendentes in Ecclesia incedant; cum hoc sit maius dæmonis incentivum ad animas in vitiorum barathrum pertrahendas, vt celebriorum Sanctorum, prçstantissimorumque Ecclesiæ Doctorum Authoritatibus latè suprà probavimus: hinc rectè infertur, Sanctum Linum Pontificem Divi Pauli Doctrinam sequutum, æquissimo iure prohibuisse, ne mulieres operta facie ingrederentur Ecclesiam; sanctissimumque istud, ac iustissimum Sancti Lini Præceptum, non nisi indignè, posse ab hære-

hæreticis reprobari.

167 Secundò, prædicti Præcepti iustificatio, hac secunda ratione, fulcitur. Quia nulli Superiori vitio verti debet, quod prohibeat, aut præcipiat ea, quæ pro suo munere præcipere, vel inhibere tenetur; atqui ad Pastoralem Sancti Lini curam, ac sollicitudinem spectabat, præcipere, vt mulieres Ecclesiam, non nisi velato capite, ingrederentur: ergo illi huiusmodi Præceptum vitio verti non debet. Minor probatur: quia estò iuxta communem tàm Theologorum, quàm Canonistarum consensum, Romani Pontifices communibus iuris positivi Legibus vi tantùmmodo directiva, non verò coactiva, adstringantur; eo quod nullum in Ecclesia Superiorem Legislatorem agnoscant, sed tantùm æqualem, & par in parem Imperium non habeat; attamen omnes tenentur ad ea, quę ad ipsos iure Divino spectant: sed scandala publica vitare, vnum est ex ijs, quę iure Divino ad Pastoralem Romani Pontificis curam pertinent: ergo Pontifices iure Divino hęc vitare tenentur; atqui mulieres Ecclesiam non velato capite ingredi, mundum muliebrem, & prophanum ornatum publicè ostendentes, res quidem gravissima, ac scandalo plena omnibus sęculis iudicata est: ergo ad Pastoralem Sancti Lini, sicut & cuiuslibet alterius Pontificis curam iure Divino spectabat, prohibere, ne mulieres operta facie ingrederentur Ecclesiam.

168 Quod Romani Pontifices iure Divino teneantur publica scandala vitare, constat ex illo *Matthæi* 18. *Qui scandalizaverit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et ex illo: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Præceptum enim de vitando scandalo proximi, esse de iure Divino in Evangelio à Christo Domino promulgatum adnotant communiter Doctores, & præcipuè DIONYSIVS CARTHVSIANVS suprà laudatus, *num.* 129. *in Directorio vitæ nobilium, art.* 12. immò vitandi scandali præceptum, non solumesse iuris Divini, sed Naturalis etiã, vnicuique ab ipsa natura inditum, docet idem Dionysius ibidem: cùm enim teneamur proximos sicut nosmetipsos diligere, præcipiente Domino *Matth.* 22. & natura etiam monente (nihil enim naturę tam consentaneum est, quàm naturæ consortem amare, vt aiebat Ambrosius ab eodem Dionysio laudatus: vndè & ab Ecclesiastico *cap.* 13. iure scriptum est: *Omne animal diligit sibi simile*) profectò præbere occasionem ruinæ proximo, seu illum scandalizare, non solùm iuri Divino, sed etiam Naturali repugnat.

169 Iure ergo Divino, & Naturali Summus Pontifex tenetur, publica Christianæ Reipublicæ scandala vitare. Immò ita ad id adstringitur, vt nulla consuetudo, aut præscriptio possit in contrarium adduci, vt docent communiter Doctores, & rectè adnotavit laudatus Dionysius loco suprà citato, sic scribens: *Quo circa super pręfata Christi Pręcepta, ac Iura Divina de scandalis pusillorum (id est hominum imperfectorum ad peccata proclivium) evitandis, non cadit dispensatio, nec eis præiudicare potest aliqua consuetudo; sed omnis consuetudo eis contraria est vitiosa, & magis dicẽda est corruptela, quàm consuetudo. Quidquid enim contrariatur bonis moribus, aut Scripturis seu Iuri Divino, est corruptela, non consuetudo bona; immò tantò est vitiosius, quantò consuetius, vt Sancti Doctores, ac Pręsules Cyprianus Martyr, & Augustinus Confessor testantur, quorum verba super hoc *in* 1. *part. Decreti* copiosè sunt scripta.* Ex quibus apertè colligitur, iure Divino, & Naturali teneri omnes, ad quos spectat publica scandala vitare; pręcipuè verò omnes Superiores, tàm Ecclesiasticos, quàm Sæculares, ac tandem præ maxi nè Suprema Ecclesiæ Capita, Romanos nempè Pontifices, quando agnoscunt peccatum aliquod ad scandalum, publicamque Christianæ Reipublicæ ruinam devenire.

170 Quod autem fœminas non velato capite incedere, mundum muliebrem, & prophana ornamenta palàm ostendentes, præcipuè in Ecclesia, res sit gravissima, & scandalo plena, haud difficile innotescet, si bonam Theologiam consulamus; hæc enim docet, tunc dari scandalum propriè dictum, cum alicuius factum, aut dictum præbet proximis occasionem Spiritualis ruinæ. Ita docet S. HIERONYMVS *in cap.* 15. *Matthæi* ad illa Christi verba: *Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat. Tunc accedentes Discipuli eius dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?* In

Nn quo-

quorum expositione hæc scribit: *Quando legimus: *quicumque scandalizaverit*; hoc intelligimus, quod dicto, vel facto occasionem ruinę dederit.*

171 At ANGELICVS PRÆCEPTOR, Divum Hieronymum sequutus, idipsum solita sua eruditione fusiùs, & ad rem nostram aptissimè, explicat 2.2. *quæst.* 43. *artic.* 1. sic scribens: *Respondeo dicendum, quod sicut Hieronymus ibidem dicit, quod Græcè *scandalum* dicitur, nos *offensionem*, vel *ruinam*, & *impactionem pedis* possumus dicere. Contingit enim quod quandocumque aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinam, & talis obex dicitur *scandalum*: & similiter in processu viæ spiritualis contingit, aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum, vel factum alterius, in quantum scilicet aliquis sua admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum, & hoc propriè dicitur *scandalum.* Nihil autem secundùm propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundùm quod habet aliquem defectum rectitudinis; quia hoc quod est perfectè rectum, magis munit hominem contra casum, quam ad ruinam inducat; & ideò convenienter dicitur, quod dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ, sit scandalum.* Hæc ille.

172 Vt autem huic secundæ rationi terminum ponamus, adsit Doctrina celebris D. VINCENTII FERRARII, Evangelicæ Doctrinæ Prædicatoris eximij, qui *Tomo de Sanctis, Serm. de Superbia*, *in Tract. de Oratione Dominica*, expendens circunstantias octo superbię, *cum de sexta circunstantia agat*, de vano mulierum ornatu dolens, inquit: *Heu, si essent ita diligentes in servitio Dei, & in Oratione. (Deindè post pauca:) Dic de alijs ornamentis, & vanitatibus, tàm mulierum, quàm virorum; quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Eccles.* 1. *Vidi cuncta, quæ sub Sole fiunt, & ecce universa vanitas*: Vndè mulieres, quę non possunt capere homines per verba, capiunt eos per vestimenta; & capto corpore, capitur verissimè anima: vnde ornatus corporis, animas capit: mulier enim est rete diaboli ad capiendas animas. *Eccles.* 7. *Inveni amariorem morte, mulierem, quæ laqueus venatorum est.* Non sustinerent Iudices mundani insidiantes in via, quæ Romam ducit, & sustinent in via Paradisi. *Proverb.* 23. *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.**

173 Et infra adducit illud, *Eccl.* 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt*; & illud *Proverb.* 7. *Et fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Et adducens exempla Davidis, Samsonis, & Salomonis, cum Hieronymo concludit, dicens: *Mulierem, quam videris benè conversantem mente dilige, non corporali frequentia; quia nec Davide sanctior, nec Salomone sapientior, nec Samsone fortior esse potes.*

174 Cùm ergo ex S. Hieronimi, Angelicique Præceptoris Doctrina, quam communiter amplectuntur Theologi, apertissimè probaverimus, tunc propriè dari scandalum, cum proximis præbetur spiritualis ruinæ occasio; probandum nobis tantummodò remanet, fœminas capite non velato in Ecclesiam incedentes, comptos capillos, fucatam faciem, aures candentibus baccis oneratas, totumque corpus dolosis illecebris amictum publicè ostendentes, occasionem ruinæ, & peccati proximis præbere.

175 At hęc propositio adeò certa est, vt absque vlla hæsitatione statuere possimus, eam ab omnibus Sanctis, quos pro hac re adduximus, apertissimè confirmati, vt ex illorum verbis, quę supra retulimus, apertissimè innotescit; pręcipuè ex illis S. CYPRIANI, qui ex eo fœminæ ornatum, non velata facie incedentis, condemnat, quòd *alijs sit exitio, & pro gladio ad necem alterius, & concupiscendi libidinem nutriat, & peccandi fomenta succendat, & velut gladium, & venenum videntibus se præbeat.*

176 S. HIERONYMI, qui hunc muliebrem cultum execratur, quod venenum afferat alijs, si adsit qui bibat: *Et venenum (inquit) afferat, & si nullus qui biberit inventus sit;* S. CHRYSOSTOMI, qui hanc vestium, & ornamentorum vanitatem luget, quòd *gladium acuat, & accendat ignem, & dexteram armet, adulteros pręparet, & calicem perniciosum misceat;* S. CLEMENTIS ALEXANDRINI, qui in hunc muliebrem mundum invehitur, quòd *aucupium hominum sit, & immanes voluptates procreet;* S. PETRI EREMITÆ, qui id graviter reprehendit, quod pu-

pudicis efferat excidium. S. AMBROSII, qui hanc nocivam fœminarum sollicitudinem increpat, quòd *incentivum vitiorum sit;* HILDEBERTI, qui hunc mulierum cultum criminatur, quòd *oculos intuentium fascinet;* S. HIERONYMI, qui hunc ornatum à Catholicis fœminis prorsus eliminare conatur, quòd *ignem iuvenum, & fomenta libidinum suppeditet;* Ac tandem S. VINCENTII FERRARII, qui mulieres ornatas apellat, *rete diaboli ad capiendas animas.*

177 Ex his Sanctorum Patrum Virtute, ac Doctrina præstantium Authoritatibus, alijsque, quas suprà in hunc eumdem scopum collimantes adduximus, apertè innotescit, fucum, & ornatum mulierum, quæ, execranda sanè prophanitate, Ecclesias non velata facie ingrediuntur, maximam præbere animabus Spiritualis ruinę occasionem; sicque iuxta Divi Hieronymi, & Angelici Preceptoris Doctrinam apertissimum esse scandalum, dignissimum sanè quod à Christiano orbe penitùs relegetur: cumque vnica cautio, & medicina, quæ huic perniciosissimo morbo adhiberi potest, sit præcipere, vt mulieres Ecclesiam non nisi velata facie, & tecto capite ingrediantur: hinc rectè deducitur, Præceptum, quo Sanctus Pontifex Linus, prohibuit, ne mulieres aperta facie in Ecclesiam incederent, iustissimum fuisse, ac æquissimum; imo hinc apertè colligitur, Sanctum Linum, vt tam evidens, ac imminens periculum declinaret, Divino, ac naturali iure adstrictum fuisse, tam lęthifero, ac exitiali veneno, tam salutiferam, ac validam antidotum suo Apostolico Zelo adhibere. Æquissimo ergo iure præcepit, fœminas non nisi velato capite, lineisque operto Ecclesiam ingredi.

178 Tertiò, huius præcepti æquitas hac alia ratione aperitur; quia quantu æquitati consonum D. Lini præceptum sit, ipsæ ostendunt *Historiæ*, quæ fœminarum honestati congruere, ipsas domo prodeuntes, & in virorum oculos offendentes, non nisi velato capite, obductaque facie incedere, semper consueunt. De Hebręorum fœminis hæc scripsit TERTVLLIANVS, *lib. de Corona Militis cap.* 4. *Iudæis fœminis tam solemne est velamen capitis, vt indè cognoscantur.* Et *lib. de Virginibus, cap.* 17. de Arabum fœminis loquens, inquit: *Iudicabunt nos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non tantùm caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint dimidia frui luce, potiùs quam totam faciem prostituere.*

179 Huius autem, vel consuetudinis, vel legis rationem hisce tradit verbis ipse Tertullianus *cap.* 15. *Pura enim virginitas, semper timida oculos fugit: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam contra ictus tentationum, contra iacula scandalorum, contra suspiciones, & susurros.*

180 Appositè ad hanc rem CLEMENS ALEXANDRINVS *lib.* 2. *Pedagogi, cap.* 10. salutari eruditione pleno ad pudicitiam servandam, circa finem, inquit: *Neq; enim sicut Lacęnas virgines, suprà genu vestiri est honestum: nullam enim fœminę partem nudari est decorum. (Et infrà:) Nec solùm calcaneum nudare est prohibitum, sed etiam caput tegere, & vultum adumbrare iussum est: neque enim honestum est corporis pulchritudinem esse hominum aucupium; neque par est, vt purpureo vtens velo fœmina, velit aspici.*

181 Verùm non modò de Hebræis, Ethnicisque fœminis memorant historiæ, ipsas, vt suæ aptiùs consulerent honestati velo caput, vultumque in virorum oculis obnubere solitas, sed honestum hunc se morem apud Romanas etiam increbuisse Matronas, monumentis proditur, & scriptis, vt videre est apud VALERIVM MAXIMVM *lib.* 6. *cap.* 3. vbi narrat: *Caium Sulpicium vxorem dimisisse, quod nosset illam capite aperto foris versatam; quòd certè non fecisset, nisi in eo illa exorbitasset ab vsu Matronarum Romanarum.*

182 Et licet solitum esset apud Romanos, sicut & fuerat apud Græcos, fœminas non nisi obvelata facie palàm prodire, istum tamen morem in Templis præcipuè retinebant, illinc enim honestatis, hic verò observantiæ, honorisque specimen præseferebāt. Istud denotat PLAVTVS *Amphi. Act.* 5. *Scn.* 1. dum asserit: *Invocat Deos immortales, vt sibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto.* Et *Curcul.* *Quis hic est (inquit) qui operto capite Æsculapium salutat?* CVRTIVS quoque *lib.* 4. *Histor. Alex.* ait: *In cādida manu pręferēs verbenas, capite velato, præibat preces Regi.*

183 Romani tribus tan tùmmodo Nu-

minibus cultum detecto capite deferebant, Saturno nempè, Honori, & Herculi: de Saturno, & Honore, testatur PLVTARCHVS; de Hercule verò HALICARNASSVS *lib.* 1. & MACROBIVS *lib.* 3. *Saturnalium, cap.* 6. ex Cornelio Balbo; cæteros verò Deos, non nisi velato capite, Divinis honoribus, summaque Religione prosequebantur, vt testatur ARNOBIVS *lib.* 3. vbi loquens de diverso Ritu apud Gentiles, asserit: *Si hìc atram, ille albam desiderat pellem: huic capite velato, illi sacrificandum est nudo, &c.*

184 Si ergo Nationes lingua, moribus, & immanitate barbaræ, immò & incultæ, ac penè agrestes; si Reipublicæ veri Numinis, & luminis ignaræ, solo naturali lumine præeunte, agnoverunt: si Græci, & Hebræi, dum adhuc in cęcis Gentilitatis erroribus volutabantur, mente, animoque comprehenderunt, maiorem fœminarum honestatem, decere, Sacratiorique Deorum observantiæ, cultui, ac honori congruere, fœminas non modò in politicis, ac prophanis, sed & in Sacratioribus Templorum locis, suam præseferre honestatem, qua, non nisi capite, facieque velatis, ab hominibus conspici renuebant; quid mirum Paulum, illo Fidei lumine illustratum, Divinoque illuminatum Spiritu, idipsum iussisse, Sanctumque Linum illius vestigia sequentem itidem præcipisse? Quòd me admirationis percutit ictu, est, Hæreticos adeò malevolo, perversoque animo esse, vt pertinaci fraude, obfirmataque calliditate Summis in Pontificibus vitio vertant, quod summa debuerant veneratione laudare.

CAP. III.

SANCTI ANACLETI IN FIDE Constantia propugnatur.

185 ANACLETVM PONTIFICEM incusant Magdeburgenses *Centur.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *colum.* 628. quòd in Sancti Petri memoriam, sepulchrum construxerit, atque ornaverit. Dignum certè admiratione est capitale odium, quo Heterodoxi in Divum invehuntur Petrum, illiusque insectantur Successores, quasi ille à Christo primus totius Ecclesiæ Princeps, Fideliumque Antesignanus constitutus non fuerit, ipsique Cœlorum Claves non tradiderit Christus, illis verbis: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis.* Sed quęrere certè vellem ab Hęreticis ijs, qui ob hoc, Sãctum calumniantur Pontificem; Si Beatus Anacletus reprehendendus est, quod qualecumque monumentum Sancti Petri ossibus construxerit; nonnè tota antiquitas arguenda esset, quę per tot retrò sæcula, Sanctorum corporibus, atque eorum Sacris Reliquijs sumptuosa monumenta construxit?

186 Ne autem gravissimo fundamẽto destituti esse videamur, pro cõclusione certissima statuimus, in Ecclesia Dei antiquissimũ esse, ac celeberrimum, Sacris Sãctorum Cineribus, venerandisque ipsorum ossibus non modò magnifica sepulchra erigere, sed etiam sumptuosa Templa construere. Hoc autem adeò certum est, vt quisquis id miretur, Divoque Anacleto id vitio vertat, illitteratus, ac Doctrinæ omninò expers videatur; id enim vnanimi, miroque consensu testantur, ac probant celebriores Antiquitatis Historiæ, illustrioresque, ac melioris notę, Fidei, ac nominis Authores, tàm Græci, quàm Latini, qui Sanctitate, & Doctrina in Ecclesia Dei, priscis sæculis floruerunt.

§. I.

IAM A PRISCIS TEMPORIbus celeberrimam fuisse in Ecclesia, venerandis Sanctorum Reliquijs preciosa monumenta, inclyta, pulcrimisque laquearibus ornata Templa construere, ex Græcis Patribus ostenditur.

187 ADsit omnium antesignanus S. GREGORIVS NAZIANZENVS, qui *anno* 380. floruit; hic enim *in Oratione* 3. quæ est invectiva prior in Iulianum, nostram Conclusionem hisce mirificis verbis confirmat: *Iam sumptuosissimis quoque Martyrum monumentis, & votivorum donorum munificentijs, omnibusque alijs rebus, quibus Divinus timor insignitur, sapientiæ studium, Christique amorem declarabant, &c. Iulianus, vt alia, ita eum quoque, quo Martyres affici solent honorem, Athletis invidebat.*

SAN-

188 SANCTVS CYRILLVS ALEXANDRINVS, qui Ecclesiam Dei *anno* 430. sua eruditione ornavit, hanc eamdem Conclusionem egregiè probat *apud Damascenum, lib. 2. Parallelorum, cap.* 7. sic scribens: * Sanctorum Vrnas honoramus, ac velut in praeclarissimum ipsorum Virtutis, magnitudinisque animi praemium, & mercedem numquam intermorientem, ipsis memoriam rependimus. Viros Sanctos Fidem servantes honore afficimus, & eos qui Fortitudinis dotibus, tamquam coronis quibusdam, praeclarè redimiti sunt, quique ad extremum vsque dimicaverunt, & pro Christi Religione Martyrium obierunt, & per praeclara facinora, pietatis causa edita, nomen suum illustrarunt.*

189 S. CYRILLVS IEROSOLYMITANVS, qui *anno* 370. viguit, cuiusdam Templi Sanctis Apostolis, in memoriam Adventus Spiritus Sancti super illos, Ierosolymis sacrati meminit, *Cathechesi* 16. sic enim scribit: * Scimus Spiritum Sanctum, qui loquutus est per Prophetas, & in die Pentecostes descendit super Apostolos, in specie ignearum linguarum, hic Ierosolymis in Superiori Apostolorum Ecclesia.*

190 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, qui *anno* 400. communi luce, & spiritu fruebatur, nobis suffragatur, dum *Hom.* 28. *ad Populum Antiochenum*, haec habet: * Non parvam vigilans habet disciplinam, & advertere volens ex Oratorijs edibus. Propterea enim, & ante Ecclesias, & Martyrum monumenta, praeforibus pauperes sedent, vt nos ex huiusmodi spectaculo multum capiamus vtilitatis. Considera namque, quòd nobis terrenas ingredientibus Regias, nihil huiusmodi cernere licet: ad veras autem Regias, Ecclesiam dico, & Oratorias Ædes, & Martyrum Templa, daemonibus pręssi, truncati, pauperes, senes, cęci, membra pręferentes obtorta. Quid hoc tandem? vt tu docearis ex eorum spectaculo.*

191 ISIDORVS PELVSIOTA, qui *anno* 440. litteris, & Virtutibus emicuit, idipsum docet *lib.* 1. *Epist.* 85. vbi sic loquitur: * Quin in Martyrum quoque Templis gratia ea, quae Sanctorum quoque corporibus insidet, daemones cruciat.*

192 Eidem subscribit sententiae THEODORETVS, qui vixit *anno* 450. *lib.* 8. *Graecarum affectionum*, dicens: * Martyrum Templa conspicua cernuntur, magnitudineque praestantia, omni praeterea ornatus genere variata, splendoremque quodamodo pulchritudinis suę latè fundentia. Neque verò haec per annum semel, aut bis, aut quinquies adventamus; sed in ijs saepenumerò Dies Festos peragimus, saepè diebus singulis eorum Martyrum, Domino laudes, Hymnosque cantamus.*

193 CYRILLVS HEREMITA, qui *anno* 540. vitales auras trahebat, plurima Templa à B. Euxodia constructa testatur *in vita Sancti Euthimij*, sic scribens: * Beata Euxodia cum quamplurima Templa Deo ędificasset, iussit in quodam ex ijs Templis, quae erant ab ea aedificata, quod est Sacrum Petro Principi Apostolorum, gratia alicuius vsus cisternam fodere, &c. Primum quidem Stephani Prothomartyris Christi Templum, quod nondùm erat plenè constructum, dedicavit 15. Mensis Ianuarij.*

194 EVAGRIVS, qui *anno* 600. vixit, refert *lib.* 2. *cap.* 3. Concilium ab Orientalibus Episcopis in Templo Sanctę Euphemiae Martyris celebratum: * Itaque congregantur (inquit) Episcopi in Sacrae Euphemiae Martyris Templo, quod Chalcedonij Vrbi Bithyniae locatum est. Abest autem hoc Templum à Bosphoro, amplius duobus stadijs, situm in loco quodam amoeno.*

195 Hanc eamdem Assertionem nostram praeclarè confirmat S. IOANNES DAMASCENVS, qui *anno* 730. floruit, dum *lib.* 4. *Orthodoxae Fidei*, *cap.* 16. * Honorandi (inquit) certè sunt Sancti; & quidem ita, vt in eorum nomine Templa Deo extruamus, dona offeramus, eorumque memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur.*

196 Idipsum eleganter ornat THEOPHANES PRESBYTER, qui *anno* 830. aetherea vescebatur aura: *Oratione enim de Sancto Nicephoro Patriarcha*, haec scribit: * Tunc Sacer Civitatis Antistes, cum Sacerdotibus, & Monachis, vniversoque Populo, Sancti Theodori Templum accedit, in quo gratia plenae Reliquiae iacebant.*

197 Tandem eamdem veritatem nobis testatam reliquit IEREMIAS CONSTANTINOPOLITANVS, qui *anno* 580. vixit; siquidem *in Respons.* 2. *cap. de* *Invo-*

Invocatione Sanctorum, sic loquitur: * Honorandi sunt Sancti Templis, Deo, de nomine ipsorum, ędificandis, ad honorem Dei.* Hæc Græci Patres.

§. II.

IDEM ASSVMPTVM LATINI Patres confirmant.

198 NON desunt Latini Patres, quorum testimonijs nostra stabilitur Assertio. Facem præferat S. AMBROSIVS, qui *anno* 370. floruit, *lib. enim* 1. *Epist.* 5. Templi Sanctis Apostolis sacri meminit, dicens: * Ortus est sermo de Basilica, quam condidit Dacianus Apostolorum nomine, dedicatione dedit huic sermoni viam: siquidem significabat quòd sedulò quæreret tuæ Sanctitatis pręsentiam.*

199 Et *lib.* 3. *cap.* 85. * Quia nihil (inquit) soleo Sanctitatem tuam eorum præterire, quæ hic te absente gerantur, si scias etiam Sanctos Martyres à nobis repertos. Nam cum Basilicam dedicassem, multi tamquam vno ore interpellare cœperant, dicentes: Sic in Romana Basilica dedices. Respondi: Faciam, si Martyres invenero.*

200 Præclarus ille vir, Natione Hispanus, qui hanc Aragonum Coronam singulari sua Pietate, & eruditione, & antiquitate mirificè illustravit, *anno* siquidem 380. eximia eloquentia, & virtute floruit, PRVDENTIVS, inquam, cuius eruditio, notitia, ac scripta adeò commendantur, vt ab Ecclesia approbari meruerint, quippè illis, in suis sępè vtitur Hymnis, cuiusdam Templi Sancto Hyppolito Martyri sacrati meminit in Hymno, in quo prædicti Sancti laudes concelebrans, sic cecinit:

Ipsa illas animæ exuvias, quæ continet intus
  Ædicula, argento fulgurat ex solido.
Præfixit tabulas dives manus, æquore levi
  Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Parijs contenta aditus obducere saxis,
  Addidit ornando clara talenta operi.*

201 S. HIERONYMVS, qui *anno* 390. in exponendis Sacris Scripturis enituit, de Templis, quę Sanctis Martyribus suo tempore sacrata erant, apertè loquitur, dum ad *cap. Isaiæ* 65. hęc scribit: * Samaritani, Iudęi, & Hæretici, quales nuper sub Magistro cerebroso in Gallia pullularunt, Basilicas Martyrum declinantes, nos, qui ibi Orationes ex more celebramus, quasi immundos fugiunt.*

202 Et *Epist.* 16. *ad Principiam, cap.* 6. de Templo, Divo Apostolo Paulo sacrato, hæc habet: * Cum & illam, & te ad Beati Apostoli Pauli Basilicam Barbari deduxissent, vt vel salutem vobis ostenderent, vel sepulchrum, &c.*

203 Ingeniorum Sol, Orbis Christiani clarissimum lumen, & decus, ac splendore virtutum, ac scientiarum Ecclesię maximum Sydus AVGVSTINVS, qui *anno* 400. suæ eloquentiæ radijs errorum caliginem discussit, vitiorum tenebras expulit, hæresumque dissipavit nubes, & Mundum erudita luce collustravit, *lib.* 1. *de Civitate Dei, cap.* 1. apertè commemorat, aliqua fuisse Templa Apostolis, Martyribusque dicata; sic enim scribit: * An non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum Barbari pepercerunt? Testantur hoc Martyrum loca, & Basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione Vrbis, ad se confugientes suos, alienosque receperunt.*

204 Quod præclarè confirmat S. PAVLINVS, Nolanus Antistes, qui *anno* 410. vixit, dum *ad Alithium Epistola* 31. hæc habet: * Quanto ipsum Apostolum attollebas gaudio, cum totam eius Basilicam densis inopum cœtibus stipavisses! &c.*

205 Memorabile certè est, quod *lib.* 7. *cap.* 39. refert PAVLVS OROSIVS *ad annum* 420. de singulari illa veneratione, qua Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Templum prosequutus est Alaricus Rex, in immani, ac hostili illa irruptione, qua Romam obsedit, vicit, ac superbum de illa triumphum egit. * Adest (inquit) Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit: dato tamen pręcepto priùs, vt si qui in Sancta loca, & præcipuè in Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas confugissent, hos in primis inviolatos, securosque esse sinerent.*

206 Nobis etiam egregiè patrocinatur S. LEO MAGNVS, qui *anno* 450. floruit, dum *Serm.* 7. *de Christi Nativitate*, hæc habet: * Beati Petri Apostoli Basilica vni Deo vivo, & vero est dedicata.*

207 S. SIDONIVS APOLLINARIS sub *anno* 470. refert *lib.* 1. *Epist.* 5. singulares, mirósque effectus, quos veneratio erga Sanctorum Apostolorum sepulchra

in

in se ipso operata est, sic scribens: *Vbi priusquam vel pomeria contingerem triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinùs sensi membris malè fortibus explosum esse languorem.*

208 Et *lib.* 4. *Epist.* 18. *ad Lucentium* attentione dignum est, quam magnificis laudibus, tùm carmine, tùm Oratione soluta efferat Templum in memoriam, & honorem Sancti Martini Confessoris extructum. *Basilicam (inquit) Sancti Pontificis, Confessorisque Martini, Perpetuus, Episcopus dignissimus tantò Prædecessore Successor, multum priori, quę fuit hactenùs, capaciorem novavit. Magnū est (vt ferunt) opus, non mirandumq; quod in honorem talis viri factū, talis vir facere debuerit. Huius me parietibus inscribere supràdictus Sacerdos hoc Epigramma compellit:

Martini Corpus, totis venerabile terris,
In quo post vitæ tempora vivit Honor,
Texerat hic primum plebeio machina cultu;
Quæ Confessori non erat æqua suo:
Nec desistebat Cives ornare pudore,
Gloria magna viri, gratia parva loci:
Antistes sed qui numeratus sextus ab illo
Longam Perpetuus sustulit invidiam:
Internum removens modici penetrale sacelli;
Amplaque tecta levans exteriore domo.
Creveruntque simúl, valido tribuente Patrono,
In spatijs ædes, conditor in meritis:
Quæ Salomoniaco potis est configere Templo;
Septimaque Mundo fabrica mira fuit:
Nam gemmis, auro, argento si splenduit illud;
Istud transgreditur cuncta metalla Fide.*

209 VICTOR VTICENSIS, qui *anno* 480. scripsit, *lib.* 1. *de Persecutione Vandalica*, de duabus egregijs, amplisque Ecclesijs mentionem facit, quarum altera martyrio Sancti Cypriani, altera verò Sacratissimo illius Corpori sacrata erat; sic enim loquitur: *Ariani pulso Episcopo Ecclesiam nomine Restitutam, in qua semper Episcopi commanebant, suæ Religioni manciparunt: & præcipuè duas egregias, & amplas, Sancti Cypriani vnam, vbi sanguinem fudit: aliam vbi eius Corpus sepultum est, qui locus *Mappalia* vocitatur.*

210 De veneratione debita Templis, quæ Sanctis Martyribus voventur, singulari eruditione, & admiratione loquitur GENNADIVS MASSILIENSIS, qui *anno* 490. mira Doctrina effulsit; etenim de Ecclesiasticis Dogmatibus sermonem instituens *cap.* 37. hæc habet: *Basilicas Martyrum nominibus appellatas, velut loca Sancta, Divino cultui mancipata, affectu pijssimo, & devotione fidelissima adeundas credimus; si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus est.*

211 Pro eadem sententia apertissimè stat GILDAS BADONICVS sub *anno* 550. loquens enim de Britanico excidio: *Renovant (inquit) Ecclesias, ad solum vsque destructas, Basilicas Sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac velut victricia signa passim propalant, Dies Festos celebrant, Sacra mundo corde, oreque conficiunt, omnes exultant filij gremio, ac si Matris Ecclesiæ consorti.*

212 FORTVNATVS, qui *anno* 570. vitalem halitum hauriebat, *lib.* 10. *Carminum*, in Sancti Laurentij laudem, & Basilicæ restaurationem, hæc cecinit:

Addite, nunc etiam Populis miracula præstas,
Vt Fidei tribuas indubitanter opem:
Dum tua Templa novant breviori robore plebes,
Creverunque trabes, crevit & alma Fides.*

213 DINAMIVS PATRICIVS, qui *anno* 580. vigebat, *in Vita Sancti Maximi Reghiensis*, hæc ad rem nostram scribit: *Templum in Rheginsi Castello in Beati Albani honorem quanta potuit animi devotione condidit, cuius columnas, quas hodieque illic cernere licet, iuga boum co pertraxerunt, sed ita tamen, vt nullam sentirent tanti ponderis molestiam: eius Sanctitate id efficiente, quamdiù ille ad Templi structuram operarius indefessus aderat.*

214 GORDIANVS, qui eodem tempore inter vivos numerabatur, *in Vita Sancti Placidi cap.* 51. id ipsum his verbis confirmat: *Metellus ad B. Placidum veniens, pecuniam infinitam secum deferens, illi obtulit; quam ille accipiens ad vrbem Romanam direxit, ex qua columnas, & epistylia emit, quę cum in Siciliam delata essent, locari iussit in Ecclesia, quam tunc construebat, in honorem Sancti Ioannis Baptistæ.*

215 FAVSTVS BENEDICTVS sub *anno* 600. *in Vita Divi Mauri*, quatuor fuisse in illo Monasterio Ecclesias diversis Sanctis, Petro nempè, Martino, Severo, & Archangelo Michaëli dicatas, commemorat; sic enim scribit: *In Monasterio quatuor Ecclesiæ sunt ædificatæ, quarum maior, in qua fratres tam ad diurnum, quàm ad nocturnum conveniebant Officium, consecrata est, in honorem B. Petri Apostolorum Principis: secun-

cunda, in honore B. Martini: tertia, quæ & minor erat cæteris, in veneratione Sancti Severini: quarta autem, quæ in modum turris quadrifidę, in ingressu Monasterij altissimè ędificata est, benedicta fuit in honore Sancti Archangeli Michaëlis.*

216 V. ISIDORVS, Hispalensis Episcopus, qui *anno* 600. mira scientiarum notitia enituit, huic veritati maximum Authoritatis pondus adiecit; *lib. enim* 15. *Originum*, *cap.* 4. hæc habet: * Martyrium, locus Martyrum, Græca derivatione, eo quod in memoriam Martyris sit constructum, vel quod sepulchra Sanctorum ibi sint Martyrum.*

217 B. BEDA *in Historia Anglicana*, *lib.* 3. *cap.* 25. meminit cuiusdam Templi, in Divi Petri Apostolorum Principis memoriam, ac honorem sacrati: * Episcopus (inquiens) in Insula Lindisfarnensi fecit Ecclesiam Episcopali Sedi congruam: quam tamen, more Scotorum, non de lapide, sed de robore secto totam composuit, atque arundine texit: quam tempore sequente Reverendissimus Archiepiscopus Theodorus in honorem Beati Petri Apostoli dedicavit.*

218 ALCVINVS, qui *anno* 750. superstes erat, alterius Templi meminit, omnium Sanctorum cultui, ac venerationi dicati; *Lib.* siquidem *de Divinis Officijs cap.* 31. * Scriptum est (inquit) in Gestis Pontificalibus, quod Sanctus Bonifacius Papa quandam Domum, Pantheo nomine, quæ erat consecrata in honore omnium dęmoniorum, eliminatis omnibus spurcitijs, sacraverit Ecclesiam in honore Dei Genitricis, omniumque Sanctorum. Vndè constitutum est, vt Plebs vniversa per totum Orbem in Kalendis Novembribus, sicut in die Natalis Domini, ad Ecclesiam, in honore omnium Sanctorum, ad Missarum solemnia convenire studeat.*

219 PAVLVS DIACONVS sub *anno* 480. *lib.* 4. *de Gestis Longobardorum*, *cap.* 5. *aliàs* 17. de alia Ecclesia in honore Beati Sabini Martyris dedicata, apertam mentionem fecit, dicens: *Cum Dux ipse, prope Spoletum, vbi Basilica Beati Martyris Sabini sita est, in qua eiusdem Venerabile Corpus quiescit, advenisset, interrogavit, cuius hæc tam ampla Domus esset? Responsum est ei à viris Fidelibus, Sabinum ibi Martyrem requiescere.*

220 VVALAFRIDVS STRABO, qui *anno* 830. floruit *lib. de rebus Ecclesiasticis*, *cap.* 6. * Martyria (inquit) vocabantur Ecclesię, quæ in honore aliquorum Martyrum fiebant: quorum sepulchris, & Ecclesijs, honor congruus exhibendus, in Canonibus decernitur.*

221 Hanc eamdem sententiam præclarè confirmat RABANVS MAVRVS sub *anno* 850. dum *lib.* 4. *de Vniverso*, *cap.* 10. * Basilicæ (inquit) Sanctorum Martyrum nominibus appellatæ, velut loca Divino cultui mancipata, affectu pijssimo, & devotione fidelissima adeundę.*

222 IOANNES DIACONVS, qui *anno* 870. vitales auras trahebat, *lib.* 1. *cap.* 6. *vitæ Sancti Gregorij*: * Septimum (inquit) Monasterium sub honore Sancti Andreæ Apostoli, iuxta Basilicam Sanctorum Ioannis, & Pauli, ad Clivum Scauri, fabricavit.*

223 LVITPRANDVS TICINENSIS sub *anno* 950. *lib.* 2. *cap.* 11. *de Ecclesia, Sancto Petro Apostolo dicata*, hæc, inter alia, scribit: * In huius collis summitate, pretiosi operis Ecclesia est fabricata, & honori Beatissimi Petri Apostolorum Principis consecrata, vbi, & propter amœnitatem Ecclesiæ, locique munitionem, Ludoicus manebat.*

224 Et *lib.* 3. *cap.* 12. * Munitio (inquit) ipsa tantę altitudinis est, vt Ecclesia, quæ in eius vertice videtur, in honore Summi, & Cœlestis Militiæ Principis Archangeli Michaëlis fabricata, dicatur Ecclesia Sancti Angeli vsque ad Cœlos.*

225 ROGERIVS BENEDICTINVS sub *anno* 1040. *in vita Sancti Brunonis, Coloniæ Antistitis*, *cap.* 32. de Ecclesijs, in Sanctorum honorem ab ipso Sancto Brunone ædificatis, hęc scripsit: * Interea certatim multis in locis, per Parochias Episcopij sui, Fidelis hic Domini servus, & prudens, Ecclesias, Monasteria, & cętera Ædifitia, servitio Domini Dei sui, & honori Sanctorum eius apta, quædam à fundamentis erexit, quędam priùs fundata nobiliter auxit, alia olim diruta, reparavit.*

226 LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS, qui *anno* 1090. scripsit, loquens *de anno* 940. hęc habet: * Eodem anno dedicata est Ecclesia Sancti Maximini Treveris.*

227 Pro eadem re præclarè facit prodigium illud stupendum à SIGEBERTO GEM-

GEMBLACENSI, qui *anno* 1100. vixit, relatum in Chronicis *ad annum* 871. vbi hęc leguntur: * Colonię, celebrata Synodo ad Dedicationem Ecclesiæ, à tribus Lotharingiæ Metropolitis, Luitperto, Moguntino; Vertulpho, Trevirensi; Villeberto, Coloniensi, cum ab ijs maior Ecclesia, quæ est Sancti Petri, deberet dedicari, præcedente nocte auditæ sunt voces malignorum spirituum, inter se dolentium & conquerentium, se à possessis diù Sedibus debere expelli.*

228 GALFRIDVS ARTVRVS sub *anno* 1152. *Rerum Britanicarum*: * Britones (inquit) Ecclesiam in honorem Sancti Martini ædificaverunt, in qua, pro Fidelibus Defunctis, Divina celebrantur obsequia.*

229 Tandèm MARCVS ANTONIVS SABELLICVS sub *anno* 1490. *lib.* 10. *Exemplorum*, *cap.* 14. De varijs sumptuosissimis Templis hęc habet: * Sacravit pia posteritas Pantheōn Deiparæ Virgini in Vrbe Roma, opus cùm sua mole, tùm quod sit vna testudine complexum, inter pauca memorabile: Statuerunt & Francisco Assisiati municipes sui Templum augustissimum, pulchrum, & venerabile: Mediolanenses; Divo Ambrosio: sed omnium opulentissimum Veneti Divo Marco, qui Vrbi pręsidet, quo nullum est hodie in terris opulentius, magisque visendo apparatu. * Quod certissimum reputo, si Author iste de terris Venetorum dition subiectis loquatur; at si generaliter de Vniverso Orbe id asserat, manifestè decipitur: in toto enim Christiano Orbe nullum est Templum, quod magnitudine, pompa, magnificentia, ac opibus contendere posit cum illo, quod Romæ, Divo Petro sacrum, tota veneratur Ecclesia.

§. III.

EADEM ASSERTIO IMPERAtorum, Regumque Authoritate fulcitur.

230 ADeò insita est Fidelium cordibus insignis erga Sanctorum Reliquias Devotio, ac Pietas, vt non modò illorum corpora magnificis Templis extructis omni semper tempore Fideles omnes venerati sint, sed maiores etiam Orbis Principes, Supremique Ecclesiæ Monarchę Catholicum suum Zelum, innatamque erga Divos, illorumque Reliquias Pietatem pręcipuè ostenderint maiori Sanctorum cultui, ac venerationi inclyta, augustaque Tēpla prætiosis locupletata divitijs, singulari decorata cultu, miroque artificio decora, Regia liberalitate extruentes, ac nobiliori honore sacrantes, vt Catholicam suam Fidem, Christianam Pietatem, ac Religiosum Cultum, quem Ecclesia Sanctorum Reliquijs semper exhibuit, testatum posteris relinquerent. Huius autem Pietatis exempla in omnibus sæculis occurrent.

231 Chorum ducat CONSTANTINVS IMPERATOR, qui miro, ac singulari Christianæ Fidei, Catholicæque Religionis propagandæ Zelo exarsit, vt toti Orbi innotescit; de isto enim EVSEBIVS CÆSARIENSIS, qui *anno* 320. effloruit, hæc scribit *in eius Vita cap.* 58. * Vbi hæc peracta fuerunt omnia, Apostolorum Templum, in Vrbe sui cognomine, ad perpetuam illorum memoriam conservandam, ædificare cœpit.*

232 Et *cap.* 59. * Illud verò (inquit) cum in infinitam extruxisset altitudinem, lapidumque omnis generis, ac crustrarum varietate ab ipso solo ad superiorem contignationem collustrasset, summo artificio factis laquearibus tectum intus complexus est, auroque vniversum contexit. Suprà verò pro tegula inductum æs à toto opere imbrium iniurias arcebat. Quod ipsum etiam multo auro fulgebat, ita vt longè contemplantibus, per reciprocatos Solis radios, incredibilis splendor offundi videretur. Interiorem Ædis partem vndique in ambitu circumductam reticulari opere ex ęre, & auro affabrè facto convestivit. Ac Templum quidem in hunc modum per magna Imperatoris, & cura, & studio exornatum est. Hæc omnia dedicavit Imperator, vt Servatoris nostri Apostolorum memorię, apud omnes gentes æternitatem computaret.*

233 SOZOMENVS, qui 440. *anno* vixit, *lib.* 7. *cap.* 24. meminit Templi ab Imperatore Theodosio constructi, & Divo Ioanni Baptistę dicati, dicens: * Theodosius egressus Constantinopoli, cum ad septimum milliare pervenisset, Deo preces nuncupavit in Ecclesia illa, quam in honorem Sancti Ioannis Baptistę construxerat.*

234 Idem Author alias Ecclesias in Sanctorum memoriam, ac venerationem

structas fuisse manifestè innuit, dum de Devotione, ac Pietate, qua prædictus Imperator Sanctos in Ecclesijs eorum Cultui dicatis venerabatur, hæc scribit *lib.* 8. *cap.* 18. *Imperator, cum esset certior factus, illustrem esse Edessę Ecclesiam Divi Thomæ nomine nuncupatam, ad eam visendam se contulit.* Et *lib.* 7. *cap.* 5. *Divina (inquit) vis manifestè hic apparens, tùm per se, tùm per somnium sępè multis, qui & morbis, & varijs rerum casibus affligebātur, opem tulit. Creditum autem est, hanc esse MARIAM; in huius enim honorem, Templum extructum conspicitur.*

235 THEODORVS LECTOR, qui *anno* 520. scripsit, refert singularem venerationem, qua Fidelium pietas sub IMPERATORE CONSTANTIO istius Authoritate, & approbatione disposuit, vt S. Andreæ Apostoli, Divique Lucæ Reliquiæ in Templo Sanctis Apostolis sacro, singulari Cultu, ac merito honore collocarentur; *lib.* enim 2. hæc scribit: * Sub Constantio, Reliquiæ Andreæ, & Lucę, Constantinopolim venerunt, collocatæ sunt in consecrato magno Sanctorum Apostolorum Templo.*

236 TIMOTHEVS ALEXANDRINVS, qui *anno* 540. floruit, *in Narratione de Martyre Mena* refert, Imperatorem Constantium iussisse Ecclesias in omnium Sanctorum, & præcipuè Martyrum honorem, & gloriam ædificari: * Constantius Imperator (ait) iussit quoque Ecclesias ædificari in nomine omnium Sanctorum, & gloriosorum Martyrum, qui propter Deum verum nostrum, fuere Martyres, & confessi sunt pulchram Confessionem.*

237 PROCOPIVS CÆSARIENSIS, qui vixit *anno* 550. multa refert Templa, quæ IVSTINIANVS IMPERATOR, in Sāctissimę MARIÆ Virginis, aliorumque Sanctorum, Petri maximè, & Pauli nomine condidit; *Oratione* enim *de Ædificijs Iustiniani*, hæc scribit: *Dei Genitrici passim per Romanum Imperium, multas ædes Iustinianus consecravit, adeò planè magnificas, & præstantes, tàmque ingenti pecuniarum acerbo constructas, vt si quis vnam dumtaxat Ædem conspexerit, hoc solùm opus ab ipso elaboratum existimaverit, & in eo perficiendo omne Regni sui tempus consecisse. Vnam profectò Ædem Dei Genitrici extruxit ante Vrbis mœnia, sacratissimam planè, & admodum augustam, &c.

238 In eo vrbis loco, qui Secundus cognominatur, decoram planè, & augustam Ædem construxit Divæ Annæ, quam fuisse quidam opinantur matrem Dei Genitricis. Non multò suprà, in extremo Civitatis itinere Zoæ Martyri venerandam admodum Ædem extruxit. Michaëlis Archangeli Templum, quod id Byzantio reperit breve admodum, & tenebricosum, minimèque dignum Archangelo, à Patritio viro olim erectum, in eam formam, qua nunc apparet, transtulit.

239 Divis Petro, & Paulo Templum iuxta regiam Aulam extruxit. Inter hæc duo Templa neutrum altero est, neque excellentius, neque inferius, sive elegantiam, sive magnitudinem, sive aliud quidpiam existimabis: vtrumque fulgore lapillorum Solem vincit, auri copia vndique faciat, & exornat simulachris. Tanta est horum Templorum magnificentia, vt non solum totius Vrbis, sed ipsarum etiam Regiarum precipuum ornamentum esse videantur.*

240 Idem Author *Oratione* 5. *de eodem Imperatore*, sic loquitur: *Ante Ephesum olim indigenę Ioanni Apostolo Templum erexerunt. Hoc Templum exile planè, & angustum, & diuturnitate temporis collapsum, ad solum vsque Iustinianus Rex diruit, & in tantam amplitudinem, atque eligantiam instauravit, vt iam prorsus æmulum sit, ac simillimum illi Templo, quod in regia vrbe omnibus Apostolis dedicavit.*

241 De commendabili Zelo, quo Iustinianus Imperator Divis Templa sacravit, hæc habet idem Procopius Cæsariensis, qui *anno.* 540. scripsit, *Oratione* 1. *de Ædificijs Iustiniani*: * Iustinianus D. Prisco, & Nicolao novum Temlum extruxit, vbi iam Byzantini (vt plurimum) demorantur, diversanturque, publicos illos Divos, & opitulatores venerantes, & obstupescentes.*

242 Et *Oratione* 2. * Iustinianus Rex (inquit) providentiam Reipublicę administrādæ perscrutās, & in primis Divos colens Cosmam, & Damianum, quorum corpora propè vsque ad mea tempora requiescunt.*

243 Nec silentio prætereundum est inclytum illud templum S. Cypriano *hoc eodem anno* 550. Carthagine dicatum, de

quo

quo meminit EVAGRIVS *lib.* 4. *cap.* 16. sic scribens: *Cyprianum, virum Sanctissimum, Carthaginenses ad vnum omnes in primis colunt; cui Templum planè memorabile extra vrbem ad littus maris extruxerunt, eumque cum alijs Pietatis officijs venerantur, tum Festum diem, quem *Cypriana* vocant, quotannis celebrant, atque nautæ tempestatem, quæ solet incidere, quo tempore Lybies hoc Festum celebrandum statuebant, huius nomine nuncupare solent.*

244 Idem Evagrius, qui *anno* 600. vixit, aliud magnificum Tēplum Ignatio Victori, & Martyri à THEODOSIO IMPERATORE sacratum commemorat *lib.* 1. *cap.* 16. vbi hæc habet: *Deus Optimus Maximus animum Theodosij impulit, vt divinum Martyrem Ignatium maioribus afficeret honoribus. & Templum iam olim Dęmonibus dedicatum, Ignatio Victori, & Martyri consecraret. Itaque quod olim Fortunę dicatum fuit, iam sacrum Sanctuarium, & Templum augustum ad Ignatij memoriam celebrandam, factum est.*

245 Religiosissimus iste Princeps aliam etiam augustam, venerabilemque Ecclesiam, Sanctissimæ Virgini Matri dicavit, vt testatur ipse Evagrius *lib.* 5. *cap.* 21. dicens: *Signa quoque divinitùs ostentata antegressa sunt, quæ Mauritium Imperatorem fore præsignificarunt. Nam ad multam noctem ei intra Sanctuarium Templi Sāctæ, & Castissimæ Virgini, & Deiparæ MARIÆ dedicati, quod quidem ab Antiochenis *Templum Iustiniani* nuncupatur, thus incensum offerenti, aulæum Sacrę mensæ, igne conflagrare visum est, adeò vt ingens admiratio, ac stupor illum incesserit, visionemque magnopere extimuerit.*

246 Egregia sanè cōmendatione dignissimus videtur ferventissimus ille Zelus, quo CONSTANTINVS, Imperator Religiosissimus, Christianæ Fidei, & Divini Cultus propagationi inhiabat, de quo SECVNDA NICÆNA SYNODVS Generalis *anno* 790. celebrata *Act.* 6. hæc habet: *A temporibus Constantini Magni Christianorum cætus templa construxerunt, partim Christi nominis gratia, partim Sanctorum Martyrum causa.*

247 IOANNES ZONARAS sub *anno* 1100. religiosam Pietatem commendat, qua THEODORA IMPERATRIX inclytam Sanctissimis Apostolis Ecclesiam erexit, & magnitudine, ac pulchritudine decoravit; *in Historia enim Iustiniani Imperatoris*, hæc tradit: *Condidit Theodora Imperatrix celebrē illam Sanctorum Apostolorum Ædem: fuerat quidem priùs quoque ibi Ædes eorundem à Constantino ædificata, non tamen huic similis, sed ea, & magnitudine, & pulchritudine multò inferior.*

248 Idem Author *de* ISAACIO COMNENO hæc scribit: *Reversus in magnā vrbem, ad grates ob salutem acceptam Deo persolvendas, intra Regiam, Divę Theclę Prothomartyris Ædem ille quidem condidit; quod eo die, quo illius memoria celebratur, illud periculum effugerat.*

249 De Imperatrice Theodora, Iustiniani Imperatoris vxore, refert CONSTANTINVS MANASSES, qui *anno* 1140. floruit, Magnificum Templum in Discipulorum Christi honorem erexisse; *in Annalibus* enim *de Iustiniano Imperatore* sic loquitur: *Erat Iustiniano Theodora matrimonio iuncta, ijsdem cum marito addicta studijs. Hæc à fundamentis Templum Discipulis Christi condidit, post primum, illud facilè principem locum sibi vendicans. Appellare illud quis non ineptè possit inter alia Templa ceruleo splendentem lumine, Lunam, quòd secundum Solem pulchritudine sua secundas ferat.*

250 NICETAS CHONIATES sub *anno* 1200. in suis Annalibus de ANDRONICO IMPERATORE, hęc scribit: *Post omnia, iuxta Ædem quadraginta Martyrū magnificas Ædes struit.*

251 Idē Author *in* ALEXIO COMNENO IMPERATORE, dicto *Porphyrogeneta*, hæc habet: *Qui honos à Religiosis, & Christianis huic pulcherrimo, & planè Divino Tēplo Divæ Sophiæ habendus nō fuit, quod omninò Dei manibus fabricatum est primum, ac postremum opus pulcherrimum, atque immutabile, nec in terris aliud, quàm Orbis quidam cœlestis extitit?*

252 De Tēplis ab IMPERATORE ANDRONICO ædificatis, magnificè loquitur NICEPHORVS CALIXTVS, qui *anno* 1300. scripsit, *in Dedicatione enim operis ad Andronicum Seniorem Paleologū*, hæc inter alia tradit: *Veritatem meis ver-

verbis struere possunt vtraque sacra Apostolorum Templa, & Dei Genitricis Ædes, cum cęlesti pulchritudine certans, quam Byzantij *Blachernas* vocant, & propè vrbis ipsius fana omnia, sub te, & per te, ad immensam magnitudinem, & formam, excitata.*

253 Idem Author *lib.* 15. *cap.* 25. * Leo (inquit) iste, aliud quoque Templum Virgini Matri in loco, qui fontis nomen habet, erexit, vbi densæ, & ingentes cupressi, pratum etiam teneris refertum floribus, quasi quidam Paradisus amœnus, & pulcher, & quæcumque Sacrum Templum decerent, omnia erant.*

254 Pijssimũ, ac fervẽtissimum IMPERATORIS IOANNIS DVCAS, istiusque spõsę, in sũptuosissimis Tẽplis, in memoriã, & honorem Sanctissimę Virginis, aliorumque Sanctorum condendis Zelum, debitis laudibus extollit NICEPHORVS GREGORAS, qui floruit *anno* 1330. *in Historia Byzantina, lib.* 2. sic scribens: * Ioannes Ducas, & Irene Imperatrix, Templa elegantissima maximis sumptibus, amplitudine, & varietate structuræ insignia ædificarunt. Imperator Magnesiæ, Deiparæ Virginis nomine, quod Sosamdra dicitur; & aliud Nicææ, Magno Antonio Sacrum: Imperatrix verò, intra Prussam Metropolim, ad montem Olympum sitam, nomine venerandi Prophetæ Præcursoris, & Baptistæ, multis ornamentis additis, & amplis annuis redditibus adiectis, vbi Monachi Divino Cultui dediti habitarent, quę loca plena erant suavitate, & gratia Spiritus.*

255 Idem Author *lib.* 7. *cap. de Nyphonis è Patriarchico Solio descensu*, hęc scribit: * His de causis Imperator vetera fana curabat, quamvis maiores sumptus postularent, quàm extructio novorum. Sunt autem hæc: Divi Eugenij iuxta portam, maximum Templum Divi Pauli Apostoli, duodecim Apostolorum, & Christi Discipulorum, denique maximum illud Divinę Sapientiæ Templum, quod cum magis etiam exornare studuisset, Imperij divisio, & confusio, veluti subita tempestas, obstitit.*

256 GEORGIVS CODINVS sub *anno* 1400. commendat Religiosam Pietatem, ac piam Religionem, qua Imperator Templum Sancto Ioanni Baptistæ, & Sancto Lazaro sacrum venerabatur; etenim *in lib. de Officialibus Palatij Constantinopolitani*, sic de Imperatore loquitur: * In natalibus honorandi Præcursoris descendit in venerandam Ædem Petræ, quæ de illius nomine honoratur. (Et *fol.* 168. asserit:) In die Resurrectionis Sancti, & iusti Lazari, abijt in Ædem venerandam, quæ de nomine illius honoratur.*

257 CHILDEBERTVS, Francorum Rex, flagrantissimum Christianę Religionis Zelum, in Templis Sanctorum exstruẽdis, ostendit, vt refert GREGORIVS TVRONENSIS sub *anno* 580. *in Hist. Francorum, lib.* 9. *cap.* 12. hæc scribens: * Erat Villa in Pago Babrensi, cui imminebat mons arduus, in huius cacumine Childebertus Rex Basilicam in honore Sancti, ac Beatissimi Martini construxit.*

258 ISIDORVS HISPALENSIS, qui *anno* 620. virtute, & sapientia effloruit, narrat *in Chronico Gothorum* Regum, Sanctorum Ecclesias eo ab his Regibus honore habitas fuisse, vt estò ipsi Romanos inflammato, ac capitali odio persequerentur, attamen in immani illa invasione, qua Romam diripuerunt, Romanosque omnes sęvissimè trucidabant, illis tantummodò pepercerit, qui ad Sanctorum Ecclesias, veluti ad tutissimum portum vehementi tempestate suborta confugerant. Isidori verba audiamus. *Gothi aggredientes Vrbem, quoscumque in locis Sacris Christi, vel Martyrum, vel ad Basilicas confugientes invenerunt, in vastatione Vrbis, non interemerunt, nec cruentus sævijt in eos gladius.*

259 Venerabilis Presbyter BEDA sub *anno* 700. *in Historia Anglicana*, *lib.* 2. *cap.* 14. Ecclesiam Divo Petro ab EDVINO ANGLIÆ REGE, ędificatã fuisse affirmat. * Eduinus Rex (inquit) baptizatus est Eboraci, die Sancto Paschæ, in Ecclesia Sancti Petri Apostoli, quam ibidem ipse, cum cathechizaretur, atque ad percipiendum Baptisma imbueretur, de ligno, citato opere, construxit.*

260 PAVLVS DIACONVS, supra laudatus, *n.* 219. qui *anno* 780. vixit, *lib.* 4. *de Gestis Lõgobardorum, cap.* 7. *alias* 22. Ecclesiam Beato Ioanni Baptistæ, à Regina Theodelinda sacratam asseverat, sic scribens: * Per idem tempus Theodelinda Regina Basilicam Beati Ioannis Baptistæ, quam in Modicia construxerat, dedicavit, multisq; ornamentis auri, argẽtique decoravit, prædijsque sufficienter ditavit.*

Invi-

261 Invictus, Venerabilis, ac Pijssimus Imperator CAROLVS MAGNVS, magnificentissimum Templum Sacratissimæ Virgini Aquisgrani construxit, vt patet *ex eius Pragmatica Sanctione de Aquisgranensi Ecclesia*, qua huius Templi Consecrationem, & Dedicationem fieri à Leone Pontifice impetravit, vbi hęc leguntur: *Decebat enim, vt ad idem Templum, quod cunctis monasticis ædificijs, in Regno nostro, forma, & structura præesse videtur, in honorem Sanctę Dei Genitricis à nobis regali studio fundatum, dignitate consecrationis præcelleret, sicut ipsa virgo super omnes Choros Sanctorum præcellens exaltata est.*

262 Nec fuit inferior DAGOBERTI, Francorum Regis, Zelus in ædificatione Templi Sancto Dionysio Galliarum Apostolo sacrati, vt refert EMOINVS, qui 825. *anno* vixit; *lib.* enim 4. *de Rebus Francorum*, *cap.* 33. hæc habet: *Dagobertus Rex, cum se ornatum ire Dionysij, & sociorum eius memoriam pollicitus esset, Templum eius condidit vniversis, quæ tunc temporis in Gallijs erant, excellentius: nullumque impensis statuens modum, marmoreis illud columnis, similique venustavit pavimento, immenso ædificandi sumptu, & exquisito fabricatum decore. Nec minor illi in alijs quoque ornatibus intentio: nam vestibus auro textis, & pallijs holosericis totum interiorem circundedit Templi ambitum.*

263 HINCMARVS, qui *anno* 840. cõmuni luce fruebatur, Ecclesiam Apostolorum Principibus Petro, & Paulo à LVDOVICO, Francorum Rege, consecratam fuisse, apertè tradit *in vita S. Remigij*, sic scribens: * Ludovicus Francorum Rex, per consilium Reginæ suæ fecit Ecclesiam, in honore Apostolorum Petri, & Pauli, in Parisiorum Civitate.*

264 De ædificatione Maguntini Templi facta à Carolo Magno Imperarore, qui *anno* 890. floruit meminit Author ANONIMVS *in Annalibus Caroli Magni*, sic canens:*

*Cuius in Albani speciosa Martyris Æde,
Iuncta Moguntiacæ fulget, quæ mœnibus Vrbis
Cum magno fecit sepeliri Corpus honore.*

265 LVITPRANDVS TICINENSIS, qui *anno* 950. vixit, *lib.* 1. *cap.* 2. de IMPERATORE BASILIO, hęc scribit: *Basilius Imperator fabricavit preciosam admirabili opere, iuxta Palatium, Orientem versus, Ecclesiam, quam *Nean*, id est, *Novam*, vocant, in honorem Summæ, ac Cęlestis Militiæ Principis Arcangeli Michaëlis.* Idem fermè habet *lib.* 2. *cap.* 11. & *lib.* 3. *cap.* 12. loquens de Ecclesijs duabus; altera dicata B. Principi Apostolorum Petro; & altera Principi Militiæ Cœlestis Michaëli. Vt videre licet *sup. num.* 223. & 224.

266 De alia Ecclesia, quam summa Venerabilis Imperatoris Caroli Magni Pietas & Devotio construxit, IOANNES MICROLOGVS, qui *anno* 1070. floruit, hæc scribit: * Inter illa Imperatoriæ sanctitatis opera connumerari meruit, & illa egregię pulchritudinis, & admirabilis decoris Ecclesia, quę est Aquisgrani, sub titulo, & honore Beatissimæ Dei Genitricis fundata. Cum enim Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè, & mira cum pietate coleret, miri decoris, & formæ admirandæ perfecit Ecclesiam prędictam in loco præfato, quam auro, & argento, luminaribus, & vario ornatu solidi ęris, cancellis quoque, & ianuis magnificè, & mirificè adornavit; cuius summam vigilantiam in eiusdem operis ędificatione quis non stuperet, cum illius Basilicæ materiam, & formam diligentius attendit, & mirificum opus oculis, & animo advertit?*

267 De CONSTANTINO IMPERATORE, illiusque flagrantissimo Christianæ Religionis Zelo, quem tot, tantaque Templa Apostolorum Principibus, alijsque Sanctis ab ipso dicata testantur, lectu dignissimum est, quod refert THOMAS VVALDENSIS, qui *anno* 1410. scripsit *tom.* enim 3. *tit.* 17. *cap.* 145. hæc habet: * Semper & vbique vno ore resonant Augustini dicta: Latriæ servitutem esse, Deo Ecclesias fabricare, in tantum, vt cuicumque debitè fabricamus, indubitanter noverimus esse Deum. Sed quid ad nostros simplices respondemus, si interrogent: Vnde ergo Petro, & Paulo & Beatę Virgini dedicamus, & fabricamus Ecclesias? Simpliciter dicimus: quòd non ijs dedicamus Basilicas, nec Altaria, vel Sacrificia Christiana, dicente Augustino 2. *contra Faustum*, & 22. *de Civitate Dei*: quod non eos veneramur vt Deos,

quia

quia nec Templa, nec Altaria consecramus ijs vt Deo, sed memorias, sicut Martyribus: Deo scilicet, in memoriam Sancti Petri.*

268 Perenni quoque memoria dignissimus est serventissimus ille Zelus, quo Invictissimus ille ARAGONVM REX IACOBVS in suis expugnationibus nihil magis in votis habuit, nihilque magis conatus est, quàm Ecclesias Omnipotenti Deo in Sacratissimæ Virginis memoriam consecrare, vt refert Fidelissimus Aragonum Regum Historiographus ZVRITA, *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 101. vbi hæc habet: * Tantus fuit illius pro Catholica Religione Zelus, vt tricies cum Mauris collatis signis certaverit, duoque millia Templa ad maiorem Christi, Sanctorumque venerationem in Regnis à se debellatis erexerit.*

269 Cui consonat DON VINCENTIVS BLASCO DE LANVZA *lib.* 1. *cap.* 28. *de Historijs Sæcularibus, & Ecclesiasticis Aragoniæ*; relatis namque quibusdam ipsius Regis verbis pro maiori Dei, Ecclesiæque Cultu, lectu dignissimis, subdit: * Notanda certè verba, & sempiterna memoria dignissima; illis enim serventissima Catholici Principis desideria, ardentissimus Sanctissimi viri Zelus, & fidelissimæ admirandi pœnitentis lacrymæ apertissimè ostenduntur. Bis millena Templa Rex iste Religiosissimus erexit, quorum plurima Sacratissimæ Virgini MARIÆ sacrata credo; siquidem in præcitatis verbis manifestè asserit, se in omnibus Populis, quos è Maurorum tyrannide vindicavit (qui penè innumeri fuerunt) Templum Beatissimæ Virgini consecrasse: ideòque Murgim (nunc *Murcia*) Turdetaniæ Principem Vrbem, oppugnare vehementissimè velle, non tam vt celebrem illam Vrbem suę ditioni subijceret, quàm vt magnificum in ea Templum Sacratissimę Virgini Matri sacraret, in quo Angelorum Regina debito veneraretur honore.*

270 Ex dictis infertur, quam celebre, quam antiquum, quàmque proprium Pietatis Fidelium, & Catholici Zeli maiorum Christiani Orbis Principum fuerit, non modò monumenta, & sepulchra, sed sumptuosissima etiam Templa in memoriam, honorem, & venerationem Sanctorum Corporibus, & Reliquijs debitam, construere; vt sic innotescat, quam levissima sit, quàmque indigna, ac omni fundamento destituta accusatio, qua Magdeburgenses in Sanctissimum Pontificem Anacletum insurgunt, quod magnificum sepulchrum in Divi Petri memoriam iusserit ædificari. Hoc certè Divi Anacleti factum adeò ab omni calumnia est alienum, vt immò potiùs Sanctissimo huic Pontifici æternam memoriam, laudemque pepererit, quod posteris exemplar reliquerit, quod Fideles, maioresque Christiani Orbis Principes imitati sunt, magnifica sepulchra, & Templa in maiorem Sanctorum venerationem & memoriam, omnibus sæculis extruentes.

271 Vt autem ampliùs innotescat, quanta maturitate, ratione, æquitate, fundamento, ac consilio hoc Sancti Anacleti exemplar Catholica Ecclesia amplexata est, hunc Cultum, & Venerationem Sãctorum Reliquijs debitam per mittens, huius loci proprijssimum iudicavimus, breviter hic apponere iusta motiva, ac causas, quibus Sanctissimi Viri, celebrioresque Ecclesiæ Patres, pijssimum hunc morem, in Sanctorum veneratione æquissimè in Ecclesia servari docent.

§. IV.

PROPONVNTVR CAVSÆ, & motiva ex Sanctis Patribus Græcis desumpta, quibus Sanctorum Veneratio fulcitur.

272 SANCTVS CLEMENS ROMANVS, qui *anno* 80. floruit, hanc Sanctorum Venerationem hisce verbis hortatur *lib.* 1. *Constit. Apostolic. cap.* 7. * De Martyribus verò præcipimus vobis, vt in omni honore sint apud vos, vt apud nos fuerunt Iacobus Episcopus, & Condiaconus noster Stephanus. Hos enim, & Deus beatos fecit, & Viri Sancti honorarunt, & fuerunt puri omnis delicti, neque ad peccatum flecti, neque à Virtute detorqueri potuerũt, quorum non sunt dubię laudes. De quibus David aiebat *Psalm.* 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Et Salomon: *Memoria* (inquit) *iustorum cum laudibus. Proverb.* 10.*

273 SMYRNENSIS ECCLESIA *anno* 170. *in Epist. de Polycarpi martyrio*, hæc scripsit: * Martyres vt Discipulos, & imitatores Domini propter incredibilem eorum benevolentiam, quam in pro-

proprium Regem, & Magistrum declaraverunt, meritò amplexamur.*

274 S. IRENÆVS, qui *anno* 180. vixit, vehementer dolebat, quosdam eò dementiæ devenisse, vt etiam S. Martyres contemnerent; quorum temeritatem hisce verbis insectatur *lib. 3. cap.* 20. *Cum hæc ita se habeant, ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, vt etiam Martyres spernant, & vituperent eos, qui propter Domini confessionem occiduntur & substinent omnia à Domino prædicta, & secundum hoc conantur vestigia sequi Passionis Domini, passibiles Martyres facti, quos & concedimus ipsis Martyribus. Cum enim inquiretur sanguis eorum, & gloriam consequentur, tunc à Christo confundentur omnes, qui inhonoraverunt eorum Marty rium. * Hæc ille: Igitur à contrario sensu laudabuntur à Christo ij, qui eorum Martyria debitò prosequentur honore.

275 ORIGENES *anno* 240. *Hom. 3. in Diversos*: *Bene (inquit) & secundum voluntatem Dei, Innocentum memoriam Sancti Patres celebrari mandaverunt sempiternam in Ecclesijs, velut pro Domino morientium, velut pro Iudæis, & Gentibus credituris, velut etiam pro ipsis parentibus.*

276 EVSEBIVS ALEXANDRINVS, *anno* 260. *Homilia de Sanctis Colendis*, hæc habet: *Ob hanc causam præcepit nobis Deus memorias Sanctorum celebrare, vt acceptis Hymnis, & auditis laudibus, benignum Deum exorent, vt preces nostras caducas admittat.*

277 EVSEBIVS CÆSARIENSIS *anno* 320. *in vita Constantini lib.4. cap.* 59: *Hæc (inquit) omnia dedicavit Imperator, vt Servatoris nostri Apostolorum memoriæ, apud omnes gentes æternitatem compararet* Et *de Præparatione Evangelica*, idem Author *lib.* 13. *cap.* 7. *Nos quotidiè (inquit) id factitamus; nam veræ Pietatis milites, vt Dei amicissimos honoramus.*

278 Pro hac etiam re lectu dignissimum est, quod scripsit S. BASILIVS *anno* 370. *Oratione* enim *in Quadraginta Martyres*, ita eloquitur: * Quis modus, aut quæ facietas Martyrum memoriam prosequendi erit, illi præsertim, qui eorum amore, ac Charitate magnopere tenetur? Non honor in bonos à conservis collatus, benevolentiæ significationem, apud communem Dominum habet. Palam enim est, quemadmodum is, qui generosos homines, ac fortes cum honore exceperit, in simili, si fortè contingat, occasione imitari non dedignabitur.

279 Venerare igitur legitimè Martyres, vt egregiæ voluntatis tuæ te testem adducas, ac demum sine persecutione, sine igne, sine verberibus, ac plagis eodem cum illis premio dignus habearis. Nobis hodierna die, non vnum propositum est celebrare, neque duos, neque decem, sed Quadraginta, &c. Quæ digna laus, quę sermonis copia poterit his adhiberi? Non enim linguę quadraginta, ad prosequendum talium virorum virtutem, sat fuerint.*

280 S. CYRILLVS IEROSOLYMITANVS, qui *anno* 370. vixit, *Cathechesi.* 5. *Cum hoc (inquit) Sacrificium offerimus, postea facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus Orationibus illorum suscipiat preces nostras.*

281 S. GREGORIVS NAZIANZENVS *anno* 380. *Oratione* 3. quę est *Invectiva prior in Iulianum*, hæc habet: *Iam sumptuosissimis quoq; Martyrũ monumentis, & votivorum donorum munificentijs, omnibusque alijs rebus, quibus divinus timor insignitur, Sapientiæ studium, Christique amorem declarabant, &c. Iulianus, vt alia, ita eum quoque, quo Martyres affici solent, honorem Athletis invidebat.*

282 Et *Oratione* 18. quæ est, *in laudem Cypriani Martyris*: * Cyprianus (inquit) ferè nos effugit (O ingens damnum!) idque vos passi estis, qui eum omnium maximè suspicitis, annuisque honoribus, Festisque celebratis, &c. Martyrum honoribus oblector, pugilum cruoribus exulto, atque aliorum quidem certamina, & victoriæ sunt, coronæ autem meæ. Atque omnium quidem Martyrum memoria celebranda est, omnibus, & linguæ, & aures, & mentes promptè aperiendę, vt de eorum laudibus libenter aliquid dicamus, & audiamus, omniaque alia eorum certaminibus inferiora esse censeamus.*

283 Et *Oratione* 22. quæ est, *in laudem Machabæorum*: * Machabæi (inquit) quamvis apud multos non honorentur, quia non post Christum decertarunt:

runt: digni tamen sunt, qui ab omnibus honore afficiantur, quoniam pro legibus, institutisque patrijs, fortem animum præstiterunt.*

284 THEODORETVS *anno* 450. *lib.* 3. *Ecclesiasticæ Historiæ, cap.* 14. de *Iuventino, & Maximiniano*, hæc scribit: * Iulianus Imperator, causam cur eo supplicio affecisset, non in veram pietatem, pro qua erant è medio sublati, sed in petulantiam transtulit, &c.*

285 Et *lib.* 8. *Græcarum Affectionum*, hæc, inter alia, scribit: * Quid igitur, viri Græci, qui defunctos tot numero homines appellatis Deos, adversus nos indignationem concipitis, cum nullos quidem nostrorum hominum referamus in Deos? quamquam debitos honores Martyribus persolvamus, vt Dei testibus, servisque amantissimis, &c. Atqui nos, ò Græci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed vt Sanctos homines, Dei que amicissimos honoramus. Tanto enim amore Creatorem Deum, generisque humani vindicem prosequuti sunt, vt amabile illis fuerit, pro accepta semel Religione, iugulum percussori porrigere*.

286 ATTICVS CONSTANTINOPOLITANVS, qui *anno* 426. viguit, *Epistola ad Petrum, & ad Aedesium Diaconos*, de Sancto Ioanne Chrysostomo sermonem instituens: * Scribimus (inquit) vobis de Sancto Ioanne Chrysostomo, Sacris Tabulis inserto, de sententia præcipuè Pijssimorum Principum, & omnium deindè Orientalium Episcoporum, ipsorumque adeò Occidentalium, vt memoria eius, propter communem Orbis vniversi pacem, celebretur.*

287 S. CYRILLVS ALEXANDRINVS, qui *anno* 430. Virtute, & Sapientia enituit, de hac re mirificè egit *apud Damascum lib.* 2. *Parallelorum cap.* 7. vbi sic loquitur: *Sãctorum vrnas honoramus, ac velut in præclarissimæ ipsorum Virtutis, magnitudinisque animi premium, & mercedem numquam intermorientem, ipsis memoriam rependimus. Viros Sanctos, Fidem servantes, honore afficimus, & eos, qui fortitudinis dotibus, tamquam coronis quibusdam, præclarè redimiti sunt, quique ad extremum vsque spiritum dimicarunt, & pro Christi Religione Martyrium obierunt, & per præclara facinora, Pietatis causa edita, nomen suum illustrarunt.*

288 Et *lib.* 6. *contra Iulianum*: *Sanctos Martyres (inquit) neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus: laudamus autem eos potiùs summis honoribus, quod pro Veritate strenuè certarunt, & Fidei sinceritatem servarunt, ita vt suam animam contempserint, & mortis terroribus valedicentes, prævaluerint in summis periculis, tantæque fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suæ vitæ excitaturi. Proindè non est indignum, immò etiam necessarium, eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudibus.*

289 S. IOANNES DAMASCENVS, qui *anno* 730. spiritum duxit, Sanctos venerandos esse eleganter convincit *lib.* 4. *Orthodoxæ Fidei, cap.* 16. sic scribens: * Sanctis, vt Christi amicis, & Dei filijs, atque hæredibus, honor haberi debet, quemadmodum inquit Theologus, & Evangelista Ioannes: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ioann.* 1. Ecquid igitur causæ esse potest quin eos honore complectamur, qui Dei servi, & amici, ac filij appellati sunt? Etenim his honor, qui probis conservis habetur, benevoli erga communem Dominum animi argumentum est, &c. (Et infra:) An non honorandi, qui totius humani generis Patronos se profitentur, ac Deo, nostri causa, supplicant? Honorandi certè, & quidèm ita, vt in eorum nomine Templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur.*

290 Ad hanc etiam rem præclarè facit SYNODVS NICÆNA II. *anno* 790. celebrata; etenim *Act.* 3. sic loquitur: * Apostolicas Ecclesiæ Traditiones, quibus Veneratio, culturaque Sanctorum docetur, recipimus, ac veneramur; eos autem vt ministros, & amicos, & filios Dei existentes honoramus: honor enim, qui conservis idem sentientibus invicem exhibetur, indicium est benevolentiæ erga Dominum; sunt enim promptuaria Dei, & pura Christi habitacula, Spiritusque Sancti immaculata specula.*

291 PROCOPIVS CARTHOPHYLAX, qui *anno* 900. vita fruebatur, *laudatione in Sanctum Marcum Evangelistam*, sic scripsit: * Alexandria Marcum, vt Evangelistam, vt Martyrem magno preconio extollit, & Hymnos eius appellationibus congruentes concelebrat: videç

videt hunc in Monumento positum, licet in supernis regionibus eius anima versetur, & exultet, eius pulveris thesauro locupletata, funebres cantus ipsi Apostolo pronunciat, & tamquam cum vivente aliquo, & in spiritu versante, colloquitur, & gratijs per illum ipsum concessis oblectatur; & pro illis honoribus, quos Apostolo cōgruentes, velut dona quædam offert, maiora beneficia vicissim recipit.*

292 SIMEON METAPHRASTES *anno* 950. *de Sanctis Codrato, Cypriano, & alijs, sermonem instituens*, Fratres sic ad illorum venerationem hortabatur: * Æquum est igitur fratres, vt considerantes præsentia sic à Christo disponi, & gubernari, vt perpetuò nobis offerant vtilitatem, eos, qui Lege Divina ipsi consecrati sunt, quique se cæteris hominibus præstantiores exhibuerunt, & Christi ærumnas delitijs prętulerunt, meritis laudibus celebremus, eosque ad maiora contendentes studeamus imitari.*

293 Tandem IEREMIAS CONSTANTINOPOLITANVS, qui *anno* 1580. floruit, *in Respons. 2. cap. de Sanctorum invocatione*: * Honorandi (inquit) sunt Sancti, tamquam amici Dei, tamquam filij, & hæredes, &c. (Et infrà:) Christum verum Deum nostrum, & Sanctos eius, verbis, picturis, Sacrificijs Templis, Imaginibus, honorantes: illum quidem, vt Deum, & Hominem venerantes; hos autem propter illum, vt germanos famulos, schetica illa Adoratione afficientes; latretica verò, neminem præter solum Deum adorantes.

§. V.

RATIONES PRO SANCTORVM Veneratione á Latinis Patribus excogitatæ adducuntur.

294 E Latinis Patribus adsit primus S. AMBROSIVS, qui *anno* 370. litteris, & Virtutibus emicuit, & eloquentia sua aculeos quosdam & Divinos igniculos auditoribus admovit, vt Sanctorum memoriam debito honore prosequerentur; vnde *Serm. 6.* sic loquitur; * Igitur, fratres, quotiescumque Martyrum memoriam celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliqua dubitatione concurrere debemus, & reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem profusione sanguinis sui pepererunt, qui tam Sacrata Hostia pro nostra propitiatione Domino sunt oblati, præsertim cum dicat ad Sanctos suos Omnipotens Deus: *Qui vos honorat, me honorat: qui vos spernit, me spernit. Lucæ* 10. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat Christum; & qui spernit Martyres, spernit & Dominum.*

295 Et *Serm. 93. de Nazario, & Celso*: * Honoro (inquit) in carne Martyris exceptas in Christi nomine cicatrices, honoro Virtutis memoriam perennitate virtutis, honoro in Cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum Deū ostendit diligere, quod me propter Dominum docuit mortem non timere.*

296 Eadem est S. HIERONYMI doctrina, qui *anno* 390. *Epist. 53. ad Riparium*, sic scripsit: * Honoramus Martyrum Reliquias, vt eum, cuius sunt Martyres, adoremus: honoramus servos, vt honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: *qui vos suscipit, me suscipit. Matthæi* 10.*

297 Et *in cap. 3. Sophoniæ*: *Quos alios (inquit) possumus intelligere filios Ecclesiæ nominatos, nisi Apostolos? Vide mihi Petrum, & Paulū, & Matthæum, & Ioannem, & considera hoc, quod ad Abraham repromissum est: *Magnificabo nomen tuum in opere perpetratum. Genes.* 12. Quotidie nominatur in Ecclesia, quotidie magnificatur nomen eorum: non quod ipsis prosit à nobis in Ecclesia nominari, sed quod nos magnificantes nomen eorum, & quod scripserunt lectitantes, consequamur salutem.*

298 S. GAVDENTIVS, qui *anno* 400. vitales auras carpebat, *Tractatu de Machabeis*: * Si quis vestrum (inquit) fratres dilectissimi, fortasè miratur, Iudæos viros supplicia pro legis pręcepto perpesos, nunc a Christiana Plebe inter Sāctos Martyres honorari, is profectò si omnem Sanctæ Religionis causam, rationemque cognoverit, intelliget probabili, ac summo indicio id fuisse à nostris maioribus constitutum.*

299 Idipsum pręclarissimè docuit ingeniorum Apex AVGVSTINVS, qui *anno* 400. mira ingenij subtilitate effulsit; etenim *lib. 20. contra Faustū Manicheū, cap. 21.* hæc habet: * Populus Christianus

memorias Martyrũ Religiosa solemnitate cōcelebrat, ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque Orationibus adiuvetur: ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memoriam Martyrum constituamus Altaria. Quis enim Antistitum, in locis Sanctorum Corporum assistens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorũ, quos coronavit. Colimus ergo Martyres, eo Cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate Passionem paratum esse sentimus. Sed illos tantò devotiùs, quanto securiùs post certamina superata, quantò etiam fidentiore laude prędicamus, iã in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc vsque pugnantes. At verò illo Cultu, qui Græcè *Latria* dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum.*

300 Et *lib. 8. de Civitate Dei, cap. 27.* * Honoramus sanè (inquit) Memorias Martyrum, Sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, vt innotesceret vera Religio, falsis Religionibus, fictisque convictis. Quis autem audivit aliquando Fidelium stantem ad Altare etiam super Sanctum Corpus Martyris, ad Dei honorem, Cultumque cōstructum dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum Memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit: vt ea celebritate, & Deo vero, de illorum victorijs, gratias agamus, & nos ad imitationem talium Coronarum, atque Palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione, adhortemur.*

301 Luculentissimam huius venerationis rationem tradidit PAVLINVS NOLANVS, dum *anno* 410. *in Natali Sancti Felicis*, hæc protulit: * Cuius honore Deus gaudet, quia Martyr honorem contempsit proprium.*

302 MAXIMVS TAVRINENSIS *anno* 430. *in Natali Petri, & Pauli*: * Gloriosissimos (inquit) Christianæ Fidei Principes annuis Solemnitatibus honorantes, ipsum Dominum, ac Deum nostrum, qui huius Author est Fidei, debita Religione veneramur: Apostoli namque Latino sermone dicuntur *Missi*. Qui ergo honorant Missos, manifestum est eos honorare mittentem. Quoniam Dignitas, quę defertur ministris, illi sine dubio, cuius ministri sunt, exhibetur, vt ait ipse Salvator ad Discipulos suos: *Qui vos audit, me audit: qui vos recipit, me recipit.**

303 S. LEO I. *anno* 450. elegantissimè huius venerationis æquitatem expendit *Sermone de Sancto Vincentio*, sic scribens: * Cunctorum licet gloriosas Martyrum Passiones, quos distincta regionibus loca meruerunt, vna Fides faciat omnibus indiscreto honore venerabiles: propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio illi vindicant Dignitatem, qui Ecclesiam Dei, & documentis præceteris erexerunt, & patrocinijs adiuverunt: inter quos iustè Beatum Levitam Vincentium celebramus.*

304 EVCHERIVS LVGDVNENSIS, qui *anno* 450. scripsit, aliam æquè elegantem huius venerationis rationem excogitavit; *Homilia* enim 3. *in Natali Apostolorum*, sic eloquitur: * Considerate fratres mei, quanta devotione Sanctos Apostolos honorare debemus, quos ipse Dominus iam non servos, sed amicos vocat.*

305 Et *in Natali Sancti Genesij*, aliud motivum hisce verbis proponit: * Vnde meritò populi in prosperis colunt Genesium, quem præsentem in periculis cognoverunt.*

306 In eumdem scopum collimat GREGORIVS TVRONENSIS, qui *anno* 570. *in vita Sancti Martini lib.* 4. hęc scripsit: * Cum sæpè videamus virtutum insignia prodire de tumulis Beatorum, non immeritò commovemur debitam ijs reverentiam impendere, non servitute.*

307 Pręclarè S. ISIDORVS, Hispalensis Antistes *anno* 620. *de Officijs Ecclesiasticis*, *lib.* 1. *cap.* 34. * Honorandi (inquit) sunt Martyres propter imitationem, non adorandi propter Religionem: honorandi Charitate.*

308 Sancto Isidoro subscribit S. ILDEPHONSVS, Toletanus Antistes, qui *anno* 660. floruit; etenim *Sermone de Assũptione Virginis Mariæ*, hæc habet: *Imitamini Matrem Virginem, & Sanctos omnes, quos laudatis: quoniam non tantum

tum

tum illis nostra prodest laudatio, quantum nobis eorum imitatio. Vere laudare Deum, & Sanctos in ipsum iam opus Virtutis est, dum proficit mens, & accenditur igne Divini Amoris, solidaturque fundamento verę Humilitatis.*

309 Nec omitti potest ADRIANUS I. Pontifex Sanctissimus, qui *anno* 780. Ecclesiæ clavum moderatus est, dum *Imperatorem Constantium, & Irenem Augustos*, sic affatur: *Omnes Principes, etiam si pessimi sint peccatores, adoramus, & libenter salutamus: quid vetat igitur, quominùs non liceat & Sanctos Dei ministros venerari, & in memoriam eorum, Imagines statuere, & erigere, ne in oblivionem perpetuam veniant? * Quod idem videtur dicendum de Sepulchris, Monumentis, ac Templis in ipso rum honorem erigendis.

310 Notatu dignissimum est, quod LUDOVICUS I. Francorum Rex *in Epistola ad Hildoinum Abbatem anno.* 840. scripsit. *Prædecessores nostri gloriam huius eximij testis (Dionisij) & amici Dei non inaniter coluerunt, qui dum eius sacras exuvias in terris, ob honorem, & amorem Christi, opibus quibus poterāt, honoraverunt, per eius preces dignissimas, honoris privilegio potiri, & in terrenis, & in Cœlestibus, meruerunt.*

311 Id omne paucissimis verbis complexus est VVITICHINDUS, qui *anno* 950. scripsit, *lib.* enim 1. *de Gestis Saxonum*, hæc habet: *Colito hunc tantum Patronum (Sanctum Vitum) quo adveniente, Saxonia è serva facta est libera; ex tributaria, multarum gentium domina.*

312 Quod eleganter confirmat gravissimus ille Author BERENGOSIUS, qui *anno.* 1100. scripsit; etenim *in Sermone: In Dedicatione Ecclesiæ*, sic loquitur: *Quidquid laudis, & honoris militibus Regis impenditur, totum ad gloriam Regis, cuius sceptro milites insigniti sunt, titulatur; nec dubium, quin eos semper habeamus patrocinantes in Cœlis, quorum Celebritates piæ devotionis studio gerimus in terris. Si enim noster spiritus, nec dum carnis materia exutus, & tamen dilectionis geminæ fervore interdum ad astra libratus, preces Domino pro suis dilectoribus nititur effundere; vtique pręstantius credendum est, Sanctorum animas, summæ dilectionis plenitudine fervidas, suis in Solemnitatibus, ad sui corporis pignora foventes descendere, suorumque pro salute Fidelium intercedere, ac debitæ retributionis donativum suis veneratoribus impendere. Habentes igitur eximia huius spei pignora, scilicet ipsorum Beatorum Spirituum exuvias, dignis honoribus Sanctorum Pręconia celebremus: amplius autem festivá eorum gaudia debitis gaudijs extollamus, quorum cineres, & ossa in suo sinu largiùs refovet hæc nostra specialis Ecclesia.*

313 Appositè ad hanc rē loquutus videtur ODO, Cameracensis Episcopus, Pręclarissimus Author, qui *anno* 1110. floruit, etenim *in Expositione Canonis*, ad illa verba: *Et memoriam venerantes*; hæc habet: *Aliter Deo gratū non offerimus Sacrificium, aliter Deo vtiliter vota non soluimus, nisi memoriam Sanctorum veneremur. Qui enim membra Christi non honorat, nec Christum, qui Caput est, honorare potest. Et qui non honorat Filium, non honorat illum, qui misit illum. Honoremus ergo Caput in membris, Deum in Sanctis suis, vt eorum meritis, precibusque in omnibus protectionis divinæ muniamur auxilio. (*In primis Gloriosæ.*) In veneratione Sanctorum hæc ratio custodienda est, vt primùm, & super omnes Beata Dei Genitrix honoretur, secundò Apostoli, tertiò Sancti Martyres, indè alij Sancti omnes.*

314 Mellifluus BERNARDUS *anno* 1130. *serm.* 5. *de Festo Omniū Sanctorū*: *Ad quid (inquit) Sanctis laus nostra? Ad quid glorificatio nostra? Ad quid nostra hęc ipsa solemnitas? Quò eis terrenos honores, quos iuxta veracē Filij promissionē, honorificat Pater Cœlestis? Quò eis preconia nostra? pleni sunt. Prorsùs ita est dilectissimi, bonorum nostrorum Sancti non egent, nec quicquam eis nostra devotione pręstatur. Planè quòd eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantū interest nostra? Ego in me (fateor) ex hac recordatione censeo desiderium vehemens inflammari, &c.*

315 GUILIELMUS ALBERNUS PARISIENSIS, qui *anno* 1230. præclara eruditione enituit, *lib. de Legibus, cap.* 24. Venerationis Sanctis debitæ elegantem istam rationem proponit: * Si quis dicat, quia nos Christiani Templa ædificamus non Dijs, sed hominibus, Sanctis scilicet, & quia Sacra ijs statuimus, videlicet

Pp 2 Festa,

Festa, Sacrasque Cantiones, & Lectiones, quemadmodum & contra Religionem Christianam dixerat Faustus hæreticus; quia Christiani Idola in Martyres, Sacrificia in Agapas converterunt: Respondemus: quia non Templa Sanctis, vel Martyribus, vel alijs; sed Deo Altissimo ędificamus, & quidquid honoris Sanctis impendimus, vt Dei amicis, & vt Dei servis, & propter ipsum Deum solum hoc facimus.*

316 ALEXANDER ALESIVS, cuius sapientia *anno* 1240. doctissimos viros effinxit, *part. 3. quæst.* 30. *artic.* 2. §. 4. * Duplex est (inquit) servitus. Est enim servitus obnoxietatis; & hæc debetur Deo, eo quod est principium nostri esse: est etiam servitus reverentiæ; & hæc debetur Sanctis: quia ipsi sunt nostri ductores, vel per doctrinam, sicut Prelati: vel per intercessionem, vel per administrationem.*

317 Quem sequutus videtur S. BONAVENTVRA *anno* 1260. dum *de Præparatione ad Missam, cap.* 10. hæc habet: * Alijs quoque Sanctis exhibetur honor, & devotio, quæ dicitur Dulia, quę non est Cultus, nec Adoratio, sed subrogatio, & invocatio, vt sint apud Deum advocati pro nobis, & omnis reverentia, quæ eis impenditur, propter Deum, cui coniuncti sunt, exhibetur. Deus autem debet à nobis in immensum timeri, & honorari, & amari.*

318 B. LAVRENTIVS IVSTINIANVS *anno* 1430. *Sermone in Solemnitate omnium Sanctorum*, nos ad horum Venerationem hisce verbis hortatur: *Dominum itaque in Sanctis eius laudemus, quibus tam præcipua munera prærogavit. Propter ipsum quoque veneremur & Sanctos, quibus traditum est triumphale Regnum, iudiciaria Sedes, Angelorum consortium. Quomodo non veneremur illos, quos tanto Christus sublimavit honore? Illos planè venerantur Angeli; quantò magis & nos? Nos itaque contra modulum pravitatis nostræ honore congruo Sanctorum omnium solemnia celebremus, vt qui ob temporis præsentis angustiam, eorumque numerositatem, singulis non valemus specialem Cultū impendere, saltem vniversis persolvere studeamus eò alacrius, quod ipsorum multitudo nos provocat. Magnificæ prorsus exultationis nobis materia ministratur, cum rediviva Sanctorum Gloria celebranda proponitur.*

319 Nec obstat, si contra hæc omnia dicas: Oratio est actus Religionis, vt tradit ANGELICVS PRÆCEPTOR 2. 2. *q.* 83. *art.* 3. sed solus Deus est Religione colendus: ergo Sanctorum corpora non sunt Religione colenda. Non, inquam, obstat: huic enim argumento eruditè satisfacit Angelicus Doctor *loco citato, art.* 4. cuius solutio nostram sententiam eleganter confirmat; ibi enim respondet: illi soli impendi à nobis orādo Religionis Cultum, à quo quærimus obtinere id, pro quo oramus, quia in hoc protestamur eum honorum nostrorum Authorem; non autem eis, quos quærimus quasi interpellatores nostros apud Deum. Quod vt clarius explicet, duplicem distinguit Cultum, alterum Deo debitum, alterum verò Sanctis, qui media Oratione impletur. Tanti Doctoris verba audiamus: * Dicendum quòd oratio porrigitur alicui dupliciter. Vno modò, quasi per ipsum implenda: alio modò sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo Orationē porrigimus: quia omnes Orationes nostrę ordinari debent ad Gratiam, & Gloriam consequendam, quòd solus Deus dat, secundum illud *Psal.* 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

320 Sed secūdo modo (prosequitur) Orationem porrigimus Sanctis Angelis, & hominibus, non vt per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed vt eorum precibus, & meritis, Orationes nostrę sortiantur effectum. Et ideò dicitur *Apocalyp.* 8. *Quòd ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli, coram Deo.* Et hoc etiam patet ex ipso modò, quo Ecclesia vtitur in orando. Nam à Sancta Trinitate petimus, vt nostri misereatur: ab alijs autem Sanctis quibuscumque petimus vt orent pro nobis.*

321 Quod eleganter confirmant ea, quæ tradit ipse Angelicus Præceptor *eadem quæst.* 83. *art.* 11. contra Vigilantium impiè asserentem, Sanctos in Cœlo regnantes nullatenùs esse à nobis interpellandos; hunc enim errorem solita eruditione refellens assignat rationem, ob quam à nobis orandi, & invocandi sunt Sancti; quia nempè 2. *Machabæorum vltimo* dicitur: *Hic est, qui multum orat pro populo, & vniversa Sancta Civitate Ieremias Propheta Dei.* Et in corpore Articuli

ticuli subdit: * Respondeo dicendum, quod sicut Hieronymus dicit, Vigilantij error fuit, quod dùm vivimus, mutuò pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio sit exaudienda Oratio. Præsertim cum Martyres vltionem sui Sanguinis obsecrantes impetrare nequeant. Sed hoc est omnino falsum: quia cum Oratio pro alijs facta ex charitate proveniat, vt dictum est, quantò Sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris Charitatis, tantò magis Oratio pro viatoribus, qui Orationibus iuvari possunt: & quantò sunt Deo coniunctiores, tantò eorum Orationes sunt magis efficaces. Habet enim Divinus ordo, vt ex superiorum excellentia, in inferiora refundatur: sicut ex claritate Solis in aërem: Vnde, & de Christo dicitur *Hebræorum 7. Accedens per semetipsum ad Deum ad interpellandum pro nobis.* Et propter hoc Hieronymus contra Vigilantium dicit: Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, quandò pro se adhuc debent esse solliciti, pro alijs orant, quantò magis post Coronas, Victorias, & Triumphos?*

322 Et ad primum, quo probari videbatur, Sanctos, cum non sint in statu merendi pro se, non posse pro alijs mereri, respondet Sanctus: * Dicendum, quod Sanctis, qui sunt in patria, cum sint Beati, nihil deest nisi gloria corporis, pro qua orant. Orant autem pro nobis, quibus deest Beatitudinis vltima perfectio.* Itaque quamvis Sancti non sint in statu merendi, nec demerendi, sunt tamen, in statu impetrandi, postulandi, & orandi pro alijs, vt ex communi Sanctorum Patrum, quorum verba retulimus, latè supra probavimus, & confirmat Sanctus Doctor ibidem dicens: * Et eorum Orationes habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, & ex Divina acceptione.*

323 GABRIEL BIELLIVS, qui *anno* 1480. sapientiam cum pietate coniunxit, Angelici Præceptoris Doctrinam sequutus est; siquidē *in Canonē Missæ lectione* 30. * Semper (inquit) veneranda est Sanctorum memoria. Et quamvis multis de causis Commemorationem Sanctorum peragit Ecclesia, vna tamen sufficit ad nostrum propositum, quæ est, vt nos fragiles, & mortales, Sanctos immortales venerantes, ipsisque nos commendantes, mereamur ipsorum meritis, & Precibus adiuvari, quatenùs ad Deum plenè glorificandum eorum societati coniungamur.*

324 Ex hucusque dictis apertè convincitur, quàm certum, quàm securum, quàmque vtile Fidelibus omni semper tempore fuerit, Sanctorū Corporibus, & Reliquijs magnifica sepulchra, atque inclyta Templa construere, iuxta communem Ecclesiæ sensum, piamque Fidelium consuetudinem ab ipsa Ecclesia in Generalibus Concilijs approbatam, ac iuxta vnanimem celebriorum in antiquitate Patrum, tàm Græcorum, quàm Latinorum mentem, & Doctrinam, ac tandem iuxta motiva, & rationes, quibus Sancti Patres astruunt, huiusmodi Venerationem, & Cultum rectissimè ab Ecclesia omni tempore fuisse permissum. Et quidem adeò certa, & secura apparet Veneratio Sanctorum Corporibus debita, vt quisquis illam negaverit, Apostolicæ Traditioni videatur opponi. Etenim si illa dicitur Apostolica Traditio, quę ab Apostolorum temporibus emanavit, & in Ecclesia perpetuò servata est, certissimè asserere possumus, esse Apostolicam Traditionem huiusmodi Cultum Sanctorum Corporibus, & Reliquijs exhibitum.

325 Sic rectè adnotavit Eruditissimus DON EMMANVEL GONZALEZ, Præclarissimus Salmanticensis Professor, *lib.3. Decretal. Tit. 45. de Reliquijs, & Veneratione Sanctorum, cap. Cum ex eo, num.6.* sic scribens. * Sciendum est, Venerationē Reliquiarum in Lege Gratiæ iam à temporibus Apostolorum cępisse, & pluribus miraculis comprobatam fuisse contra hæreticos, qui semper curarunt eadem Sacra pignora impugnare, & profanare. Qui vero primus omnium in Ecclesia Dei cultum Sanctarum Reliquiarum ausus est impugnare, fuit Eunomius, nec alio certè quàm Sathanico spiritu afflatus in hanc veritatem debaccatus est, quem perditissimus Vigilantius, & indè Claudius Taurinensis, ac demum cæteri hæreticorum satellites sunt consectati.*

326 Nec obstat dicere, quòd estò hucvsque ex Sanctis Patribus, gravissimisque Authoribus fusè probaverimus, in diversis Christiani Orbis Regnis varia, magnificaque Sepulchra, & Templa in Sanctorū Venerationem fuisse constructa; pręcipuæ tamen difficultatis scopum nondum attigimus; cum à nobis probandum sit fuisse sump-

sumptuosa Divo Petro dicata Templa, contra quem maximè militat argumentum hæreticorum Anacleto Pontifici exprobrantium, quod Apostolorum Principi Magnificum erexerit Sepulchrum. At quàm infirmum sit istud argumentum, authoritate, & ratione sequens §. ostendet.

§. VI.

AVTHORITATE, ET RATIONE ostenditur, Divo Petro magnifica Templa fuisse constructa.

327 Nihil apud historias certius, nihilque magis apud Sanctos Patres indubitatum, quàm plurima esse Sepulchra, ac Templa in Divi Petri memoriam, maioremque Sanctorum Apostolorum venerationem, quorum ipse Princeps erat, ac caput, extructa. Et ne rei isti gravissimæ fundamentum firmissimum videatur deesse, illud ex Sanctorum Patrum, gravissimorumque Authorum testimonijs accipiendum esse iudicavimus.

328 S. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, *anno* 370. Sanctis Apostolis, sicque & illorum Principi Petro, Templum Hierosolymis fuisse conditum affirmat. CYRILLVS EREMITA, *anno* 540. aliud Templum Divo Petro à Beata Eudoxia sacratum esse, testatur. SANCTVS AMBROSIVS, *anno* 370. meminit alterius Templi, Sanctis Apostolis dicati. SANCTVS HIERONYMVS, *anno* 390. Templi in Divi Pauli honorem erecti mentionem facit. SANCTVS AVGVSTINVS, *anno* 400. Basilicam Sanctis Apostolis fabricatam esse asseverat. PAVLINVS NOLANVS, *anno* 410. de Templo Sanctis Apostolis constructo expresse loquitur.

329 PAVLVS OROSIVS, *anno* 420. commendat memorandam illam Venerationem, qua Alaricus Rex, Apostolorum Principibus Templum constituit. SANCTVS LEO MAGNVS, *anno* 450. de Basilica Divo Petro statuta sermonem instituit. S. SIDONIVS APOLLINARIS, *anno* 470. celebrat magnam illam Venerationem, qua fideles tunc temporis veneranda Petri, Paulique Sepulchra prosequebantur.

330 FAVSTVS BENEDICTVS, *anno* 600. narrat Divo Petro Basilicam quandam fuisse sacratam. EVSEBIVS CÆSARIENSIS, *anno* 320. refert, Sacram, celebremque Ædem in Sancti Petri, Divi Pauli, cæterorumque Apostolorum honorem à Constantio fuisse Constantinopoli fundatam. THEODORVS LECTOR, *anno* 520. tradit, sub Imperatore Constantio Sancti Andreæ Apostoli, Divique Lucæ Evangelistę Sancta, Venerandaque Ossa, magna certè, ac pia veneratione fuisse suscepta, & ipsius Imperatoris iussu in magnifico Sanctorum Apostolorũ Templo locata. PROCOPIVS CÆSARIENSIS, *anno* 550. miris laudibus ornat Christianum Zelum, Religiosamque Pietatem, qua Iustinianus Imperator multa Tẽpla constituit, ac præcipuè illud, quod Apostolorum Principibus vovit.

331 VENERABILIS BEDA, *anno* 700. in Divi Petri honorem magnificum Templum Albaniæ conditum commemorat. LVITPRANDVS TICINENSIS, *anno* 950. tradit, in memoriam Beatissimi Petri, Sacratissimam Ecclesiã fuisse constructã. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, *anno* 1100. meminit de alio Templo in honorem S. Petri ædificato. IOANNES ZONARAS, *anno* 1100. in Iustiniani Imperatoris Historia, laudat Catholicam Pietatem, qua Imperatrix Theodora in Apostolorum memoriam, Sacram Ædem institui imperavit.

332 NICEPHORVS CALIXTVS, *anno* 1300. inclytum Templum in Apostolorum honorem, à Paleologo Imperatore erectum, narrat. NICEPHORVS GREGORAS, *anno* 130. in Historia Imperatoris Ducas, eiusque coniugis Irene scribit horum Zelum in Templorum erectione enituisse, præcipuè verò in fabrica illius, quod Duodecim Apostolis dedicatum fuit. GREGORIVS CODINVS, *anno* 1400. commendabilem, miramque Venerationem, qua Imperator Divi Petri Templum prosequutus est, egregijs laudibus effert. HINCMARVS, *anno* 840. *in vita Sancti Remigij*, Sanctissimis Apostolis Petro, & Paulo nobile, ac augustum Templum à Ludovico I. Francorum Rege, Parisijs conditum, tradit.

333 Ex his manifestè deducitur, supradicti argumenti machinam validissimo istò ariete, ex Ecclesiasticę Historię Authoritate desumpto, concussam penitùs corruere, Sanctissimumque Anacletum Pon-

Pontificem iustissimis permotum fuisse rationibus, vt Sanctis, Venerabilibusque Divi Petri Reliquijs, ęterna memoria dignissimis, magnificum construeret Sepulchrum. Hoc enim memorabile Divi Anacleti factum non modò apud posteros, communem Ecclesiæ approbationem, sed & supremorum Christiani Orbis Principum imitationem, in diversis regnis promeruit, qui pijssimo sanè Zelo illud Divi Pauli sequuti: *Æmulamini charismata meliora*, pia ęmulatione adinvicem decertabant, quisnam illorum magnificentius, ac gloriosius Templum felici, ac gloriosæ Divi Petri, Divi Pauli, cęterorumque Sanctorum Apostolorum memoriæ conderet, vt ex luculentissimis præclarissimorum Authorum, præstantissimorumque Ecclesię Patrum testimonijs supra adductis probavimus, adeò vt nihil aliud huic rei superaddi posse videatur, quàm ratione ostendere, Sanctissimum Anacletum rationabili, immò iustissima causa adductum fuisse ad magnificum Sepulchrum venerandę, Divi Petri memorię extruendum; hoc autem duplici ratione præstabimus.

334 Primò, quia communis Sanctorum, tàm Gręcorum, quàm Latinorum consensus, à nobis supra positus, manifestè convincit, illos, qui Christi Passionem imitati, pro Catholica Fide glorioso Martyrio occubuerunt, dignissimos esse, vt eis inclyta Monumenta, ac magnifica Templa erigantur, eorumque corporibus debitus à Fidelibus honor, & Cultus impendatur: hinc præclarissima illa D. AVGVSTINI sententia, dicentis: *Sanctorū corpora, & præcipuè Martyrum Reliquias, ac si Christi membra, sincerissimè honoranda.* Hinc celebre etiam illud S. GREGORII NAZIANZENI dictum, de Sanctis Martyribus sic loquentis: *Quorum vel sola corpora idem possunt, ac Animę Sanctæ, sive tangantur, sive honorentur.* Hinc tandem non miremur, inquam, nos tanto honore, ac veneratione prosequi Sanctos in terris, quando Pater Cœlestis illos, honorificat in Cœlis; vt dicit BERNARDVS: *Quos iuxta veracem Filij promissionem honorificat Pater Cœlestis.* Atqui Divus Petrus, Divusque Paulus Christum Dominum imitantes, suum Sanguinem gloriosè effuderunt, suæque Fidei Constantia, quæ in felici Martyrio, Romæ mirabilitèr illuxit, Ecclesiam plantarunt, eamque sui sanguinis effusione irrigarunt: ergo si Martyrium, quo reliqui Sancti pro Christi Fide de immani infidelium furore, ac rabiè triumpharunt, illis tantum gloriæ peperit, vt dignos effecerit, quibus gloriosa Sepulchra, Templaque à Fidelibus iustissimè erigerentur, vt illorum illustris triumphus, ac celebris facti memoria perennaret; cum hæc eadem ratio militet etiam in clarissimo Divi Petri, Divique Pauli Martyrio, iustissima, ac pijssima ratione permotùs fuit Sanctus Anacletus, ne Divo Petro denegaret, quod tanti Principis Martyrium, quasi suo iure exigere videbatur. Immò Divus Petrus potiori iure, quàm reliqui Sancti, sua constanti Passione, ac victoria, præclarissimaque virtute promeruit, vt magnificum Sepulchrum in sui nominis memoriam conderetur, vt sequens demonstrabit ratio.

335 Probatur secundò: Quia reliqui Sancti nequeunt ad Apostolorum perfectionem pervenire, neque cum illis Sanctitate contendere, eo quod isti in Evangelica Lege, Sanctitatis, gratiæque fluenta immediatè ab ipso Sacro IESV CHRISTI fonte potaverint, vt cum alijs Patribus tradit Angelicus Doctor, dùm illos primitias Spiritus habuisse affirmat: Atqui Sanctus Petrus cęteros Apostolos non modò Sanctitatę æquavit, sed gloriosissimis etiam prærogativis, ac celeberrimis titulis antecelluit: ergo si reliqui Sancti sua sibi Sanctitate compararunt, vt pia Fidelium Devotio inclyta eis Templa construeret, potiori iure, Apostolorum Princeps, idipsum sua sibi Virtute conciliavit.

336 Minor probatur: Quia Divus Petrus sua Virtute promeruit, vt Divina Christi Sapientia illum in Ecclesiæ Principem, ac Apostolici Cętus, totiusque Christiani Orbis Caput assumeret iuxta illud: *Pasce oves meas*: Et item: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis*. Vnde egregia illa laudum preconia, quibus Sancti Patres Divi Petri Dignitatem commendant. S. CLEMENS ROMANVS, qui Apostolorum tempore floruit, sic illum deprædicat *Epist.* 1. *Qua de causa etiam Domini ore, & cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus.* S. DIONYSIVS AREOPA-

PAGITA *de Divinis Nominibus cap.* 3. illum *supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen* *appellavit. S. HIPPOLITVS, illum his laudibus effert: *Petrus dicitur primus Discipulorum, qui Regni Claves habuit.*

337 PRIMA NICÆNA SYNODVS *Arabica Canon.* 39. * Petrus (inquit) cui data est Potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, & vniversam Ecclesiam.* S. ATHANASIVS *Epist. ad Fœlicem*: * Tu es Petrus, sicut veraciter dicit Divinum eloquium: & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ sunt confirmatę.* S. BASILIVS *in Proœmio de Iudicio Dei*: *Petrus, qui & cęteris antelatus fuit Discipulis, cuique magnificentiùs, quam reliquis omnibus datum testimonium est.* S. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, *Cathechesi* 11. *Petrus (inquit) Princeps Apostolorum, & Supremus Ecclesiæ Preco.*

338 Tandem SANCTVS IOANNES CHRYSOSTOMVS, *Oratione Encomiastica in Petrum, & Paulum*, his nominibus extollit: * Petrus Orthodoxæ Fidei principium, Magnus, atque Illustris Dei Sacerdos, necessarius Christianorum Consiliarius, supernarum potestatum thesaurus, honoratus à Domino Apostolus, &c. Dulce spectaculum est Ecclesiæ, splendor totius Mundi, Columba castissima, Apostolorum Doctor, Apostolus ardens, Spiritu fervens, Angelus, & homo, gratia plenus, firma Fidei Petra.* Ergo Sanctus Petrus honoribus, & prærogativis Apostolos supereminet omnes.

339 Vndè cum Divus Petrus iuxta hos Sanctissimos Patres, quos modò adduximus, aliosque, quos brevitatis gratia omittimus, supremas, ac sublimiores Ecclesiæ columnas, Apostolos nempè, tàm gloriosis nominibus antecellat, eosque, sicque & cæteros Sanctos Martyres, & Confessores Sanctitate, specialibusque maioris elevationis, Dignitatis, & Honoris Privilegijs exsuperet; si isti sua Sanctitate promeruerant, vt Ecclesia Fideliũ Pietati permitteret ad maiorem illorum Cultum, & venerationem inclyta Sepulchra, excelsaque Templa erigere; potiori iure Divo Petro, vt Supremo Apostolicæ Sanctitatis, sicque & cæterorum Ecclesiæ Sanctorum Principi, ad amplissimum honoris gradum evecto, ad altissimum Dignitatis verticem fastigiato, & ad Supremam Ecclesiæ Cathedram, Fideique Magisterium assumpto, in quo illum vti Orbis Præsidem Christus ipse constituit, & largitis Regni Cœlorum Clavibus, Authoritatis plenitudine, ac dominativa in terris, & in Cœlis potestate nobilitavit; huic, inquam, potiori iure, quàm reliquis Sanctis (si Christum Dominum, Beatamque eius Matrem excipias) supremum, magnificentius, ac gloriosius totius Militantis Ecclesiæ Sepulchrum debebatur, & Templum. Meritò ergo Sanctus Pontifex Anacletus (quidquid garriant hæretici) Apostolorum Principi Sepulchrum erexit, Templumque sacravit, ne vlla temporis series, aut senectus deleret in terris memoriam illius, qui æternam meretur in Cœlis iuxta illud DAVIDIS *Psal.* 111. *In memoria æterna erit iustus.* Et illud: *Iusti autem in perpetuum vivent*.

340 Ex dictis apertè convincitur, quàm indigna, quàmque petulans fuerit criminatio, qua hæretici in Anacletum Pontificem insurgunt, quòd æternæ Divi Petri memoriæ, gloriosoque istius triumpho, & Martyrio honorificum construxerit Sepulchrum: ea enim fuit Divi Petri Sanctitas, & Dignitas, vt æquissimè meruerit Templa sibi non modò mortuo, sed & vivo etiam erigi, ac sacrari. Quod ne alicui incredibile videatur, proferam Authores egregios Fidei, & veritatis cultores, qui id litteris consignarunt.

341 ERVDITISSIMVS ille Sacrarum litterarum Interpres NICOLAVS DE LYRA, qui maximam sibi æstimationem in litterario Orbe comparavit, *in Psalm.* 18. volens ostendere, ipsis adhuc superstitibus Apostolis, Evangelium in toto Orbe fuisse prædicatum, Templum Petro viventi dicatum, his verbis enarrat: * Vivente Beato Petro Fides Christi prædicata est vsque in Franciam, quæ est in vltimo climate versus Occidentem. Vnde & Senonis fundata est Ecclesia in nomine Beati Petri vivi, quia ipso vivente consecrata est.*

342 Et *in Matth. cap.* 24. fusiùs hęc commemorat, dicens: * Vivente enim Petro Fides prædicata est in Italia; & non solùm in Italia, sed etiam in Gallia, quia Sanctus Sabinianus, qui fuit vnus de septuaginta, missus à Beato Petro in Galliam

Iliam cum pluribus alijs Civitatem Senonensem (quæ tunc erat Metropolis Galliæ, & vocabatur *Civitas Aurea*) convertit ad Christum: & ibi tribus Ecclesijs ædificatis, vna, scilicet, in honorem Beatæ Virginis; alia, in honorem Beati Stephani Prothomartyris, & alia, in honorem Sancti Ioannis Baptistæ; quartam ædificavit in honorem Beati Petri; quæ quia vivente Petro constructa est, ideò *Ecclesia Beati Petri vivi* adhuc nominata est vsque in hodiernum diem.* Hactenùs Lyra, vt apparet *ex antiquis monumentis, & Fideli Traditione Ecclesiæ Senonensis.*

343 Et *in Proœmio Abdiæ*: *Procedens (inquit) vsque in Franciam Sanctus Sabinianus, qui fuit de septuaginta duobus Discipulis vnus, convertit ad Fidem Civitatem Senonensem, quę tunc erat Metropolis in tota Francia, & *Civitas Aurea* vocabatur: & post Civitatis conversionem, eam Domino dedicavit, faciens Cruces in muro Civitatis cum pollice, cui cedebat lapis sicut cera mollis, & adhuc apparent in pluribus locis, sicut ego vidi, qui hæc scripsi.* Hactenus ille.

344 Doctissimo Lyræ asserenti, à Sancto Sabiniano fuisse Ecclesiam Divo Petro, tunc temporis adhuc in terris degenti, constructam, subscribit ADRIANVS FINVS *lib. 5. Flagelli adversus Iudæos, cap.* 10. & PETRVS CANISIVS *lib. 5. de MARIA, cap.* 23.

345 De Sancto Sabiniano præclara fit mentio in Martyrologijs Romanis S. BEDÆ, S. ADONIS, VSVARDI, & in alijs. Quod verò Sanctus Sabinianus vnus fuerit de septuaginta duobus Discipulis, vt Lyranus affirmat, latuit id quidem Hyppolitum Thebanum, & Dorothæum, qui in Indicibus septuaginta duorum Discipulorum à se confectis, nullatenùs de Sabiniano meminerunt.

346 S. MARCVS Evangelista, primus Alexandriæ Episcopus, suo Magistro Divo Petro superstiti, Templum in eadem Civitate erexit, prout refert GELASIVS I. Pontifex in Concilio Romano, dicens: * Secunda Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco eius Discipulo, & Evāgelista consecrata est.* Et SANCTVS PETRVS DAMIANVS *Serm. de Sancto Marco*, idem testatur, dicens: *Alexandrinam Marcus Evangelista fundavit Ecclesiam, eamque Magistri nomine fideliter dedicavit.*

347 At certum est, eam Dedicationem Ecclesiæ à Marco factam non potuisse contingere, nisi vivente Petro; quod planè probatur, nam certum est ex EVSEBIO *lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 24. S. HIERONYMO *de Scriptoribus Ecclesiasticis in Marco, Martyrologijs Romanis*, S. BEDÆ, S. ADONIS, VSVARDI 25. *Aprilis*, Sanctum Marcum consummasse Martyrium *Octavo Neronis anno*; & aliàs constet consensu omnium, Sanctum Petrum Martyrium obijsse *decimotertio Neronis anno* (vt Annales Ecclesiastici BARONII, & GORDONII *anno Christi 69.* demonstrant) indè deducitur, quod si Sāctus Marcus Petro Apostolo Ecclesiam Alexandriæ dedicavit, non Petro mortuo, sed eo vivente fundare potuit.

348 Antiochię Ecclesia etiam Divo Petro viventi consecrata est, & in ea illius Cathedra cōstituta, vt tradit CLEMENS ROMANVS *lib.* 10. *Recognitionum, cap. vlt.* sic scribens: * Cùm Petrus Apostolus multos à varijs langoribus Antiochiæ contra Simonem Magum curasset, tantam Spiritus Sanctus in illa die gratiam suæ virtutis ostendit, vt omnes, à minimo vsque ad maximum, vna voce confiterentur Dominum; & ne multis immorer intra septem dies, plus quàm decem millia hominum, credentes Deo baptizati sunt, & sanctificatione consecrati, ita vt omni aviditatis desiderio Theophilus, qui erat cunctis potentibus in Civitate sublimior, domus suæ ingentem Basilicam, Ecclesię nomine, consecraret, in qua Petro Apostolo constituta est ab omni Populo Cathedra, & omnis multitudo, quotidie ad audiendum verbum conveniens, credebat sanæ Doctrinæ, quam sanitatum efficacitas affirmabat.* Vide Magnum Theatrum Vitæ humanę verbo *Templum.*

349 Magister THOMAS MALVENDA, in Sacris litteris, & Ecclesiastica Historia summa cum laude, & admiratione versatus, *lib. 4. de Antichristo, cap.* 2. idem ijs ferè verbis commemorans: * Apud Clementem (inquit) *lib.* 10. *Recognitionum, cap. vlt.* refertur, Theophilum nobilem quendam Antiochenum, à Sancto Petro Apostolo ad Fidem conversum, domum suam Ecclesiam, in honorem eiusdem Apostoli, adhuc viventis, cōsecrari fecisse: in eaque Petri Cathedram, qua Antiochię sederat, collocasse.*

350 Germaniæ etiam aliud Templum memoriæ Divi Petri, dùm adhuc inter vivos numerabatur, sacratum esse refert CANISIVS *lib.5. de Beata Virgine, cap.* 23. asserens, celebrem in Germania vigere Traditionem, veteresque Coloniensis, & Treverensis Ecclesiæ Annales prodere, Sanctum Maternum, ex primis Petri Apostoli Discipulis, non procul à Molsehim prope Argentinam, Templum in eiusdem Sancti Petri, nondùm mortui, honorem dedicasse, Domum Petri (sivè Germanicè Thom Peter) appellatum. Retinent Materni memoriam inter Sãctos celebrẽ, Martyrologium Romanum, & S. BEDÆ 14. *Septembris.*

351 Nec mirum quod Divo Petro, dum corporis adhuc compagibus includebatur Templa erigerentur; quandoquidem id in Primitiva Ecclesia novum, ac inusitatum non fuit: Martham enim, & Mariam sorores, Dei Genitrici adhuc viventi Ecclesiam Massiliæ extruxisse, *ex Annalibus Francorum* adnotat PETRVS CANISIVS *lib.5. de B. MARIA Virgine*, *cap.*23. & attestatur P. Magister VINCENTIVS BELLOVACENSIS *lib.* 8. *Speculi Historialis, cap.*29.

352 Sic etiam apud Antaradum Insulam in mari Phœnicio, Sanctum Petrum Apostolum ædificasse Sacellum, seu parvam Ecclesiam in honorem Sacræ Virginis Deiparę adhuc viventis, in qua primùm idem Apostolus Missæ Sacrificium peregit, ex incolarum Fideli Traditione acceperunt, qui cum Gothifredo Bullionio in memorabilem illam Terræ Sanctæ expeditionem profecti sunt; vti adnotavit RAPHAEL VOLATERRANVS *lib.*11. *Geographiæ.* Et CHRISTIANVS ADRICOMIVS *in Theatro Terræ Sanctæ in locis exteris, num.* 7. hæc refert: * Scribit Clemens, Divum Petrum Apostolum, cum ab Ierosolymis Antiochiam petens, Phœnicem circumiret, Antaradi aliquãdiu Evãgelium prædicasse. Vbi eumdem in Beatæ MARIÆ Virginis honorem parvam fundasse Ecclesiam, & in eadem Divina Mysteria celebrasse, Vvilhelmus Tyrensis Archiepiscopus, & Iacobus de Vitriaco Episcopus Ptolemaidensis referunt.*

353 Nec modò Sanctus Petrus, sed Sanctus etiam Iacobus Apostolus Beatissimę Virgini Matri, vitam adhuc Ierosolymis agenti, Templum Cęsaraugustę Tarraconensis Hispaniæ consecravit. Et quamvis id pereni, & constantissima Ecclesiarum Hispaniæ Traditione exploratissimum sit, innumerabilesque possem adducere Authores, qui vnanimi consensu hanc veritatem testantur, vnum non omittam Valentinum Authorem, quem magna certè Sacrarum litterarum, & Ecclesiasticæ Historiæ eruditione cumulatum meritò, quasi plena manu, & ore Sapientissimorum virorum concio dilaudat, Magistrum nempè Fr. THOMAM MALVENDA insigne Prædicatorum, sicut & Valentinorum decus, & ornamentum, qui *lib.*4. *de Antichristo, cap.*5. hæc scribit: * Sed non est prætermittendum clarissimum illud, & immortale monumentum adventus, & prædicationis Sancti Iacobi in Hispania, nẽpè Ecclesia Sanctæ MARIÆ vulgò *del Pilar* dictę in Cęsaraugustana Vrbe: perẽni enim, & constantissima Ecclesiarum Hispaniæ Traditione exploratissimum apud omnes habetur, Sancto Iacobo Apostolo Zebedæi filio Cęsaraugustæ, quæ Vrbs est Nobilissima Celtiberię, ad ripam amnis Iberi oranti, Beatissimam MARIAM Virginem, adhuc eo tempore Ierosolymis in humanis agentem, super Columnam iaspideam ingenti miraculo conspicuam se præbuisse visendam: atque eidem Apostolo clarè iussisse, vt eo ipso loco, quo eam vidisset, in honorem ipsius Dei Genitricis Sacram Ædem construeret. Manet ad hanc vsque diem & Columna, super quam Virgo Deipara Sancto Iacobo apparuit, & Capella ipsa, seu Ecclesia in honorem Beatæ Virginis ab eodem Apostolo ædificata, sanè toto Orbe celebris, & Fidelium votis locum devotionis ergo invisentibus, & magnis miraculis nobilitata.

254 Porrò adeò insignis, & præclara eiusmodi sacra memoria semper est habita, vt eam & cuncti nostrę Gentis Annales, & omnes Authores egregiè scriptis suis ad omnem posteritatem commendaverint; cum primis MARINÆVS SICVLVS *lib.* 5. *de laudibus Hispaniæ, cap. de Sacris Ædibus*, PETRVS BEVTER *lib.* 1. *Chronic Hispan. cap.*23. IOANNES BASSÆVS *in Chronic. Hispan. anno Christi* 37. AMBROSIVS MORALES *lib.*9. *Rerum Hispanic. cap.* 7. STEPHANVS GARIBAYVS 1. *part. lib.*7. *de Rebus Hispaniæ*, *cap.*2. HIERONYMVS BLANCAS *in Comment.*

ment. rerum Aragoniæ sub initium, IOANNES MARIANA *lib.* 4. *Hispanicarum rerum*, *cap.* 2. LVDOVICVS NONNIVS *in Hisp. cap.* 82. *de Cæsaraugusta*, GARCIAS LOAYSA *in tract. de Primatu Toletanæ Ecclesiæ*, *in Notis ad Concilia Hispanica*, *post Decretum Gundemari Regis*, *pag.* 292. *in margine*. ANDREAS SCHOTTVS *Biblioth. Hispan. tom.* 1. *cap.* 5. PETRVS CANISIVS *lib.* 5. *de Maria Virgine*, *cap.* 21. & 23. MARTINVS DELRIVS DISQVISIT. MAGIC. *lib.* 2. *quæst.* 26. *sect.* 5. ALPHONSVS MENDOZA *in Quodlibet. quæstionum*, *quæst.* 5. *Scholastica*, *num. margin.* 13.

355 Vt alios (prosequitur Maluenda) innumeros prætermittam, hac de re ex professo egerunt, BARTHOLOMÆVS LAVRENTIVS, CANONICVS, & PRIOR ECCLESIÆ CÆSARAVGVSTANÆ SANCTÆ MARIÆ DEL PILAR *in Indice Authorum de Adventu Sancti Iacobi in Hispaniam*, PETRVS CENEDVS, Canonicus, & Prior eiusdem Ecclesiæ *in Collectaneis ad Ius Canonicum ad textum in Canon. Beatus* 22. *quæst.* 2. *Collect.* 43. IOANNES FERNANDEZ VELAZQVIVS, Comestabuli Castellæ, *lib.* 1. *de adventu S. Iacobi in Hispanias*, FRANCISCVS A IESV *discurs.* 1. *de adventu S. Iacobi in Hispanias*, MICHAEL MARTINEZ DEL VILLAR *in Motivis sententiæ latæ pro Ecclesia del Pilar*, *pag.* 6. DIDACVS MOTA *in Libello de adventu S. Iacobi in Hispanias*, DIDACVS CASTILLVS, Ecclesiæ Palentinæ Canonicus *de adventu S. Iacobi in Hispan.* MAVRVS FERRERIVS *in plenissima Historia rerum S. Iacobi Apostoli*.

356 Sed vnum pro omnibus testem omni exceptione maiorem audiamus, CALIXTVM III. Romanum Pontificem, qui peculiari Diplomate *dato Kal. Octobris*, *anno* 1456. inter alia, ait: *Cum itaque, sicut accepimus, Ecclesia Monasterij per Priorem solita gubernari, eiusdem S. MARIÆ, *de Pilari* nuncupatæ, Civitatis Cęsaraugustanę, Ordinis S. Augustini, interceteras sub vocabulo B. MARIÆ Ecclesias, prima B. MARIÆ de Pilari fore noscatur: in qua dicta B. MARIA antequàm ad Cœlos assumeretur, cum IESV CHRISTO Filio suo, & Domino nostro, Beato Iacobo Maiori in Columna marmorea apparuit, & ob hoc ipsa Ecclesia nomen B. MARIÆ de Pilari assumpsit: ac inibi quàm plurima, & infinita miracula dietim fiunt: necnon Christi Fideles cum magna devotione, & veneratione Imaginem eiusdem B. MARIÆ, & eius Filij in quadam Capella ipsius Ecclesiæ, quæ de mandato dictæ B. MARIÆ per dictum B. Iacobum fabricata est, & *Camera Angelica Dei Genitricis de Pilari* nuncupata, & appellata existit, colunt, & venerantur, ac cum magna devotione visitare non cessant. At iam plurima testimonia, & argumenta in re luce meridiana fulgentiore, coacervare velle, nimis esset supervacaneum. His enim quævis quantumvis refractaria ingenia abundè persuaderi possunt.* Hactenùs Maluenda.

§. VII.

OSTENDITVR CVR DIVO PETRO viventi Templa consecrata sint?

357 CVM non vnum, sed & multa Templa in Divi Petri, non modò denati, sed etiam viventis memoriam, in diversis Christiani Orbis Regnis, vti Ierosolymis, & Antiochię in Oriente, in Germania, & Gallia in Occidente fuisse constructa, & in illius honorem sacrata, ex melioris notæ, optimæq; Fidei Authoribus superiori §. probaverimus; inquirenda modò nobis est ratio, qua adduci potuit Ecclesia, vt Cultum istum exoticum, peregrinum, singularem, ac pręter communem consuetudinem, quæ ab Apostolorum temporibus ad nostram vsque ætatem in ea servata est, tunc temporis tanta celebritate, ratione, ac æquitate permisserit? Et quamvis hac de re ne verbum quidem apud Authores, quos viderim, occurrat, mihi tamen persuadere non possum, æquissimam deesse huius Cultus rationem, quam sic propono.

358 Communi Ecclesię consuetudine, ab omnibus vniversaliter admissa, celeberrimum est, Templa in memoriam, & Cultum illorum construere, quorum Sanctitas legitimè innotescit Ecclesię, vt testantur omnia Templa, quę ab Apostolorum temporibus ad nostros vsque dies condita sunt: nullum namque invenitur, quod in honorem alicuius Sancti, vel Sanctæ

ctæ, de cuius virtute, & sanctitate Ecclesię legitimè constiterit, extructum non sit: atqui ea fuit Divi Petri, dum adhuc in terris degebat, sanctitas, ac virtus, vt Ecclesia minimè posset de illa dubitare: æquissimè ergo permisit, vt Templa in Divi Petri adhuc viventis honorem ædificarentur.

359 Minor multiplici est à nobis ratione probanda. Primò, quia si sanctitas in Gratia sanctificante, tamquam in radice fundatur, hæc in Divo Petro indefectibilis fuit ob impeccabilitatis donum, quod à Christi liberalitate suscepit, quando Apostoli post Christi Resurrectionem fuerunt in Gratia confirmati, iuxta illud: *Confirmavi columnas eius.* Etenim, vt fert communis Sanctorum Patrum consensus, nosque cum Angelico Præceptore probavimus, Apostoli tunc confirmationem in gratia, quæ illos in reliquum vitę suæ tempus impeccabiles reddidit, sicque & in virtute, & sanctitate firmos, ac stabiles effecit, obtinuerunt. Et estò id omnibus Apostolis fuerit commune, Divo tamen Petro, peculiari quadam ratione, prędictum impeccabilitatis donum concessum fuisse, credendum est. Cum enim ab ipso Christo electus fuerit Apostolorum Caput, Duxque Sanctorum, ac Princeps Collegij, in quo prima sanctitas effloruit, rationi congruum videbatur, vt quò cæteris Dignitate præstabat, eò pręstaret sanctitatis Privilegio.

360 Secundò, quia Divus Petrus, dum adhuc in humanis degeret, constitutus fuit ab ipso Christo Vniversalis Ecclesiæ Caput: de Ecclesiæ autem sanctitate nemo potest iure dubitare, dicente Spiritu Sancto, *Cantic.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; ista enim verba Sancti Patres, cæterique Sacrarum litterarum Expositores de Ecclesiæ sanctitate intelligunt, iuxta illud DIVI PAVLI 1. *ad Corinth.* 3. *Templum* enim *Dei sanctum est, quod estis vos.* Tùm quia cũ Christus sit sanctitatis Fons, & origo, incredibile est Ecclesiã illius Sponsã nõ fuisse ab ipso sãctificatam. Vnde Ecclesia à Patribus Nicæni Concilij Sancta describitur ad differentiam congregationis malignantium, quę sancta non est, sed impia, & sceleribus fœdata. Hinc de congregatione malignantium dicitur *Psalm.* 25. *Odivi Ecclesiam malignantium*: de Christi verò Ecclesia, hæc scribuntur *Psalm.* 149. *Laus eius in Ecclesia Sanctorum.* In quæ verba, hæc habet AVGVSTINVS: * Ecclesia Sanctorum, Ecclesia Catholica est; Ecclesia Sanctorum non est dicenda Ecclesia Hæreticorum.*

361 Sancta etiam dicitur Ecclesia, quia à Spiritu Sancto sanctificata, quam quidem sanctitatem profundit ei Spiritus Sanctus (vt rectè B. ALBERTVS MAGNVS annotavit) in Sacramentis, virtutibus, & Donis, quæ dat ad sanctitatis perfectionem. Quare cum tota Ecclesia Sancta sit, iuxta illud: *Tota pulchra es, &c.* necesse est, vt Mysticum illius Corpus totum sit Sanctum à planta pedis vsque ad verticem capitis: Cùm autem Divus Petrus adhuc vivens, Ecclesiæ Caput ab ipso Christo creatus sit, iuxta illud *Ioannis vlt. Pasce oves meas*, hinc rectè deducitur, ipsi à Christo infusam esse eam sanctitatem, quam Sanctæ Ecclesię Caput quasi suo iure exigere videbatur; alias Ecclesia deformis, aspectuque horrida, immò & monstruosa appareret, si cum ipsa tota pulchra, & Sancta sit, illius Caput, præcipua istius corporis pars, Sanctum non esset. Vt ergo verificetur, totam Ecclesiam decoram esse, ac Sanctam, dicendum proculdubiò est, Divum Petrum ab eo tempore, quo Ecclesiæ Caput est creatus, præstanti semper fuisse sanctitate insignitum.

362 Tertiò, quia Divus Petrus non modò fuit Ecclesiæ Sanctę Caput, ac Summus Ecclesiæ Hierarcha, sed pes, basis, ac solidum illius Fundamentum. Ecclesiam autem exigere non modò suum Caput sanctum esse, sed & pedes etiam sanctitate ornati, certissimum est; sicut enim in naturali corpore non solùm datur caput, sed dantur etiam & pedes, quibus tota corporis moles innititur; sic etiam in Mystico Ecclesiæ Corpore, vt ipsa tota sancta sit, non modò illius Caput, sed Fundamentum etiam, cui illius firmitas innititur, debet sanctitate insigniri; siquidem Sanctũ idem est quod firmum: vnde apud Antiquos Sancta dicebatur, quæ legibus erant munita, & Sanctum etiam dicitur, quod lege firmatum est. Hac ergo ratione Ecclesia Christi Sancta est, quia à Deo æterna prædestinatione, & Lege Divina ordinata est, Paulo Apostolo attestante, qui *ad Ephes.* 1. sic loquitur: *Elegit nos* (prædestinando scilicet, vt notat Glossa) *in ipso ante mũdi constitutionem, vt essemus Sancti, &*

imma-

immaculati in conspectu eius in Charitate: id est, non meritis nostris, sed sua Charitate, vt explicat Glossa.

363 In hac etiam significatione Ecclesia dicitur Sancta, & firmata, vt violari non posit, cum à Fide, & Charitate, quæ in Christo est, numquàm defectura sit: vnde *Psalm.* 77. dicit PROPHETA: *Ædificavit sicut vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.* Vbi Glossa DIVI HIERONYMI: * Id est, ipsam Ecclesiam singulari virtute firmavit, vt immobilis in sæcula sempiterna consisteret.* Et in *Psalmo* 103. idem Propheta Domino ita loquitur: *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Super quæ verba sic scribit AVGVSTINVS: * Terram intelligo Ecclesiam, quæ est firmitas eius super quam fundata est, nisi Fundamentum, de quo Apostolus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Ibi ergo firmati sumus meritò, quia ibi firmati non inclinabuntur in sæculum sæculi, nihil enim firmius isto fundamento.* Ex quibus deducitur, pedes, quibus innititur Ecclesia, Sanctitate, ac firmitate debere pollere.

364 Petrum autem, illiusque in Fide firmitatem esse basim, & Fundamentum, quo firmatur, fulcitur, ac sustentatur Ecclesia, efficacitèr probat illa Christi *apud Matthæum cap.* 16. Promissio: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; hæc enim verba sic exponit GLOSSA: * *Super hanc Petram*; idest, super hanc Fidei Confessionē fundabo Ecclesiā meam, & sequitur, *& portæ inferi*, idest, peccata, minę, blandimēta, & hęreses vt dicit Glossa. *Non prævalebunt adversus eam*, Glossa, idest, non separabunt eam à Fide, & Charitate mea.* Hanc Glossę explicationem amplectitur CARDINALIS TVRRECREMATA, *de Ecclesia*, *lib.* 1. *cap.* 9. hæc superaddens: * Cuius impermutabilis testis est Beatissimus Paulus *ad Roman.* 8. dicens: *Certus sum, quod nec mors separabit nos á charitate Christi.**

365 Consonat antiquissimus, & Eruditissimus VICTOR ANTIOCHENVS, qui dùm *in cap.* 3. *Marci*, hæc profert: * Ne quis casu, aut temerè Apostolos electos putet, Evangelista singulorum nomina ordine recenset. Dicit autem Simoni imposuisse nomen Petri, quō nimirum nomen, rem ipsam anticipet. Quia enim Christus Dominus super Petram, hoc est supra infractam, Sanctamque Petri Doctrinam, incōcussamque eius Fidem, Ecclesiam ædificaturus erat, ob id prophetico Spiritu Petrum illum appellat.*

366 Id ipsum multis retrò annis tenuerat SANCTVS CYPRIANVS, siquidem *Epist.* 40. * Deus (inquit) vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum, Domini voce fundata.* Et in *Epist.* 55. idem confirmat, sic scribens: * Petrus tamen, super quem ædificata à Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait: *Domine, ad quem ibimus?* * Idem Sanctus *Epist.* 69. * Conversus (inquit) Dominus ad duodecim dixit: *Numquid & vos vultis ire?* Respondet ei Petrus dicens: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus, quoniam tu es Filius Dei vivi.* Vbi (ait Sanctus) loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia.* Et *Epist.* 70. ita scribit: * Vna est Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine vnitatis, & ratione fundata.*

367 Item *Epistola* 71. *ad Quintum Fratrem*, hæc tradit: * Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam.*

368 Et *Epist.* 73. *ad Iubaianum*, sic loquitur: * Petro primùm Dominus, super quem ędificavit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istā dedit, vt id solveretur in Cœlis, quod ipse solvisset in terris.*

369 Subscribit SANCTVS HILARIVS, *in Expositione Psalmi* 131. vbi inter alia, hæc habet: *Cum IESVS quędam de Passione sua loquutus ad Discipulos fuisset, & Petrus, tamquam indignum hoc Dei Filio, detestatus esset, Petrus, cui superiùs Claves Regni Cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ędificaturus erat, adversus quā portę inferi nihil valerēt: qui quę in terris, vel solvisset, vel ligasset, ea in Cœlis, vel soluta persisterent, vel ligata. Hunc itaque tali convitio detestantem hoc Sacramentum Passionis excepit: *Vade post me Satana, scandalum mihi es.* Tanta enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum Filij Dei Confessorem,

Ec-

Ecclesiæ Fundamentum, Cœlestis Regni Ianitorem, & in terreno Iudicio Iudicem Cœli, Satanæ convitio nuncuparet.*

370 Suffragatur AMBROSIVS *Sermone* enim 47. loquens de Sancto Petro, illiusque Constantia, ac Fidei Firmitate, sic illum commendat: *Tamquam bonus enim Pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, cęteros Fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate devotionis, Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petra dicitur, eo quod primus in nationibus Fidei fundamenta posuerit, & tamquàm saxum immobile totiùs operis Christiani compagem, molemque contineat.*

371 Eadem fuit S. HIERONYMI, mens *lib.* enim 1. *Adversus Iovinianum cap.* 14. exponens illum locum *Matth.* 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* *Super Petrum (inquit) fundatur Ecclesia: licet id ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti Claves Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

372 Idem Sanctus *lib.* 1. *Dialogorum adversus Pelagianos cap.* 4. id explicuit dicens: *Vt Plato Princeps Philosophorum, sic Petrus Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutitur.* Tandèm *Epist.* 54. *ad Marcellum*, ait idem Sanctus Doctor; *Si Apostolus Petrus, super quem Dominus fundavit Ecclesiam, & Prophetiam, & Promissionem Domini illo tempore completam memoravit, quomodo possumus nobis aliud tempus vindicare?*

373 In eundem scopum collimat antiquus ille Scriptor ARNOBIVS ROMANVS, qui *anno* 440. viguit; *in Psal.* enim 138. *Ecce (inquit) Apostolo Petro pœnitenti succurritur, qui est Episcopus Episcoporum, & maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti. Quod vt doceam, illud ostendo, quod nullus Apostolorum nomen Pastoris accepit. Solus enim Dominus IESVS CHRISTVS dicebat: *Ego sum Pastor bonus: me*, inquit, *sequuntur oves meæ. Ioan.* 10. Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis Potestatem post Resurrectionem suam Petro penitenti concessit, & ter negatus, negatori suo hanc, quam solus habuit, tribuit Potestatem, vt non solum recuperasse, quod amisserat, probaretur, verum etiam, & multò ampliùs pœnitendo, quàm negando perdiderat, acquisisse.*

374 Hæc amplius illustrantur S. LEONIS MAGNI Authoritate, qui *Serm.* 3. *de Anniverſ. Assump. suæ ad Pontificatum*, explicans illa verba: *Quia tu es Petrus*, ait: *Id est, cum ego sim inviolabilis Petra, ego Lapis Angularis, qui facio vtraque vnum, ego Fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque Petra es, quia mea Virtute solidaris, vt quę mihi Potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Super hanc (inquit) Fortitudinem ęternum extruā Templum, & Ecclesiæ meæ Cœlo inferenda sublimitas, in huius Fidei firmitate consurget. Hanc Confessionem portæ inferi non, &c.*

375 Et *Epist.* 89. *cap.* 1. loquens de Petro ad Pastorale Munus Ecclesiæ assumpto, hæc habet: *Hunc enim in consortium individuæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, volui nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, vt æterni ędificatio Templi, mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam sua firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent.*

376 Tandèm nobis egregiè patrocinatur S. EVLOGIVS TOLETANVS, qui *in suo Memoriali Sanctorum*, ait: *Nam & Beatus Petrus, Princeps Apostolorum, firmissimum Ecclesię Catholicę Fundamentum, vtpotè cui ab ipso Redemptore dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ita in suis Epistolis ait, &c.*

277 Ex dictis colligitur, quod cum Sanctorum Patrum Authoritate, eruditione, ac Doctrina probaverimus, Christum Dominum constituisse Divum Petrum, indefectibilemque illius Fidem, vti solidum fun-

Fundamentum, cui Vniversalis Ecclesiæ inniteretur constructio; cumque insuper à nemine possit dubitari, totam Ecclesiam à planta pedis vsque ad verticem capitis sanctitate pollere, iuxta illud: *Tota pulchra es amica mea*; vt modò ex Sanctis Patribus ostendimus, & Catholica Fide profitemur, cum dicimus: *Credo in vnam Sanctam Ecclesiam*; hinc deducitur Divi Petri Sanctitatem, dum adhuc morabatur in terris, Ecclesiæ apertissimè innotuisse, cum sua virtute, ac perfectione meruerit, vt vivus non modo Ecclesiæ Caput, sed & pedes, basis, ac Fundamentum à Christo Domino constitueretur. Vnde si reliquis Sanctis, post illorum obitum, meritò Templa eriguntur; quia tunc, & non antea, Ecclesiæ illorum Virtus, & perfectio nota est, cum Divi Petri adhuc viventis Sanctitas Ecclesiæ satis aperta fuerit, ac manifesta, ęquissimè ipsi viventi Ecclesiæ constructę sunt, in perpetuum eius Sanctitatis monumentum.

378 Quartò, quia non potest Ecclesia maiorem certitudinem de alicuius Sanctitate habere, quàm illi constare, eam esse ab ipso Christo, qui omnis Sanctitatis Fons est, & origo, primusque Ecclesiæ in Evangelica Lege Fundator, ore proprio laudatam; at ea fuit Divi Petri Sanctitas, vt ipso adhuc vivente ab ipso Christo fuerit ore proprio canonizata, iuxta communem Sãctorum Patrum intelligentiam: ergo ęquissimè Ecclesia permisit, vt Petro viventi cõsecrarentur Templa. Maior certissima est.

379 Minor, in qua poterat esse difficultas, Sanctorum Patrum Authoritatibus ostenditur. Primus sit S. CLEMENS ROMANVS *Epist. 1. ad Iacobum*: * Simon (inquit) Petrus verę Fidei merito, & integrę prędicationis obtentu, Fundamẽtũ Ecclesię esse definitus est. Qua de causa etiam Dominico ore, & cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus, cui & primò Deus Pater Filium revelavit, cui & cõpetẽter Beatitudinem contulit: qui & vocatus est, & electus est, & conviva Domini, & comes effectus, tamquàm bonus, & probatissimus Discipulus, qui obscuriorem mundi plagam (Occidentis) velut omnium potentior, illuminare præceptus est, quique & integrè potuit implere præceptum.*

380 S. HIPPOLYTVS *Oratione de cõsummatione mundi*, hæc habet: * Princeps Petrus, Fidei Petra, quem *Beatum iudicavit Christus Deus noster*, ille Doctor Ecclesiæ, ille primus Discipulorum, qui Regni Claves habuit, docuit me, dicens, &c.*

381 S. BASILIVS MAGNVS *ad cap. 2. Isaiæ*: * Vnus (inquit) ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellavit, propter firmitatem maximam Fidei, propter infractum robur animi, ad non cedendum inflictis plagis tentationum. Super quam Petram promisit ædificare Ecclesiã suam.* Sed meliùs *in Procemio de Iudicio Dei*: * Beatus Petrus (inquit) qui & cæteris antelatus fuit Discipulis, cuique magnificẽtius, quàm reliquis omnibus, datum testimonium est, magisque quàm reliqui omnes *Beatus* appellatus, cui Claves Regni Cœlestis commissæ.*

382 Sed clariùs loquitur idem Sãctus *Oratione 3. de Peccato*, dicens: * At minister talis, ac tantæ sentẽtiæ est B. Petrus, qui omnibus alijs discipulis antepositus fuit, & qui testimoniũ maius, *& qui Beatitudinem longè ampliorem*, cæteris omnibus adeptus erat, cui denique Claves Regni Cœlorum erant concreditę.* Idem Sanctus in huius cõfirmationem *in Procemio Præceptionũ latiùs disputatarũ*: * Ad hæc (inquit) scitum fuerit, si illud Principis Apostolorum recordemur, meminerimusque, quia post tot pręclarè sibi acta, & *Beatitudinis* à Christo delatam gloriam, vnius dumtaxat errati gratia audivit: *Nisi lavero te, nõ habebis partẽ mecũ. Ioã. 13.**

383 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Oratione encomiastica in Petrum, & Paulum*, de Beato Petro loquens sic illum commendat: * Apostolorum Doctor, Apostolus ardens, spiritu fervens, Angelus, & homo, gratia plenus, firma Fidei Petra, senilis Ecclesiæ sapientia, qui ob puritatem *Beatus, & filius Columbæ* ex Dominico ore audivit: qui Claves Regni Cęlorum ab ipso Domino accepit.*

384 S. HILARIVS *in Matth. cap. 16.* expendens verba illa Cõfessionis Petri: *Tu es Christus Filius Dei vivi, &c.* hæc habet: * Et dignum planè confessio Petri præmium consequuta est, quia Dei Filium in homine vidisset. *Beatus hic est*, qui vltrà humanum modum oculos intendisse, & vidisse laudatus est: non id, quod ex carne, & sanguine erat cõtuens, sed Dei Filium Cœlestis Patris revelatione conspiciens, dignusq; iudicatus, qui, quod in Christo Dei esset, primus agnosceret.*

S. LEO

385 S. LEO MAGNVS *Serm. 3. de Anniverſ. die Aſſumpt. ſuæ*, de Apoſtolorum Principe loquens, hæc ſcribit: * Qui cum dixiſſet: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi: Matth. 16.* reſpondit ei IESVS: *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, & ſanguis nō revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt.* Id eſt, ideò Beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit, ſed inſpiratio Cœleſtis inſtruxit: & non caro, & ſanguis, ſed ille me tibi (cuius ſum Vnigenitus Filius) indicavit. *Et ego* (inquit) *dico tibi*: hoc eſt, ſicut meus Pater tibi manifeſtavit Divinitatē meam: ita & ego tibi notam facio excellētiam tuam, *Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.**

386 Sed clariùs ſe ſe explicat idem Sāctus *Hom. de Transfiguratione Domini, cap.* 1. ibi enim, inter alia, hæc ad rem noſtram aptiſſimè profatur: * Interrogaverat Dominus Diſcipulos ſuos, inter diverſas aliorum opiniones, quid ipſi de eo crederent, quidvè ſentirent? Vbi Petrus Apoſtolus per revelationem Summi Patris corporea ſuperans & humana tranſcendēs, vidit mentis oculis Filium Dei, & confeſſus eſt gloriam Deitatis: quia non ad ſolam reſpexit carnis ſubſtantiam, & ſanguinis, tantumque in hac Fidei ſublimitate complacuit, vt BEATITVDINIS FELICITATE DONATVS ſacram inviolabilis Petræ acciperet firmitatem, ſuper quam fundata Eccleſia, portis inferi, & mortis legibus prævaleret: nec in ſolvendis, aut ligandis quorumcumque cauſis, aliud ratum eſſet in Cœlis, quàm quod Petri ſediſſet arbitrio.*

387 Tandèm SANCTISSIMVS AGATHO, Pontifex Maximus, elegantiſſimè idem confirmavit; *Epiſt.* enim *ad Conſtantinum Imperatorem, Heracliū, & Tiberium Auguſtos*, hęc, inter alia, ſcripſit: * Quod & Beatus Petrus Apoſtolorum Princeps commonet: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Chriſti.* 1. *Petri* 5. Hanc Doctrinam Beatus Petrus tradidit: quia eius vera Confeſſio à Patre de Cœlis eſt revelata, pro qua à Domino omnium BEATVS ESSE pronunciatus eſt Petrus, qui & ſpirituales oves Eccleſię ab ipſo Redemptore omnium, terna commendatione paſcendas ſuſcepit; cuius adnitente præſidio hæc Apoſtolica eius Eccleſia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt: cuius Authoritatem, vtpotè Apoſtolorum Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia ſequuta eſt.*

388 Ex his, quæ huc uſque probavimus, meridiana luce clariùs apparet, quod ſi Eccleſia omni tempore permiſit, immò & laudabiliter conſuevit, Templa erigere, Ædeſque ſacrare in memoriam, & honorem Virorum Virtute inſignium, quando horum Sanctitas à Summo Pontifice, vti Supremo Eccleſiæ Capite, approbata eſt, ac declarata, ipſeque vt Eccleſiæ Princeps illos Divorum numero adſcripſit, vt latè ſuprà moſtravimus; cum Divi Petri ſanctitas, ipſo adhuc vivente, à Divino Oraculo, primoque, ac Supremo Eccleſiæ Pontifice, Chriſto Domino canonizata ſit, ac celebrata illis verbis: *Beatus es Simon Bar-Iona*; vt docent Sancti Patres CLEMENS ROMANVS, HIPPOLYTVS, BASILIVS MAGNVS, IOANNES CHRYSOSTOMVS, HILARIVS, LEO MAGNVS, & S. AGATHO Pontifex, quorum verba ſuprà retulimus: hìnc apertè deducitur, Eccleſiam graviſſimis, prudentiſſimis, ac ęquiſſimis rationibus fuiſſe ductam, vt in ſui exordio Fidelium pietati indulgeret, Venerabili Divi Petri adhuc viventis memoriæ, honori, ac Cultui Templa erigere, Ædeſque ſacrare, quę his adhuc noſtris temporibus ad minùs in Germania, & Gallia hoc nomine dicatæ conſpiciuntur, ac pia Fidelium devotione perpetua Eccleſiaſtica Traditione coluntur. Vndè ſi Divo Petro viventi æquiſſimè Templa erecta ſunt, ęquiſſimo ſanè iure potuit Sanctus Anacletus Divo Petro denato magnificum conſtruere Sepulchrum, vt tanti Eccleſiæ Principis memoria perennaret, nec vlla oblivione deleretur, aut curſu definiretur annorum.

(??)



CAP.

CAP. IV.

SANCTI CLEMENTIS IN Fide Constantia propugnatur.

389 ANtequam Divum Clementem, sanctamque illius Doctrinam, ab hæreticorum imposturis vindicemus, difficultatem, quæ cuivis in Ecclesiastica Historia mediocriter versato, statim in ipso limine occurret, diluamus, necesse est. Divum enim Clementem in Summorum Pontificum nomenclatura tertium à Divo Petro censemus: at ipsum immediatum fuisse Divi Petri Successorem ab ipso Apostolorum Principe, in Pontificem assumptum. Deique Ecclesiam prius, quàm Linum & Cletum, sive Anacletum, regendam suscepisse, eleganter probat Textus *in cap. si Petrus* 8. *quæst.* 1. vbi refertur Beatum Petrum, sibi Sanctum Clementem Successorem elegisse. Quod & ipse Clemens, *in Epistola* 1. *ad Iacobum Fratrem Domini*, attestatur, dicens: * Simon Petrus, in ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, apprehensa manu mea repentè consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prędicationis, & Doctrinæ, Cathedram trado.* Vt habetur, *in cap. Vnde. Eadem cau. & quæst.* & latiùs *in eadem Epistola*, quę integra legitur, *Tomo* 1. *Conciliorum.* Hoc autem Petrus vtique non fecisset, si Iure Divino, & Christi Institutione prohibitum extitisset. *Cap. Sunt quidam*, 25. *quæst.*1.

390 Id ipsum apertè docet IOANNES Pontifex III. dum *in Epistola ad Episcopos per Germaniæ, & Galliæ Provincias constitutos*, manifestè significat, Sanctum Clementem immediatè post Divum Petrum, in Apostolica Cathedra sedisse; sic enim scribit: * Si autem Princeps Apostolorum, adiutores sibi adscivit Linum, & Cletum, non tamen potestatem Pontificij, aut ligandi, & solvendi eis normam tradidit, sed Successori suo Sancto Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, & Potestatem Pontificalem, tradente sibi Beato Petro, tenere promeruit. *

391 Eadem fuit D. HIERONYMI, sententia, *in cap.* 52. *Isaiæ*: ibi enim, hæc habet: * Clemens vir Apostolicus, post Sanctum Petrum Romanę Sedis Episcopus, &c.*

392 Tandem, Clementem immediate Divo Petro successisse, tenent ex Antiquis Authoribus LIBER VITÆ PONTIFICVM. (Qui ab aliquibus Damaso Papæ, adscribitur, cum sit vel Anastasij Bibliothecarij, vt volunt Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in Damaso, & Binnius, *in Notis Concil.* ad vitam Sancti Clementis, vel alterius Damasi non Pontificis, vt vult Possevinus *in Apparatu, in Damaso.*) *Liber de Præscription. cap.*32. Et EVCHERIVS Episcopus, *ad Valeriam.* Cui sententiæ subscribunt alij non ignobiles Authores.

393 At Linum fuisse immediatum, & primum post Petrum Pontificem, cõmunis est ferè omnium Authorum consensus, estò aliquod inter illos appareat dissidium: OPTATVS enim MILEVITANVS, & S. AVGVSTINVS, non distinguentes Cletum inter, & Anacletum, quem post Clementem enumerant nullum inter Linum, & Clementẽ mediũ apponunt; S. verò IGNATIVS, S. IRENÆVS, S. EPIPHANIVS, S. HIERONYMVS, EVSEBIVS, IVO CARNOTENSIS, & HERMANNVS CONTRACTVS, *in Chronic.* primum post Petrum recensent Linum, deinde Cletum, vel Anacletum, postea Clementem. Tandem TERTVLLIANVS, inter Cletum, & Clementem, ponit Anacletum, vt infrà videbimus.

394 Communior tamen, & verior sententia est, quam sequenti conclusione stabilimus.

CONCLVSIO.

DIVO PETRO, IN PONTIFICATV immediatè successit Linus, Lino Cletus, & Cleto Clemens.

395 Hanc conclusionem præter supra laudatos tuentur GLOSSA *in cap. si Petrus, vers. Aut ligandi* 8. *quæst.* 1. & *in cap. Non autem, vers. Succederet* 17. *quæst.*1. TVRRECREMATA *de Potestate Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.*51. *vers. Nec obstat huic, quòd Beatus Petrus, &c.* & *cap. Si Petrus* 8. *quæst.* 1. Cardinalis

Rr CA-

CAIETANVS *tom. 1. tract. 2. par. 2. Apolog. cap. 22. versus finem.* Cardinalis IACOBATIVS *de Concil. lib. 10. de Anthoritate Papæ supra Concilium, Artic. 7. ad 11.* in vltima editione Conciliorum. AZOR *par. 2. lib. 3. cap. 43. vers. De Lino,* & *lib. 4. cap. 6. quæst. 5.* DRIEDO *de libert. Christ. lib. 1. cap. 3. ad finem.* MANFREDVS *cap. 27.* ANDREAS GAMBARA *in Expositione Extravagantis Iulij 2.* LABORIVS *tom. 1. tit. 4. cap. 3.* Episcopus BARBOSA *lib. 1. de Iure Ecclesiæ, cap. 1.* & *ad cap. Si Petrus, 8. quæst. 1. num. 4.* GRAVINA *tom. 3. part. 2. lib. 4. controvers. 4. dub. 3.* THVSCVS *list. E, consil. 57.* ABRAHAM BZOVIVS *ad annum. 49.* Iacobus COHELLIVS *in Notit. Cardinal. cap. 13.*

396 Videndi omnino sunt BARONIVS *ad annum. 69. num. 3.* BINIVS *in Notis ad Linũ Pôtificẽ,* NATALIS ALEXANDER *sæcul. 1. Hist. Ecclesiast. Dissert. 13.* & CHRISTIANVS LVPVS *in Tertul. cap. 37.* qui ait: * Sancto Petro in Romano Pontificatu immediatè non Sanctum Clementem, sed Sanctum Linum successisse, indubitatum est.* Omnes autem prædicti Authores tria vnanimiter asserunt. Primò, Sanctum Linum, & Sanctum Cletum fuisse verè Pontifices, & Divi Petri Successores: secundò, primum, & immediatum Divi Petri in Pontificatu Successorem fuisse Sanctum Linum, & huic Sanctum Cletum, sive Anacletum fuisse suffectum: tertiò, Sanctum Clementem Divo Petro non modò immediatè non successisse, sed tertium ab illo inter Pontifices annumerari; ita vt in Apostolica Cathedra primus sederit Sanctus Petrus, secundus Sanctus Linus, tertius Sanctus Cletus, vel Anacletus, & quartus Sanctus Clemens. Quod, & Patrum doctrina, historia, & antiquitate celebriorum Authoritates suadent, & efficaces rationes manifestè probant.

§. I.

DIVVM CLEMENTEM DIVO Petro non nisi post S. Linum, & Cletum, sive Anacletum successisse, celebriores Ecclesiæ Patres luculentissimis verbis convincunt.

397 SAnctus IGNATIVS, qui eodẽ cum Apostolis sæculo floruit, *in Epistola ad Mariam Cassabolitam,* expresſè affirmat, Clementem Divo Cleto fuisse suffectum, (sic enim legendum est pro Anacleto, vt probat BARONIVS *anno. 69. num. 41.*) Quibus verbis apertè declarat, Clementem tertio loco, post Linum nempè, & Cletum, Romanæ Ecclesiæ Pontificem præfuisse. Quod apertius ostendit, dum hæc subingit: * Cui (Cleto scilicet) nunc successit Beatissimus Clemens, Petri, & Pauli auditor.* In quorum verborũ expositione duo dicit BARONIVS; primò, indubitatum esse, hanc Epistolam esse Sancti Ignatij legitimam: secundò, Sanctum Clementem quarto loco inter Pontifices connumerari; siquidem Clemẽs Cleto, Cletus Lino, Linus Petro successit. * Sic igitur (inquit Baronius) ex Ignatij sententia iam exploratum habetur, Clementem non ante Domitiani tempora, Romanæ Ecclesiæ curam Pontificiam suscepisse post Cletum. Cæterùm eam Epistolam Ignatij esse legitimam, ex his, quæ habentur in Epistola ab eodem scripta ad Heronem Diaconum, facile cognosci potest.* BINIVS etiam explicans eundem locum Sancti Ignatij in ea Epistola ait: * Linum igitur Clemente in Pontificali Sede anteriorem non fuisse, Sanctus Ignatius sine dubio negaverit.*

398 TERTVLLIANVS *lib. 3. Carminum*, quæ scripsit contra Marcionem, Divum Clementem non modò tertio loco post Divum Petrum ponit, sed adhuc etiam quarto, nimirum post Anacletum, vt constat ex his, quæ sequuntur, carminibus.

*Ex quibus electum magnum, plebique probatum,
Hac Cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primùm considere iussit,
Post quem Cletus & ipse Gregem suscepit ovilis;
Huius Anacletus successor forte locatus,
Quem sequitur Clemens.*

399 In hanc rem aptissimè cadit illius antiquissimi Scriptoris Apostolorum ęvo propinquioris HEGESIPPI Authoritas, qua vtitur EVSEBIVS *lib. 3. cap. 12.* eamque in suam historiam transtulisse visus est, dum habet *anno. 12.* Domitiani Imperatoris Clementẽ sedere cępisse. Hac sententia, nõ solũ citatum Ignatij testimonium roboratur, sed etiam manifestissimi erroris redarguuntur, qui eum substitutum fuisse Petro dixerunt.

400 Idem Eusebius *lib. 3. Hist. cap. 2.* * Post Pauli, (inquit) & Petri Martyrium, primus Ecclesiæ Romanæ Episcopatum Linus

Linus sortito capit.*

401 Insuper *cap.12.* * Cum Vespasianus decem annos regno esset perfunctus, Titus filius Imperator ei successit; a quo biennio Imperio iam gubernato, Linus Episcopus cum duodecim annis Ecclesiæ Romanæ Ministerium obijsset, Anacleto eam tradidit. Postquam autem duos annos, & menses totidem, Titus rexisset Imperiũ, in eius locum Domitianus successit: Duodecimo anno huius Imperij, cum Anacletus Romanam Ecclesiam annos duodecim Episcopus administrasset, eum secutus est Clemens.*

402 Et *cap.16.* agens de his, quę primo Traiani Imperatoris anno contigerunt: * Per idem tempus (inquit) Clemens adhuc Romanam gubernabat Ecclesiam, qui post Paulum, & Petrum tertius Episcopalis illius Dignitatis gradum obtinuit. Linus primus erat, secundus Anacletus.*

430 Qui numerarunt primam illam Romanorum Pontificum successionem, omnes fere semper Clementem tertio loco posuerunt, licet plerique, sive vitio scriptoris acciderit, sive alia ex causa, Anacletum pro Cleto posuisse inveniantur. Audiamus SANCTVM IRENÆVM *lib. 3. cap. 3.* qui exactè hanc sententiam prosequutus scribit: * Fundantes igitur, & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus: post eum, tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit Apostolos, & contulit cum eis, cum adhuc intonantem Prædicationem Apostolorum, & Traditionem ante oculos haberet.*

404 Sanctus OPTATVS Milevitanus *lib.2.* Romanorum Pontificum Cathalogum ad sua vsque tempora retexens, sic exorditur: * Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus: Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, &c.* Hæc ille, Cletum præteriens, vtpotè quem existimasset, vnum eundemque esse cum Anacleto.

405 Sed Sanctus EPIPHANIVS *Hæresi 27. vel 28.* è contra prætermittens Anacletum, tantum ponit Cletum, dicens: * Episcoporum in Roma succesio hanc consequentiam habuit: Petrus, & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, &c.*

406 Et *Hæresi 27.* Exagitatis varijs circa Vicariatum Lini, & Cleti sententijs, subdit: * Sed vtcumque res se habuerit, Romanorum Pontificum ista est successio, Petrus, & Paulus, Linus, & Cletus, Clemens.*

407 Sanctus Hieronymus corrigens ea, quæ *in cap.52. Isaiæ* obitèr, & ex aliorum sententia, dixerat, hæc habet *lib. de Scriptorib. Ecclesiast. in Clemente cap. 15.* * Clemens, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens ait: *Cum Clemente, & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.* Quartus post Petrum Romanus Episcopus: Siquidem secundus fuit Linus, & tertius Cletus: tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum, putent fuisse Clementem.*

408 Sanctus AVGVSTINVS eodem ordine, quo Optatus Milevitanus, Seriem Romanorum Pontificium texuit *epist.161.* ponens primò Petrum, cui successit Linus, Lino Anacletus, Anacleto Clemens, &c. vbi Augustinus (vt adnotat Baronius) Optatum secutus Cletum ratus eundem cum Anacleto, illum prętermisit.

409 Præclarè ad rem istam faciunt ea, quæ AVTHOR PRÆFATIONIS sub Rufini nomine, & AVTHOR PONTIFICALIS sub nomine Damasi apud plerosque noti, scripserunt, dum eumdem cum Epiphanio successionis Pontificum ordinẽ litteris consignarunt, videlicet Petrum, Linum, Cletum, & Clementem.

410 Huic sententiæ apertè patrocinatur Insignis ille IVO CARNOTENSIS *in Chronico suo manuscripto, ex Bibliotheca Regis Angliæ*; cuius verba habentur *in nova editione Concil. Tom. 1. in Elogijs, Clementis Romani, col. 121.* & sic scribit: * Huius præterea Cęsaris Domitiani *anno.4.* apud Alexandriam Aniano, qui Marco successerat, successit Abiliusa Hierosolymis verò Sancto Iacobo Apostolo Patriarchæ, successit Simon, filius Cleophæ. In Romana verò Sede, eadem tempestate, Cleto Papæ Clemens successit. Iste est Clemens Papa sapiẽtissimus, atque Sanctissimus, qui magnificos viros in Gallijs ad collocandum destinavit Dominicæ Fidei fundamentum; Lugdunensibus Photinum, Narbonæ Paulum, Turonis Gratianum, Cenomannis Iulianum, & alios, per quos, per illas regiones Fidei Doctrina profecit: & immensæ multitudinis populus ab

Idolorum cultura recessit?

411 Chronicon item manuscriptum HVGONIS DE SANCTO VICTORE, qui Ivonis deflorator est, quem per omnia ferè sequitur, desumptum *ex Bibliotheca Ecclesiæ Lichfeldensis*, manifestè tradit: *In Romana verò Sede, Anacleto Papæ tunc Clemens successit.*

412 Id ipsum luculentius habetur *in Chronico manuscripto* GVILIELMI DE NANGIS, Monachi Sancti Dionysij, ex Bibliotheca Regis Angliæ, cuius verba recensentur, in veterum testimonijs de Clemente Romano, & eius scriptis, quę extant *in Tom. 1. Concil. edit. novissimæ*, & sic se habent: *Quartus Ecclesię Romanę præfuit Clemens, natione Romanus; hic ex Præcepto Beati Petri Apostoli suscepit Ecclesię Pontificatum gubernandę, sicut ei fuerat à Domino Iesu-Christo tradita, vel commissa.*

413 His addendus videtur NICEPHORVS CALLISTVS, *lib. 3. Hist. cap. 2.* sic scribens: *Post Petrum, primus Episcopatum suscepit Linus: *Et addit, post duodecim annos Pontificatum reliquisse Anacleto, sequutus Eusebium, qui Anacletum cum Cleto confundit. Pergit tamen: *Anacleto, successit sapiens ille Clemens.* Vnde liquet à Nicephoro Clementem constitui quartum Pontificem.

414 Eandem sententiam ante *annos* 270. tenuerat NAVCLERVS *in Chronico ad annum Domini* 70. sic loquens: *Post Petri mortem electus est Linus, dein Cletus, & quarto loco Clemens.*

415 Immò ante Naucleum, Tubingensem Prępositum PLATINA *libro de vitis Pontificum*, post Petri mortem posuit Linum, deinde Cletum, postremò Clementem, ad cuius vitam, animadvertit ONVPHRIVS PANVINIVS: *Vt nullo pacto audiendi sint Authores quidam, tàm Græci, quam Latini, qui Cletum cum Anacleto confundunt.*

416 Gravissimis hisce Authoribus meritò addendus videtur Eminentissimus Cardinalis BARONIVS, qui eminenti sanè eruditione Ecclesiasticam Historiam illustravit. Hic enim *ad annum Christi. 69. num.* 40. hæc, inter alia, scribit: *His igitur exactiùs consideratis, necessariò dicendum est, ante Clementem, Lino, Cletoque esse Sedis certa tempora tribuenda. (Et num. 41.) Id quidem & maiores cognovisse, certum est. Qui enim numerarunt primùm illam Romanorum Pontificum Successionem, omnes semper Clementem tertio loco posuerunt, licet plerique, sive vitiò scriptoris acciderit, sive alia ex causa, Anacletum pro Cleto posuisse inveniantur.*

417 Suffragatur Eminentissimus Cardinalis BELLARMINVS *de Rom. Pon. lib. 2. cap. 6.* vbi, inter alia, hæc habet: *Authores, qui Linum Petro successisse scribunt, tam antiquissimi, tùm etiam plurimi, & probatissimi sunt, iam verò post linum Cletus, sive Anacletus, post quem Clemens quarto Loco collocandus est. Authores sunt Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, denique Ignatius *in Epistola ad Mariam Zarbensem*, vbi significat Clemētem Anacleto successisse.*

418 Subscribit SEVERINVS BINNIVS, dum *in Notis ad Concilia Generalia, in vita Sancti Lini Pontificis*: *Linum (inquit) Petro successisse, Patrum, & Historicorum antiquissimorum testimonia probant, rationes verò evidentissimæ contra multorum calumniam convincunt.* Et *in Notis ad vitam Sancti Clementis*, verbo Clemens, ait: *Clemens totius Christianæ Religionis Summus Antistes fit, tertiò post Petrum loco, & ordine, *anno Domitiani* 10. *Christinati* 93. quo Sanctus Ignatius iussu Tyrannorum plagis, & vinculis exagitatus est. De huius enim creatione *Epist. 4. ad Mariam Cassabolitem*, hęc scribit: Mihi autem in mentem venit, & dicam, verum fuisse sermonem, quem de te audieram, cum Romæ apud Beatum Anacletum Papam (quem Latini Cletum, vt supra dixi nominavere) esses, cui nunc successit Beatissimus Clemens, Petri, & Pauli auditor, &c.*

419 At notatu dignissimum est quod prius illis Ecclesię temporibus scripsit AVTHOR APOSTOLICARVM CONSTITVTIONVN *cap.* 47. dicens: Clementem non nisi potest Lini mortem fuisse consecratum Episcopum, saltem Romanum. Id tradunt etiam Labbæus, & aliqui Neoterici, è quibus notanda valde est sententia, quam pro hac re sequitur eruditus Pater PETAVIVS, qui *lib. 5. Rationarij*, *cap.* 5. *Petro (inquit) à Nerone interfecto, Romanam Ecclesiam Linus regendam suscepit, vt Antiqui Scriptores asserunt, quibus suffragatur vetus Indiculus Romanorum Pontifi-

tificum Liberij tempore contextus, quem penès nos habemus. Huic annos vndecim, menses duos, cum diebus aliquot assignant, vt *anno Christi* 78. decesserit. Cui Cletus deinde successit, ac duodecim annis sedit, mensibusque septem, & martyrium fecit *anno Christi* 91. ac Successorem habuit Clementem:* Hæc ille.

420 Tandem omitti non potest Cardinalis BARONII sententia, qui ad *annum Christi* 69. *num* 39. hæc, quę huc vsque diximus, confirmans, eaque ex antiquissimis, & probatissimis, ac melioris notæ Authoribus eruens, inter Pontifices, qui Ecclesiæ clavum tenuerunt, S. Clementem non primum, sed tertium, vel quartum post Sanctum Petrum enumerat. * Ex his itaque (inquit) tantum abest, vt concedamus, post Petrum statim successisse Clementem, vt non mediocris animum suspicio pulset ex his, quæ habent Ignatius, Tertullianus, & ex Hegesippo Eusebius, & alij, Clementem non tertio loco, sed quarto post Petrum sedisse, ac post Linum, Cletum, ac etiam Anacletum, cui successisse tradunt, sedere cœpisse. Verum post Cletum, sed ante Anacletum esse ponendum, verius esse putamus. *

421 Ex hucusque dictis satis suffulta nostra videtur Conclusio, nimirum Primum Pontificem, qui post Sanctum Petrum in Apostolica Cathedra sedit, Deique Ecclesiam gubernavit, non fuisse S. Clementem, sed S. Linum, postea Cletum, vel Anacletum, & quarto loco Clementem; vt testantur Sancti Patres, gravissimique Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, tàm Græci, quàm Latini à nobis supra laudati, quos innumeri Recentiores sequuntur, quorum verba, ne lectoribus molestiam exhibeamus, duximus omittenda.

422 Adeò certa est nostra conclusio, vt validiori apud Ecclesiam argumento firmetur, Apostolica scilicet Romanę Ecclesię Traditione, cuius Authoritas maioris apud me roboris, ac ponderis est, quàm vnanimis centum mille Doctorum consensus. Hæc autem Apostolica traditio manifestè apparet ex Romanæ Ecclesiæ Martyrologio: Romanum enim Martyrologium, est antiquissimũ, & à tempore S. Clemẽtis Papæ, mentio nẽque de eo faciũt Sãctus GREGORIVS *lib.* 7. *Indict.* 1. *epist.* 29. *ad Sanctum Eulogium*, ALEXANDER EPISCOPVS, & ADO contemporaneus Sancti Gregorij Papæ VII. *in Præfatione ad suum Martyrologium.*

423 In dicto igitur Martyrologio Romano *sub die* 23. *Septembris* sic dicitur: *Romę, Sancti Lini Papę, & Martyris, qui primus à Beato Petro Apostolo Romanam Ecclesiam gubernavit.* Et sub *die* 26. *Aprilis* de Sancto Cleto dicitur: *Romæ, Natalis Sancti Cleti Papæ, qui secundus post Apostolum Petrum rexit Ecclesiam: post diuturnos, & immensos labores sub Domitiano Imperatore, Martyrio coronatus est.* Et *sub die* 23. *Novembris* de Sancto Clemente habetur: *Natalis Sancti Clementis Papæ, qui tertius à Beato Petro Apostolo Pontificatum tenuit, &c.*

424 Hinc BARONIVS censet, Romanæ Ecclesię Traditionem pro nobis stare, eamque è prædictis Martyrologij verbis, locis supra citatis, deducit: *Porrò (inquit) hanc fuisse Romanę Ecclesiæ, ea de re Traditionem, satis locuples testis est Romanum Martyrologium, nam in Lino hæc habet.* Et adducit verba, quę nunc retulimus.

425 Pro eadem nostra assertione pręclarè facit Sacer Missæ Canon, qui prædictos Pontifices post Apostolos vt Sanctos veneratur, eodem planè ordine, quo in Martyrologio Romano recensentur, scilicet primò Linum, deinde Cletum, postea Clementem; quia nempè omnes fuerunt Summi Pontifices post Petrum. Cum ergo Ecclesia Romana Sanctos Linum, & Cletum, vt Romanos Pontifices medios inter Petrũ, & Clementem habeat, ac veneretur non est cur de hoc dubitemus. Vnde ex hoc certo fundamento, iam constat, Clementem ab Ecclesia non institutione, sed ante ipsum Linum, & Cletum, electione, ad Pontificiæ dignitatis apicem fuisse promotos, quod de eorum Successoribus extra controversiam est: vt inde apparet nullum post Petrum fuisse Pontificem, nisi per Ecclesiam electum, & manifesta Traditione Ecclesiæ constare Clementem IV. fuisse Pontificem.

424 Præclarè idem Baronius: * In ipso etiam (inquit loco citato) Sacro Canone Missę, eodem ordine, quo sederunt, ijdem Linus, Cletus, & Clemens positi esse videntur, secundum antiqua Diptyca, dùm post Apostolos primi hi tres recensentur Romani Pontifices. Idem

quo-

quoque ferè omnes alij tàm Græcorum, quàm Latinorum æquè senserunt, tertio loco post Petrum numerantes Clementem, & primo loco post Petrum, Linum ponentes.*

427 Coronidem tamen argumento, ab Authoritate desumpto, imponat Hispanarum Ecclesiarum Traditio: In antiquo enim illo Breviario Toletano S. ISIDORI, in Sacro Hymno, quo Laudes S. Clementis, in Ecclesia canebantur, hæc, inter alia, habentur expressa:

*Romanæ Sedis tertium Antistitem.
Quem Christus sibi consecravit Martyrem, &c.*

428 Hucusque luculentissima Sanctorum Patrum, gravissimorumque, ac singulari in Ecclesiastica Historia eruditione insignium Scriptorum Authoritate, ac præcipuè Ecclesiastica Traditione, ostendimus, Sanctum Clementem non primum, sed quartum post Apostolorum Principem in Apostolica Cathedra sedisse, eo quod S. Linus, & S. Anacletus, priùs quàm Clemens, Ecclesiam Dei gubernarint. Videndum modò est, an id ratione aliqua possit demonstrari.

§. II.

IDEM ASSERTUM DUOBUS rationibus suadetur.

429 S. Clementem non fuisse Divo Petro in Pontificatu immediatè suffectum, ratione probandum aggredimur. At quia argumentum ab inconvenienti, magni ponderis, ac momenti in Dogmaticis, & Ecclesiasticis rebus censetur, nostram Assertionem duo inconvenientia firmabunt ex opposito inevitaviliter secutura.

430 Quorum primum sit. Si S. Clemens Divo Petro immediatè fuisset suffectus, sequeretur, ipsum *triginta tribus annis*, in Apostolica Cathedra sedisse; quod planè est inauditum, cum nullus sit Author, qui id de Clemente, aliovè Pontifice dixerit. Id sequi manifestè probatur: EVSEBIVS enim *lib. 3. Hist. cap.* 28. NICEPHORVS, *lib. 2. cap.* 18. ceterique Authores tàm Græci, quàm Latini, vnanimitèr attestantur, Clementem subijsse Martyrium *tertió anno Trajani Imperatoris*, quod HIERONYMVS firmitèr asseverat, *lib. de Scriptor. Ecclesiast. in Clemente, cap.* 15. & ipse, *lib. de Romanis Pontificibus*, apertè confirmat. Cum igitur à Divi Petri morte, *ad annum vsque tertium Trajani Imperatoris*, quo Clemens glorioso Martyrio occubuit, *triginta trium annorum*, spatia intercurrerint, vt statim probabimus; hinc certò certiùs fieret, Divum Clementem *triginta tribus annis*, sedisse, quod nullus hucusque somniavit, & meritò quidẽ; omnes enim quotquot hucusque scripserunt, vti Eusebius, liber Pontificalis, omnesque Authores tàm antiqui, quàm recentiores, Clementem, in Pontificatu non amplius quàm novennio sedisse, tradiderũt. Vnde manifesta implicantia innotescit, ex quo Clemens immediatè post Petrum sederit.

431 Tùm quia si à Neronis tempore, quo Divus Petrus Martyrium pro Christi Fide constanter fuit passus, ad tertium vsque Trajani annum, semper Clemens in Pontificatu sedisset, quisnam locus posset Divo Cleto assignari? Vt dicere prætermittamus de Lino, quem volunt eadem Neronis persecutione, absque honore Romanæ Sedis Pontificatus, Martyrio esse coronatum.

432 Vel si non Clementem, sed Cletum successisse Petro dixerimus; eum quidem oportuit sedisse annos viginti quinque, vt eius Successor Clemens, sedens annos novem, *anno tertió Trajani* ex hac vita discessisse dicatur. Sed quis vnquam reperiri possit, qui eidem ad summum plusquam annorum duodecim numerum, totidemque Lino, aliquando tribuerit? Cum igitur, iuxta communem Scriptorum consensum, *viginti quatuor annorum* summa inter duos istos Pontifices Linum, & Cletum sit dividenda, impossibile est S. Clementem in Pontificatu sedisse totis *illis triginta tribus annis*, qui à Divi Petri Martyrio ad Clementis vsque obitum interfluxerunt; quod certissimè deduceretur, si ipsum Divo Petro immediatè suffectum diceremus.

433 Secundum, nec leve quidem inconveniens, quod ex opposita sententia deducitur, est: Apostolicam Sedem immediatè post Divum Petrum, vsque ad Clementis in Pontificatum assumptionem, *viginti tribus annis vacasse*; quod planè inauditum est, nec ab aliquo scriptore somniatum: Id autem ex opposita sententia inferri, manifestè convincitur; siquidem Divus Petrus Glorioso Martyrio

rio sublatus est *anno Domini* 68. *& Neronis* 12. secundum EPIPHANIVM *Haeresi* 27. vel *anno* 69. secundum METAPHRASTEM, BARONIVM, & communiorem sententiam; vel *anno Domini* 70. & *Neronis* 14. iuxta EVSEBIVM *in Clemente*; HIERONYMVM *de Scriptorib. Ecclesiast.* BEDAM *in Martyrologio*; HERMANNVM *in Chronico*; HONORIVM AVGVSTODVNENSEM *de Ecclesiasticis Luminaribus*; vel tandem *anno* 71. secundum CASSIODORVM; vnde Divus Petrus vitam ad summum *ad annum vsque* 71. *Christi*, proraxit.

434 At Divus Clemens commune naturae debitum solvit *anno Traiani* 3. *Christi verò* 103. vt tradunt HIERONYMVS *de Scriptorib. Ecclesiast.* ANASTASIVS BIBLIOTHECARIVS APOSTOLICVS, LVITPRANDVS, PLATINA, MASSONIVS *Hist. Pontificali*, SICARELLVS, CARDINALIS BARONIVS, & ABRAHAM BZOVIVS *ad annum.* 69. Et quod magis est MARTYROLOGIVM Romanum *sub die* 23. *Novembris*.

435 Suppositis ergo his duabus praemissis, Divum nempe Petrum Martyrio occubuisse *anno Christi* 71. Clementem verò *anno* 103. vt ex Authoribus Ecclesiacae Historiae peritissimis modò probavimus; manifestè infertur inter Divi Petri, & Sancti Clementis Martyrium, triginta duos annos fluxisse. Cumque Divum Clementem non nisi novennio in Pontificatu sedisse, omnes testentur Authores, proculdubio, si Petro immediatè fuisset suffectus, vt oppositi Authores tuentur, dicendum esset ipsum *anno Christi* 80. & vita, & Pontificatu fuisse perfunctum. Id autem manifestè opponitur Hieronymo, communique Scriptorum consensui, qui eum *ad annum vsque* 103. Ecclesiam gubernasse affirmant.

436 Quod si Hieronymum, aliosque Ecclesiasticos Scriptores secuti, Clementē *anno Christi* 103. Martyrij Lauream adeptū dicamus, eique iuxta communem Authorum consensum novem Pontificatus annos tribuamus, necessariò fatendum est, Apostolicam Sedem à Petri obitu, vsque ad Clementis Pontificatum 23. *annis* vacasse: siquidem, vt supra diximus, *ab anno Christi* 71. quo Divus Petrus martyrio sublatus est, *vsque ad annum* 103. quo Divus Clemens sanguine firmavit Dogmata vera suo, *triginta duo anni intercurrerunt*, è quibus si *novem* Pontificatus eius demantur, Mathematico calculo deducitur, à Petri morte vsque ad Clementis Pontificatum Apostolicam Sedem 23. *annis* vacasse, cum oppositae sententiae Authores Petrum inter, & Clementem, nullum intermedium Pontificem recenseāt. At nulla ratione movente admittere, Apostolicam Sedem post Divi Petri mortem tanta temporis intercapedine vacasse, Ecclesiamque tot illis annis Pastore, & Capite destitutam, absurdum est in Historijs penitùs inauditum; cum nullus sit alicuius fidei, & existimationis Author tam è Grecis, quàm è Latinis, qui de re tam singulari, & exotica mentionem faciat. Ne ergo in tam ingens incidamus absurdum, necesse est, vt cum communi Sanctorum, gravissimorumque Authorum sententia, & Ecclesiastica Traditione dicamus, Divo Petro immediatè successisse Linum, Lino Cletum, sive Anacletum, & Cleto Clementem.

§. III.

OPPOSITAE SENTENTIAE ARGVmenta diluuntur.

437 OBijcies 1. *Ex Epistola Clementis ad Iacobum Fratrem Domini* manifestè constat, imo in illa vt certū traditur, Clementem fuisse à Divo Petrò immediatè suum Successorem in Apostolica Cathedra constitutum, vt patet ex illis eiusdem Petri verbis in praedicta Epistola contentis: * Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meę Prędicationis, & Doctrinae Cathedram trado. * Ergo Clemens Petro immediatè successit.

438 Respondetur primò, ex fundamento incerto, ac planè dubio conclusionem certam deduci non posse: esse autem dubium, & incertum factum, quod in praedicta Epistola enarratur, eruditè monuit Eminentissimus CAIETANVS *in suis Opusculis, Tom. 1. tract. 2. de Potestate Papae, & Concilij, in 2. part. Apolog. cap. 22. versus finem*, vbi haec habet: * Videtur autem mihi, quod tamquam incertum factum Authoritatem firmam non faciet; (loquitur ibi de facto relato à Clemente in ea Epistola.) Dico autem incertum, quia Ecclesia Linum, & Cletum reputans

putans Summos Pontifices computatis annis, quibus quilibet eorum rexit Ecclesiam Romanam ante Clementem testari videtur, &c. *

439 Verum non modò Caietani temporibus, sed multis retrò sęculis vt incertum, ac dubium habebatur factum in prędicta Clementis Epistola relatum: etenim priscis illis temporibus iam EPIPHANIVS, illud in dubium revocavit *Hæresi 27. cap. 6.* dicens: * Num Clemens impositis manibus à Petro Episcopus consecratus, eaque detrectata provincia ab omni administratione vocaverit; (Ita enim in quadam scripsit Epistola: Recedo ex eo; instet Populus Dei. Nonnullis videlicet hoc modo consulens,) nam in quibusdam commentarijs ita scriptum reperimus; an potiùs secundum Apostolos ab Episcopo Cleto sit constitutus, liquidò non constat.*

440 Et RVFFINVS, qui eodem Hieronymi tempore floruit, antiquitùs iam de illo facto dubitatum fuisse supponit; siquidem *in Præfatione ad libros Recognitionis sancti Clementis*, quæ sub Rufini nomine circumfertur: *Quidam, inquit, requirunt, quomodo cum Linus, & Cletus in Vrbe Roma ante Clementem fuerunt Episcopi, ipse Clemens ad Iacobum scribens, sibi dicat à Petro, docendi Cathedram traditam?* Vnde cum factum illud, in prędicta Epistola refertur, iam priscis illis temporibus incertum fuerit, ac dubium, perperam ex illo conclusionem certam deducere possumus, qua Successori suo Clementi summum Pontificatum à Petro esse collatum dicamus, istumque Primatum Lino, & Cleto denegemus, cum isti iuxta Sanctos Patres, & maioris authoritatis, & dignitatis Scriptores à nobis supra relatos, ante Clementem ad Apostolicum apicem evecti fuerint, Deique Ecclesiam gubernaverint.

441 Respondetur secundò: Non modò incertum, & dubium esse quod in prædicta Epistola enarratur, sed ipsam etiam Epistolam non sine magno fundamēto Apochrypham iudicari; quamvis enim prędictę Epistolæ doctrina veritates multas contineat, sitque ob antiquitatem veneranda, & estò Clementis fuisse admittatur pro ea parte, qua Scripturis Sacris, aliorum Pontificum Decretis, ac rationi congruit; certum tamen non est, an ille huiusmodi doctrinam Epistola aliqua expresserit, vel potius aliqua Constitutione coram fratribus habita, vel alio modo tradiderit; nam S. ANACLETVS *in prima sua Epistola*, in qua refert qualiter ex Clementis Decreto, Apostatis à Fide prohibitum sit accusare, & testificari, quod *in prima illa Clementis Epistola* continetur; hęc habet: * Et Beatus Prædecessor noster Clemens vir Apostolicus, & Spiritu Dei plenus vnà cum reliquis Sanctis Collegis suis statuit, dicens, &c.* Vnde habetur, quod illud, & alia similia documenta fuerunt expressa, nedum à Clemente, sed à Collegis suis, & fuerunt Statuta aliqua Synodalia, vel saltim in aliqua Congregatione de consensu Collegarum facta.

442 Pro maiori huius veritatis munimine, notatu dignissimum est, quod cum multa à Successoribus Pontificibus, & Concilijs desumpta sint, quæ in dicta Epistola continentur, & vt Clementis, vel vt Petri, in ordinatione Clementis, dicta referantur, nullus tamen eorum alicuius Epistolæ Clementis mentionem fecit, vt videre est *alio loco in 1. Epist. Fabiani*, & *in Registro Clementis 7. lib. 6. Epist. 35.* & *in Synodo Vasensi, cap. 6.* & *in Synodo Metensi sub Arnulpho, cap. 8.* nullibi enim habetur mentio alicuius Epistolæ. Nec obest, quòd *in margine* citetur Epist. 1. S. Clementis; hæc enim fuit marginistarum opinio, non verò Pontificum, & Conciliorum illorum Provincialium, qui nullam mentionem alicuius Epistolæ Clementis fecerunt, & si illius doctrinam tradidisse dicantur.

443 Mirum esse videtur, quod prædictæ Epistolę Doctrina ab ipso Sancto Clemente expressa sit *in Epistola ad Iacobum*, & vti Sancti Clementis, vel Divi Petri, Ecclesiæ ita innotuerit, vt Anacletus immediatus Clementis Successor eam *in 1. sua Epistola* alleget; nullus tamen antiquorum Authorum in vita Clementis, vel de Clementis Actis, aliquam de prædicta Epistola mentionem faciat; pręcipuè HIERONYMVS, qui *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, sic de Clemente loquitur: *Scripsit ex persona Romanę Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum valde vtilem Epistolam, &c. (Et infra:) Fertur & secundà eius nomine Epistola, quæ à veteribus reprobatur.* Ex quibus verbis clarè patet, à Hieronymo vnam tantummodo Clementis Epistolam, & hanc ad Corinthios scriptam admitti, & aliam, quę Cle-

Clementis nomine circumferebatur, eam à veteribus reprobatam esse affirmari: censet ergo Hieronymus, censent & alij plures illum secuti, prædictam Clementis Epistolam, ad Iacobum Fratrem Domini, certam non esse, sed dubiam. Quare cum tam debile sit fundamentum, debile etiam esse argumentum illi innixum, necesse est.

444 Nec hoc mirum alicui videri debet, illorum enim priorum Pontificum Epistolæ à viris doctis communiter respuuntur, vel non nisi diligenti examine, ac præmatura consideratione, tuncque non absque dubio, & incertitudine admittuntur, quia vel ab hæreticis corruptæ, vel quia legitima illarum Authographa penitus perierunt, vt rectè adnotavit Cardinalis BELLARMINVS *lib. 2. de Romano Pontifice. cap.* 14. subiungens, aliquos errores in his Epistolis irrepsisse: vnde nec ipse audet eas indubitatas esse affirmare; nam ex illis aliquas etiam hæreses manifestas approbari constat. Et vt de reliquis taceamus, *Epistola* 5. Sancti Clementis laudat communionem vxorum, quod Nicolai Hæresiarchę dogma fuit, vt advertit etiam ipse Bellarminus *lib. 3. de Bonis operibus in particulari, cap.* 11. Quapropter esi huiusmodi Epistolis multa ab emulis Sedis Apostolicæ, addita fuerint, hinc Catholici Scriptores multas ex illis apochryphas, spurias, corruptas, vel mutatas esse asseverant, vt videre est apud POSSEVINVM *in Apparatu, verbo: Pontificum*: cui cōsonat BINIVS *in Notis ad easdem Epistolas.* Et de earum collectore, & quo tempore collectę fuerint, videndus est inter alios BARONIVS *ad annum Christi* 102. *&* 865. *& in Martyrologio ad* 4. *Aprilis*; qui etiã ex multis, has Epistolas esse suspectas affirmat, illisque Sanctam Romanam Ecclesiam non indigere tradit, vt (si falsitatis arguantur) suis ipsa destituatur iuribus, & Privilegijs, cum & si illis careat, ex legitimis, germanisque aliorum Pontificum Epistolis Decretalibus, satis superque corroborata consistat. Et verè sic est, quod parum vtile est, vel potiùs inutile, & perniciosum, incertis, & rationabiliter suspectis velle vti, ad comprobandas Veritates Catholicas.

445 Et omissa generali suspicione, quam ob prædictas causas, multæ priorum Pontificum Epistolæ, in vniversum sapientissimis Viris præbent, specialem de hac Sancti Clementis ad Iacobum Fratrem Domini Epistola sermonem instituentes, asserimus, eam, ob rationes, quas modò proponimus, eandem suspectę Fidei notam subire: hæc enim Epistola videtur falsò eiusdem Clementis nomine scripta, vt eruditè admonuit Cardinalis Baronius *tom.* 1. *Annalium ad annum Christi* 69. & rectè quidem; longè enim ante obierat Iacobus, cognomento Alphæi, Frater Domini, dictus *Iustus*, & *Minor*, qui cōstitutus erat à Petro Episcopus Hierosolymitanus, & ex Templi vertice fuit pręcipitatus *anno Domini* 63. Petri verò 19. Neronis autem 7. *ex Tabula Chronographica Iacobi Gualteri, Primo sæculo*, & *Breviario Chronologico*, & *Baronio tom.* 1. *anno Christi* 69. & non debet confundi iste Iacobus cum altero Iacobo, filio Zebedæi, qui cæsus obijt anno 44. Domini, sub Herode Agrippa, cuius corpus in Compostella servatur. Et cum in dicta Epistola significetur obitus Divi Petri, qui fuit anno 69. ex citatis, videtur absurdum; & propterea Cardinalis Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis in Sanctum Clementem*, dixit, dictam Epistolam scrupulo non carere.

446 Nec difficultas tollitur, si asseratur, hanc Epistolam fortè scriptam fuisse ab ipso Sancto Clemente ad Simonem, tunc Hierosolymitanum Episcopum, Fratremque Domini, & Iacobi, non ad ipsum Iacobum; quia Clemens ibidem illum appellat *Episcopum Episcoporum*, & dicit: *regere non solum Hierosolymitanam Ecclesiam, sed omnes alias*, quod falsum omnino est.

447 Præterea adnotare oportet id, quod de ea Clementis, ad Iacobum Fratrem Domini Epistola, tradit ANTONIVS AVGVSTINVS, Tarraconensis Archiepiscopus, *in prima collectione Adriani, cap.* 63. nimirum, quod in ea sunt quędam loca, quæ videntur esse ab alijs adiecta ex libris Recognitionum Clementis, quos ab antiquis non invenimus relatos, neque receptos, quin potiùs Clementis Itinerarium à Papa Gelasio, & à Romana Synodo inter Apochrypha notatur, vt habetur apud GRATIANVM *dist.* 15. *cap.* 3. Hinc illa Epistola est suspectæ Fidei apud Cardinalem TVRRECREMATA *in summa, cap.* 101. & BELLARMINVM *de Scriptoribus Ecclesiasticis in Clemente*; COMESTOREM *in Histor. Ecclesiast. in Actibus Apostolorum, cap.* 101. DRIEDONEM *de Rescript. Ecclesiast.*

lib. 2. cap. 2. part. 3. POSSEVINUM *in Apparatu, verbo Clemens*; BINIVM *in Notis ad hanc Epistolam*; BARBOSA *ad cap. Vnde* 8. *quæst.*1. LABORIVM *tom.*1. *tit.*4. *cap.*3. Quod & satis indicavit BARONIVS *tom.*1. *ad annum* 69. *num.*83. nam multa sunt vrgentia, quæ hoc probant.

448 Primò, quia cum hæc Epistola dicatur post Petri mortem data, quamvis de tempore mortis illius sit discrepantia, vt dictum est, nihilominus constat, Iacobum Fratrem Domini, per multos annos antè, iussu Herodis, Martyrium subijsse, provt habetur apud IOSEPHVM *lib.* 20. *cap.* 8. EVSEBIVM *lib.* 2. *cap.* 23. HIERONYMVM *in Cathalogo*, BEDAM *sexta Ætate*, dicentes: Iacobum Martyrium passum, cum Albinus, successor Festi, nondum venerat in Provinciam Iudææ; is verò ad illam missus est *septem annis, & mensibus* ante obsidionem Hierosolymitanam, teste eodem Iosepho *lib.* 7. *cap.*12. Cuius authoritate firmatur, quod Iacobus obierit *anno* 1. *Olimpiadis* 117. & *Christi* 63. *Neronis* 7. vt tradiderunt Eusebius, Hieronymus, & Beda citati, Baronius *ad annum* 63. Abraham Bzovius *ibidem*, & est communis sententia. Vnde Iacobus multò antea obierat, quam Clemens hanc Epistolam scripserit, quapropter est prorsus inverisimile, quod Clemens ex mandato Petri scripserit Epistolam, ad Iacobum Fratrem Domini, multis retrò annis iam mortuum.

449 Secundò, quia inverisimile videtur, illa verba fuisse à Divo Petro de Sancto Clemente prolata, videlicet: *Quem præ cæteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, &c.* Et illa alia: *Quod si esset alius melior, si quis mihi alius Adiutor tam sedulus extitisset, si quis tam plenè Doctrinæ meæ rationem cœpisset, sed & Ecclesiasticas dispositiones à me tam plenè didicisset, habens alium talem, non te cogerem, opus bonum suscipere nolentem.* Incredibile enim videtur, quod Petrus in tam magnum præiudicium Sanctitatis Lini, & Cleti, quos Petrus ipse sibi Coadiutores ordinaverat, & quos Ecclesia etiam prætulit Clementi, tot, & tanta de Clemente prędicare voluerit; & quod Clemens ipse, has de se prolatas laudes, voluerit decantare, & per Epistolam mortuo directam publicare; non enim hæc Modestiam, & Humilitatem præseferunt, nec de Clemente censeri possunt credibilia.

450 Tertiò, quia in ea Epistola meminit Primatuũ, Patriarchatuum, Archiepiscopatuum, & tamen hæc distinctio recentior esse videtur. Inducit etiam Petrum citantem testimonium ex Epistolis aliorum Apostolorum, quod verisimile non est.

451 Quartò, hanc Epistolam esse suspectæ fidei, haud leviter convincitur paritate desumpta ex alijs Epistolis, quæ Clementi adscribuntur, in quibus aliqua repeꝛiuntur tanto Viro indigna, & quę tanti Pontificis maiestatem non sapiunt; *Epistola enim* 4. ex ijs, quę ipsi attribuuntur, hortatur ad corporis lavacrum, quod leve videtur; & *Epist.* 5. ad communitatem omnium rerum, etiam vxorum, more Platonico, quod rationi repugnat, quamvis non ita apertè cum Platone sentiat. Et totus hic locus desumptus est *ex lib.* 10. *Recognitionum*, vbi hæc dicuntur à Faustiniano hæretico, & à Sancto Clemente refutantur, vt infrà probavimus.

452 Hæc præclarè illustrantur ex his, quę eruditè adnotavit D. FERDINANDVS DE MENDOZA *de Concilio Illiberitano, lib.*2. *cap.* 8. sic scribens: *Quæ in dicta Epistola 5. Clementis extant, ex diversis fragmentis lib. 10. Recognitionum eruta sunt, vt vidisti; constat sanè, eam ab hæretico quodam contextam esse, idque satis insulsè.* Et Clementem VIII. alloquens, illumque humiliter orans, vt corrigere dignetur Sancti Clementis scripta, ab Hæreticis, infensissimis Apostolicæ Sedis hostibus, adulterata, hęc, sua eruditione, & Zelo digna, profert.

153 *Hic autem videre mihi videor, opera omnia Clementis, quæ nulli dubium est, quin sint Pietatis plena, eruditione illustria, Sapientia referta, operam tuam, qui illius non solum nomen tenes, sed Religionem, & Pietatem imitaris, exposcere, & expectare, vt sentibus, qui ab hæreticis interserti sunt, perpurgata, eam denique recipiant Authoritatem, quam Divus illorum Author Catholica doctrina meruit, Sancta Dignitate acquisivit, & Divino Martyrio cõparavit.* Plures enim eius Epistolę, nobis falsò obtrusæ, non eiusdem sunt apud pios, & doctos ponderis. Meministi enim (sat scio) in Canone Apostolorum vltimo, duas tantum Epistolas Clementis referri: quas solas recenset DAMASVS *in vita Clementis*, EVSEBIVS *Ecclesiast. hist. lib.* 3. *cap.*

cap.32.37.& 38. vnam tantum *ad Corinthios*; illius agnoscit, & aliam, *ad Hebræos*; nec plurium meminit.

454 Illam autem, quæ sub Romanæ Ecclesię persona ad Corinthiorum Ecclesiam direxit, adhuc non extare certum est, etsi dixerit Eusebius, illam omnium Ecclesiarum consensu approbatam, & ex sententia Hegesippi, eam tanti habitam à Corinthijs, vt Dominicis diebus semper in Ecclesia legeretur. De ea D. IRENÆVS *lib. 3. adversus Hæreses*; de eadem meminit PHOTIVS Patriarcha Constantinopolitanus, *in eo opere, quod de libris à se lectis cōposuit*, & *Bibliothecam* appellavit. Epistolas duas Clementis ait se legisse, vnam, *ad Corinthios*; aliam, *ad Iacobum Fratrē Domini*: floruit is ante septingentos annos. Multa ex eadem Epistola transtulit eisdem verbis, varijs in locis CLEMENS ALEXANDRINVS *Stromatum*, *lib. 4. & lib. 6.* De eadem meminit Divus HIERONYMVS *in Cathalogo*, & *in Commentarijs Isai. 5. cap.* 15. nonnulla ex ea referens: Quam fortasse indicavit, & intellexit CONCILIVM LAODICENVM *cap. 6.* dum de Clementis vnica tantum Epistola mentionem facit, reliquas non omissurum, si extarent.

455 Sed nec eam certò fuisse Clementis, constat; nam contextam ex verbis, & sententia Epistolæ Pauli ad Hebræos accepimus; Sed an Clemens, an verò Lucas transtulerit, incertum EVSEBIO *lib. 3. Hist. cap. 32.* & NICEPHORO *lib. 3. cap.* 18. Qua ratione DIONYSIVS EXIGVVS, FERRANDVS Diaconus, & CRESCONIVS antiqui Decretaliū Epistolarū Collectores, non à Clemētis, sed à Siricij Papæ Epistolis initiū fecerunt, in Canonum, & Epistolarum collectionibus. Quod non vtique fecissent, si Epistolas, quæ sub nomine Clementis circumferuntur, vt legitimas, & non suspectæ fidei habuissent.

456 Quod non mediocriter confirmat HIERONYMVS, *lib. 1. contra Iovinianum* affirmans, scriptas esse Epistolas à Clemente, easque Sermonibus de Virginitate intextas, quod & tradit S. EPIPHANIVS *Hæresi* 30. eas Epistolas vocans Encyclicas, quia in Sanctis Ecclesijs legebantur; in his autem, quæ extant, nulla est de Virginitate narratio; quare diversi omnino generis videntur, vt etiam adnotavit idem CARDINALIS BARONIVS *Tom. 2. sub anno* 102.

457 Nec miretur aliquis ea, quę hucvsque diximus, Epistolas scilicet Clementis, fuisse ab Hæreticis depravatas; idem enim naufragium subierunt etiam libri Recognitionum, & Apostolicarum Constitutionum, qui Divo Clementi adscribuntur, vt gravissimi testantur Authores. Sic libros Recognitionum (quos alij, *Circuitus*; alij, *Periodos Petri* nuncuparunt) ab Ebionæis fuisse corruptos, prodit D. EPIPHANIVS *Hæresi* 30. qui ipsum Clementem refert sępe fuisse conquæstum, quod eos libros illi depravassent. Tam antiqua est huius criminis quærela. *Vtuntur autem, ait ille, & alijs libris, nimirū *Circuitionibus Petri* appellatis, per Clementem scriptis, multa corrumpentes in ipsis, & pauca vera relinquentes, velut ipse Clemens omnes per omnia redarguit in Epistolis Encyclicis, quę in Sanctis Ecclesijs leguntur.* Idipsum testatur RVFFINVS *in Apologia pro Origene*, & D. HIERONYMVS *in Apologia adversus Ruffinum*, docens, eos etiam esse depravatos ab Arianis, seu Eunomianis. Et alibi adversus Iovinianum ait: * Postquam discipulus Christi factus est Petrus, socrum eius legimus, vxorem eius non legimus. Clementis enim (inquit) Periodi, quæ scilicet de vxore Petri narrant, apocripha:* Quare eos libros vt apocriphos reiecit D. ATHANASIVS *in Synopsi*, PHILASTRIVS *de Hæresibus*, & PHOTIVS, Patriarcha Cōstātinopolitanus, *in sua Biblioth.* & quod maioris adhuc momenti est, GELASIVS Papa *in Synodo Romana* (& refertur *in cap. Sancta Romana. 15. Dist. Ex Humberto Gratian. cap. Clementis. 16. Dist.*) & LEO IX. *cōtra Epistolam Nicetæ Abbatis*, & eiusdē nomine HVMBERTVS eius Legatus affirmans, Antiquos etiam Patres, illos, vt apocriphos reiecisse; quod tradidit SYNODVS NICÆNA II. *Act. 5. verb. Epiphanius*, & antea EVSEBIVS *lib. 3. Ecclesiast. Hist. cap. 32.* *Iam vero, inquit, quidam alia item opera, verbosa illa quidē & prolixa, heri propè, & nudiustertius, perindè quasi illius essent, introduxerunt, quæ quidem disputationes Petri, & Apponis continent, quorum apud veteres nulla omnino fit mentio. Nam puram illam, & synceram, Apostolicæ Orthodoxæ Doctrinę notam, minimè retinent.*

458 Nec dicere obstat, quod quamvis apud celebriores Authores prædicti

Recognitionum libri, & relatæ Epistolæ non sint integræ fidei, attamen *in Constitutionibus Apostolicis eiusdem Clementis*, *cap.* 37. habetur, ipsi à Beato Petro fuisse Pontificalem Sedem relictam; ex quo, historiam *Epist.* 1. Clementis *ad Iacobum Fratrem Domini* veram esse, manifestè convincitur. Non, inquam, obstat; quia idem iudicium de libris Constitutionum Apostolicarum, ac de supradictis Epistolis, sicuti & de libris Recognitionum ferendum censeo; esto enim, vt rectè notant Cardinalis BELLARMINVS, BARONIVS, aliique gravissimi Authores, multa sint in his vtilia, & quæ magni fiant à veteribus Græcis, in Ecclesia tamē Latina nullum ferè nomen habent; immò & POSTERIORES GRÆCI, *in Concilio Trullano, Canone* 2. has Constitutiones, vt ab hæreticis depravatas improbant; & inter apocripha ab omnibus annumerari dixit BARONIVS *loco supra laudato*. Et meritò quidem, Constitutionibus enim Apostolicis eiusdem Clementis quędam à pietate Christiana maximè aliena inserta fuisse ab hæreticis, SEXTA SYNODVS GENERALIS, *Actione* 2. refert. De illis etiam quosdam suo tempore dubitasse recenset DIVVS EPIPHANIVS *lib.* 3. *cōtra Audianos*: ac tandē inter apocripha antea retulit EVSEBIVS *libro* 3. *Hist. cap.* 19.

459 Hinc si Sacra Concilia, Sanctissimi Patres, gravissimique Authores librum Constitutionum Apostolicarum, & libros Recognitionum, qui vulgò Sancti Clementis nomine circumferuntur, sicut & cæteras eiusdem Clementis Epistolas, excepta vna ad Corinthios, non esse integræ Fidei fatentur; magno certè iure, possumus & nos de prima Clementis *Epistola ad Iacobum Fratrem Domini*, & de facto in illa contento, Successori nempè suo Clementi, Summum Pontificatum à Petro esse collatum, ambigere, non modò quia eam apocripham esse, ex antiquissimis, maiorisque notæ, ac Fidei Authoribus ostendimus; sed quia idipsum sapientissimi, ac gravissimi Recentiores suis scriptis consignarunt.

460 Illustrissimus enim Dominus FAGNANVS, *in* 2. *par. primi Decret. de Pactis, cap. Accepimus, num.* 59. sic scribit: * Accedit quod de fide Epistolæ (de qua loquimur) superiùs relatæ *num.* 20. quæ est *Clementis ad Iacobum Fratrem Domini*, vnde hoc factum desumitur, meritò hæsitari potest, quia, vt alia omittam, cum scripta sit post obitum Sancti Petri, & sit post annum Neronis 13. scribi non potuit ad Iacobū Fratrem Domini, qui teste Hieronymo de Viris Illustribus trigesimo Neronis anno præcipitatus fuit Hierosolymis è vertice Templi: quare illa Epistola, vel non est Clementis, vel scripta fuit ad Simonem, qui similitèr fuit Frater Domini, & vox *Iacobum* mendosè irrepsit.*

461 Eruditissimus etiam Magister PETRVS MARIA PASSERINVS de Sextula, Ordinis Prædicatorum Generalis Procurator, ac Vicarius Generalis de prædicta Clementis Epistola disserens, *libro de electione Papæ, quæst.* 4. *num.* 37. * Respondetur igitur (inquit) & dicitur historiam illius Epistolæ, de Ordinatione Clementis in Papam, apocripham esse, & non fuisse à Sancto Clemente conscriptam.* Quod multis ibi probat; & infra concludens, ait: * Minimè igitur constat, illam Epistolam fuisse à Sancto Clemente scriptam, & propterea non posse ex ea sumi validum argumentum ad probandum, vel improbandum veritatem Theologicam.*

462 Pro eadem sententia apertè stat præclaræ eruditionis Vir D. EMMANVEL SCHELSTRATE dùm *in libro Dissertationum Antiquitatis illustratæ, par.* 2. *Dissert.* 3. *cap.* 2. adductis varijs sententijs de Pontificatu Clementis, tùm illorum, qui existimant Petro successisse Linum, Lino verò Clementem; tùm aliorum arbitrantium, Clementem, alterum à Petro, Vrbis Romæ Episcopum fuisse, hęc habet: * Duplicem itaque hac in re errorum fontem existimo, quorum primus ortum habuit ex quorumdam sententia, quæ putabat Clementem à Sancto Petro ordinatum Episcopum. Tradit hoc *Epist.* 1. ipse Clemens ad Iacobum fratrem Domini, vbi ennarrat se à Sancto Petro, morti vicino, invitum fuisse ordinatum Romanę Ecclesiæ Episcopum.*

463 Et relatis varijs sententijs ex hoc textu Sancti Clementis deductis, & Authoribus eas sequentibus, hæc asserit: * Attamen mirari lubet præstantissimos Viros in eam sententiam ire ex fundamento erroneo, & dubitato. Enimverò totiùs erroris fons, & origo est Epistola sub nomine Clementis ad Iacobum fratrem Domi-

mini transmissa, quae eo vsque supposita fuit, vt Ioanni Patriarchae Antiocheno *Libro de Potestate Generalis Concilij supra Papam*, ex illa probanti, Pontificem posse deponi, IOANNES DE TVRRECREMATA Cardinalis reposuerit *in secundo Ecclesiasticae summae Volumine cap.* 110. Epistolam esse suppositiam. Reiecit omnem prorsus Epistolę huius authoritatē (inquit de Turrecremata Sixtus Senensis *in Biblioth. lib.* 2.) vt obscuram, & dubiam, negans omnino fieri posse, vt Clemens Epistolam hanc post mortem Petri editam, scripserit ad Iacobum Fratrem Domini, quem Eusebius *in Chronicis* testatur, decem fere annis ante obitum Petri occubuisse, à Iudaeis lapidatum. Eadem planè habent de morte Petri, Iacobo exposita, Cardinalis Bellarminus *lib. de Scriptor. Ecclesiast.* & Antonius Possevinus *Tom.* 1. *Apparatus Sacri.* Additque Philippus Labbęus *in margine*, hanc Epistolam Cardinalibus Baronio, & Perronio viris in antiquitate versatissimis meritò suspectam esse, & suppositiam videri, prout tamquam suppositiam relatis pluribus alijs explodit Ioannes Launoyus *lib. de Duobus Dionysijs, in Discussione cap.* 3. Cum autem ruat fundamentum, ex quo Antiquiores pro ordinato per Clementem Petro (legendum: pro ordinato per Petrum Clemente) argumentum sumpsere, eorum Authoritatem desuper stabilitam ruere necesse est, vt non immeritò haesitare cęperit S. Epiphanius *Haeres.* 27. *cap.* 6. in dubium revocans cuncta monumenta, suo tempore extantia, de ordinatione Clementis per Petrum. Idque non sine fundamento fecisse, fidem facit Eusebius Cęsariensis in Palestina Episcopus *lib.* 3. *Hist. cap.* 2. (vt supra diximus.)* Hactenus ille.

464 At dices: nulla ratione subsistere potest, hanc Epistolam esse suspectae fidei, & Divo Clementi falsò adscriptam; quae enim maior certitudo excogitari potest, quàm ea, quae Apostolica Romanorum Pontificum Authoritate, luculentissimis Sacrorum Conciliorum testimonijs, & apertissimis pręstantissimorum Authorum dictis, & sententijs innititur? Hanc autem Epistolam genuinum esse Sancti Clementis foetum, non modò magnae fidei, & existimationis Authores, sed Summi etiam Pontifices immò & Sacratiora Concilia testantur, dum illam vt Sancti Clementis propriam citant, illiusque verbis sua dicta confirmant: perperam ergo asseruimus, eam integrae fidei non esse. Minor patet; quia huius Epistolae meminere LIBER PONTIFICALIS *in Clemente*, & PHOTIVS *in Bibliotheca*. Eandem Epistolam citarunt ANACLETVS *Epist.* 1. & ALEXANDER I. *Epist. etiam* 1. VASSIONENSE CONCILIVM *cap.* 6. *anno Domini* 442. congregatum NICOLAVS PAPA I. *in Epistola* 49. *anno Domini* 867. IOANNES Papa VIII. *Epist.* 234. *anno Domini* 829. CONCILIVM METENSE sub Arnulpho Rege celebratum *cap.* 8. GREGORIVS Papa VII. *lib.* 8. *Registri Epist.* 21. *anno Domini* 1080. & eiusdem exemplar gręcum *in Vaticana Bibliotheca*, se vidisse testatur FRANCISCVS TVRRIANVS: Vnde eam Epistolam esse S. Clementis fatetur GRATIANVS, qui ex ea, quàm plura capita transtulit, *in suo Decreto*, & pręcipuè *cap.* 2. 8. *quaest.* 1. vbi Glossa, & Canonistae communiter non dubitantes de Authore, & existentia illius Epistolae, admittunt factum in ea narratum, nimirum, quod Petrus vivens S. Clementem in sui Successorem elegerit. Porrò praedictam Epistolam esse S. Clementis, praeter Authores hic, & in ratione dubitandi propositos docent LAMBERTVS GRVTERVS VEMADIVS *in Praefatione operum S. Clementis*, FRANCISCVS TVRRIANVS *lib.* 2. *pro Epistolis Decretalibus cap.* 13. BONACINA *de Electione Pontificis controversia* 1. *quaest.* 5. *puncto.* 4. *num.* 5.

465 Respondetur: tot Authoritates, Sententię, quam sequimur, neutiquam obstare; quod enim Pontifices, & Concilia primae Sancti Clementis Epistolae meminerint, si rem rectè consideremus, nos non vrget: etenim quoad 1. Anacleti Epistolam, esto illam esse indubitatae fidei dicamus, quod nec omnino certum est, vt videri potest apud BELLARMINVM *lib.* 2. *de Romano Pontifice cap.* 14. LORINVM *in cap.* 1. *Actor. vers.* 13: CVSAN. *lib.* 2. *de Concordia Catholica cap.* 34. SIMONEM VIGAR *ad responsionem Concilij Basileensis*; & alios.

466 Estò, inquam, certae Fidei esse constaret; dicimus Anacletum nullam de Clementis Epistola mentionem fecisse, licet

cet eius Doctrina vtatur, quam S. Clementis esse, affirmat; bis enim S. Clementem citat, & quidem primò assimilans Ecclesiam Navi, & secundò ostendens quomodo Transgressoribus Christianæ Legis, & Religionis, deneganda sit accusandi licentia, & testificandi. In nullo autem horum locorum mentionem fecisse Epistolarum Clementis liquidò constat; nam etsi dicatur, quod in illa Epistola S. Clementis continetur illa Navis similitudo, & longè satis eisdem verbis ab Anacleto describatur, quibus reperitur expressa *in 1. Clementis Epistola*, dicimus, quod ex hoc solum concluditur, S. Clementem illã similitudinem tradidisse, & quod in ea Epistola aliqua sint, quæ verè fuerint à S. Clemente, vel dictata, vel scripta, non inde tamen deducitur, eam Epistolam Clementis fuisse.

467 Nam nec illud, quod Anacletus ex Clemente citat, de prohibenda scilicet accusatione, & testimonio deficientis à Fide, & Religione, eo modo in Clementis Epistola habetur. Anacletus quidem refert illud, non vt aliquid contentum in aliqua Epistola, sed vt statutum à Clemente cum Collegis suis. Deinde *in illa Epistola*, 1. *Clementis*, cum dicatur quòd Diaconi sunt oculi Episcopi, & hoc idem habeatur in Epistola Anacleti, absque eo quod citetur in hoc, Clementis Epistola, inde arguitur, quod neque alia ex eadem Epistola sumpsit, nec eam legit, aut vidit; quia aliter, & similitudinem illam oculi dixisset, se habuisse ex Clemente, si illius legisset Epistolam, eam similitudinem continentem.

468 Insuper cum *in Epist. 2. Anacleti*, de Episcoporum Iudicio tractetur, quomodo scilicet à Deo sint iudicandi, non ab hominibus, & illa Epistola eisdem ferè verbis, quibus ad id probandum Clementis Epistola vtitur, & eadem servi similitudine, eodemque Scripturæ loco (*Roman. 4. & quis est, qui alienum servum iudicet?*) vtatur; nullam tamen Clementis mentionem facit, quam certè non prætermisisset, si prædicta Epistola à Sancto Clemente fuisset conscripta, & id quod Clemens sua Authoritate firmasset, Anacletus in ea Epistola conscripsisset.

469 His superaddi potest quod *in tertia Anacleti Epistola* habetur, tamquã documentum à Petro traditum, quando docuit plebem, vt obediret Clementi, illud, quod refertur *in cap. Si inimicus, dist. 93.* & quod datũ fuisse à Petro in Ordinatione Clementis, tradiderunt ALEXANDER I. *Epist. 1.* CONCILIVM VASENSE 2. *cap. 6.* & CONCILIVM METENSE *sub Stephano. 6. cap.* 8. sed quandò & quomodò, & ad quem finem facta sit hęc Clementis ordinatio, non refertur. An Clemens fuerit ordinatus Petri Coadiutor Episcopus, vel Vicarius, Legatusvè, nõ est huius loci disputare, sed infrà discutietur. Id enim tandem dicimus, quod & si Anacletus, Alexander, Fabianus, & Concilia superiùs relata de Clementis Ordinatione mentionem fecerint; eam tamen nullatenùs in aliqua Clementis Epistola contineri.

470 Ex dictis apertissimè constat, primam Clementis Epistolam esse suspectæ fidei, vt tot, tamque præclaris Authoribus comprobavimus, estò ea, quæ in prædicta Epistola continentur, à multis Summis Pontificibus, Sacratissimisque Concilijs citentur: non enim inficiamur, plures Doctrinas Apostolico Zelo dignissimas in prædicta Epistola reperiri; asserimus tamen predictas Doctrinas adulteratas esse, ac corruptas, insertis alijs quibusdam Sancti Clementis nomine, & Pietate indignis, & ab illius Virtute penitùs alienis. Asserimus insuper Pontifices, & Concilia cum prædictam Doctrinam allegant, non illam citare tàmquam desumptam ab aliqua Epistola à S. Clemente conscripta, sicque nullius roboris esse argumentum, quo oppositi Authores probare conantur, prædictam Epistolam à Pontificibus, & Concilijs approbari, vt inde convincant, genuinum esse S. Clementis fœtum.

471 Tertiò pręcipuo argumento respondemus: prædictam Clementis Epistolam tamquam apocripham reijciendam; non solum quia, vt hucusque probavimus, Clementis esse non constat, sed etiam quia pręcipuum factum in ipsa narratum (Sanctum nempe Clementem fuisse à Divo Pe- Successorem suum constitutum) & à veritate historiæ, & à fide, quæ tam Petri instituentis, quàm Clementis instituti Authoritati debetur, pœnitùs est alienum: & certè Sacratissima illorum Pontificum Authoritas corrueret, nullaque ipsis adhiberetur fides, si pręclicta Epistola subsisteret. Et ratio est: quia nulla est Veritas certior, nulla securior ea, quam nos Sancti Patres, Sanctaque docet Ecclesia, quæ *Veritatis columna est, ac firmamentum*, adeò vt quisquis à Sanctorum Patrum, Ecclesię-

que

que Doctrina discesserit, semper fuerit de veritate suspectus. Quod adeò certū existimo, vt superfluum omninò iudicem, tempus in hac veritate firmanda consumere; nullam enim aliam Catholicam Veritatem agnoscimus, nisi eam, quam nos Catholica docet Ecclesia, adeò vt dixerit ingeniorum apex AVGVSTINVS se nullatenus Evangelio crediturum, nisi illud Ecclesia proponeret, suaq; Authoritate firmaret: *Evāgelio (inquit) non credere, nisi Ecclesię me cōmoveret Authoritas.* Ea etiam est Sanctorum Patrum apud Ecclesiam Authoritas, vt in dogmaticis controversijs, quarum resolutio in Sacris Litteris non invenitur expressa, Ecclesia illis semper adhæreat, eorumque sequatur Doctrinam, vtpotè quia isti sua Sanctitate, & meritis Intelligentiæ Donum à Domino obtinuerunt, & à Spiritu Sancto illustrari Virtutibus promeruerunt, vt sic Ecclesia illorum magisterium, Doctrinæque veritatem securissimè posset amplecti. Nulla ergo est Veritas certior, ac securior ea, quam Sancti Patres, Sanctaque tradit Ecclesia: atqui Ecclesia, Sanctique Patres litteris, ac merito celebriores censent oppositum facto in prædicta prima Epistola, quæ Sancto Clementi adscribitur, enarrato; in hac enim, vt supra retulimus, expressè asseritur, Sanctum Clementem fuisse à Divo Petro immediatum Successorem constitutum: Sancti verò Patres totaque Ecclesia oppositum sentiunt, vt apertè ostendimus ex Sancto Ignatio, Tertulliano, Hegesippo, Eusebio, Sancto Irenæo, Sancto Optato Milevitano, Sancto Epiphanio, Sancto Hieronymo, Sancto Augustino, Sancto Damaso, Rufino, Ivone Carnotensi, Hugone de Sancto Victore, alijsque Authoribus gravissimis quidem, & Ecclesiasticæ Historiæ peritissimis, vti Eminentissimis Cardinalibus Turrecremata, Baronio, Bellarmino, alijsque, quorum verba supra adduximus, qui vnanimi consensu tradunt, Sanctum Linum, immediatè Divo Petro successisse in Apostolica Sede, non verò Clementem; & quòd maioris ponderis est, id ipsum attestatur maxima apud Catholicos Authoritas, Ecclesiæ nèmpè, quæ cōtinuā, ac perpetua omnium sæculorū Traditione inter Divi Petri in Pōtificatu Successores, primo loco Linum, quarto verò Clementem enumerat, vt videri potest in Martyrologio Romano, & Missæ Canone, cōtextibus maximæ in Ecclesia suppositionis. Nequit ergo aliquis oppositum sentire, quin Veritati ab Ecclesia tot sęculis approbatæ, statutę, & commendatę opponatur. Cumque huic Veritati oppositum in prima Epistola Sancto Clementi adscripta contineatur, hoc quidem sufficeret, estò nulla alia daretur exceptio, vt prędicta Epistola, & suspectæ fidei intelligeretur, & illius valdè infirmaretur Authoritas: nulla enim est alicuius Scriptoris Authoritas, si Canonicos excipias, quæ Ecclesiæ Authoritati possit ęquari, nedū illam superare. Ecclesia autem nobis apertissimè suffragatur, dum post Petrum, primo loco Linum, quarto verò Clementem enumerat.

§. IV.

ADMISSA ADHVC VT LEGItima prima Sancti Clementis Epistola, præcipuum argumentum varijs solutionibus infringitur.

472 HActenus precipuo argumento satisfecimus incertitudinem, & insubsistentiam Epistolę, quę sub nomine Clementis, ad Iacobum Fratrem Domini, circumfertur, supponentes, factumque in illa commemoratum circa Sancti Clementis ad Pontificatum promotionem, ab Apostolorum Principe factam, in dubium revocantes. At quia multi sunt, & gravissimi quidem Authores, qui, & prędictam Epistolam legitimam esse existimant, & Divum Clementem, à Sancto Petro immediatum Successorem suum constitutum, tuentur, vt inter alios D. ANTONINVS 1. *part. Histor. titul.* 6. §. 3. adducens pro se Ioannem Papam III. 8. *quæst.* 1. *cap. Si Petrus.* Quem multi alij sequuntur, & inter Recentiores P. FRANCISCVS BORDONVS *Tom.* 1. *Operum Moralium de Petro, & Ecclesiæ Potestate, cap.* 4. *quæst.* 19. Ideò, dato, & non concesso, quod prædicta Epistola sit genuinus Sancti Clementis fętus, vt relati arbitrantur Authores, pręcipuum argumentum varijs solutionibus diluemus.

473 Et primò quidem, silentio prætereunda non est aliquorum Authorum solutio, qui admittentes, Sanctum Clementem fuisse à Divo Petro in immediatum Successorem suum electum, prout in prædicta Epistola enarratur; asserunt, D. Clementem, ne Ecclesiæ perniciosum ex-

exhiberetur exemplum, quo Pontifex Successorem sibi destinaret, nevè inde gravissima,& Ecclesię exitiosissima suborirentur incommoda, ni Pontifex ab illis, ad quos iure pertinet, eligeretur, Pontificatui renunciasse, Ecclesiæque concessisse, vt ipsa in Pontifices Linum, & Cletum, qui Divo Petro Episcopi Coadiutores extiterant, pro sua libertate eligeret. Sic sensit GLOSSA *cap. Si Petrus, 8. quæst. 1.* Quam sequitur CARDINALIS IACOBATIVS *de Concilijs, lib. 10. quæst. de Superioritate Papæ ad Concilium, ad vndecimum argum.* Vbi hæc habet: * Clemens non fuit ab Apostolis amotus: sed ipse vltrò videns, quod hoc esset perniciosum exemplum, quod aliquis sibi eligeret Successorem, renunciavit Papatui: & tunc electus fuit Linus, deinde Cletus, deinde denuò Clemens.* Id ipsum, iam ante prędictumCardinalem, tradiderat S. ANTONINVS, loco supra citato, sic scribens: * Item secundum Glossam, Linus, & Cletus non fuerunt post Petrum immediatè Apostoli; sed Clemens à Petro institutus; quòd Clemens cernens perniciosum esse exemplo, quod aliquis sibi eligeret Successorem, instigatus à Spiritu Sancto, renunciavit Papatui, & factus est Papa Linus, & eo decedente per Martyrium creatus est Cletus Pontifex Summus, quo migrante ad Dominum, fuit assumptus ad Papatum Clemens præfatus.* Eandem sententiam sequitur AZOR *part. 2. lib. 3. cap. 43. & lib. 4. cap. 6. quæst. 5.* SVAREZ *disput. 10. de Fide, sect. 4. num. 8. & lib. 3. contra Regem Angliæ, cap. 13. num. 13. in fine*; CASTELLINVS *de electione, cap. 10. num. 23.* ALPHONSVS CIACONIVS *in vita Sancti Lini*; SEVERINVS BINIVS *in Notis ad Concilia Generalia in vita Sancti Lini*, Cardinalis BARONIVS *ad annum Christi 69.* TVSCHVS *littera E. Consilio 51. num. 1.* Cardinalis etiam TVRRECREMATA ante istos *lib. 2. de Ecclesia, cap. 61.* hęc, inter alia, scribens: * Verum quia non omnes Successores Petri futuri erant tales, qualis Petrus fuit, forma ista providendi de Successore poterat esse futuris exemplo perniciosa, Sancti Patres ordinaverunt, vt nulli liceret Successorem sibi constituere. Hinc Beatus Clemens intelligens hoc posteris futurum fore perniciosum exemplo, quod aliquis Successorem eligeret, renunciasse dicitur Papatui, & electus fuit Linus, vt habetur *in Glossa, cap. Si Petrus.**

474 Hęc autem solutio, esto à pluribus amplectatur, in difficiles tamen incurrit nodos: primò enim non leve dubium ingenerat, quòd Petrus, id Spiritu Sancto plenus, præstiterit, & quod eius discipulus Clemens, agnoscens, exemplar illud, venturis temporibus, vniversali Ecclesiæ perniciosum valdè futurū, Ordinationi,& Institutioni à Divo Petro, non sine speciali Spiritus Sancti impulsu factę, ausus fuerit renunciare.

475 Secundò, quia prędicta solutio obiectionem non diluit; etenim si Institutio à Divo Petro facta, valida fuit, vt supponitur, vtique Sanctus Clemens post Petri mortem, vi istius Institutionis legitimus Pontifex fuit: non ergo potuit Linus Petro immediatè succedere, nisi fortè dicatur, Sanctum Clementem numquam prædictæ electioni consensisse: hoc autem non est Clementem Ordinationi illi renūciare, sed illi non assentiri; quod manifestè adversatur his, quæ à prædictis Authoribus traduntur.

476 Tertiò, quia prædicta solutio, & sibi, & veritati historiæ, quam supponit, manifestè opponitur; siquidem ex ipsa Epistola constat, eam post Petri obitum scriptam fuisse, vt ostendunt illa ipsius Epistolæ verba: * Hic (scilicet Petrus) pro Pietate pati volens, pręsentem vitam finivit.* Ordinatio autem Clementis paulò ante Petri mortem facta dicitur ibi: *In ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, in Conventu Fratrum positus, apprehensa manu, &c.* Insuper, qui prædictam Epistolam exaravit, manifestè fatetur, hunc Clementem esse illum, qui à Petro, Episcopus Romanus ordinatus fuit, ipsi Petro post eius mortem successurus, cum affirmet, dixisse Petrum: * Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meę prædicationis,& Doctrinę Cathedram trado.* Tandem hic Clemens Romanus Episcopus apertè innuit, se hanc Epistolam non multò post Petri mortem scripsisse; etenim circa medium Epistolę, Petrum sic cum illo loquentem inducit: *Deprecor te, ò Clemens, coram omnibus, qui præsentes sunt, vt postquam (sicut naturę debitum est) vitæ præsentis finem fecero, Iacobo Fratri Domini descripta breviter, &c. omnia quæ potes, breviter comprehensa ad ipsum te destinare non pigeat,

geat, &c. (Et infra:) Vnde & ego mihi Domine Iacobe, cum hæc ab eo præcepta susceperim, necesse habui implere quòd iusserat, indicans tibi, &c.*

477 Ex prædictæ ergo Epistolæ verbis manifestè innotescit, Sanctum Clementem paulò ante Petri mortem, fuisse, ab ipso Apostolorum Principe, Romanum Episcopum ordinatum; & ipsum Clementem, post Petri mortem, illius iam Successorem creatum, eiusque preceptis obtemperantem, præfatam Epistolam, ad Iacobum fratrem Domini, exarasse. Vnde manifestè apparet difficultas, & contradictio, quam secum affert prædictorum Authorum solutio, dum hanc Epistolam, historiamque in ipsa enarratam, veram esse fatentur, & aliundè Sanctum Clementem Pontificatui renunciasse asseverãt; hęc enim, quin sibi ipsis, historiæque adversentur, subsistere non possunt; cum iuxta præfatæ Epistolę tenorem, ille idem Clemens, ab ipso Petro Pontifex ordinatus, prędictam Epistolam, paulò post Petri mortem, Iacobo fratri Domini scripserit.

478 Nec difficultatem dirimes, si dicas, præfatam Epistolam, non nisi post Lini, & Cleti mortem fuisse à S. Clemente scriptam. Non, inquam dirimes: tum quia Linus, & Cletus Apostolicam Cathedram, ad minus vltra viginti annos, iuxta plures Authores, immò & viginti quatuor, iuxta alios, moderati sunt: vnde à Petri morte, ad Cleti vsque obitum, ad minus viginti, vel viginti quatuor anni fluxerunt: atqui Clemens nimis clarè significat, se statim post Petri mortem, illam scripsisse Epistolam: non ergo illorum Pontificũ mortem spectavit, vt prædictam Epistolam scriberet. Tum quia inverisimile est, quod Clemens tot annos distulerit, Petri præceptum executioni mandare, presertim cum illi Petrus dixisset: * Omnia, quæ potes, breviter comprehensa, ad ipsum (scilicet Iacobum Fratrem Domini) te destinare non pigeat.* Cum ergo Petrus tantam solicitudinem, ac brevitatem Clementi commendaverit, vt statim post illius mortem, ad Iacobum Fratrem Domini scriberet ea, quæ ipsi Petrus iniunxerat circa Ordinationem, qua eum, Successorem suum immediatum instituerat; credibile non est, tot annorum spatia à Petri obitu, vsque ad prædictam Epistolam intercurrisse: immò existimandum est, Clementem statim à Petri mortę eam Epistolam exarasse: cumque insuper ipsam vt Pontifex, & Petri Successor, ac ab ipso Petro ordinatus scripserit; hinc quî veram esse illius Epistolæ historiam fatentur, si consequenter loqui voluerint, necesse est vt fateantur, Clementem immediatè successisse Petro in Pontificatu Romano, minimèque renunciasse Papatui, vt supra relati Authores tradidisse dicuntur: hoc enim & Patrum antiquitati, & Ecclesiæ Traditioni haud mediocriter adversari, latè à nobis probatum est;

479 Prędicta ergo solutione reiecta aliter pręcipui argumenti nodum dissoluimus cum sapientissimis viris, qui & prędictam Epistolam genuinam esse S. Clementis, & factum in ipsa narratum verum, ac Legitimum supponentes asserunt Sanctum Petrum, speciali Spiritus Sancti instinctu, Clementem immediatum Successorem suum instituisse. Sic sentiunt CARDINALIS IACOBACIVS *loco supra Laudato ad* 11. *argumentum*, & ALEXANDER *in cap. Petrus* 8. *quæst.* 1. vbi præsentem difficultatem dirimit dicens, Petrum id Spiritus Sancti instinctu fecisse: sicut legitur de Davide *in Glossa in cap. Moyses* 8. *quæst.* 1. ad quod alludere videtur Textus *in cap. Electionem* 79. *Dist.* vbi dicitur, Deum electionem Summorum Pontificum sibi reservasse, sed electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus Populis concessisse. Ex quo textu infert prædictus Cardinalis voluisse Christum * per viam electionis à Sacerdotibus, & populis Pontifices creari, & non à Prædecessoribus institui Successores * vnde instinctu Dei hoc, scilicet, de Clemente factum fuit.

480 Nec indè deduci debet, quòd si Sanctus Petrus Clementem Successorem suum creavit, poterunt hoc, & reliqui Pontifices facere: etenim quòd preter ordinarium, & naturalem rerum cursum supernaturali Virtute factum est, consequentiam non inducit, vt in miraculis experimur. Ex eo enim quod Deus ob huius Sancti Orationes miraculum ediderit, non inde infertur, Deum semper ob ipsius Sancti Orationem miracula patraturum, estò eadem militet ratio, eadem instet necessitas, idemque agnoscatur motivum: similiter ea, quæ Sancti speciali Spiritus Sancti impulsu, assistentia, &

revelatione operati sunt, nullam sibi afferunt consequentiam; ex eo enim quod Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizaverint *Actor.* 8. *vers.* 13. & *act.* 10. *v.* 48. non inde deduci potest, & nos in Christi nomine baptizare, omissa forma à Christo Domino *Matth. vltimo* præscripta: *Prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ideò autem Apostoli iuxta S. THOMAM 3. *Par. quæst.* 66. *art.* 6. & alios, à cōmuni vsu, Baptismique forma à Christo præcepta tunc temporis recesserunt, quia illos Spiritus Sanctus specialiter ad id peragendum permovit, vt nomen Christi, quòd erat odiosum Iudæis, & Gentibus, honorabile redderetur. An quia Samson sibi ipsi mortem ascivit, liberum erit cuilibet semetipsum interimere? An quia Abraham Filium suum Isaac innocentem quidem Deo voluit immolare, poterimus, & nos innocentem perimere? An quia Christus in deserto occasioni, & periculo tentationis sese voluntariè exposuit, dicente textu *Matth.* 4. *vers.* 1. *vt tentaretur à Diabolo*, integrum erit cuilibet sese periculo, & occasioni tentationis proximæ obijcere? Neutiquam certè; quia in prædictis, alijsque huiusmodi casibus Apostolorum, Abrahæ, Samsonis, & Davidis, quando inermis cum immani ac truculento Gigante congressus fuit, & Christi tentationis periculum in deserto spontè subeuntis specialis Spiritus Sancti impulsus interfuit; numquam enim Christus, David, Apostoli, alijque Sancti simile quid aggrederentur, nisi à Spiritu Sancto specialiter moverentur, ideòque huiusmodi facta, nullatenùs sunt in aliorum exemplū adducenda, quia estò admiranda sint, nullo tamen pacto imitanda, vt passim Sancti Patres proclamant. Quare ex eo quòd Petrus Clementem in Successorem suum elegerit, non indè deduci potest, posse & reliquos Pontifices id ipsum efficere; quia illud Petrus non nisi Spiritus Sancti instinctu præstitit, vt ex *Glossa* rectissimè annotavit noster GRAVINA, sic scribens: *Factum Petri non est trahendum in consequentiam; sicut nec, quod ad eius vmbram sanarentur infirmi: nec semper exempla Sanctorum, & si admiranda, sunt imitanda. *Cap. Non exemplo* 26. *quæst.* 2.*

481 Secundò respondemus admittentes, ac libenter fatentes Sanctum Clementem institutum, & electum fuisse à Petro in Episcopum, sed non in Pontificem. Verisimile enim est, quòd factum in prædicta Clementis Epistola, ad Iacobum fratrem Domini, enarratum, verum sit secundum substantiam, falsum tamen prout in ea Epistola refertur ex alicuius fortè malitia, qui Epistolam illam corrupit; non enim rationi videtur dissonum, quod Petrus sicut Linum, & Cletum, sic & Clementem in Coadiutorem Episcopum ordinaverit, non verò in Summum Pontificem elegerit; quamvis ex illa Ordinatione provenerit, quod illi tres tàmquam idonei à Petro iudicati, approbati, & canonizati, habiti sint ab Ecclesia digni, qui ad Summi Pontificatus apicem eveherentur; & ideò illi tres successivè eodem ordine, quo á Petro Episcopi fuerant creati, postea in Pontifices Summos promoti fuerint.

482 Nec deest huic solutioni fundamentum, & gravissimum quidem. Siquidem tres Summi Pontifices, videlicet ANACLETVS *Epist.* 3. ALEXANDER *Epist.* 1. & FABIANVS *Epist.* 1. duo item Concilia, BARENSE scilicet, & METENSE locis supra laudatis de Clementis ad Summum Pontificatum electione mentionem nullam fecerunt, sed solummodò doctrinam illam *in cap. Si inimicus. Dist.* 92. contentam vt à Petro in ordinatione Clementis traditam retulerunt, quæ quidem optimè intelligi potest de Ordinatione Clementis in Coadiutorem Episcopum ab Apostolorum Principe facta, provt satis indicat S. EPIPHANIVS *Hæresi* 27. & expressè tradit NICEPHORVS CALLISTVS *lib.* 2. *Histor. cap.* 35. Immò MARIANVS SCOTVS putat, Clementem vivente Petro *novem annis* Cathedrā tenuisse. Fuit ergo Clemens ordinatus à Petro, qui tunc in Conventu fratrum ea protulit, Sancta quidem, & Petro digna, quæ in ea Epistola continentur: at non fuit in Summum Pontificem electus, sed in Episcopum cooperatorem, & Coadiutorem assumptus.

483 Quòd vlteriùs suadetur. Vel enim prędictæ Epistolæ verba ita explicantur, vt Clemens fuerit tunc vivente Petro Summus Pontifex constitutus; vel ita, vt in illa Ordinatione fuerit illi Pontificatus promissus; vel tandem illa verba sic

sic intelliguntur, vt denotent, tunc fuisse Episcopum ordinatum, vt post Petri obitum ad Pontificatus apicem fastigiaretur. Primum esse non potest; aliàs duo simul admitterentur Pontifices, duoque Suprema Ecclesiæ Capita, quę illam proculdubiò monstruosam, & deformem redderent; sicut & monstrum esset, corpus, quod multiplici capite gravaretur: quod quidem hæreticum esset asserere. Sed neque secundum dici potest, si illius Epistolæ verba diligenter perpendantur; siquidem Petrus Clementem ordinans, non de futuro, sed de præsenti loquitur, vt patet ex illis verbis: * Clementem Episcopum vobis ordino:* Et ex illis: * Cui soli meæ Prędicationis, & Doctrinæ Cathedram trado.* Quibus efficacia Traditionis de præsenti significatur; quod & alia eiusdem Epistolę verba confirmant; infra enim sic legitur: *Propter quod ipsi trado, à Domino mihi traditam Potestatem ligandi, & solvendi.* Qui quidem loquendi modi apertè significant, S. Clementem fuisse à Divo Petro de præsenti ordinatum; non quidem in Papam, alias duo simul essent Summi Pontifices, quod, vt diximus, monstruosum esset, ac deforme: solum ergo possunt prędicta verba intelligi de Ordinatione, qua Sanctus Petrus D. Clementem Episcopum Coadiutorem constituit, sic illum idoneum designans; ac dignum, qui suo tempore Pontifex crearetur, prout revera post Lini, & Cleti mortem creatus fuit.

484 Neque prædictus sensus, & explicatio, relatis Petri verbis opponitur, immò illis mirificè congruit: dicere enim: * Clementem Episcopum vobis ordino,* non fuit asserere, se illum Pontificem eligere, sed Episcopum ordinare. Illa autem ipsius Petri verba: *Cui soli meę Prædicationis, & Doctrinę Cathedram trado; (sicut & illa alia:) Ipsi trado à Domino mihi traditam Potestatem ligandi, & solvendi;* optimè possunt intelligi de potestate delegata, & supremæ Pontificiæ Potestati subordinata, qualem Pontifices alijs Episcopis tradunt; nullus enim alius potest legitimus illorum verborum sensus esse: siquidem supremam illam ligandi, atque solvendi Potestatem, qua Summi Pontifices insigniuntur, ac decorantur, non ab homine, sed à Deo accipiunt: neque Cardinales quandò eligunt Papam, vel ipsum in Summum Pontificem nominant, eique Petri Cathedram tradunt, dant illi supremam illam ligandi, atque solvendi Potestatem, etsi designent personam, cui suprema ligandi, & solvendi Potestas immediatè traditur à Christo, vt fert communis Theologorum, & Canonistarum consensus, & specialiter tenet CARDINALIS TVRRECREMATA, *lib. 2. de Ecclesia, cap. 38 in principio*, cui hunc titulum præfixit: * Quod Romanus Pontifex Primatum, & amplitudinem Dignitatis suæ à Christo immediatè habeat.* Quod probat *ex illo Ioan. vlt.* vbi Christus sic Petrum alloquitur: *Simon Ioannis pasce oves meas.* In cuius expositionem hæc habet prædictus Cardinalis: * Vbi manifestè cura totiùs Ecclesię Petro commissa est, & in eo suis Successoribus, à Christo immediatè committitur. Super quo verbo dicit B. CHRYSOLOGVS: *Pasce oves meas*; id est, loco mei Præpositus, & Caput estò fratrum tuorum.* Et infra concludit capitulum dicens: * Ex quibus manifestè confutatur error dicentium, Petrum Principatum super alios Apostolos habuisse, non à Christo immediatè, sed humana institutione.*

485 Quod confirmat dictus Cardinalis *cap. 44. eiusdem libri*, vbi: * Demonstrato (inquit) quod Potestas, sive Pontificatus Papalis à solo Deo sit institutus, facile est intelligere, quòd à nullo puro homine, nec à toto Mundo possit restringi, aut ampliari, sed à solo Deo.* Ratio autem, cui ipse innititur, est: quia Papalis Potestas, vt superiùs latè probaverat, à solo Deo est instituta, vt habetur *cap. Quamvis, Dist. 21.* Huic Eminentissimo, ac Eruditissimo Cardinali subscribunt CAIETANVS, *Opusculo 1. cap. 13.* & *Opusculo 2. cap. 22.* TVRRIANVS *contra Centuriatores, cap. 18.* & SVAREZ *Disput. 10. de Fide, sect. 4. num. 3.* Ergo Divus Petrus, cum S. Clementem ordinavit, neutiquam illi supremam illam Pontificiam ligandi, & solvendi tradidit Potestatem: hoc enim ad solum Christum privativè pertinet; & imperceptibile videtur, Divum Petrum S. Clementi cōmunicasse Potestatem, quam cōmunicare non poterat, & ausum fuisse præiudicare supremæ Potestati Christi, ad quem privativè quoad omnes spectat, elargiri Claves ligandi atque solvendi, supremamque Pontificiam Potestatem tradere

illi, qui in eius locum subrogatur, & vniversalis Ecclesiæ constituitur Caput. Vnde prędicta Petri verba: *Ipsi trado à Domino mihi traditam Potestatem ligandi, & solvendi;* solum possunt intelligi, & explicari in eo sensu, quem præseferunt illa alia eiusdem Petri verba: *Clementem Episcopum vobis ordino;* ita vt Petrus Clementem Coadiutorem Episcopum ordinaverit, vt dum Petrum vniversalis Ecclesię sollicitudo, ab Vrbe, in diversas Christiani Orbis Provincias, revocaret, Clemens loco ipsius Petri, Ecclesiasticas, & Pontificales functiones obiret, quò magis idoneus redderetur, vt ab Ecclesia suo tempore Pontifex crearetur; atque ita post Lini, & Cleti mortem evenisse, ipsa testatur Ecclesia *in Sacro Missæ Canone*, vbi de primis Pontificibus loquens, qui post Petrum, Ecclesiæ clavum tenuerunt, eos hoc ordine recenset: *Lini, Cleti, Clementis.*

486 Tertiò respondemus: adhuc admisso Epistolæ Sancti Clementis textu, negari optimè posse, Clementem fuisse à Divo Petro Summum Pontificem institutum, vnde ex facto in prædicta Epistola enarrato nullatenùs deducitur, posse Pontifices successorem sibi constituere, vel nominare; siquidem verborum prędicti textus proprietate servata, rectissimè intelligi potest, Clementem constitutum fuisse à Divo Petro Successorem suum, non quidem per solam ipsius Petri Institutionem, & declarationem, sed etiam per aliorum consensum, & electionem. Sic docere videtur Cardinalis TVRRECREMATA, *de Ecclesia, lib. 2. cap.* 51. ibi enim adductis rationibus, quibus probat, neutiquam expedire, Pontificum successionem fieri per carnis successionem, aut institutionem, sed per electionem; sibi objicit factum Clementis, qui à D. Petro Pontifex constitutus videtur: cui obiectioni satisfacit dicens, Clementem adhuc in eo casu non sola Petri nominatione, sed totius etiam Ecclesiæ consensu, & electione ad Apostolicam Sedem fuisse promotum. *Nec obviat, inquit, huic, quod Beatus Petrus Successorem legatur instituisse S. Clementem, vt *in cap. Petrus 8. quæst.* 1. habetur; (& paulo post) quia cũ vt ait historia, & habetur in capit. præfato, Petrus in auribus totius Ecclesiæ Clementem instituerit, & ita omnium consensu interveniente, videtur, quod ipsa Clementis Institutio, fuerit etiam per modum electionis: nam ad consensum Cleri, & Populi cõsuevit antiquitùs fieri electio, *Dist. 63. cap. Quanto, & cap. Plures.**

487 Consonat Cardinalis IACOBATIVS *de Superioritate Papæ ad Concilium, lib.* 10. *in solutione ad* 11. *argumentum*, vbi inter alias solutiones, quas ad Clementis factum adhibuit, hanc etiam tradit: *Alia etiam solutio est, quod non solum Petrus elegerit sibi Clementem, sed de consensu totius Ecclesiæ, vel saltem ipsa Ecclesia sciente, & tacente.*

488 Eminentissimis hisce Cardinalibus adhæret, etiam D. IVLIVS LABORIVS, Prothonotarius Apostolicus *in suis Lucubrationibus* Ecclesiastica eruditione refertis, dum *de electione Canonica, tit. 4. tom. 1. cap. 3. num.* 54. hæc scribit: *Ex eo quod in Epistola citata, nomine Sancti Clementis inscripta, vt refertur *eadem* 8. *quæst. 1. cap.* vndè dicitur, quod Simon Petrus in auribus totius Ecclesiæ Clementem instituerit; videtur enim dicere, intervenisse consensum totius Ecclesiæ, & Beatum Petrum solum demonstrasse, quis sibi videretur ad tãtam Dignitatem assumendus. Et sic potest dici electio Canonica.*

489 Quartò respondemus: ex facto in prædicta Epistola relato non deduci Sanctum Clementem fuisse à Divo Petro Pontificem institutum, sed solummodò nominatum, ordinatum, & propositum tamquam dignum, qui à fratribus in Petri Successorem eligeretur, & de ipso eligendo cum fratribus egisse, nihil quidem decernendo, sed merita illius tantummodò proponendo. In hanc solutionem conspirant GLOSSA *in Cap. Si Petrus* 8. *quæst.* 1. & ex Richardo Iberniæ Primato TVRRECREMATA *in cap. In nomine Domini,* 23. *Distinct. art.* 1. *ad* 1. sic scribens: *Vnde constat, quod Petrus numquam vnius hominis arbitrio voluit Successores suos ordinari. Vnde credendum est, quod non ordinaverit Clementem, sed potiùs nominasset Patribus, patefaciendo, quoad personam sibi subrogandam, quid ipse sentiret, quem Fratres scirent Spiritum Dei habere, vnde Petro decedente, Fratres statuerunt loco sui Clementem. Ipsè verò Clemens de consensu Fratrum credentium, vt quidam dicunt, renunciavit, & electus fuit Linus, vt dictum est.* Hanc solutionem amplectuntur etiam RICHARDVS ARMACANVS *in Quæstionib. Armenor.*

lib.

lib. 7. cap. 19. Cardinalis ALBANVS *de Potestate Papæ*, & CÆREMONIALE ROMANVM *Rubrica de Ordine, & ratione eligendi Pontificem*, sic scribens: * Et ea ratione Petrus, Clementem etiam nominavit, quod tamen ita creditum, si à Senatu Ecclesiæ Romanę admitteretur.*

490 His subscribit Cardinalis IACOBATIVS *lib. 10. de Concilijs, quæst. de Superioritate Papæ ad Concilium ad 11. argumentum*, vbi difficultatem, quæ ex prædicto Clementis facto, illiusque institutione suboritur, varijs solutionibus enodat, ac dirimit, & in illatum prima respondet, Petrum propriè Clementem sibi Successorem non elegisse, sed cum Fratribus deliberasse eum Successorem relinquere, vt *in cap. Si transitus 79. Distinct.* & tradit GLOSSA *in cap. Si Petrus 8. quæst. 1.* Absonum autem non est, Papam adhuc viventem, posse cum Cardinalibus de futuro Successore Ecclesiæ agere, & aliquem pro Ecclesia idoneum proponere, vt tradunt communiter Doctores *in cap. In nomine Domini, 23. Distinct. & in cap. Licet, cum similibus, de electione.*

491 Præclara quidem solutio, ac rationi maximè consona; non enim verisimile est, Petrum, qui noluit Sanctum Matthiam, sine Fratrum cōsensu, Apostolorum numero adscribere, vt dicitur *Actor. 1.* estò ipse esset Christi Vicarius, Ecclesię Caput, & illorum Princeps, voluisse per se ipsum aliquem nominare, & in Pontificem Summum eligere, nisi fortè super hoc Domini sensum accepisset, illudque Fratribus, vt ipsi consensum pręberent, expressisset, vt rectissimè annotavit eruditus IVLIVS LABORIVS supra laudatus, id desumens *ex Cardinali Turrecremata in cap. In nomine Domini, 23. Distinct.* Vbi plures alias rationes affert, notatu dignissimas, ad probandum S. Clementem à Beato Petro Pontificem absolutè nominatum, & electum non fuisse, sed solummodò propositum, vt dignum, qui à fratribus eligeretur.

492 Et certè Apostolici Zeli, quo Beatus Petrus exarsit, proprijssimum fuit, pro maiori Ecclesiæ bono conari, vt sibi Successor sufficeretur Vir adeo benemeritus, & tali honore dignus, vt fuit S. Clemens; ideoque Petrus præclaras animi dotes, & ornamenta, quibus Clemens divino quodam munere à Deo erat instructus, Electoribus proposuerit, tū quia ipse præclara illa Clementis ornamenta, & dotes apprimè noverat, tum vt Electores possent, cum de alicuius electione acturi essent, illius Iuditio, & Sentētia duci, quem certò sciunt in his, quæ ad vniversale totius Ecclesiæ bonum spectant, errare non posse. Hinc plures Summi Pontifices hanc Petri Providentiam æmulantes, pro maiori Ecclesiæ bono, de futuro successore egerunt. Sic enim fecisse Sanctum Gregorium VII. narrat LEO OSTIENSIS *2. Chronic. cap. 64.* & placet ex GRAVINA *tom. 3. part. 2. lib. 4. controvers. 4. dub. 3.* referre verba MALBESBVRGENSIS *lib. 3.* qui de Sancto Gregorio VII. inquit: *Cum rogatus esset a Cardinalibus, vt Papam constitueret, Beati Petri exemplum referentibus, qui lactentis Ecclesiæ rudimentis, vivens sibi Clementem præfecerat, negavit ille idem exemplum secuturum, quod ab antiquis Concilijs erat vetitum; consilium verò se daturum, si vellent hominem in sęculo potentem, eligerent Desiderium, Abbatem Cassinensem, qui salubriter, & in tempore militari violentiam Guithberti infringeret; sin Ecclesiasticum, & eloquentem, acciperent Episcopum Ostiensem.*

493 Idem fecisse legimus Victorem III. morti enim proximus Vrbanum II. designavit. Vnde BARONIVS, vt refert ibidē Gravina: *Ista nō imperando (inquit) sed sicut Prædecessor Gregorius fecerat, admonendo, & exhortando fecit, quòd id tēporū iniquitas postularet.* Sic & interdū ab aliquibus alijs Pontificibus factum invenitur, vt quem Successorem cuperent, nominarent.*

494 Traditur etiam Cononem Episcopum Prænestinum, vel eo recusante, Guidonem Viennensem à Gelasio II. nominatum. Cœlestinus item III. antequàm commune naturæ debitum solveret, proposuit Cardinalibus eligēdum Ioannem de Sancto Paulo Cardinalem, paratus etiam Pontificatum deponere, si se vivente eum eligerent, licet Cardinales noluerint admittere, vt ille Pontificatum deponeret, vt tradit Abraham BZOVIVS *in Pontifical. Roman. cap. 2.* Et ratiò omnium est: quia summa Potestas dirigendi electionem futurorum Pontificum, cuilibet Pontifici viventi convenit: vndè potest Pontifex consulendo proponere Cardinalibus, quem electione dignum iudicaverit; huncque fuisse antiquum Ecclesiæ morem, habetur *ex cap. Si transitus, Dist. 29.*

§. V.

§. V.

SOLVITVR ALIVD ARGVMENtum ex Ioannis III. Epistola desumptum.

495 SOluto ergo iam precipuo argumento, quo oppositi Doctores in nostram sententiam insurgunt, modò respondendum est Authoritati, quam ex Ioanne III. Pontifice pro contraria sententia adduximus; iste enim *in Epistola ad Episcopos per Germaniæ, & Galliæ Provincias constitutos*, censet, Sanctum Petrum, estò Linum, & Cletum sibi Coadiutores Episcopos constituerit, Pontificiam tamen ligandi, & solvendi Potestatem, non quidem illis, sed Clementi tradidisse; qui & Apostolicam Sedem post eum, & Pontificalem Potestatem, eam sibi Beato Petro tradente, tenere promeruit; vnde sentit Sanctum Clementem fuisse immediatum Petri Successorem.

496 Huic tamen difficultati respondemus, ipsam debili fundamento inniti. Estò enim GRATIANVS *ex hac Epistola cap. Si Petrus* 8. *quæst.* 1. desumpserit, eam tamen suppostitiam esse, multis argumentis convincunt viri in Ecclesiastica Historia eruditi, vti Baronius, Binius, Possevinus, Alexander Natalis, & alij: vnamque esse hanc Epistolam ex suppositis mercibus Mercatoris, tradit BARONIVS *ad annum* 572. §. 3. quem sequuntur POSSEVINUS *in Apparatu*, & BINIVS *in Notis*, eam vt suppositiam reijcientes. Vndè cum hęc Epistola sit vnum è præcipuis oppositę sententiæ fundamentis, hinc apertè dignoscitur, quàm levi fundamento adstruatur, Linum, & Cletum non fuisse Summos Pontifices, Clementemque Pontificatum, Petro sibi Apostolicam Cathedram tradente, obtinuisse. Quare CARDINALIS CAIETANVS *in dicto Tract.* 2. *Part.* 2. *art.* 22. illud Petri factum incertum esse meritò affirmat. Nec gravissima desunt fundamenta ad asserendum prædictam Epistolam esse suspectæ fidei: tum quia sub Consulatu Iustini VI. *anno septimo Iustini*, & *Christi* 572. scripta notatur 14. *Kalendas Augusti*, quo tempore Ioannes III. iam obierat: tum quia nota Consulatus consignata est, preter illius temporis morem. Tandem quia nomen Coepiscoporum in Gallijs, & Germania, vsque ad Decimum sęculum, abolitum pœnitùs non fuit. Quomodo ergo verum esse potest, quod ait, ipsos fuisse à suis Decessoribus damnatos? Et quomodò in Gallijs, & Germania, de ipsorum potestate adhuc dubitatum est Leonis III. temporibus, si ante ipsum Ioannem III. fuerunt prohibiti? Vt benè notat ALEXANDER NATALIS *Tom.* 1. *Sæculo* 1. *Part.* 1. *Dissert.* 3. *Ecclesiasticæ Historiæ.*

497 Nec obstat D. HIERONYMI Authoritas *in cap.* 52. *Isaiæ*, sic scribentis: *Clemens, Vir Apostolicus, post Sanctum Petrum, Romanæ Sedis Episcopus.* Non enim ambigimus S. Clementem sedisse post Petrum; asserimus tamen ipsum non immediatè, sed post Linum, & Cletum, fuisse Apostolorum Principi suffectum: Hieronymus verò, estò hęc tunc obiter dixerit; at cum de Clemente ab eo diligens est instituta narratio *in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*, post Linum, & Cletum, ipsum sedisse affirmat; Hieronymi autem verba, quibus Clementem, quartum Romanum Episcopum vocat, suprà pro nostra Conclusione adduximus.

498 Tandem nec nobis obstat S. DAMASI Authoritas, qui *Libro de Vitis Pōtificum* Clementem à Sancto Petro consecratum, illique Ecclesiam ab Apostolorum Principe commissam scribit; quia prędictum *de Vitis Pontificum* librum esse S. Damasi, cōmuniter ab Ecclesiasticis Scriptoribus negatur. Et quamvis multi censeant, prædicti libri Authorem fuisse Anastasium Bibliothecarium, & Binius cum alijs, à diversis Authoribus compositum existimet; illius tamen libri Authoritas, quantumvis commendetur, ac magni roboris esse admittatur, numquam poterit tantam sibi promereri fidem, quantam sibi conciliant tot Sanctissimi viri, qui oppositum tradunt, & à nobis supra laudati sunt, vti S. Ignatius, S. Optatus Milevitanus, S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Augustinus, alijque gravissimi Authores, singulari Ecclesiasticæ Historiæ eruditione referti, qui vnà cum vniversalis Ecclesiæ Traditione testantur, S. Linum Petro in Pontificatu immediatè fuisse suffectum, Clementem, verò non nisi quartò loco inter Romanos Pontifices recensendum esse.

AN

§. VI.

AN CLETVS IDEM FVERIT cum Anacleto?

499 CVm hucusque Sanctum Linum immediatè in Petri locum subrogatum esse, Clementemque non nisi Cleto, vel Anacleto suffectum Romanę Vrbis Episcopum sedisse, ostenderimus; discutiendum modo videtur, vtrum Cletus & Anacletus vnus, idemque Pontifex fuerit, an verò diversi? Et quamvis hæc quæstio adeo videatur implexa, & implicata, vt non levem secum afferat difficultatem ob ambiguitatem, & hæsitationem, qua Historici hac de re scribunt, vt videre poterit quisquis antiquos, & neothericos Ecclesiasticę Historiæ Scriptores evolverit; nihilominus tamen, quid illi tradiderint, breviter proponemus, vt clariùs inde veritas innotescat.

500 Et quidem S. Anacletum eumdem fuisse cum Sancto Cleto, docuit Sanctus IGNATIVS *epist. 4. ad Mariam Cassabolitam* asserens, Clementem Successisse Cleto; sic enim legendum esse pro Anacleto, probat BARONIVS *anno. 69. num.3.* cũ inquit: *Quibus verbis planè declarat Ignatius, Clementem tertio loco, post Linum, scilicet, & Cletum, Romanæ Ecclesiæ Pontificem præfuisse.* Quod clariùs explicat, cum de Cleto loquens, hęc scribit: *Cui nunc successit Beatissimus Clemens.*

501 Subscribit EVSEBIVS *lib. 3. Hist. cap.12.* sic scribens: *Linus Episcopus, cum duodecim annis Ecclesiæ Romanæ ministerium obijsset, Anacleto eam tradidit. (Et infra:) *Duodecimo anno* huius Imperij (Domitiani) Anacletus cum Romanam Ecclesiam annos duodecim Episcopus administrasset, eum secutus est Clemens.* Idem habet *cap. 16.* Vnde cum Eusebius Sanctum Anacletum immediatè post Linum, & ante Sanctum Clementem constituat, quo loco Ecclesia Sanctum Cletum enumerat, clarè deducitur, illum adhæsisse illorum Sententiæ, qui Cletum, & Anacletum eundem existimant.

502 Idem tenet Sanctus EPIPHANIVS *Hæresi 27. cap. 6.* vbi quem nos Anacletum, ipse Cletum appellat. Consonat ADO, Viennensis Antistes, dum Sancti Cleti festum non *ad Aprilem*, sed *ad 12. Iulij*, refert, quo tempore Latina Ecclesia semper coluit Anacletum. Sanctissimos istos viros, gravissimosque Authores multi alij æquali Virtute, ac Sapientia præditi sequuntur, vt innuit Cardinalis Baronius *ad annum Christi 69. num.41.* dicens: *Qui enim numerarunt primum illam Romanorum Pontificum successionem, omnes semper Clementem tertio loco posuerunt; licet plerique, sive vitio scriptoris acciderit, sive alia ex causa, Anacletum pro Cleto posuisse inveniantur.*

503 Nos verò, estò brevitatis gratia plures alios Authores, in eundem scopum collimantes silentio prætereamus, omittere non possumus S. OPTATVM MILEVITANVM, & S. AVGVSTINVM id ipsum docentes, vt optimè notavit SEVERINVS BINIVS *Tom.1. Concilior. verbo: Cletus*, sic scribens: *Optatus *lib.2.* & Augustinus *Epist.161.* Cathalogum Pontificũ retexentes, hunc Cletum, vtpotè quem cũ Anacleto vnum, eundemque esse existimant, pretereunt, & omittunt.*

504 In hanc [illegible] notavit CHRISTIANVS LVPVS *in Tertullianum cap. 32.* eandem fuisse D. Hieronymi Sententiam, dũ hæc habet: *Et Sanctus Hieronymus cum Sancto Epiphanio, Anacletum appellat Cletum.*

505 At Anacletum non fuisse eundem cum S. Cleto, gravi, & eruditi Scriptores tradiderunt, qui solidis fundamentis innixi, id imposibile esse arbitrati sunt, suamque sententiam validis rationibus roborarunt, ostendentes, Cletum ab Anacleto nomine, parente, patria, rebus gestis, mortis *anno*, & *Solemnitatis die*, quo vterque ab Ecclesia colitur, multum diferre. Quæ vt clariùs innotescant, audiamus P. M. ALPHONSVN CIACCONIVM, è Sacro Prædicatorum Ordine, virum in Pontificali Historia adeò celebrem, vt meruerit sua scripta varijs Notis à præstantisimis Interpretibus illustrari.

506 Hic igitur in vita S. Anacleti, hęc inter alia scribit: *Vacavit post mortem ipsius (scilicet Anacleti) Romana Sedes *diebus vndecim*, Anacletus pro Cleto à quibusdam, vel vitio Scriptoris, vel nominum affinitate, vel alia occasione perperam positus, cum tamen alter ab altero nomine, parente, patria, rebus gestis, mortis *anno*, & *die* multum dissideant.

Cum

Cum Cletus Romanus, Anacletus Græcus: ille *sub Domitiano VI. Kalendas Maij*, hic *sub Trajano III. Idus Iulij*, Martyrium subierit, & vtriusque Festivitatem diversam, Sancta Romana Ecclesia celebret.*

507 Nec minori sanè efficacia ingens istud, Cletum inter, & Anacletum, discrimen, confirmat NICOLAVS SANDERVS *de Visibili Monarchia Ecclesiæ, lib. 7. ad Annum Domini* 77. Loquens enim de Pontificatu Clementis: * Multi, inquit, Scriptores putarunt, Cletum, & Anacletum prorsus eumdem fuisse; verum Libro Pontificali potiùs credendum est in hac re, qui tot differentias inter vtrumque constituit, vt Cletum dicat fuisse Romanum, Anacletum verò Græcum natione: illum, Patre Æmiliano, hunc, Antiocho procreatum: illum temporibus Vespasiani, & Titi, vsque ad Domitianum IX. & Rufum Consules; hunc, temporibus Domitiani fuisse vsque ad Domitianum XVII. & Clementem Consules: Cletum sedisse *annis* 12. *mense* 1. *diebus* 11. Anacletum *annis* 9. *mensibus* 3. *diebus* 10. Plus autem creditur vni testi affirmanti, quàm vel mille, qui negant, presertim cum nihil intersit Scriptoris vtrum hoc, an illud credatur, nisi quia veritas historię præferenda est, quam in facto, non in iure positam Græci absque vllo peccato ignorare, Historici autem Latini absque immani scelere corrumpere non potuerunt. Successit ergo Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, &c.*

508 Magnam etiam Cletum inter, & Anacletum differentiam apponit MARTYROLOGIVM VSVARDI; sicut & ADONIS, Vienensis Antistitis, dum huius Festum, Sancti Marcellini festo adiungit, & S. Cleti Festivitatē *die* 12. *Iulij* ponit.

509 Quibus adstipulatur AVTHOR CARMINVM contra Marcionem, *qui in lib. 3.* sic cecinit:

> *Ex quibus electum magnum, plebique probatum
> Hac Cathedra Petrus, qua sederat ipse, Beatum
> Maxima Roma Linum primùm considere iussit;
> Post quem Cletus & ipse gregem suscepit ovilis:
> Huius Anacletus Successor sorte locatus,
> Quem sequitur Clemens.*

Horum carminum Author, licet Tertullianus non sit, est tamen antiquitate venerabilis: vnde & antiquissima est Cletum inter, & Anacletum distinctio, vtpotè quæ iam primis illis sæculis à Sapientissimis viris agnita fuerit.

510 Verum CARDINALIS BELLARMINVS singulariter hac in re, solita sua eruditione discurrit, affirmans duos fuisse Anacletos, vnum quidem ante Clementem, aliud verò post; primumque, & Cletum, & Anacletum fuisse vocatum; *de Romano enim Pontifice, lib. 2. cap. 5.* hæc scribit: *Duo fuerunt Anacleti, quorum alter Cletus dicebatur, tamet si propter nominis similitudinem, multi veteres vnum ex duobus fecerint. Primum nobis persuadet Ecclesię Catholicę authoritas, quæ duos Festos dies in eorum memoriam celebrat, Cleti videlicet mense Aprili, & Anacleti mense Iulio, & Cletum Romanum, atque Æmiliani filium, Anacletum Atheniensem, & filium Antiochi esse dicit: nec enim credibile est in re tāta Ecclesiam vniversam falli.

511 Deindè idem colligitur ex eo quod aliqui veterem Anacletum Clementi anteponunt, vt Ignatius, Irenæus, Eusebius; alij subijciunt, vt Optatus, Damasus, Augustinus; id enim argumento est, duos fuisse non vnum. Priorem porrò Anacletum etiam Cletum appellari solitum inde cōstat, quòd eumdem omnino Pontificem, quem Ignatius, Irenæus, & Eusebius Anacletum vocant, Epiphanius, Hieronymus, Damasus, Ioannes III. & ipse Sacrosanctus Missæ Canon, Cletum nominant.

512 Neque verò mirum videri debet propter nominis similitudinem, à veteribus quibusdam, ex duobus Anacletis vnum esse factum; cum constet apud Græcos passim confundi Novatum cum Novatiano, cum tamen certissimum sit, Novatum Carthaginensem, Novatianum Romanum Presbyterum fuisse, & Eusebius, ac Nicephorus Constantinopolitanus in Chronicis ex Marcello, & Marcellino vnum fecerint, cum duos fuisse, certum omninò, & exploratum sit.* Hæc Bellarminus.

513 Verum estò vtraque sententia suis non destituatur Authoribus; nihilominùs veriorem existimo asserentem, Cletum distinctum fuisse ab Anacleto, non modò ob rationes ab Authoribus ingeniosè excogitatas, graviterque perpensas, sed etiam ob ingens discrimen, quod Anacletum inter, & Cletum apertissimè dignoscitur; quod quidem non in sola nominum æquivocatione, vel differentia innititur, sed in ipsa rei veritate fundatur. Et quidem Cletum

alium

alium esse ab Anacleto, hac mihi ratione suadeo: Omnes Sancti, omnesque Ecclesiastici Scriptores Cletum immediatum Lini Successorem, & Clementis Prędecessorem constituunt, atque id ipsum confirmat Ecclesiastica Traditio in Martyrologio Romano, Sacroque Missę Canone, qui Sanctorum Pontificum memoriam venerans, illos hoc recenset ordine: *Lini, Cleti, Clementis*: Atqui S. Anacletus non potuit esse immediatus Lini Successor, & Clementis Prædecessor: diversus ergo est Cletus ab Anacleto.

514 Minor, in qua poterat esse difficultas, ipsius Anacleti testimonio solidatur: ipse quippè Anacletus Clementem fuisse suum Prædecessorem apertissimè fatetur; nam *Epist.* 1. *de Oppressione Christianorum, & de Accusatione Episcopi,* &c. vt Videre est *Tom.* 1. *Cōcil. editio. novi. in comm. præfatæ Epist.* hęc habet: *Nã, vt ait Beatus Clemens, Antecessor noster, similis est omnis Ecclesiæ Status Navi magnę, quæ per vndosum pelagus diversis è locis, & Regionibus viros portat ad vnam potentis Regni Vrbē, properare cupientes, &c.* Et infrà postquam tradidit locum *Iacobi* 2. *Si diligitis proximos sicut vos ipsos benè facitis: si autem personas accipitis peccatum operamini.* *Et Beatus Prędecessor noster Clemens (inquit) vir Apostolicus, & Spiritu Dei plenus vnà cum reliquis Sanctis Collegis suis statuit, dicens: Accusandi, vel testificandi licentia denegetur his, qui Christianę Religionis, & nominis Dignitatem, & suæ Legis, vel sui propositi normam, aut regulariter prohibita, neglexerint, &c.*

515 Et *Epist.* 2. *de Ordinatione Archiepiscoporum, & reliquorum Episcoporum, atque Sacerdotum,* loco supra citato *Tom.* 1, *Cōcil.* sic loquitur: *Provincię autem, multo, ante Christi adventum, tempore, divisæ sunt maxima ex parte, & postea ab Apostolis, & B. Clemente Prędecessore nostro, ipsa divisio est renovata, &c.*

516 Eandem hanc veritatem non semel tradit ipse ANACLETVS *Epist.* 3. *de Patriarchis, & Primatibus, ac reliquis Episcopis;* nam in prædictæ Epistolæ initio, ibidem *Tom.* scilicet 1. *Conciliorum*, sic profatur: *De Primatibus, Charissimi, super quibus me quidam vestrum consuluerunt, & Apostolicæ Authoritatis (qua licet indigni, Domino dispensante, fungimur) Decretum postulaverunt, aut si esse deberent, aut non; quantum hactenus de his à Beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, ac B. Clemente nostro Sancto Prædecessore, & Martyre novimus statutum, denegare vobis minimè possumus. Et quis est qui quęrentibus fratribus denegare possit dubitationes, vel necessitates eorum?* Rursus in eadem *Epist. num.* 3. *Illi autem (inquit) qui in Metropoli à Beato Petro Apostolo, ordinante Domino, & à Prædecessore nostro prædicto S. Clemēte, seu à nobis constituti sunt, non omnes Primates, vel Patriarchæ esse possunt, sed illæ vrbes, quæ pręfatis, & priscis temporibus Primatum tenuere.*

517 Et paulò infra: *Aliæ autem primę civitates, quas vobis conscriptas in quodam Tomo mittimus à Sanctis Apostolis, & à B. Clemente, sive à nobis, Primates prædicatores acceperunt.* Et infra: *Ita ergo (inquit) Beatus Princeps Apostolorum Petrus de Sancto Prædecessore nostro Clemente, plebibus prædicando, quandò docebat eas qualiter ei obedire deberent, eumque observare, inter cętera ait: si inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, vt ipse vobis dicat: Cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis, &c.*

518 Ex tam multiplici, ac manifesta ipsius S. Anacleti Confessione, manifestè convincitur, ipsum non nisi post S. Clementem ad Apostolicæ Sedis apicem conscendisse, cum illum vt Prædecessorem suum manifestè agnoscat, ac apertè confiteatur, & tam claram de glorioso illius Martyrio mentionem faciat. Impossibile ergo est, prędictum Anacletum D. Clemente in Pontificatu posteriorem, posse esse eundem cum Cleto, quem ipsa Ecclesia in Sacro Missæ Canone S. Clementis Prædecessorem perpetuò agnovit.

519 Nec obstat dicere aliquos Authores Græcos in ea fuisse opinione, vt existimarent S. Clementem successisse Anacleto: hoc enim manifesti erroris arguitur vt optimè adnotavit Cardinalis Baronius *ad Annum Christi* 93. *in Clemente, num.* 1. sic scribens: *Post Cletum suffectus est Clemens è Regione Cœlij Montis, patre Faustino natus, antiquus Petri, & Pauli Apostolorum discipulus: hunc enim illum esse, cuius PAVLVS meminit *ad Philippenses* 4. omnes existimant. Quod verò à Græcis nonnullis dicitur Clemens

successisse Anacleto, errore putamus factum Librariorum, vt pro Cleto scripserint Anacletum: nam (vt apparet) Græci decepti nominum similitudine sicut Marcellum, & Marcellinum, ita etiam Cletum, & Anacletum, vnum, eundemque putantes confuderunt.*

520 Præmissis iam, & præambula decisione explanatis, his non longe à scopo aberrantibus quæstionibus, precipua nobis exagitanda relinquitur: An videlicet S. Clementis Doctrina immunis sit ab omni suspicione erroris?

§. VII.

SANCTI CLEMENTIS IN FIDE integritas stabilitur, ac Doctrinæ illius illibata veritas propugnatur.

521 QVantò in honore semper D. Clemens, eiusque erga Ecclesiasticam disciplinam tradita documenta habita fuerint, plerique Sancti Patres, alijque celebres Scriptores affatim testati sunt: quo satis compertè apparet, magnam de eius scriptis, ac syncero Fidei sensu existimationem concepisse.

522 Quid autem de ipsius prima Epistola senserint, audiamus. Huius Doctrinam ceu Apostolicam venerantur. Ipsum enim in primis laudat APOSTOLVS *ad Philip.* 4. inquiens: *Cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in Libro vitæ.*

523 Eandem Epistolam I. S. Clementis ad Corinthios, vt Traditionis promptuarium citat S. IRENÆVS *lib.* 3. *adversus Hæreses.* *Sub hoc igitur Clemente (inquit) dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit, quę est Romæ, Ecclesia, potentissimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans Fidem eorum & annuncians, quam in recenti ab Apostolis receperat, Traditionem, annunciantem vnum Deum omnipotentem, factorem Cœli, & terræ, plasmatorem hominis, qui induxerit cathaclysmum, & advocaverit Abraham, qui eduxerat populum de terra Ægypti, qui collocutus sit Moysi, qui legem disposuerit, & Prophetas miserit, qui ignem præparaverit Diabolo, & Angelis eius. Hunc Patrem Domini nostri IESV CHRISTI ab Ecclesijs annunciari ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt, & Apostolicam Traditionem intelligere, cum sit vetustior Epistola his qui nunc falsò docent.*

524 CLEMENS ALEXANDRINVS amplissimam huic 1. Epistolæ impertitur laudem *lib.* 1. *Stromat.* * Iam (inquit) Clemens *in Epistola ad Corinthios*, his verbis exponens differentiam eorum, qui sunt probati in Ecclesia: Sit aliquis fidelis, sit potens in explicanda cognitione, sit sapiens in discretione sermonum, sit stupendus in operibus. Quæ verba habentur *Epist.* 1. *cap.* 48.* Lege eundem *lib.* 4. *pag.* 516. *&* *lib.* 6. *pag.* 647. vbi pariter hanc Epistolam laudat, & illius verba recenset.

525 EVSEBIVS *Histor. Ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 12. huius Epistolæ Doctrinam miris sanè cumulat preconijs. * Cuius verò (asserit) Clementis vna fertur esse Epistola omnium Iudicio probata, illustris illa quidem, & digna planè admiratione: quam, tamquam ex Romanæ Ecclesiæ persona, ad Corinthiorum Ecclesiam tunc quidem exaravit, cum iam Corinthijs gravis esset inflata seditio. Hanc sanè cum veterum, tum nostra ipsorum memoria plurimis in Ecclesijs publicè lectam, vsurpatamque cognovimus.*

526 Idem Eusebius *cap.* 32. Magno Apostolicæ Doctrinæ, qua hęc effulsit Epistola, encomio, ait: *Sed cum omnes Pastores recensere non posset, qui in Ecclesijs per Orbem dispersis proximè Sanctis Apostolis Successerunt, eorum solum nomina scriptis, & memoriæ prodidisse, quorum Doctrina Apostolica ad suum vsque tempus per commentarios, & monumenta ab ipsis edita reservata est: vt Ignatij, & Clementis, & ea Epistola, quæ est omnium consensu approbata, quam sub Romanæ Ecclesiæ persona, ad Corinthiorum Ecclesiam exaravit.*

527 Et *lib.* 4. *cap.* 22. huius meminit Epistolę, simulque eam ob admirabilem, quam continet, disciplinam, in Ecclesia publicè legi cōmemorat. * Recens Epistola S. Dionysij Corinthiorum Episcopi ad Romanos (ait:) in hac eadem Epistola etiam Clementis ad Corinthios Epistolæ mentionem facit, declaratque ex pristino more, ab antiquis temporibus repetito, eam in Ecclesia legi solere. Sic enim loquitur: Hodie Sacrum diem Dominicum

cum

cum celebravimus, in quo vestram Epistolam legimus; quam semper, sicut etiam priorem nobis à Clemente missam ad nostram institutionem legere solemus.*

528 S. HIERONYMUS *in Cathalogo Scriptor. Ecclesiast.* præclaram de Catholica, Apostolicaque huius Epistolę Doctrina concepit existimationem, dum ait: * Scripsit ex persona Romanę Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum, valdè vtilem Epistolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur, quæ mihi videtur caracteri Epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, convenire. Sed & multis de eadem Epistola non solum sensibus, sed iuxta verborum quoque ordinem vtitur, omnino grandis in vtraque similitudo est.*

529 Et sanè Apostolicam Doctrinam in laudata S. Clementis Epistola contineri suaderi potest etiam ex ipso Hieronymo, qui *lib.* 14. *Comment. in Isaiam ad cap.* 52. *Clemens (inquit) vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios: Sceptrum Dei, Dominus Iesus Christus, non venit in iactantia superbię, cum possit omnia, sed in Humilitate.* Quę habentur *in Epist.* 1. *Clementis, cap.* 16.

530 Nec minori laude S. Clementis Doctrinam extulit PHOTIVS *in Bibliotheca*, dum Sancti Clementis Romani recenset opera, inquiens: * Scripsit idem magnificiendam ad Corinthios Epistolam, quę à plerisq; tāto in pretio est habita adeòque laudata, vt etiam publicè legi soleret.*

531 Et *Codice* 126. *Legi (inquit) libellum, quo Clementis Epistolę duæ ad Corinthios continebantur: quarum prima ipsos accusat, quòd seditionibus, turbis, ac schismatis violarint, quam inter eos servari oppotuerit, pacem, concordiamque: hortaturque ab hoc malo temperare. Simplex eius oratio est, ac perspicua ad Ecclesiasticam, & inelaboratam accedens dicendi formam.*

532 Aliam ad Corinthios Epistolam eruditione, doctrinaque Evangelij cumulatam scripsit Clemens, cuius etiam meminit idem Photius *in sua Bibliotheca, cod.* 126. vbi postquàm præmisit, se legisse Epistolas Clementis duas ad Corinthios, & suum de prima iudicium tulit, de secunda hæc subiungit: *Altera verò Epistola, & ipsa institutionem, admonitionemque vitæ continet meliores: atque ipso mox initio Christum Deum prædicat, & si dicta quædam peregrina velut è Scriptura subinducit, quibus ne prima quidem Epistola omninò vacat.*

533 S. EPIPHANIVS *Hæres.* 30. *num.* 15. plurium S. Clementis Epistolarū meminit; de Ebionitis enim ait: *Ipse Clemens omnibus modis illos redarguit his Epistolis circularibus, quas scripsit, quæque in Sanctis Ecclesijs leguntur. *

534 Estò autem Apostolica, ac salutaris Sācti viri Doctrina in eis Epistolis contenta, & proprijs niteat splendoribus, & tot pro se eximios assertores, atque propugnatores habuerit, non defuerunt tamen aliqui (vt plerumq; æmulatio carpere quod perfectū est, solet) qui irrito ausu, veritatis Solē afflictis nebulis obscurare cōati sint, & magnum Ecclesiæ Pastorem, & Magistrum in aliquos impegisse nævos, audaciter tradiderint. Constantinopolitanus Patriarcha Photius, alliàs multæ lectionis vir, non sobriè, sed plus, quàm oportet, sapere cupiens, in supra laudata *epist.* 1. duo reprehendi posse, non æquus rerum æstimator, intendit. Primum, quòd D. Clemens adhæserit Philosophorum damnatæ Sententiæ plures Mundos somniantium; quam contineri in illis verbis tradit: *Oceanus hominibus impermeabilis, & qui trans ipsum sunt Mundi eisdem mandatis Domini gubernatur.* Secundum autem, quòd fabulosum de Phœnice mendacium tamquam veram historiam retulerit.

§. VIII.

PRIMA DIFFICVLTAS; quam ex prima Clementis Epistola excitavit Photius, dissolvitur, & illa Clementis verba explicantur.

535 PRima propositio, quam Photius Divo Clementi errori vertit, non modicam præsefert difficultatem: videtur enim Clemens multos admisisse Mundos, dùm ait: *Oceanus hominibus impermeabilis, & qui trans ipsum sunt Mundi, eisdem mandatis Domini gubernantur.* Et certè ea est horum verborum difficultas, vt Eruditus D. IOANNES DE SOLORZANO, *de Indiar. Iure, lib. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 75. existimet, haud facile esse, Divum Clementem ab hac nota vindicare, nisi illius verba iuxta Origenis sensum explicentur; sic enim scribit:

* Quod nisi ita D. Clementē intelligamus, meritò notandus videbitur, quòd plures Mundos constituerit, prout re ipsa illi hoc, inter alia, succenset Photius *in Excerptis ad eius Epistolam*, *cap.* 29. ibi: Reprehendat verò hoc in illis quispiam, quod extra Oceanum Mundos aliquos collocet, &c. D. Hieronymus *sup. Paul. ad Ephes.* 2. cuius verba supra retulimus, vbi non confirmat Clementis Sententiam, sed eam potiùs sub dubitatione refellit.*

536 Sententia ista de Mundorum pluralitate, veterum fuit Philosophorum error, quorum quidam infinitos actu admiserunt, ex quibus vnus extra alium existeret. Ita sensisse feruntur Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarchus, Xenophanes, Diogenes, Leucippus, Epicurus, Anaxarchus (quo infinitos Mundos edisserente, Magnum Alexandrum illachrymasse, pervulgare est) Democritus etiam, qui in his summam diversitatem excogitabat, asserens, in quibusdam neque Solem splendere, neque Lunam micare: in alijs verò splendidiora nitere sydera, quàm quæ apud nos visuntur. Item quosdam esse animalibus, & plantis destitutos, omnique humore vacuos, alios verò his rebus affatim abundare, vt referunt P. P. CONIMBRICENSES *lib.* 1. *de Cœlo, & Mundo, cap.* 8. *quæst.* 1.

537 Alij solum per successionem infinitos, cum Empedocle, posuerunt Mundos, qui vt suprà diximus existimavit, vno Cœli motu completo, secundum complexionem, vel Syderum, ac Planetarum motu ab Oriente in Occidentem (qui motus triginta sex millibus annorum compleri dicitur) omnia ad primam reverti materiam, & dein alio incipiente motu, eadem, quæ priùs fuerant, numero reproduci, aliumque repullulare Mundum.

538 Manichæi autem duos constituisse Mundos feruntur, in quorum altero esset lucis regio, in altero autem tenebrarum. Tandèm Pharisæi alium post istum Mundum fore dogmatizarunt, in quo ipsi auream Hierusalem incolentes, Gentium Reges, ceu clientulos, Reginas autem vt nutrices essent habituri, vt refert B. ALBERTVS MAGNVS 2. *part. Summæ de Homine Tract.* 2. *Quæst.* 88.

539 Huic tamen errori multi antiqui Philosophi, estò Æthnici, sese viriliter opposuerunt, vnum tantummodo Mundum existere iudicantes, idque validissimis argumentis, efficacissimisque rationibus suadentes, vti Thales, Pythagoras, Hippasus, Anaxagoras, Parmenides, & Melissus, Heraclitus, Zeno, Plato, & Aristoteles cum suis; & hanc sententiam, vtpotè Fidei Christianæ principijs omnino consentaneam, & rationi magis congruentem, amplectuntur vnanimiter Sancti Patres, & Doctores vnum tantum Mundum asserentes, ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, illius vnitatem probantes, præsertim ex illo *Ioannis* 1. *Mundus per ipsum factus est. Et Matth.* 25. *Accipite paratum vobis regnum à constitutione mūdi.* Quod rectè expendit S. ATHANASIVS *Orat. Contra Idola*, reddens rationem, ob quam Deus vnum tantum Mundum condiderit, dicens: * Ideo Opificem naturę Deum, vnum dumtaxat Mundum condidisse, ne de multorum numero, multi etiam existimarentur opifices; sed ex vno opere, vnus quoque illius Author crederetur.* Eandem hanc Mundi vnitatem egregiè, & efficaciter probarunt inter Scholasticos Authores B. Albertus Magnus *in Summa de Homine. Tract.* 1. 2. *quæst.* 88. & ANGELICVS DOCTOR *lib. de Cœlo, & Mundo*, quos cæteri Authores vnanimi consensu sequuntur.

540 Predictum veterum Philosophorum, de Mūdi pluralitate, errorem mirificè impugnarunt, damnarunt, & exploserunt S. AVGVSTINVS *de Hæresibus cap.* 77. D. ISIDORVS *lib.* 7. *Ætymologiarum. cap.* 5. IVSTVS LIPSIVS *lib.* 2. *Physiolog. Dissert.* 20. MARTINVS DELRIO *in Adagijs Sacris, Tom.* 1. *Adag.* 789. & refertur *in cap. Quidam, vers. sunt & alij*, 24. *quæst.* 3. & ante eos docuit ARISTOTELES *lib.* 1. *de Cœlo, cap.* 10. dum ait: * Nec plures Mundi sunt, nec plures esse possunt, si modò hic ex vniversa materia constet, sicuti constat.* TERTVLLIANVS quoque *Adversus Hermogenem, cap.* 25. & *de Pallio, cap.* 2. eumdem errorem notat, sic inquiens: * Viderit Anaximander, si plures Mundos putat. Viderit: si quis vspiam alius Mundus sit apud Meropas, vt Silenus penès aures Midæ blattit, aptas sanè grandioribus fabulis.* Cum igitur Sanctissimi Patres sententiam de Mundi vni-

vnitate, tamquam Catholicam semper tenuerint, oppositamque plures adstruentem Mundos, ceu erroneam reiecerint; Clemens, qui in prædicta Epistola trans Oceanum alios Mundos supponit, in erroneam illorum sententiam, qui plures Mundos admiserunt, videtur prolapsus.

541 Hanc difficultatem, gravem quidem, ac prima fronte insuperabilem, duplici solutione diluimus. Primò enim asserimus, verum, & legitimum esse sensum, quem prædicta S. Clementis verba præseferunt; illis siquidem nihil aliud voluit significare Clemens, quam post vastam illam Oceani latitudinem, alios Mundos esse, Regiones nempè habitabiles, quæ ob ipsarum immensitatem, & multitudinem diversi Mundi videntur, hasque Regiones, quæ subtus nos incolũtur, Græci *Antichthonas*, Latini verò frequẽtiùs *Antipodas* vocant. Hũc autem esse genuinũ prędictorũ verborum sensum, innuit Origenes, vt eruditè annotavit D. IOANNES DE SOLORZANO *de Iure Indiar. lib. 1. cap. 12. num.* 74 vbi, inter alia, loquens de S. Clemente, istiusque verba exponens, hæc habet: * Atque adeò quod de Mundis trans ipsum positis dixit, pro Antipodum gentibus dixisse credendus est, quos licet dubio, & obscuro Iudicio, aliqui ex veteribus Æthnicis, & Christianis Philosophis agnoverunt, vt sępe tetigimus. Et hanc fuisse Clementis sententiam apertissimè ostendit Origenes *lib. 2. Periarchon, cap. 3.**

542 In eamdem expositionem coincidit SIXTVS SENENSIS *lib. 2. Bibliot. Sanctæ: verbo, Clemens.* Agens enim de 2. Clementis Epistola, hęc scribit *Eusebius tametsi in libro, quem paulò ante citavimus, referat secundam Clementis Epistolam sibi fuisse ignotam, & Hieronymus ipsam affirmet à veteribus reprobatam; suspicor Hieronymum, aut ex hac, aut ex superiori Epistola, protulisse illam de pluralitate Mundorum Clementis sententiam, cum *in 2. lib. Comment. Epistolæ ad Ephes.* ita scripserit: Quærimus, quid sit, quod ait Paulus: *Secundum sæculum mundi huius*: vtrum nam & aliud sæculum sit, quod non pertineat ad Mundum istum, sed ad Mundos alios, de quibus & Clemens in Epistola sua sic scribit: Oceanus, & Mundi, qui trans ipsum sunt, &c. Quam quidem sententiam (ait Sixtus Senensis) Origenes longè antè Hieronymum, non minus piè, quam eruditè explicavit *in 2. Periarchon, lib.* his verbis: Meminit sanè Clemens, Apostolorum discipulus, eorum, quos *Antichthonas* Græci nominant, atque illius partis Orbis terræ, ad quas neque nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis, qui ibi sunt, quisquam transire ad nos: quos & ipsos Mundos apellavit, cum ait: Oceanus intransibilis est hominibus, & hi, qui trans ipsum sunt Mundi, qui his eisdem Dominatoris Dei dispensationibus gubernantur.* Hæc ille.

543 Consonat Doctissimus MALVENDA *qui lib. 4. de Antichristo, cap. 26.* Origenis verba adducens, eadem ac Sixtus Senensis habet, dicens: * Meminit sanè Clemens Apostolorum Discipulus eorum, quos *Antisthonas* Græci nominãt, atque illius partis Orbis terrę, ad quas neque nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis, qui ibi sunt, quisquam transire ab nos: quos & ipsos Mundos appellavit, &c.*

544 At licet iuxta hunc Origenis, prædictorumque Doctorum sensum, legitimè possint citata Clementis verba, & de hac Mundi parte, in qua nos vivimus, & de alia, in qua degunt Antipodes interpretari; nihilominus tamen hæc explicatio difficilem nodum incurrit, cum non nisi levissimo, ac parum firmo fundamento innitatur; non enim certum omnino est, dari Antipodas; immò gravissimi Authores illos absolutè negarunt, alij impossibiles iudicarunt, alij eos non nisi temerè admitti posse arbitrati sunt, alij tandem tamquam purum figmentum reiecerunt. Quanti autem ponderis, Authoritatis, & momenti sit hæc Antipodas negantium sententia, ex his, quę Antiqui dixerunt, apertissimè innotescet.

545 LVCRETIVS Antipodas irridet, eosque non nisi erroneè admitti posse existimat; sic enim cecinit *lib. 1.*

*Illi cum videant Solem, nos sydera noctis
Cernere, & alternis nobiscum tempora Cœli
Dividere, & noctes pariles agitare diebus:
Sed vanus stolidis hæc omnia parturit error.*

546 LVCIANVS *in Demosthene*, eos quoque Poetarum figmentum existimavit; loquens enim de Demosthene hæc scribit: *Physicum quoque super Antipodibus disserentem surgens deduxit ad pu-

puteum, illique vmbra in aqua commonstrata, quęsivit: Numquid tales confirmas esse Antipodas?*

547 LACTANTIO FIRMIANO non levis stultitia videtur Antipodum existentiæ assentiri. *Quid illi (inquit *lib.* 3. *cap.* 24.) qui esse contrarios vestigijs nostris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? Aut est quisquam tàm ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora, quàm capita? aut ibi quæ apud nos iacent vniversa pendere? Fruges, & arbores deorsum versus crescere? Pluvias, & nives, & grandinem sursum versus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos pensiles inter septem Mira narrari, cum Philosophi, & agros, & maria, & vrbes, & montes pensiles faciant? Huius quoque erroris aperienda nobis origo est: nam semper eodem modo falluntur. Cum enim falsum aliquid in principio sumpserint veri similitudine inducti, necesse est eos in ea, quę consequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicula, quia necesse est falsa esse, quæ rebus falsis congruunt. Cum autem primis habuerint Fidem, qualia sunt ea, quæ sequuntur, non circunspiciunt; sed defendunt omnimodo: cum debeant illa prima, vtrum vera sint, an falsa, ex consequentibus iudicare.

548 Que igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Videbant Syderum cursus in Occassum meantium: Solem, atque Lunam in eamdem partem semper occidere, atque oriri semper ab eadem. Cum autem non perspicerent, quæ machinatio cursus eorum temperaret; Cœlum autem ipsum in omnes partes putarent esse devexum, quod sic videri propter immensam latitudinem, necesse est; existimarunt rotundum esse Mundum sicut pilam, & ex motu Syderum opinati sunt, Cœlum volui: sic astra, Solemque, cum occiderint, volubilitate ipsa Mundi ad ornatum referri. Itaque, & aereos Orbes fabricati sunt, quasi ad figuram Mundi, eosque celarunt portentosis quibusdam simulacris, quæ astra esse dicerent. Hanc igitur Cœli rotunditatem illud sequebatur, vt terra in medio sinu eius esset conclusa. Quod si i a esset, etiam ipsam terram globo similem: neque enim fieri posset, vt non esset rotundum, quod rotundo conclusum teneretur. Si autem rotunda etiam terra esset, necesse esset, vt in omnes Cœli partes eandem faciem gerat, id est, montes erigat, campos tendat, maria consternat. Quod si esset, etiam sequebatur illud extremum, vt nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus, cæterisque animantibus incolatur. Sic pendulos istos Antipodas Cœli rotunditas adinvenit.

549 Quod si quæras ab his, qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorē illā Cœli partē? Respondent, hanc rerum esse naturam, vt pondera in medium ferantur, & ad medium connexa sint omnia, sicut radios videmus in rota: quæ autem levia sunt, vt nebula fumus, ignis, à medio differantur, vt Cœlum petāt. Quid dicā de his? Nescio, qui cū semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant, & vanis vana defendunt: nisi quod eos interdum puto, aut ioci causa philosophari, aut prudentes, & scios mendacia defendenda suscipere, quasi vt ingenia sua in malis rebus exerceant, vel ostentent. At ego multis argumentis probare possem, nullo modo fieri posse, vt Cœlum terrà sit inferius, nisi liber iam concludendus esset.* Hactenus Lactantius.

550 Hanc eamdem sententiam sequitur magnus ille Sacrarum litterarum Interpres PROCOPIVS GAZÆVS; sic enim *in Genesim* scribit: *Quod autem vniversa terra in aquis subsistat, nec vlla sit pars eius, quæ infrà nos sita est, aquis vacua, & denudata, omnibus notum reor, nam sic docet Scriptura: *Qui expandit terram super aquas.* Et iterum: *Quia ipse super maria fundavit eam.* Sola igitur superficies, quæ penès nos est, intelligitur dum ait: *Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt in locum vnum.* Nec decet vt credamus, aliquam terram infrà nos, Cœli nostri Orbi oppositam. Nam si Antipodes forent, certè Christus eo quoque profectus esset, & cætera, quę pertinent ad salutem humani generis, ibi perfecisset. Sed & Adam prima generis nostri origo, & serpens, qui humanum genus dolo circumvenit, & diluvium quoque penes oppositam regionem extitissent.*

551 At quod maiori admiratione dignum videtur est, D. AVGVSTINVM Antipodas, tanquam, quid fabulosum, sustulisse; etenim *lib.* 16. *de Civit. Dei, cap.* 9. *Quod verò (inquit) & Antipodas esse fabulantur, idest, homines à contraria parte terræ, vbi Sol oritur quando occidit no-

nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est. Neque hoc vlla historica cognitione didicisse se affirmant; sed quasi ratiocinando coniectant, eò quòd inter convexa Cœli, terra suspensa sit: eundemque locum Mundus habeat, & infimum, & medium; & ex hoc opinantur alteram terrę partem, quę infra est, habitatione hominum carere non posse. Nec attendunt etiamsi figura conglobata & rotunda Mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstretur: non tamen esse consequens, vt ex illa parte ab aquarum congerie nulla sit terra.

552 Deinde etiam si nuda sit, neque hoc statim necesse est, vt homines habeat, quando nullo modo Scriptura, ista mentitur, quæ præteris narratis fidem facit (nempe vniversum genus hominũ ex Adamo esse propagatum) eò quòd eius prędicta cõplentur, nimisque absurdum est, vt dicatur aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immensitate traiecta, navigare, ac pervenire potuisse: vt etiam illic ex vno illo primo homine, genus institueretur humanum. Qua propter inter illos tũc hominum populos, qui per septuaginta duas gentes, & totidem linguas colliguntur, fuisse divisi, quæramus si possumus invenire illam in terra peregrinantem Civitatem Dei, quę vsque ad diluvium, arcamque perducta est: atque in Filijs Noe, per eorum benedictiones, perseverasse monstratur.*

553 Subscribit S. BEDA *lib. de Ratione temporum, cap. 32.* dicens: * Neque enim vel Antipodarum vllatenus est fabulis accomodandus assensus, vel aliquis refert Historicus vidisse, vel audisse, vel legisse se, qui meridianas in partes Solem transierunt hybernum, ita vt eo post tergum relicto, transgressis Æthiopum fervoribus, temperatas vltra eos, hinc calore, illinc rigore, atque habitabiles mortalium repererint Sedes.*

554 Verum omissis brevitatis gratia gravissimis alijs Authoribus, qui prędictos sequuntur, ad præcipuam rationem, qua illi moti fuerunt, vt Antipodas exploderent, veniamus. LACTANTIVS FIRMIANVS non alia ratione Antipodas amovit, nisi quia stultum putavit, terram figurę esse globosæ, & vndique Cœli complexu coerceri, quasi Antipodas pendulos Cœli rotunditas constitueret. Et quidem Cœlum sphericum, & rotundum non esse, multi Sancti Patres tenuerunt, vti Sanctus IVSTINVS *quæst.* 130. Sanctus BASILIVS *homil.* 1. *in Exaëmeron*, Sanctus AMBROSIVS *lib.* 1. *in Hexaëmer. c.* 6. S. CHRYSOSTOMVS *homil.* 2. *de Incomprehensibili Dei Natura*, & *homil.* 14. *in Epist. ad Hebræos*, SEVERIANVS, & ACHATIVS *in Catena Græca, in* 1. *Genes.* PROCOPIVS *in* 1. *Genes.* THEOPHYLACTVS *in* 8. *cap. ad Hæbræos*, EVTHYMIVS *in Psalm.* 103. Verum de his vide pleniùs differentes XYSTVM SENENSEM *lib.* 5. *Biblioth. Annot.* 3. HIERONYMVM VIELNIVM *de sex diebus conditi Orbis, lect.* 13. BENEDICTVM PERERIVM *lib.* 2. *in Gen.* IOSEPHVM ACOSTAM *lib.* 1. *de Natura Novi Orbis, cap.* 1. & 2. ASCANIVM MARTINENGVM *in Glossa Magna. Genes. pag.* 608. & *sequentibus.* Circa Mundi figuram quantum dissenserint Philosophi, vide apud PLVTARCHVM *lib.* 2. *de Placit. Philosoph. cap.* 2. dicentem: *Stoici, globi figuram Mundo assignant, alij turbinis, ovi quidam. Epicurus, posse Mundos esse globosos, posse etiam alia esse figura.* Nihilominus tamen Aristoteles cum vniversa Peripateticorum schola, & communiter Theologi cum D. Thoma, manifestissimis experientijs convicti, Cœlum, terram, totumque Mundum figuræ esse sphericæ, rotundę, ac globosæ, tuentur, idque ea Mathematica accidentia demonstrant, vt de hac re nullo modo dubitandum esse videatur.

555 Divo Augustino, Procopio, & Bedæ ea fuit Antipodas negandi ratio, ne interclusa prorsus ad Torridam Zonam, & impertransibilem Oceanum commeandi via, quò illi degere dicuntur, fateri cogeremur, homines illos non esse de stirpe Adami generatos; quod Catholicorum nullus concedet. Huic rationi aliam addebat Augustinus: ab illa scilicet Mundi parte nullam esse terram, sed Oceanum solum admitti. Hæ sunt præcipuæ rationes, quibus ad negandos Antipodas permovebantur Antiqui.

559 Nihilominus tamen non defuerunt in antiquitate præclarissimi, ac primæ notę Authores, qui Antipodas affirmarent, evidentibusque rationibus convincerent; quos inter LAERTIVS *lib.* 8. refert docuisse PYTHAGORAM: *Mundum rotundum effectum esse, qui terram, & ipsam rotundam, in qua circa habitetur, mediã cõplectatur. Atque etiam Antipodes esse, qui-

quibus summa essent, quæ apud nos infima sunt*

557 PRISCIANUS citat hoc fragmentum ex SALLUSTIO: *Maurique, variũ genus, vt alia Africę, contendebant Antipodas vltra Æthiopiam cultu Persarum iustos, & egregios agere.*

558 MARCUS MANILIUS, qui sub Augusto floruit, *lib.* I. *de Astronom.* sic cecinit:

*Ex quo colligitur terrarum forma rotunda.
Hanc circum variæ gentes hominum, atq; ferarum
Aëriæque colunt volucres, pars eius ad Arctos
Eminet, Austrinis pars est habitabilis oris;
Sub pedibusque iacent nostris, supraque videtur.
Ipsa sibi fallente solo declivia longa,
Et pariter surgente via, pariterque cadente
Hanc vbi ab Occasu nostro Sol aspicit ortus,
Illic orta dies sopitas excitat Vrbes,
Et cum luce refert operum vadimonia terris:
Nos in nocte sumus, somnosq; in membra locamus,
Pontus vtrosque suis, distinguit, & alligat vndis.*

559 Consonat SENECA *Epist.* 112. sic scribens: *Qualis illorum conditio dicitur, quos natura, vt ait Virgilius, pedibus nostris subditos, è contrario posuit.

Nos vbi primus equis Oriens afflavit anhelis
Illis sera rubens accendit lumina vesper.*

590 Nec ab hac sententia discedit PLINIUS; siquidem *lib.2.cap.*65. de Antipodis hæc effatur: *Ingens hic pugna litterarũ contraq; vulgi; circumfundi terrę vndique homines, cõversisque inter se pedibus stare, & cunctis similem esse Cœli verticem, ac simili modo ex quacumque parte mediam calcari: illo quærente, cur non decidant contrà siti? Tamquam non & ratio præstò sit, vt nos non decidere mirentur illi. Intervenit Sententia, quamvis indocili probabilis turbæ, inęquali globo, vt si sit figura pineæ nucis, nihilominus terram vndique incoli.*

561 Fusius, ac luculentiùs rem istam probat MACROBIUS *lib.* 2. *de Somno Scip. cap.* 5. vbi inter alia, hęc scribit: *Eadem ratio nos non permittit ambigere, quin per illam quoque superficiem terrę, quæ ad nos habetur inferior, integer Zonarum ambitus, quæ hic temperatæ sunt, eodem ductu temperatus habeatur: atque ideo illic quoque eædem duæ Zonæ à se distantes similiter incolantur; aut dicat quisquis huic fidei obviare mavult, quid sit, quod ab hac eum distinctione deterreat. Nam si nobis vivendi facultas est in hac terrarum parte, quam incolimus, quia calcantes humum, Cœlum suspicimus super verticem, quia Sol nobis, & oritur, & occidit, quia circumfuso fruimur aëre, cuius spiramus haustum: cur non, & illic aliquos vivere credamus, vbi eadem semper in promptu sunt? Nam qui ibi dicuntur morari, eandem credendi sunt spirare auram, quia eadem est in eiusdem Zonalis ambitus continuatione temperies. Idem Sol illis, & obire dicitur nostro ortu, & orietur cum nobis occidet. Calcabunt æquè vt nos humum, & super verticem, Cœlum semper videbunt. Nec metus erit ne de terra in Cœlum decidant, cum nihil vmquam possit ruere sursum. Si enim nobis (quod asserere genus ioci est) deorsum habetur vbi est terra, & sursum vbi est Cœlum; illis quoque sursum erit, quod de inferiore suspicent, nec aliquandò in superna casuri sunt.

502 Affirmaverim quoque, & apud illos minus rerum peritos hæc existimare de nobis, nec credere posse in quo sumus loco degere: sed opinari si quis sub pedibus eorum tentaret stare, casurum. Numquam tamen apud nos quisquam timuit, ne caderet in Cœlum: ergo nec apud illos quisquam in superiora casurus est: sicut omnia nutu suo pondera in terram ferri superius relata docuerunt. Postremò quis ambigat, in Sphera terræ ita ea quę inferiora dicuntur, superioribus suis esse contraria, vt est Oriens Occidenti? nam in vtraque parte per diametros habetur. Cũ ergo, & Orientem, & Occidentem similiter constet habitari, quid est quod Fidem huius quoque diversæ sibi habitationis excludat? *Hactenus Macrobius.

593 Nec pro hac Sententia omitti potest quod D. AUGUSTINUS *lib. de Cathegoriis, cap.* 10. notavit, dicens: *Veteres enim suprà, & infrà propter Cœli terræque distantiam contraria sibi esse dixerunt: vndè quaquaversum asserentes terram subter se, Cælum super. Contemplantibus enim nobis naturam rerum, terra, quæ videtur in medio, vbique subtus est. Nam, & Antipodes nostri, qui nobis dicuntur figere adversa vestigia, Cœlum super se habent. Claret igitur semper terram in inferioribus constitutam.*

§. IX.

§. IX.

DILVVNTVR ARGVMENTA, quibus impugnatur solutio, quæ prædicta Clementis verba, de Antipodis diximus intelligenda.

564 Contra præfatam explicationem, & Sententiam, notatu dignissimum est illud de Antipodis certamen, quod Virgilius, Salisburgensis Episcopus affirmans, cum Bonifacio Moguntino Antistite denegante, inivit: re enim ad Zachariam Pontificem delata Virgilius damnatus est, vt referunt IOANNES AVENTINVS *lib. 3. Annal. Boiorum*, & REINERIVS REINECIVS *in Methodo Historica, circa annum Domini* 745. vbi hæc scribit: * Virgilius, Mathematum peritus, pro concione dixerat, esse Antipodas Bonifacius earumdem imperitior, eum reprehendit, quasi alios homines, & per consequens alium Christum introducere vellet. Virgilius causam suam defendens, Bonifacium ad Regem Boiorum Vtilonem accusavit. Bonifacius verò, qui Pontificis Romani Legatus erat in Germania, à Zacharia Pontifice litteras ad Vtilonem Regem impetravit, quibus Virgilij opinio damnata fuit, & explosa.*

565 Huic tamen argumento respondetur ex cōmuni Iurisconsultorum Regula, ius in facto fundari, & iuxta illud sententiam proferri. Vnde cum Virgilij factum longè aliud fuerit ab eo, quod in argumento supponitur; nihil mirum, quod victus de Iudicio discesserit, tuleritque repulsas. Etenim damnatio, quam à Pontifice contra Virgilium latam, argumentum supponit, ea fuit: vt si innotesceret, Virgilium, dum Antipodas affirmabat alium in ipsis Mundum, aliosque in illo Orbe homines à nobis specie distinctos, alium Solem, aliamque Lunam defendere; si hæc, inquam, convictus fuerit confiteri, ab Ecclesia, Sacerdotij honore privatus, pelleretur. At cum illum Romam Pontifex evocasset, ipsique Pontifici subtili indagatione facta innotuisset, nullatenus eo errore teneri, vt alium Solem, aliam Lunam, aliosque homines confiteretur; sed solummodo asserere, dari Antipodas, homines quidem eiusdem nobiscum speciei, quos idem Sol, eademque Luna illustraret; non modo Pontifex illum non condemnavit, sed eum etiam Doctrina, & Sanctitate conspicuum Salisburgensi Episcopatu donavit.

566 Sed vt hęc clariùs innotescant, ZACHARIÆ Pontificis Epistolam, cuius initium est: *Sacris liminibus, &c.* Ad S. Bonifacium redditam, audiamus; in illa enim prædictum factum hisce verbis enarratur: *Intimatum est etiam à Sanctitate tua, quòd Virgilius ille (nescimus, si dicatur Presbyter) malignatus adversum te, eo quod arguebatur à te erroneus esse à Catholica Doctrina, seminaret odium inter te, & Vtilonem Ducem Bayoariorum, dicens, quod à nobis accepisset licentiam, vt vnius defuncti ex quatuor illis Episcopis, quos tua illic ordinavit fraternitas, Diœcesim obtineret. Quod nequaquam verum est, quia mentita est iniquitas sibi.

567 De perversa autem Doctrina, quam contra Dominum, & animam suam loquutus est, quod scilicet alius Mundus, & alij homines sub terra sint, aliusque Sol, & Luna: si convictus fuerit ita confiteri, hunc, accito Concilio, ab Ecclesia pelle, Sacerdotij honore privatum. Sed & nos scribentes prædicto Duci evocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, vt nobis pręsentatus, & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, Canonicis Decretis condemnetur: qui enim seminant dolores, metunt eos.* Ex quibus clarè patet errorem Virgilio à calumniatoribus falsò attributum, eum esse, quo iste (vt ipsi blatterant) assereret in Antipodis alium esse Solem, Lunam aliam, aliosque diversæ speciei homines; non tamen ei à calumniatoribus fuisse obiectum, quod Antipodas admitteret, vt rectè adnotavit MALVENDA *de Antichristo, lib. 4. cap. 23.* de hoc facto loquens: * Aliud enim est constituere Antipodas, aliud verò alium Mundum, alios homines, Solem alium, aliamque Lunam adstruere: primum, error non est; at secundum, sine errore dici nō potest.*

568 Cum autē constet Virgiliū, postquam fuit à Papa Zacaria Romam evocatus, ac auditus, nec depositum, nec damnatum, immò Salisburgensi Episcopatu auctum, virum extitisse Doctrina, ac Sanctitate mirabilem, manifestè liquet sententiam eius de Antipodis à S. Bonifacio, & Zacharia Papa recognitam, deprehensam esse nullo pacto cum Fidei Orthodoxæ placitis pugnare. Consule CARDINALEM

BARONIVM *Annal. Tom. 9. ad Annū Christi* 748. *num.* 2. *&* 11. extat vita Virgilij, virtutibus, & miraculis clara *Tom. 6. Antiquæ Lectionis HENRICI CANISII.*

569 Secundò contra prędictam nostram explicationem, & Sententiam, obijcitur, quod quamvis admittatur, perpetuas, ac continentes Regiones vltra Æquatorem extendi, inde tamen non deducitur eas hominibus accessibiles esse, ac habitabiles, vt eleganter expendebat AVGVSTINVS *lib.* 16. *de Civit. Dei, cap.* 9. dicens: * Nec attendunt, etiam si figura globata, & rotunda Mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstretur; non tamen esse consequens, vt etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda sit terra. Deinde etiamsi nuda sit, neque hoc statim necesse est, vt homines habeat; quando nullo modo scriptura ista mentitur.*

570 Quod confirmat CAIETANVS dum explicans illud *Genes.* 1. *vers.* 26. vbi Deus hominem vniversæ terræ præesse mandavit, docet, nullam esse terræ partem, quæ dominationi hominis subiecta non sit; *Non tamen ex eo valet concludi (inquit ipse Caietanus) omnem partem terræ esse habitabilem, vel habitandam esse ab homine.*

571 Immò Regiones illas, quas Antipodes incolere dicuntur, inhabitabiles, esse, multis probabant Antiqui, qui assequi non valebant, quomodò filij Adæ, & posteri Noę, alijs hominibus diluvio consumptis, potuerint Oceani immensitate traiecta, ad illas Regiones pervenire, maximè cum Oceanus, iuxta Clementis sententiam, impermeabilis crederetur, nec constet quando, & quomodo posteri Noe ad has Regiones transierint, cum nihil de hoc (teste Augustino supra laudato) Scriptura Sacra testetur. Hoc proculdubio innuere voluit PROCOPIVS GAZÆVS dum *in Comment. in Genes. cap.* 1. hæc scripsit: *Nam si Antipodes forent, certè Christus eo quoque profectus esset, & cætera, quę pertinent ad salutem humani generis, ibi perfecisset. Sed & Adam, prima generis nostri origo, & serpens, qui humanum genus dolo circumvenit, & diluviū quoque penes oppositam regionem extitissent.*

572 Et certè pręcipui Auctores, qui Antipodas admiserunt, vti CICERO *lib.* 4. *Academic. quæst.* PYTHAGORAS *apud Laertium in eius vita*, PLINIVS *lib.* 2. *cap.* 65. *&* *lib.* 6. *cap.* 22. POMPONIVS MELA *lib.* 1. *cap.* 5. SERVIVS *in* 6. *Eneid.* ORIGENES *lib.* 2. *Periarchon*, *cap.* 3. SIMON MAIOLVS *in Diebus Canicular. Tom.* 1. *Colloq.* 1. *& Colloq.* 17. *& Colloq.* 11. MALVENDA *lib.* 4. *de Antichristo*, *c.* 13. hi, inquam, fatebantur, tales Antipodas, & situs terrarum, quas incolebant, numquam agnoscere licuisse; & non nostri, sed alterius generis mortalium esse putabant: at cum id à nobis dici non valeat, neque primum poterit affirmari.

573 Pręcipua verò ratio, quæ Antiquos permovit, vt Regiones illas hominibus nostræ speciei inhabitabiles assererent, ac firmissimè tuerentur, erat quia ob ardorem intercedentis mediæ Zonæ, quam Torridam vocarunt, nemo nostrum ad illos, vel illorum ad nos, potuerit commigrare, vt expresśè ostendit Cicero *in in Fragment. lib.* 6. *de Repub. & in Somnio Scipionis*, vbi hos, qui incolunt vtramque Mundi partem, ita interruptos esse ait, vt nihil inter ipsos, ab alijs ad alios manare possit. Antiquis insuper certissimum erat, ex quinque Zonis, quibus terra redimitur, duas maximè inter se diversas, & Cęli verticibus ipsis ex vtraq; parte subnixas, pruina obriguisse: mediam autē, & maximā, Solis ardore torreri: duas autem esse habitabiles, earumque Australem illam, in qua, qui insistunt, adversa nobis vrgent vestigia, nihil ad nostrum genus pertinere, vt docet idem Cicero *lib.* 1. *Tusculan. quæst.* inquiens: * Globum terræ eminentem è mari, fixum in medio Mundi vniversi loco, duabus oris distantibus habitabilem, & cultum: quarum altera, quam nos incolimus, sub Axe posita sit, ad Septem stellas, vnde Horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur nives: altera Australis, ignota nobis, quam vocant Græci *Antizona* à contrario Axe.*

574 PLINIVS hanc sententiam sequutus, Zonarum divisione explicata, subdit: *Duæ tantum inter exustam, & rigentes temperantur, eęque ipsæ inter se non perviæ propter incendium syderis.*

575 Subscribit MACROBIVS, qui *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 19. *& lib.* 2. *de Somnio Scipionis, cap.* 5. postquam easdem Zonas depinxit, & terras illas Australes, quæ in temperata iacent, habitari probavit, sic prosequitur: *Sed à quibus, non licuit

no-

nobis vnquam nec licebit agnoscere: interiecta enim Zona, vtrique hominum generi commercium ad se denegat comeandi. *

576 POMPONIUS MELA *lib. 1. cap. 1.* hāc eamdē Sententiā hisce elegantissimis verbis tradidit: * Huius medio, terra sublimis cingitur vtique mari, eodemque in duo latera, quę Hemisphęria nuncupantur, ab Oriente divisa ad Occasum, Zonis quinque distinguitur: mediam æstus infestat, frigus vltimam; reliquæ habitabiles, paria agunt anni tempora, verū nō pariter. Antichthones alteram, nos alteram incolimus: illis situs, ob ardorem intercedentis plagæ, incognitus.*

577 Hæc eadem opinio, & prædictarum Zonarum natura, ac divisio ab alijs priorum, & posteriorum sæculorum Philosophis, Historicis, Poëtis, & Theologis libenter, & frequenter vsurpari videtur, vt cōstat ex ARISTOTELE *lib. 2. Metheo. c. 5.* CICERONE *lib. 1. de Natura Deor.* PLINIO *lib. 2. cap. 68.* STRABONE *lib. 3. & 17. Geograph.* VIRGILIO *lib. 1. Georgic. & 7. Aenei.* SERVIOque *ibi*, (qui per digitos manus, eleganter totam Zonarum intelligētiam facillimam reddit.) LVCRETIO *lib. 5. de Nat. Rerum*, OVIDIO *lib. 1. Metamorph.* HORATIO *lib. 1. Carm. in Ode. 22.* TIBVLLO *lib. 4. de laudib. Mesal.* CLAVDIANO *lib. 1. de Raptu Proserp.* D. ISIDORO *lib. 3. Ethymolog. cap. 44.* PHILONE *in lib. Quis rerum divinarum, hæres sit?* S. BEDA *de Ratione Tempor. lib. 11. cap. 32.* D. THOMA *1. p. quæst. 102. art. 2. ad 4.* SCOTO, & DVRANDO *2. Senten. dist. 17.* LVDOVICO VIVES *in Notis ad D. August. dict. cap. 9.* IOACHIM. VANDIANO *in Notis ad Pompo. Melam. dict. cap. 1.* & pluribus alijs relatis à CHASANEO *in Cathalogo Glor. Mundi, Part. 12. Consid. 15.* ACOSTA *lib. 1. de Nat. Novi Orbis, cap. 9. & 10. & lib. 2. per totum*, THOMA BOZIO *de Signis Ecclesiæ Dei, lib. 1. cap. 1. & lib. 15. cap. 18.* Fr. GREGORIO GARCIA *lib. 2. cap. vlt. §. 4. & sequent.* & SERAPHINO FREITAS *cap. 4. num. 5.*

578 Et quidem adeo apud Authores invaluit celebris ista Antiquorum opinio, vt nec modo desint nobiles Neoterici, qui Torridam Zonam, afflatu continui caloris incensam, nullo modo habitari, vel navigari posse, affirment; nam vt referunt Mariuenda *vbi supra*, & Solorzanus supra laudatus, avorum nostrorum memoria, Ioannes Picus Mirandulanus, Romæ in publico doctissimorum virorum cætu, coram Alexandro VI. Pont. Max. propositis assertionibus, ausus est acerrimè propugnare, sub Torrida Zona impossibilem esse humanam habitationem. Et idem tenet PETRVS DE ALIACO *quæst. 3. sup. Spheram*, APPIANVS, & GEMMA FRISIVS *in Cosmograph.* & BLASIVS ALVAREZ MIRAVAL *in libro, Hispana lingua Salmanticæ edito, anno. 1599.* cui titulum fecit: *De conservatione salutis corporis, & animæ, cap. 2.*

579 Pro maiori tamen illustratione, ac munimine Sententiæ, quæ illas Antipodum Regiones inhabitabiles esse cōtendit, notatu dignum est quod Latini Poetæ apud antiquitatem celeberrimi, suis scriptis consignarunt, supponentes pervulgatum esse, Astrologos, & Cosmographos Cœlum, & huic subiectam terrā, in quinque Zonas, seu cingulos distribuisse. Hinc plerique veterum existimarunt, duas tantum ex his terræ fascijs (hoc est temperatas) esse hominibus habitabiles: nam duas extremas, & inter se oppositas, Cœlique verticibus ex vtraque Mundi parte subnixas, nempè quæ hinc sub Aquilonis axe, & illinc sub Polo Austrino, Cœlo subiectæ sunt, infesto rigore, & æterno gelu, atque pruina premi, & sempiternam vtrobique caliginem esse; mediam verò, quam Torridam vocavere, qua Solis orbita circumagitur, exustam flammis, & crematam cominùs ardore torreri, & afflatu continui caloris incensam, nullo modo habitari posse à victuris hominibus: duas reliquas tantum, alteram hinc, alteram inde inter exustam. & rigentes temperari, & commodam habitationem hominum generi exhibere.

580 Hęc pluribus docuere, validisque confirmare argumentis Latini Poetæ nituntur; quorum Princeps VIRGILIVS *lib. 1. Georgic.* sic cecinit:

*Quinque tenent Cœlum Zonæ, quarum vna corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igne est.
Quam circum extremæ, dextra, læuaque trahuntur,
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter, mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Divum, & via secta per ambas.*

581 In eamdem sententiam coincidit ADRIANVS IVNIVS, dum *lib. 3. Animadvers. cap. 5.* in hos Virgilij versus,

sus, hæc adnotat: * Virgilianos de Zonarum descriptione versus Authori suo vendicemus. Is est Eratosthenes Cyrenæus, qui versibus heroicis librum conscripsit, cui *Mercurio* titulum indidit. Eratosthenicos ex Heraclide Pontico subijciamus libro de Allegorijs Homericis: quos obiter astricta numeris oratione reddere non pigebit.

Circum hunc funduntur Zonæ quincumplicis Orbes:
Glaucum ex his superant, Cyanum nigredine bini:
Torrida Zona vna est, fabulosaque tota rubentem,
Quam radij flammis feriunt Hyperionis acres
Continuis, recto & subiectam tramite torrent.
At geminæ Cælo deductæ vtrinque reclivi
Imbribus vsque madent, glaciali aut frigore torpent.

Sed enimverò Poëtam nostrum mutuatum esse suam descriptionem ex Authore, quem dixi, mecum sentit Probus Grammaticus, quamquam versus ipsos non profert: hęc enim eius sunt verba in locum Virgilij prædictum. Hanc tamen (inquit) vniversam disputationem, certum est Virgilium transtulisse ab Eratosthene, cuius liber Hexametris versib⁹ scriptus, qui *Hermes* inscribitur.* Hactenus Iunius; ex quo scripserũt IACOBVS DALECAMPIVS *in Notis ad Plinium, lib. 2. cap. 68.* HENRICVS SALMVTH *in Comment. ad Nova Reperta Guidonis Pãzirolæs, tom. 1. de Novo Orbe*, IACOBVS PONTANVS *in 1. Georgic. Maronis, ad vers.* 233.

582 Idem annotarunt ACHILLES STATIVS *in lib. 4. Catulli*, & OVIDIVS 1. *Metamorph.* dum ait:

*Vtque duæ dextra Cælum, totidemque sinistra
Parte, secant Zonæ, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur:
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu.
Nix tegit alta duas; totidem inter vtramque locavit.
Temperiemque dedit mista cum frigore flamma.*

583 TIBVLLVS *lib. 4. eleg. 1. ad Messalam*, quinque Zonas sic eleganter describit:

*Nam circumfuso consistit in aëre tellus,
Et quinque in partes toto disponitur Orbe.
Atque duæ gelido vastantur frigore semper:
Illic & densa tellus absconditur vmbra,
Et nulla incepto perlabitur vnda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque, nivemque:
Quippe vbi non vmquam Titan superegerit ortus.
At media est Phæbi semper subiecta calori,
Seu proprior terris æstivum fertur in Orbem,
Seu celer hybernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes prebent, nec pabula terræ.
Non illic colit arua Deus, Bachusvè, Ceresvè,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc interposita est, interque rigentes,
Nostraque, & huic adversa solo pars altera nostro,
Quas similis vtrinque tenens vicinia Cæli
Temperat: alter, & alterius vires necat aër.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.*

584 Et CLAVDIANVS *lib. 1. de Raptu Proserpinæ*:

*Addit quinque plagas, mediam subtegmine rubro
Obsessam fervore notat: squalebat adustus
Limes, & assiduo sitiebant stamina Sole.
Vitales vtrinque duas, quas mitis oberrat
Temperies habitanda viris, tum fine supremo
Torpentes traxit geminas, brumaque perenni
Fœdat, & æterno constringit frigore terras.*

585 LVCRETIVS *lib. 5. de Rerum Natura*, dicit:

*Inde duas porrò prope partes fervidus ardor,
Assiduusque geli casus mortalibus aufert.*

586 Tandem MARCVS VARRO, id eleganter confirmat, sic canens.

*At quinque Æthereis Zonis accingitur Orbis
At vastant imas hyemes, mediamque calores:
Sic terræ extremas inter, mediamque coluntur,
Quam Solis valido numquam vis auferat igne.*

587 Verum quamvis apud Antiquos Authores tam Astrologos, & Cosmographos, quam Poëtas, qui hanc Sententiam sequuntur, frequentissimum sit, duas esse Zonas temperatas, hominum habitationi percommodas, nonnulli tamen existimarunt non ambas hominibus nostri generis habitari, sed solum hanc Aquilonarem, quam nos incolimus, hominibus repleri; illam verò Australem sola ratione intelligi, propter similem temperiem, habitari posse, sed à quibus, non licuisse vmquam agnoscere, quod ea Zona penitus incognita manserit, propter interiectam Torridam, quę vtrique hominum generi, facultatem ad se denegat commeandi; coniectura dumtaxat, & probabili ratione augurati sunt, eam ab hominibus incoli, sed non nostri, sed alterius generis, cum ex nostra in illam, neque ex illa in nostram, propter incendium interpositæ Torridæ Zonæ, vllus vmquam potuerit penetrare, vt diximus cum CICERONE *in Somnio Scipion.* & PLINIO *lib. 2. cap. 68.* MACROBIO *lib. 2. in Somn. Scip. cap. 5.* & POMPONIO MELA *lib. 1. cap. 1.* Vnde omnes isti ex nostra temperata Zona coniecturam facientes putaverunt, in Austrina temperata non solum Oceanum affusum, sed terram hominibus (verum diversi generis) cultam, & habitatam interijci. At quantum delirium sit, alios in Mundo esse homines, quàm ex Adam satos, & propagatos, ac propterea alterium, non eiusdem omninò generis, & sanguinis nobiscum, con-

constat ex Scriptura, & Patribus.

588 Huic ergo secundo argumento respondemus; manifestum esse veterum Philosophorum errorem, & deceptionem, velle Philosophicis rationibus persuadere Antipodes inhabitabiles esse, & ex quinque Zonis tres, vel propter nimium frigus, vel propter intemperatum ardorem, habitari non posse, contra apertissimam, evidentissimamque experientiam, qua temporis decursu exploratum habetur, omnes quinque Zonas, tam in hoc antiquo Mundo, quam in alio Antipodum, quem Novum Orbem communiter vocamus, ab hominibus incoli, ac frequentari.

589 Hunc autem antiquorum errorem, sive desidiam meritò notarunt HENRICVS MARTINEZ *in Repertorio Mexico, tractat. 3. cap. 5.* & Magister IOANNES TVRRECREMATA *in Monarchia Indica, lib. 1. cap. 4.* Etenim cũ hoc posteriori saeculo tot, & tam certis experientijs constiterit, Antipodes esse, & omnes Orbis plagas, tam quę ad glaciales Zonas, quàm quae ad Torridam pertinent, non solum habitabiles esse, verum & humano genere cultas, atque etiam multis in locis, & praesertim sub ipsa Æquinoctiali refertissimas, & placidissimas reperiri, atque habitationi, & navigationi admodum pervias, emoti prorsus, & amentis iudicij erit, ea in dubium velle revocare, & Philosophicis rationibus, quę saepè fallaces existunt, plus quàm oculis nostris deferre, vt optimè advertunt LVDOVICVS VIVES, ACOSTA, Torquemada vbi supra, IVSTVS LIPSIVS *in Physiolog. Stoic. lib 2. Disser. 19.* LAMBINVS *super Horatiũ dicta Ode 22.* VALLESIVS *in lib. de Sacra Philosoph. ca. 26.* IOANNES BOTERVS *in Relat. Vnivers. Orbis Volum. 2. 1. Par. lib. 1.* ANTONIVS DE HERRERA *in Hist. Gen. Ind. Decad. 1. lib. 1. cap. 2. & 4.* CONIMBRICENSES *in 2. lib. Arist. de Caelo, cap. 14. quaest. 1.* PINEDA *de Rebus Gestis Salom. lib. 4. cap. 15. §. 2.* IOANNES A PONTE *in Convenientia vtriusque Monarchiae, lib. 3. cap. 19.* THOBIAS HALLERVS *in Orat. de Antiquit. apud Rosinum.* Hi omnes latissimè de Zonarum (pręcipuè Torridę) natura, & temperie agunt, & ex Antiquis idem iam olim tractaverè ARISTOTELES, & eius Commentator AVERROES *lib. 4. de Caelo*, AVICENA *Phen. 2. Doctrina. 1. cap. 8.* POSSIDONIVS *apud Cleomedem*, cuius verba refert Iustus Lipsius *in dicta Physiol. Stoic. lib. 2. Differt. 27. in fine*, ALBERTVS MAGNVS *de Natura loci, cap. 6.* SERVIVS *sup. Virgil. 6. Æneid.* vbi elucidans illud:

Pelagine venis erroribus actus?

Disputat qui potuerit dicere Virgilius Æneam erroribus maris ad inferos vivum devenisse? respondetque his verbis: *Altius hoc intellige secundum Chorographos, qui volunt terram sphericam esse, & vndique aqua, & aëre sustẽtari; quod si est, ad Antipodes potest navigatione perveniri, qui nobis inferi sunt, vt nos illis. Hinc est, quod sub terra inferos dicimus. Tyberianus etiam dicit, Epistolam esse ab Antipodibus ad nos vento allatam, quę habet: Superi inferis salutem.*

590 Ex quibus omnibus apertè liquet Authoritate, & evidenti experientia adeo fieri compertum, omnes quinque Zonas ab hominibus incoli, & habitari, vt pudeat vel id in controversiam vertere, vel argumentis rem alioquin clarissimam demonstrare. Nihilominus tamen, vt error illorum, qui oppositum tuentur, apertius dignoscatur, tres Zonas, de quibus pręcipuè dubitatur, Aquilonarem scilicet, Australem, & Torridam habitabiles esse, tam Antiquorum, quàm Recentiorum Authorum testimonijs probandum aggredimur; cumque de alijs duabus nullum sit inter Authores dissidium, quid de his tribus sentiant, audiamus.

§. IX.

QVID DE HABITABILI Rigente Aquilonari Zona censeant Authores.

591 Riphaeos, Arimaspos, Hyperboreos, Arimphaeos, Attacos, gentes sub ipso ferme Septentrionis Axe, plerique veterum cognoverunt. De his POMPONIVS MELA *lib. 3. cap. 5.* *In Asiatico (inquit) littore primi Hyperborei super Aquilonem, Riphęosque montes, sub ipso syderum cardine, iacent; vbi Sol non quotidie, vt nobis, sed primùm verno Æquinoctio exortus, Autũnali demum occidit: & ideo sex mensibus dies, & totidem alijs nox vsque continua est. Terra angusta, aprica, per se fertilis, cultores iustissimi, & diutius quàm vlli mortalium, & bea-

beatius vivunt: quippe festo semper otio leti, non bella movere, non iurgia; Sacris operari, habitant lucos, sylvasque, & vbi eos vivēdi satietas, magisq; tedium cœpit, hilares, redimiti sertis, semetipsos in pelagus ex certa rupe pręcipites dant. Id eis funus eximium est.* ANDREAS SCOTVS in hunc locum Melæ, hæc annotavit: *Hæc transtulit de Hyperboreis ex Callimacho, Hymno in Delum, quem cum his compone.*

592 Hanc eandem Aquilonarem Zonam gentibus esse refertam tradit PLINIVS *lib.* 4. *cap.* 12. sic scribens: *Vltimique à tergo Mæotarum Arimaspi; mox Riphæi montes, & assiduo nivis casu pinnarum similitudine *Pterophoros* appellata regio pars mundi damnata à natura rerum, & densa mersa caligine: neque in alio quàm rigoris opere, gelidisque Aquilonis conceptaculis. Ponè eos montes, vltraque Aquilonem gens felix (si credimus) quos Hyperboreos appellavere, annoso degit ævo, fabulosis celebrata miraculis. Ibi creduntur esse cardines Mundi, extremique Syderum ambitus, semestri Luce & vna die Solis aversi: non, vt imperiti dixerunt, ab Æquinoctio Verno in Autumnum; semel in anno Solstitio oriuntur ijs Soles, brumaque semel occidunt. Regio aprica, fœlici temperie, omni afflatu noxio carens. Domus ijs nemora, lucique; & Deorum cultus viritim, gregatimque, discordia ignota, & ægritudo omnis. Mors non nisi satietate vitę, epulatis, delibutisque senibus luxu ex quadam rupe in mare salientibus. Hoc genus sæpulturæ beatissimum.*

593 Consonat SOLINVS dum *cap.* 20. *Vltra Arimaspos (inquit) & Riphęum iugum, regio est assiduis obsessa nivibus; *Pterophon* dicunt: quippe casus continuarum pruinarum quiddam ibi exprimit simile pinnarum. Damnata pars Mundi à rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsisque prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non novit vices temporum, nec de Cœlo aliud accipit, quàm hyemem sempiternam.*

594 Et *cap.* 21. *Fabula erat (ait) de Hiperboreis, & rumor irritus, si quæ illinc ad nos vsque fluxerunt, temerè forent credita. Sed cum probissimi Authores, & satis idonei sententias pares faciant, nullus falsum reformidet. De Hyperboreis rem loquemur. Incolunt penè Pterophoron, quem vltra Aquilonem accepimus iacere, gens beatissima: eam Asiæ quidam magis, quàm Europæ dederunt.

595 Alij statuunt mediam inter vtrumque Solem, Antipodum Occidentem; & nostrum renascentem: quod aspernatur ratio, tam vasto mari duos Orbes interfluente. Sunt igitur in Europa apud quos mundi Cardines esse credunt, & extimos syderum ambitus, semestrem lucem, aversum tantum vna die Solem: quamquā existant, qui putant, nō quotidie ibi Solem, vt nobis, sed Vernali Æquinoctio exoriri, Autumnali occidere: ita sex mensibus infinitum diem, sex alijs continuam esse noctem. De Cœlo magnam clementiam auræ spirant salubriter, nihil noxij flatus habent. Domus sunt nemora, vel luci: in diem, victum arbores subministrāt. Discordiam nesciunt, ægritudine non inquietantur. At innocentium omnibus æquale votum. Mortem accersunt, & voluntario interitu castigant obeundi tarditatem. Quos satietas tenet vitæ, epulati, delibutique de rupe nota præcipitem casum in mare profundum destinant. Hoc sepulturę genus optimum arbitrantur.*

596 Quod confirmat PAVSANIAS *Aliacorum* 1. dicens: *Esse Hyperboreos ipsos, gentes supra Aquilones, primus certè versibus mandavit olim Lycius in Hymno, quem in Achæiam fecit. Aristeas Proconnesius mentionem dumtaxat Hyperboreorum fecit, cum plura tamen de illis cognoscere potuerit ab Issedonibus, ad quos se aliquando profectum, carminibus prodidit.*

597 Eandem sententiam tenuisse videtur CLEMENS ALEXANDRINVS dum *Stromat. lib.* 1. hęc habet: *Hellanicus autem scribit, Hyperboreos habitasse vltra Riphæos montes: docere autem ipsos iustitiam, non vescentes carnibus, sed arborum fructibus. Ij sexagenarios extra portas ducentes, tollunt è medio.* De Hyperboreis agunt pluribus HERODOTVS *lib.* 4. *num.* 32. DIODORVS SICVLVS *lib.* 2. *num.* 91. PTOLOMÆVS *lib.* 5. *cap.* 9.

598 IACOBVS DALECAMPIVS *in Notis ad Plinij, lib.* 4. *cap.* 12. hęc tradit: *Hyperboreos, *Inugros*, & *Vogolicos* hodie vocari, multi credunt. Permijs Pecerris, Pinnagis hi contermini sunt.*

599 De Arimphęis hæc tradit PLINIVS

NIVS *lib.6.cap.*13. *Extra Scythas, vltraque Aquilonis initia, Hyperboreos aliqui posuere, pluribus in Europa dictos. Primùm inde noscitur Promontorium Celticæ Lytarmis, fluvius Carambusis, vbi lassata cum Syderum vi, Riphæorum montium deficiunt iuga. Ibique Arimphæos quosdam accepimus, haud dissimilem Hyperboreis gentem. Sedes illis,nemora;alimēta,baccæ;capillus iuxtà fœminis,virisque in probro existimatur; ritus, clementes. Itaque Sacros haberi narrant, inviolatosque esse etiam feris accolarum populis: nec ipsos modò, sed illos etiam, qui ad ipsos perfugerint.*

600 Adstipulatur SOLINVS dum *cap.*21. *Altera, inquit,in Asia gens est, ad initium Orientis æstivi, vbi deficiunt Riphæorum montium iuga, Hyperboreis similis, quos dicunt Arimphæos. Et ipsi arbustorum frondibus gaudent, baccas edunt, iuxtà viros ac fœminas tędet crinium. Itaque vterque sexus comas tondet. Amant quietem, non amant lædere; sacri habentur:attrectareque eos, etiā à ferocissimis nationibus, nefas ducitur. Quicumque periculum à suis metuit, si ad Arimphæos transfugerit, tutus est, velut asylo tegatur.*

601 Subscribit MELA *lib.*1.*cap.* 21. dicens: * Continuis rupibus latè aspera, & deserta Regio ad Arimphæos vsque permittitur. His iustissimi mores. Pro domibus,nemora; alimenta,baccæ; & maribus,& fœminis nuda sunt capita.Sacri itaque habentur, adeoque ipsos nemo de tam feris gentibus violat,vt alijs quoque ad eos confugisse,pro asylo sit. * Hos egregiè describit HERODOTVS *lib.* 4. *cap.* 24. quos Arimphæos nominat.

602 Id ipsum tenet PLINIVS *lib.* 6. *cap.*17. vbi hæc leguntur: *Est genus hominum Attacorum,apricis ab omni noxio afflatu fæclusa collibus, eadem, qua Hyperborei,degunt temperie. De his privatim condidit volumen Ammonetus, sicut Hecateus de Hiperboreis.*

603 Quod verò ex Plinio superius diximus de Riphæorum Regione Pterophoro, esse nimirum densa mersam caligine, revocat nobis in memoriam, quæ MARCVS PAVLVS *lib.* 3. *cap.*49. refert de Regione tenebrarum, sub ipso ferè Borea: *Est (inquit) adhuc alia Regio, prioribus Regionibus multò versus Aquilonem interior, quippè quæ extremum Septentrionis occupat locum, quam obscuritatem appellant, eo quod multò per annum tempore ibi Sol non appareat: & tunc nedum noctu tenebræ sint, verum interdiu aër in modum crepusculi caliginosus fit. Cuius regionis homines pulchri sunt, magni, & corpulenti, sed pallidi.* Vide apud ipsum multa de ea Regione narrata.

604 At prædictos Riphæos, Hiperboreosque Montes cōmentitios esse, ac fabulosos, docet STRABO *lib.*7. his verbis: *Atque ignoratione horum locorum factum est, vt audirentur qui Riphæos montes, & Hyperboreos commentitii sunt: taliaque de ora Oceani mendacia traderet Pytheas Massiliensis.*

605 Idem tenent Neoterici MATHIAS MICHOVIENSIS *lib.*1.*de Sarmatia, cap.*14. & *in eiusdem libri Præfatione*, PAVLVS IOVIVS *lib. de legatione Moscovii*. GVILLIELMVS etiam STVKIVS *in Scholijs ad Peryplum Ponti Euxini Arriani*, ABRAHAM ORTELIVS *in Thesauro Geographico,in voce: Hiperborei.*

606 Nihilominus notatu dignum reor, quod de Moscoviticarum Regionum versus Borealem plagam fertilitate, habitationeque humana scribit SIGISMVNDVS *lib. in Comment. Rerum Moscovit.* *Vltra hunc (inquit) fluvium Petzoram altissimi montes ad ripas vsque protenduntur, quorum vertices ob continuos ventorum flatus omni prorsus materia,gramineque ferè carent. Hi etsi varijs in locis varia habeant nomina, communiter tamen *Semnoi-poyas*, id est, *cingulum Mundi* vocantur. In his montibus nidificant Hierofalcones, crescunt etiam illic arbores Cedri; circa quas nigerrimi Zebelli reperiuntur. Atque in Principis Moscoviç ditione hi montes soli visuntur, qui veteribus Riphæi fortè, vel Hyperborei montes visi sunt: & quod perpetuis nivibus, ac glacie rigeant,transitique facile non possint,Engroneland Provinciam incognitam faciunt.

607 BASILIVS,Ioannis filius,Moscoviæ Dux,aliquādò ad exploranda vltra hos montes loca,gentesque debellandas, duos Præfectos ex suis,per Perniam, & Petzoram miserat: quorum vnus,me in Moscovia existente,adhuc in vivis erat, mihique de hac re percontanti, decem & septem in ascendendo monte dies se consumpsisse

fisse dicebat: neque tamen montis verticem, qui patrio nomine *Stolp*, hoc est, *Columna*, nuncupatur, superare potuisse. Extenditur mons ille in Oceanum, vsque ad ostia Duvinæ, & Petzoræ fluviorum.* Vide plura apud IVLIVM CÆS. SCALIGERVM *de Subtilitate, Exercit.* 37.

608 Verùm hic annotandum est, quòd estò Riphæos, Hyperboreosque montes commentitios esse dicamus, nullus tamen Recentiorum Authorum negat illas Borealis cinguli, frigidæque Zonę Regiones gentibus in planitie, atque campestribus illorum locorum degentibus, esse repletas.

609 Scandiam, seu Scandinaviam, quam PLINIVS *lib.* 4. *cap.* 13. clarissimâ, & alterum terrarum Orbem appellat, magna ex parte in frigenti Zona iacere certum est; & tamen habitatissimam esse, constat, vel ex sola Hilevionum Gente quingentis incolente pagis, vt tradit Plinius.

610 IORNANDES *de Rebus Geticis cap.* 4. eam vocat Officinam gentium; aut certè, velut vaginam nationum. Finmarchiam, Lappormiam, Scrickfiniam, Biarmiam, & Finlandiam, quæ sunt terræ in frigida Zona, Arctico Polo vicinæ, hominibus habitatas docet OLAVS MAGNVS *lib.* 1. *cap.* 1. 2. & 3. & *lib.* 4. *cap.* 18. Islandiam, & Groenlandiam, sub ipsa Arcto hominibus cultas docet MALVENDA *lib.* 4. *de Antichristo, cap.* 7. At de Regionibus in Cingulo frigido frequentia hominum habitatis plura reperies apud MATHIAM MICHOVIENSEM, *lib.* 1. *de Sarmatia, cap.* 14. FRANCISCVM GOMARAM *in Generali Indiar Histor. cap.* 4. ORTELIVM *in Tabula Scandiæ*, MERCATOREM *in Tabula Poliarctici*, & apud illos, quos Ortelius laudat. Vide OLIVARIVM *in Melam lib.* 1. *cap.* 1.

611 In America verò, seu Novo Orbe occiduo, nondum compertum est, quousque tandem protendatur. Continens vltra Floridam versus Aquilonem, & Occidentem: nam adhuc terra illa manet incognita. Non multis ab hinc annis apertus est ingens terræ tractus supra Novam Hispaniam, & Regnum Mexicanum inter Aquilonem, & Occidentem, qui propter similes gentis mores *Novum Mexicum* appellatus est: ab Occidentali verò parte eiusdem Novi Orbis compertũ adhuc non est, quousque terra excurrat, supra Promontorium Mendocinum, & Californias, versus Orientem, & Boream: existimant tamen nonnulli, ea parte latissimè, longissimèque fundi. At quis dubitet, eam, quæ ad frigidam vsque fasciam intenditur, habitabilem esse, pari ratione, ac habitabilis est hæc nostra veteris Orbis pars? De quo plura videre poteris apud IOSEPHVM ACOSTA *lib.* 3. *Hist. Natur. Indiar. cap.* 25.

§. X.

DE FRIGIDA ZONA, SEV Australi Cingulo.

612 Ab hac breviter nos expediemus, cum nulla huius (quod sciatur) ad hanc vsque diem habita sit plena notitia. Coniectantur tamen plerique, supra Bosphorum Magellanicum Continentem longissimè ab Oriente in Occidentem extendi, à terra, quam vocant, Visionis, ad Terram ignis, & Novam vsque Guineam.

613 *Anno salutis* 1579. FERDINANDVS LAMERVS solvens à Callao Limę Provincię Peruanæ, versus Axem Antarcticum prætergressus fretum Magellanicum in Australi Oceano, ad quinquaginta sex gradus dumtaxat evectus est, quò nullus adhuc pervenit: at vlterius progredi, tempestatibus est prohibitus. Vnde nihil adhuc de illa Orbis parte, certò cognosci potuit.

614 Nihilominus INSVLÆ SALOMONIS nõ multis retro annis, in Australi Oceano nõ longè à Nova Guinea repertæ, quas aiunt à Perù distare octingentis leucis, putantur non longè abesse ab Australi illa continenti ad Occidentem, & Meridiem obversa. Coniectura etiam ducuntur satis valida, eandem continentem supra fretum Magellanicum ad Antarcticum Polum latè diffundi, vt multa spatia terrarum in Zona etiam frigida Australi protendantur.

615 Quis autem in controversiam vertat, ratione deducta, ab Aquilonari fascia rigente, vti demostravimus, illam quoque gelidam Austrinam habitari? Pro quo vide IOSEPHVM ACOSTA *Hist. Natural. Indiar. lib.* 1. *cap.* 6. & 16. & *lib.* 3. *cap.* 11. & 25.

S. XI.

§. XI.

DE ZONA TORRIDA, TAM veteris, quam Novi Orbis, habitabili.

616 TOrridam Zonam Solis ardoribus exustam, & afflatu continui caloris incensam, nullo modo posse à victuris hominibus habitari, antiqui Authores tradidere: at assiduus Astronomorũ, Cosmographorumque labor, ac studium illam vndequaque habitabilem, ac ita temperatam, vt nec hominum, nec cęterorum animantium habitationem, nec arborum fertilitatem, fructusque infesta caloris intemperies impediat, ipsa experientià ostendit. Vnde quid hac de re gravissimi Authores censeant, breviter audiamus.

617 STRABO *lib.* 2. scribit: * Quòd si, vt Eratosthenes ait, plaga Æquatori subiecta, est temperata, in quod etiam Polybius consentit, &c. * Duo ergo isti pręstantissimi Authores censent, sub Æquinoctiali temperatam, commodamque esse hominibus, animantibusque habitationem.

618 Et quidem Zonam Torridam ab hominibus incoli, expresse docuerunt AVERROES *in* 4. *Arist. de Cælo, & Mundo*, & ALBERTVS MAGNVS *lib. de Natura Locorũ cap.* 6. Nec defuerũt Sanctissimi Ecclesiæ Patres, qui Paradisum illum voluptatis à Deo, initio Mundi creatum *Genes.* 2. in Æquinoctiali linea, vel in Torrida Zona, loco omnium amœnissimo, atque temperatissimo, conditum asseruerint, vt refert MALVENDA *de Paradiso, cap.* 10. At Paradisum illum habitabilem fuisse, & ad hanc vsque diem habitari, nullus sanæ mentis negabit.

619 Authores gravissimi, vti STRABO, MELA, PLINIVS, SOLINVS, ARRIANVS, & PTOLOMÆVS, Taprobanem Insulam magnopere habitatam produnt: quod si hæc Insula sit Somatra, vt aliqui existimant, eam mediam Æquator intersecat: si verò sit Zeylanum, vt communis, ac melior fert Authorum Sententia, hanc in ipsa Torrida Zona, non longè ab Æquinoctiali, ad Boream, sitam esse testantur omnes.

620 Neque de hoc fas erit iam alicui dubitare, cum admirabilis Hispanorum navigatio, quę novum patefecit Orbem, antiquos hac in re deceptos fuisse, assidua, evidentissimaque experientia convicerit, Torridamque Zonam cultissimam, & habitatissimam esse, meridiana luce clarius ostendat; in Africa enim iacent in Torrida Zona, Zanaga, Nigritæ, Hialoffi, Congum, Insulæ Hesperides, Caput viride, Insula Sancti Thomæ, Guinea, Zofala, Moçambique, Quiloa, Melinde, Insula Sancti Laurentij, Zocotora, Imperium amplissimum Abyssinorum, multęque alię Regiones, & Insulæ: asserere autem has Regiones nullatenus ab hominibus posse incoli, est proculdubio ad solares radios cęcutire, ipsique Soli nubem, noctemque in meridiē offundere, cum innumeræ sint experientiæ, innumerique viri, qui se eas habitatoribus refertas vidisse, testentur, nullaque scientia posit manifestæ experientiæ opponi.

621 In Asia, Maior pars Arabiæ fœlicis, item duæ illę vastæ, ac cuneatæ prominentiæ, quæ sinum magnum Gangeticum efficiunt, quarum altera in Cori Promontorium (hodie Caput Comorinum) altera in Auream Chersonesum (nunc Malacam) desinit: in prima sunt magna, & florida Indię Regna, Cambaya, Decania, Cheulum, Goa, Calecuth, Cossinum, Meliapor, Narsinga, Bisnaga, & mediterranea alia non pauca.

622 In altera parte Bengala, Pegu, Siam, Cambaya, Malaca. Insuper à Cori Promontorio, angusto freto disclusa, Zeylanum, Insula dives opum; & à Malaca alio Euripo dirempta, Somatra, sub ipso Æquatore. Ad hæc supra Cambayam, Orientem versus est Choachinchina, & magna pars Regni Sinarum, item Insulæ Molucę, Zebu, Borneum, Mindanaum, Terrenatæ, Gilolum; vtraque Iava, Philippinæ, innumeræque alię in ardenti cingulo positæ sunt.

623 In Novo insuper Occiduo Orbe sunt in Torrida. Insulæ Sancti Dominici, Guba, Boriquena, & plures aliæ: item Nova Hispania, Aurea Castilia, Quito, Paria, Peruvia, Brasilia, & quæ inter vtramque interiacet Regio, spatio mille leucarum, quam aiunt esse cultissimam; vbi aiunt esse Paititi Aureum, Cæsares, & alia magna Regna, ac florentissima; sed nondum satis aperta: ad hæc Novam Guineam, & Insulas Salomonis.

624 Omnes, quas ennumeravimus, Regiones, in Torrida vtriusque Mundi positas, & alias plurimas eiusdem Zonæ, esse humano genere cultissimas, & refertissimas, ita perspicuum est, & omnibus notissimum, vt singularis esset amentiæ velle dubitare, perpetua experientia testante. De

Torridæ habitatione copiosè differit IOSEPHVS ACOSTA, *integro lib. 2. de Natura Novi Orbis*. Vide GOMARAM, *in Generali Indiar. Hist. lib.* 4. IOANNEM OLIVARIVM, *in lib.* 1. *Melæ, cap.* 1. Sed meliùs, & latiùs cæteris prosequitur THOMAS BOSIVS *de signis Ecclesiæ Dei, lib.* 15. *cap.* 18. qui tamen pio quidem zelo, & subtilibus rationibus ostendere conatur, tres illas terræ fascias, quas antiqui Scriptores, vt diximus, asseruerunt, revera ab orbe condito ad Christum vsque semper desertas mansisse, & semper, vel saltem ex maiori parte inhabitatas, & tales repertas eo tempore à pluribus fuisse, qui eas diligentissimo studio exploratunt: post Christi verò fœlicissimum in mundo ortum, cæpisse illas hominibus incoli, quousque tandem iam nostris temporibus cultoribus sunt repletæ; atque hanc inter alias Christum in Mundum intulisse fœlicitatem, vt eius præsentia terra melior, atque vsibus humanis accommodatior sit reddita, vt verè illud de Christi adventu decantari posit *Psal.* 84. *Benedixisti Domine terram tuam.* Et *vers.* 4. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et *Isaiæ* 35. *Lætabitur deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron: ipsi viderunt gloriam Dei nostri.*

625 Cum hucusque validissima ratione, apertissima experientia, ac luculentissimis præclarissimorum Authorum, celebriorumque in Astronomia, Geographia, ac ipsa navigandi arte Magistrorum testimonijs probaverimus, omnes quinque Zonas temperatas esse, hominumque habitationi percommodas, immò & de facto gentibus esse refertas, non modò quoad illas Regiones, quæ huic nostro Mundo, sed quoad illas etiam quæ Antipodum habitationi respondent; plenissimè solutum manet argumentum, ab Antiquorum Authoritate desumptum, qui ex eo Antipodas negarunt, quod Regiones illas, vel ob nimium Torridæ Zonæ calorem, vel ob æternum Australis, & Aquilonaris Zonæ gelu, infestum rigorem, ac perpetuam pruinam inhabitabiles, & ob Oceanum impermeabilem, eisdem ducti rationibus, certò certiùs existimarint. Cumque fundamentum istud, quod præcipuum erat, tot Authoritatum pondere collabescat, ac penitus corruat, hinc Sententia, quæ Antipodas affirmat, certior assurgit, & securior apparet expositio, qua Origenes alijque à nobis suprà laudati, illa Sancti Clementis verba, quibus alios post Oceanum Mundos videtur admittere, de Regionibus, quas Antipodes incolunt, interpretantur.

§. XII.

ALIA PROPONITVR EXPLIcatio, qua illa Clementis verba in Epist. ad Corinth. Oceanus hominibus impermeabilis, & qui trans ipsum sunt Mundi: *legitimo sensu exponuntur.*

626 ESTò prædicta Clementis verba de Antipodum Regionibus satis genuinè exposita sint, nihilominus ad maiorem illorum elucidationem aliam non minus genuinam, nec minori authoritatum munimine suffultam declarationem præsenti §. proponemus; censent enim gravissimi Authores, Sanctum Clementem illis verbis nostram Americam, veluti digito ostendere voluisse; sic tradunt *apud Solorzano lib.* 1. *de Iure Indiar. cap.* 12. *num.* 65. A COSTA *lib.* 1. *de Natura Novi Orbis, cap.* 11. GREGORIVS GARCIA *lib.* 1. *de Indorum Origine, cap.* 3. §. 7. IVSTVS LIPSIVS, & BASILIVS PONCIVS, Legionensis, Salmantinus Professor Eruditissimus, *quæst.* 8. *Exposit. cap.* 5. & 2. qui notat, ideo Mundos plurali numero dixisse Clementem, vt Novi Orbis magnitudinem indicaret, quæ vel in terris notis, & lustratis mirifica est, etsi tractus ille Australior, & trans fretum Magallani nondum innotuerit, nisi à pręternavigantibus libatus.

627 Eandem hanc expositionem tradit etiam eruditissimus Mag. Fr. THOMAS MALVENDA, *de Antichristo, lib.* 4. *cap.* 26. hæc scribens. *S. Clemens Romanus Pontifex *in Epistola ad Corinthios*, ait: *Oceanus, & Mundi, qui trans ipsum sunt.* Mundos hosce trans Oceanum interpretantur magnam continentem à Columbo repertam, & continentem aliam huic obversam, quam *Magellanicam* vocant, nondum satis cognitam, cuius pars existimatur Nova Guinea.* Adducta verò oppositione, qua Photius in S. Clementem istiusque Epistolam, quasi errore foe-

fœdatam insurgit, hæc habet: * Perperam (inquit) reprehendat verò hoc in illis quispiam, quod extra Oceanum Mūdos aliquos collocet.* Et Photium aliquomodo excusans, illiusque erroris occasionem aperiens, subiungit: * Nimirum Photio non erat cognitus Novus Orbis.*

628 Et omissis eruditissimis alijs Authoribus, in hanc eandem expositionem conspirantibus, coronidem huic interpretationi imponat D. EMMANVEL SCHELSTRATE *Antiquit. Illustratæ, part.1. Dissert.3. cap. 2. num.* 257. qui de hac Sancti Clementis Epistola sic loquitur: *Eam ipsam esse Epistolam, cuius veteres meminere, & in qua Photius reprehendendum ducit, quod extra Oceanum Mundos aliquos collocet, respiciens ad hæc verba Epistolę: *Oceanus hominibus impertransibilis, & qui trans ipsum sunt Mundi*: quæ de America, alijsque Insulis tempore Photij ignotis, nunc autem navigatione Hispanorum, Batavorum, aliorumque notissimis, meritò scribi potuerunt.*

629 At huic expositioni opponitur gravissimorum Authorum Sententia, existimantium Novum Orbem fuisse Antiquis penitus incognitum, nec leviter adhuc adumbratum: quam quidem Sententiam multis rationibus tuentur, & extollunt PETRVS MALFERIT *inter Consilia Mandelli, volum.2. Consil.769. num.* 17. MARQVARDVS DE SVSANIS *in Tract. de Iudæis, & Infidelibus*, 1. *Par. c.* 14. *in principio*, PETRVS BELLIN *in Tract. de Bello*, 2. *part. Titul.* 11. TARAPHA *de Regibus Hispaniæ, cap. vlt.* VICTORIA *in Relect. de Indis Insulanis, in princip.* BARRERA *in libello de Regione Ophira*, LVDOVICVS LEO AVGVSTINIANVS *in Comment. sup. Abdiam, cap. vlt.* & *sup. Cant. cap.* 8. IOSEPH ACOSTA *lib.* 1. *de Nat. Novi Orbis, cap.* 1. & *sequent.* PERERIVS *lib.3. in Genes.* BARRADAS *lib.5. Concordiæ, cap.* 1. BOTERVS *in Relat. vnivers. volum.* 2. *lib.* 1. ANTONIVS DE HERRERA *in Hist. Gener. Ind. Decad.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. & 6. GREGORIVS LOPEZ MADERA *in lib. de Excell. Hisp. Monarch. cap.* 6. & *cap.* 9. IACOBVS VALDES *de Dignitate Regum Hispan. cap.* 12. *num.* 7. & *sequent.* & *cap.* 19. *ex num.* 55. *ad* 63. CAMILLVS BORRELLVS *de Præstantia Reg. Cathol. c.*43. *n.*7. & 8. & *cap.* 46. *num.*225. & 226. BERNARDVS ALDERETE *l.3. de Origine linguæ Hispanæ, cap.*13. PETRVS OPMEER *in Opere Chronographico, cap.* 417. MAGISTER IOANNES A PONTE *in Convenient. vtriusque Monarch. lib.3. cap.* 7. §. 10. & *cap.* 16. §. 1. & §. 2. TRAIANVS BOCCALINVS *in Nuptijs Parnasi, Centur.2. cap.90.* Mag. à TORQVEMADA *in Monarch. Indica, lib.1. cap.* 4. *in fine*, AVGVSTINVS TORNIELLIVS *in Annal. Sacris, anno mundi* 1931. *num.* 46. & 48. & *anno* 3043. *num.* 7. & 8.

630 Eidem Sententiæ adhæret Ioseph Acosta suprà laudatus, dum *cap.* 11. prodigium reputat, Occiduum Indiarum Orbem tam immanis vastitatis, ac istum, quem terimus, & Antiquos tot sæcula latuisse, & nullum prorsus vestigium inveniri, quo ostēdi possit, ex Europę Nationibus aliquem ante Hispanos in has oras appulisse.

631 ABRAHAM ORTELIVS *in Theatro Geographico, Tabula* 5. & CAROLVS STEPHANVS, qui eius verba transcripsit *in Dictionario Historico, & Poëtico, verbo, America*, in eadem opinione sunt, & æquè mirum sibi videri dicunt, hoc Hemisphęrium tantæ, & tam immensę amplitudinis veteribus tot sęculis incognitum mansisse, & tamdiu potuisse latere, considerata præcipuè cùm antiquorum in describendo terrarum Orbe diligentia, & amplissimorum Imperiorum ad perquirendas Regiones commoditate, opportunitateque, tùm humani generis dira, atque insaciabili auro, atque argento inhiante cupidine nihil non tentante, quo his potiatur, quibus hæ Regiones incredibili copia abundant.

632 Consonat eruditus FRANCISCVS VALLESIVS *lib. de Sacra Philosoph. cap.*29. explicans enim illud *Deuteronom. cap.*30. *Si ad cardines Cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & assumet*; ait: * Tempus omnium rerum magistrum, evidenter indicasse, omnes Mundi partes ad vtrumque Polum habitabiles esse, & verè ab hominibus coli ab Adami semine disseminatis. Hanc autem disseminationem, nulla neque memoria hominum, neque historia cognitam, nobis in hoc sæculo, veluti digito, indicasse Hispanos Christicolas, Incarnati Verbi disseminationem procurantes.*

632 ALANVS COPVS, natione

Anglus, eidem Sententiæ semel, & iterum adstipulatur; nam *in Dialogo 6. adversus Hæret. cap. 9.* extollens summam Divinæ Providentiæ curam, qua Prędicatio, & agnitio Catholicæ Fidei, quæ in Septentrionalibus Regionibus habetur, ad Australes Novi Orbis perducta est, hæc habet: *Quas antea nec extitisse quidē vllis vmquam libris est traditum, vlla fama, & auditione acceptum.*

634 Et *in eodem Dialogo, cap. 34.* Sleidani Hæretici fraudem incusans, qui Catholicæ Fidei propugnationem, in Novo Orbe eo tempore ab Hispanis factam, perfidioso silentio involuerat, sic scribit: *Incredibili Dei Benignitate alterum quemdam Orbem, de quo nihil à Ptolomeo nihil à veteribus Cosmographis, nihil ab alijs, vel fando quidem priùs accepimus, intra hominum memoriam repente emersisse.*

635 Extāt quoque plurima eiusdem rei præconia & testimonia in illis pijs pariter, ac eruditis libris, quos insignis THOMAS BOSIVS EVGVBINVS *de Sign. Eccles. Dei*, in vulgus mandavit, & præcipuè *lib. 17. cap. 1. Signo* 74. vbi hęc scribit: *Non ita pridem loca plurima, & latissima reperta fuisse navigationibus Lusitanorum, & Hispanorum, quorum ne tenuè quidem nomen pervenerat ad maiores nostros.* Et *lib. 6. cap. 7.* vbi divinitus hunc Novum Orbem, qui continet dimidium totius Orbis terrarum, Catholicis Regibus detectum ostendit. Id etiam tradit *in libro de Robore Belli, cap. 9.* & *cap. 12.*

636 Tandem GVIDO PANZIROLVS *in Nov. Repert. Titulo* 1. HENRICVS SALMVTH *in Comment. ad eumdem Panzirolum*, & GERARDVS MERCATOR *in Atlante, in Tabula Novi Orbis*, Priscis, & Antiquis Novum Orbem incognitum fuisse, vnanimiter tradiderunt.

637 Nihilominus tamen gravissimorum Authorum sententia est, non levem notitiam, ac rumorem de Novo Occiduo Orbe, per Christophorum Columbum patefacto iam olim apud priscos increbuisse.

638 PLATO vnus è celebrioribus antiquis Philosophis *in Timæo*, pręclarem de Insula Atlantide narrationem, omnium Scriptorum monumentis commendatam, orditur; ibi enim Critias Sacerdotem quemdam Ægyptium, hæc Soloni, Atheniensibusque alloquentem, inducit: *Multa quidem, & mirabilia vestræ Civitatis opera in monumentis nostris leguntur; sed vnum magnitudine, & virtute præcipuum facinus. Traditur enim vestra Civitas restitisse olim innumeris hostium copijs, quæ ex Atlantico mari profectę, prope iam cunctam Europam, Asiamque obsederant. Tunc enim erat fretum illud navigabile, habens in ore, & quasi in vestibulo eius Insulam, quam *Herculis Columnas* cognominatis. Ferturque Insula illa, Lybia simul, & Asia maior fuisse, per quam ad alias proximas Insulas patebat aditus: atque ex Insulis ad omnem continentem è conspectu iacentem vero Mari vicinam; sed intra os ipsum, portus angusto sinu fuisse traditur. Pelagus illud, verum mare; terrá quoque illa, vera erat continens.

639 In hac Atlantide Insula maxima, & admirabilis potentia extitit Regum, qui toti Insulæ illi, multisque alijs, & maximè terræ continentis parti, pęterea & his, quæ penes nos sunt, dominabantur. Siquidem tertiæ mundi parti, quæ Lybia dicitur, vsque ad Ægyptum imperarunt: Europę verò vsque ad Tyrrhenum mare. Horum vis omnis vnà collecta nostram, ò Solon, vestramque Regionem, & quidquid intra Columnas Herculis continebatur, invasit. Tunc vestrę Civitatis virtus in omnes gentes enituit. Quæ cum omnes magnanimitate, bellicisque artibus antecelleret, partim vnà cum alijs Græcis, partim sola, cæteris deserentibus, extrema discrimina subijt, hostesque expugnavit: eos verò, qui nondum in eorum ditionem venerant, ne venirent prohibuit; alios autem, nimirum nos, quotquot cis Herculis Columnas habitamus, omnes promiscuè servavit. Post hæc ingenti terremotu, iugique diei vnius, & noctis alluvione factum est, vt terra dehiscens vestros illos vnà omnes bellicosos homines absorberet, & Atlantis Insula sub vestro gurgite mergeretur. Quam ob causam innavigabile pelagus illud, propter absorptæ Insulæ limum relictum fuit. Hæc, ò Socrates, eorum, quę Critias maior à Solone accepta narrabat, summa est.* Hactenus Critias Iunior ex Critiæ avi sui relatione recenset. Porrò Critias Maior, ea se à Solone accepisse, atque hunc à Sacerdote Ægyptio audivisse affirmabat.

640 Idem Plato *in Critia, sive Atlantico* refert Critiam Iuniorem, longissimam de Atlantide Insula texuisse nar-

narrationem, quam sic exorsus est: *Si sufficienter meminerimus, recensuerimusque nunc vobis, quę quondam à Sacerdotibus tradita, à Solone huc advecta fuere, videbimur Theatro huic, vt arbitror, officio nostro functi. Primum autem commemoremus summam esse annorum novem millium, ex quo bellum extitisse, traditum est, inter eos omnes qui vltra, & eos qui citrà Columnas Herculis habitant, quod in præsentia enarraturi sumus. Horum quidem Dux fuit hęc Civitas Atheniensis, bellumque omne, vt dicitur, confecit. Illorum autem Insulę Atlanticę Reges. Quam Insulam Lybia, Asiaque maiorem fuisse quandoque perhibemus: postea verò cœnum ibi invium, submersa Insula ex terrę concussione relictum, quod quidem hinc illuc altum in mare navigantibus obstat, ne vltra enavigare liceat.* Multa etiam alia, lectu iucundissima, de hac Atlantide Insula commemorat, quæ lectorem incredibili voluptate afficiunt.

641 P. IOSEPH ACOSTA *lib.* 1. *de Natura Novi Orbis* multis argumentis probare cõtendit, Platonis narrationem de Atlantide Insula fabulosam esse, ridiculam, & puerilem, sive parabolicam, & allegoricam. At Mag. Fr. GREGORIVS GARCIA *lib.* 4. *de Indorum origine*, *cap.* 8. *& sequent.* Patrem Acosta ingenti acrimonia confutat.

642 Et quidem Platonis narrationem de Atlantide Insula fabulam non esse, sed veram historiam, pręclarè probat insignis ille Platonis Interpres MARSILIVS FICINVS *in Commentario Critiæ*, sic scribens: *Hanc autem Platonis de Atlantide Insula non fictam quidem, sed veram historiam extitisse, constat. Primò quidem, quia vbicumque fingit aliquid, solet fabulam nominare: hic verò tamquam historiam audet asseverare. Deinde idem omnino asserit in Timæo, appellans rem miram quidem, sed omnino veram, & à quibus accepta sit diligenter vtrobique recenset, scilicet à maioribus suis, atque gentilibus. Critias enim hic ab avo Critia, ille verò à Solone patruo suo, qui litteris quoque mãdavit, Solon ab Ægyptijs Sacerdotibus. Præterea Proclus Marcelli cuiusdam de Rebus Æthiopũ adducit historias, in quibus manifestissimè confirmantur Æthiopum rebus gestis inserta. Et si Platonicorum nullus historiam negat, Porphyrius tamen, Proclus, & ante hos Origenes allegoriam insuper volunt Physicam continere. Quos equidem vereor, ne si conentur singula allegoriæ ad vnguem accõmodare, ab ipso Platone derideantur, in exordio Phędri, curiosas nimium in huiusmodi rebus allegorias irridente.*

643 Pro maiori huius veritatis munimine, notatu dignissimum est, quod ipse Marsilius affirmat *in Compendio Timæi*, *cap.* 4. dicens: *Narrat autem, inter Dialogi huius exordia, historiam de bello quodam inter Athenienses, Atlanticosque commisso. Hanc itaque Crantor, tempore primus Platonis Interpres, nudam absque allegoria historiam accipit. Quidam verò contrà, tamquam solam allegoriam. Sed hos redarguunt probatissimi quique Platonicorum, affirmantes quidem historiam, quia Plato dixerit: Sermo futurus est valde mirabilis, sed omnino verus.* Hactenus Marsilius. In hanc eamdem Sententiam conspirant omnes Authores, quos statim laudabimus, dum vnanimi consensu tuentur Platonem de Novo Orbe in America patefacto, in prædicta historia fuisse locutum.

644 Insuper Platonis de Atlantide Insula narrationem fabulam non esse, nec fictionem, sed veram historiam, eleganter probat quod CRITIAS *in Timæo*, eam orsurus in hunc modum loquatur: *Audi, Socrates, miram quidem, sed plenam veritatis historiam, quam Solon septem Sapientum sapientissimus recensebat.* Nullis certè clarioribus verbis dici poterat, illam Platonis historiam veritate esse plenissimam. Quapropter nullatenus audiendi sunt, qui fabulam, aut meram allegoriam esse putarunt, nisi fortè absque vllo fundamento velint nullam adhibendam esse fidem illi, qui authoritatis, & fidei tantum apud antiquos sibi eximia sua sapientia conciliavit, vt antonomasticè Divinus fuerit appellatus.

645 Eruditus STRABO antiquitate, & historia celebris, Platoni patrocinatur, manifestè innuens veram esse historiam, quam Plato de Atlantide Insula refert. Illius verba *ex lib.* 2. audiamus: *Quibus etiam Platonis Sententiam, commodè apponit Possidonius, fieri posse, vt non sit figmentum id quod de Atlantide Insula fertur, de qua is ait, tradidisse Solonem, qui ita ab Ægyptijs didicisset Sacerdotibus, deletam eam esse, cum fuerit aliquando continente tota nõ minor insula. Existimabatque

que hoc rectiùs dici, quam id, delatam fuisse ab eo ipso, qui eã commentus fuerit: sicut apud Homerum accidit muro Acheron.*

646 Nec dissentit PLINIVS dum *lib.2.cap.90.* hæc habet: *In totum abstulit rerum natura terras, primùm omnium vbi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spatio.*

647 Subscribit etiam TERTVLLIANVS *Apolog.cap.* 40. dicens: *Memorat & Plato maiorem Asiæ, & Africæ terram Atlantico mari ereptam.* Et *de Pallio, cap.2.* *Et si ille Plato non mendax, Aeön in Atlantico Lybiam, aut Asiam adæquans, quæritur nunc.*

648 Id confirmat ARNOBIVS dum *1. advers. Gent.* sic scribit: * Vt ante millia annorum decem, ab Insula, quæ perhibetur Atlantica Neptuni, sicut Plato demonstrat, magna erumperet vis hominum, vt innumeras funditùs deleret, atque extingueret Nationes, nos fuimus causa?*

649 Consonat AMMIANVS MARCELLINVS *lib.17.cap.7.* loquẽs enim de terremotibus, qui Chasmatici dicuntur, hæc habet: * Aut Chasmatiæ, qui grandiori motu patefactis subitò voratrinis, terrarum partes absorbent, vt in Atlantico mari, Europæo Orbe potior Insula.*

650 Nec obstant aliqua argumenta, quæ contra hanc Platonis de Atlantide Insula narrationem, ab aliquibus Authoribus efformantur; illis enim plenissimè satisfaciunt Authores, tùm antiqui, tùm recentiores, quos, & suprà laudavimus, & infrà adducemus. Insuper nec obstat quod de decem millibus annis dixit ARNOBIVS: Ægyptij enim longè aliter, ac nos, annos suos enumerant; de quo vide plura apud HERODOTVM *lib. 2. num.* 11. 43. & 142. DIODORVM SICVLVM *lib.* 1. *num.*15.28. & 29. LAERTIVM *lib.1. initio Proœmij.*

651 Nec mirum videri debet dictum fuisse à Platone, Oceanum extra Gades innavigabilem esse, propter limum relictum absorptæ Insulæ Atlanticæ, cum idipsum censuerit ARISTOTELES *lib.* 2. *Metheor. cap.*1. dicens: *Limus verò indicat Oceanum, qui extra Columnas patet, non magnopere in profundum demitti. Flatus enim silent, quod mare in cavo decidat.*

652 Supposito ergo ex his gravissimis eruditissimisque Authoribus verum esse, & vti talem admitti ab antiquis historiã, quam refert Plato de Atlantide Insula, ad fauces Herculei Freti pertingente, & postmodum alluvione, & Oceani furentis haustu demersa, vti cum Platone docent omnes eius Interpretes, cæterique supra relati Authores, vnanimi consensu tuentur, modò probanda est connexio huiuscemodi narrationis cum novo occiduo Orbe. Asserimus ergo prædictam Platonis narrationem, Atlanticamque Insulam, propriè ad novum Indicum Occiduum Orbem pertinere; id enim tenent graves, ac in Geographica historia eruditi Authores; nimirum AVGVSTINVS ZARATE *Præfat. ad Hist. Peruan.* FRANCVS GOMARA *in Generali Hist. Indiar. ad fin.* FRANCISCVS IVNCTINVS *in Comment. in Spher. Ioan. de Sacrobosco.* IACOBVS PAMELIVS *in Notis ad Tertul. Apologet. num.* 528. IVSTVS LIPSIVS *lib.2. Physiolog. Stoic. Dissert.* 19. LIVIVS SANVTVS 1. *Geograph. lib.* 2. THOMAS FREIGIVS *in Synopsi Atlantica*, REINERIVS REINECIVS *in Methodo Historic.* SIMON MAIOLVS *Colloq.* 14. THEODORVS ZVINGERVS *in Theatro vitæ Huma. volum.5.lib.3.verbo: Geometria. Titulo: Imperiti*, §. *Ex Priscis.* ABRAHAM ORTHELIVS *in Tabula Americæ, & Maris Pacifici; item in Thesau. Geograph. verbo: Atlantis, & Gades, & Gadiricus*, IOANNES FVNGERVS *in Ethymolog. ver. Atlas.* IOANNES PINEDA *de Rebus Salom. lib.4. cap.14. §.6. & cap.* 15. §.3. GREGORIVS GARCIA *lib.1. de Indor. Orig. cap.3. & lib. 4. cap.8. & sequent.* Vide nihilominùs IOSEPHVM ACOSTA *lib. 1. cap. 12. de Not. Novi Orbis.*

653 Qui omnes prædictam Platonis de Atlantide historiam, pro Novo Orbe, hoc modo explicant, & exponunt, videlicet Atlantidem Insulam revera quondam extitisse, immensæ magnitudinis in Oceano, maiorem Africa, & Asia simul, teste Platone ad fauces Herculei Freti pertingentem; sed postea alluvione, terremotu, & haustu furentis Oceani demersam: atque tunc ingens mare vastissimum illud spatium, quod nunc à Gadibus ad primas novi Orbis Insulas in Septentrionem, Meridiem, & Occidentem longè, lateque diffusum protenditur, occupasse, relictis quibusdam tantæ Insulæ veluti fragmentis, & vestigijs, nempè Fortunatis, Azorijs, Viridibus, & alijs Insulis.

Et

654 Et quamvis Platonis ætate, limo multo pelagus illud, quod Atlantidem hausit, impervium atque innavigabile haberetur: paulatim tamen subsidente limo, & exuberante vi aquarum, factum navigabile. Insulas verò, ad quas ex Atlantide gradus, aditusque patebat, esse illas, quę continenti Novi Orbis periacent, & nunc vocãt *de Barlovento*, vt S.Ioannem de Portu de Vite, Iamaycam, Hispaniolam, Cubã, & plures eius tractus. Continentem autem amplissimam, è conspectu illarum iacentem, ad quam ab his Insulis navigaretur, esse continentem Novi Orbis, quæ vasto, & immani tractu effunditur per Floridam, Novam Hispaniam, Patiam, Brasiliam, Peruviam, ad angustias vsque Magellanicas. Verum autem mare eidem continenti vicinum esse magnum Oceanum Australem, sive Sur, quod à Magallanico freto *Chilem*, Peruvium, & Novam Hispaniam colluit, dictum verum Mare, quod & Mediterraneis, & Atlantico sit maius. De quo Ortelium consule in Tabula Maris pacifici.

655 At ad maiorem prædictorum illustrationem videndum modò est: an pręter Platonem, alij etiam Antiqui Authores, aliquam Americę, seu Novi Orbis notitiam habuerint? Et quidem nec illos prædictum Occiduum Orbem latuisse multis potest demonstrari. ARISTOTELES enim *lib. de Mirabilib. Auscultation.* refert. * Extra columnas Herculis, in mari, à Carthaginensibus Insulam fertilem, desertamque inventam, quæ tàm sylvarum copia, quàm fluminibus navigationi idoneis abundabat, ac reliquis fructibus vehementèr florebat, distabatque à continente plurium dierum itinere; in qua cum Carthaginenses quidam ob soli fertilitatem connubia agitare, & habitare cæpissent, ferunt, Præsides, ne quis deinceps Insulam ingrederetur pœna capitis interdixisse, incolasque eiecisse, ne coitione, si habitare illic pergerent, facta, Insulæ Principatum consequerentur, & Carthaginenses ea fœlicitatis parte privarent.*

656 Et infra: *Phænices, aiunt, qui Gadiram inhabitant, dum vltra Columnas Herculis navigarent, vento Subsolano impulsos ad Regiones quasdã appulisse vlva, algaque plenas, quæ æstibus Maris rigantur, exundatione verò prorsus obruuntur aquis; Thynnorum copiam isthinc innumerabilem inveniri tradunt magnitudine, densitateque incredibili, quos falsos, vasis impositos Carthaginem deportant: vnde soli non evehuntur, sed ob singularem bonitatem planè absumuntur.* Hactenus Aristoteles.

657 Hanc Insulam fertilem, quam Carthaginenses in Oceano repererunt, esse Hispaniolam, aut Cubam, seu partem aliquam continentis Novi Orbis, vti Floridam, vel Iucatàn, vel Pariam, quam nondũ plenè perlustratam, tunc illi existimaverint Insulam, annotarunt plurimi, vt FLORIANVS OCAMPO *lib.3. Rerum Hisp.cap.* 20. GONZALVS FERNANDEZ OVIEDO 1.*Parte General. Hist. Indiar. lib. 2. cap.3.* ALEXIVS VANEGAS *lib. Natural. cap.* 22. FRANCISCVS GOMARA *in General. Historia Indiar. cap.* 15.17.*& ad finem operis*, GILBERTVS GENEBRARDVS *lib. 2. Chronograph.* REINERIVS REINECIVS *in Methodo Historico*, SIMON MAIOLVS *Colloq.* 14. ADRIANVS TVRNEBVS *Adversar. lib. 20. cap.*11. IVSTVS LIPSIVS *lib. 2. Physiolog. Stoic. Differt.* 29. P.IOANNES MARIANA *lib. 2. de Rebus Hispan. cap.* 2. P. IOSEPHVS ACOSTA *lib. 1. de Nat. Novi Orbis, cap.* 11. P. GREGORIVS GARCIA *de Origine Indor. lib.1. cap.2. §. 2. & lib.2. cap.* 1. Vide IOANNEM LANGIVM *Epist. Medicinal. lib.1. Epist. 63.* GENEBRARDVS, & VANEGAS multas in Novo Orbe è Carthagine olim deductas Colonias putarunt, de qua re latè disserit P.M.GREGORIVS GARCIA *toto lib.2. de Orig. Indor. & lib.4. cap. vlt.*

658 Et quidem has Regiones vlva, & alga plenas, ad quas testatur Philosophus Phænices vltra Herculis Columnas navigantes applicuisse, ad Novum Occiduum Orbem per Hispanos patefactum pertinere, ex eo convincitur, quod id ipsum Columbo in tertia sua navigatione in Novum Orbem contigerit, vt refert PAMELIVS *ad cap. 40. Apologet. Tertul.* hæc annotans: *Christophorus Columbus *anno Domini* 1492. tertio Nonas AVGVSTI ex Hispanijs solvens, in mari illo, per iter dierum aliquot, tantam graminis vbertatem clasi occurrentem invenit, vt tamquam in pratis herba virentibus navigare videretur, sed mare illud gramineum tandem superans, in Orbem Novum appulsus est.*

659 Consonat GOMARA *in Indica Hi-*

Histor. cap. 16. & ABRAHAM ORTELIVS *in Tabula Maris Pacifici*, sic scribens: * In hoc eodem Maris fundo narrant Franciscus Vlloa, & Antonius Pigafseta nasci herbam quatuordecim brachiorum altitudinis, eminereque eamdem extra eius superficiem ad altitudinem quatuor, aut quinque brachiorum: adeo vt interdum non per maria, sed per viridantia prata vehi videantur. Locus quoque Aristotelis in Admirandis huic non malè convenit, vbi scribit de Phœnicibus, qui Gadiram habitabant, dum extra Herculis Columnas navigassent, ad Regiones quasdam applicuisse vlva, algaque plenas.*

660 Preclaram etiam Novi Orbis notitiam nobis subministrat DIODORVS SICVLVS *lib.* 2. *num. margin.* 96. *& sequent.* vbi mira refert de quadam Insula in Oceano, versus Meridiem, à Iambulo quodam reperta; quæ quidem narratio voluptate plena est, ac lectu dignissima. Eam tamen, quia nimis longam, duximus hic omittendam: at videri potest apud Ioannem Baptistam Ramnusium *in commentatione eiusdem Iambuli navigationis*. De illa etiam agit Ioannes Guillelmus Stucchius *in Scholijs ad Peryplum Maris Eritrbæi Arriani*. Laurentius Rodomanus *in Notis ad Diodorum*, censet predictam Insulam esse Somatram, quam ipsi Taprobanem credunt.

661 At REINERIVS REINECIVS *in Methodo Histor.* potius ad Novum Orbem Occiduum pertinere existimavit. ABRAHAM ORTELIVS *in Thesauro Geograph. voce Cerne*, Insulam Madagascar, seu Sancti Laurentij esse suspicatur. Auguremur, & nos Iambolum diuturna quatuor mensium navigatione, verso à Meridie in Occidentem cursu, superato Promontorio Bonæ spei tenuisse vel Brasiliam, quam crediderit Insulam, vel Hispaniolā, aut Cubam, vel fortasse ad Insulam aliquam Australi Psittacorum continenti obversam, nobis adhuc incompertam, delatū.

662 Idem DIODORVS *lib.* 5. *num.* 207. *& sequent.* quamdam describit Insulam magnam, certè fertilissimam, & amœnissimam in Oceano complurium dierum navigatione à Lybia in Occasum positam, quam Phœnices à Gadibus navigantes invenerint. Neque verò aliam eam Diodori Insulam intelligimus, quam vel Hispaniolam, vel Cubam, vel partem aliquam magnæ continentis Novi Orbis, vt existimat MALVENDA *de Antichristo, lib.* 4. *cap.* 26. Et certè hanc Phenicum navigationem in Insulam illam amplissimam, & amenissimam, esse illam eamdem, de qua locutus fuit Aristoteles loco supra laudato apertè innotescit ex his, quæ DIODORVS *loco supra adducto* scribit, ibi enim hæc subdit: *Hac igitur ratione Phœnices investigata vltra Columnas ora, cū Africæ littora legerent, ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus sunt abrepti. Per multos tamen dies, vi tempestatis, ad Insulam, de qua iam dictum, appulerunt, naturàmque eius, & fœlicitatem à se primitus cognitam, in aliorum deinde notitiam perduxerunt: ideo Tyrrheni quoque Maris imperium adepti, coloniam eò destinarunt; sed Carthaginenses illis obstiterunt, simul enim metuebāt, ne plurimi Civium suorum, bonitate Insulæ allecti, eò commigrarent. Simul etiam contra subitos Fortunæ casus si exitiosum Respublica Carthaginensium fortè damnum acciperet, refugium sibi paratum esse volebant: nam sic maris adhuc potentes, in Insulam victoribus ignotam, cum vniversis familijs transmigrare posse confidebant. *

663 Nec latuere SENECAM aliquæ Novi Orbis notitiæ; nam apud Senecam Patrem *Suasoria* 1. Avitus Orator scribit: Fertiles in Oceano iacere terras, vltraque Oceanum rursus alia littora, alium nasci Orbem. *Clarius (inquit Lipsius) non potuit effari, aut designare.* Sed irrisit ea Avitus, cum subdit: *Facile ista finguntur, quia Oceanus navigari non potest.* Et quamvis hæc Avitus non probet, negari tamen non potest, aliquam apud Senecam, quamvis confusam, atque interturbatam extitisse Novi istius Orbis notitiam.

664 Clariorem Novi Orbis notitiam nobis suppeditavit SENECA Iunior *in Medea, Act.* 2. *in Choro*, vbi sic cecinit.

> * ——— ——— Venient annis
> Secula seris, quibus Oceanus
> Vincula rerum laxet, & ingens
> Pateat tellus, Typhisque novos
> Detegat Orbes, nec sit terris
> Ultima Thule.*

Loqui autem hic Senecam de Novo Orbe, notarunt GOMARA *in Indica Histor. ad finem*, HONCALA *in* 22. *cap. Genes.* REINERIVS REINECIVS *in Methodo Historic.* ZVINGERVS *in Theatro vitæ Hum. volum.* 5. *lib.* 3. *verbo: Geometria*, LIP-

LIPSIVS *in Physiolog. Stoic. Differt.* 19. *lib.* 1. DELRIVS *Comment. in Medeam*, ORTELIVS *in Tabula Novi Orbis*, ACOSTA *lib.* 1. *Hist. natur. Indiar. cap.* 11. GARSIAS *de Orig. Indor. lib.* 1. *cap.* & §. 3.

665 PLVTARCHVS *in Comment. de Facie*, *quae apparet in Orbe Lunae*, meminit cuiusdam magnæ continentis, à qua magnũ Mare in Orbem cingitur, quæ distat ab Ogygia Insula, quam putant esse Hyberniam, ad stadia quinque millia, quam certè continentem nonnulli Novum Orbem interpretantur, vti Abraham ORTELIVS *in Thesauro*, *voce Atlantis*, GREGORIVS GARSIAS *lib.* 1. *de Indor. Orig. cap.* 3. §. 4.

666 Idem PLVTARCHVS clariùs de Novo Orbe Locutus videtur *in Sertorio*, vbi describit Atlantides Insulas duas, in Atlantico Oceano beatissimas, quę distent ab Africa duodecies centena millia passuum. Ortelius in Thesauro, voce *Atlantis*: *Erunt (inquit) fortasse Hispaniola, & Cuba, vt Postello placere video;* Et in Additionibus ad Thesaurum: *Malim ergo Sancti Michaëlis, & Divæ MARIÆ ex Azorijs Insulis interpretari, distantia enim harum magis convenit.*

667 NONNIVS MARCELLVS *de Numeris*, & *Casibus*, hæc habet: *Sallustius *Histor. lib.* 9. cuius duas Insulas propinquas intercessisse, & decem stadium procul à Gadibus, satis constabat, suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.* Has putat Ortelius esse illasmet Insulas Plutarchi, & in Nonnio restituendum (decem millibus stadium.) Vide eundem in voce *Gades*.

668 Tandem nec obscuram Novi Orbis Occidui notitiam nobis prodidit S. HILARIVS *in Psalm.* 2. vbi sic scribit: * Non enim ita in profundum demersa est terra, aut in latitudinem extensa, aut prolata in altum est, vt non vndique ob circumfusæ, aut subiacentis sibi naturæ cõtineatur obiectu. Hanc enim infernæ vastitudinis demersa, & immensa abyssus sustentat: hanc circumfusi, & superni aëris spiritus inumbrat, atque ambit. Esse autem huius infernæ regionis, vastæque abyssi incolas plures, Beati Ioannis Apocalypsi docemur, cum nullus neque in Cœlo, neque supra terram, neque infra terram obsignatum librum dignus est repertus aperire. Non vtique de mortuis, & in terram sepultis significare intelligitur, cùm ad terrij incolatus demonstrationem, non qui intra terram, neque qui mortui sunt, sed qui vivunt, nullum in se resignandi libri habuerint Authorem.* Quo etiam pertinere putat illud *Philip.* 2. *Vt in nomine Iesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* In quorum verborum explicatione hæc habet MALVENDA *de Anti-Christo loco supra laudato.* *Vides, vt doceat Sanctus Hilarius esse quosdam infernę regionis in terra incolas nobis inferos, quos non alios capimus, quàm Antipodas, & Novi Orbis cultores. Quod verò infernæ regionis, vastæque Abyssi Incolas appellat, videtur respexisse ad Antiquorum opinionem, qui Manes, & inferos in altero Hemisphærio subtus nostrum, collocabant. *Maro Georg.* 1.

Hic vertex nobis semper sublimis: at illum
Sub pedibus styx atra videt, Manesque profundi.*

669 Ex his igitur, quæ hactenus à nobis ex Authoribus optimę Fidei in Historia, & Geographia valde peritis fusè probata sunt, planè innotescit, iam apud priscos aliquam extitisse Novi Orbis notitiam, vt censent recentiores hac in re singulari eruditione conspicui; quo penitus corruit instantia, quæ contra secundam verborum Sancti Clementis interpretationem obijciebatur; sicque stabilis, firma, ac inconcussa subsistit expositio, qua illa Sancti Clementis verba: *Oceanus*, & *qui trans ipsum sunt Mundi*; Interpretati fuimus de Novo Indico Occiduo Orbe, & de illis tam vastis Regionibus, quæ temporis decursu patefactæ sunt, tantæ certè magnitudinis, tam quæ diversæ, ac immanis vastitatis, vt iure optimo alij Mundi dici possint, cum tamen revera non nisi vnus Occiduus Orbis sit, qui omnes illas complectitur, quasque immensa Oceani vastitas cingit, vt supra Patris Acosta, Gregorij Garcia, Iusti Lypsij, Basilij Poncij, Maluendæ, D. Emmanuelis Schelstrate, & aliorum Authoritate probavimus, qui omnes prędicta Sancti Clementis verba in specie de Novo Occidentalium Indiarum Orbe exponunt.

§. XIII.

APOSTOLICA SANCTI Clementis Doctrina à secunda Photij calumnia vindicatur.

670 Reprehensione dignum Sanctum Clementem iudicavit Photius quia Phœnicem avem admisit. *Et fortè (inquit Photius) illud reprehendi posse videtur, quòd Phœnicem avem vnicam, tamquam pro verissimo, adhibet argumento.* Alludit Photius ad Phœnicis historiam, quam Sanctus CLEMENS Corinthijs pro Resurrectionis symbolo proposuit, dicens: * Contemplemur signum mirabile, quòd in partibus Orientis, scilicet in Arabia fit. Avis est, quę Phenix vocatur, & sui generis sola, & solitaria existens annos quingentos vivit. Hęc cum morti vicinam se sentit, è thure, myrrha, & reliquis aromatibus, loculum sibi struit, quem completo annorum spatio ingreditur, & vitam deponit. Ex carne verò eius putrefactâ, vermis quidam nascitur, qui animalis defuncti humore nutritus plumescit, & auctis postea viribus loculum tollit, in quo ossa perentis recondita sunt, quæ humeris gestans ex Arabica Regione in Ægyptum & Vrbem, quę Heliopolis dicitur pervolat, ac spectantibus omnibus diurno tempore advolans super altare Solis illa collocat, atque ita vnde venerat regreditur.* Hæc Sanctus Clemens.

671 Quàm immeritò Photius Divum Clementem in hac Phœnicis historia redarguat, apertè dignoscitur. Primò: quia Sanctus non affirmat hanc esse veram historiam, sed eam vti ab Antiquis Authoribus omni Fide dignissimis receptam supponit. Secundò: quia si Sanctus Clemens hanc historiam, vt Resurrectionis carnis Mysterium exponeret, adhibuit; eò minus reprehensione dignus videtur Clemens, quod ad hoc ipsum Mysterium explicandum eadem historia fuerunt ducti S. Gregorius Nazianzenus, Sanctus Epiphanius, Sanctus Cyrillus, alijque plures authores, tam Græci, quàm Latini, quorum verba postea proferemus in medium.

672 Nec obstat asserere hanc Phœnicis historiam à Sancto MAXIMO *lib. ad Petrum Illustrem*, multò ante Photium fuisse reprobatam, vt adductis Sancti Maximi verbis refert ANDREAS SCOTUS, & probat PATRITIUS IUNIUS: Hęc de Phœnice fabulosis aucta esse; de ave tamen, quæ redivivo suę carnis humore reparatur, & de suo surgit rogo, se non ambigere.

673 Non, inquam, obstat, immò pro præcipua conclusione statuimus: Divum Clementem gravissimo innixum fuisse fundamento, vt Phœnicem pro Resurrectionis symbolo adhiberet; quidquid enim de prædicta ave protulit Clemens, id omne veneranda confirmat antiquitas, id maiori pręclarissimorum Scriptorum Authoritate stabilitur, idque denique continuata traditione, qua semper prædicti Authores in eadem sententia per multa annorum millia vnanimi consensu pręstiterunt, comprobatur. Quòd vt clariùs appareat, prius Phœnicis descriptionem, illiusque proprietates, quas pędicti Authores vnà cum Sancto Clemente huic avi attribuunt, adducemus.

§. XIV.

PHOENICIS DESCRIPTIO, ET proprietates ex primæ notæ Authoribus tam Græcis, quam Latinis proponuntur.

PHOENICIS ETHYMOLOGIA.

674 Sanctus ISIDORUS *lib. 12. Ethymolog. cap. 7.* *Phœnix (inquit) Arabiæ avis dicta, quod colorem phœniceum habeat; vel quòd sit toto Orbe singularis, & vnica. Nam Arabes singularem, & vnicam, Phœnicem vocant.*

675 Quidem voluerunt *Phœnix* esse dubij generis apud Grammaticos: vnde LACTANTIUS FIRMIANUS *de Phœnice* elegans hoc Ænigma proponit:

*Fœmina, vel mas hæc, vel neutrum sit magè Phœnix.
Felix quæ veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus est, sola est in morte voluptas,
Vt possit nasci hæc, appetit ante mori. *

676 *CASTITAS.* De Phœnicis castitate doctissimè locutus fuit MANTUANUS, dum *lib. 3. Parthen.* sic concinit:

*Sola inter volucres, nec mas, nec fœmina sexu
Sola caret, Veneris sola aversatur honores.*

677 Hinc Sanctus AMBROSIUS *in Psalm. 118. serm. 19.* *Phœnix (inquit) coitus

corporeos ignorat, libidinis nescit illecebras.*

678 *MAGNITVDO.* Simillimus est Aquilæ magnitudine, vt docet HERODOTVS *lib.2. seu Eutherpe* dicens: *Maxima ex parte cũ habitu, tũ magnitudine, simillimus Aquilæ.* Nec ab hac sententia dissentit PHILOSTRATVS LEMNIVS, vel MAIOR *lib.3. de Vita Apollonij, cap.14.* asserens: *Magnitudine, formaque Aquilæ in nido considere.* Idem sentit PLINIVS *lib.10. Histor. cap.2.* qui de Phœnice loquens: *Aquilæ (inquit) narratur magnitudine.* Consonat SOLINVS *Polyhistor. lib.3. cap.36.* sic scribens: *Apud eosdem (Arabes) nascitur Avis Phœnix, Aquilæ magnitudine.

679 *PVLCHRITVDO.* Sanctus EPIPHANIVS *lib. 3. cap.11. ad Physiol.* Phœnicem Pavone indicat pulchriorem: *Phœnix avis, Pavone pulchrior est.* LACTANTIVS eximiã ei tribuit magnitudinem; eam siquidem omnibus Arabię avibus maiorem existimat, dicens:

*Magnitiem, terris Arabum, quæ gignitur ales,
Vix æquare potest, seu fera sit, seu avis.*

680 TACITVS *lib.6. Annal.* Phœnicem à cęteris avibus distinguit: *Sacrum Soli id animal ore, colore, ac distinctu pinnarum à cęteris avibus, consentiunt, qui formam eius definiere.* Cui subscribit PYTHENAS *in Scholijs ad lib.6. Taciti.*

681 *COLOR.* LACTANTIVS FIRMIANVS existimat, hanc avem misto Pavonis, & Phasidis colore venustari:

*Effigies inter Pavonis mista figuram
Cernitur, & mistam Phasidis inter avem.*

Et plerique Phœnicis colorem purpureum esse tradiderunt. HERODOTVS: *Pennę, rubore perfunduntur.* PLINIVS: *Cętera purpureus.* Solinus locis supra citatis: *Postera parte purpureus, absque cauda.* Idem censet Sanctus ISIDORVS, loco supra laudato. ADRIANVS TVRNEBVS *lib. 28. Adversar. cap.6.* de colore Phœniceo loquens, hæc habet: *Phœniceum est miniatum; nomen accipit à Phœnice ave.* D. FRANCISCVS FERNANDEZ DE CORDOVA *in Didascalia, cap. 7.* existimat Phœniceum esse illum colorem, quem nos *Datilado* vocamus: *Color porrò Phœniceus rubri, seu rubidi species illa est, quam nos *Datilado* dicimus, vt ex Agellio: qui tamen color in equis apud nos, & Italos *Vayo* vocatur.* LACTANTIVS FIRMIANVS, vbi suprà Phœnicis colores sic depingit.

*Principio color est, qualis sub sydere Cœli
Mitia quem croceo punica grana legunt.*

Subscribit MANTVANVS.

Regia Sarrano totum Chlamys induat ostro.

Consonat IOANNES PETREVS, præclarus Toletanus Poëta, *lib.4. Magdal.*

*———Qualis si visa repente
Ignoto veniens Phœnix videt aurea Mundo,
Versicolore micans penna, & variantibus astris.*

Inter Recentiores verò HIERONYMVS VIDA, Cremonensis Episcopus, *lib. 6. Christiad.* sic Phœnicem describit.

*———Nitidusque iuventa
Effulget cristis, & versicoloribus alis.*

Colorem etiam purpureum illi tribuit SANNAZARIVS *lib.2. de Part. Virg.*

*Purpureis rutilat pennis nitidissima Phœnix.
Fulua caput, caudam, & roseis interlicta punctis.*

682 At præter colorem purpureum, seu Phœniceum, scribit Lactantius, inter illius pennas depingi Iridem, serenitatis symbolum.

*Clarum inter pennas insigne est desuper Iris,
Pingere ceu nubem desuper alta solet.*

Iridem autem depinxit MAXIMIANVS, quibusdam carminibus, quæ refert eruditus PATER MARTINVS DELRIVS, 2. *Par. Adag. Sac. adag.* 81. quæ sic se habent.

*Thaumantis proles varianti veste refulgens,
Multicolor picto per nubila devolat Arcu,
Cum Sol ardentes radios in nubila iecit.*

683 *CORONA.* Insuper Phœnicis caput plumeo Diademate ipsi à natura indito ornari, prędicti Authores enarrant. Sic tradit PLINIVS, loco suprà laudato dicens: *Distinguentibus cristis faciem, caputque plumeo apice cohonestante.* Suffragatur SOLINVS: *Cristatis faucibus, capite honorato, in conum plumis extantibus.* Assentitur EPIPHANIVS: *Coronam habet in capite.* Subscribit CLAVDIANVS.

* ——— ——— ——— Igneus ora
Cingit honos, rutilo cognatum vertice sydus
Attollit cristatus apex.*

Nec dissentit Lactantius:

* Æquatur toto capiti radiata corona,
Phœbei referens verticis alta decus.*

Hos sequitur MANTVANVS.

* ——— ——— ——— Stant vertice plumæ
Conserto ——— in facie cristæ duplices.*

Quibus consonat HIERONYMVS VIDA, sic canens:

Effulget cristis, & versicoloribus alis.

684 *COLLVM.* Phœnicis collum instar annuli aurei prædicti Authores depingunt, ita vt ex ipsa pennarũ pulchritudine torques aureus efformetur. Sic testatur PLINIVS vbi suprà: * Auri fulgore circa colla. * Quem in locum, ipsius Scoliastes SOLINVS: * Circa colla fulgore aureo.* Quo alludit MANTVANVS dum cecinit:

Punica colla micant auro.

Et EDVARDVS DVMONIN *Dict.* 5. *Beresith.*

* Auricomis collum squamis.*

685 *OCVLI.* Ea est oculorum Phœnicis pulchritudo, vt lucis radios emittat, si grauissimis Authoribus sit adhibenda fides. Sic LACTANTIVS.

*Ingentes oculos credas, geminosque hyacinthos,
Quorum de medio lucida flamma micat.*

CLAVDIANVS.

*Arcanum radiant oculi iubar ——— ———
——— ——— Tenebrasque serena
Luce secat.* ——— ———

EDVARDVS DVMONIN.

*Scintillis oculos nitidis radiavit, & illum
Vertici sublimi rutilo cristaverat ostro.*

686 *ALÆ.* Phœnicis alas Hyacinthino, & Smaragdino colore, aliarumque pretiosarum gemmarum pulchritudine venustari, docet S. EPIPHANIVS *in Physiolog. cap.* 11. sic scribens:* Pauo enim aureas, argenteasque habet alas: Phœnix verò Hyacinthinas, & Smaragdinas, precioforumque lapidum coloribus distinctas.* LACTANTIVS.

*Albicat insigni misto viridante smaragdo,
Et puro cornu gemmea cuspis hiat.*

CLAVDIANVS.

*Antevolant zephyros pennæ, quas cærulus ambit
Flore color, sparsoque super ditescit in auro.*

HIERONYMVS VIDA.

Effulget cristis, & versicoloribus alis.

687 Colli, oculorum, alarumque colorem, quo Phœnicem ornavit natura, pulchrè depinxit GASPAR DORNAVIVS *de Resurrectione Carnis*, sic canens.

*Purpureis rutilat pennis nitidissimus ales,
Vndique scintillant oculi flammante Pyropo.
Colla micant auro torquata; in vertice crista
Emicat, & crinale decus sic ventilat Euro.*

ARNALDVS BOERIVS *Eleg.* 58. ad Phœnicis colorem alludens, hæc modulatus est.

*Candidus ales erat: nec te tuus aureo Phœnix
Huic vmquam similem fecerit esse decor.*

688 *PENNARVM, ET CAVDÆ COLOR.* De pennarum colore, & varietate, ac de caudæ pulchritudine, quam Pavonis instar explicat, hæc habet PLINIVS, vbi suprà: * Cæruleam roseis caudam pennis.* Quem sequutus SOLINVS, hæc scribit: * Postera parte purpureus, absque cauda, in qua roseis pennis cæruleus interscribitur color. * LACTANTIVS:

*Caudaque porrigitur fulvo distincta metallo,
In cuius maculis purpura mista rubet.*

BAPTISTA MANTVANVS:

* ——— ——— ——— Sydonia vrget
Purpura, ceruleam roseo discrimine caudam.*

SANNAZARIVS.

* ——— ——— Caudam, & roseis interlita punctis
Cæruleam.*

EDVARDVS DVMONIN de Phœnice:

Variavit pegmate caudam.

DORNAVIVS:

Cauda coloratur, roseis interlita punctis.

689 *PEDES.* S. EPIPHANIVS tradit, Phœnicẽ habere in pedibus corneolos super talos, dicens: *In pedibus malleolos. * Illius

Illius aduncos vngues affirmat LACTANTIVS puniceos, Rosæ, vel Pyropi colorem præferentes:

Ast vngues roseus pinget honore color.

690 *ROSTRVM.* Inter multos, qui Phœnicem descripserunt, pauci de illius rostro meminere, cum præcipua pulchritudo in ore consistat. At quid mirum, cum nullus ex Antiquis primæ notæ Authoribus Phœnicem viderit. HERODOTVS, creditus inter omnes Antiquissimus, illum non nisi depictum aspexit. Affirmat TACITVS, huiusmodi avem in Ægypto fuisse conspectam. Videamus iam nunc, quid dicat IVSTVS LIPSIVS, elucidans Tacitum *lib. 6. Annal. cap.* 45. *Colore, ac distinctu pinnarum, haut mutem, nam os ei etiam eximium.* Hic autem eximium idem est, ac purpureum iuxta illud *Virgilij.* 4. *Georg.*

Eximij tauri.

id est, *rufi*, & *purpurei*; eo quod antiquitus animalia huiusmodi colore venustata, Deo, ceu gratiores victimæ mactarentur, iuxta illud *Numer.* 19. *vers.* 2. *Præcipe filijs Israel, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula*, vbi hæc habet BEDA: *Vitula rufa, Caro est Salvatoris, rosea, Sanguine Passionis.* Vndè apud Iustum Lipsium idem est *eximium*, ac *purpureum*; sicque Lipsius Phœnicis rostrum purpureum, rufum, sive roseum esse, arbitratur.

691 Quod confirmari potest ex HERCVLE CIOFANO, qui *in Notis ad Ovid. lib.* 15. *Metamorph.* illud Ovidij.

———— Et duro nidum sibi construit ore.

Sic corrigit, ac emendat: *Et puro nidum sibi construit ore.* *Purpureus* enim & *purus* à plerisque pro *pulchro* accipitur.

692 *CANTVS.* Cum iam de pulchritudine, qua Phœnicis rostrũ, & os splendet, egerimus; videamus nunc, quid de illius voce, quæ in ore efformatur, celebriores proloquantur Authores. LACTANTIVS vir ita doctrinę supellectili instructus, vt illius vitam D. HIERONYMVS è tenebris in lucem, & memoriam vindicaverit sempiternam, vocem adeò canoram, suavem, & dulcem Phœnici tribuit, vt Cygnum iamiam moriturum, immò & ipsam Apollinis Lyram, sua harmonia, ac suavitate devincat.

*Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,
Et mira lucem voce ciere novam,
Quam nec Iudææ voces, nec tibia possit
Musica Cyrrheis assimilare modis,
Sed neque olor moriens imitari posse putatur,
Nec Cyllenææ fila canora Lyræ.*

693 Idem Lactantius de Phœnicis modulamine loquens, rem quidem miram, ac singularem enarrat, ipsum nempè suo modulamine, alis, & rostro, ter quotidie Soli plaudere, illumque ter quotidie venerari.

*Postquam Phœbus equos in operta effudit Olympi
Atque Orbem totum protulit vsque means,
Illa ter alarum repetito verbere plaudit
Non errabilibus nocte, dieque sonis,
Atque eadem celeres etiam discriminat horas,
Igniferumque caput ter venerata, silet.*

Illam insuper Phœbi Sacerdotissam, nemorum Solis Avem, intimorumque illius arcanorum consciam, vocat idem Lactantius dicens:

*Antistes nemorum, luci veneranda Sacerdos,
Et sola arcanis conscia Phœbe tuis.*

Consonat CLAVDIANVS; illi siquidem blandam, ac suavem vocem tribuit, qua à Sole novas vires, novamque pulchritudinem, ac vt illius beneficio iuvenescat, humiliter deposcit, dicens:

*Hic sedet, & Solem blando clangore salutat,
Debilior, miscetque preces, & supplice cantu,
Præstatura novas vires, incendia poscit.*

Phœnicem etiam suavissimos sonos edere, ac dulcissima modulamina fundere, tradit SVLPITIVS VERVLANVS *in Querela de obitu Lucani opere imperfecto*, dicens:

*Nec Phœnix aliter, cum sese imponit in altum,
Quem struit ipse rogum, cantus dulcedine mira,
Nondum perfectos plaudenti morte relinquit.*

MARCVS VARRO *in versibus Senarijs* de Phœnice loquens, sic canit.

*Phœnicis adsum suscitabulum,
Cantantiumque gallus gallinaceus.*

694 *PATRIA.* Docent communiter Authores Phœnicis Patriam esse Arabiam Fœlicem, ibique hancce pulcherrimã avem degere. Est autẽ Arabia Maioris Asiæ Provincia inter Iudæam, & Ægyptum, sic

sic dicta ab Arabo, Apollinis ex Babilone filio. Porrò triplex est Arabia, secundum PLINIVM *lib.2.* vna Petraea, altera Deserta, altera Fœlix. Petrea sic dicta à *Petra* vetustissimo Oppido, est pars illa Arabiæ, quę est Ægypto, Iudææque confinis, vt docet PTOLOMÆVS. Hæc à Strabone, & Plinio alio nomine *Nabathea* dicitur. Post Petream sequitur alia Arabię pars, quæ à Ptolomęo *Arabia Deserta* vocatur, à Strabone autem *Scenitis*, quod gens vaga, & siue ædificijs in tentorijs habitet; tentoria autem ab Antiquis *Scenæ* dicuntur.

695 Arabia Fœlix Meridiem versùs, inter duos sinus Arabicum, & Persicum veluti Peninsula excurrit, fluminib[9] scatēs; quæ, vt Strabo scribit, bis quotannis, vt India, seritur ob fœcunditatem. De istius vbertate, ritibus, natura, & climate agunt STRABO *lib.2.* PLINIVS *lib.6. cap. 28.* MARIVS NIGRO *in Geographia Orbis*, IOANNES CAMERTES, Solini Scholiator *in Notis ad Solin.* vbi ea, quæ alij de Phœnicis natura scripserunt, eruditè pertractat. Idem præstat LAVRENTIVS CORVINVS CONCISVS *in Geographia, cap. 16.* At vberius hac de re scripsit GEORGIVS DRAVDIVS, Solini interpres, à quo Vlysses Aldrobandus inter Naturales Medicos singulari plausu receptus, quidquid de Phœnice, alijsque avibus egit, transcripsit. Hic igitur Georgius Draudius Arabiam describit, & inter alia hæc habet: *In ea mons Sina, qui & Oreb dicitur, in quo Moyses Legem accepit, in ea Phœnix avis nascitur, & Sardonix gemma.*

696 In hac ergo Arabia Phœnicem nasci tradunt HERODOTVS: *Eum, aiunt, ex Arabia proficiscentem.* MICHAEL GLYCAS *Par.1. Annal.* iuxta Ioannis Leunclavij translationem: *Phœnix, avis est Arabica.* SOLINVS loquens de Arabiæ incolis: *Apud eosdem nascitur avis Phœnix.* SEXTVS AVRELIVS VICTOR *in Claud.* Quam ferunt volucrem memoratos lucos advolare, ex Arabia.* Et confirmat DIOGENES LAERTIVS *in vita Pyrrhon. lib. 9.* dicens: * Phęnixque Arabicus.*

697 Huic sententiæ adstipulatur SANCTVS CLEMENS ROMANVS *lib.5. Constitut. Apostolic. cap. 6.* dum de Phęnice loquens, affirmat ipsum: *In Arabiàm, quæ est vltra Ægyptiácum saltum, advolare.* Consonat TERTVLLIANVS *lib. de Resurrect.* *Illum dico peculiarem Orientis Alitem.* Et mox: *Avibus Arabiæ de Resurrectione securis.* Nec dissentit Sanctus CYPRIANVS, siquidem *in Expositione Symboli*, Phęnicis patriam in Oriente statuit, dicens: *Cum Orientis Avem, quem Phęnicem vocant.* At Sanctus EPIPHANIVS *in Anchorato*, Phęnicis patriam clarius designavit, cum inquit: *Cæterum de Phęnice, Arabica avicula, dicere, superfluum est.* Idem tenet Sanctus AMBROSIVS *in Exaëmeron, lib.25. cap. 23.* & *lib. de Fide, & Resurrect.* *Phęnix (inquit) quoque Avis, in locis Arabiæ perhibetur degere.* Et alibi: *Avis in regione Arabiæ, cui nomen est Phęnix.*

698 Eidem sententiæ patrocinatur D. ISIDORVS *lib.12. Æthymolog. cap.7.* * Phęnix, Avis Arabiæ dicta.* Subscribit ALBERTVS MAGNVS *lib. 22. de Animal.* * Phęnicem, Avem esse Arabię in Orientis partibus scribunt hi, qui magis Theologica Mystica, quàm Naturalia perscrutantur.* ÆNEAS SYLVIVS *lib. 1. Epistol. 22.* * Apud Arabes, Avis est Phœnix.* S. PETRVS DAMIANVS S. R. E. Cardinalis arbitratur Phęnicem in India, vel Asia degere: * Sed & Phęnix volatile, scilicet, quod in Indiæ, vel Arabię partibus habitat.*

799 RAPHAEL VNLATERRANVS *ex Philostrato* tradit, Phęnicem in India; ex Plinio verò, in Arabia vivere: * Philostratus Phęnicem in India, Plinius in Arabia.* PETRVS CRESPETIVS *in Summa Catholicæ Fidei, verbo Phœnix*: *Dicunt quod Phęnix, avis in locis Arabiæ degit.* HORTENSIVS PARAVICINVS *in Epith. seu in Philippi III. Panegyrico Honorario Tumulo*, hæc de Phœnice scripsit: * Templum si lustras, novam Phęnicem Arabicam vides. Nec Patriæ Patri tantùm parentatur; Phęnici iusta solvuntur.*

700 HIERONYMVS de VILLAIZAN, Hispanus, Poëti, ac Iurisprudentia celebris, in Phœnicis Epigrammate hęc canit:

* Nascitur incultis Arabum sacer Ales in aruis,
Ipse prior pater est, & genus ipse sibi. *

701 Multi ob Regionum confinia sic Phœnicis habitationem confundunt, vt ali-

aliquod ingenerent dubium; etenim S. HIERONYMVS *Tom. 4. Epist. 19. ad Præsidium*, Phœnicem Indiæ habitatorem tradit: *Phœnix, avis est in India.* Hieronymum sequitur NICEPHORVS CALIXTVS *lib. 9. cap. 19. Hist. Ecclesiast.* de India Oriẽtali agens: *Sed enim Phœnix (inquit) decãtatissima illa volucris, apud eos est.* LVCIANVS SAMOSATENSIS clarius id asserit *Dialogo de Morte peregrina*, iuxta versionem, quam Ioannes Benedictus Samuriensis é Græco confecit; sic enim scribit: * Quòd Phœnix, avis Indica, senio confecta rogum conscendere dicatur.* Subscribit OPPIANVS: * Phœnici apud Indos (vt perhibent) longissima, & secura vita contingit.* S. EPIPHANIVS, vbi suprà, illam Indiæ vicinam adstruit: * Propè Indiam degit.*

702 At ACHILES TACITVS *lib. 3. Leucip.* Phœnicem in Æthiopia nasci, ac degere; in Ægypto verò mori, asseverat; illumque sic graphicè; ac concinnè describit: * Volucri nomen Phœnix est, atque apud Æthiopes nascitur, Pavonis magnitudine, atque colore: sed pulchritudine Pavoni secundus. Pennas auro, & purpura interpictas habet, Solisque esse avem gloriatur: id quod caput eius testatum facit, nam ingeniosissimè factam coronam sustinet, cuius orbis, imaginem Solis refert. Colore cæruleo est, rosea facie, aspectu iucundo, radijs proiectis; pennæ enim extensæ radios imitantur, ea verò conditione est, vt vivo Æthiopes, mortuo Ægyptij potiantur.

703 Consonat REGIS ÆTHIOPIÆ *Epistola ad Romanum Pontificem directa*, quã in lucem edidit SEBASTIANVS MVNSTERVS *in sua Tabula Cosmographica*; sic enim scripsit Æthiopiæ Rex: * In terra mea est Phœnix avis, cuius anni vitæ sunt trecenti. Hæc propè finem vitæ tã altè versus Cœlum evolat, vt accendatur à Sole. Tùm descẽdẽs, & nido suo se ingerens, totus comburitur: è cinere verò subnatus vermis, in aliam eiusdem generis avem exercit.*

704 Quod confirmat HIERONYMVS VIDA *lib. 6. Christiados*, sic canens:

* Ille suos adit Æthiopas, Indosque revisit.*

IOANNES LERNVSIVS, *in Ocellis, Carm. 22.* sentit, hanc avem trans Tygrim, Gangem, & Nabathæos vivere;

* Sed Tygrim, Gangêque vltra, Nabathæaq; flabra,
Beata Regna tenet.*

Imitatus fuit Lernusius SYDONIVM APOLLINAREM, qui *Carm. 2.* Phœnicem trans Nabathæos collocavit:

* Est locus Oceani, longinquis proximus Indis,
Axe sub Eoo, Nabathæum tensus in Eurum,
Hinc redivlva petit vicinus cinnama Phœnix.*

705 Alij quin locum aliquem certum designent, Phœnicem in Oriente constituunt. Huiusmodi sunt CLAVDIANVS, & LACTANTIVS locis supra citatis, GASPAR DORNAVIVS BOYLANDVS *in Resurrect.* quos sequitur LVCANVS, *6. Pharsa l.* dicens:

* Aut cinis Eôa positi Phœnicis in ara.*

706 Alij illius habitationẽ in Ægypto astruunt. ANTIPHANES, *in Athenæo*, asserit, Phœnicem in Heliopoli, noctuas verò Athenis nasci: * In Heliopoli procreari, aiunt, Phœnices, Athenis noctuas:* EVSEBIVS, *lib. 4. cap. 72. de Vita Constantini*, quem refer BARONIVS *Tomo 3. Annal. anno 337.* * Neque tamen (inquit) ita vt Ægyptia illa avis.*

707 Nec desunt Authores, qui existiment Phœnicem vivere in Assyria, Maioris Asiæ Provincia, vbi sita est Babylonia. Sic censuit MARTIALIS, Bilbilitanus, *lib. 5. Epigram. cap. 7.*

* Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Vna decem quoties sæcula vix tavis.*

Hanc Sententiam tenet etiam OVIDIVS *lib. 15. Metamorphos.*

* Vna est quæ reparet, seque ipsa reseminet ales
Assyrij Phœnica vocant.*

708 IOANNES RAVISIVS TEXTOR (qui præter Officinam, & Epitheta, Dialogos etiam, & Epigrammata scripsit) *in Avium Dialogo*, Phœnicem Arcadiæ incolam facit.

* Solus ego Phœnix annoso tempore vivo,
In summis degens montibus Arcadiæ.*

At quia hoc singulare est, quibusdam videtur ibi Typographorum incuriâ pro *Arabiæ* nomine, *Archadiæ* nomen irrepsisse.

709 LIBANIVS SOPHISTA, Græcus eloquentissimus, autumat, Phœnicem

rem nullo certo loco, aut determinata sede consistere, sed per totum Orbem volitare, quin in agris, aut oppidis aliquamdiu immoretur. Sic tradit *in Monodia, oratione Funebri*, quam in Iuliani Imperatoris obitu recitavit, prout vertit doctissimus FEDERICVS MORELLVS *Orat. 9. in Iuliani Imperatoris necem, Tom. 2.* cuius Latinus textus sic se habet: * Verum idem nobis accidit, quod de Phęnice alite cōstat vt quod omnia terrę loca pervolitet, sed stare nullibi soleat, neque in agris, neque in oppidis, nam obscura, & exilis est, ab hominibus huius volucris visio.*

710 *CIBVS*. Notatu dignissimum est quod de Phęnicis cibo aliqui Authores affirmant. Communis opinio asseverat, hancce Avem solo rore, & aëre, ceu sufficienti cibo nutriri. Præclarum huius veritatis argumentum suppeditat Sanctus EPIPHANIVS *in Physiologia*, *lib. 1. cap. 11.* vbi de Phęnice, istiusque alimento, loquens: *In Cedris, inquit, Lybani absque cibo, & potu, vento pascitur.* OVIDIVS *lib. 15. Metamorph.* eum thuris lachrymis, & amomi succo victitare affirmat.

> * ——— ——— Nec fruge, nec herbis.
> Sed thuris lachrymis, & succo vivit amomi.*

CLAVDIANVS, Solis calore, & Zephyri aura depasci existimat, quin aliquid aliud edat, aut bibat.

> *Non epulis saturare famem, non fontibus vllis,
> Assuetus prohibere sitim, sed purior illum
> Fervor alit Solis, ventosaque pabula libat
> Thethyos, innocui carpens alimenta vaporis.*

LACTANTIVS iudicat solo illo rore, quo matutino tempore irrigantur herbæ, depasci.

> *Non illi cibus est nostro concessus in Orbe,
> Nec quicquam implumem pascere cura subest.
> Ambrosios libat cœlesti nectare rores,
> Stellifero tenues qui cecidere polo.*

711 PLINIVS *lib. 13. cap. 4.* arbitratur solis dactylis sustentari; loquens enim de Palma hæc scribit: * Vna earum arbor in Cora esse traditur, vna & Syagrorum. Mirumque de ea accepimus cum Phęnice ave, quæ putatur ex huius palmę argumento nomen accepisse, iterum mori, ac renasci ex se ipsa, &c.*

712 At quod allusit noster D. ANTONIVS DE GVEVARA, vir omnibus sæculis præclarus; illius siquidem *Horologium Principum*, quadruplici idiomate, *Gallo*, nempè, *Italo*, *Germano*, & *Latino* donatum est. Hic igitur *lib. 3. cap. 60.* narrat, Marcum Aurelium Imperatorem, cum iam moribundus iaceret, Panutio sibi à secretis iussisse, vt grandiorem capsam afferret, ex qua tabulam deprompsit, ex ebeno, prætiosoque ebore factam, tres pedes latam, & duos longam, in cuius vno extero latere Iupiter, in alio Venus, intus verò Mars, & Diana insculpti erant. Intra ipsam capsam gubernandi Methodus scripta servabatur. Asserit insuper, huius capsæ tabulas fuisse, è Ligno sanguinei coloris Arabicæ arboris, in quo nidificat Phęnix, qui in Arabia Fęlici oritur; & sicut Phęnix avis est vnica, ita illam arborem esse singularem. Hæc autem, vt clarius innotescant, apponam hic latina verba, quæ ex Hispano idiomate Saxoniæ Duce instante vertit IOANNES VVANKELIVS, eaq; Scholijs illustravit (*lib. 3. cap. 60. de vita Marci Aurelij.*) Illius ergo verba hæc sunt: * Capsam grandiorem afferri iussit; qua allata tabulam inde parvam, tres pedes latam, & duos longam prompsit, ex ebeno factam, & circumcirca cornu Monocerotis munitam; eaq; duabus claudebatur valuis subtilissimis, ex ligno sanguinei coloris, Arabicæ arboris, in qua Phęnix nidulari perhibetur, vt qui vnicus est Phęnix, qui in Arabia Fęlici nascitur; ita nulla pręterea in totó Mundo eius generis arbor esse creditur.*

713 *CICADÆ CIBVS*. Ne autem mirus, ac exoticus videatur cibus iste, quo Phęnicem ali prædicti Authores enarrant; apponam hic ea, quæ gravissimi Scriptores referunt de cibo, quo nutritur Cicada, animal quidem paruum, quod in opacis ac densis sylvis nascitur, & in olivarum ramis moratur; solo enim rore pascitur, vt tradunt ARISTOTELES, qui *lib. 4. Histor. cap. 7.* loquens de Cicada: *Nutritur (inquit) rore.* Et idem repetit *lib. 5. cap. 3.* PLINIVS *lib. 11. cap. 27.* AMBROSIVS NOLANVS *lib. 1. c.* BRVYERVS *lib. 13. cap. 46. de Re Cibaria*: & ex Græcis ANACREON, vetustissimus Poëta, *Carm. 43.* Et HENRICVS STEPHANVS, his versibus:

> *O ter quaterque fœlix
> Cicadaque supremis,
> In arborum virectis
> Parum roris bibisti.*

714 HESIODVS *in Herculis Clypeo, vers. 398.* Cicadam describit; quam qui-

quidem descriptionem DANIEL HEINSIVS, sic vertit: *Quando autem viridis, nigricans alis sonora cicada, ramo insidens, æstatem hominibus canere incipit, cuius & potus, & cibus mollis ros est.*

715 Idem cecinit *Battus ad Corydonē*, apud THEOCRITVM *Eyd.* 4. prout vertit CRISPINVS: *Numquid hæc rore victitat sicut cicada?* A quo hanc Sententiam, sicut & alias, mutuatus VIRGILIVS sic *Eglog.* 5. modulatus est:

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.

716 Longè rarius, ac mirabilius est quod scribit ANTIPATER, Græcus Epigrammatographus, cicadam scilicet non modò rore vivere, ac nutriri; sed etiam si multum biberit, inebriari: cui assentitur ANGELVS POLITIANVS dicens:

Et epoto canit ebria rore cicada.

Ex hoc cicadæ cibo ortū duxit illud Græcum axioma: *Aëre, & rore saginatus.* Quod affert ADRIANVS IVNIVS *Centur.* 1. *num.* 70. vbi Plutarchi, & Philonis authoritati innixus, id ipsum in aliam rem protulit. S. GREGORIVS Nazianzenus, *epist.* 41. * Sciemus an re vera ex solo rore vivant cicadæ.*

717 Et quamvis ATHENÆVS *lib.* 2. *Dipn. cap.* 2. probare nitatur, cicadas aqua victitare, vsus hac opinione contra illos, qui aquam nutrimento inutilem, & inhabilem arbitrabantur. *Quod autem aqua nutriat, perspicuum est, cum animalia quædam ea sola nutriantur, vt cicadæ.* Nihilominus Medici tuentur, nullatenus posse aquam alimento deservire, vt docet GALENVS *Libel. de Aqua.* *Non autem nutrit aqua, sed solum est vehiculum alimenti, vt placuit Hippocrati, & Crysippo, & Erasistrato.* Ita etiā censet CARDANVS contra Aristotelis Sententiam, *lib.* 1. *de Ar. Invent. cap.* 6. dicens: *Estque id alimenti genus.* Attamen controversiam istam Medicis, & Philosophis relinquimus; nobis enim sufficit scire, cicadam rore depasci, vt hinc à simili deduci possit, Phœnicem rore etiam nutriri, vt recenter probat Petrus Seyn *in Homeri Nepent. Part.* 1. *de Frugalit.*

718 *RINTHACIS CIBVS.* Pro maiori munimine Sententiæ, quam de Phœnicis cibo statuimus, memoratu dignissima est alia Persica avicula, Rinthaces dicta, quæ, vt tradūt HESYCHIVS, BARINVS, & BELLONIVS, quos refert ALDROBANDVS *lib.* 12. *Ornithol. cap.* 27. rore nutritur, quin aliud alimentum possit percipere. De hac scribit ALBERICVS GENTILIS *in lect. Virgil. cap.* 10. non ferendum errorem, hanc nempè avem eamdem esse cum Manucodiata: *Avicula Paradisi, dicitur Indica Lingua, Manucodiata.* Quòd estò etiam defendat BELLONIVS, *lib.* 6. *de Avibus, cap.* 35. falsissimum est vt rectè probat Vlysses Aldrobandus, loco supra citato, sic scribens: *Bellonius Plutarchi Rinthacem, Phœnicem, & Cinnamomum, cum Manucodiata easdem aves arbitratus, pro quatuor diversis, vnam nobis obtrudere conatus est.* Et ratio est, quia Rinthaces est avis parva, & in Perside nascitur: Manucodiata verò, æqualis est Aquilæ, vt docet CÆSAR SCALIGER, *exercit.* 228. & non nascitur in Perside, sed in Insulis Molucis, vel in Iava Maiori, cuius incolæ illā, vti Numē, religiosè colūt, eoque capiuntur errore, vt firmiter credant, ac sibi efficaciter suadeant, se illius pennis indutos, nullatenus posse in armis corruere, imò nec vulnerari: Arabesque, qui prædictas aves vendunt, ita se illarum pennis ornant, vt (referente Bellonio *lib.* 3. *Observat.*) Angelorum speciem præseferant.

719 *CHAMÆLEONTIS CIBVS.* Insuper posse Phœnicem rore, & aëre nutriri, patet similitudine deducta à Chamæleonte, qui, vt fert communis Authorum consensus, solo aëre pascitur. Sic docet PLINIVS *lib.* 8. *cap.* 33. *Ipse (inquit) celsus, hiante semper ore, solus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quam aëris alimento.* Idem tenet TERTVLLIANVS *lib. de Pallio, cap.* 3. loquens enim de Chamęleonte, hæc habet: *De vento cibus.*

720 De Chamæleonte, & de substanea, ac mira illius colorum mutatione fusè egerunt ARISTOTELES *lib.* 2. *Histor. cap.* 11. ÆLIANVS, *lib.* 2. *cap.* 14. *Hist.* PLINIVS *lib.* 8. *cap.* 3. SOCRATES, *lib.* 1. *cap.* 3. POLYBIVS, *ca.* 43. TERTVLLIANVS, *lib. de Pallio, cap.* 3. S. GREGORIVS Nazianzenus, *Orat.* 2. PLVTARCHVS, *lib. de dignoscendo amico ab adulatore*, SCALIGER, *exercit.* 186. RHODIGINVS, *lib.* 42. *cap.* 21. CAMARA BVSTAMANTE Hispanus, vt probet Chamæleontem posse vento nu-

nutriri, affert pro exemplari Phœnicem, *lib. 5. de Animal. ac. scrip. cap. 14. 15. & 16.* dicens: *Oriuntur alites in Arabia, inter aromata, sola fumida exhalatione aromatum contentæ.*

721 *EPHEMERINARVM CIBVS.* De illis aviculis, quæ apud Hypanim fluvium nascuntur, quas Aristoteles, *lib. 5. Hist. cap. 19. Ephemerinas*, nos verò *Palomillas* vocamus, refert Camara, loco supra citato, solo aëre iuxta flumina pasci, seque vidisse testatur, eas per integrum diem, super fluvium Compluti, vixisse, quin terram, vel aquam vmquam attingerēt, sed sola fluvij exhalatione victitarent. Vndè asserit Chamæleontem ideo aëre nutriri quia frigidus est in quarto gradu, & humidus in tertio. Et hæc etiam est ratio ob quam, ceu animalium Prothæus, omnes mutat, præfertque colores, præter album, & purpureum, sive puniceum, quos referre non potest, nisi sit Chamæleon Orientalis, *Regius* dictus, qui duos illos alijs Chamæleontibus negatos colores etiam exprimit, ac imitatur. Ex quibus colligitur, quod si Chamæleon vento pascitur, idem quoque poterit Phœnici evenire.

722 Tandem amomi, & thuris odore posse Phœnicem victitare, vt cum Ovidio, & alijs diximus, ipsa experientia testatur: non enim sola animalia, rationis vsu carentia, sed multi etiam homines solo odore aluntur, vt Astomi, Orientalis Indiæ populi, qui iuxta Gangem viventes, ore carent, vellereque, & arborum folijs cooperti, solo anhelitu florum, ac radicum odore aluntur. Sic docet STRABO, *lib. 15. Geograph.* *Quosdam carentes ore, mites homines, qui circa Gangis ortum habitant, & vaporibus assarum carnium, & fructuum, ac florum odoribus nutriuntur.* Id prius docuerat ARISTOTELES, *lib. 1.* idemque tenet PLINIVS, *lib. 7. cap. 6.* & confirmat AVLVS GELLIVS, *lib. 9. cap. 4. Noct. Atticar.* & stabiliri potest Sancti AVGVSTINI doctrina, *lib. 2. de lib. Arbit.* asserentis, posse nos odoratu nutriri. *Naribus alimentum nos capere, Medici docent.* Et certè si aër, vt probavimus, alit, potiori iure dicendum videtur, odorem etiam nutrire.

723 *DE CIBIS QVORVNDAM ANIMALIVM.* RHODIGINVS, *lib. 24. cap. 21.* refert, Olympiodorum vidisse hominem, qui Sole, & aëre alebatur. Mures, terra, pisces, aqua nutriuntur. PLINIVS, *lib. 8. cap. 38. & lib. 11. cap. 16.* affirmat, apibus somnū cibo esse: *Somno, sine vllo cibo aluntur.* Et viperæ per integrum annum in fame persistunt. Quamvis multi Iurisc͞osulti *in leg. vlt. Cod. de Alimentis Pup. præst.* impossibile iudicent, posse aliquem sine cibo vivere, & ACCVRSIVS, *in prædicti textus Expositione*, apocryphum reputat, quod de lupo scribitur, illum scilicet aëre pasci. At posse aërem alere, supra probavimus, sicque multò melius nutrire poterit odor, quem secum affert odorus aër.

724 De Democrito refert ATHENÆVS *lib. 2. Deipnos.* diù odore mellis vixisse. Huc pertinet celebris illa quæstio inter tabernarium, & pauperem peregrinum, à quo tabernarius pecuniam extorquere volebat, quòd panem ad odorem assati pulli comedisset, cuius decisionem egregiè commendat PANORMITANVS *cap. 3. de Consuet.* Fuit autem huiusmodi: vt pauper vnius denarij Turonensis sono, tabernario solveret. Additque Panormitanus: *Quam quæstionem non potuisset Cato melius decidere.* Alij volunt id Parisijs contigisse; alij verò in Ægypto evenisse, sententiamque illam fuisse ab Ægypti Imperatore prolatam. De illa agit SABINVS *Mem. 110.* ALBERICVS GENTILIS *lect. Virgil. cap. 10.* inquirit: An rectè lata fuerit, nec ne? asseritque illam melius dirimi potuisse; cum enim ager, in quo peregrinus ille pauper comedit, iam esset extra tabernarij potestatem, sicque nullius esset, quilibet poterat illius odore, sicut & aëre, ac aqua perfrui, illisque sine alicuius iniuria vti.

725 Verum his omissis, communis est Pythagoricorum opinio, odorem vtilem esse nutrimento, vt docet Hippocrates; aërem etiam, & aquam eidem nutrimento percommoda, dummodo supponatur illa esse mixta: simplicia enim nō actuant. Ideoque aqua, aër, ros, & ador actuant, quia sunt mixta. Vnde cum iuxta Aristotelem animalia eo ipso, quo constant, nutriantur; hinc cum odorem mixtum esse teneamus, poterit vtique nutrire. Quod confirmatur in vino, quo homines nutriri, docuit DIOSCORIDES *lib. 5.* & notavit OVIDIVS *lib. de Ponto*:

*Etiam deficiens hc ad tua verba revixi,
Vt solet infuso vena redire mero.*

Illud medicinam esse PLATO affirmat,

mat, cui subscribit MARSILIVS FICINVS *in Argum. ad 2. & 3. lib. Platonis.* De vini virtutibus agunt LELIVS BISCIOLA *tom. 2. lib. 14. cap. 2. Horar. subcesiuu: de virtut. vini*; & fusè ANDREAS CANONHER. quamvis MERCVRIALIS *cap. vlt. in illa quæst. An aqua, & vinum alant?* sentiat, nec aquam, nec vinum nutrire; quæ fuit opinio Hippocratis, ideo id tuentis, quia quod in corpore nutrit, sunt partes solidæ, quæ vivunt; spiritus autem, & humores non vivunt; vnde nec aqua, nec vinum, nutrire possunt illas partes, quas solidare non valent. Poterit quidem vinum, sicut & odor, spiritus excitare, eosque fovere, neutiquam tamen nutrire, cum vinum iuxta Plinium *lib. 14. cap. 5.* nihil aliud sit, quàm aqua in vite decocta, vel terræ sanguis.

726 Nihilominus tamen alimenti nomine, vt præscribunt leges, intelligitur quidquid ad vitam humanam, necessaria quadam ratione exigitur. Vndè VLPIANVS *l. 1. ff. de aliment. & cib. leg.* *Si alimenta (inquit) fuerint legata, dici potest, etiam aquam legato inesse.* Hanc opinionem sequuntur etiam SIMON DE PRÆTIS, *l. 4. vlt. volunt. Interpret. 1. dub. 11.* GRASSVS *quæst. 22.* cæterique Iurisconsulti, *l. legat. 6. ff. eodem*, qui non de vocibus, sed de substantia loquuntur, vt notat ALBERICVS GENTILIS *leg. 1. leg. 23. dicto Titulo, leg. 43. leg. 44. de verb. signif. & lect. Virgil. c. 10.* vbi varias adducit leges etiam de aqua loquentes, & ALEXANDER *lib. 6. Consil. 177.*

427 *VINVM ALIT.* Quo pacto non desunt, qui dicant vinum alere, ac nutrire; PLINIVS enim *lib. 23. cap. 1.* sic scribit: *Vino aluntur vires, sanguis, colosque hominum. (subditque:) Lactis potus, ossa, alit; frugũ, nervos; aquæ, carnes.* Si ergo vino alitur sanguis, illo vtique, & partes solidæ aluntur, cum istę sanguine nutriantur. Idem de odore dicendum: ille namque vapor, in quem alimentum coctum convertitur, odor nuncupatur, vt docet AVICENNA *lib. 3. Phœn. tractat. 21. cap. 1.* dicens: *Corpus quidẽ dulcedine, spiritum verò quadam aromaticitate nutriri.* GALENVS etiam, ALEXANDER, & NICOLAVS Peripatetici, autumant aërem mixtũ, & odorem alere; illisq; sese vniformiter per viscera ad vitales arterias diffundẽtibus, spiritum vitalem, & animalem nutriri. Ex his, quæ, gravissimorum Authorum testimonijs suffulti, hucusque diximus, manifestè comprobatur, posse Phœnicem odore, aëre, thure, aqua, & rore victitare. Hæc de Phœnicis cibo. Nunc illius volatum, celeritatemque investigemus.

728 *PHŒNICIS VOLATVS, ET CELERITAS.* Quamvis Phœnix pro magnitudine, qua ipsum Authores depingunt, tardioris deberet esse volatus; nihilominus mira sunt, quæ Scriptores de illius velocitate commemorant; vt enim vidimus ex LIBANIO, per totũ Orbem volitat, quin in aliqua parte quiescat; & estò id verum non esset, via tamen, quam ab Arabiæ lucis, ad Solis vsque Templum, & Civitatem peragit, miram ipsius indicat pernicitatem. Sic HERODOTVS: *Phœnicem ex Arabia, in Templum Solis proficiscentem proponit.* Politicorum Princeps TACITVS: *In Civitatem, cui Heliopolis nomẽ, advolavisse;* describit. PLINIVS, accuratissimus rerum naturalium indagator, ait: *Cornelius Valerianus Phœnicẽ devolavisse in Ægyptum, tradit, Q. Plauto, & Sexto Papinio Consulibus.* SOLINVS, præclarus Plinij æmulator: *Q. Plauto, & Sexto Papinio Consulibus Ægyptum Phœnix involavit.* PHILOSTRATVS, haud inerudite: *In Ægyptum veniens, hanc ipsam Indiam supervolat.* Idem tenet SEXTVS AVRELIVS VICTOR, dicit enim: *Ex Arabia memoratos locos advolare.* Alij legunt, *memoratos lucos*; codices enim Pythei, & Cuiacij habent: *ex Arabis*: Floriacensis: ex Arabum memoratis lucis. ARTEMIDORVS DALDIANVS *lib. 4. cap. 49. Onirocrit.* de Phœnice loquens: *Sed cum ipsum (inquit) factum ducit, proficiscitur in Ægyptum.* Idem eisdem fermè verbis testatur SVIDAS: *Cum fatum, asserit, ei instet, venire in Ægyptum.* S. CLEMENS, Romanus, suprà laudatus, dicit: *Eam post quingentesimum annum in Ægyptum advolantem.* Nec dissentit S. EPIPHANIVS *in Anachorato*: *Eamque in Vrbem Ægyptiorum, Heliopolim appellatam, defert.* S. CYRILLVS *Catechesi. 18. de Resurrect.* *In terram Ægypti venire solet.* Idem docuit AVGVSTINVS *tom. 10. Serm. 18.* *Cum senescit, ad partes calidissimas volat.*

729 Subscribunt aliqui Poëte, præci-

cipuè OVIDIVS *lib.15. Metamorph.* dicens:

*Fertque pius cunasque suas, patriamq; sepulchrum,
Perque leves auras, Hyperionis vrbe potitur

Lactantius Phœnicis celeritatem expressiùs descripsit.

*Non tamen est tarda, vt volucres, quæ corpore magno
Incessus pigros per grave pondus habent.
Sed levis, & velox regali plena decore,
Talis in aspectu se exhibet vsque hominum.
Alituum stipata choro volat illa per altum,
Turbaque prosequitur munere læta pio.*

CLAVDIANVS *Panegyr.2. Stilicon.*

*Vnicus extremo Phœnix procedit ab Euro:
Innumeræ comitantur aves, stipatque volantem
Alituum suspensa cohors.*

SIDONIVS APOLLINARIS *cap.7.*

*—————————Sic cinnama busto,
Collis Erythræi portans Phœbeius ales,
Concitat omne avium vulgus, famulantia currunt
Agmina, & angustus pennas non explicat aër.*

Has comparationes memorat CÆSAR SCALIGER *in sua Poësi. lib.5. & 6.* Sed audiamus CORIPPVM Africanum, *lib.1. de Laudibus Iustini*, vbi Phœnicis volatum sic pingit:

*Ales vt expositos cum Phœnix renovat artus,
A busto recidiva suo, concentus in vnum
Stans avium, aspectat Solem, Solisque volucrem
Dum venit, regemque novum clamore salutant.*

In secundo carmine legendum est prove legimus, *recidiva*; sic enim docet, ac legit MICHAEL RVIZ DE AZAGRA, Hispanus doctissimus, *in Notis ad Corip. lib.1.* & IOANNES SAVARVS interpretatur ex Sidonio *Carm.7. Recidiva*, non *Rediviva*, vt quidam severiores Catones arbitrantur, barbaram existimantes vocem illã *Recidiva*, eò quòd ipsis videatur apud nullum alicuius authoritatis Scriptorem inveniri. Sed falluntur: illa enim vtitur TERTVLLIANVS *lib. de Anima, cap.28.* & TVRNEBVS *lib.29. Adversar. cap.24.* HIPPOCRATES, cum reliquis Physicis, relapsus in morbum, ægritudines recidivas appellat. PLINIVS *lib.30. cap.11. Recidivæ febres*: & hinc haurit hæc vox suam Etymologiam, quæ nostrum COVARRVVIAS *in Thesauro nostri idiomatis* prætervolavit. Eadem voce vtitur VIRGILIVS *lib.4.7. & 9. Æneid.* * Recidiva manu, recidivaque Pergama. (Et alibi:) Recidivaque Pergama quærunt.*

730 Quem imitatus est SENECA, dicens:

* Recidiva ponas Pergama.*

Ex dictis infertur elegantèr locutum fuisse CORIPPVM, dũ prædicto carmine Phœnicem *Recidivam* vocavit, eò, quòd post obitum reviviscat.

731 Id omne elegantèr complexus est FLAVIVS SOSIPATER CHARISIVS *lib.1. Grammat.* vbi inter *recidivum*, & *redivivum*, hoc discrimen apponit: * *Rediviva* dicimus, quæ post interitum redeunt: *Recidiva*, quæ ex suo casu restituuntur.* Itaque *redivivum* est, quod post mortem redijt; *recidivum* verò, quod ex ipso suo casu, & interitu assurgit. Hoc dixit Corippus de Phęnice, istum scilicet ex ipsa morte renasci, sicque ipsi aptissimè congruit iudicium, & distinctio Charisij.

732 Sed his omissis, ad Phœnicis velocitatem redeamus. De illa sic cecinit SANNAZARIVS, loco supra laudato:

* Quàm variæ circum, volucres comitantur euntem,
Illa volans, Solem nativo provocat auro.*

Consonat HIERONYMVS VIDA, *lib.6. Christiad.* sic de Phœnice canens:

* Innumeræ circum, volucres comitantur euntem,
Ille suos adit Æthiopas, Indosque revisit.*

P. ANDREAS SCOTVS *in Carminibus quæ affert in Spicileg. ad Pompon. Melam.*

* Remigio alarum Phœnix vaga nubila tranat,
Gestit ovans cursu terras lustrare iacentes.*

735 Plerique Latini Authores notitias à purissimis TACITI chrystallis potarunt, qui de Phœnice ait: * In Civitatem, cui nomen Heliopolis, advolavisse, multò cæterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium.* Hinc deducitur, quod cum Phœnicis cibus sit odor, ros, vel aër, inde fieri, quod quamvis sit tãtæ magnitudinis, vt præfati Authores loquuntur, non obstet hoc, quòminus per aëra, mira pennarum velocitate, evehatur, vti CLAVDIANVS, vbi suprà, cecinit:

* Nec quisquam tantis è millibus obvius audet
Ire duci, sed Regis iter flagrantis adorant.*

734 *NIDVS*. Cæteræ aves nidificant, vt ova foveant, pullosque vivificent; at de Phœnice oppositum legitur: ipse siquidem nidum sibi construit moriturus, & ex ipsa mor-

morte renaturus. Præclarum certè documentum, quo, vt expendit S. AMBROSIVS *lib.5. Exaëmer. cap.23.* ab irrationali isto admonemur curę, & sollicitudinis, qua mortem semper sumus meditaturi, cogitationesque nostras omnes in sepulchrum adhibituri: *Quis igitur huic annunciat diem mortis, vt faciat sibi thecam? Fac &, ò tu homo, tibi thecam.* Imitemur Phoenicem, qui vbi se viderit senuisse, & vicinam mortem præsenserit, collectis aromatum virgulis, rogum sibi construit, & sepulcrum, vt docet TACITVS, dicens, *vbi suprà*: *Confecto quippè annorum numero, vbi mors propinquet, suis in terris exstruere nidum.* Cui adstipulatur OVIDIVS, dicens:

*Hæc, vbi quinque suæ complevit sæcula vitæ,
Ilicis in ramis tremulæque cacumine palmæ,
Vnguibus, & puro nidum sibi construit ore.*

Et confirmat LACTANTIVS, cum inquit:

*Construit inde sibi seu nidum, sive sepulchrum,
Nam perit vt vivat: se tamen ipsa creat.

735 Communis fert Authorum opinio, Phoenicem iamiam moriturum ex diversis aromaticis lignis, vti cassiæ, thuris, mirrhæ, cinnamomi, & balsami construere nidum, replere odoribus, & super emori. POMPONIVS MELA tradit, Phoenicem ex diversis aromatibus rogum sibi construere, quin explicet, aut distinguat, quęnam sint illa aromata, quibus odoriferum illud erigatur sepulchrum: *Super exaggeratam varijs odoribus struem sibi ipsa incubat.* PLINVS thus, & cassiam exprimit: *Senescentem, cassię, thurisque surculis construere nidum.* SOLINVS docet Phoenicis nidum cinnamomo repleri, non longè à Panchaia Arabiæ Provincia *Hiatibul*, & spelęis plena, arenosa, & aromatibus ditescente, dicens: *Rogos suos struit cinnamis, quos propè Panchaiam consignat.*

736 PHILOSTRATVS non exprimit aromatum species, sed solum asserit, nidum ex diversis aromatibus construi, propè Nili fontes: *In nido considere, quem, propè Nili fontes, ex aromatibus ipsamet sibi construxit.* ARTEMIDORVS patrocinatur sententię illorum, qui existimant Phoenicem in Ægypto nidum, ex cassia, myrrhaque componere: *Sed cum ipsum fatum ducit, proficiscitur in Ægyptum, & ipse sibi ex cassia, & mirrha construens rogum, vita decedit.* Idem tenet SVIDAS, affirmans: *Cum ei fatum instet, venire in Ægyptum, & cum ipsa sibi ex cassia, & myrrha rogum confecerit, mori.*

737 S. CLEMENS Romanus, *lib.5. Constit. Apostol. cap.6.* docet, Phęnicem, iamiam moriturum, in Ægyptum proficisci, secumque cinnamomum, cassiam, & xylobalsamum, quibus nidum construat, deferre: *In Ægyptum advolantem, secumque copiam cinnamomi, cassię, xylobalsami adducententem in loco, qui dicitur Solis Ara, &c.* EVSEBIVS Cęsariensis estò non explicet, quęnam sint illa aromata, quę Phęnix iam moribundus secum dicitur adducere, affirmat tamen, illum, super aromatum struem, extremum diem obire: *In aromatum acervo emori.*

738 S. CYRILLVS, Patriarcha Ierosolymitanus *Cathec.* 18. *de Resurrect.* suffragatur sententię asserentium, Phoenicis nidum ex thure, mirrha, cęterisque aromatibus erigi in Ægypto: *Septum enim sibi facit è thure, & myrra, cæterisque aromatibus.* S. EPIPHANIVS *in Ancorato*, estò aromatum species non exprimat, tenet tamen, Phoenicem sibi in Ægypto sepulchrum condere: *Rogum ex aromatibus sibi construit, eaque in vrbem Ægyptiorum, *Heliopolim* appellatā defert.* S. HIERONYMVS *tom.* 4. *epist.19. ad Præsidium Diaconum*, tradit, Phoenicem sese aromatibus implere in Libano, qui inter Arabiam, & Phoeniciam protenditur, cuique ex adverso obtenditur Antilibanus, valle tamen interiecta. Inter duos hosce montes (vt tradit STRABO *lib.* 16. *Geograp.* Orontes fluvius oritur, ipsique Syriam concavam, Cœlesyriam dictam, circumcingunt, Libanusque incipiens Teuthraniæ, sive Tripoli propè mare, Antilibanus verò in Sydonico mari, in Arabię montes desinunt, qui vltra Damascum, Traconitasque protendūtur. Hic igitur, ait Hieronymus, Phoenicem sese aromatibus implere, vt in Ægyptum transvolet moriturus: *De Libano implet se aromatibus, & sic nidificat Sacerdoti Heliopolitano, mense *Phamenoth*, aut *Pharmuth*.* Mensis autem, qui apud Ægyptios *Phamenoth*, aut *Pharmuth*, dicitur, nostro *Iunio*, aut *Iulio* correspondet. Prosequitur S. Hieronymus dicens, Phoenicem inter aromata, quæ vt nidum construat, adducit,

cit, afferre etiam electrum: * Solis verò calore accenditur electrum, & tunc exuruntur aromata, & ipsa Phœnix incenditur.*

739 Electri etymologiam, & species, explicat S. ISIDORVS, *lib. 16. cap. 3.* sic scribens: * Electrum vocatum, quod ad radium Solis clariùs auro, argentoque reluceat. Sol à Poëtis, electrum vocatur. Huius electri tria sunt genera: alterũ, quod ex Pini arboribus fluit, quod succinum ditur: alterũ metallum, quod naturalitèr invenitur. & in pretio habetur: tertium, quod fit de tribus partibus auri, & argenti vna.* Consonat PLINIVS, *lib. 33. cap. 4.* asserens electrum esse metallum, & quamdam auri, argentique mixturam: * Aurum, in quo quinta argenti portio est, electrum vocatur.*

740 S. AMBROSIVS, *lib. 5. Examer. cap. 13.* tenet, Phœnicis nidum ex thure, myrrha, alijsque odoribus concinnari: * Facit sibi thecam de thure, & myrrha, & cæteris odoribus.* S. AVGVSTINVS, *Serm. 18. ad Frat. in Erem.* censet, Phœnicem moriturum ad calidissimas regiones advolare, lignaque aridissima suo nido coagmentare. Et quàvis aliqui Sermonẽ istum apocryphum existiment, eum tamen magnę esse authoritatis, convincit Aquisgranense Concilium, sub Ludovico Pio Imperatore *anno Domini* 830. celebratum, dum prædictum Sermonem *cap. 102. & 103.* adducit. Augustini autem verba sic se habent.* Quid enim agit Phœnix, nisi quia dum senescit, ad partes calidissimas evolat, ligna siccissima congregat, & lignis congregatis, alis ligna percutit? * S. ISIDORVS adstipulatur sententiæ asserenti, Phęnicis nidum ex aromatibus condi, estò quænam illa sint, non declaret.* Collectis aromatum virgultis, rogum sibi instruit.* Eamdem sententiam sequitur FRANCISCVS GEORGIVS VENETVS, *lib. de Harmon. Mundi.* * Phœnix quoque, Arabiæ insignis avis, vivit vltra annos quingentos; & cum ad senectam devenerit, collectis in rogum aromatum virgultis, alarum plausu, voluntarium sibi comparat incendium.*

741 OVIDIVS Phęnicis nidum ex casia, nardo, cinnamomo, & myrrha construi, his carminibus ostendit:

* Quo simul, ac casiæ, & nardi plenas aristas
Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha,
Se super imponit, finitque in odoribus ævum.*

LACTANTIVS narrat Phœnicem sibi iam morituro, Palmæ verticem deligere, & quidquid odoris Assyrius, Arabs, & Pygmæus legit, cinnamomum nempè, amomum, balsamum, casiam, achantum, thuris lacrymas, nardi aristas, & myrrham suo nido colligere, & super istis emori:

* Tum legit aëreo sublimem vertice palmam,
Quæ gratum Phœnix, ex ave nomen habet.
Colligit hinc succos, & odores divite sylva,
Quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs,
Quos aut Pygmeæ gentes, aut India carpit,
Aut molli generat terra Sabæa sinu.
Cinnama dehinc, auramque procul spirantis amomi
Congerit. & mistò balsama cum folio,
Non casiæ mitis, nec olentis vimen achanti,
Nec thuris lacrymæ, guttaque pinguis abest.
His addit teneras nardi pubentis aristas,
Et sociat myrrhæ pascua grata nimis.*

CLAVDIANVS Phęnicis nidum ex arentibus, & pretiosis frondibus genericè sumptis, constructum proponit, dicens:

* Arentes tepidis de collibus eligit herbas,
Et cumulum texens pretiosa fronde Sabæum
Componit, bustumque sibi, partumque futurum.*

S. ALCIMVS AVITVS, Viennensis Antistes, *lib. 1. cap. 9.* solum cinnamomum enumerat:

* Hic quæ donari mentitur fama Sabæis,
Cinnama nascuntur, vivax quæ colligit ales.*

Episcopus HIERONYMVS VIDA solum fœlices ramos pro Phęnicis nido recenset:*

* —— Crescit sibi ramis fœlicibus altum
Summo in colle rogũ, poscitque in morte senectam.*

IOANNES LERNVTIVS, *in Occell. Carm. 32.* superaddit myrrham, casiam, & flores.

* Aggereum educit tumulum sibi colle sub alto,
Conspicuum myrrha, conspicuum casia.
Et tumulo adijciens flores, & germina florum,
Mercibus intactam pauperat Arabiam.*

GASPAR DORNAVIVS refert Phœnicem, vt nidificet, cinnama, thus, stacte lacrymas, & vimen achanti congerere:

* —— Ergo sedens super ardua brachia palmæ,
Congerit è campis Arabum, lucisque Sabæis,
Cinnama, thus stacte lacrymas, & vimen Achanti.
Instruit his nidum.*

P. ANDREAS SCOTTVS, *in Specilegio Pomponij*, Phœnicis nidum ex amomo, casia, nardo, & thure construit:

* Exstruit hæc nidum benèolentis termite amomi
Agglomerat casiam, nardos, & thura Sabæa.*

IOAN-

IOANNES RAVISIUS TEXTOR, *in Dialogo Phœnicis*, sola ligna pro rogi constructione congesta generatim enumerat:

*E sylvis magnos lignorum congero acervos,
Incenso tradens ossa cremanda rogo.*

Tandem PLINIUS *lib.* 12. *cap.* 19. ex cinnamomo, & casia Phœnicis nidum extructum proponit: *Cinnamomum, & casias fabulosa narravit antiquitas, princeps vè Herodotus, avium nidis, & privatim Phœnicis, in quo situ Liber Pater esset educatus, easque ex invijs rupibus decuti carnis, quam ipse inferret, pondere, aut plumbatis sagittis.*

742 *PHOENICIS ÆTAS.* Varia sunt Authorum iudicia circa Phœnicis ætatem. Noster Hispanus SENECA, quingentos vitæ annos Phœnici assignat: *Tamquam Phęnix, semel anno quingentesimo nascitur.* TACITUS *lib.* 6. *Annal.* non affirmat, neque decidit, quot annos Phœnix communi aura fruatur, sed solum refert sententiam, & illorum, qui Phœnicis vitam ad quingentos, & illorum qui ad mille, & amplius, annos protrahunt. *De numero annorum varia tradunt. Maximè vulgatum quingentorum spatium: sunt qui asseverent, mille quadringentos sexaginta vnum interijci.*

743 PLINIUS *lib.* 10. *cap.* 2. scribit, cum Phœnicis vita Anni Magni fieri conversionem: huius autem anni durationem explicans IOSEPHUS, *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 3. sentit eam sexcentos annos complecti; loquens enim de diuturna primorum hominum vita, hæc habet: *Tùm propter studium virtutis, tùm propter vtilitatem inventarum artium, vt Astronomiæ, ac Geometriæ, Deus illis prolixiorem vitam largitus est, quarum certitudinem assequi non poterant, si minus sexcentis annis vixissent: ex tot enim, Magnus Annus constat.*

744 At PLINIUS, loco citato, sexaginta annos addit, siquidem hęc de Phœnice scribit: *De eo prodit Manilius Senator ille, sacrum in Arabia Soli esse: vivere annos sexcentos sexaginta. (Et infra:) Cum huius alitis vita, Magni conversionē Anni fieri prodit idē Manilius, iterumque significationes tempestatum, & Syderum eodem reverti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die signum Arietis Sol intraverit.*

745 SOLINUS *in Polyhist. cap.* 36. Phœnicis vitę, vltra quingentos annos tribuit: *Probatum est (inquit) quadraginta, & quingentis eum durare annis. Cum huius vita Magni Anni fieri conversionem, rata fides est inter Authores, quamvis plurimi eorum Magnum Annum non quingentis, & quadraginta, sed duodecim millibus, nōgentis, quinquaginta quatuor annis constare dicant.* HERODOTUS *lib.* 2. amplectitur sententiam illorum, qui Phœnicis vitam ad quingentos protrahunt annos: *Est & alia volucris Sacra, nomine Phœnix, quam equidem numquam vidi, nisi in pictura; etenim perrara ad eos commeat, quingentesimo quoque (vt aiunt Heliopolitani) anno, & tunc demum cum pater eius decessit.*

746 Subscribit POMPONIUS MELA, *lib.* 3. *cap.* 9. *Phęnix, vbi quingentorum annorum ævo perpetuo duravit, super exaggeratam varijs odoribus struem sibi ipsa incubat, solviturque.* Suffragatur ÆLIANUS, *lib.* 6. *Hist. cap.* 58. *Phęnices alites absque vlla calculandi arte, numerum quingentorum annorum, veluti sapientissimæ naturæ discipuli, computare norunt: neque vel digitis, vel alia re ad hanc cognitionem opus habent. Cuius autem rei gratia hunc numerum eos tenere oportet, vulgatum est. Atqui ex Ægyptijs, qui spatium quingentorum annorum confertum intelligat, aut nullus est, aut fortè vnus, vel quàm paucissimi, ijque ex Sacerdotibus, nam inter hos quoque non facile convenit. Dumquè inter se contendunt, & alius Sacram hanc avem non nunc, sed in posterum adventuram, ait, alius iam advenisse, vnus aliquis, qui solus rectè intelligit, tamquam divino spiritu ductus, ipsum temporis momentum, quo iamiam adest, demonstrat.*

747 Eamdem sententiam tenet SEXTUS AURELIUS VICTOR, *in Claudio*: *Huius temporibus visus est apud Ægyptios Phęnix, quam ferunt volucrem anno quingentesimo ex Arabia memoratos locos advolare.* Adstipulatur PHILOSTRATUS, *lib.* 3. *de Vita Apollon. cap.* 14. *Avem quoque Phęnicem esse existimamus, quæ anno quingentesimo quoque in Ægyptum veniens, hanc ipsam Indiam supervolat.* Idem tenet D. HIERONYMUS, *Tom.* 5. *Epist.* 19. *Per quingentos annos de Libano se implet.* Consonat S. AMBROSIUS, *lib.* 5. *Exaemer.*

mer. cap. 25. *Vsque ad annos quingentos longæva ætate procedere.* OVIDIVS, vbi suprà, & S. EPIPHANIVS *in Ancorato*: *Quingentessimum annum agens.*

748 ÆNEAS PLATONICVS Phœnici vltra quinquentos vitæ annos tribuit: *Phœnix avis vltra quingentos annos vivere dicitur.* Quod innuere videtur S. CLEMENS Romanus Pontifex, *lib. 5. Constit. Apostolic. cap. 6.* *Post quingentessimum annum in Ægyptum advolantem.* S. CYRILLVS Hierosolymitanus *Catech.* 18. *In terram Ægypti, in spatio quingentorum annorum, venire solet.* S. ISIDORVS *lib. 12. Orig. cap. 12.* *Hęc quingentis, & vltra annis vivens.* ÆNEAS SYLVIVS *lib. 1. epist.* 71. Phœnicem quingentos, & vndecim annos vita frui, existimat.

749 VINCENTIVS BELLOVACENSIS *lib. 16. Specul. Natur. cap.* 74. Phœnicis vitam trecentis quadraginta annis concludit. P. Mag. IOANNES A S. GEMINIANO, *lib. 4. cap. 64. in Summa Exemplorum*, & similium rerum naturalium, illam indifferenter ad trecentos, vel quingentos protendit. CLAVDIANVS, vbi suprà longius excurrit, asseverans non nisi millesimo vitæ anno obire:

Quæ postquam vitæ iam mille peregerit annos.

Huic consonat MARTIALIS *lib. 5. Epigram.* 7.

Una decem quoties secula vixit Avis.

Nec dissentit AVSONIVS *ad Paulinum, Epist.* 20.

Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales.

750 Multis arduum, & intellectu difficile videtur Phęnicem adeo longęvam agere vitam, vt ad quingentos, vel mille annos eam perducat. At istis longe difficilior videri deberet opinio CHÆREMONIS ÆGYPTII, quem ipsi vt Scriptorem Sacrum suscipiunt: iste enim *lib. de Diversf. Tempor.* Phœnici septem millia annorum vitę concedit. Hunc secutus est IOANNES TZETZES; eundemque errorem amplexi fuerunt antiquissimus HESIODVS de ætate Phęnicis, & PLVTARCHVS *lib. de Orac. defec.* sic canens:

*Terna virescentum ter vincere garrula cornix
Secla virum lusto vivendi limite fertur.
Et quater egreditur Cornicis secula cervus,
Alipedem cervum ter vincit corvus, & illum,
Multiplicat novies Phœnix.*

Et AVSONIVS *Eyd.* 18.

*Alipedem cervum ter vincit corvus, at illum,
Multiplicat novies Phœnix reparabilis ales.*

751 Hinc oritur difficultas huius loci proprijssima: quęnam nempe sit ratio, ob quam Phoenix vita tam longęva, & ab omni infirmitate libera perfruatur, præcipuè cum Aquila, estò avium Regina, varijs infirmitatibus subijciatur? illi siquidem caligant oculi, decidunt plumæ, incurvaturque rostrum, ita vt testante PLINIO *lib. 10. cap. 3.* nec videre possit, nec cibum capere, vnde comedendi inopia languescit. Corvus etiam vt tradit idem Plinius *lib. 29. cap. 3.* vt sibi medeatur, diæta vtitur. Et PHILES *de Animal. Propriet.* multò ante Plinium docuerat, cætera animalia terrestria aërea, insecta, & mollia infirmitatibus subijci.

752 Huic difficultati satisfacit OPPIANVS *de venatione*, dicens, Phęnicem ideo tam longævam ducere vitam, quia nullis hominum subijcitur insidijs: *Phęnici apud Indos (vt perhibent) longissima, & secura vita contingit, cum nullis hominum insidijs petatur, non calamis, non denique laqueis.* Sed displicet hæc solutio, quia hoc mortis genus animalibus non nisi accidentaliter evenit: non enim omnes aves sagittis confodiuntur, nec omnia animalia, quorum brevis est vitæ periodus, violenta morte occumbunt, sed naturali interitu finiunt. Vndè minus rectè diuturnam Phęnicis vitam deduxit Oppianus ex eo quod huiusmodi avis nullis pateat hominum laqueis, nullis subijciatur insidijs.

753 LACTANTIVS vbi suprà Phęnicis longęvitatem temperato Arabię climati, vbi degit, adscribit:

*Non hus exangues morbi, non ęgra senectus,
Nec mors crudelis, nec metus asper adit.*

Verum nec ista ratio subsistit: si enim Arabiæ temperamentum sufficeret, vt Phęnix vitam ad mille vsque annos perduceret, sufficeret quoque vt hominibus vita tam diuturno tempore suppeteret; aër enim, & temperamentum hominibus, avibusque, & animalibus, commune esse perhibetur.

754 Alij ideo Phęnicem tam diutius vivere asserunt, quia habet minus fel-

fellis, quàm cęteræ aves: fel enim vitæ, mortisque symbolum apud antiquos præsetulit, vt docet RHODIGINVS *lib.* 28. *cap.* 37.

755 Certior tamen opinio, ideo Phęnicem, tam longo annorum spatio communi luce frui, asseverat, quia venereum coitum, quo nihil nocentius, penitus ignorat. Itaque potissima ratio singularis illius annositatis, quam in Phęnice admiramur, est puritas illa, qua Veneris delicias omni morte teterrimas, spernit; ideòque Arabes alijs citius moriuntur, quia voluntati nimis laxant habenas, seseque in libidines voluptarij, ac effrænes precipitant, vt reprehendit STRABO *lib.* 17. & vt docet THEOCRITVS *Eyd.* 11. amore pellecti, citius, immò & in vno die, senio conficiuntur:

Verum quos Amor angit, in vna luce senescunt.

Ad quod allusisse videtur D. IOANNES CHRYSOSTOMVS cum *Homil. Quod nemo læditur, nisi à se ipso*, hæc scripsit: *Qui in libid ne vitam ducunt, resoluta quidè corpora, & omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta.*

756 *MORS.* Quamvis Phęnix adeo longæ vitę sit, vt quingentos vel mille vivendo expleat annos, vt ex Authoribus supra citatis didicimus; ad mortem tandem accedit, & vt tradit POMPONIVS MELA, in sepulchro, quod suo sibi rostro erexit, occumbit. *Super exaggeratam varijs odoribus struem sibi ipsa incubat.* Mirum est illius mortis genus: vbi enim agnoscit, oculos gravari, motum languescere, volatum torpere, & alas pigritare, ingreditur nidum quem Latini *Rogum*, vel *Bustum* appellant; ibique vel Solaribus radijs, vel nimio cantu, vel alarum plausu, odoriferæ virgulæ, aridaque ligna, quibus extruitur nidus, accenduntur, & exuritur Phęnix. Vndè dixit PLINIVS Phęnicem: *Nidum implere odoribus, & super emori.* PHILOSTRATVS: *Indi testificantur, Phęnici in nido liquescenti, lugubres hymnos decantari.* ARTEMIDORVS DALDIANVS: *Ex casia, & myrrha construens rogum, vita decedit.* SVIDAS: *Cum sibi ipsa ex casia, & myrrha rogum confecerit, mori.*

757 At S. CLEMENS ROMANVS exactiorem notitiam de Phęnicis morte, nobis suppeditat dicens: *Ibi conversam ad aspectum Solis, ei, vt aiunt, supplicem, sponte conflagrare, redigique in pulverem.* Cui consonat CLAVDIANVS, sic canens:

*Hic sedet, & Solem blando clangore salutat,
Debilior, miscetque preces, & supplice cantu,
Præstaturo novas vires incendia poscit.
——— ——— ———propere flavis è crinibus vrum
Concussa cervice iacit, missoque volentem
Vitali fulgore ferit.*

Aptissimè OPPIANVS: *Collectis in excelsa rupe cremijs, & festucis, rogum sibi mortalem, vitalem autem novæ proli nidum construit, qui à Solaribus radijs insidente ave incensus, conflagrat.* EVSEBIVS Cęsariensis: *In aromatum acervo mori.* S. CYRILLVS: *Moritur apertè, & putrescit.* S. AMBROSIVS: *Facit sibi thecam, in quam impleto vitæ suæ tempore, intrat, & moritur.* S. AVGVSTINVS: *lignis congregatis, alis ligna percutit, & sic ignem accendit, & in eodem se comburi permittit.* S. ISIDORVS: *Collectis aromatum virgultis rogum sibi instruit, & conversa ad radium Solis, alarum plausu voluntarium sibi incendium nutrit.*

758 S. PETRVS DAMIANVS *lib.* 2. *Epist.* 18. Phœnicis mortem singularibus circumstantijs depingit, dicens: *Hæc igitur avis, mox vt quingentos vitæ suæ annos impleverit, ligna Libani montis ingreditur, & per alas vtrasque diversis aromatum odoribus oneratur. Hoc itaque Sacerdos civitatis Heliopoleos, quibusdam significationum inditijs deprehendit, & mox coacervatis sarmentis, atque ramusculis congeriem struit, super quam videlicet struem Phœnix aromatibus onusta descendit, seque supposito sarmentorum ignè comburit.* Quod consonare videtur D. Hieronymo qui *Epistola* 19. tradit, Sacerdotem Heliopolis, Phœnici aram sarmentis implere: *Phœnix avis est in India: per quingentos annos de Libano se implet aromatibus, & nidificat Sacerdoti Heliopolitano mense Phamenoth, aut Pharmuth implet aram Sacerdos sarmentis, & ibi congerit Phœnix aromata, & aræ imponit electrum, & primo Solis ortu Phœnix movet pennas: Solis vero calore accenditur electrū, & sic exuruntur aromata, & ipsa Phœnix incenditur.* S. Epiphanius suprà laudatus, singulares etiam huiusce mortis circunstantias enarrans;

 * Phœ-

*Phœnix (inquit) quingentesimum annum agens, vbi cognoverit tēpus mortis suæ instare, rogum ex aromatibus sibi construit, eaque in vrbem Ægyptiorum *Heliopolim* appellatam, defert, & proprijs pedibus, & alis, pectora sua valdè pulsans, ignem è corpore suo proferens, subiectam materiam in loco incendit, atque se ipsam exurit, & omnes suas carnes, vna cū ossibus.* Et statim subdit, post Phœnicem exustā, nebulā singulari Dei Providentia demitti, quæ pluviam effunders, incendium extinguit. * Verum ex Dei dispositione nebula demittitur, quæ pluviam effundit, & flammam corpus alitis consumentem extinguit, cum mortuus iam sit Phœnix, & extremè tostus.* IOANNES à S. GEMINIANO aliquid singulare in Phœnicis morte enarrat; etenim *lib. 4. cap. 64.* affirmat lignorum struem à calido vento accendi, ibique Phœnicem exuri: * Cum suum defectum sentit, nidum ex lignis aromaticis facit, in tantum siccis, vt vento calido accendantur, quibus quidem accensis sponte nidum ingreditur, & inter ligna ardentia incineratur.* Itaque Phœnix iuxta istorum Authorum sententiam, nidum non nisi iam incensum ingreditur.

759 Suffragatur MAG. VINCENTIVS BELLOVACENSIS, *in Speculo Naturali, lib. 16. cap. 74.* vbi hæc habet: * Tunc fervidos Solis Orbes alarum agitatione in se concitans, super struem ruit, ipsaque pariter accensa, &c. * Nec dissentit B. ALBERTVS MAGNVS; siquidem *lib. 28. de Animal. cap. 24.* *Ruit (inquit) in nidum, & se radijs ferventibus obijcit Solis, & illos resplendentia pennarum multiplicat; donec ignis elicitur, & sic se cum nido incendit, & incinerat.* STATIVS, Antiquissimus Author, *lib. 2. Sylv.* Phęnicis obitum brevissimis verbis complectitur.

*———— Senio nec fessus inerti,
Scandit o. o. atos Phœnix felicior ignes

OVIDIVS tradit, Phœnicem in sepulcro odorifero mori.

Se superimponit, finitque in odoribus ævum.*

760 *PRODVCTIO.* Phęnice inter ignitos thuris, aromatumque carbones exusto, Divina Providentia, quę illi avi instinctū, & propensionem indidit, vt sese in ignem conijceret, ac inter aromata conflagraret, disposuit etiam, vt ex illis cineribus vermiculus exurgeret, qui paulatim adolescens alarum remigia induit; ac in pristinam præcedentis avis transformatur naturam. Ita communitèr Antiqui testantur Authores. PLINIVS: * Ex ossibus deinde ex medullis eius, nasci primò ceu vermiculum, inde fieri pullum. * ARTEMIDORVS: * At verò vbi exusta est pyrā, post tempus ex cinere vermiculum generari, aiunt, qui incrementum adeptus transmutatur, & rursus Phœnix evadit.* SVIDAS: *Quo cremato, aliquantò post è cinere vermem dicunt fieri, qui mutetur, & rursum fiat Phęnix.*

761 S. CLEMENS Romanus, loco supra laudato id clariùs explicat, dicens: * Ex cineribus autem vermem existere, eumque concalefactum in novam Phœnicem formari.* S. CYRILLVS: * Deinde ex putrefacta carne mortua, vermis quidam generatur, & hic deinceps in avem transformatur.* S. EPIPHANIVS peragens ea, quæ supra de Phœnice dixerat, sic prosequitur: * Extincta autem flamma, reliquiæ carnis ipsius adhuc crudæ restant, quæ ad vnum diem diffl patæ vermem gignunt, vermis autem pennas producit, pullus evadens.* S. HIERONYMVS: * Crastina die de cinere gignitur vermis; secundo, pennas effert; tertio, ad antiquam redit naturam.* Consonat S. AMBROSIVS sic scribens: *De cuius humore carnis, vermis exurgit, paulatimque adolescens, ac processu temporis induit alarum remigia, atque in superioris avis speciem formatur, & reparatur.* Nec dissentit AVGVSTINVS suprà laudatus; inquit enim: *Ex quibus cineribus vermiculus nascitur, & postmodum Phœnix alia efficitur.*

762 FLAVIVS DRACONTIVS, Christianus, Poëta Hispanus, Phœnicem renascentem sic depingit:

*Phœnici exactam renovat Deus igne iuventam,
Combustusque senex tumulo, procedit adultus.
Consumens dat membra rogus, sine sorte sepulchri,
Ignibus extinctis iam mortua flamma resurgit.
Redditur ignis e fax redivivo lumine candens,
Et scintilla vorax incendia vasta reduxit,
Et quod summus erat, stridet iubar ignis anheli,
Igne vago rutilatur apex, fax cætera lambit,
Et cælum repetens cremato crine vagatur.*

763 OPPIANVS Phœnicem è cineribus surgentem, sic proponit: * Sic illa consumpta, altera nova Phœnix è cinere surgit, & pro more patrio eisdem in locis vita degit. Res mira! sine genitrice, solo splendore Phœbeo avem hanc procrea-

creari.* S. PETRVS DAMIANVS, vbi suprà, cæteris Sanctis Patribus consonat dicens: *Alia verò die Sacerdos accedit, ligna, quæ composuerat exusta reperit, quorum cineres curiosè perscrutans invenit vermiculum valde pertenuem, sed eximij odoris novitate fragrantem: secundo die rediens reperit eum, aviculam per plumas, & alarum remigia, figurantem: tertio demum die Sacerdos adveniens videt perfectam, & integri status adstare Phœnicem.* Idem tradunt Vincentius Bellovacensis, loco supra laudato, B. Albertus Magnus, Æneas Silvius, quem mira virtus, & eruditio ad Summi Pontificatus apicem fastigiarunt, & Mag. Ioannes à Sancto Geminiano.

764 Verum estò omnes isti Authores magnam fidem, & authoritatem, sua sibi eruditione concilient, non modicam tamen difficultatem involvit, quomodò possit vivens in igne renasci, & ex sui ipsius cineribus, corruptis quidem, & emortuis, procreari? Quæ quidem difficultas ex eo gravior apparet, quod Moysis rubum flammis vndaquaque circundari, & non comburi, *Exod.* 3. Eliam igneo curru rapi, nec ab igne absumi, 4. *Reg.* 2. Pueros in Babylonica fornace incensa inter edaces flammas incolumes deambulare, *Daniel.* 3: inter miranda Gratiæ prodigiare censeatur. Ignem insuper contra innatam suam edacitatem pluribus Sanctis Martyribus pepercisse, iuxta communem Authorum traditionem, EVSEBII nempè *lib.* 4. *Histor. cap.* 14. NICEPHORI *lib.* 3. *cap.* 35. EVAGRII *lib.* 4. *Histor. cap.* 35. *tom.* 2. LIPPOMANI, cęterorumque, qui Sanctorum Martyrum gesta litterarijs monumentis consecrarunt, non naturæ, sed Gratiæ adscribitur: in illis enim miraculosis eventibus, Sancti Martyres edaces ignis flammas, vt Deus in suis Sanctis mirabilis ostenderetur, non suę naturę viribus, sed speciali supernę Gratię virtute superarunt. Præsens ergo difficultas non est: an aliquod vivens divinitùs possit inter ignivomas flammas versari? sed: an sua naturali virtute possit in illis procreari, & inter illas, quin absumatur, nutriri?

765 Negat Philosophorum Princeps ARISTOTELES *lib.* 4. *Metheor.* sic scribens: *In terra, & aqua solum animalia sunt: in aëre autem, & igne haud quaquã, quia in eorum corporibus, prętvalens materia est ignis, & aqua.* Vnde OVIDIVS:

Nataque de flammâ corpora nulla vides.

Ratio autem, qua adducuntur Authores, vt existiment, nullum vivens posse ex igne procreari, est: quia impossibile reputant aliquod animal, sine humiditate generari, cum in generatione calor humiditatem, & siccitatem excedat, vt testatur Aristoteles *lib.* 2. *de Generat. & Corrupt.* Cumque nulla detur in igne humiditas, hinc inferunt, nullum in illo posse animal procreari.

766 At contra aliqui antiqui, ignem esse rerum omnium causam, omniaque ab illo generari crediderunt. Sic tradit PLVTARCHVS *lib.* 1. *de Placit. Philosoph. cap.* 3. & *in Vita Camilli*; ZOROASTER, vterque HERACLITVS, Ephesinus nempè, & Metapontinus, HIPPASVS Metapontinus, quibus suffragatur S. IVSTINVS Martyr *in Admonit. ad Gent.* TERTVLLIANVS *lib.* 1. *advers. Marcion.* S. EPIPHANIVS *lib.* 3. *contra Hæreses, cap. vlt.* & VIRGIL.

*——Igne, quo nihil insuperabile, gigni
Omnia, quo rerum natura semina iactat.*

767 Alij tamdem Parœmiam illam à Philosophis decantatam: *Sol, & homo generant hominem*, verissimam esse existimarunt. Vnde IVLIANVS Apostata *in Solis Panegyr.* 19. quã è Græco Latinã fecit VINCENTIVS MARINER, Cecropiæ linguæ eruditissimus, de Solis fœcunditate hæc habet: *Manifestum est ergo fœcunditatem regis Solis, virę mediũ esse vtriusque, quoniam & hoc ipsa, quę apparent, testantur. Nam quasdã quidem species perficit, quasdam verò operatur, & quasdam exornat, & quasdam denuo excitat, & movet, & nihil quidem est, quod sine Solis opifice potentia in lucem, & generationem proficiscatur.* Et IVLIVS FIRMICVS *lib.* 1. *Math.* magnam Solis in omnia viventia influentiam commendans: *Sol (Inquit) optime, maxime, qui mediam Cœli possides partem, Mens mundi, atque temperies, Dux omnium princeps, Sol non temporum modo, terrarumque, sed Syderum ipsorum, Cœlique rector, Hunc mundi esse totius animam, ac pleniùs mentem, hunc principale naturę regimen, ac numen, credere decet.*

768 Iste fuit Antiquorum error, qui gratiæ Sole, Fideique lumine destituti, ac

Cimmerijs. Gentilitatis tenebris cæcutientes, sola naturali ratione ducti, in errorum baratrum lapsi sunt. Alij enim, vt TVLLIVS *lib.* 1. *Tusculan.* VARRO *lib.* 4. & DEMOCRITVS Zenonem Stoicum secuti, ignem, viventium animam iudicarunt, vt scribit NEMESIVS, & refert S. GREGORIVS Nyssenus *lib. de Anima, cap.* 1. Hinc VIRGILIVS 4. *Æneid.*

* ——— ——— —Animam e tinguam seni.*

Et TERENTIVS *in Adelphis*:

Seni animam primum extinguerem.

Vbi DONATVS *in Terent.* & MVRETVS *lib.* 7. *variar. cap.* 6. extinguere propriè accipiunt: *Quia ignis anima est.* Et calor in Sacris Litteris pro vita, sicut frigus pro morte accipitur. At alij prædictorum Philosophorum mentem, illorumque sensum meliùs explicant: ignis namque, qui apud prædictos Philosophos pro anima sumitur non est propriè elementum ignis, sed illius proprietas, vitalis nempè calor, quo corpus fovetur, ac vivit. Sed his antiquorum Philosophorũ dilamentis relictis (qui tempore solo naturali lumine moti, & Evangelica luce destituti, nihil mirum, quòd in multos errores, quos Catholica Philosophia reijcit, impegerint) ad propositæ difficultatis resolutionem accedamus.

769 Circa quam non desunt Authores graves quidem ac eruditi, qui asserant, dari arbores, lapides, & animalia, quæ in igne vivant, immò, & illum extinguant. Alumen, Amiantus, Æthites, Carbunculus, Chalazias, & Agatha, lapides quidem sunt, qui non modò ab igne non consumuntur, sed illum etiam extingunt, immò plerique illorum in igne politi suum retinent frigus, vt scribunt Q. CLAVDIVS *lib.* 21. *Annal.* AVLVS GELLIVS *lib.* 15. *cap.* 1. *Noct. Attic.* S. BASILIVS *Homil.* 30. PLINIVS *lib.* 10. *cap.* 3. & *lib.* 37. *cap.* 7. S. ISIDORVS *lib.* 16. *cap.* 3. SOLINVS *cap.* 29. VINCENTIVS BELLOVACENSIS *lib.* 8. *Specul. Natur. cap.* 4.

770 Larix, quam PLINIVS *lib.* 13. *cap.* 22. & cum illo Latini omnes, Æonem vocant arbor est, cuius tabulæ tegulis affixæ flammam repellunt, vt tradit S. ISIDORVS *lib.* 17. *cap.* 7.

771 At, ne alicui mirum videatur quod prædicti Authores de Phœnice narrant, ipsum scilicet ex igne renasci, non desunt historiæ, quæ & id explicent, & intellectu facile reddant. Salamandram enim in igne degere, quin ab ipso consummatur, antiqui Authores tradidere. Sic NICANDER *in Theriac.*

*Et Salamandra dolis acris, & fraude perosa,
Quæ solet immunis trauare flagrantia busta.*

Vbi antiquus illius SCHOLIASTES: * Salamandram memorat per ignem meare, nec inde quippiam obledi.* Hinc Q. SEVERVS:

Seu Salamandra potens nullis obnoxia flammis.

Hanc oppinionem sequutus ARISTOTELES *lib.* 5. *Hist. Animal. cap.* 19. *Salamandra, inquit, quæ, vt aiunt, per ignem ambulans eum extinguit.* Et quamvis DIOSCORIDES *lib.* 2. *cap.* 16. & GALENVS *lib.* 3. *de Temper. cap.* 9. huic Sententiæ refragentur Aristotelis, tamen subscribunt PLINIVS *li.* 10. *cap.* 67. ÆLIANVS *lib.* 2. *cap.* 31. & Nicandri SCHOLIASTES, qui huius rei rationem subiungit dicens: *Sunt qui scribunt esse natura frigidum; proinde si inciderit, ignem restingui.* Et CASSIODORVS expressius adhuc, Salamandram describens *lib.* 7. *Epist.* 47. *Salamandræ, inquit, sequaturus exemplum, quæ plerumque degit in ignibus, tanto enim naturali frigore constringitur, vt flammis ardentibus temperetur: subtile, ac parvum animal, lubricis associum, flavo colore vestitum. Vitam præstat sibi, qui mortalia cuncta consumit.* Et *lib. de Anim. cap.* 19. *Salamandra incendio reficitur, atque ignis calore reparatur.*

772 Iis tamen Authoribus adversantur IOANNES BRODEVS *lib.* 8. *Miscellan. cap.* 3. & IACOBVS STEPHANVS *in Notis ad Nicand.* qui apocryphum existimant, Salamandram in flammis degere; traduntque illam naturali frigiditate, qua nascitur, consumpta flammarum ardore comburi; SIMON MAIOLVS nostri ævi celeberrimus Author *colloq.* 8. *Dier. Canicul. tom.* 3. scribit Salamandram Solis calore consumi. D. IOSEPHVS PELLICER *in solemnibus Lectionib. ad D. Ludovici de Gongora Polipbem. col.* 176. ad illum versum:

Salamandra del Sol.

Varia eruditione ostendit, Salamandram igne circumdatam aduri.

773 Non desunt tamen gravissimi Au-

Authores, qui vt certissimum tuentur, posse ignem animalia procreare, sicque vt certiùs tenent, Phœnicem ex igne ipso renasci. Id expresse tradit DIOGENES LAERETIVS *in vita Pyrrhon.* vbi, inter alia, scribit: *Quippe animalium alia absque coitu gigni, vt sunt quæ in igne vivunt, quæ Pyribia vocantur, Phœnixque Arabicus, atque Teredines.* Sed clarius TERTVLLIANVS *lib. de Resurrect.* de Phœnice loquens, & vtramque propositionem confirmans: *Deus etiam (ait) in Scripturis suis, **Et florebis** (inquit) **velut Phœnix**, id est, de morte, de funere, vti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Vbi clarè affirmat posse substantiam corpoream, & præcipuè Phœnicem, ex igne procreari. Huc etiam spectat authoritas CICERONIS *lib. 1. de Nat. Deor.* SENECÆ *in Natural. quæst.* PLINII *lib. 11. cap. 36.* SOLINI, ÆLIANI *lib. 2. cap. 2.* & ALBERTI MAGNI *lib. 26. de Animal.* qui omnes expresse docent, animalia in igne generari; quod iam antea clarè docuerant ARISTOTELES *lib. 5. Hist. Animal. cap. 29.* & ANTIGONVS *in Admirand. cap. 90.*

774 Verum non solum ex igne, sed ex nive etiam, animalia procreari docet STRABO *lib. 11. Geograph.* & MARSILIVS COGNATVS *lib. 1. variar. cap. 23.* tradit vtriusque generationis in igne scilicet, & nive rationem. Mirum est quod MARCVS AVRELIVS Imperator scribit *in Epist. ad Romæ Amatores*, cuius textum, quamvis nec Græcè, nec Latinè scriptum viderim, apponam tamen hic, provt Hispano idiomate circumfertur. Loquens ergo de Ægyptiorum opinione circa fœminarum originem, hæc scribit: *Fertur Solem in Arabiæ desertis vehementiorem sui caloris vim ostentare, ibique initio mulierem, solamque Phœnicem avem apparuisse, hancque ex aqua, illam verò ex igne fuisse procreatam.* Neque hoc debet quisquam mirari; siquidem prisci Evangelica luce destituti, & horribili Gentilitatis obscuritate obsessi in maiores adhuc errores leguntur prolapsi.

775 Alia difficultas, quæ circa hanc rem nobis occurrit est: An possit Phœnix ex se ipso renasci, quin ab aliquo generetur vivente, vel concipiatur? Verum cum iam supra ex pluribus Sanctis, gravissimisque Authoribus probaverimus, Phœnicem, è suis cineribus procreari, modo argumenta à simili adducemus, quibus probabiliter alia animalia ex se ipsis renasci ostendamus, vt sic clarius eluceat, impossibile non esse, quod de Phœnice Sancti Patres tradiderunt. Huc egregiè facit Apis insectorum reginæ, eorumque nobilissimæ creatio, vel reformatio: ipsa siquidem mortua, & fici cineribus cooperta, Solaribus radijs exposita, rediviva resurgit. Sic testatur PLINIVS *lib. 11. cap. 20.* FLORENTINVS *lib. 5. cap. 2. in Constantino Cæsare*, aliter apum generationem enarrat: asserit namque illas ex vermibus, qui è bovis emortui carne procreantur, educi. ANTIGONVS *in Mirabil. Narrat.* VARRO *de Re rust.* & ARCHELAVS *in Epigram.* tradunt Apes in Ægypto ex boum cornibus procreari, sicut & Vespæ ex Equis generantur, iuxta PLINIVM *lib. 10. cap. 11.* NICANDRVM *lib. de Theriac.* & GEORGIVM PACHIMERVM *lib. 4. de Ort. & Interit.* Ratio autem huiusmodi Apum ortus videri potest apud GALENVM *lib. an Anima sit quæ in vtero concipit?* Cui consonat VIRGIL. *lib. 4. Georgic.* & OVIDIVS *lib. 4. Methamor.* Ea autem est, quia hoc animal castum est, & purum, suamque virginitatem semper illibatam conservat; vt clarè docent S. CYPRIANVS *in Exposit. Symboli*, S. AVGVSTINVS *lib. 15. de Civit. Dei, cap. 27.* & S. AMBROSIVS *lib. 25. Exaëmer. cap. 23.* & suffragatur IVLIVS CÆSAR SCALIGER, siquidem *Exercit. 191.* probat Apes ex melle, & cera produci. De Apibus meminit GAIVS Iurisconsultus *l. 5. de Adquir. rerum domin.* & PAVLVS *leg. 26. ff. de Furt.*

776 Secundum simile ad Phœnicis ortum, vel potiùs resurrectionem aperiendam, sumitur ex Bombyce, cuius mira vtilitas, ac commodum latuit Græcos, & Romanos, vsque ad Iustiniani Imperatoris Monarchiam, vt refert ZONARAS *in Iustiniano*, & ante illum scripserat PROCOPIVS *lib. 4. de Bello Persico*; illamque ex India quidam Monachi detulerunt. De illius origine scripserunt HORATIVS TVRSELLINVS *in Epitome Histor. lib. 6.* MARSILIVS COGNATVS *lib. 4. variar. cap. 11.* LAZARVS BAYFIVS *lib. de Re vestiar.* & ANDREAS TIRAQVELLVS *in leg. 3. Connub. Part. 3. Gloss. 1.* De vestibus sericis meminit VLPIANVS *leg. emptori. 37. §. 1. ff. de evict. & alijs.*

Ea

777 Ea ergo est Bombycis cum Phęnice similitudo, quod in eodem sepulchro, quod ipse sibi contexuit, emoritur, vt latè perpendit Episcopus VIDA *lib. de Bombyce*; & sicut Phęnix, ita & Bombyx est symbolum Resurrectionis, vt expendit D. BASILIVS *Homil.* 8. *in Exaemeron*.

778 Tertium simile, quo probari potest, Phęnicem ex se ipso renasci, deducitur ex musca, quæ moritur, & ex suo proprio calore reviviscit, vt referunt LVCIANVS *Dialogo de Musca*, PLINIVS *lib.* 11. *cap.* 36. ÆLIANVS *lib.* 2. *cap.* 29. OVIDIVS *lib.* 5. *Metamorph.* S. ISIDORVS *lib.* 12. *cap.* 8. quem secutus VINCENTIVS BELLOVACENSIS *lib.* 20. *cap.* 147. *Histor. Natural.* scribit muscas emortuas in aqua, reviscere: *Eæ, sicut & Apes necatæ in aqua, aliquoties post vnius horæ spatium reviviscunt.* Quibus subiungere possumus B. ALBERTVM MAGNVM *lib.* 26. *de Animal.* ita scribentem: *Plinius etiam narrat (scilicet *lib.* 11. *cap.* 13.) de musca, quę *Pyrella* vocatur (iuxta Plinium Pyralis seu Pyrausta) & magna est, in Cypro abundans, quæ in fornacibus manet, & in igne vivit; & dum à loco ignis avolaverit, subitò moritur.*

779 Quartum simile nobis suppeditat *Ephemeron* animal, Latinè *Diarium* vocatum, eo quod illius ætas vnius diei periodo concludatur iuxta ARISTOTELEM *lib.* 5. *Histor. Animal. cap.* 43. PLINIVM *lib.* 11. *cap.* 37. (qui eũ vocat *Hemerobion*) ÆLIANVM, & BOCCACIVM; hoc siquidem animal eodem quo nascitur die, emoritur, & sequenti renascitur apud Hypanim fluvium, qui in Bosphorum decurrit. Hinc Gręci quamdam herbam, quæ florem habet fugacissimum, & qui vnico die marcescit, *Ephemeron* vocant, vt scribunt PLINIVS *lib.* 25. *cap.* 13. DIOSCORIDES, & GOTHOFREDVS *ad* §. 2. *leg.* 8. *D. de Novat.*

780 Quintum simile subministrant aves Bernestæ, Brantæ, Chenalopeses, Cherenotes, Bassanes, Barniclæ, vel Bernecæ (quarum nomina Bellonio, Aldobrando, & Hectori Boëtio *in Histor. Scot.* discutienda relinquimus) quę vel in Albania iuxta ABRAHAMVM ORTELIVM *in Thesaur. Geograph.* vel *in Groethlandia iuxta Vincentium Bellovacensem, lib.* 16. *Spec. Natur. cap.* 40. è navibus procreantur. Huiusmodi igitur aves iuxta prędictos Authores, è navium trabibus, quæ in mare decidunt, ac decursu temporis putrescunt, tamquam poma ex arboribus nascuntur. Ex his autem pomis vermes quidam gignuntur, qui crescentes alas induunt, ac in aves conversi, avolant. Id se vidisse testatur Magister VINCENTIVS BELLOVACENSIS, immò aliqui Authores id ipsum experientia comprobatum fuisse Ruthquhania anno 1490. in Castello Pechilege enarrant: ibi enim visum fuit lignum cum huiusmodi vermibus, qui paulatim crescentes, ac rostris infixis in ligno pendentes, postea sicut cęterę aves volare cæperunt. Idemque accidit in Sancti Christophori Navi, quę tres annos in vna ex Insulis Ebridis remorata fuit.

781 Sic tradunt ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib.* 4. *Dier. Genial. cap.* 9. OLAVS MAGNVS *lib.* 19. *Hist. Septent. cap.* 6. VLISSES ALDROBANDVS *lib.* 19. *Ornith. cap.* 23. IVLIVS CÆSAR SCALIGER *in Comment. ad Arist. lib.* 1. *de Plantis.* FVLGOSIVS *lib.* 1. *cap.* 6. FORTVNIVS LICETVS *lib.* 3. *de spont. cap.* 45. SAXVS Grammaticus, ÆNEAS SYLVIVS, & alij relati à P. IOANNE EVSEBIO NIEREMBERG *in Prolus. ad doctrinam, & hist. natur.*

782 Et quamvis ALBERTVS MAGNVS *lib.* 16. *Animal.* GERARDVS DE VERA *in Navigat.* & D. FERDINANDVS DE CORDOVA *in Didascal. cap.* 7. id tamquam falsum reijciant; attamen necesse est, vt tamquam veram historiam teneamus, cum & gravissimorum Authorum testimonijs stabiliatur, & experientia ipsa roboretur. Pro maiori tamen huius veritatis munimine IACOBVM ACHONENSEM, Cardinalē audiamus; iste enim *lib. Oriental. Histor.* hęc habet: *Arbores sunt super ripas maris, de quibus aves procreantur rostris infixis arboribus dependentes: tempore verè maturitatis ex arboribus decidunt, ac per incrementa proficientes, sicut cæteræ aves volare incipiunt.* Qui quidem Eminentissimus Cardinalis eo creditu digniorem hanc historiam reddidit, quo plus fidei sua sibi antiquitate, & Authoritate conciliavit; tanta enim fuit huius Scriptoris Authoritas, vt meruerit à D. Isidoro laudari, qui ei subscribit, dicens: *Barliatæ aves, quæ ex ligno crescunt.* Et Vincentius Bellovacensis,

lo-

loco supra laudato, quem sequitur SIMON MAIOLVS *Colloq. 6. Dier. Canicul.* scribit, Christi fideles solitos fuisse huiusmodi avibus in Quadragesima vesci, & ab INNOCENTIO III. *in Generali Lateranensi Concilio*, id fuisse prohibitum. Vndè Concilium, huiusmodi avium esum in Quadragesima prohibens, huius historię veritatem aliquo modo approbasse videtur.

783 Vltimum tandem simile nobis præstat recens in India avis, quæ sexto quoque mense moritur, & renascitur. Hanc Indi *Hoitzitziltotol* vocant, hæc enim solis quibusdam floribus alitur, quibus marcescentibus se cito morituram agnoscens, vt suum ad vitam reditum periculi vacuum, & expertem constituat, ac tutius, & securius stabiliat, proceriores arbores quærit, ibique rostrum suum figit, & sex mensium spatio ab illis arboribus pendet, quousque renascentibus floribus, ipsa reviviscit. Sic refert P. EVSEBIVS NIEREMBERG *in Prolus. ex Hist. manuscripta* FRANCISCI FERDINANDI *Prothomedici Philippi II. Hispaniarum Regis*, qui ex Regis præscripto ad Indiam pro ea Historia componēda pertexit, cuius hæc sunt verba: *Est fide dignissimorū hominum testimonio compertum, & scribatū fide non vno comprobatum in loco, nec nubes sunt, ac cuiquā hoc debet esse dubitatū, servata quippe est non semel avis affixa stipiti intra cubiculum, & cum sex menses exanimis iacuisset, quo tempore natura sibi comparatum est, revixit, ac dimissa, in agro volitavit.*

784 Coronidem tandem imponat S. EPIPHANIVS, qui *in Ancorato* quorundam animalium reviviscentiam probans, hæc scribit: *Verum non persuasit hoc Palumbes avicula, neque Myoxus animal: moritur enim hoc, semestri; & Palumbes in diebus quadraginta, & rursus post tempora sua reviviscunt, scarabei morti vicini in pila stercoris, se ipsos occultant talem pilam in terra sepelientes, ac defodientes, atque sic ex suo humore rursum reviviscentes comperiuntur.* Ex tot Authoritatibus, quas supra adduximus affatim probatum est, impossibile non esse immò certissimè evenire posse, Phœnicem è suis cineribus renasci, prout fidedignissimi Authores affirmant; ipsaque convincit experientia, ab alijs animalibus desumpta, quæ ex se ipsis procreari, gravissimi testantur Scriptores, vt vel ex hac experientia maior ijs, quæ de Phœnice diximus, adhibeatur fides; & finem huic quæstioni illis SIMONIS MAIOLI verbis imponamus: *Fiat verisimile, & emori Phœnicem, & absque concubitu resurgere posse, quod in Bombyce quoque perspicuum est.*

785 *MORTVI PHOENICIS IN ÆGYPTVM TRANSLATIO.* Mira inter alia, quæ de Phœnice scribuntur, notatu dignus est honor, quem paternis cineribus desert, vt enim ex antiqua traditione habetur; vix è pyra novus Phœnix assurgit, viresque adquirit eundo, cum parentem vita functum in feretro, é myrra constructo includit, suisque alis imponit, & ad Solis Templum desert, ibique eum flagrantibus bustis, memorando funere, commendat. Tantum igitur myrrhæ accipiens, quantum se deferre posse experitur, ex illa rogum suis viribus comparem construit, illudque rostro suo excavat, & medium infodit, ac in illius vacuo emortui Phœnicis cineres deponēs, myrrha foramē consolidat. Sic docet TACITVS; loquens enim de Phœnice eiusque sepulchro: *Iam (inquit) primùm adulto, prima cura sit sepeliendi patris, neque id temerè, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoque per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque Solis aram deferre.* Id ipsum brevioribus verbis tradidit PLINIVS: *Totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis Vrbem.* Sed clarius POMPONIVS MELA: *Cum adolevit, ossa pristini corporis inclusa myrra Ægyptum exportat, atque in Vrbem, quam Solis appellant, fragrantibus modò bustis inserens memorando funere consecrat.*

786 Nec preteriri potest locus ACHILLIS TATII, Græci, *lib. 3. Leucip.* vbi modum, quo Phœnix antecessoris, seu patris cineres funerat, sic graphicè, ac concinnè, describit: *Cum primum enim vitam cum morte commutavit (quę res non nisi longum post tempus fit) eum filius ad Nilum flumen defert, sepulcrumque illi huiusmodi construit. Odoratissimæ enim myrrhæ tantum sumit, quantum ad cadaver includendum sufficere possit, rostroque excavat, & medium infodit, atque id volucris sepulchrum est. Collato enim atque in eo cavo, ac terra operto cadavere, Nilum versus volans avis, opus totum secum defert, innumeris alijs avibus,

tam-

tamquam corporis custodibus comitatus, vt peregrè abeuntem Regem imitetur, nec à Solis Vrbe, quæ mortui volucris sedes est, vsquam declinat, sed eò delatus in sublimi, quo cerni possit, subsistit, Deique administros expectat. Nec multo post Egyptius Sacerdos, è Sacrario, cum libro prodit, volucrem descriptionis comparatione diiudicaturus. Quò circa fidem illi minime habere sentiens, occultas paterni corporis partes revelat, cadaverque oculis subijcit, & laudatoris munere fungitur. Tum Solis Sacerdotes, acceptum sacri volucris cadaver, sepulturæ tradunt. Ita fit vt victus ratio dum vivit, Æthiopem; cum moritur, Ægyptium illum efficiat.*

787 Consonat OVIDIVS *Metam. lib.* 15. *vers.* 403. idem sic eleganter enarrans:

*Cum dedit huic aetas vires, onerique ferendo est,
Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ,
Fertque pius cunasque suas, patriumque sepulcrum,
Perque leves auras Hyperionis Vrbe potitus,
Ante fores sacras, Hyperionis Æde reponit.*

Nec dissentit CLAVDIANVS *in Panegyri. Stylic.*

*Hic vbi fœcunda reparavit morte iuventam,
Et patrios idem cineres collectaque portat
Vnguibus ossa piis, Nilique ad littora tendens
Vnicus extremo Phœnix procedit ab Euro.*

Suffragatur etiam LACTANTIVS FIRMIANVS, vbi supra.

*——— ——— Proprio quidquid de corpore restat,
Ossaque vel cineres, exuviasque suas
Vnguine balsameo, myrrhaque, & thure soluto
Condit, & in formam conglobat ore pio.
Quam pedibus gestans contendit Solis ad ortus
Inque Ara residens promit in Æde Sacra.*

Iterumque CLAVDIANVS *in Phœnice*:

*Protinus ad Nilum Manes sacrare paternos,
Auctoremque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre iuvat, velox que alienum tendit in Orbem
Portans gramineo clausum velamine funus.
Innumeræ comitantur aves, stipatque volantem
Alituum suspensa cohors, exercitus ingens
Obnubit vasto latè convexa meatu.*

Id ipsum etiam eleganter tenuerunt EDVARDVS DVMONIN, & IOANNES BARCLAIVS *in Euphorm.* vbi sic cecinit:

*Assyrius veluti redivivo funere Phœnix,
Heres ipse sui, cum iam natalia busto
Conglomerans cœpit postremo nubila cursu,
Magnanimæ stipantur aves, regemque verendum
Sollicitè observans.*

788 Phœnix itaque magna avium comitante caterva, Heliopolim Civitatem, Solis numini sacram, vndè & nomen accepit, patrem funeraturus advolat. Alij hanc Civitatem, ad quam antecessori suo parentaturus pergit, *Thebas* vocant, eo quod in Ægypti Thebaide condita sit. Hinc CLAVDIANVS de Civitate, Templo, ac Phœnicis funere sic cecinit:

*Clara per Ægyptum placidis notissima sacris
Vrbs Titana colit, centumque immane columnis
Invehitur Templum Thebano monte revulsum.
Illic [vt perhibent] patrem de more reponit
Congeriem, vultumque Dei veneratus herilem.*

689 Antiqui hanc Civitatem *Centiiauam* vocarunt. Hoc illam nomine donarunt HOMERVS *Iliad.* 9. STRABO *lib.* 17. *Geograph.* HERODOTVS *lib.* 1. *cap.* 2. & DIODORVS SICVLVS *lib.* 1. In hac Civitate erat Solis Templum, & Apollinis Simulachrum, necnon & oraculum, quod Ethnici tàm indigenæ, quàm alienigenæ, adhuc absentes, missis epistolis consulebant, vt refert MACROBIVS *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 24. In hoc Templo Sacerdotes Heliopolitę degebãt, Philosophię & Astronomiæ studio incumbentes. Ad hoc igitur Templum Phœnix in mense *Phamenoth*, vel *Phamuth*, qui iuxta D. Hieronymum nostro Iunio, vel Iulio correspondet, celerrimè advolabat, & cum Pontifex sacrificium inchoare volebat, Phœnix antecessoris cadaver ad Apollineæ statuæ pedes deponebat, Sacerdotemque salutans ad patrios lares remeabat, vt ex Authoribus supra citatis manifestissimè comprobatur.

790 Cum ea, quæ ad Phœnicis historiam præcipuè spectant, iam ex tot Authoribus, tam antiquis, quàm recentioribus, tam sacris, quàm profanis antiquitatis, & historię notitia, ac eruditione conspicuis probaverimus, nobis nunc præcipua quæstio discutienda restat, quam in subsequentibus resolvemus.

§. XV.

AN ID, QVOD DE PHOENICE huc vsque diximus, sit tamquam fabula reijciendum, an tamquam historia amplectendum.

791 DE Phœnicis existentia aliqui, vt BENEDICTVS PERERIVS, & CÆSAR SCALIGER, dubitarunt; alij verò plures, vt CARDANVS, DEL-

DELRIVS, CORDOVA, & ALDOBRANDVS, illam absolutè negarunt, ea ducti ratione, quod cum plures ex antiquis, Phœnicis mentionem fecerint, nullus se eam vidisse testetur. HERODOTVS omnium antiquissimus, se Phęnicem avem non nisi depictam conspexisse tradit, nec vmquam eã existere, asseverat, sed ab Authoribus id enarrari affirmat; quo pacto fere omnes Antiqui loquuntur. Sic PHECIVS SOLOPSANVS: * Vt aiunt (inquit) Heliopolitani: cum aiunt quod mihi non fit verisimile hoc excogitare, hæc facere hanc avem commemorant.* Vndè TACITVS: * Hæc incerta, & fabulosis aucta.* PLINIVS, an Phænicis existentia apocrypha sit, subdubitat: * Haud scio, an fabulosè vnum in toto Orbe, nec visum magnopere.* Et de Indiæ, atque Æthiopię incolis loquens, hæc habet: *Inenarrabiles ferunt aves.* Et veluti falsum reijcit, quod CORNELIVS VALERIANVS scripsit: Phœnicem nempè, Romã sub Claudio Imperatore Q. Plautio & Sex. Papinio Coss. fuisse advectam. Sed revera Cornelius Valerianus deceptus est, sicut & Sextus Aurelius, & Alcuinus, fortè ob exiguam temporis intercapedinem, quæ Tyberium inter, & Claudiũ defluxit; sub Tyberio enim Imperatore Phænix in Ægypto conspectus fuit, vt tradit DIO CASSIVS dicens: * Sexto Papinio & Q. Plautio Coss. in Ægypto, eo anno Phœnix apparuit.* Non autem Romę: esto enim Eliogabalus in quodam convivio promiserit se aut Phęnicem, aut mille numos aureos exhibiturum, auro quidem, non tamen Phœnice, promissa solvit.

792 Verùm non Antiqui modò, sed Recentiores etiam id, quod de Phęnice legitur, tamquam fabulam reijciunt. Sic censet eruditus LAVRENTIVS BEYERLINK, Antuerpiensis Canonicus, *in Theatro Vitæ humanæ, verbo Phœnix.* *Sentiunt pro maiori parte docti, quidquid de Phęnice scribitur, commentitiũ esse, ac fabulosum. Quæ quidẽ fabula inde fortasse initiũ sumpsit, quod Ægyptij, Heliopoli, Solem quasi avem morientẽ, & occidentem pinxerunt. Hunc fecerunt, & dixerunt esse Phęnicem, cum tantum esset symbolum, & hyeroglificum Solis, qui quasi Phęnix solus est in mundo.

793 Huic coniecturę favet, quod veteres, teste Lactantio, & Claudiano, Phęnicẽ dixerunt esse Solis avẽ, quę eo oriente, dulcissimè caneret, eumq; prona veneraretur. *lib.* 10. *cap.* 4. describens Phœnicem ait, eum esse fabulam.*

794 Nihilominus tamen maior pars Authorum, antiquitate, & historię notitia celebriorũ, Phœnicis existentiam stabilitã prodit. Et omissis nunc his, qui hanc veritatem, è Sacris Litteris, varijs in Locis deducere nituntur, in quo nunc non immorabor, innumeri sunt Viri pręclara eruditione, atque abundanti doctrina instructi, qui ea, quę de Phęnice dicuntur, non commentitia, aut fabulosa, sed vera esse, vel expressè affirmant, vel manifestè supponunt. Huiusmodi autem sunt Catholici Patres, Philosophi, Historici, Oratores, Poëtæ, & Iurisconsulti, quàm plurimi. Eamdem hanc veritatem confessæ fuerunt Sybillæ, & pręcipuè ERITHRÆA *lib.* 8. *Sybill. Orac. vers.* 29. in hęc verba:

*Ægiptus Reges postquam ter quinque crearit,
Illi ne cum Phœnicis advenerit quinti temporis,
Ad gentes veniet diversas depopulandum
Hæbream gentem.*

Loquitur autem hic Sybilla de Adriano Imperatore.

795 Ingens Authoritatis pondus huic sententiæ adiecit illa S. BIRGITTÆ Revelatio, in qua Deus tamquam sponsus prædictam Sanctam alloquens, Phęnicis historiam supponit; sic enim ait: * Sic Charitas mea ab initio erat ad hominem in Deitate mea, quæ in assumptione Humanitatis meæ amplius ardebat, & ardet intantum, quod nunquam extinguitur, sed ferventem facit animam, nec consumit eam, sed amplius semper fortificat: sicut in Phęnice colligere poteris, quæ in senectute gravata, colligit ligna in monte altissimo, & illis ex calore Solis accensis proijcit se in ignem, & sic ab illo igne Charitatis divinę succenditur de eo quasi Phœnix melior, & fortior consurgit.* Istæ autem S. Birgittæ Revelationes, cum ab Ecclesia approbatæ sint, omnem promereneur fidem, vt docent Cardinalis TVRRECREMATA, & GONZALEZ DVRANTVS *in Comment.*

796 Insuper Phœnicem verè existere, expressè docet S. CLEMENS Romanus, loco supra laudato, à quo idipsum accepit S. CYRILLVS Ierosolymitanus; quibus subscribunt S. EPIPHANIVS, S. GREGORIVS Nazianzenus, EVSEBIVS Cæsariensis, S. CYPRIANVS,

TERTVLLIANVS, S. HIERONYMVS, S. AMBROSIVS, S. AVGVSTINVS (cuius locũ Concilium Aquisgranẽse approbavit) S. ISIDORVS, S. ALCIMVS AVITVS, ORIGENES, S. PETRVS DAMIANVS, B. ALBERTVS MAGNVS, alijque plures, quorum verba supra adduximus, qui proculdubio, tam Sanctitate, quã Doctrina maioris sunt fidei, & authoritatis, quàm Authores, qui oppositum tuẽtur; precipuè cum isti argumento negativo, quod in historia insufficiens est, innitantur.

797 Eamdem hanc veritatem fatentur Philosophi, apud antiquos celeberrimi, vti LIBANIVS, DIOGENES LAERTIVS, ARTEMIDORVS, ÆNEAS PLATONICVS, PHILOSTRATVS, SENECA, LVCIANVS, HORVS APOLLO, PORPHYRIVS, VINCENTIVS BELLOVACENSIS, CHÆREMON ÆGYPTIVS, & PIERIVS VALERIANVS supra laudati.

798 Inter magnæ fidei Scriptores, qui Phœnicis existentiam affirmant, numerantur HERODOTVS, ACHILLES TATIVS, PLINIVS, TACITVS, SOLINVS, POMPONIVS MELA, GLICAS, ANASTASIVS Bibliothecarius, NICEPHORVS CALLISTVS, Cardinalis BARONIVS, GEORGIVS Abbas, & Cardinalis IACOBVS DE VITRIACO *cap. 9.* qui Orientalẽ historiam quadringentis retrò annis scripsit. DIDACVS DE VALERA, qui ducentis retro annis Hispaniæ Chronicam contexuit, *lib. 1. c. 15.* IOANNES DE MARIANA *lib. 4. cap. 1.* CHISTIANVS ADRICOMIVS *in Theatro Terræ Sanctæ, in Manasse. §. 12.* ANANIAS *in libro inscripto: Fabrica Mũdi.*

799 Oratores, qui Phœnicis existentiam approbant, sunt IVLIVS NICRON, & ARISTOTELES Atheniensis, qui loquens de Smyrna à Marco Aurelio Antonino rędificata, hæc scribit: *Repullulat Civitas deposito senio, vetus eadem, & nova: quemadmodum dicunt Phœnicem ex se ipsa reviviscere. (Et mox:) Eadem Vrbs & antiquissima, & novissima iuventa assumpta, quemadmodum de sacra ave dicunt.* Poëtę, qui hanc Sententiam sequuntur, sunt EVRIPIDES, VENANTIVS, PYNDARI Scholiastes cum cæteris Poëtis, quorum verba suprà retulimus.

800 Nec desunt Iurisconsulti gravissimi, qui doctè scripserunt Phœnicis existentiam approbantes, vti GLOSSA CANONICA *in Cap. Quoniam Abbas, num. 9. Extra de Offic. Delegat.* & ibi BALDVS, BARBOSA, PANORMITANVS, & CHASSANÆVS *in Cathal. Glor. Mun. Par. 12. Consid.* 80. denuò asserentes S. Cæciliæ factũ, quæ S. Maximianũ adducto Phœnicis exemplo ad Fidem cõvertit, & in illius, iam pro Fide decollati, sepulchro, Phœnicem insculpi præcepit.

801 Tamdem huiusce veritatis haud inefficax nobis suppeditant argumentũ Sãctiores Ecclesiæ Patres, dum pro Christi, nostręque carnis Resurrectione, Phœnicẽ avem adducunt, illamque vti verissimum Resurrectionis symbolum proponunt: non enim Sanctissimi Patres fabulis vtuntur ad Divina Mysteria comprobãda. Hos ergo inter Sanctissimos Patres, qui Phœnicem pro verissimo Resurrectionis exhibent argumento, primas tenent S. CLEMENS Romanus, qui *lib. 5. Constit. Apostolic. cap. 6.* de Phęnice loquẽs, asserit: *Avem quamdam esse Soligenam, vberem pręben-tem Resurrectionis demonstrationem.* S. Clemẽtem secuti sunt alij Sancti, Virtute, & eruditione insignes. Sic S. CYRILLVS *Catech.* 18. Ierosolymæ illuminatis scribęns asserit: Deum vt homines Resurrectionis incredulos redargueret, & ab eis hancce incredulitatem eliminaret, produxisse Phœnicem.

802 Sic D. Cyrilli verba, IOANNES PICVS, Mirandulæ Comes, interpretatur: *Vidit Deus hanc hominum incredulitatem, & avem quamdam in hoc fabricatus est.* Et statim vt huic rei fides ab hominibus exhibeatur, subdit: *Non diffidas huic; nam & apum genera sic etiam ex vermibus formari vides, & ex ovis humidissimis pennas, & ossa, & venas avium vidisti:::: Phęnix sanè perfectus excrescens in avem, talis evolat in aërem, qualis & mortuus erat. Et apertissimè mortuorum resurrectionem hominibus demonstrat. Admiranda quidem avis est Phęnix, sed avis quidem irrationalis, neque vmquam volans per aërem psallit Deo, neque scit, quis sit Vnigenitus Dei Filius. Ergo animanti quidem irrationali, & non cognoscenti factorem suum resurrectio donatur, nobis verò glorificantibus Deum, & mandata eius custodientibus eadem non datur?*

803 S. EPIPHANIVS *cap. 11. Physiol.* vt Iudæos confunderet, idem argumentum consignavit, in hæc verba erumpens:

pens:

pens: *Cur igitur Iudæi, inquit, Domini nostri Resurrectionē triduanam non credi-derunt, cum avis, trium dierum spatio, ipsa se suscitet? Aut quomodo se ipsum à mortuis suscitari non potuit, cum de illo dixerit Propheta: *Iustus vt Phœnix florebit?** Lectu dignissima sunt, quæ in hunc Sancti Epiphanij locum adnotavit D. GONZALVUS PONCE DE LEON, Hispanus, mira eruditione insignis.

804 Eodem argumento pro carnis resurrectione vsus fuit S. AMBROSIUS *lib. 5. Hexaëmer. cap. 46.* *Docemur huius avis exemplo, Resurrectionem credere, quę & sine exemplo, & sine rationis perceptione, ipsa sibi insignia Resurrectionis instaurat.* Quod idem Sanctus *in lib. de Fide Resurrect.* iterum repetit, ac confirmat; cuius latina verba Hispano sermone donavit V. P. LUDOVICUS GRANATENSIS, Virtute, ac litteratura insignis *in suo Symbolo Fidei, 1. Par. cap. 22.*

805 In eumdem scopum collimat TERTULLIANUS *lib. de Resurrect. cap. 13.* vbi hæc, inter alia, scribit: *Siquidem animalis est res vitæ obnoxia, & morti; illum dico peculiarem Orientis alitē, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum, qui semetipsum libenter funerans renovat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix. Vbi iam nemo, iterum ipse: qui non iam, alius idem. Quid expressius, atque signatius in hanc causam in hanc scilicet Resurrectionis causam? aut cui alij rei tale documentum? Multis passeribus antistare vos Dominus pronunciavit; si non & Phœnicibus, nihil magnum. Sed homines semel interibunt, avibus Arabiæ de Resurrectione securis?* Et in *Carmine de Iudicio Dei*, hęc habet:

*Lux perit vmbrato venienti vespere Mundo;
Et renovata suo vivit fuligine Phœnix.
Et sua mox volucris (mirum!) post busta resurgit.*

806 Cui consonat GEORGIUS PISIDAS, Græcus, *lib. de Mundi Opifi. vers. 1091.* sic de resurrectione Phęnicis loquens:

*Quis porrò Homeri è fictionibus Deus,
Phœnicis obradit senectam vsti rogo,
Atque arido candens senem busto aliter
Vivus sepulchri reliquias mox exhibet? *

806 Ab hac quoque ave argumentum pro nostra Resurrectione desumpsit, ingeniorum apex AUGUSTINUS, siquidem *de Origine Animæ ad Vincentium* scribens: *Quod de Phęnice (inquit) loqueris ad rem, de qua agitur, non pertinet; omninò resurrectionem quippe illa significat corporum.* Ex solidissima horum Patrum Doctrina, argumentum ad carnis resurrectionem Phęnicis exemplo, comprobandam hauserunt Guillelmus Sallustius *in Septim.* Eduardus Dumonin *in Beresith.* Balthasar de Vias *in Append. ad Sylv. Reg. 8.* & HORTENSIUS PARAVISINUS *in Inscriptione ad Austriacū Phœnicem Philippum III.* vbi pro sua gravitate, ac acumine, hæc scripsit: *Rogus multo (sic cernis) lumine splendens parturit, sepulchrū edit, ac Solarem Avē, herede, amore, commutatione æternat.*

808 De Phęnice sub Resurrectionis metaphora, scribunt P. ALPHONSUS SALMERON *tom. 11. tract. 1.* IOANNES DE PINEDA *in Iob. cap. 29.* MARTINUS DELRIUS *in Opere Mariano, lect. 38.* RODULPHUS CARTHUSIANUS *in Vita Chri i, 2. par. cap. 69.* & P. ANTONIUS PEREZ *in Laurea Salmantina.*

809 Sanctus CYPRIANUS (seu RUFFINUS) Phęnicis resurrectionē Incarnationi Filij Dei in purissimo Beatissimæ Virginis Vtero, tamquam elegantissimum huius Mysterij symbolum, accomodat: *Et tamen (inquit) quid mirum videtur, si Virgo conceperit, cum Orientis aveṁ, quam Phęnicem vocant, in tantum sine coniuge nasci, vel renasci constet, vt semper, & vna sit, & semper sibi ipsa nascendo, vel renascendo succedat?*

810 Phęnici etiam gloriosissimi Martyres comparantur, qui murice proprij sanguinis insigniti, & persecutionis, ac martyrij igne, quidquid in ipsis terrenum erat, ac fragile excoquente, puriores ad cœlestem patriam evolarunt; prout de Divo Paulo expendebat AMBROSIUS, cum inquit: *Intravit igitur in thecā suam, quasi bonus Phęnix, quam replevit odore martyrij.*

811 D. PETRUS DAMIANUS *lib. 2. epist. 18.* de Divini Verbi in inferiores huius Orbis partes descensu, sub Phęnicis Allegoria, sic loquitur: *Phœnix itaque alas refertas aromatum suavitate deposuit, quia Redemptor noster de Cœlo cū gemino ad nos vtriusque Testamenti odore descendit, dicens: *Non veni legem solvere, sed adimplere. Matth. 5.**

812 Pulchrè certè Damianus Phęnici Christum Dominum comparavit; sicut

enim priùs procreatur vermis, & postea, die nempè tertiò, è vermiculo illo renascitur Phœnix, vt D. Epiphanius, cum cæteris Sanctis à nobis suprà adductis, testatur; sic Christus Dominus Phęnix humanus est, allegoricè Sacratissimus Vermis, vt ipse per Regium Psaltem testatur, dicens, *Psalm. 21. Ego sum vermis, & non homo*: Et sicut vermis ille, qui in Phœnicem transformatur, humano semine non generatur; sic Christus Dominus virili semine non est conceptus, vt rectè expendit S. MAXIMVS *Comment. in D. Dionys. cap. 2. de Cœlest. Hierarch.* ad illa verba: *Ego sum vermis, & non homo*, sic scribens: * Ex persona Domini ipsum vermi comparavit, tamquam minimè ex feminè genitum, sicuti nos: sed sine semine veluti vermis, qui non ex semine generatur, & sic non secundum Divinitatem capiatur, sed secundum carnis humilitatem.* Et sicut vermiculus ille, tertia die Phęnix iam factus, è pyra sua formosior assurgit, sic Sacer vermis Christus Dominus, Phęnix Divinus, è suo Sepulcro tertia die resurgens, Sole pulchrior refulsit. Et sicut Phęnix postquam renatus est, ijs, qui in eo loco degunt, se conspiciendum prebet, vt S. EPIPHANIVS hisce enarrat verbis: * Tertià verò die crescit, & accepto incremento ijs, qui in eo loco versantur, se ipsum ostendit, & rursum ad propriam patriam recurrit, ac quiescit.* Sic Christus Dominus Apostolis *Præbuit se ipsum vivum post Passionem suam in multis argumentis, per quadraginta dies, apparens eis. Act. 1.*

813 Tandem sicut Phęnix redivivus in Heliopolim, Civitatem Solis, magna avium comitante caterva, evolat; sic Christus, ruptis iam mortis vinculis, *ac captivam ducens captivitatem, ad Ephes. 4.* in Solis Civitatem, in Cęlestem Ierosolymam, videntibus Discipulis *Act. 1.* ac superbis virtutibus vndique coniubilantibus, Regique suo humillimè famulantibus, elevatus est.

814 S. PETRVM DAMIANVM id eleganter expendentem audiamus *lib. 1. Epist. 18.* *Deinde Phęnix plumefacta, & in aërem, alarum remigijs armata, sustollitur: quia victor mortis Dominus, ad Patris vsque consessum, coniubilantibus vndique supernis Virtutibus, elevatur.* Cui consonat NICOLAVS REVSNERVS, de Sacro Phęnice sic loquens:

*Voica semper avis, pater, & sibi filius ipse,
Morte sibi vitam dat sibi sola novam:
Sic Christus vitam sibi reddidit morte, suisque
Christicolis, sibi quos iungit amore pari.*

815 Inter Sacrarum litterarum monumenta, quibus Phęnicis existentia comprobari posse videtur, notatu dignissimum est illud *Iob. 29.* vbi Patientiæ Prototypon sic de se, suæque carnis resurrectione profatur: *Dicebamque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Hunc enim textum aliqui Rabbini sic vertunt: *Et sicut Phœnix multiplicabo dies.* PAGNINVS, vero ARIAS MONTANVS, EVGVBINVS. & alij sic: *Sicut arena multiplicabo dies*, id est copiosè, abundanter; iuxta illud *Gen. 22. Multiplicabo semen tuum velut arenam: & Deuteron. 33. Thesauros arenarum: & Psal. 77. & 138. Sicut arenam maris volatilia pennatæ.*

816 At S. HIERONYMVS Palmæ metaphoram sequutus, vertit: *Sicut Palma multiplicabo dies*: quo pacto prædictum textum verterunt etiam Septuaginta, addentes vocem Græcam, quæ Palmæ truncum significat, qua propropter VATABLVS sic legit: *Sicut truncus Palmæ, multum tempus vivam.* Vbi forte truncum dixerunt, tum propter firmitatem, tum propter gradatos illos corticis pollices, quos cum faciunt rami decidentes singulis annis, annuis gradibus crescere videtur, ideòque in trunco Palmæ multi anni numerantur. Vel *truncum Palmæ* verterunt, propter longævam Palmæ vitam, perpetuamque illius in folijs viriditatem. Hinc FORNVTVS, & OLYMPIODORVS *in Iob*, & S. Gregorius *lib. 19. cap. 24. & 25. Moral.* Palmæ truncum, semper viventem appellant. Hinc etiam Plinius *lib. 13. cap. 4.* asserit, Phęnicem à Palma nomen accepisse.

817 Cæterum Rabbi Salomon, sic transtulit: *Sicut Phœnix multiplicabo dies*; quem Tigurina, & Caietanus sequuntur. At id clariùs explicat V. & S. BEDA, vel vt alij existimant PHILIPPVS Presbyter, sic scribens: * Avis quoque illa, quam multi facile vivere autumant, Phœnix nuncupatur. Potuit forrassis de eadem hoc loco dixisse, vt sicut illa nidum sibi faciens in ipso, post multa tempora, à semetipso concremari, & rursus de eisdem cineribus fertur inter breve tempus resurgere, quæ deinceps multis vivat tempo-

po-

poribus. Fieri ergo potest, vt D.Iob in similitudinem avis illius dicat,se post mortem in carnis cinere,velut in nidu pro tempore futurum, & inde resurrecturum in gloriam.*

818 Pro maiori tandem huius textus elucidatione videantur Iobi Interpretes,Aretas Græcus,S.Anselmus, S. Augustinus,S.Thomas,Beda, Hugo, Dionysius Carthusianus, Cyprianus Cistercienfis, Catena Græca, S. Gregorius Magnus, S. Hieronymus,Nicolaus de Lyra, Origenes, Pineda,Didacus à Stunica.Ioannes Ferus, Titelmanus,Gaspar Sanchez,& alij.

819 Sed pro eadem Phœnicis existentia magis stabilienda, omitti non potest illud *Psalm.91. Iustus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Etenim hunc Davidis locum aliqui Authores sic vertunt: *Iustus vt Phœnix florebit.* Sic legunt Ferus,Aben Ezra,Postillator,Titelmanus, Rabbi Levi, S.Epiphanius,& TERTVLLIANVS,qui de Phœnice atque resurrectione differens *cap.13.* rem totam,de qua agimus,clarissimè confimat,sic prædictum textum delucidans: *Deus etiam in Scripturis suis: *Et florebit*, inquit,*velut Phœnix*; ideſt,de morte, de funere, vti credas, de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Videantur Sacrarum Litterarum Interpretes, multique ocurrent, qui in eumdem sensum conspirarunt.

820 *QVÆSTIO.* Nova hic quæstio breviter enodanda occurrit, scilicet: *An Phœnix* (de quo tot Authores loquuntur) *rarus sit,aut vnicus?* Authores,qui huiusmodi avem à terrarum Orbe eliminant, vti S.Maximus,& alij, eam neque vnicam, neque raram admittunt. Authores verò, qui illius existentiam asseverant, in duas oppositas sententias abierunt;quidam enim, & si pauci, illam non vnicam, sed raram esse affirmant. Fatentur itaque verè esse in rerum natura avem, quæ Solaribus radijs, inter aromata adoratosque ignes,exusta,in cineres, favillasque redigitur, è cuius cineribus exoritur vermis, qui superiorem in avem commutatur: negant tamen hanc vnicam esse, sed multas, omnesque eiusdem speciei inveniri affirmant, quæ & prædicto modo procreantur, & eodem modo occumbant. Hancce avem omnes,Phœnicis nomine donarunt, non quia vnica sit, sed quia rara. Sic PERSIVS *Saty.1.*

Quando & rara avis est.

Raram enim appellat,quia rarò,ac non nisi post longum tempus se conspiciendam præbet, provt interpretatur CORNVTVS dicens: *Translatio à Phœnice, quæ sexcentesimo anno apparet. Dicitur colorem habere Venetum:quæ omnes virgulas odoriferas colligit,& sibi spicas parat,quæ dicuntur Solis ardore incendi,& de cineribus suis cum Sole renascitur. Et hoc Proverbialiter dicunt *raram avem*, quam post longum tempus videmus,& hoc verecundè Persius dicit *scribere ceu Phœnix*, quæ circa partes Indiæ est, tardè se ad videndum hominibus profert.*

821 Sic etiam censet BERNARDVS AVTVMNVS, qui eamdē Cornuti rationē reddit alludēs ad Phœnicem, qui in illis remotioribus Arabiæ Regionibus, Orientē versus,degit,& ab Indis *Semenda* dicitur, vt NICOLAVS DE COMITIBVS refert, & Recentiores in suis commentarijs communiter annotant.

822 At Phœnicem avem quidem non modo raram,sed & vnicam esse,gravissimi tuentur Authores:ita enim tradit Sanctus CLEMENS Romanus, loco supra citato dicens: *Comparem non habere, solamque in Mundo reperiri.* Clementem secutus est S. CYRILLVS supra laudatus: *Hæc cum sit sola tantum avis, & vna.* Quibus subscribit S.ISIDORVS asserens,ideò Phœnicem vocari: *Quòd sit in toto Orbe singularis, & vnica: nam Arabes singularem, & vnicam Phœnicem vocant.* Consonat etiam EVSEBIVS: * Cum naturæ providentia, vnica fit.* PHILOSTRATVS etiam, dū ait: * Vnicam tantum hanc avem esse.* POMPONIVS: *Phœnix semper vnica est.* OVIDIVS *lib.2. Amor.*

Et vivat Phœnix,vnica semper avis.

MARTIALIS *Epigram.7. lib.5.* CLAVDIANVS *in Panegyr. 2. STILIC.* LACTANTIVS, BAPTISTA MANTVANVS,qui omnes Phœnicem vnicam esse expressè tradunt.

823 Huic sententiæ manifestè suffragatur GLOSSA *in cap. Quoniam Abbas 14. de Off. & Potest. Iudicis delegat.* * Sed non est proprium nomen, sed singulare, vt Phœnix.* Quod ideò dicit, vt ostendat delegationem Dignitati factam, non expresso nomine illius, qui ea Dignitate præfulget, ad Successorem transire,eo quòd Prędecessor,& Successor vnica repu-ton-

tentur Persona; & hoc ideò quia Dignitas numquam expirat, vt latè, ac eruditè probat DIDACVS DE SAHAGVN *de Off. Iud. Delegat.* & ante illum ANDREAS BARBATIVS *in cap. Quoniam Abbas*, & BALDVS *super eumdem textum, num 3.* in rem nostram valde appositè, hæc scribit: *Est autem Phœnix, avis vnica singularissima, in qua totum genus servatur in individuo.* Et NICOLAVS de Tudeschis, Abbas Panormitanus *ibidem num. 7.* *Non tamen est nomen proprium, sed est appellativum singulare, sicut Phęnix.* Idem censet Bernardus de Botono, Decretalium Repetens, cum alijs tàm Repetentibus, quàm concordantibus, qui in citato loco videri possunt. Vnde cum hæc sententia à gravioribus Authoribus tradatur, & à Sanctissimis Patribus præclara eruditione, ac abundanti Doctrina ornatis stabiliatur, ac roboretur, ideo ei, vtpotè & gravissimis Authoribus, & ijs, quæ à nobis in hac Apologia tradita sunt conformiori, subscribendum esse, censuimus.

824 Quam pro coronide hac efficacissima ratione confirmo. Estò antiquitus Sancti Patres, gravissimique Authores Antipodas negaverint, eorumque Regiones inhabitabiles esse censuerint, ac immensam Oceani vastitatem impermeabilem iudicaverint; nihilominus tamen experientia his nostris temporibus adeò evidenter oppositum ostendit, vt & Oceanum navigari, & Antipodas incoli, ac Occiduum Orbem, omnesque quinque Zonas, (quarum tres ab Antiquis humani generis habitationi incommodæ, ac penitus inaccessibiles iudicabantur) hodie ab hominibus habitari, non nisi temerè possit aliquis denegare. Similiter ergo quamvis Phœnicis existentiam aliqui Authores tamquam commentitiam, ac fabulosam exploserint, ipsa tamen experientia, quæ iuxta gravissimos Authores, Phęnicem hominibus non semel conspiciendum exhibuit, ad eum certitudinis gradum hanc nostram sententiam evexit, vt quamvis hęc nec tanta innumerabilium Scriptorum, tam antiquorum, quàm recentiorum Authoritate muniretur, nec ea Sancti Patres pro confirmando Resurrectionis, alijsque Fidei mysterijs vterentur, ob hanc solam experientiam, nullatenus videatur in dubium revocanda.

825 Audiamus ergo priùs, quid IOANNES SALISBERIENSIS referat *lib. 1. Polycr.* loquens enim de Nova Roma: *Phœnix, inquit, singularis fęlicitatis successum pollicetur, quale est, quod Nova Roma, visa Phœnice, melioribus auspicijs condita est.* Consonat BVLENGERVS *lib. 3. de Augur. cap. 6.* vbi innuit visum fuisse Phœnicem, in fundatione Constantinopolis, quam *Novam Romam* Salisberiensis appellat. Idem tradunt CYRVS MONACHVS *apud Bulenger. lib. 2. cap. 8. de Imper.* SYNESIVS *Orat. de Fratern. Amicit.* CONSTANTINVS PORPHIROGENETA, *lib. 2. de Themate*, PAVLVS Diaconus *lib. 11. Miscell. Histor.* & IVLIANVS APOSTATA *Orat. 1.*

826 Dicta etiam fuit *Byzantium*, vt docent CONSTANTINVS MANASSES *in Polit.* CEDRENVS, *in Compend.* & VICTOR TVRONENSIS *in Chronic. Alexand.* Cæterum huiusce rei veritatem penes prædictorum Authorum integritatem relinquimus.

827 Phœnicem quater apparuisse hisce verbis enarrat TACITVS: *Prioresque alites Sesostride primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolomæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in Civitatem, cui Heliopolis nomen, advolavisse, multo cæterarum volucrum comitatu novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura, inter Ptolomæum, ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt: vnde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilque vsurpavisse ex his quę vetus memoria firmavit.*

828 Itaque, vt scribit Tacitus, Phœnix quater in Egypto apparuit. Primò sub Sesostride illo Ægyptiorum Rege, qui subactis Rubri Maris accolis, alveum navigabile ex Nilo in Mare Rubrum ducere conatus est, vt referunt HERODOTVS *lib. 2.* PLINIVS *lib. 6. cap. 29.* S. BASILIVS *Homil. 4. in Hexaemer.* S. AMBROSIVS *ibi lib. 3. cap. 20.* PROCOPIVS *in 1. Genes.* S. THOMAS *1. Par. quæst. 69. art. 1.* ACOSTA *lib. 3. cap. 10. Histor. Natur. Indiar.* MALVENDA *lib. 1. de Antichrist. cap. 7.* & *de Paradiso, cap. 35.* Iste fuit septimus Ægypti Rex post Merin, & sub isto Phœnicem in Ægypto visum fuisse testatur Tacitus.

829 Secundò, apparuit Phęnix sub Amaside Ægypti Rege, cui iuxta lucanum

vno

vna Pyramidum tumulo fuit. Tertiò Phęnix se conspiciendum in eadem Ægypto exhibuit sub Ptolomæo tertio Macedonum Rege, qui anno à Creatione Mundi 3737. ante Christi verò Adventum 247. & ab Vrbe condita 507. Regni moderamen inivit.

830 Quartò, visus fuit Phęnix in Ægypto sub Tyberio Imperatore, vt refert TACITVS, cui subscribit DIO CASIVS, dicens: *Eodem anno Phęnix in Ægypto visa est, eam Tyberio mortem denunciare putabatur.* Scribit autem PETAVIVS, Tyberium tribus annis post visum Phęnicem obijsse.

831 Tamdem alium Phoenicis in Ægyptum sub Claudio Imperatore adventum, scribit PLINIVS *lib.* 10. *cap.* 2. *Cornelius Valerianus, Phęnicem devolavisse in Ægyptum tradit Q. Plautio, & Sexto Papinio Coss. Allatus est in Vrbem, Claudij Principis Censura, & in Comitio propositus, quòd Actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitaret.* Eamdem Phęnicis apparitionem asseverat SOLINVS *cap.* 36. sic scribens: *Q. itaque Plautio, & Sexto Papinio Coss. Ægyptum Phęnix involavit: captusque anno octingentessimo Vrbis conditæ in Comitio publicatus est, quod gestum præter Cēsuram, qua manet, Actis etiam Vrbis continetur.* Idem tradidit DIO CASSIVS *lib.* 58. *Quod si Ægyptiæ etiam res ad Romanos attinent, eo anno ibi Phœnix apparuit.* Suffragatur SEXTVS AVRELIVS VICTOR supra laudatus: *Huius temporibus visus est apud Ægyptum Phœnix.* Et confirmat SVIDAS: *Sub Claudio Imperatore hanc (scilicet Phœnicem) ad Ægyptios venisse dicunt.*

832 Vnde si Antipodes, esto Sancti Augustini temporibus summè dubij, & penitus incredibiles viderentur, experientia illorum, qui eos conspexerunt, ita evidenter credibiles reddidit, vt non nisi temerè possint negari: idem videtur de Phęnice dicendum, cum tam graves Authores eum in Ægypto conspectum fuisse affirment. Et estò id non subsisteret, descriptio tamen, qua tam insignes Authores, singulas Phoenicis circumstantias, ac propietates tam graphicé, & concinnè, ac si ipsum conspexissent depingunt, illum pennitus innegabilem efficiunt: proprietates enim, vt communiter Philosopi ac Theologi docent, ita connexæ sunt cum essentia, & accidentia cum substantia, vt vbi relucent proprietates, ibi reluceat, & essentia; & vbi sunt accidentia, ibi sit & substantia. Quare cum tot viri non modò eruditione, sed, & Sanctitate insignes, tantæque fidei in Historia Authores, omnes, ac singulas Phoenicis propietates, omniaque ac singula accidentia, quæ illum comitantur, colorem nempè, rostrum, alas, coronam, quantitatem, in volatu pernicitatem, in cantu suavitatem, patriam, nidum, lignaque, quibus illum componit, ac extruit, longævam vitam, singulasque, ac individuas mortis, sepulchri, ortus, & resurrectionis circumstantias, tam expressis, & vivis coloribus, ac si præsentem intuerentur, vnanimes depingant, eaque omnia non quidem dubitando, sed seriò affirmando describant; nemini iam integrum fore videtur de huiusmodi avis existentia dubitare.

833 Insuper cum iuxta communem regulam Iuris, ad alicuius facti probationem vnus testis affirmativus mille præstet negativis, & vnus occulatus, mille ex auditu conscijs præferatur, & in antiquissimis factis singularis sit efficaciæ ab immemorabili ducta probatio, cum opposita sententia Phoenicis existentiam vti commentitiam explodens, soli argumento negativo ex se tam in rebus historicis, quam in Dogmaticis insubsistenti, fulciatur; nostra verò, prædictæ avis existentiam propugnans, innumeros summæ gravitatis, ac fidei à se habeat Authores, qui vti testes affirmativi, in antiquitate celebres, eam tuentur, non solum quia id à suis maioribus acceperunt, sed quia multi prædictam avem in Ægypto visam fuisse testantur, vti Ægypti Rex, qui Phęnicem in suo Regno conspectum fuisse, ad Romanum Pontificem scripsit, eum huiusce rei tam mirabilis certiorem faciens; nec credibile sit prædictum Regem absque notitia certa, ac omni exceptione maiori rem in suo Regno notissimam, Romano Pontifici vti commentitiam, scripturum. Cumque denique præstantissimi, ac primæ notæ Authores, quos modò laudavimus, Phœnicem in Ægypto non semel visum fuisse affirment; istiusque avis notitia, & existentia in omnibus Regis, tàm Catholicorum, quàm Æthnicis, per multa annorum millia summa vniformitate, & vniversalitate credita sit, ac asseverata; hinc fit, Phœnicis existentiam argumento desumpto à traditione,

ne, quæ antiquitate, vniversalitate, ac in vnanimi Authorum consensu comprobatur, efficacissimè confirmari; hęc enim traditio sua antiquitate, vniversalitate, ac vniformi Authorum placito istam quam sequimur Sententiam indubitabilem efficit, omnemque ab illa falsitatem excludit.

834 Precipuè quia cum hæc nostra Sententia multorum Ecclesiæ Patrum Authoritate consolidetur, vti S. CLEMENTIS ROMANI, S. CYRILLI, S. GREGORII NAZIANZENI, S. CYPRIANI, S. HIERONYMI, S. AMBROSII, S. AVGVSTINI, S. ISIDORI, S. PETRI DAMIANI, B. ALBERTI MAGNI, aliorumque complurium, qui sua Antiquitate, Sanctitate, litteris, & historiæ notitia, magnam sibi in Ecclesia fidem, & opinionem conciliarunt, quorum verba supra retulimus, præstat cum istis Phœnicis existentiam asseverantibus, eam admittere, quā sequi illos, qui prędictam avem inficiantur, cum & istos solidò, ac securo fundamento destitutos esse videamus.

835 Ex hucusque dictis apertè dignoscitur, quā immerito Photius D. Clementem redarguerit, quòd in sua ad Corinthios Epistola, Phœnicem avem pro verissimo Resurrectionis symbolo exhibuerit, ac si vera fuissent, & non potius commentitia, & fabulosa ea, quæ de Phœnice ab Authoribus comuniter traduntur; cum præstantissimi Ecclesiæ Patres D. Clementi hac in re subscripserint, eamdēque Resurrectionis veritatem, & Mysterium, eodem Phęnicis exemplo confirmaverint.

836 Nec obstat dicere, inter Authores, quos pro Phœnice adduximus, ingens esse dissidium, precipuè circa Phœnicis annos, eiusdemque pyram, & resurrectionem, ac circa paterni cineris sepulturam, vt ex his, quæ hucusque diximus, innotescit. Non, inquam, obstat: nullus enim Catholicorū dubitat, certa esse, ac de Fide, ea, quæ in Evangelica historia enarrantur, estò Sacri Scriptores in multis circumstantijs dissentiant: quia scilicet, vt docet Augustinus, & cum illo alij Patres Sanctissimi, hæc particularium circumstantiarum varietas, dummodo circa facti substantiam nullum sit dissidium, nullaque diversitas, non officit veritati. Pariter ergo, quamvis Authores in aliquibus accidentalibus circumstantijs Phęnicis dissentiant; attamen cum omnes in facti substantia, ac vera huiusmodi avis existentia consentiant eamque vnanimi suffragio affirment, illa circumstantiarum varietas nullatenus historiæ veritatem infringet.

837 Similiter nemò, cui Fidei lumen affulserit, Christi mortem revocabit in dubium, estò circa istius mortis tempus ingens inter Catholicos Authores, Sanctissimosque Patres agnoscatur dissidium: alij enim defendunt, Christum Dominum 30. vitæ anno obijsse; alij 31. aliquibus mensibus superadditis; alij 33. alij 37. nec desunt, qui 40. vitæ anno mortuum fuisse tueantur. Videatur ALEXANDER NATALIS *tom.* 1. *sæcul.* 1. *de Christi morte*, *dissert.* 2. *quæst.* 3. Vndè corruit adversariorum instantia, nostraque conclusio stabilis, ac inconcussa subsistit: ea nempe, quæ D. Clemens de Phœnice scripsit, esse tamquam verissima amplectenda; & censuram, qua Photius magis æmulatione actus, quam historiæ veritate permotus solidam, & Apostolicam Sancti Clementis Doctrinam sugillat, & redarguit, esse tamquam erroneam reijciendam, & à Catholico viro penitus eliminandam.

§. XVI.

AB HÆRETICORVM IMPOSTVRIS Epistola 5. S. Clementis vindicatur.

838 PRo viribus hucusque curavimus S. propugnare Clementem, intendentes eius Epistolæ 1. *ad Corinthios* Doctrinā, à duplici, quem ei adscribit Photius, errore vindicare. Cum tamen silentio prætereundum non sit, quod hæreticorum malitia voluit contra puritatē Fidei, illiusque Doctrinæ promulgare, asserentium scilicet Clementem sequutum fuisse in sua 5. Epist. abominabilem illam hęresim Nicolaitarum, & Ethnicorum, qui machinabātur mulieres esse cōmunes; ideo in præsenti oppositum ostendere, studiosè curabimus.

839 Id quidem haud difficile erit dicentes quod TVRRIANVS *lib.* 5. *contra Magdeburg. cap.* 2. Et BARON. *anno.* 74. *num.* 19. & 75. prudentissime annotarunt. His tamen interim omissis, respondemus primò, præter duas recensitas ad Corinth. Epistolas, quæ sub Sancti Clementis nomine circumferun-

rentur, suppositas esse, & Apocryphas. Communiter in hoc eruditi conveniunt, vt notavit Mag. NATALIS ALEXANDER, suprà laudatus *sæculi* 1. *p.* 1. *ar.* 10. & mox probabimus. Vnde nullius ponderis est argumentum adductum ex Epistola, quæ ab eruditissimis viris, in Apocrypharum classim reijcitur.

840 Secundò dicimus: quod quamvis GRATIANVS *cap. Dilectissimis* 12. *quæst.* 1. adducat hæc S. Clementis verba: * Denique Græcorum quidem Sapientissimus hæc ita sciens esse, ait, communia debere esse Amicorum omnia (in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges:)* Ex quibus verbis infert inveterata hęreticorum malitia, sensisse Clementem, inter amicos vxores debere esse communes, quamvis, inquam, hęc ex Clemente citet Gratianus, non indè deducitur illam Epistolam genuinum esse S. Clementis opus.

841 Vt enim rectè adnotavit GLOSSA, verba illa, quæ ansam, vt iste D. Clementi adscriberetur error, præbuerunt, nempè: *In Omnibus autem sunt sine Dubio & Coniuges*, non sunt è textu, sed ab aliquo è perversis illis hæreticis, qui licitam esse vxorem communitatem arbitrabantur, Sanctissimi Pontificis libris latenti dolo inserta. Glossam audiamus: * Verba hæc (inquit) absunt ab Originali in recentioribus Conciliorum Editionibus, impresso, & duobus ipsius manuscriptis Codicibus, vno Baticano, & altero Bibliothecæ S. Marci Florentiæ, & ab Anselmo. Hanc vero Sententiam à Platone acceptam hæretici quidam volebant in Christianam Religionem invehere. Ita enim scribit EPIPHANIVS *Heresi* 30.*

842 Huic Glossæ adnotationi consonat, quod D. FERDINANDVS DE MENDOZA, in Concilij Illiberitani, in Hispania, quarto sæculo celebrati, Commentario, solita adnotavit eruditione, dum *lib.* 2. de hoc eodem textu Epistolæ quintæ S. Clementis loquens, adscribensque Hæreticis, veterem sectariorum morem sectantibus, illius Epistolæ adulterationem, hæc subijcit verba: * His vestigijs opinetur quis eos instituisse, qui Epistolam hanc B. Clementis nomine divulgarunt; impiè enim de communi rerum divisione sentiebant, & multò magis de communione vxorum, quæ Nicolaitarum primùm Hæresis fuit, à Divo Petro, à Clemente, & Reliquis Apostolis sæpè notata, reprehensa, & punita.*

843 Eumdem textum aliter interpretatur Glossa verbo: *Et Coniuges*, non admittens esse cōmunes quoad vsum illicitū, sed tantūmodò quoad obsequium: *Non quo ad vsum carnis (inquit) sed quo ad vsum obsequij, vel quoad dilectionem. 31. *dist. cap. Omnino*, & est Art. quod verbum generale, generaliter intelligendum est 19. *dist. cap. Si Romanorum*.*

844 At D. MICHAEL DE LVNA ET ARELLANO *lib.* 3. *De Iuris ratione, & Imperio, cap.* 8. *in expositione istius textus: Communia debere esse Amicorum Omnia, in Omnibus autē sine dubio sunt & Coniuges*, hæc habet: * Verba ista legenda sunt, veluti coniuges habent omnia communia in omnibus, non definitione, sed exemplo; vt veluti Domus subvnico dominio regitur, licet duo sint coniuges, & sicut in coniugio diversa patrimonia communicantur, & res; ita in Republica, quia ad instar domus constituitur, & nihil refert (inquit ipse Plato *lib. de Regno*) an ampla an angusta sit Vrbs, & Imperium. Quoniam sicut Regnum domus ęconomicum est omnis finis, omnis ornatus, omnis legis, & omnis ordinis distributio ęconomica: Ita Regnum politicum, teste D. Dionisio *lib. de Divinis Nominibus*, & exinde Pax, Beatitudo, & Fœlicitas.*

845 Idem hic Gravissimus Autor aliter prædicta interpretatur verba, dicens: * Aut intelligenda sunt, coniuges debere esse communes ad obsequium, ad serviendum, velut fratres, & amici adinvicem, vt in regeneratione, inquit, Apostolus *ad Galatas* 5. *Vos enim in libertate vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasione detis carnis; sed per Charitatem Spiritus servite invicem, omnis enim lex in vno Sermone impletur, diliges proximum tuum sicut te ipsum*, 1. *ad Corinth. cap.* 10. hac dilectione communes sunt omnes adinvicem, sine dubio & coniuges.*

846 Tandem quamvis daremus prædictam clausulam genuinam esse S. Clementis, illamque Epistolam minimè fuisse ab Hæreticis consarcinatam, quod gravissimis Authoribus, quos suprà retulimus, opponitur, maximè verò D. Ferdinando de Mendoza, qui loco citato suprà

Ddd hanc

hanc margini apponit notam: * Epistolam quintam Clementis Papæ, cuius pars prior extat apud Gratianum *in cap. Dilectissimis*, 12. *quæst.* 1. *posterior in cap. Relatum* 37. *dist.* ab Hæretico aliquo compilatam fuisse, non scriptam à Clemente.*

847 Quamquàm daremus, inquam, Hæreticis illam Epistolam, immò & clausulam à D. fuisse Clemente conscriptam, nullatenùs ex illa infertur quidquam, quod à Sancti Pontificis Virtute abhorreat, & Doctrina: Ibi enim Clemens; non ex animi sui sententia hęc scripsit, sed referens, & posteà explodens, quæ pater eius Faustinianus, adhuc Æthnicus, ante Conversionē, vt Philosophus Pythagoric° sentiebat, vnaque rationes adducens, quibus Faustinianus, vt suum adstrueret errorem commovebatur, quas latè referunt Authores; illarum autem præcipua prædicta Clausula erat.

848 Et quidem si attentè legatur textus quanti firmamenti nostra habeat solutio, satis, superque innotescet, ait enim: *Denique Græcorum quidam Sapientissimus hæc ita sciens esse*, ait: *Communia debere esse Amicorum omnia*, *in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges.* Ex ijs igitur verbis deducitur sensisse S. Clementem Mulieres debere esse communes; improba est consequentia, omnique syllogizandi arti opposita; si enim errores, quos Sancti ex aliena referunt sententia, ipsis ceu proprij essent adscribendi, nullus esset Autor, in quo securitatis satis haberemus; Sancti siquidem Patres in errores aliquos insurrecturi, semper illorum, qui in ipsos prolapsi fuere, sententias referre consueverunt, nec inde Sanctis Patribus errores, quos vel relegunt, vel referunt vmquam fuerunt adscripti, vt videre est in S. Ireneo, S. Ignatio, S. Athanasio, S. Hieronymo, S. Augustino, cæterisque omnibus, qui in Ethnicos, Hęresiarchas, Iudæosvè calamum omnibus retro sæculis adstrinxerūt. Quibus vnquam quod ex aliena dixere sententia, tamquam proprium fuit attributum? Cum igitur textus, estò ipsum in præsentiarum genuinum esse S. Clementis fatemur, expresè dicat: *Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse*, *ait*, *communia debere esse Amicorum omnia*, *in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges.* Satis præspicuum manet Clementem non in propria, sed aliena sententia, non ex proprijs decidendo, sed cuiusdam Græcorum sapientissimi errorem referendo, fuisse loquutum.

849 Nec à fundamento discedit quod asserimus, immò id veritati congruere apertè convincit interpretatio, qua D. Michael de Luna & Arellano, iam laudatus, prædictum textum elucidat dum *cap.* 8. sentit hanc fuisse propriam Sapientissimi Platonis sententiam, à D. vero Clemente solummodò fuisse relatam, ait enim: * Illa denique verba a Platone, *dicto lib. de Republica* prolata, & a D. Clemente relata, *in dicto cap.* 2. nempè *Communia esse debere Amicorum omnia, &c.* *

850 At clariùs idem Author *cap.* 7. asserit fuisse Platonis sententiam, *num.* namque 1. sic scribit: * Ille Magnus Philosophus Plato *de Republica*, cui Aristotelem esse imparem, D. Augustinus affirmat, & refert Pater Lopez *ad Boezium, lib.* 3. *Metro vndecimo*; licet non fuerit perfectus, omnia (tamen dixit) communia esse debere. (Hancque Platonis Sententiam latè edisserens, sic concludit.) Et ita intelligendus est D. Clemens *in dicto cap.* 2. 12. *quæst.* 1. *Græcorum quidam sapientissimus*, *hæc ita sciens esse*, *ait omnia communia esse debere*, & Gratianus noster *in summa*, 8. *distinctione*, hæc verba proferens, &c.* Vbi satis perspicuum apparet prædicta verba: *Omnia debere esse communia*, solummodo fuisse à Clemente vt propriam Platonis, (qui Autonomasticè Græcorum sapientissimus dicebatur) Sententiam narrante, non verò, ipsam approbante, relata.

851 Idipsum satis appositè confirmat D. FERDINANDVS DE MENDOZA, qui prædictum exponens textum censet D. Clementem nō ex propria, sed ex aliena loquutum sententia; ait enim loco iam citato: *Eam igitur Epistolam ab aliquo Hæretico esse confarcinatam, certum est, ex Operibus B. Clementis; in quibus ipse non ex animi sui sententia hæc scribit, sed referens, & postea refellens, quæ Pater eius Faustinianus adhuc Æthnicus ante conversionem, vt Philosophus Pythagoricus sentiebat. Cum enim coram Petro Apostolo ille disputaret, cum Nizeta, & Clemente eius filijs, etsi sibi tunc ignotis, iam tamen conversis, & Fidelibus, discipulisque charioribus B. Petri,

tri, eam quæstionem tunc disputandam proposuit. An aliqua in sua forma, & substantia essent bona, vel mala. * Referensque Faustinianus veterum Philosophorum rationes, vt ostenderet, *nihil admittere mali, qui rem alienam vsurpat*; alias inter, hac potissimum nitebatur. Sententia, ac principium est apud Philosophos Æthnicos haud indubitatum, in Mūdo omnia futura esse communia, quemadmodum communes sunt aer, aqua, ignis, lux, &c. Sicque & sine dubio coniuges: *Communis enim (inquit) vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius hoc suum dicit esse, & alius illud: & sic inter mortales diuisio facta est. Deniq; Græcorum quidam Sapientissimus (Pythagoram intelligit, vel Lycurgum, vel horum discipulum Platonem, quos huius erroris Authores fuisse docent Aristoteles, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Theodoretus, & alij) hæc ita sciens esse, ait: Communia debere esse Amicorum omnia: in omnibus autem sunt sine dubio, & coniuges; & sicut non potest (inquit) diuidi aër, neque splendor Solis; ita nec reliqua, quæ communiter in hoc Mundo data sunt omnibus ad habendum, diuidi debere; sed habenda esse communia. Hæc Faustinianus Senex Pater Nizetæ, & Clementis.*

852 Postquam autem eruditissimus laudatus Mendoza longam Faustinianū inter, & Clementem disceptationē retulerit, rationesque quibus Sanctus Clemens Parentem suum Faustinianum inter arguendum elinguem effecit, elegantissimè memoraverit, hisce grauissimis pro Diuo Clemente verbis concludit: *Quibus rationibus permotum Faustinianum recessisse à veteri errore, & contrariæ Clementis acquieuisse sententiæ. En Platonis, & Pythagoræ errorem de rerum, & vxorum communione, quonam modo non solùm non defenderit Prædecessor tuus Clemens *lib. 10. Recognitionum*, in quo hæc omnia extant, sed multis ex Philosophia morali, ex Physica, ex Astronomia petitis rationibus grauitèr, & accuratè confutarit aduersus Faustinianum Parentem suum; quem etsi Æthnicum, & Religionis Christianæ disciplina destitutum, tantoperè tamen rationes Clementis commoverunt, vt reiecto, quem priùs defenderat, Pythagoræ errore, Beati Clementis posthac, immò & Christi, vt veram, & firmioribus innixam rationibus, amplexaretur Doctrinam.*

853 Idemque post, ex dictis concludens: *Non est ergo (inquit) cur hæretici impiè obganniant, & ex hac Clementis doctrina, ad nos oppugnandos ducant argumenta, cum non solum illa, sed Faustiniani Æthnici Sententia, & consensu iam confirmata expugnari ipsos posse, probent, quæ diximus clarissimè.* Hæc Mendoza.

854 Ex ijs omnibus planè liquet quam constans, immotusque Sanctus Clemens in Fide fuerit, & Traditione, quanta virtute, animique robore Apostolicæ semper adhæserit Doctrinę, quamque à Christiana abhorreat Pietate, velle Orthodoxam illius Fidem verbis in Epistola quinta relatis commaculare; cum Epistolam illam genuinum Clementis opus esse non constet: Vnde vt maximum deduceretur, ab ipso errorem, quo Pater suus Æthnicos sequutus Philosophos tenebatur, & à quo illum Doctissimus, Sanctissimusque Filius avocavit, prædictis fuisse verbis enarratum. Cum itaque nulli vnquā Sanctorum culpa aliqua imposita est, quod alienos retulerit errores, necesse est, vt Sanctum Clementem in Doctrina innoxium omnisque erroris, & fraudis expertem fuisse dicamus, ipsumque immunem adstruamus illius maximè erroris, quem ipsi obstinata Heterodoxorum malitia, tanta animi contentione, tantoque dolo imponit, vt hucvsque latè demonstrauimus.

CAP. V.

DE LIBRIS RECOGNITIONVM D. Clementi adscriptis.

855 CVm iam de D. Clementis ad Iacobum Fratrem Domini Epistola, istiusque exceptionibus, quæ à grauissimis adducuntur Authoribus, egerimus; rectus doctrinæ ordo deposcit, vt de Recognitionum libris Sanctissimo huic Pontifici adscriptis sermonem instituamus. Et quamvis de huiusmodi libris aliqua iam in superioribus prælibaverimus, quia tamen non modicam in se difficultatem involuunt, ideo quid de illis in Eccle-

siastica Historia eruditi censeant, proponemus. Vt autem perfectiùs, ac maturiùs nostrum de huiusmodi libris feramus iudicium, supponendum priùs est, vel factum, vt Iurisperiti dicunt; vel: *An est?* vt Philosophi, ac Theologi loquuntur.

856 Hac de re optimè agit SIXTVS SENENSIS *lib. 2. Biblioth. verbo Clemens*, vti certissimum supponens, hasce Recognitiones fuisse à D. Clemente, *in* 10. *Digestas libros*: quorum alij Priores, alij vero Posteriores vocantur. Senensis verba audiamus: * Clementis Recognitiones, quæ Græcè inscribuntur *Anognosis*, sive *Anagnorismos*, & Latinè *Recognitio*; vel *Anatheorismos*, quod est Revisio, quidam duplici partitione distinguunt, nēpè in decē Priores libros, & decē Posteriores libros. In Prioribus, qui nūc à nobis desiderātur, Clemens ex præcepto Petri collegit, quæcumque Petrus apud Cæsaream Pelestinę, tribus cōtinuis mēsibus disseruit, & ad Iacobum Fratrē Domini transmisit. Horum argumēta singula *in 3. Posteriorū Recognitionum*, quæ nunc habentur, volumine, his planè verbis scripta, leguntur.

Primus Recognitionum liber, agit de verò Propheta, & de proprietate intelligentię legis, secundum id quod Moysis traditio docet.

Secundus de Principio, Vtrum vnum sit, an multa? & quod non ignoret Hebræorum lex, quid sit immensitas.

Tertius de Deo, & de his, quę ab eo instituta sunt.

Quartus, quod cum multi dicantur Dij, vnus tantum sit verus Deus, secundum testimonia Scripturarum.

Quintus, quod duo sunt Cœli, quorum vnum sit hoc visibile Firmamentum, quod & transibit; aliud verò æternum, & invisibile.

Sextus, de Bono, & Malo, & quod bono cuncta subijciantur à Patre: malum autem quare? quomodo? & vndè sit? & quod cooperetur quidem bono, sed non proposito bono? & quæ signa boni, quę verò mali? & quæ sit differentia dualitatis, & coniugationis?

Septimus, quæ prosecuti sunt duodecim Apostoli apud populum in Templo?

Octavus, de verbis Domini, quæ sibi videntur esse contraria, & non sunt: & quæ sit horum absolutio.

Nonus, quia lex à Deo posita est iusta, & perfecta, & quæ sola possit facere pacē.

Decimus, de nativitate hominum carnalium, & de generatione, quæ est per Baptismum; & quæ sit in homine carnalis seminis successio, & quæ animę eius ratio; & quomodo in ipsa est libertas arbitrij: quę quoniam non est ingenita, sed facta est, immobilis à bono esse non poterat.

Hęc igitur sunt argumenta Recognitionum, quę Clemens refert, se in Vrbe Cæsareo scripsisse de his, quę à Petro in eadem Vrbe disserta sunt.* Hæc Sixtus Senensis.

857 De Posterioribus idem Sixtus loquens, hæc asserit:

*Clementis Recognitionum libri 10. Posteriores, quos nunc habemus sub titulo *Recognitionum Clementis ad Iacobum Fratrem Domini*, & quorum initium est: *Ego Clemens in Vrbe Romæ natus*; creduntur esse illi, quos Gennadius testatur translatos à Rufino, cuius etiam Præfatio habetur in principio totius operis, in qua sive Rufinus, sive alius quispiam sub nomine Rufini ita de ratione translationis suę ad Gaudentium Episcopum scribit.

Æquum est sanè tibi, qui hęc etiam Gręcè legeris, ne fortè in aliquibus minus à nobis servatum translationis ordinem putes, interpretationis nostrę indicare consilium. Putò, quod non te lateat Clementis huius in Gręco eiusdē operis *Anagnoseon* hoc est Recognitionum, duas editiones haberi, & duo corpora esse librorum, in aliquantis quidem diversa, in multis tamen eiusdem narrationis. Denique pars vltima huius operis; in qua de transformatione Simonis refertur, in vno corpore habetur, & in alio penitus non habetur. Sunt autē, & quædam in vtroque corpore de ingenito Deo, genitoque disserta, & de alijs nonnullis; quæ, vt nihil amplius dicam, excesserunt intelligentiam nostram. Hęc ergo tamquam quæ supra vires meas essent, alijs reservare malui, quàm minus plena proferre. In cęteris autem, quantum potuimus operam dedimus non solum à sententijs, sed ne à sermonibus quidem satis, elocutionibusque discedere. Quæ res quamvis minus ornatum, magis tamen fidele narrationis reddit eloquium.*

858 Hactenus Rufinus de editione horum voluminum, quorum argumenta hic libet conscribere, vt ex collatione ipsorum cum superioribus Priorum Recognitionum argumentis appareat, quantum sit vtriusque operis discrimen.

Pri-

*Primus itaque Posteriorum liber Recognitionum, continet educationem Clementis in Vrbe Roma, ac veritatis studium, Barnabæ adventum ex Iudæa in Vrbem, Clementis cum Barnaba initam societatem, vtriusque navigationem in Palæstinam, & vtriusque ingressum in Cæsaream ad Petrum Apostolum, Petri item cum Clemente colloquium, in quo paucula quædam de verò Propheta testatur Clemens se ex Petro audivisse, eaque litteris vnico volumine mandasse. Additur in fine brevis decursus historiarum Veteris Testamenti.

Secundus, referente Niceta, narrat Simonis Magi sapientiam, eloquentiam, miracula, genus, parentes, item aliqua de potestate Dęmonum in homines; tùm etiam primam Petri disputationem cum Simone in eadem Vrbe habitam; in qua paucis admodum verbis ostenditur, vnum esse Deum Mundi Authorem, & non plures.

Tertius refert secundum Petri cum Simone eadem in Vrbe congressum, in quo nonnulla de libero arbitrio disseruntur. Quæritur quoque, cur Deus non fecerit hominem impeccabilem? Cur cœlum factum sit, quod igne resolvendum sit? vtrum Mundi corde Deum videbunt? & vtrum Anima immortalis sit? Denique Simonis à suis desertionem, fugamque ipsius ex Cæsarea in Syriam describit.

Quartus profectionem Petri, & Clementis ex Cæsarea in Doram, Ptolemaydam, Tyrum, Sydonem, Berytum, eorumque ingressum in Tripolim: qua in Vrbe Petrus hyemavit. Recitat etiam Petri Concionem in eadem Vrbe habitam, in qua brevis est decursus Ætatum mundi ab eius creatione vsque ad Christum.

Quintus habet Concionem aliam Petri in eadem Vrbe.

Sextus similiter aliam in eadem Vrbe Petri Concionem.

Septimus egressum Petri ex Tripoli, & profectionem eius primùm in Orthosiadam, deinde Antaradum, deinde ad Insulam Aradum, ad videndas columnas vitreas immensæ magnitudinis. Refert quoque Matrem Clementis in eadem Insula à Petro repertam, & tunc primùm à filio Clemente agnitam. Enavigat iterum Petrus ex Insula Aradum in Antaradum, inde pedestri itinere Balaneas se cōfert: deinde Pathon, & Gabalam pertransit: deinde Laodiceam devenit, vbi primùm Clemens Faustum, & Faustinianum fratres suos recognoscit.

In octavo libro Petrus in loco secretiori portus Laodiceæ disputat adversus senem quemdam Mathematicum, asserentem omnia fato regi.

Nonus eamdem prosequitur disputationem adversus Mathematicos, qui dicūt, omnia stellarum impulsibus evenire.

Decimus narrat transmutationem Simonis Magi in Faustinianum fratrem Clementis. Deinde nonnulla addit de genealogia Deorum Gentilium. Postremò digerit discessum Petri ex Laodicea, & adventum eius in Antiochiam: qua in Vrbe populus ei Cathedram tradidit docendi.* Hæc ille.

858 Hucusque retulimus factum, divisionem nempè librorum Recognitionum, qui sub Sancti Clementis nomine circumferuntur, in Priores, & Posteriores. At si prædicti libri Divo Clementi adscribantur, vt probat inscriptio, & narratio facti supponit, ingens ac non ferendum suboritur inconveniens, illud nempe non errandi privilegium, in Romano Pontifice supra stabilitum, defuisse iam in vno è primis post Petrum Pontificibus, immò in illo, qui iuxta aliquorum Authorum sententiam, primus post Petrum Ecclesiam gubernavit. Etenim, vt inquit Rufinus, prędictis Recognitionum libris, Eunomij, & Arij error insertus est: *In aliquibus ita Eunomij dogma scribitur, vt nihil aliud, quàm ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creatum ex nullis existentibus asseverans.* Vnde PHOTIVS *Codice 113. suæ Bibliothecæ*, hoc de hisce Recognitionibus iudicium protulit: *Refertur hoc opus, absurdis nugis, non sine plurimis ex Arij opinione in Filium blasphemijs.* Quod si Clementis Papæ essent hi libri, omni proculdubio non errandi privilegio careret.

859 Huic tamen difficultati respondemus, hoc argumentum magni roboris fore existimandum, si verum esset quod supponit, prędictos nempè Recognitionum libros esse legitimum S. Clementis fœtum, vt eorum inscriptio præsefert. At id absolutè negamus; immò pro Conclusione statuimus prædictos libros esse apocryphos, & D. Clementi falsò adscriptos. Et quamvis prædictorum librorum Authographum revera fuisset à S. Clemente compositum, ac evulgatum; at Hęretici, vt

vt suis erroribus conciliarent fidem, ita Recognitionum libros, qui modo sub Clementis nomine circumferuntur, adulterarunt, vt nec prędictis libris fides adhiberi posit, nec ipsi tamquam legitimum Divi Clementis opus admitti valeant, vt docent communiter Authores omnigena Ecclesiastica eruditione ornatissimi. Quod vt clariùs eluceat, de vtrisque, Prioribus nempè, & Posterioribus, sermonem instituemus. Et quidem si de Prioribus loquamur, notatu dignissima est censura, quam de illis protulit idem Rufinus *in Apologia Origenis*, vbi hæc scripsit: *Clemens Apostolorum discipulus, libros edidit, qui Græcè appellantur *Anagnorismos*, id est, *Recognitio*, in quibus cum ex persona Petri Apostoli doctrina, quasi vera Apostolica, in quam plurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomij dogma scribitur, vt nihil aliud, quàm ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creatum ex nullis extantibus asseverans. Tùm etiam illud adulterij inferitur genus, vt naturam Diaboli, cæterorumque dæmonum non propositi voluntatisq; malitia, sed excepta, ac separata creatura produxerit qualitas. Sũt & alia nonnulla libris eius inserta, quæ Ecclesiastica Regula omnino non recipit, quæ perversi homines ad assertionem dogmatum suorum, sub virorũ Sanctorum nomine, tamquam faciliùs credenda inserverunt, quæ ille nec sensisse, nec scripsisse credendus est.* Hæc Rufinus.

861 At si de Posterioribus loquamur, inveniemus profectò eos S. Clementis non esse, sed Apocryphos, & ita ab hæreticis corruptos ac adulteratos; vt nullatenus valeant prædicto Sancto attribui, vt docent eruditione celebriores Viri, prædictos Recognitionum libros, tamquam Apocryphos explodentes. Quod vt clariùs innotescat audiamus EVSEBIVM *lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 31.* qui de decem Recognitionum libris S. Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, Sermonem instituens eos Apocryphorum nomine sugillat, Clementique suppositos esse fatetur; sic enim scribit: *Iam verò quædam alia item opera, verbosa illa quidem, & prolixa, heri proprè, & nudiustertius, perinde quasi illius essent, introduxerunt quæ quidem disputationes Petri, & Appionis continent, quorum apud veteres nulla omnino fuit mentio; nam puram illam, & sinceram Apostolicæ, Orthodoxæque Doctrinæ notam minimè retinent.*

862 Eusebio subscribit HIERONYMVS, *in Cathalogo scriptor. Ecclesiastic.* de Clemente asserens: ferri sub nomine Clementis, & disputationem Petri, & Appionis, longo sermone conscriptam, quam Eusebius in tertio Ecclesiasticæ historiæ volumine coarguit.

863 Ante hos D. ATHANASIVS libros illos, indignos, qui S. Clementi adscribantur, censet; dùm ipsis ab Ecclesia contradici, non solum ait, sed etiam asserit ex ipsis veriora quædam electa esse, & translata: hoc ipso indicans falsa esse, & fabulosa, quę perpetuis tenebris damnari merentur.* Interim (inquit in *synopsi*) libri Novi Testamenti, quibus contradicitur, sunt *Circuitus Petri, &c.* ex quibus veriora, & à Deo inspirata, electa sunt & translata.*

864 Nihilominus S. EPIPHANIVS censet, pręfatos libros à S. Clemente conscriptos, sed ab Ebionitis violatos fuisse, & corruptos, multaque sub honesto Sanctissimi Pontificis nomine ab illis fuisse intrusa, quæ cum ab alijs discerni non possint, ex hoc colligitur nullam esse Recognitionum authoritatem: *Hæresi enim* 30. quæ est Ebionitarum, sic Sanctus scribit: *Vtuntur autem, & alijs quibusdam libris, nempè his qui vocantur *Circuitus Petri*, & à Clemente conscriptis; atque ea quidem quæ in illis continentur corruperunt, pauca autem vera reliquerunt, quemadmodum eos ipse Clemens omnibus modis redarguit per Epistolas circulares, quæ ab eo scriptæ, in Sanctis Ecclesijs leguntur; quia alium habet caracterem Fides illius, ac oratio, ab ijs, quæ sub nomine eius, isti in circuitibus supposuerunt.*

865 PHOTIVS, supra laudatus, in opera Clementis Romani, iudicium proferens de Recognitionum libris *Codice* 113. refert eos libros absurdis, & nugis plenos, Arijque opinionibus, & blasphemijs refertos, vt diximus in ratione dubitandi, & vlterius, vt spuriam reijci longam illam Disputationem D. Petri & Appionis nomen falsò præferentem, tradit.

866 Tandem ommitti non potest, quod de decem Posterioribus Recognitionum libris sentit Sixtus Senensis, supra adductus, *lib. 2. Bibliothecæ sanctæ*, qui prædictis libris compendiosè relatis, suum de illis iudicium hisce verbis expressit: *Tot igitur sunt Posteriorum Recognitionum

vo-

volumina, de quibus vt liberè pronunciem quid sentiam, suspicor non esse Clementis; nam præterquàm quod multa in ipsis sub persona Petri Apostoli ex intima Platonis, & Aristotelis Philosophia referuntur, duo quoque integra folia recitantur ex persona Petri, in nono libro huius operis, ad verbum transcripta ex libro *de Fato adversus Abydam, Astronomū Bardesanis Syri*; qui teste Epiphanio claruit sub Marco Imperatore, septuaginta annis post mortem Clementis; quam etiam Bardesanis scripturam Eusebius *in sexto libro de Evangelica Præparatione*, ijsdem planè verbis recitat, nec vna quidem immutata dictione. Sunt quoque in his libris pleraque incerta, multa fabulosa, nonnulla insuper Catholicis Dogmatibus adversantia. Ex quibus Iacobus, Archiepiscopus Ianuensis nonnulla notavit in vita Clementis, à se in libro Annuarum Festivitatum inserta.* Hactenus Sixtus.

867 Nec cuiquam admirationem parere debet quod asserimus; nam quamvis libentèr demus Divi Clementis fuisse dicta opera Recognitionum, & Epistolam 5. *ad Fratres, Hierosolymis cum Iacobo habitantes*, in qua videtur induci, mulieres esse communes: & licet admittamus etiam prædicta opera, in Prototypo, nobilem eiusdem fuisse partum, nihil nisi divinum exuberantem, nihilominus tamen, vt indubitatum ducimus cum Sancto Epiphanio, Rufino, Eusebio, Sanctoque Hieronymo iam laudatis, prędictam Epistolam, vt nunc circumfertur, Recognitionumque libros fuisse ab hæreticis adulteratos, falsisque dogmatibus ita inquinatos, nulla vt eis possit adhiberi fides, nisi in his tantummodo, quæ Christianæ Religioni minimè refragantur. Nec cuiquam admirationem ingeneret hęc nostra solutio, eamque, aut effugium, aut à difficultate declinationem existimet; enimverò nihil certius, frequentiusque in historijs, quàm hancce esse Hęterodoxorum calliditatem, celebriorum nempè Authorum operibus, meliorisque notæ Sanctorum Scriptis, suos inserere errores, vt sic illis concilietur fides.

868 Adeo certa est hęc apud Antiquos veritas, vt BEATVS IOANNES MAXENTIVS hæreticos, qui mille ante ipsum annis in Ecclesiam, Catholicamque Fidem sævissimè grassati fuerunt, iam tunc perniciosissima hacce calliditate vsos amarissimè lacrymetur, vt *ex Epistola, quam ad Pontificem Ormisdam* scripsit, innotescit; ibi enim inter alia: *Cum suæ (inquit) perversitatis, hæretici nequiverint reddere rationem, ad maledicta convertuntur; & propria in eos mala traijcientes, quos pravitatis suæ sentiunt inimicos, aditum sibi per hoc ad decipiendos simplices existimant aperiri. Agunt enim omnia callidè, quo infamando, & obtrectādo Catholicis, suam valeant tenere turpitudinem, fingentes, & adversus eos quædam scripta sub eorum nomine, qui videntur in Ecclesia eminere, quatenùs omnium animos contra hos facile valeant concitare.*

869 Hacce versuta calliditate vsus fuit Rufinus attestante Hieronymo *in Epist. ad Cthesiphontem*: *Sic etiam Rufinus (inquit) librum Sixti Pythagoræi hominis Æthnici, & absque Christo, immutato nomine Sixti Martyris, & Romanæ Ecclesię Episcopi, prænotavisse. Similem Gnosticorum versutiam conquæritur sæpè Irenæus. In Sethianis eamdem vanitatem detexit divinus Epiphanius. In Marcione libellum Tertulliani de Fide Trinitatis, Pneumatomachos hæreticos interpellasse, & circumtulisse, nomine Cypriani, multisque propagatum exemplaribus vendidisse parvo pretio, vt eum emptores, & viri amplitudine, & pretij exiguitate illecti, libentiùs emerent, latentesque errores amplecterentur ceu dogmata sacra, Authoritate tanti Martyris comprobata. Rufinus in Apologetico est Author.

870 Qua ratione Divus Irenæus *Operum initio* adiurat per Deum vivum exscribētem, ne apicem demutet. Sic etiam Epistolam quamdam suam *ad Flavianum*, corruptam fuisse se vivente conquæritur Divus LEO Papa, Marciano Imperatori rescribens *Epist. 68*. In Hispania Theodosium Græcum, qui Honorato in Ecclesia Hispalensi successit, Divi Isidori opera impio Catholicæ Religionis odio adulterasse ad decipiendos Divi Isidori Authoritate, Fideliū animos, refert Lucas Episcopus Tudensis (in Hist. Hispan. manuscrip.) Antiquus rerum Hispanicarum Scriptor. & hac ratione translata est Primatia (vt vocant) ex Hispali, Toletum, quod Iustino Matyri, Origeni, Hieronymo, & Augustino, alijsque quàm plurimis priscis Ecclesiæ Patribus impositum, multorum testatum est monumentis.

871 Tanta est Hæreticorum calliditas

tas

tas (ait D. ISIDORVS *lib. 3. Sent. de Summo Bono, cap. 12.*) vt falsa veris, malaque bonis permisceant, salutaribusque rebus plerumque erroris sui virus intermisceant, quò facilius possint pravitatem perversi dogmatis, sub specie persuadere voluptatis. (Et infrà idem Sanctus:) Plerumque sub nomine Catholicorum Doctorum Hæretici sua dicta conscribunt, vt indubitanter lecta credātur; nonnumquam etiam blasphemias suas, latenti dolo, libris nostrorum Doctorum inserunt, doctrinam veram adulterando corrumpunt, scilicet, vel adijciendo quæ impia sunt, vel auferendo quę pia sunt.* Hæc ille.

872 Nec modo veneranda Sanctorum Patrum, gravissimorumque Ecclesiæ Authorum scripta, Hæretici hac subdola perversitate vsi, improbis suis conspurcarunt dogmatibus, vt pernicioso hoc artificio aliquam suis erroribus conciliarent fidem, *vel adijciendo quæ impia sunt, vel auferendo quæ pia sunt*, vt Sanctus ait Isidorus; sed etiam Sacratissima Æcumenica, & Generalia Concilia hoc eodem dolo adulterando corruperunt, vt ipsa docet experientia, gravissimique testantur Doctores.

873 In Quinta enim Synodo Generali adiectas fuisse ab Hęreticis fictitias Epistolas Vigilij Pontificis Maximi, & Mennę Patriarchę Cōstantinopolitani, deprehensum est *in Sexta Synodo, Act. 12. & 14.* dum Acta Quintę relegerentur, & tres Codices ab eisdem Hęreticis insertos. Sic enim in Sexta Synodo ab his, qui Romanæ Ecclesię Authoritatem contendebant minuere, omne quod dicitur adversus Honorium Pontificem Maximum adiectum esse, testatur Anastasius Bibliothecarius in sua Historia ex Theophane Isauro Gręco. Sanctus GREGORIVS *lib. 5. Epist. 5. ad Narcem*, Concilium Chalcedonense fuisse à Constantinopolitanis corruptum, asserit; idemque se suspicari ait de Ephesino.

874 Eò tandem audaciæ effrēnes devenerunt Hęretici, vt non modo adversus hos Sanctissimos Patres, & Sacrosanctas Synodos audaces extiterint, sed adversus ipsos etiam Apostolos, Evangelistas, & Prophetas temerario sanè ausu pręstiterint. De quodam enim Asiæ Presbytero hæc refert TERTVLLIANVS *lib. de Baptismo, cap. 17.* *Si quę (inquit) Pauli perperam scripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi, tinguendique defendunt sciant in Asia Presbyterum, qui eam scripturam contruxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum, atque confessum, id se amore Pauli fecisse.* Hunc autem librum inscriptum fuisse *Periodus Pauli, & Theclæ*, tradit D. HIERONYMVS *de Scriptor. Ecclesiast. in Lucam.*

875 Ab Ebione in primis Apostolorum Actus, & Vitas depravatas testatur D. EPIPHANIVS *in Panario Hæres. 30.* *Quare omnia (inquit) quę illorum nomine scripta sunt, vt Circuitus Ioannis, Circuitus Thomę, Actus Andreæ, Actus Ioannis, Actus Philippi, Actus Petri, Actus Pauli, tanquam erroribus conspersa gravissimis, latissimè refellit, & refutavit in Concilio Romano Gelasius Papa *Cap. Sancta Romana, Dist. 19.* Divus Athanasius *in Synopsi*. Philaster *de Hæresibus.* A quibus autem suppositi fuerunt hi Actus, docuit Innocentius I. *in Epist. 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum, cap. 7.* Aleusio quodam supposita refert à Neocharide, & Leonide Philosophis.

876 Manichæos id generis commenta plura excogitasse, Apostolorumque nomine falsas conscripsisse historias, fidem facit D. Augustinus *lib. de Fide contra Manichæos*. Priscillianistas alios adinvenisse Actus Apostolorum, testantur Orosius *in Epist. ad Augustin.* de illorum erroribus, & Epiphanius *in Panar. Hæres. 26.*

877 Encratitas Actus Andreæ, Ioannis, & Thomæ idem narrat Epiphanius *Hæres. 47.* Asclepidorum, Theodorum, Apolidinem, Hermophilum, Artemonstas Divinas Scripturas deposito timore adulterasse, refert Eusebius *lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 28.* & corrumpentes eas emendare se dicere solitos. Idem de Nestorianis Theophylactus testatur exponēs illud *ad Hebræos 2. Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.*

878 Lucianum, & Hesychium, Propheticas, atque Evangelicas litteras ad suæ causæ commodū depravasse, tradit LANSFRANCVS *lib. de Euchari.* Nec adversus hos solum, sed adversus Christum ipsum, quem si non revereri, timere saltem debuissent, hæretici tentarunt malitiosè. De Simone enim Cleopio, & Iuda hæreticis hęc refert B. Clemens Romanus *lib. 6. Constit. Apostolic. cap. 16.* Scimus quòd Simon Cleo-

Cleobius, & Iudas in nomine Christi, & Discipulorum eius, quos circumferunt libros, ad seductionem vestram conscripserunt, & eorum, qui diligunt Christũ, & nos servos eius.* Hęc ille.

879 Gentibus eiusdem doli mali commentum erga Christum, tribuit AVGVSTINVS *de Consensu Evangelistarum, lib. 1. cap.* 10.* Cui malo providentes Apostoli, deponendum constituerunt eum, qui falsos libros inscriberet, & pro Sacris, ad Populi, & Cleri corruptionem publicaret. Canone 59. Apostolorum: Inter alios autem modos, quibus Sacros, & Catholicos contaminabant Authores, is vnus erat; ex his, quæ doctè, quæ piè, quæ Christianè quis vno sensu scripserat, adiectis nonnullis, vel detractis, pervertebant: his postremis ablatis, illa nuda tantum, quæ causæ suæ stabiliendæ inservire videbantur, & eisdem verbis referebant: Vtque verum se dicere, ementito specioso quodam colore, persuaderent rudioribus, asseverabant ea Catholicorum monumentis contineri: sed contenta erant sanè, non vt illa firmarent Catholici, sed vt contraria prorsus sententia infirmarent.*

880 Ex ijs liquet S. Hieronymum, S. Epiphan. Euseb. Rufin. Photium, aliosque, iustissima fuisse ratione adductos, vt dicerent hosce Recognitionum libros, Sancti Clementis nomine inscriptos, non esse genuinos eius fœtus, nec clausulam Epistolæ quintæ, ex qua vxorum communicatio impia deducitur, illi adscribi posse.

CAP. VI.

DE CONSTITVTIONIBVS Apostolicis per Sanctum Clementem vulgatis.

881 PRo clariori exagitandæ modò à nobis quæstionis elucidatione, prænotandum est, CAROLVM BOVIVM Latinas fecisse Constitutiones Apostolorum nomine Gręcè scriptas, & octo libris comprehensas, easque *annò* 1563. edidisse. Eas insuper P. TVRRIANVS, Societatis IESV, magna eruditione, fœlicique labore interpretatus est, & suis commentarijs elucidavit. Eas tandem cum Concilijs SVRIVS, & SEVERINVS BINIVS in Conciliorum editionibus evulgarunt, vt videre est *tom.* 1. *Concil. editionis novissimæ*, vbi hęc leguntur: * CONSTITVTIONES SANCTORVM APOSTOLORVM, Auctore Clemente Episcopo, & Cive Romano, Catholica doctrina. Francisco Turriano, Societatis IESV, Theologo, Interprete.* In fine tandem Constitutionũ hæc habentur: *Finis Constitutionum Sanctorum Apostolorum, per Sanctum Clementem Catholicæ Doctrinæ.*

882 Verum quamvis præfatus P. Franciscus Turrianus, alijque non infimę notę Authores, prædictas Apostolicas Constitutiones D. Clementi, ceu Apostolicæ Doctrinę coacervatori adscribant, nihilominùs difficultatem ingenerat dubitandi ratio, quæ statim sese obijcit in contrarium. Siquidem nec Sanctorum Apostolorum Doctrinæ, nec Privilegio non errandi, quo Romani Pontifices fruuntur, congruere possunt errores in Fide: istos autem in huiusmodi Constitutionibus inveniri, ex infrà dicendis constabit; modò annotare sufficiat prædictas Constitutiones malè de Filij, & Spiritus Sãcti Divinitate sentire, in illisque Arij errorem, aliosque complures, de quibus longiorem in hac quæstione sermonem instituemus, apertissimè contineri. Cum igitur prædicti errores ab Apostolica Doctina longissimè absint, neutiquam poterunt prædictæ Constitutiones Sanctissimis Apostolis, Divoque Clementi, cuius Doctrina Apostolica proculdubio extitit, attribui.

883 Antequam huic dubitandi rationi satisfaciamus, prænotandum est iterum, Apostolos vti primos Ecclesiæ Magistros aliquas Ordinationes, vel Constitutiones ad bonum illius regimen præscripsisse. Neque hoc mirum videri debet, cum hic fuerit perpetuus Ecclesiæ vsus, vt Romani Pontifices, tamquam supreme Ecclesiæ Capita, ad bonum Fidelium regimen, maioremque animarum vtilitatem, Apostolicas Constitutiones pro rerum temporumque necessitate sancirent. Vndè credendum est, hancce perpetuam Ecclesiæ consuetudinem à Sanctis Apostolis emanasse, qui aliquas Constitutiones initio nascentis Ecclesię condiderunt, quibus aliqua Dogmata ad Ecclesię, nostręque Fidei conservationem statuerunt, vt innuere videtur S. LVCAS *Act.* 16. dum de Divo Paulo, Sila, & Timotheo loquens hęc scribit: *Cum pertransirent civitates, tra-*

debant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Ierosolymis. Vnde modò solum est difficultas an istę Constitutiones, & Ordinationes, quas Apostoli reliquerunt, sint illæ eædem, quæ hodie sub S. Clementis nomine circumferuntur octo libris comprehensæ?

884 Tertiò supponendum est id, quòd in hanc rem aptissimè annotavit PHILIPPVS LABBÆVS, *Tom. 1. Concilior.* quem secuti sunt BINIVS, & D. EMMANVEL SCHELSTRATE, *Dissert. 2. Par. 2.* hæc scribentem: * Priscas illas Apostolorum Constitutiones, cum mirum esset à nullo Antiquorum posterioribus relictas, inquisitus est à viris superiori, & hoc nostro sæculo eruditis Codex harum Constitutionum, de quibus *Can. 84. Apostolorum.* Ordinationes vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ. Petrus Crabbè, Ordinis Sancti Francisci Theologus, in altera, quam *anno* 1551. molitus est, Conciliorum omnium editione, cum integrum opus nancisci non potuisset, brevissimam dumtaxat Epitomē, ex libris octo in Creta insula repertis, exhibuit Lectori, cuius vestigia sequutus Laurentius Surius *anno* 1567. easdem Constitutiones integras, ex interpretatione Caroli Bovij, Ostunensis Episcopi, eiusdem Scholijs adiunctis repræsentavit. Idem postea Nicolinus in Venetiana Collectione *anno* 1585. executus est, adhibita versione P. Francisci Turriani Societatis Iesu in Hispania Theologi, qui plures observationes Apologeticas, & Præfationem prolixam in earum approbationem ediderat, & Cardinali Guilielmo Sirleto dedicarat. Eas Constitutiones, abscissis Turriani annotationibus, & Procemio, Severinus Binius *anno* 1606. in Collectione Latina Coloniensi adduxerat; sed anno 1608. in Romana Græcolatina Conciliorum editione, Constitutiones illas Apostolicas cum Turrianico illo apparatu penitùs reiecit, levi dumtaxat, ac nullius propè momenti apud eruditos Lectores tàm insolentis facti allata excusatione. Nondum sanè prodierat, quæ eodem anno primum apparuit, editio Græcolatina earumdem Constitutionum, quam R. P. Fronto Ducæus Burdegalensis Societ. Iesu, à se magno studio elaboratam, Ioannis Zonaræ Commentarijs, & Constantinopolitano sub Menna Concilio, alijsque antiquitatis Canonicæ momentis subiecit. * Hæc Philippus Labbæus in Novissima Conciliorum editione vbi *Tom. 1.* easdem Constitutiones Sanctorum Apostolorum Authore Clemente Episcopo, & Cive Romano, Francisco Turriano Interprete inservit, ac libros octo, adiuncto textu Græco, exhibuit. His prælibatis, & suppositis.

§. I.

QVÆRITVR: AN PRÆDICTÆ Constitutiones sint legitimus Apostolorum, & Sancti Clementis fœtus?

885 CVi difficultati, & dubitandi rationi initio propositæ, respondemus: Si certum esset, prædictas Constitutiones esse genuinum Sancti Clementis fœtum, fore alicuius roboris existimandum prædictum argumentum contra Romani Pontificis in rebus Fidei, Infallibilitatem: at saniori Doctissimorum Virorum sensui adhærentes dicimus, ac firmitèr tuemur, prædictas Apostolorum Constitutiones, estò S. Clementis nomen præseferant, re tamen vera, nec esse Apostolorum, nec S. Clementis Doctrinam, vt sequentes rationes ostendunt.

886 Primò, quia si certum esset prædictas Constitutiones ab aliquo Apostolorum fuisse sancitas, essent proculdubio in Sacrarum Scripturarum Canonem ab Ecclesia relatæ, prout relata sunt cætera Apostolorum scripta, de quibus certò constitit Ecclesiæ, fuisse Apostolorum, vt de Epistolis Petri, Pauli, Ioannis, Iacobi, & cæteris in Scripturarum Canone recensitis. Vnde cum Ecclesia prædictas Constitutiones numquam in Sacrarum Scripturarum Canonem retulerit, signum evidens est, eam numquam prædictas Constitutiones tamquam Apostolorum Doctrinam, agnovisse.

887 Secundò, quia prædictarum Constitutionum styllus longè alius est ab eo, quem Apostoli in suis scriptis observaverunt. Tandem quia *in lib. 8. prædictarum Constitut. cap. 33.* Apostolis dies Festi decernuntur. Cumque credibile non sit, Apostolos sibi ipsis Festos dies consecrasse, hinc neque credibile est prædictas Constitutiones fuisse ab ipsis conscriptas.

888 Sed nec Sancto Clementi posse præ-

prædictas Constitutiones adscribi facile suadetur: Primò, quia prædictarum Cõstitutionum Autographum, quod hucvsque dognoscitur, Græcè exaratum est; omnes siquidem illius versiones Latinæ, è Græco idiomate prodierunt. Credibile autem non est, S. Clementem Papam, cum Romanus esset, & Latinus, primùm Constitutionum Autographum Græcè, & non Latinè edidisse.

889 Secundò, quia verosimile non est, rem adeo gravem, vt sunt Apostolorum Constitutiones, ab vno ex primis Pontificibus, qui Ecclesiæ clavum tenuerunt exaratæ, qui proinde eas tamquam primam Fidelium instructionem, ac Apostolicam Doctrinam in tota Ecclesia evulgare iussisset, ex nullo priorum illorum Autographorum exemplari, Latinę Ecclesiæ, sed soli Græcæ innotesceret, quasi S. Clemens Græcus fuisset, non Latinus.

890 Tertiò: quia vel est certum, prędictas Constitutiones esse Sanctorum Apostolorum, & à Divo Clemente collectas, in illisque Catholicam contineri Doctrinam, vt earum epigraphe præsefert; vel non? Non primum: quia ad hoc necesse erat, vt vel Ecclesia in aliquo Concilio, vel Pontifex vti supremum Ecclesiæ Caput id sua approbatione, & Decreto firmaret; Summi namque Pontificis est Doctrinam Catholicam definire, eamque vt talem, Ecclesiæ proponere, cum ad illum maiores Ecclesiæ causę sint referendæ, vt probat INNOCENTIVS, *de Baptismo, cap. Maiores*. Tùm quia Pontifex quoties de Fide pronuntiat, errare nequit: ad illum ergo pertinet decernere, quænam sit Catholica, vel Fidei Doctrina ab Ecclesia amplectenda. Id etiam ostenditur argumẽto NICOLAI Papæ, *cap. Si Romanorũ 19. Dist.* Nam quod verè Sedes Apostolica probavit, hodie tenetur acceptum; & quod illa repulit, hactenùs inefficax prorsùs habetur. Ita Opuscula Doctorum, quę approbavit, Ecclesia probat; quæ contra reprobavit, Ecclesia reprobat. Summorum ergo Pontificum de hisce rebus testimonium, ipso etiam perpetuo rerum experimẽto, firmum, ac certũ habere cõpellimur. Nam & Evangelium, quod Paulus prædicabat in Gentibus (vt ex TERTVLLIANO, HIERONYMO, & AVGVSTINO monstratur) non fuisset ab Ecclesia receptum, nisi Petri Authoritate fuisset roboratum; & vt idem Hieronymus *lib. de Viris Illustr. in Clemente, in 6. Hipotypos.* scribit, Marci Evangelium, cum Petrus audisset, probavit, & Ecclesiæ legendum sua Authoritate edidit. Idem verò EVSEBIVS *lib. 2. Ecclesiast. Hist. cap. 15.* non solum Clementis, sed ex Papiæ testimonio confirmat. Constat autem qui Petro succedit, hanc eamdem potestatem habere in illis sanè, quæ sunt Ecclesiæ necessaria. Ad Summum ergo Pontificem spectat tam de libris Canonicis, quàm de Doctrina Catholica iuditium ferre. Cum ergo nullum hucusque Concilium, nec vllus hucusque Pontifex decreverit doctrinam Constitutionum, quæ sub S. Clementis nomine circumferuntur, esse S. Clementis, neque Catholicam, nec Apostolorum: hinc manifestè deducitur prædictarum, Constitutionum doctrinam non debere ab Ecclesia tanquam Catholicam, & Apostolorum, aut S. Clementis admitti; quia vt diximus ad solum Romanum Pontificem, privativè quoad omnes, spectat decernere, quænam Doctrina certò sit tamquam Catholica ab Ecclesia admitteanda.

861 Si autem oppositi Authores asserant, non esse certum in Ecclesia, doctrinam in prædictis Constitutionibus contentam, esse definitam vt Catholicam, & ab Apostolis traditam, sed id esse sub dubio; Contra: quia si aliquod daretur fundamentum ad credendum prædictam doctrinam esse Catholicam, & ab Apostolis traditam, proculdubiò Ecclesia tot sæculis, quot ab ipsius initio ad hunc vsque diem fluxerunt, dubium istud enodasset, sicut & alia huiusmodi declaravit. Sic de Libro *Baruch* qnondam dubitatum fuit, an esset inter Canonicos recensendus? hodie verò nemini iam licet id in dubium revocare; quia nempe Canonicum esse, FLORENTINVM CONCILIVM *sub Eugenio 4.* & Tridentinum *sub Paulo 3.* definierunt.

892 De Libris item *Tobiæ*, *Iudith*, *Sapientiæ*, *& Ecclesiastici*, sicut & de duobus *Machabæorum* olim dubitabatur, an essent vt Canonici admittendi? & an eorum Doctrina esset vt Catholica suscipienda? Nunc verò iam à Catholica Veritate, Fide, & Religione deviaret, quisquis hoc negaret: quia scilicet prædictos Libros esse vt Canonicos admittendos INNOCENTIVS I. definivit *in Epist. ad Exuperiũ, Tolosanũ Episcopũ, cap. vlt.* & GELASIVS Pontifex *in Concilio septuaginta Episcoporũ*, id decrevit, asseruitque hoc

quoque libros Sanctam, & Catholicam Romanam Ecclesiam in Ordine Veteris Testamenti suscipere, ac venerari, idemque Florentinum *sub Eugenio* 4. & Tridentinum *sub Paulo III.* confirmarunt.

893 De Epistola etiam *ad Hebræos* extitit aliquando dissidium, an esset D. Pauli Apostoli, nec ne? & an esset Catholicorum librorum Cathalogo adscribenda? Dissidium tamen istud eliminavit Ecclesia, eamque Epistolam Canonicam esse definierunt GELASIVS PAPA *in Romano Concilio*, & EVGENIVS IV. *in Florentino*: idemque in Laodicensi, & Tridentino extitit definitum. Idem accidit in cæteris controversijs, in quibus inquiritur, an aliqua doctrina, sit vt Catholica suscipienda? quarum decissio privativè ad Romanum Pontificem spectat. Vnde mirum est, quod cum tot sæcula ab Ecclesiæ primordijs ad hunc vsque diem decurrerint, & in illis Summi Pontifices, Sacraque Concilia tanta cura, ac solicitudine, quænam sit certa Prophetarum, Evangelistarum, & Apostolorum Doctrina decreverint, immò illam, de qua in Ecclesia ambigebatur, definierint, & quænam pro Catholica & Apostolica habenda sit statuerint, nullus hucusque Pontifex, nullumvè Concilium prędictas Constitutiones definierit, easque vt Apostolorum, aut S. Clemētis Doctrinam approbaverit, aut aliquo Decreto, aut Definitione munierit; hinc certè haud inefficaciter suaderi potest, nullum Concilium, nullumque Pontificem prædictas Constitutiones tamquam Apostolorum, & S. Clementis Doctrinam approbasse, vt earum inscriptio asseverat, & oppositi tuentur Authores.

894 Insuper ex ipsis Constitutionibus innotescit, earum Authorem non fuisse Clementem; communiter enim Sancti Patres, cæterique Authores, vnanimi consensu fatentur, Epistolam ad Corinthios esse legitimum S. Clementis fœtum; in hac autem S. Clementis, Phœnicis historiam longè aliter ac *in libris Constitutionum, cap. 6.* commemorat: siquidem Clemens in prædicta Epistola Phœnicem in Arabia mori, asseverat; Author verò Constitutionum, prædictam avem Heliopoli in Ægypto occumbere dicit. Ex quo manifestè convincitur Apostolicarum Constitutionum Authorem, longè alium esse ab eo, qui Epistolam ad Corinthios scripsit: qui cum apud omnes peritos certissimè sit D. Clemens, vt latè suprà probavimus, nullatenùs possunt prędictæ Constitutiones nostro Clementi adscribi.

895 Quartò, quia Scriptores, qui illis prioribus Ecclesiæ sæculis Sanctorum Apostolorum, & D. Clementis ævo propinquioribus, floruerunt, nullam de prædictis Apostolicis Constitutionibus mentionem fecerunt, nec sese earum authoritate contra hęreses, eo tempore insurgētes, munierunt, aut ea ad labefactandam hęreticorum perfidiam vsi fuerunt. At si Sancti Patres prædictas Constitutiones tamquam Apostolorum, vel S. Clementis Doctrinā agnoscerent, proculdubio eam hęreticis, tamquam efficacissimum argumentum ad eorum errores proscribendos, opposuissent.

896 Hinc si S. IVSTINVS Martyr, qui secundo sæculo floruit, prædictarum Constitutionum doctrinam ab Apostolis, vel à Sancto Clemente traditam intelligeret, sine dubio amplexus fuisset eam ordinationem, qua prædictæ Constitutiones *lib. 5. cap. 14. & 20. & lib. 7. cap. 24.* statuunt, Sabbati diem veluti creationis, à Christianis observandum esse, ac feriandum, neque ieiunio funestandum, solemnesque conventus ea die indicunt. At S. Iustinus nō modò hanc doctrinam secutus nō est, sed immo potiùs oppositā tenet, ac tuetur: dissertè namque testatur, Sabbati religionem Passione Christi fuisse abolitam, nec à sui temporis Christianis observata fuisse Sabbata (vt videre est *in Dialogo cum Tryphone*) nec Conventus Christianorū alio die fieri solitos, quàm Solis die, id est Dominica, (vt *in Apologia* 2. clarissimè affirmat.) Vnde vel iste Sanctus prædictas Apostolicas Constitutiones ignoravit, quod credibile non est, cum tunc temporis valde recentes essent; vel eas non esse legitimam Apostolorum, vel S. Clementis Doctrinam existimavit.

897 Et notatu dignissimum est S. IRENÆVM, qui in fine secundi sæculi floruit, cum sæpius S. Clementis ad Corinthios Epistolam *lib. 3. advers. Hæres. cap. 3.* citet, ac commendet, numquam Apostolicis Constitutionibus, earumve authoritate contra hæreses vti; cum amplissimus illi ad Hæreticorum errores impugnandos patesceret campus.

898 Idem S. Irenæus *Epist. ad Victorem Romanum Episcopum*, cuius fragmen-

menta refert EVSEBIVS *lib. 5. Histor. Ecclesiast.cap.26.* narrat consuetudinem celebrandi Pascha decimaquarta cum Iudæis Luna, iam temporibus Aniceti, Pij, Hyginij, Thelesphori, Sixti, & Soteris, Victoris decessorum, apud Asiæ Ecclesias viguisse, Ecclesiamque Romanam eos in hoc ritu tolerasse. Vnde infertur illos Sanctos Asiaticos, Apostolicas Constitutiones, quæ *lib.5. cap. 16.* Christianos cum Iudæis Pascha celebrare vetant, penitus ignorasse. Nec enim verisimile est, viros adeo Sanctos, vt Polycarpum, Tarasium, Sagarin, Papirium, Melitonem, & Polycratem, Apostolici nominis, & Authoritatis observantissimos, tanto tempore vnà cum Iudæis Pascha celebrasse, contra ea, quæ in prædictis Apostolorum Constitutionibus expresfé prohibebantur. Insuper si Pontifex Victor, prædictas Constitutiones tamquam Apostolorum Doctrinã agnovisset, iussisset vtique Asiaticis, vt sese in Paschali celebratione Apostolorum Ritui conformarent, illumque sequerentur; precipuè cum Asiatici gloriarentur, se esse Discipulos Divi Ioannis, cuius doctrinam tota Asia summa veneratione prosequabatur. Vnde rursus deducitur, tot Sanctos Pontifices modo à nobis relatos, qui ritum illum Asiaticorum in Paschatis celebratione tolerarunt, illosque Asiæ viros insigni Sanctitate prçclaros, vel prçdictas Constitutiones ignorasse, vel probè agnovisse, eas nec Apostolorum, nec D. Clementis legitimum esse fœtum.

899 Insuper nec CLEMENS ALEXANDRINVS, qui initio tertij sæculi emicuit, nec TERTVLLIANVS illi coætaneus, nec ORIGENES, vllam de prædictis Apostolorũ Constitutionibus mentionem fecerunt, imò doctrinas illis expresfè oppositas tenuerunt; quod nullatenus facerent, si aut eas ab Apostolis traditas crederent, aut in eis legitimam Apostolorum Doctrinam contineri existimarent.

900 Certum etiam est Sanctum CYPRIANVM, estò antiquissimum, nullam de huiusmodi Apostolorum Constitutionibus habuisse notitiam; siquidem in illa sententia *de iterando Baptismo ab Hæreticis collato*, quam tam acerrimè propugnavit, non alij fundamento innitebatur, quàm quibusdam Sacræ Scripturæ locis: nec dubium quin si prædictas Apostolorum Constitutiones legitimas iudicaret, illas pro se adduxisset, & earum sese authoritate protexisset: siquidem prçdictæ Constitutiones *lib.6. cap. 15.* idem quod Sanctus affirmant, cum omnium hæreticorum Baptisma reprobent. Et nihilominus Stephanus Pontifex, & tota Ecclesia oppositum definivit. Vnde vel Divus Cyprianus prçdictas Constitutiones legitimas non iudicavit, nec Sanctorum Apostolorum, nec Sancti Clementis esse credidit, vel Ecclesia illas vt apocryphas reiecit; cum oppositum ijs, quæ in illis continentur, definierit, & de facto teneat, & observet.

901 Nec minus prædictas Constitutiones S.BASILIVS MAGNVS, vel ignoravit, vel eas vt Apostolorum legitimas non agnovit; siquidem *lib. de Spiritu Sancto, cap.27.* negat scripto vllo tradita esse multa, quæ in varijs prædictarum Constitutionum locis exarata leguntur; scilicet: *Vt signo Crucis eos, qui spem collocarũt in Christum, signemus: vt ad Orientem versi, precemur: invocationis verba, cum cõficitur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis; consecrationem aquæ Baptismalis, & olei vnctionis, trinam immersionẽ in Baptismo, & alia id genus.* Vndè si tam insignes Sancti, tam præclari Patres, tam eruditi in Ecclesiastica historia Viri, Apostolorum temporibus propinquiores, nullam vmquam de prædictis Apostolorum Constitutionibus mentionem fecerunt, nec earum doctrina ad hæreses profligandas vsi vmquam fuerunt; manifestè convincitur, illos numquam prçdictas Cõstitutiones, vt legitimum Sanctorum Apostolorum, aut D.Clementis fœtum agnovisse, nec doctrinam in illis contentam, vt verè Apostolicam habuisse.

902 Quintò probatur, prædictas Cõstitutiones, in octo digestas libros, & titulo ac nomine S.Clementis inscriptas, nõ posse nec Apostolis, nec S. Clementi adscribi: siquidem Constitutiones, quibus prædictus titulus prçfigitur, communiter habentur Apocryphæ, vt constat ex Decreto GELASII PAPÆ I. *in Romana Synodo, anno Christi 494. evulgata*; recensens namque Pontifex libros, quos vt apocryphos reijciebat, hçc scribit: *Item Itinerarium nomine Petri Apostoli quod appellatur Sancti Clemẽtis libri octo, apocryphum.* Hos autem libros, Clementis nomine inscriptos, esse ipsissimos Constitutionum Apostolicarum libros, de quibus agimus, tenent communiter Doctores, qui octo

Con-

Constitutionum libros sub S. Clementis nomine editos, è Græco in Latinum transtulerunt: & clarè patet *ex Canone Apostolorum* 84. qui de Constitutionum Codice loquens: *Ordinationes (inquit) vobis Episcopis, per me Clementem in octo libros editę.* Quod confirmat *Canon. 2. Synodi Trullanæ*, de quo infrà.

903 Id præclarè confirmat eventus Cardinalis HVMBERTI, Sylvæ Candidę Episcopi, qui, vtpotè vir singulari eruditione præditus, Constantinopolim à Leone IX. Pontifice missus fuit Legatus, vt quibusdam dissidijs, quæ ibi circa Religionem offerebantur occurreret: cumque vnum ex illis esset Sabbati ieiunium in Ecclesia Latina firmitèr statutum, cui Græci Patres opponebantur, NICETAS PECTORATVS, nomine Patrum Græcorum, huic ieiunio aliqua testimonia *ex 5. & 7. libro Ordinationum, seu Constitutionum Apostolicarum* desumpta opposuit; cui prædictus Cardinalis sic respondit: *Hoc asserere conaris ex Apocryphis libris, & Canonibus pari Sententia Sanctorū Patrū repudiatis. (Et infra:) Vndè nos quoque omne Apocryphum abijcientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt vt Lex Domini.* Vndè deducitur, prædictum Cardinalem censuisse, prędictos Constitutionum libros Apocryphos esse. Et non dubium quin iste fuerit communis consensus Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis, cuius vice fungebatur, & cuius nomine respondebat.

904 Nec desunt gravissimi Authores, qui hanc nostram Sententiam propugnent; illam enim tuetur HONORIVS AVGVSTODVNENSIS, qui in Gallia circa *annum* 1120. emicuit, siquidem *lib. de Scriptoribus Ecclesiast.* dicit, Inter Apocrypha recenseri omnia, quæ Clementi Romano tribuuntur, præter vnam ad Corinthios Epistolam. Idem tenent inter Recentiores Bellarminus *de Scriptorib. Ecclesiast. in Clemēte*; BARONIVS *tom. 1. Annal. ad annum Domini* 32. *& alibi*; Cardinalis PERRONIVS *lib. 2. de Eucharist. cap. 1.* ALBASPINEVS, Aurelianensis Episcopus, *Observ. Ecclesiast. lib. 1. cap. 3.* PETAVIVS *in Notis ad S. Epiphanium ad Hæresim Audianorum*, cæterique omnes, qui historiæ, & Ecclesiasticarum controversiarum notitia florent.

905 Nec dissentit SIXTVS SENENSIS *lib. 2. Bibliotb. Sanctæ, verbo: Clemens*, vbi librum Constitutionum Sancti Clementis, quem Gelasius Pontifex, *Sancti Petri Itinerarium* vocat, Apocryphum dicit: *Clementis Odeporicon, sive Itinerarium, Athanasius in Synopsi, & Leo Papa in Epistola contra Niceam scriptis Apocryphis annumerant, & Gelasius *Dist.* 15. inter libros recenset ab Ecclesia reprobatos, inquiens: Itinerarium Petri Apostoli quod appellatus S. Clementis libri octo, Apocryphum est. Hoc Trithemius partitur in libros decem, quorum initium est: *Cum in Vrbe Roma, &c.**

906 Cum hucusque probaverimus prædictum Constitutionum Apostolicarum librum esse inter Apocryphos connumerandum; modò inquirimus: quonam sensu, ac gradu prædictus liber sit Apocryphus iudicandus? Apocryphum enim dupliciter accipi potest: primò, quando de Authore libri dubitatur: secundò, quando est dubium de veritate doctrinæ. Quonam ergo sensu prædictus liber apocryphus sit, inquirimus? Nostra Assertio est Apostolorū Constitutiones, S. Clemētis nomine editas, esse in vtroque sensu Apocryphas. Et quidē esse in primo sensu Apocryphas extra dubium est, cum hucusque non constet prædictarum Constitutionum Authorem fuisse aliquem ex Apostolis, aut viris probata Sanctitate conspicuis. Vndè modo solum est difficultas: an sint in secundò sensu Apocryphę, quia nempè doctrinas suspectæ fidei contineant? Cui difficultati cum distinctione respondemus: vel enim loquimur de prędictis Apostolorum Constitutionibus nomine Sancti Clementis octo libris comprehensis, in traductione ex Græco, Latina, quæ habetur *in vltima editione Conciliorum apud Binnium Authore Turriano*; vel loquimur de Apostolicis Constitutionibus, quæ S. Epiphanij tempore circumferebantur. Si primum: censemus eas Constitutiones Apocryphas esse, in rigoroso sensu, tamquam doctrinam damnatæ fidei continentes.

907 Ita censere videtur supra laudatus Baronius, dum *ad annum* 102. *num. 9.* de prædictis Apostolorum Constitutionibus loquens, inter alia, hæc habet: *Verum sicut alia, quæ in eis sunt, hæretici sunt perperam interpretati; ita etiam ab ijsdem multa fuisse corrupta, Canon nomine Sextæ Synodi testari videtur: aliqua insuper in eas ex Græcorum fontibus effluxisse, mihi facile persuadeo; vt quod

de

Ieiunio Sabbati penitùs interdicto, in ipsis habetur expressum *lib.* 5. *cap.* *vlt.* & *lib.*7.*cap.*24.*

908 Et quidem in prędictis libris, doctrinas ab Ecclesia damnatas contineri, manifestum est; siquidem prędictæ Constitutiones *lib.* 6. *cap.*25. hæreticos recensent illos, *qui suspicantur IESVM, esse Deum super omnia.* Et *lib.*5.*cap.*20. fingunt IESVM ministrantē Deo suo, ac Patri ad rerum omnium creationem. Et *lib.* 8.*cap.*12. asserunt Patrem, genuisse Filium ante sæcula voluntate, & potentia, & bonitate. Item *Lib.*8.*cap.*37. vocant Patrem, Dominum Spiritus Sancti, *lib.*5.*cap.*6. dicunt, nos baptizari in mortem Christi in authoritate Dei vniversorum, & in testimonio Spiritus Sancti.

909 *Lib.*2.*cap.*26. Episcopum Deo Patri similem asserunt, Diaconū Christo, qui Patri ministrat, & in omnibus assistit; Spiritum Sāctum, Diaconissæ, quæ vt nihil sine Diacono facere debet, aut loqui, ita Paracletus nihil à se ipso loquitur, aut facit, sed Christum glorificans, voluntatem illius expectat. Quibus in locis clarè apparet, quantum prædictę Constitutiones suffragentur erroribus, tùm Arij Filio Divinitatem denegantis, tùm Macedonij, illam Spiritui Sancto concedere renuentis.

910 *Lib.*8. *cap.* 36. concedunt ancillis, vt heris infidelibus, ad libidines morem gerant, dummodò solis illis id pręstent: * Pellex, inquiunt, infidelis ancilla soli domino obsequens, recipiatur. Si cum alijs intemperans fuerit, reijciatur.*

911 *Lib.*6.*cap.*15. Baptismum ab Hæreticis collatum iterari iubent, contra perpetuam Romanæ Ecclesiæ Traditionem, & damnationem, quam ipsa Ecclesia à S. Cypriani tempore protulit, ac evulgavit.

912 *Lib.* 8. *cap.*33. Sabbati solemnem celebrationem æquè, ac Dominicæ diei constituunt; quod Iudaismum sapit.

913 *Lib.*2.*cap.*57. asserunt eum, qui à Christo Iudice Pastor est, & Episcopus in Ecclesijs totius Parœciæ constitutus; non minorem natu esse, quàm annorum quinquaginta. Quod numquam observarunt Apostoli, nec communis Ecclesiæ vsus retinuit: immò oppositum observavit Paulus; siquidem Ephæsinæ Ecclesiæ Episcopum creavit Timotheum, quem tunc temporis adhuc iuvenem esse, ostendunt illa Pauli ad ipsum Timotheum verba: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.*

914 *Lib.* 8.*cap.*4. prędictarum Constitutionum Author affirmat, eas à duodecim Apostolis, pręsente Paulo, & septem Diaconis, fuisse editas; quod facti veritati cohærere non potest, siquidem S. Stephanus fuit inter Diaconos primus, & *ex Actor.*7. constat, illum antequam Paulus ad Apostolatum vocaretur à Christo, Martyrij palmam obtinuisse: non ergo potest veritati congruere prædictas Constitutiones pręsente Paulo, & septem Diaconis fuisse factas.

915 *Lib.*6. *cap.* 14. & 22. inducunt Iacobum, Zebedęi filium, Concilij Ierosolymitani historiam narrantem, Constitutionesque ipsas cum cæteris Apostolis condentem. Quod à veritate aberrat, siquidem *ex Actorum* 12. constat, Iacobum ante Concilij Ierosolymitani celebrationem, fuisse ab Herode interfectum.

916 Inter libros, quos prędictæ Constitutiones in Ecclesia legi pręcipiunt, S. Ioannis Evangelium connumeratur *lib.* 2. *cap.*57. quod fieri tunc non potuisse ex eo convincitur, quòd prædictum Evangelium scriptum non fuerit ante *annum* 97. quo D. Ioannes à Nerva, Domitiani successore, ex Insula Pathmos revocatus est: eo autem tempore tam D. Petrus, quam D. Paulus, cæterique Apostoli, qui prædictarum Constitutionum Authores finguntur, varijs Martyrijs occubuerāt: nullatenùs ergo potuerunt Apostoli iam denati, pręcipere quod in prędictis Constitutionibus enarratur. Insuper prędictæ Constitutiones Philippum, à quo Simon Magus baptizatus est, Apostolum faciunt; cum constet eum non nisi Diaconum extitisse.

917 Tandem *lib.* 6. *cap.*14. Iacobum Fratem Domini, extra numerum Apostolorum ponunt; quod expressè opponitur Paulo *ad Galat.*1. scribenti sic: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, præter Iacobum Fratrem Domini.*

918 Ex quibus apertè deducitur in Constitutionibus, sub S. Clementis nomine evulgatis, propositiones damnatæ Fidei contineri; sicque Apocryphas esse, & reprobatas; non solum quia de earum Authore non constat, sed etiam quia earum doctrina multis in locis falsitati obnoxia dignoscitur; non enim credibile est S. Clementem in prædictis Constitutionibus tam absurda Apostolis adscripsisse; multòque minus credendum est eum, qui Apo-

sto-

stolorum mores, instituta, & tempora non minus quàm sua, nota, & comperta habebat, scripsisse ea, quæ ab Apostolorum Doctrina, vel Disciplina, vel historia abhorrent.

919 Huc egregiè facit CANON II. *Trullanæ synodi*, qui vltimum Apostolorum Canonem, in quo Clemens, Apostolicas Constitutiones, octo libris à se conscriptas, Episcopis proponit, sic exagitat: *Quoniam autem in his Constitutionibus præceptum est, vt eorumdem Sanctorum Apostolorum per Clementem Constitutiones susciperemus, quibus iam olim ab his, qui à Fide alieni sentiunt, ad labem Ecclesiæ aspergendam adulterina quędam, & à pietate aliena, introducta sunt, quę divinorum nobis Decretorum elegantem, ac decoram speciem obscurarunt; has Constitutiones ad Christianissimi Gregis ædificationem, ac securitatem conducibiliter reiecimus, hęreticæ falsitatis fœtus nequaquam admittentes, & germanæ, ac integrę Apostolorum Doctrinæ inserentes.* Vbi clarè apparet, qualem de prædictis Constitutionibus opinionem habuerunt, iam priscis illis temporibus (mille nempè retro annis) Trullanę Synodi Patres; siquidem eas ab Hęreticis adulteratas, & tam perniciosis doctrinis refertas agnoverunt, vt eas lectu indignas iudicarent, ideoque earum lectionem prohibuerunt, provt advertit THEODORVS BALSAMON *in expositione prædicti Concilij*, sic scribens: *Secundus Sextę Synodi Canon earum lectionem prohibuit, quod in eis adulteratio facta est.*

920 Consonat Patriarcha PHOTIVS, dum *in Bibliotheca*, *Cod.*113. de prædictis Constitutionibus sic loquitur: * Constitutiones ex tribus capitibus reprehensioni videntur obnoxiæ: ex mala fictione, quam depellere non est admodum difficile. Deinde quod contra Deuteronomium criminationes quasdam adducāt, quæ & ipsæ dilui facilè possunt. Denique ex Arianismo, quem item accuratiùs paulò instando refellere queas.* Et quamvis Photius aliqua ex parte eas conetur defendere, probè tamen agnoscit nonnulla reprehensioni obnoxia in ipsis reperiri, quin ea, sicut & illa, quæ supra retulimus, & ab Apostolorum Divique Clementis Doctrina penitùs aliena ostendimus, dissolvat, aut aliqua ratione purget, vel extra culpam ponat.

921 Nec omitti potest quod in hanc rem appositè dixit Sixtus Senensis, supra laudatus, de prędictarum Constitutionum libro sic loquens: *Suspicor hoc opus illud idem esse, quod apud aliquos Authores, *Peregrinationes, sive Circuitiones, vel Circuitus Petri* inscribitur; de quib' EPIPHANIVS *lib.*1. *Panarij* hæresim Ebionis confutans, hæc ait: Vtuntur Ebionei, & alijs libris, nimirum *Circuitiones Petri* appellatis, per Clementem scriptis, multa corrumpentes in ipsis, & pauca vera relinquentes, velut ipse Clemēs ipsos per omnia redarguit in Epistolis, quas scripsit, Encyclicis, quæ in Sanctis Ecclesijs leguntur; quia alium habet caracterem Fides ipsius, & sermo, ab his, quę ab illis, sub nomine ipsius, in Circuitionibus corrupta sunt. Hęc Epiphanius de Circuitionibus, sive Itinerario.*

922 Et infra: *Huc accedit quod Iacobus Archiepiscopus Genuensis, qui hanc ipsam Peregrinationem in vita Clementis conscripsit, testatur, se eam summatim collegisse ex Itinerario Clementis Apocrypho; quod sanè indicat, libros Recognitionum, & Itinerarium Clementis idem esse opus. Hoc proximis annis Sanctæ Romanę Inquisitionis Senatus, in Indice damnatorum ab Ecclesia voluminum, ascribi iussit.*

923 Lectu dignissimum est quod annotat CHRISTIANVS LVPVS *in Notis ad Canon* 2. *Trull. Part.* 2. vbi probat, prędictas Constitutiones Apocryphas esse: Eas (inquit) spiritu Apostolico plenissimas, ac in Sacrarum Litterarum Canonem referri aptas malè dixit Thomas Stapletonus. Hauserit forsā ab Abyssinis, & Æthiopibus, de quibus habent librū in octo partes divisum, quem ab vniversis Apostolis, Ierosolimæ cōgregatis, scriptum ferunt; quemq; ipsi vulgò *Manda*, & *Abetilis* vocāt.* Fuit opus Constitutionum editum à nescio quo quarti sęculi homine, Ariano, variè, & in dogmate, & ritu maculoso, vti facilè posset ostendi.* Vnde Christianus Lupus Severinum Binium imitatus, Clementis Constitutiones omninò abiudicavit.

924 Adstipulatur etiam D. EMMANVEL SCHELSTRATE; siquidem *part.* 2. *dissert.* 3. *Antiquit. Illust.* loquens de octo libris S. Clementis nomine evulgatis, & Petri Apostoli Itinerarium dictis, ac à Gelasio Papa damnatis, vt Apocryphis, hæc scribit: * Sixtus Senensis putat, idem opus

opus esse, cuius meminit Epiphanius *lib.* 1. *Panarij.** Relatis verò S. Epiphanij textu, ac Censura, sic prosequitur: * Idem illud opus puto, ex quo impij Iconoclastæ suum venenum desumpserant contra Sacras Imagines; & de quo in Septima Synodo legit Epiphanius, Thomæ Episcopi Sardiniæ Legatus: ex falsis superscriptionibus Itinerariorum Sanctorum Apostolorum: tot absurdis fabulis, & impijs hæresibus hic impletus erat, vt lectis perpaucis, Tharasius Novę Romę Episcopus exclamarit: Tota conscriptio hæc contraria est Evangelio. Et Concilium Septimum addiderit: Omnis hæresis in hoc libro pendet (vndè & posteà:) Igni eum dignum iudicamus fore tradendum.*

925 Pro coronide audiendus est eruditus D. FERDINANDVS DE MENDOZA *de Concilio Illiberitano confirmando, cap.* 8. vbi post laudata Clementis opera, sic concludit: * Constitutionibus Apostolicis eiusdem Clementis quædam à pietate Christiana maximè aliena inserta fuisse ab Hęreticis, Sexta Synodus refert. (*Act.* 27.) De illis etiam quosdam suo tempore dubitasse, recenset D. Epiphanius. (*lib.* 3. *contra Audianos.*) Inter Apocrypha antea retulit Eusebius (*lib.* 3. *Hist. Ecclesiast. cap.* 19.)*

926 Hæc de Apostolicis Constitutionibus iuxta recentem editionem, & traductiones è Græco Latinas evulgatis. At si de illis Apostolicis Constitutionibus loquamur, de quibus meminit S. EPIPHANIVS, censemus eas fuisse probatæ Fidei, illibatæ integritatis, sanæque Doctrinæ. De his intelligi potest, quod dixit Baronius suprà laudatus *num.* 9. *Ab eodem Clemente scriptę traduntur Constitutiones Apostolorum, quas non ignoravit antiquitas; nam S. Athanasius in Synopsi ex 9. Epistola eas *Doctrinam Apostolorum Clementinam* appellat, ea nimirum ex causa, quod sit earum exordium: *Audite Doctrinam Sacram, &c.**

927 Huic sententiæ egregiè patrocinatur S. EPIPHANIVS, dum de prædictis Apostolorum Constitutionibus repetitam mentionem facit tùm *Hæres.* 45. & 75. contra Aërium de Paschate disputans; tùm *Hæres.* 80. agens adversus Mesallianos: & horum librorum Authoritate Hæreticos premit, vrget, ac constringit.

928 Eiusdem Sancti sententiam de his libris luculentiùs expressam legimus *Hæres.* 50. quæ est Audianorum; qui, vt ipse Sanctus enarrat, suum de Paschate cum Iudæis celebrando errorem ex Apostolorum Constitutionibus confirmabant: * Audiani verò (inquit) ad Institutum suum, quamdam ex Apostolorum Constitutione Authoritatem accomodant, qui liber tametsi dubiæ apud multos Fidei sit, non est tamen improbandus; nam in eo, quę ad disciplinam Ecclesiæ attinent, omnia comprehenduntur; neque quidquam aut in Fide, ac Catholica professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi, ac Decretis contrarium continet: sed quod ad locum illum attinet, vndè suam de Paschate sententiam affirmarē conantur, hunc illi perperam interpretantur, & ad alienum sensum per inscitiam traducunt. Etenim Apostoli in illa Constitutione ita deffiniunt: Vos, inquiunt, temporis rationes ne subducite; sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex circumcisione prodierunt. Cum his itaque Pascha peragite.*

929 Eruditus Dom. PETRVS DE MARCA, prius Tolosanus, deindè Parisiensis Antistes, suum de prædictis Apostolorum Constitutionibus iudicium hisce verbis expressit *lib.* 3. *de Concordia, cap.* 2. * Sanè Clementis Romani fœtum non esse, ita etiam erudito Scriptori, qui tertio saltèm sæculo floruerit, vindicandum omnibus hodie persuassum esse video, cum in illo Commentario, quod ab aliquibus nuncupatur Constitutionum opus, antiquæ disciplinæ satis expressa vestigia supersint. An verò eadem sint cum his, quarum Epiphanius meminit adversus hæresim Audianorum, vberiùs aliàs disputabitur.*

930 Cui consonat Cardinalis BARONIVS, qui loco suprà laudato de prędictis Apostolorum Constitutionibus loquens, sentit, aliquos eas Apocryphas iudicasse ob incertitudinem Authoris, cum non constet earum Authorem fuisse aliquem ex Apostolis, nec minus S. Clementem; non verò quia Doctrinam integram non contineant, pręcipuè si de illis loquamur, de quibus meminit Epiphanius; sic enim scribit: * Agnovit eas S. Epiphanius, vsi sunt ijsdem qui his antiquiores, atque recentiores in Ecclesia claruerunt, celebres Scriptores Eccle-

Fff siasti-

siastici: quorum seriem, qui pro eodem Commentario scripserunt Apologias, texuerunt; sed ita tamen, vt à nemine inter libros Canonicos sint receptæ, sed inter Apocrypha ab omnibus annumeratę. In illorum sanè Classem alleguntur ab Athanasio, & alijs.* Vt autem clarè appareat Apostolorum Constitutiones, quę S. Epiphanij tempore circumferebantur, non esse Apocryphas ratione Doctrinæ, sic prosequitur Baronius: * Sed non sic quidem, quod de multis accidit, vt penitùs improbentur; nam quæ de his esset Patrum sententia Epiphanius declarat his verbis, cum adversus Audianos agit *Hæres.70.* Cæterum ad hoc afferunt falsò ijdem Audiani Apostolorum Constitutionem (eo enim nomine Commentarium ipsum appellat) quę apud multos in ambiguo est, sed non reprobata. Omnis enim regularis ordo in ipsa habetur, & nihil à Fide adulteratum, neque à Confessione, neque ab Ecclesiastica gubernatione, & regula. At verò dictum à quo accipiunt de Paschate, prędicti malé interpretantur, & per ignorantiam aliter intelligunt, &c.*

931 Pro maiori huius sententię munimine lectu dignissimum est quod solita sua eruditione notavit Illustrissimus Episcopus GABRIEL ALBASPINEVS *lib.1. Observat. cap.* 13. etenim de prædictis Constitutionibus loquens asserit antiquissimas esse; multaque in illis excellentissima, & magni ponderis contineri: nec dubitare se, quin harum Codice Græcæ Ecclesię pro Legibus, Manuali, Pontificali, seu Rituali, vt vocant, fuerint vsi, satisque constare, nihil in his reperiri, quod Ecclesiasticæ quatuor primorum sæculorum disciplinæ consentaneum non sit: nemini quoque dubium esse debère, quin probus & antiquus liber sit; quique eas attentiùs legerit, eadem de illis, quæ de Canonibus Apostolorum iudicaturum, additas videlicet decursu temporum primis, novas; quemadmodum & novæ Leges, ac Constitutiones in regimine Ecclesiæ novis occasionibus enatis factæ sunt.* Hæc ille.

932 Coronidem tandem huic rei imponat Mag. NATALIS ALEXANDER *sec. 1. part. 2. Dissert.18. Histor. Ecclesiast.* vbi loquens de Apostolorum Constitutionibus, quæ S. Epiphanij tempore circumferebantur, hęc in rem nostram aptissima scribit: * Fateor igitur fuisse tempore S. Epiphanij Constitutiones aliquas Apostolis adscriptas; sed contendo planè diversas fuisse ab his, quę nunc circumferuntur. Illæ enim, quarum meminit Epiphanius, nihil aut in Fide, ac Catholica Religione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi, ac Decretis contrarium continebant, vt ipsemet ait; nostras verò innumeris scatère erroribus, sive quoad Dogmata, sive quoad Ecclesiasticam disciplinam, demonstratum à nobis est. Secundò, quæ ex suis laudat, ac describit Epiphanius, in nostris non leguntur, immò quædam leguntur in nostris planè contraria. Statuebant enim citatæ ab Epiphanio Constitutiones, Pascha celebrandum cum his Christianis, qui Ierosolymis ex circumcisione erant, adeòque cum Iudęis, quorum illi diem celebrabant. Nostrę verò Constitutiones vetant cum Iudæis Pascha celebrari, *lib.5. cap.17.*

933 Porrò si hæc in antiquis illis Constitutionibus legebantur, mirum est, S. Epiphanium illarum Authoritatem non retorsisse contra Audianos, qui ipsis abutebantur, vt Pascha Iudæorum more celebrandum esse probarent. Non legitur etiam in his Constitutionibus, quę penès nos sunt, quod ex suis Epiphanius citat: *Qui afflixerit animam suam Dominica die, maledictus est Deo.* Ergo Epiphanianę illę Constitutiones plane diversæ erant à nostris.* Hactenùs Alexander. Vbi manifestè probat, quàm longè distent Apostolorum Constitutiones novitèr editę, ab illis quæ S. Epiphanij tempore legebantur. Vndè quamvis Constitutiones recenter editæ multis erroribus corruptę sint, ac vitiatę, & ob pernitiosam quam continent Doctrinam, Apocryphæ sint iudicandę; nullatenùs tamen Apocryphum existimandum est Apostolicarum Constitutionum exemplar, quod præ manibus habuit Epiphanius; istud enim, vt modo cum ipso Epiphanio diximus, nihil Fidei, Catholicæque Doctrinæ oppositum continebat.

934 Quod eleganter confirmat D. EMMANVEL SCHELSTRATE Bibliothecarius Apostolicus, dum loco suprà laudato *fol.* 270. hæc habet: *Verùm esto libros Constitutionum Apostolicarum non esse opus Clementis, firmetur, tàm veterum, quàm modernorum testi-

testimonijs : illas tamen non penitùs abijciendas esse, cum antiquitus collectæ plura contineant antiquitatis documenta, vt etiam si quædam in his adulteratio facta sit, multa tamen excellentissima contineant veteris disciplinæ vestigia. (Et *fol.* 272. *in fine* ait:) Attamen ne rigorosè nimis de hisce Constitutionibus sub nomine Apostolorum iam diù in Ecclesia circumlatis iudicemus, fateor quidem cum omnibus ferè peritis, has Constitutiones, nec ab Apostolis processisse omnes, nec à Clemente I. Romanorum Pontifice, in octo libris fuisse digestas, sed postmodum ab aliquo Fideli fuisse collectas, quę tempore S. Epiphanij extiterunt sanæ, & immaculatę. Sed postea ab Hęreticis, alijsque adulteratæ, vt advertit Synodus Trullana *Can.* 2.* Hæc ille.

935 Ex dictis manifestè dignoscitur qua censura dignæ sint Apostolorum Constitutiones per Clementem Papam in recentibus editionibus evulgatæ, & magnum discrimen, quod intercedit inter istas, & illas, quæ tempore S. Epiphanij (qui, vt notat Sixtus Senensis, *anno* 390. floruit) præ manibus habebantur, quando nempè nondum Hęreticorum, & Apostolicæ Doctrinæ inimicorum improbitas puritatem Doctrinæ, quæ in eis continebatur, suis erroribus commaculaverat. Hoc ergo discrimine, quod inter vtrasque Constitutiones proposuimus, totque gravissimorum Patrum Authoritatibus comprobavimus, nullum occurret argumentum, quod facili negotio non diluatur. Vndè hac quæstione iam absoluta, ad aliam non minoris difficultatis progrediamur.

CAP. VII.

DE CANONIBVS APOstolorum.

936 CVM de *Recognitionum* libris, & *Apostolicis Constitutionibus* Sancto Clementi adscriptis superioribus Capitibus egerimus, modò inquirendum est: *An Liber Canonum Apostolorum* Sancti Clementis nomine evulgatus, sit legitimus prædicti Pontificis fœtus? Et an prędicti *Canones* sint Sanctorum Apostolorum Doctrina, vel ab illis conscripti? Celebris est hæc controversia, maximè inter Neotericos, qui non modò prędictorum Canonum Authoritatem, sed illorum etiam numerum in prædicto libro præscriptum revocant in dubium.

§. I.

AN APOSTOLI ALIQVOS Canones condiderint?

937 SAcris Apostolorum Canonibus sese opposuere MAGDEBVRGENSES CENTVRIATORES, qui vtpotè apertissimi Apostolicę Sedis hostes, omnem lapidem dimoverunt, omnesq; effuderunt vires, vt Apostolicam Romanæ Sedis Authoritatem, Dignitatemque illorum, qui ad Apostolicum Thronum, Divique Petri Cathedram evehuntur, varijs erroribus aspergerent, ac ementitis maculis obtenebrarent. De prædictis itaque Canonibus loquentes, hęc in suo Procemio scribunt: * Canones illos, qui à Clemente Romano versi dicuntur, & nomine Apostolorum circumferuntur, ab Apostolis non esse conscriptos, nec hoc sęculo tales extitisse, multis firmis argumentis probari potest.*

938 His, alijsque similibus cavillationibus, inanibusque nugis, venerandam prędictorum Canonum Authoritatem eludere, ac penitùs infringere conantur Magdeburgenses; ne primis illis Legibus, Sanctissimisque Regulis, quas tàm illorum, quàm horum temporum hæresibus valdè oppositas Sacratissimi Apostoli ad bonum Ecclesiæ regimen Divino Suggerente Spiritu condiderunt, sese subijcere teneantur. Sed frustrà: credibile enim non est, nec vlli rationi congruum, primos illos Christianæ Religionis Magistros Christianam Rempublicam Legibus, Regulis, & ordine destitutam reliquisse, quando in illius conservationem totis viribus incumbebant: alias de Christiano populo diceretur quod scriptum est *Iudicum* 17. *In illis diebus non erat Rex in Israel; sed vnusquisque quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat.* Vt ergo populus Dei, non modò venturis temporibus, sed in suis etiam primordijs rectè gubernaretur, rationi consonum erat, vt Apostoli, quos Christus primos Ecclesiæ, ac totius Orbis Principes creaverat (*Constitues eos Prin-*

cipes super omnem terram) aliquas Christiano Populo Regulas, Canones, ac Leges Ecclesiasticas, Sacrasque sancirent, quibus Fideles in suis actionibus rectè se gererent, malum fugerent, bonum amplecterentur, & ad Æternam Beatitudinem, ad quam illos condidit Deus, faciliùs tenderent, ac securius dirigerentur: ad hoc siquidem, Verbum Divinum, humanam suscepit naturam, cum *propter nos homines, & propter nostram salutem, á regalibus sedibus venit*; nempè vt vitam haberemus, & abundantiùs haberemus, vitam hic per gratiam, & abundantiùs in futuro per gratiam consummatam, & gloriam.

939 Ne autem id novum, & exoticum videatur his, qui Ecclesiam Divinasque illius Dispositiones obstinata malitia insectantur, vti Magdeburgenses, alijque huiusmodi hæreseos veneno infecti, qui antiquas parentum Leges abolere, atque novos inducere ritus nituntur, asserimus, Sacratissimos Apostolos, non sine gravissimo fundamento, prædictos Sacros Canones, Regulas Sacras, & Ecclesiasticas Leges præscripsisse: etenim si ad priora illa nascentis Mūdi exordia, mentem, animumque convertamus, inveniemus, nihil bono Mūdi regimini, ac directioni convenientius fuisse, quàm Leges ferre, statutaque sancire, tam in divinis, quàm in humanis. Sic nos docuit Supremus Legifer Deus, quem quotquot æquam, ac iustam, tam in Politicis, quàm in Sacris, gubernationem desiderarunt, imitati sunt. Hanc veritatem præclarè nobis tradidit ANGELICVS PRÆCEPTOR, qui loquens de mirabili illa Dispositione, qua Deus hunc mundum regit, ac gubernat; expendit, Deum id non nisi diversis Legibus, Æterna scilicet, Naturali, Humana, & Divina, perfectissimè exequi, & absolutè perficere. De Æterna loquitur SANCTVS DOCTOR 1.2. *q.* 91.*ar.*1.*in corp.* sic scribens: *Manifestum est autem, supposito quod Mundus Divina Providentia regatur, vt in primo habitum est (hoc est 1.*p.quæst.*22.*art.*1.*&* 2.) quod tota communitas Vniversi gubernatur ratione divina; & ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in Principe vniversitatis existens, Legis habet rationem. Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet æternum conceptum, vt dicitur *Proverb.* 8. inde est, quod huiusmodi Legem oportet dicere Æternam*.

940 Huc egregiè facit quod aureō verborum torrente protulit CICERO, non minus eloquentia, quàm sęculi sapientia insignis: qui quamvis Fidei luce destitutus, solo tamen naturali lumine præditus, alìè de æterna Lege locutus: *Hanc (inquit) video sapientissimorum hominum esse sententiam, Legem, nec hominū ingenijs excogitatam, nec scitum esse aliquod populorum; sed æternum quiddam, quod vniversum Mundum regeret imperandi, prohibendique sapientia. Ita Principum Legem illam, & vltimam mentem esse dicebant omnia ratione, aut cogentis, aut vetantis Dei, ex qua illa Lex, quam Dij humano generi dederunt, rectè est laudata.*

941 De naturali Lege egit Angelicus Doctor, loco supra laudato, *art.* 2. vbi explicans illud D.Pauli *ad Roman.* 2. *Cum gentes, quæ legem nō habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*: adducit sensum Glossæ, quæ prædictum textum sic exponit: *Quod si non habent Legem scriptam, habent tamen Legem naturalem, qua quilibet intelligit, & sibi conscius est quid sit bonum, & quid sit malum. (Et infra subdit:) Vndè patet, quod Lex Naturalis nihil aliud est, quàm participatio Legis ęternæ in rationali creatura.* Hanc autem participationem elucidat Sanctus Doctor textu *Psalmi* 4. dicens: *Cum dixisset: *Sacrificate sacrificium iustitiæ*: quasi quibusdam quærentibus: quæ sunt iustitiæ opera? *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Cui quæstioni respondens dicit: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid sit malum, quod pertinet ad naturalem Legem, nihil aliud sit quàm impressio divini luminis in nobis.*

942 Id ipsum explicat mirificè idem Sanctus *in corp. art.* dicens: *Vndè cum omnia quæ Divinæ Providentiæ subduntur, à Lege æterna regulentur, & mensurentur, vt ex dictis articulo præcedenti patet, manifestum est, quod omnia participant aliqualiter Legem æternam, in quātum scilicet ex impressione eius habent inclinationes in proprios actus, & fines. Inter cætera autem rationalis creatura, excellentiori quodam modo Divinæ Providentiæ subiacet in quantum & ipsa fit Providentiæ particeps sibi ipsi, & alijs providens. Vndè & in ipsa participatur ratio æter-

æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem. Et talis participatio Legis ęternæ in rationali creatura, Lex Naturalis dicitur.*

943 Huc egregiè facit quod scripsit AVGVSTINVS *lib.1.de lib. Arbit.cap. 5.& 6.* *In temporali Lege nihil est iustum, quod non ex Lege æterna homines sibi derivaverint.* Iuxta illud *Prover.* 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Consonat SENECA *ad suum Lucilium*, *Epist. 66.* hæc scribens: *Est ergo à Deo tamquam naturæ Authore impressum, inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practicæ, actus humanos liberos ad bonum, iustumque dirigimus.* Sed clarius pro re nostra illud *Ierem.*31. vbi Dominus: *Dabo*, inquit, *legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Huius autem legis promulgationem, ita extulit SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS *lib. de Corona Militis*: *Lex communis in publico Mundi, & in naturalibus tabulis scripta.*

944 Sequitur hanc sententiam, Antiquos inter Philosophos, CHRYSIPPVS *lib.* 1. *de Finibus*, sic scribens: *Idcircò Finis dicitur consentaneè, secundum naturam vivere, secundum suam ac vniversam naturam nihil eorum faciendo, quæ à communi Lege prohibentur, quæ est recta ratio in omnes perveniens. Eademque in Iove hoc, Principe gubernationis omnium quæ sunt.*

945 Hic etiam videtur communis Sanctorum Patrum consensus; etenim D. THOMAS 1.2.*quæst.*4.*art.*1. asserit conscientiam nihil aliud esse, quàm dictamen rationis naturalis in cordibus scriptum vim Legis naturalis habẽs; ibidemque Naturalem Legem, Synderesim vocat; id est, dictamen rationis. D. item HIERONYMVS, vbi supra appellat Legem intelligẽtiæ. Idemque tradunt AVGVSTINVS *lib.2.de Serm. Dom. in mont.* & D. AMBROSIVS *lib.*5. *Epist.* 41. LACTANTIVS *de vero Fruct.cap.*8. *Est quidem, inquit, vera Lex, recta ratio naturæ congruens diffusa in omnes, constans, sempiterna.* SENECA *lib.* 4. *de Benefic cap.* 7. *Quid aliud est natura, inquit, quàm Deus, & divina ratio toti Mundo, & partibus eius inserta?* Quibus adstipulatur S. GREGORIVS NAZIANZENVS *Apologet.*1. asserens: *Legem esse naturæ, vt corpus animæ pareat, tamquam præstantiori.*

946 Hæc de Lege naturali, & ęterna: ad humanam progrediamur. De hac locutus fuit AVGVSTINVS *lib. de Libero Arbit.* vt annotat S. Thomas, loco supra laudato, *art.* 3. his verbis: *Augustinus ponit duas Leges, vnam æternam, aliam temporalem, quam dicit esse humanam.* De hac humana Lege dicit Angelicus Doctor, Articulo citato: *Quod sicut in ratione speculativa, ex principijs indemonstrabilibus, naturaliter cognitis, producuntur conclusiones diversarum scientiarum, quarum cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriam rationis inventa: ita etiam ex pręceptis Legis naturalis, quasi ex quibusdam principijs communibus, & indemonstrabilibus, necesse est quod ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter disponenda, & istæ particulares dispositiones adinventæ secundum rationem humanam, dicuntur Leges humanæ, observatis alijs conditionibus, quæ pertinent ad rationem Legis, vt supra dictum est (*quæst. præced. per totam.* Vnde Tullius dicit in sua Rhetorica (*lib. 2. de Invent. fol.* 4. *ante finem*) quòd initium Iuris est à natura profectum; deinde quædam in consuetudinem ex vtilitate rationis venerunt: postea res, à natura profectas, & à consuetudine probatas, Legum metus, & religio sanxit.* Hactenus D. Thomas.

947 Ad hoc ius humanum reducuntur omnes Civiles Leges, quas per suos Iurisconsultos, tam Æthnicos, quàm Fideles omnes Imperatores, & Reges bono Regnorum, & Rerumpublicarum regimini pręscripserunt. At quia longius, quàm par est, nostra proveheretur oratio, si rem istam prosequi vellemus, eam libenter omittimus, hæc prælibasse contenti, vt hinc apertè inferatur, omnia Regna, omnesque Respublicas ab illo Gentilitatis tempore ad hanc vsque diem, pręⅾictarum legum scripto gubernari.

948 At præter humanas istas Leges necesse est, vt pro re nostra de Divina Lege pauca dicamus, eamque revera existere breviter probemus. Hanc autem non inefficaciter suaderi posse videtur ex illo *Psalmi* 118. *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum*; siquidem D. Thomas vbi supra *art.*4. prædicta verba exponens, hæc habet: *Dicendum, quod

quod præter Legem naturalem,& Legem humanam, necessarium fuit ad directionem humanæ vitæ habere Legem Divinam.* Et quamvis Sanctus, quatuor huius Legis causas assignet; quarta tamen, quam ex Augustino deducit, omnium videtur præcipua; quia nempè Lex humana, non potest omnia, quę malè fiunt, punire, vel prohibere. Iam illius audiamus verba: *Quia sicut Augustinus dicit in libro *de Lib. Arbit.* (*cap. 6. circa finem*, *tom.*1.) Lex humana non potest omnia, quę malè fiunt, punire, vel prohibere; quia dùm auferre vellet omnia mala, sequeretur quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur vtilitas boni communis, quod est necessarium ad conversationem humanam. Vt ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, necessarium fuit supervenire Legem Divinam, per quam omnia peccata prohibentur.* Idque nobis ostendere voluit Regius Citharœdus, cum *Psalm.*18. inquit: *Lex Domini immaculata*: id est, vt exponit D.THOMAS: * Nullam peccati turpitudinem permittens: *Convertens animas*; quia non solum exteriores actus, sed etiam interiores dirigit: *Testimonium Domini fidele*; propter certitudinem veritatis,& rectitudinis: *Sapientiam præstans parvulis*; in quantum ordinat hominem ad supernaturalem finem, & divinum.* Hic igitur est pręcipuus Divinæ Legis finis, hic illius scopus, suis nempè præceptis homines, ad consecutionem vltimi finis, supernaturalis,& divini dirigere, vt pręditis pręceptis instructi, æterna beatitudine potiantur, Dei visione beentur, ac ineffabili dulcedine perfruantur.

949 Notum est Catholicis, inter divinas Leges, discrimen; alia enim est Naturalis, alia Scripta, alia Gratiæ. Naturalis fuit ea Divina Lex, qua Dei populus ab ipsis Mundi primordijs ad Moysem vsque gubernatus est, iuxta illud *Ierem.*31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Lex Scripta fuit illa, quam Deus dedit Moysi in summitate montis Sinai (*Exod.*31. *v.*18.) vt eam promulgaret, cum præceptis iudicialibus, moralibus,& ceremonialibus;& hac Lege, digito Dei scripta, populus ille à Moyse vsque ad Christum directus est. Alia tandem est Lex Nova, & Evangelica, cuius primus Legislator fuit Christus Dominus, qui eam ad bonum Ecclesię regimen sancivit. Sic tradit ANGELICVS DOCTOR *vbi sup. art.*5. explicans enim illud Pauli *ad Hebræos* 7. *Translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat*; hæc habet: *Sacerdotium est duplex, vt ibidem dicitur, scilicet Sacerdotium Leviticum, & Sacerdotium Christi: ergo etiam duplex est Lex Divina, scilicet Lex Vetus,& Lex Nova.* Adductis verò varijs differentijs inter Veterem Legem,& Novam, sic concludit: *Tertiò ad Legem pertinet inducere homines ad observantiam mandatorum. Et hoc quidem Lex Vetus faciebat timore pœnarum: Lex autem Nova facit hoc per amorem, qui in cordibus nostris infunditur per gratiam Christi, quę in Lege Nova confertur, sed in Lege Veteri figurabatur; & ideo dicit Augustinus contra Adamantium Manichęi Discipulum(*cap.*17.) quod brevis differentia est Legis,& Evangelij, timor,& amor.*

950 Cessante igitur Lege Veteri per Christi Domini Passionem, cœpit obligare Lex Nova, sive Gratię, quę varijs nominibus appellatur à Sanctis Patribus: *Lex libertatis* ab Apostolo 2. *ad Corinth. cap.* 3. *Spiritus vitæ ibidem, cap.*8. *Lex Nova* à D. Augustino *tract.*65. *in Ioan.*

951 Quid Lex ista Gratię sanciverit docet ANGELICVS PRÆCEPTOR 1.2. *quæst.* 108. *art.* 1. *&* 2. *in corp.* ita scribens: *Sic igitur Lex Nova, nulla alia exteriora opera determinare debuit pręcipiendo, vel prohibendo, nisi Sacramenta, & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis.* Hæc est totius Novæ Legis summa: ad hęc tota ipsa reducitur. Dominus enim tantum ordinavit tamquam Legislator ea, per quę introducimur in gratiam, quæque sunt de necessitate medij, aut præcepti ad consequendam vitam æternam: vti sunt, præceptum de profitenda Fide *Matth.* 10. Sacramenta, per quæ gratiam consequimur; Ordoque ministrorum, pro quo duodecim Apostolos, nec non, & septuaginta duos Discipulos, instituit. Insuper ad perfectiorem statum reduxit præcepta moralia Decalogi, quæ omnia statui, & tempori communia, & necessaria sunt ad salutem. Non tamen omnia iusit, vetuit, aut permisit, nec per illam Legem à se latam ita in particulari Christus Dominus de omnibus, quæ ad spirituale Ecclesiæ regimē necessaria sunt, providit; sed solum quædam substantialia fun-

fundamenta huius spiritualis Reipublicæ instituit; reliqua verò disponenda commisit suis Apostolis, eorumque Successoribus, quorum Consilio, & Legibus institutā à se Ecclesiam, regendam tradidit per Leges Ecclesiasticas, quæ ita necessariæ fuerunt in spirituali Republica, sicut Civiles in temporali, vt optimè notarunt ALPHONSUS A CASTRO *advers. Hæres. verbo Ecclesia*, BOETIUS EPON *tom. 3. Quæst. Heroic. lib. 1. de Iure Sacro*, CAROLUS BOVIUS *in Præfat. Constitut. Clementin.* alijque non pauci.

952 Ex quibus facile intelligitur quodnam sit Ius Divinum, quo ex Lege Gratię vtimur; illud nempè quod habemus à Christo Domino cōstitutum, extatque in Novo Testamento, vel veterum traditione acceptum, vt à Domino præceptum, & ordinatum; vt communiter tenent Doctores de Apostolicis Traditionibus. Illud autem quod Apostoli, eorumque Successores succedentibus sæculis statuerunt, Ius Ecclesiasticum est. Pro quorum illustratione non possumus hic prætermittere illam Apostoli Pauli distinctionem, *1 ad Corinth. 7. Præcipio ego, non Dominus.* En Ius Ecclesiasticum. Cum verò dicit: *Præcipit Dominus, non ego*: clarè denotat Ius Divinum, vt observavit Magister DOMINICUS SOTO *de Iust. & Iure, lib. 2. quæst. 7. & 8. per tot. & quæst. 9. art. 1.* Archiepiscopus TAPIA, Complutensis Primarius, *tom. 1. Cat. Moral. lib. 4. quæst. 28. per tot.* MOLINA *de Iust. & Iure, tract. 1. Dis. 5.* SVAREZ *de Legibus, lib. 10. cap. 1. & 2. per tot.* SALAS *tract. 5. disp. 24. sec. 1. & 2.* AZOR *tom. 1. Instit. Mor. lib. 6. cap. 2. & 59.* LESSIUS *de Iustitia, lib. 2. cap. 2. dub. 2.* AVERSA *in 1. 2. quæst. 98. sect. 6.* Breviter, & more historico PETRUS GREGORIUS *lib. 1. Partit. Iuris Canon. tit. 1.* & alij quàm plures, quos brevitatis causa omittimus.

953 Ex hucusque dictis manifestè dignoscitur, quàm immeritò Magdeburgenses, cęterique eorum sequaces Apostolicos Canones negare, & à Christiano Orbe relegare contendant. Si enim Deus altissima sua Providentia, Mundum istum, vel Lege naturæ hominum cordibus insita, vel Lege Moysis ipsius Dei digito scripta, omni semper tempore moderatus est; si in omnibus Regnis, tàm Gentilitatis, quàm Christianæ Religionis temporibus, homines in rebus vrbanis, ac politicis, Civilibus Legibus, tàm generalibus, quàm municipalibus, quas Reges, Principes, & Imperatores ad bonum vniuscuiusque Reipublicę moderamen condiderunt, gubernati sunt, vt hucusque probavimus, & adeò apertum, totique Orbi conspicuum est, vt temerarium esset illud in dubium revocare: ac tandem si in Lege Gratiæ, iam ab istius primordijs, Christus Dominus, vti Supremus Legislator, nobis novam Legem, Evangelicaque pręcepta sancivit, & Apostolos tamquam primos Prælatos, ac totius Christiani Orbis Principes creavit: certè cum Æthnicorum Principes, facultatem legislativam in suis Regnis habuerint, ratione dissonum foret hanc facultatem Apostolis, ad bonum Christianæ Reipublicæ regimen, denegare. Insuper cum Leges sint norma, ac regula, qua homines diriguntur, vt malum fugiant, bonum verò prosequantur; necesse est vt intelligamus, Christum Dominum Apostolis, cum illis Ecclesiastici Orbis Principatum concessit, concessisse etiam potestatem ferendi Leges, sanciendi Regulas, constituendi Canones, quibus Christi Fideles instruerentur; Sanctissimosque Apostolos, hac potestate vtentes, aliquos Canones pro bono Ecclesiæ regimine condidisse.

954 Nec obstat dicere, nullam apparere rationem, aut causam excogitari posse quare Apostoli, in ipso iam Christianę Religionis initio, tot Ecclesiasticas Leges ferrent, quot sunt Canones, qui Apostolorum nomine circumferuntur. Nō, inquam obstat: Leges enim communiter non ob sola præsentia, nec ob sola præterita feruntur; sed etiam, vt præcaveantur, quæ perpetuis futuris temporibus possunt accidere: statuuntur etiam, vt sint regulæ, ac normæ, quibus homines in suis actionibus dirigantur, vt per viam virtutis incedant, & ad finem, ad quem conditi sunt, deveniant. Præclarè ad hanc rem CONSTANTINUS cognomēto APOSCHOLASTICUS, *in Præfat. ad Collectionem Canonū Apostolorū, & Synodorū*: *Discipuli (inquit) Christi, ijdemque Apostoli, quin etiam qui eis successerunt, & Ecclesiæ Sanctæ Episcopi, & Doctores fuerunt, quibus multitudinem gentium à Iudęorum fallacia, & tyrannide Diaboli liberatam, & ad Regem, ac Dominum glorię recto animo, ac Fide conversam Spiritui Sancto regendam commisit, non sunt arbi-

tra-

trati decère, vt qui peccarent, verberibus afficerentur, vt Civiles Leges faciunt: hoc enim valde stultum esse videbatur, ac nimis indecorum: immò potius studebant, vt quam promptissimè periculis se pro eis obijcerent, retro regressos revocarent, errantes adhuc, & à recta deflexos, sine mora corrigerent, in profundum præcipitatos, omnibus modis extrahere curarent. Qui verò iam putrefacerent, ac valdè ægrotarent, sapienter gladio spiritus abscinderent; contractos, & viribus defectos, quibusdam blandis pharmacis, & vinculis rationalibus alligarent, & eis pristinam valetudinem, Divina Gratia, & Spiritu Sancto adiuvante restituerent. Igitur qui illis successuri erant, vt eos, quibus quisque eorum suo tempore præesset, salvos, & incolumes conservarent, habitis Concilijs Leges quasdam, & Canones, non Civiles, sed Divinos de his, quę agenda essent, aut non, ad corrigendos cuiusque mores & vitam, ediderunt, qui eos quidem, qui rectà ingrederentur, fulcirent, actos in transversum punirent.*

955 Nec cuiquam mirum videatur, quod Constantinus singulari eruditione conspicuus prædictas Ecclesiasticas Leges, Apostolicosque Canones, Divinos appellet; siquidem Ius Canonicum, Leges istas complectens, aliquando vocatur Divinum. Sic dicitur *in cap. De quibus*, 3. *dist.* 32. *cap. Suscepistis*. 6. *dist.* 10. *cap. Nimis* 30. *de Iureiurando*, *cap.* 1. *de Iurament. calum. cap. Qualiter* 2. *de Accusat. cap. Diversis* 1. *de Privil. l.* 6. & alijs congestis à LIBERIO DE SIANO *lib.* 2. *tractat. Criminal. cap.* 18. *num.* 1. & ita docuerunt COVARRVVIAS *in Pract. cap.* 31. *num.* 2. *vers. Tertia vero.* PETRVS GVDELINVS *de Iure Novissimo*, *lib.* 5. *cap.* 1. & *lib.* 6. *cap.* 1. THOMAS CAMPEGIVS *in Tract. de Resident. num.* 7. qui invenitur *tom.* 15. *tract. Doctor. fol.* 538. MARIVS CVTELLIVS *de Prisca Immunit. Eccles. lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 7. CANVS *lib.* 5. *de Locis*, *cap.* 15. *vers.* 3. SALMERON *in Acta*, *tract.* 61. & *in Epist. ad Corinth. cap.* 1. SVAREZ *lib. de Legibus*, *cap.* 3. *num.* 20. GREGORIVS MARTINEZ *in* 1. 2. *quæst.* 98. *art.* 2. *vers. Inter Catholicos.* SALAS *lib.* 2. *de Leg. disp.* 22. *num.* 2.

956 Ratio autem huius nominis est: tum quia ex ipsis Sacris Litteris, tamquam ex Veritatis Divinæ fontibus, Sacri Canones dimanarunt; tum quia Authoritate, & Potestate à Christo Domino concessa, ac Vicario eius, Ecclesiaque proferuntur, & in eius nomine statuuntur, *cap.* 15. *Actor. Apost. Visum est Spiritui Sancto & nobis. D. Paulus Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 14. *Si quis videtur esse Propheta, aut Spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis.* Ad maiorem illustrationem vide Melchiorem Canum *lib.* 2. *de Locis*, *cap.* 16. Tum etiam quia de rebus ad Deum, eiusque cultum pertinentibus statuitur in hoc Iure, vt etiam *Divinum* accipiatur *in* §. *Nullius. Instit. de Rerum Divis. Leg. vt inter* 13. *alias finali. Cod. de Sacros Eccles.* vbi GLOSSA *verbo Divinum*, quam sequitur GEORGIVS OBIRATVS *de Princip. Iur. cap.* 7. & alij. Hoc tamen nomen per analogiam datur, non quia propriè Ius hoc sit Divinū, nec citati Authores id probant, nec expressè confirmāt, nisi fortè illud PETRI CLVNIACENSIS Abbatis D. Bernardo coætanei, viri doctrina virtuteque præclari, cuius verba sunt: *Divina mandata diximus, non solum ea, quæ per se ipsa divinitus apparens in carne hominibus tradidit, aut ea, quæ per Apostolos teneri constituit, sive illa quæ ante susceptam carnem per Patriarchas, aut Prophetas mandavit; sed illa etiam, quæ per Apostolos Apostolici Viri Apostolica vestigia secuti, vnanimiter in multorum Catholicorum consensu, servari præceperunt.*

957 Hisce ergo Divinis Legibus, Canonibusque Sacris, Christianum Populum initio nascentis Ecclesiæ Sanctissimi Apostoli gubernarunt, eisdemque Christianam Rempublicam moderantur Apostolorum Successores Divino Afflante Spiritu, qui Summis Pontificibus tamquam Supremis Ecclesiæ Capitibus, Apostolorumque Successoribus Episcopis, in Concilijs assistit, vt Canonicas Divinasque Leges in Cōcilijs, ipso inspirante pręscribant, vt rectè annotavit eruditus P. FRANCISCVS TVRRIANVS *lib.* 1. *pro Constitutionibus Apostolicis*, *cap.* 28. dicens: *Primos Legum Ecclesiasticarum latores Apostolos fuisse, qui primum Ecclesias per totum Orbem Apostolicis institutis, & Canonicis Legibus fundarunt; & eorum exemplum reliquos Patres, qui Ecclesias regendas susceperunt, varijs Concilijs habitis, in ferendis Ecclesiasticis Legibus, vt ratio cuiusque temporis, & nova-

rum

rum rerum necessitas poscere visa est, securos esse. Atque si de Potestatibus civilibus dixit Apostolus, à Deo ordinatas esse: non sunt autem ordinatæ sine iustis Legibus Principum sæculi, consequens est, vt neque Potestates Ecclesiasticæ, quibus illas, vt Divinis, oportet subiectas esse, sine Legibus Principum Ecclesiæ, qui fuerunt Apostoli, à Deo ordinatæ sint, &c. *

958 Verum enim prędictę Ecclesiasticæ, & Apostolicę Leges aliquando *Ius Divinum* appellentur, vt vidimus; frequentius tamen *Ius Canonicum* dicuntur, vt *in cap. Nicæna 12. dist. 3. l. omnes 6. l. Privilegia 12. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & alijs collectis à P. Francisco Valente *in Concordia Iuris Pontific. cum Theolog. ration. in cap. 1. dist. 3.* diciturque à Canone. Canon autem apud Gręcos idem significat, ac apud Latinos *Regula*, sic dictus, quia ducit homines ad regulatè, rectèque vivendum. D. ISIDORVS *in Cap. Canon. Dist. 13.* vbi probarunt TVRRECREMATA, ACVÑA, BARBOSA, & IOANNES DARTIS, TVRRIANVS *pro Canonibus Apost. lib. 1. cap. 16. & 27.* SALAS *de Legib. disp. 1. sect. 5. num. 15.* Ideo Artium pręcepta, ad quæ veluti ad certam normã, artis rationes referuntur, *Canones* appellantur. Sic PLINIVS *lib. 34. cap. 8.* tabellam Polycleti, quam Pictores sibi imitandam proponebant, *Canonem Polycleti* appellavit. Inde etiam tributa, sive anniversaria pensitatio, quę à Provincialibus quotannis Populo Romano pendebatur, *Canon* appellabatur; vt constat ex Titulis, tàm Codicis Iustinianæi, quàm Theodosiani *de Canone Frumentario Vrbis Romæ*: *de Canone Frumentario Constantinopoli: & ex l. 1. Cod. de Prædijs Tamiacis, lib. 11. l. 1. Cod. Theodos. de Indictionib. l. 3. eodem Cod. sive censu, vel reliquijs, l. 11. tit. 1. lib. 10. legum Vvisigothorum*; ASCONIO IIII. *in Verr.* *Omne genus pensitationis in hoc capite positum, Canonis, oblationis, & indictionis.* SIDONIO *lib. 6. cap. 10.* *Debitum glebæ Canonem non petatis.* CÆLIO RHODIGINO *lib. 5. Antiq. lect. cap. 11.* Id etiam annotarunt BRISSONIVS, alijque Lexicographi, verbo *Canon*; PANZIROLA *lib. 2. variar. cap. 147.* PETRVS GREGORIVS *lib. 3. Syntagm. cap. 5. & lib. 1. Partit. tit. 2. cap. 1.* CÆSAR BVLENGERVS *de Imperat. lib. 6. cap. 11.*

959 In eadem acceptione Canonem pro Regula posuit CICERO *ad Tyron. lib. 16. epist. 19.* *Heus tu, qui Canon esse meorum soles scriptorum.* Et *in Pancratio* saltandi mensura, sive Regula, Canon dicebatur: CÆLIVS RHODIGINVS *lib. 3. Antiquar. lect. cap. 30.* vt ex Iulio Polluce notavit PETRVS FABER.

960 *Canon* etiam accipitur pro charta illa, qua omnium Clericorum nomina descripta legebantur, vt *in Can. 2. Concilij Antiocheni*: *Ex Episcopis Presbyteris, vel Diaconis, vel quemvis ex Canone.* *Can. 16. & 17.* Synodi Nycænę: observavit ALBASPINVS *in Notis ad dictum Can. 2.* Cum igitur *Canon* apud nos sumatur pro Regula, denominatione à Gręcis desumpta, rectè à Fidelibus illę Regulæ, quas ipsis pro Legibus, Apostoli, & eorum Successores tradiderunt pro bono illorum regimine, *Canones* appellantur, & Ius ex eis constitutũ *Canonicum* dicitur; qua significatione optimè vtitur *D. Paulus ad Philip. 3. ad Galat. 6. & 2. ad Corinth. 10.* vbi in Vulgata Latina habetur: *In eadem permaneamus Regula.* Græcè verò legitur: *Vt eodem dirigamur Canone.* Sed & D. Petrus apud Clementem *Epist. 1. ad Iacobum*: *Canones inquit, Ecclesię deligendo, & solvendo rectè novit.*

961 His ergo suppositis ad propositũ de Canonibus Apostolorum difficultatem proprius accedentes, pro clariori illius resolutione, prius vndè illi initium habuerint, aperiendum esse censuimus. Apostoli ergo, postquam Christus Dominus Ecclesiæ regimine ipsis commisso, ac D. Petro eorum Principe constituto, ad ęthereas sedes conscendit, diversis temporibus convenere, vt constituerent ea, quæ Christianę Religioni magis congruere videbantur: in his igitur congressibus, & Concilijs varię Leges, Regulæ, & Ecclesiastici Canones ad veram Catholicam Doctrinam adstruẽdam, & Divinum Cultum stabiliendum, ab Apostolis constituti sunt; hincque Sacros Canones initium habuisse putamus.

§. II.

RECENSENTVR CONCILIA AB Apostolis celebrata.

962 MVlta sunt Concilia, quæ ab Apostolis celebrata comperimus. Primum, (vt referunt GLOSSA

Ordinaria in cap. 1. *Act. Apost.* BARONIVS *ad annum* 34. *num.* 236. HINCMARVS Rhemensis Antistes *Opusc.* 35. *cap.* 44. ALOIX *ad Vitas Sanctorum Eccles. Orient. in princ. fol.* 21.) celebratum fuit cum Apostoli convenerunt in domo Mariæ, matris Ioannis, vt loco Iudæ proditoris, duodecimum Apostolum eligerent, vbi cum orassent, statuerunt duos, Iosephum, qui vocabatur Barsabas, & Mathiam: dederuntque sortes, & cecidit sors super Mathiam, annumeratusque est cum vndecim Apostolis; vt habetur *in Act. Apost. cap.* 1. *vers.* 26. & ibi CHRYSOSTOMVS, ALEXANDRINVS, & OECVMENIVS, D. DIONYSIVS *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 5. D. CLEMENS ROMANVS *lib.* 8. *Constit. Apost. cap.* 5. relatus *in cap.* 2. 26. *quæst.* 2. Et ex eis BARONIVS *vbi supra*, BINIVS, & CORIOLANVS *in Notis ad dictum Concil.* CABASSVTIVS, & BIALIVS *in Notitia Concilior. in princ.*

963 Secundum Ierosolymitanum Concilium, eodem anno, & loco habitum est ante Martyrium S. Stephani, vt habetur *Act.* 6. Crescente enim numero Fidelium, ortum est murmur Græcorum, hoc est Discipulorum, qui ex Iudęis conversi, in Græcia commorabantur, adversus Hebręos Palæstinam habitantes, eò quòd despicerentur viduę eorum in ministerio quotidiano, videlicet in servitio mensarum communium, vbi propositę erant. Placuit ergo, cum æquum non esset Apostolos derelinquere Verbum Dei., & ministrare mensis., vt eligerentur septem Diaconi, quibus manus imposuerunt, id est, eos ordinaverunt, vt exponunt PATRES CONCILII NEOCÆSARIENSIS, relati *in cap. Diaconi* 12. *dist.* 93. AQVISGRANENSIS *Can.* 7. DIONYSIVS *de Ecclesiast. Ierarch. cap.* 3. CYPRIANVS *lib.* 2. *Epist.* 65. *ad Rogatianum*, sic scribens: * Diaconos autem post ascensum Domini in Coelos, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros.* D. ISIDORVS *lib.* 2. *de Ecclesiast. Offic. cap.* 8. Ex his, & alijs Ecclesię Patribus notarunt SALMERON, & CORNELIVS A LAPIDE *in dict. cap.* 6. *Act.* SEVERINVS BINIVS, CORIOLANVS, & BAILIAS *in dict. Concil. Ierosolymit.* BARONIVS *anno* 39. *num.* 243. & *anno* 35. *num.* 1. & *anno* 224. *num.* 7. & *anno* 57. *num.* 31. & *anno* 112. *num. finali*, ALOIX *vbi supra*, RABANVS MAVRVS *lib.* 1. *Institut. cap.* 7.

964 Ordinabantur autem Diaconi per manuum impositionē, vt patet ex Concilio Carthaginensi IV. *cap.* 7. *de Sacrament. non iterand.* vbi latè probat D. EMMANVEL GONZALEZ. Tradunt etiam FRANCISCVS HALLERIVS *de Sacris Elect.* 2. *Par. sect.* 2. *cap.* 1. BELLARMINVS *de Sacram. Ord. l.* 1. *cap.* 6. IODOCVS COCCIVS *lib.* 8. *Thesauri Fidei Cathol. art.* 3. IOSEPHVS VICECOMES *de Missæ Ritibus, volum.* 3. *lib.* 1. *cap.* 16.

965 In prædicto autem Ierosoymitano Concilio initiati fuerunt ab Apostolis Diaconi, vt ministrarent mensis, non modò communibus sed etiam Sacris. Licet enim aliqui senserint, Diaconos ab Apostolis, tantum mensis communibus, non tamen ministerio Altaris fuisse præfectos, vt SEBASTIANVS CÆSAR *de Ecclesiast. Hierarch. disput.* 9. §. 1. & ex Theologis LINDANVS *lib.* 4. *Panopl. cap.* 9. MEDINA *lib.* 2. *de Continent. cap.* 26. GABRIEL VAZQVEZ *in* 3. *par. disp.* 236. *cap.* 4. contrarium nihilominus ab alijs deprehenditur, tum ex forma præscripta electioni Diaconorum: quid enim ad cibaria curanda, esculenta ad mensas deferenda, opus fuit ministris tam accurata sollicitudine electis, tam Sacris Ritibus initiatis? vt bene notavit CABASSVTIVS *in Notis ad hoc Concil.* Tum etiam ex effectibus ipsius electionis apparet: statim enim post hanc Ordinationem, ex eis Stephanus cæpit prædicare; *Act.* 6. quod munus Diaconorum est, *cap. de Electis*, §. *ad Diaconum* 25. *dist.* Probat FERRARIVS *de Rit. Concion. lib.* 2. *cap.* 2. CLAVDIVS ESPENCÆVS *ad Epist. D. Pau. lib.* 1. *Digres. c.* 5. & D. EMMANVEL GONZALEZ *cap. Intercætera, de Offic. Ordin.*

966 Verùm estò nō negemus, Diaconos fuisse electos, vt mensis communibus ministrarent; negamus tamen, ipsos initiatos fuisse, vt cęteris Fidelibus laicis accumbentibus, quæ ad cibum, potumque pertinent, deferrent. Illorum ergo muneris erat, eleemosynas inter egenos, pro singulorum necessitatibus, dividere; quod quidem munus etiam sequentibus sęculis Diaconos obijsse in Ecclesia testantur D. HIERONYMVS *in Ezechiel. cap.* 48. D. AMBROSIVS *de Offic. Ecclesiast. cap. vlt.*

S.

S.LEO *Serm.de S.Laurent.* patetque ex Actis Sanctorum Cyriaci, & Smaragdi. Quamplura in hac parte congesserunt BARONIVS *dicto anno* 34. VAZQVEZ *disp.*136.*cap.*6.*num.* 69. ESPENCÆVS *dicto lib.*1.*Digres.cap.*4.

967 At, vt diximus, non solum vt communibus, sed etiam vt Sacris mensis deservirent, electi fuerunt Diaconi, videlicet, vt Apostolis in Altari sacrificantibus ministrarent: vnde in Ecclesia vsus inolevit, vt Sacerdotibus sacrificantibus omnia disponerent, videlicet locum, in quo offerendum est Sacrificium, necnon Hostiam, & Calicem præpararent, atque illis ministrantibus adessent. *Cap. Perlectis*, §. *ad Diaconum*, 25. *Dist.* CONCILIVM AQVISGRANENSE *Can.*7. D. AMBROSIVS *lib.*1.*de Offic.c.*41. vbi ita introducit B. Laurentium Diaconi, alloquentē S. Sixtum Pontificem: * Quò pergis sine filio, Pater? Quò Sacerdos Sancte, sine Diacono?* D. CLEMENS *lib.* 8. *Constit. cap.* 34. AMALARIVS FORTVNATVS *de Ecclesiast. Offic. lib.* 1. *cap.* 12. Immò constituti etiam fuerunt Diaconi, vt Eucharistiam, si Presbyter abfuisset, dispēsarent. *Cap. Diaconos*, 13. *cap. Præsente.*18. *Dist.*93. *cap. Presbyteros.* 32. *Dist.* 50. vbi loco illorum verborū: * Calicem offerant; * legendum est: * Calicem deferant; * vt notavit MORINVS *lib.* 2. *Exercit.cap.*12. *cap. Nullus* 10. *quæst.*1. Concilium Nicęnum *Can.* 14. Vasense II. *Can.* 2. Plura ad id ANTONIVS AVGVSTINVS, Tarraconensis Archiepiscopus *in Epit. Iuris Canon. lib.* 7. *tit.* 2. LANDMETERIVS *lib.*2. *de Veteri Clerico*, *cap.*75. BVLENGERVS *Diatrib.*3. *cap.*51. CASAVBONVS *fol.*227. AZOR *tom.*1. *Instit. Moral.lib.*10.*cap.*13.

968 Vigente verò consuetudine communicandi Fideles sub vtraque specie, Calicem Sanguinis Domini, Diaconi ministrarunt. Concilium Aquisgranense *Can.*7. Carthaginense IV. *Can.* 38. D.CLEMENS *Epist.*2. *ad Iacobum*, D. CYPRIANVS *Serm.*5.*de Lapsis*, ARATOR *lib.*1.*Histor.Apost.* ibi:

* Iura ministerij Sacris Altaribus apti
In Septem statuēre viros, quos vndique lectos
Levitas vocitare placet: cum splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quę pocula vitæ
Misceat, & Latices cum Sanguine porrigat Agni.

Latius illustrat CERDA *in Adversar. cap.*94. PAMELIVS *ad Epist.* 65. *S. Cyprian.* SEBASTIANVS CÆSAR *de Ecclesiast. Hierarch. disp.*9.§.2. ESPENCÆVS *vbi supra*, IOSEPHVS VICECOMES *de Antiq. Missæ Rit. volum.*3.*lib.*1.*cap.*16.

969 Insuper ad Evangelium publicè in Ecclesia legendum initiati fuere Diaconi; vt videre licet *in Concil. Rhemen. Can.* 5. *Vasensi sub Leone* 1. *Can.* 4. Probat etiam FORTVNATVS *lib.* 2. *de Ecclesiast.Offic. cap.*12. & 18. GVILIELMVS DVRANDVS *in Rationali Divin.Offic. lib.*5.*cap.*5.*num.* 10. Præterea muneris ipsorum erat, Evangelio finito Energumenos, Cathecumenos, Hęreticosque pellere ab Ecclesia; teste AVGVSTINO *ser.* 227. CONCILIO LAODICENSI *Can.* 19. D. CLEMENTE *lib.*8. *Constit. cap.* 8. & 9. ac RABANO MAVRO *lib.* 1. *Instit. Cleric.cap.*32.

970 Ad hæc, de concionandi munere Diaconis antiquitus iniuncto, plura observaverunt FERRARA *lib.*2. *cap.* 3. & 43. VICECOMES *vbi sup. lib.*1. *cap.* 5. & *lib.*2.*de Baptismi Rit. cap.*10. DVRANTIVS *lib.* 2. *de Rit.cap.*1. CORIOLANVS *in Breviario*, *anno* 423. BRISSONIVS *in l. Die Dominico*, *fol.*129. *Cod.de Spectac.* LOAYSA *in Notis ad Can.* 1. *Concilij Valentini.* LANDMETERIVS *dicto lib.*2.*cap.*81.

971 Diaconos insuper, olim ex Episcoporum delegatione, publicè, ac solemniter baptizare solitos, habetur *in Cap. Diaconus* 93. *dist.* & in Pontificali Romano *tit.de Ord. Diacon.* apud Tertullianum *de Baptis.* Ius dandi Baptismum Summus Sacerdos habet; de hinc etiam Presbyter, Diaconus. Videè D. Emmanuelem Gonzalez *in Cap.* 1. *de Cleric. non Ordin.min.*

972 Quod verò publicè pœnitentes reconciliarent Diaconi, testatur S. CYPRIANVS *Epist.* 13. CONCILIVM ILLIBERITANVM *Can.*32. vbi plura ad rē notantur à D. Ferdinādo de Mēdoza, & D. Emmanuele Gonzalez, & *in cap.*2.*de Furtis*; ab Episcopo etiam Albaspino *lib.*2. *observat.cap.*33. Alia cōmunia, ac Sacra, quæ Diaconi obirent ministeria, affatim enumerant Doctores supra laudati, vt PAMELIVS *ad D.Cyprian. Epist.*65. AMBIANAS *ad Tertullian.de Fuga*, *cap.* 11. *observat.* 2. & plures alij de Hierarchia Ecclesiastica tractantes, quos enumerare, ne fastidium pariat, duximus omittendum.

973 Tertium Concilium, vbi plena Synodorum forma tradita est, celebrarunt Apostoli Ierosolymis, anno Christi 51.& Claudij Imperij 9. vt habetur *Actor.* 15. Huius Concilij meminere Apostolus *ad Galat.* 2. & Patres V. Concilij Generalis in definitione, quam contra aliquot capita ediderunt: *Ad memoriam (inquit) Vigilij Papę perduximus magna illa Apostolorum exempla, & Patrum Traditiones: licet enim Spiritus Sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret, vt non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret Gentes circumcidi, definire, priùs quam communiter congregati, Divinarum Scripturarum testimonijs vnusquisque sua dicta confirmarent, vnde de eo communiter sententiam protulerunt ad Gentes scribentes: Visum est Spiritui Sancto, & nobis, &c.*

974 De eodem Concilio mentionem faciunt Sancti Patres & Theologi Positivi *in cap.* 15. *Actor.* BINIVS, & CORIOLANVS *in Notis ad idem Concil.* Cardinalis BARONIVS *anno* 51. IOANNES DARTIS *in cap.* 1. *dist.* 15. CABASSVTIVS, & BAILIVS *vbi supra.*

975 Congregatum fuit hoc Concilium ob Iudæos Fideles, qui prædicabant, Gentiles accedentes ad Christum non posse, nisi per circumcisionem secundum Legem Moysis, salvari. Horum antesignanus fuit Cherintus Hæresiarcha, vt tradit S. EPIPHANIVS *Hæres.* 28. Vt ergo controversia ista decideretur, Apostoli per terrarum Orbem dispersi, Ierosolymis vnà cum Presbyteris, & Christiana plebe congregati sunt; Apostoli quidem vti Legislatores, & Iudices; plebs verò vt obsequiosa, atque humilis Sanctorum Apostolorum Decretis pareret. Cumque in hoc Sacro Congressu sententiarum diversitate proposita, res ipsa diligenter fuisset discussa, Sancti Apostoli statuerunt, neminem Christianorum Circumcisionis, vel alia ceremoniali Iudaica Lege teneri, dicentes: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* In quorum verborum explicatione nonnulla cursim duximus annotanda.

976 Inquiunt ergo Apostoli: *Visum est*; & in eodem capite addunt: *Placuit vobis*; quæ quidem verba formulæ sunt Concilijs, tàm Generalibus, quàm Synodalibus, eademque verba in Iudicijs, & Senatus Consultis vsitata videntur, vt habetur in Synodo Ephesina *Can.* 3. & 4. in Concilio Salegutat. *Can.* 3. *Ita visum est.* *Cap. Fures* 2. *de Furt.* *Visum est pro eis non esse orandum.* *Concilium etiam Carthaginense *Can.* 1. & 10. Africanum *Can.* 58. & 59. passim etiam Concilia Hispanię, præcipuè Illiberitanum, Toletanum I. & Barchinonense, apud Mendozam *lib.* 2. *pro confirm. Concil. Illib. cap.* 2. eisdem verbis vtuntur.

977 Hanc etiam verborum formam observatam fuisse in iudicijs probatur ex Marco Tullio *Verrin.* 2. * Cum iste pronunciat Sitenicum Litteras publicas eò rupisse videri.* Asconius *in argu. Cornel.* *Senatus decrevit, satisfactum videri.* Ex his, & alijs probat FORNERIVS, GENTILIS, & CVIACIVS *in l.* 2. *ff. de verbor. signif.* Idem Cuiacius *lib.* 3. *Observat. cap.* 26. SAVARVS *ad Sidon. lib.* 3. *Epist.* 12. *verbo Videri.* MARRANVS *de Aequitate cap.* 1. *fol.* 51.

978 *Spiritui Sancto, & nobis.* Rectè quidem; quia Ecclesia speciali Spiritus Sancti assistentia gubernatur, vt docet S. BASILIVS *lib. de Spirit. Sancto, cap.* 16. quę præcipuè in Ecclesiasticis Concilijs reperitur, vbi congregati maiorem gratiæ plenitudinem obtinent, iuxta illam Christi promissionem *Matth.* 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: cui innituntur Patres, vt statuant in Concilijs Authoritatem, & infallibilem Spiritus Sancti assistentiam in Definitionibus, vt videre est in Chalcedonensi Concilio sub Leone Papa *post medium, Act.* 3. & in Synodo Generali Sexta Constantinopolitana contra Monothelitas *Act.* 17. Hinc quæ in Concilijs statuuntur, à Deo statuta dicuntur *cap. Igitur* 5. 25. *quæst.* 2. Spiritu Sancto cum Angelis præeunte; vt habetur in Concilio Arelatensi *Epist. Synod. ad Sylvest.* Alia multa cumulant BOETIVS EPON *lib.* 1. *de Iure Sacro, Tom.* 3. *quæstion. cap.* 3. *num.* 223. DARTIS *in cap.* 1. 15. *dist.* CORIOLANVS *de Orig. Concil.* & alij.

979 *Nihil vltra imponere vobis*; prosequuntur Apostoli. Constat ergo huius Concilij Apostolici veram fuisse Definitionem. Vndè B. Lucas preceptum illud appellat *ibi & cap. seq.* & Apostoli ipsi

Can.

Can. 67. Hinc D. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Homil. 33. in Matth.* *Vides (inquit) brevem Epistolam, nec Epichiremata, atque Syllogismos habentem; sed in pretium erit enim Legislatio Spiritus.*

980 His summatim prælibatis, & omissis quæstionibus hac de re exagitari solitis, præcipuè quare hic Apostoli præcepisse videntur, vt in Lege Gratiæ, quod Mosayca Lege præscriptum erat, observaretur; cuius resolutionem in alium locum reijcimus; ne nostræ orationis interrumpatur series, ad rem nostram redeamus.

981 Quartum Sanctorum Apostolorum Concilium refertur in *Act. Ap. cap. 21.* quod quidem celebratum fuit *anno* 58. circa Festum Pentecostes, vt referunt BINIVS *in Notis*, & BARONIVS *anno* 68. *num.* 118. In eo adfuit S. Paulus cum Nazaræis votum exolventibus. In eo etiã statutum fuit, ne Iudęi credentes, legalibus vti prohiberentur. dum duraret Templum, figuraque veteris Synagogæ, & (vt testatur Beda, Dionysius Carthusianus, & alij) decreverunt etiam Apostoli, licitum esse Iudæis conversis vti cum Fide, & Sacramentis Novi Testamenti, etiam Circumcisione, & alijs ceremonijs, & sacrificijs Veteris Testamenti, quàmdiu Templum, & sacrificia Legis Ierosolymis perseverarent: non quasi Lex Evangelica non sufficeret; sed vt mater Synagoga paulatim cum honore sepeliretur, & non statim velut impia, & mortifera, instar idolorum cultuę damnaretur; cum fuerit à Deo fundata, & tempore suo in remedium, & salutem genti Iudæorum data; vt benè notavit Severinus Binnius *in hoc Concil.* De quo vide D. Emmanuelem Gonzalez *in cap. Translato. de Constitut.* & si hoc Concilium propriè non fuisse credat Cornelius *dict. cap.* 18.

982 Præter hæc quatuor Concilia alij quoque duo Apostolorum Conventus in eorum Actis recensentur. Primus habitus fuit *anno* 44. in quo Apostolorum Symbolũ editũ testantur D. CYPRIANVS *in Exposit. Symboli*, RVFINVS *in eius Præfat.* D. AMBROSIVS *Ser. de Ieiun. Eliæ, & Epist. 1. ad Siric.* D. CLEMENS *Epist. 1.* S. EPIPHANIVS *Hæres.* 71. D. AVGVSTINVS *serm. 21. de Passione*, S. Leo Papa *Epist. 3. ad Pulcher. Aug. & serm. 11. de Passio.* VENANTIVS FORTVNATVS *in Præf. Exposit. Symboli.* Symbolum appellatum fuit à *Sym*, & *bolos*, quę verba idem significant ac *simul*, & *particula*, quasi Apostoli simul vnusquisque particulã apposuerint. Vnde *Convivia ex symbolis* dicuntur *in cap. Non oportet.* 4. 42. *Dist.* (iuncta lectione Gentiani Herveri, & Harmenopoli) vbi quilibet partem confert.

983 Huc spectat illud D. Hieronymi qui *in cap. 13. Proverb.* exponens illa verba: *Et dantes symbola*; hęc habet: *Symbolum Græcum nomen est, & interpretatur *collatio*, cum vnusquisque solet pro sua parte cibos conferre ad vescendum.* *Cap. Non oportet.* 44. *Dist.* Hac tamen de re expressius locutus videtur Rufinus Presbyter Aquileiensis *in Exposit. Symb. Apost.* ad Laurentium Episcopum, sic scribens: *In vno loco positi, & Spiritu Sancto repleti, breve istud futurę prædicationis inditium in vnum conferendo, quod sentiebat vnusquisque componunt; atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis, & iustissimis ex causis appellari voluerunt: symbolum enim Græcè, & inditium dici potest, & collatio, hoc est, quod plures in vnum conferant. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus in vnum conferendo quod vnusquisque sensit.* Plura D'ORLEANS *ad Tacitum, lib.* 12. *fol.* 42. RAMIREZ *in Penthecontar. cap.* 11. COCHIER *in Face Histo. cap.* 9.

984 Eamdem sententiã secutus ALPHONSVS, sapientissimus Castellæ Rex, *lib. 1. tit. 3. partit. 1.* sic loquitur: *Credo in Deum*, quod Latinè symbolum vocamus, idem est ac buccellæ, vel frusta, quia scilicet vnusquisque Apostolorum certum quoddam protulit verbum.* Quam verò partem quilibet Apostolorum contulerit, quam vè vnusquisque protulerit sententiam, docet ipse Rex *in dict. lege* 1. & referunt D. AVGVSTINVS *Serm.* 115. HERRERA *de Orig. Missæ, lib. 2. cap.* 18. VICECOMES *de Missæ Rit. lib.* 3. *cap.* 13. DVRANTIVS *de Ritib. lib. 2. cap.* 24. MENARDVS *ad D. Gregorium, fol.* 111. alijque quàm plures.

985 Hoc autem Apostolorum Symbolum adeo approbatum est ab Ecclesia, eaque acceptatione admissum, vt omnia Concilia congruentissimum semper duxerint, illud in cuiuslibet Synodi initio recitare, vt patet ex Concilio Ephesino, Chalcedonensi Toletano XII. alijsque quàm plurimis.

Aliud

985 Aliud eo tempore Apostolorum Concilium evocatum est, quo Beatissima Deipara diem clausit extremum, vt nempè triumphali illius in Cœlum Assumptioni interessent Apostoli. Cuius rei testes sunt DIONYSIVS AREOPAGITA *lib. de Divin. Nomin. cap.* 3. IVVENALIS Episcopus Ierosolimitanus, *in Oratione*, quam hac de re habuit *coram Martiano* Augusto, à Nicephoro transcripta *lib.* 5. *Histor. cap.* 14. S. GREGORIVS TVRONENSIS *lib.* 1. *de Gloria Martyr. cap.* 4. S. IOANNES DAMASCENVS *Orat.* 2. *de Dormit. S. Deip. prope fin.* ANDREAS CRETENSIS *de Dormit. Deip.* EPIPHANIVS Presbyter *Serm. de Deip.* NICEPHORVS *lib.* 2. *cap.* 22. GENEBRARDVS *in Petro*, aliique permulti, quamvis de anno non constet: de quo vide Baronium *anno* 48. & Binium *in Notis ad hoc Concilium*. Isti tamē, aliique similes Apostolorum Conventus, nō ita Conciliorum nomen merentur, ac illa quatuor, quorum mentio habetur in Sacris Litteris expressa.

987 Sacros etiam inter Historicos pervulgatum est, Apostolos anno Christi 53. ad sedandas controversias Antiochiæ exortas, aliud illic celebrasse Cōciliū. cuius meminerunt INNOCENTIVS I. *Epist.* 18. *ad Alexand.* vbi de Ecclesia Antiochena loquens, ita scribit: *Vbi nomen accepit Religio Christiana. & quę Conventum Apostolorum celeberrimum meruit.* Concilium Nicænum IV. *Act.* 1. *In Antiochena Synodo Sanctorum Apostolorum, dictum est.* Huius etiam Synodi Canones à Pamphilo Martyre in Bibliotheca Origenis repertos referunt TVRRIANVS *lib.* 1. *advers. Magdeburgen. cap.* 21. BINIVS *tom.* 1. *Concilior.* CORIOLANVS *in Summa, pag.* 147. & *in Breviario, fol.* 16.

988 Nec prætermitti potest, quod in VIII. prædicti Concilij Canone statutum fuit: Imagines scilicet esse depingendas, & adorandas; vndè ortum duxit laudabilis, ac pia Ecclesiæ consuetudo, cuius antiquitas ex isto Canone comprobatur, contra Iconomachos, videlicet Leonem, Constantinum Copronymum, Mahometum, Vviclefum, & Calvinum, qui impiè debacchantes non solum Imaginum vsum reprehendebant, verum & ipsas repertas sacrilegè abradebant, ignique comburendas tradebant, vt refert CASTRO *advers. Hæres. verb. Imago*, BELLARMINVS *tom.* 1. *controvers. lib.* 2. *de Imaginib. cap.* 6.

989 Prædictus autem Canon subsequentibus sæculis eo plausu susceptus est, eaque acceptatione ab Ecclesia admissus, vt in Concilijs, quæ postea celebrata sunt, semper fuerit confirmatus, vt in Synodo V. Generali, sub Iustiniano Imperatore, *Collect.* 7. & in VI. Synodo *Can.* 82. in Synodo Romana sub Gregor. III. *anno* 733. in Synodo Romana pro Imaginum cultu celebrata, sub Stephano III. *anno* 788. in in VII. Synodo *Act.* 4. & in VIII. Synodo passim. Multa in eius confirmationem Conciliorum Decreta, Pontificumque responsa adducit IODOCVS COCCIVS *lib.* 7. *Thesaur. per tot.* idemque præstant BELLARMINVS *vbi sup.* SANDERVS, & MAIOLVS *in tract. de Imag. venerat.* ANTONIVS AVGVSTINVS *in Epit. lib.* 18. *tit.* 16. CRESPETIVS *in Summa, verbo Imaginum*, VAZQVEZ 3. *p. quæst.* 75. *art.* 3. TVRRIANVS *lib.* 4. *de Dogmat.* SVAREZ *advers. Reg. Angl. lib.* 2. *cap.* 10. & 11. TORREBLANCA *lib.* 1. *de vita spirit.* AMBIANAS *ad Tertull. de Idololat. c.* 3. & 4. *observ.* 1. BVLENGERVS *advers. Casaubon. Diatr.* 1. LOAYSA *in Can.* 6. *Concil. Bracchar.* 3. BARONIVS *anno* 57. & *anno* 110. *num.* 10. & *anno* 224. *num. vlt.* Nec huic Apostolico Canoni advertatur Textus *in Can.* 36. Concilij Illiberitani; huic enim rectè, & eruditè satisfaciunt D. EMMANVEL GONZALEZ *in Notis ad dictum Canonem*, GARSIAS DE LOAYSA, BINIVS, & MENDOZA proximè laudati, CORIOLANVS etiam, & CERDA *in Adversar. cap.* 143.

§. III.

AN APOSTOLORVM Canones in aliquo ex prædictis Concilijs editi fuerint?

990 CVm hucusque de Apostolorum Concilijs, tàm his quæ ex Sacra Scriptura innotescunt, quàm illis, quæ ab Ecclesiasticis Scriptoribus summæ Fidei, & Authoritatis referuntur, sermonem instituerimus; modo discutiendum est: An Apostolorum Canones in aliquo ex prædictis Concilijs fuerint statuti? Cui difficultati respondemus non de esse

esse qui dicant Apostolos in Concilio, quod in Iudęa anno Christi 44. celebrarunt, (de quo BARONIVS *ibi num.* 14. & S. CLEMENS *in Epist. ad Iacobum Fratrem Domini*) suum Symbolum edidisse. Christo itaque resurgente, & in Cœlum ascendente, misso Spiritu Sancto, collataque Apostolis scientia linguarum, ipsi adhuc in vno positi, & congregati, Symbolum, quod Fidelis nunc tenet Ecclesia, vnoquoque quod sentiebat docente, condiderunt, vt discedentes ab invicem hanc Regulam omnibus gentibus prædicarent. Vndè secundum Glossam *in Rub. circa finem*, & Hostiensem *num.* 21. Glossam etiam *in cap. Canones*, *verbo Apostolos*, & Archidiaconum *ibi num.* 5. 15. *dist.* dictum est Symbolum, quia vnusquisque Apostolorum partem suam contulit.

991 In hoc itaque Concilio, in quo Apostoli Fidei Canones, vel Regulas condiderunt, quibus instruendę erant gentes, ediderunt etiam brevem quamdam summam Articulorum Fidei magis substantialium, qui iuxta Hostiensem *de Summa Trinit. & Fide Cathol. in Rubr. num.* 21. Butrivum *num.* 15. & Cardinalem *num.* 11. secundum duodenarium Apostolorum numerum, duodecim etiam à prędictis Authoribus numerantur, teste Reverendissimo Domino Fagnano *tom.* 1. *Decret. de Sum. Trinit. cap. Firmiter*, *num.* 29. PETRVS namque dixit: *Credo in Deum, Patrem Omnipotentem, Creatorē Cœli, & terræ.* ANDREAS: *Et in IESVM CHRISTVM Filiū eius vnicū, Dominū nostrum.* IACOBVS: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine.* IOANNES: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* THOMAS: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.* IACOBVS ALPHÆI: *Ascendit ad Cœlum, sedet ad dexteram Dei Patri Omnipotentis,* PHILIPPVS: *Inde venturus est iudicare vivos, & mortuos.* BARTHOLOMÆVS: *Credo in Spiritum Sanctum.* MATTHÆVS: *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* SIMON: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* IVDAS IACOBI, aliàs THADDÆVS; (Iudam vocat Lucas 6. *cap.* Thaddæum Matthæus 10. & Marcus 3. & 10.) *Carnis resurrectionem.* MATHIAS: *Vitam æternam.*

992 In hoc ergo Congressu, in quo Apostoli suum Symbolum, seu Fidei Canones, & Regulas ediderunt, aliqui arbitrantur, statutos etiam fuisse ab Apostolis, morum Canones ad instruendos Fideles, quibus ipsi prædictos Fidei Canones erant prędicaturi. Sic censet BINIVS id accipiens à Genebrardo, & alijs *in Notis ad hoc Concilium*, dicens: *Præter hæc quatuor Apostolorum Concilia, ex Actibus Apostolorum desumpta, duos alios eorum Conventus in eisdem Actis *cap.* 4. & 11. descriptos, & Apostolorum Concilijs, ex quorumdam sententia, vt patet suprà, annumerandos, alia tria apud Sanctorum Patrum, & veterum Doctorum scripta inveniuntur, quorum primum, in quo Symbolum quod Apostolorum nuncupatur, composuerunt.* Relatisque in huius confirmationem Autoribus, subdit infra: *Et ex sententia Genebrardi, aliorumque quorumdam, Canones, qui Apostolorum passim vocantur, & à Clemente Romano conscripti habentur, statuerunt. Licet Onuphrius, initio Cathalogi, quem Platinę præfixit, eos referat ad celebre Concilium Ierosolymitanum.*

993 Eamdem sententiam amplectitur eruditus BAILIVS *in Summa Concilior.* Loquens enim de Apostolorum Concilijs, & de pręfato Conventu, in quo prædictum Symbolum editum est, de Apostolorum Canonibus agens *fol.* 133. *Dubitari (inquit) etiam posset, num aliud etiam actum sit in hoc Concilio? propter Canones, qui dicuntur Apostolorum.* Cui difficultati sic respondet: *Mihi admodum probabile est etiam cum Canone Fidei conditos fuisse Canones morum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ; nam par ferme erat ratio, vt conformes essent populi in exercitio Religionis, ac in professione Fidei, & muneris erat Apostolorum, vt cum promulgato Evangelio multi Fidem amplecterentur, quibus dirigendis imponerent Presbyteros, ac Episcopos, ijs etiam traderent quosdam Canones, quibus vterentur in regimine Ecclesiastico, quod idem vbique esset ad vitandas discordias, vix enim Fides vna, & eadem diu servari potuisset alio modo. Sicque hoc Concilium aliorum norma, & exemplar censeri potest, cum in perfecto Concilio res Fidei, & morum, ac ea quę sunt doctrinę, & disciplinæ tractari soleant. (Et infra:) Quare verosimilius est, etsi nullius animo vim facere intendam, Apostolos ante dispersionem suam communi consilio convenisse tam de Ar-

ti-

ticulis Fidei, quàm de Regulis regiminis Ecclesiastici, vt his muniti vbique eandem Fidem disseminarent, & cum Ecclesiæ constitutę essent, ijsdem Canonibus regerentur.*

994 P. TVRRIANVS *lib.1. cap.25. in fine*, arbitratur prædictos Apostolorum Canones, non quidem in Antiocheno Concilio, vt aliqui autumant, sed in Ierosolymitano fuisse statutos: sic enim scribit: *Canones tamen Ecclesiasticos Sanctorum Apostolorum non esse in Synodo Antiochena, sed Ierosolymitana constitutos, prætérquàm quod Clemens Romanus, vt antè docuimus, non obscurè significavit, illud quoque argumento est, quod nullus Ecclesiasticus Canon ex illis Apostolicis 85. inter hos, quos à Pamphilo Martyre in Bibliotheca Origenis repertos descripsimus, reperitur, præter Canonem de abstinendo à sanguine, & suffocato, qui, vt dixi, in Synodo Antiochena propter idololatriam, quæ tunc vbique dominabatur, necessario renovatus, ac confirmatus est.*

995 His tamen non obstantibus, vti certum tuemur, præfatos Apostolorum Canones in nullo ex prædictis Apostolorum Concilijs, quæ hucusque retulimus, fuisse ab Apostolis conscriptos: etenim si ab Apostolis exaratos fuisse constaret, essent Scriptura Canonica, & in Sacrarum Scripturarum Canonem essent proculdubiò relati. Qua propter istæ Leges, sicut & reliqua Apostolorum Statuta, de quibus in Sacris Litteris non constat, non statim scripta fuere, immò tantum in cordibus Fidelium servabantur, vt Traditiones Apostolicæ, sicut & aliæ Domini nostri IESV CHRISTI Traditiones. Ita insinuare videtur CHRISOSTOMVS *Homil. 4. in Epist. 2. ad Thessalon.* *Vndè (inquit) perspicuum est, non omnia Apostolos tradidisse per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque esse fidedigna: quā obrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse fidedignam.* Consonat S. EPIPHANIVS *Hæres. 61.* sic scribens: *Oportet Traditione vti, quia non omnia à Divina Scriptura accipi possunt; quandoquidem aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione, Sancti Apostoli tradiderunt.* Idem prosequitur D. BASILIVS *ad Amphiloch. cap. 27.* apud Balsamonem *pag. 1035. cap. Cum Martha. de Celebrat. Missar.* CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 1. Stromat.* Plura de hac re videre poteris apud Baronium *anno 52.* & Ayalam *de Ecclesiast. Tradition. Assert. 2.*

996 Ecclesia enim primis illis temporibus, cum nulla adhuc hęresum monstra essent suborta, Traditionibus vtebatur, quiā, vt scribit TERTVLLIANVS *de Anima, cap. 5.* *Prior fuit anima, quàm littera; & sermo prior, quàm liber; & prior sensus, quàm stylus.* Traditionibus observabantur Ieiunium Quadragesimale, teste S. Leone *Serm. 2. de Ieiun.* Suffragia pro defunctis, ex Chrysostomo *homil. 60. ad Popul. Antbioch.* Ritus Aquę benedictæ apud Clementem *lib. 7. cap. 29.* Pascha quotannis celebrandum, docente Eusebio *lib. 5. Histor. cap. 22.* aliaque non pauca, quæ ne fastidium ea enumerare, pariat, omittenda duximus.

997 Succedentibus postea sęculis aliqua pręcepta scribi cæpere, vt ita Christiana Respublica, sicut & quælibet alia benè fundata, partim iure scripto, partim non scripto regeretur. Quid enim aliud est Traditio, nisi Ius non scriptum? vti scribit Cironius *ad Tit. de Consuet.* Hinc colligi potest quantam authoritatem apud Ecclesiam, Apostolicæ Traditiones obtineant, cū illis vtatur Ecclesia pro Fidei Dogmatibus stabiliendis, quæ in Sacris Litteris expressa non sunt. Et quamvis omni tempore acerrimè sunt à Catholicis propugnatæ, tamquam vnum è præcipuis, ac tutissimis Ecclesiæ propugnaculis, in quarum defensionem omnes sui ingenij, artis, ac industræ vires celeberrimi Authores Dogmatici effuderunt, pro earum defensione videndi sunt Cardinalis BARONIVS *in Apparatu, num. 38. & anno 35. num. 13. anno 53. num. 3. anno 57. num. 153. anno 109. num. 21. anno 118. num. 3. anno 145. num. 10. anno 165. num. 8. & anno 167. num. 13.* TVRRIANVS *lib. 2. pro Canon. Apostol. cap. 16.* SVAREZ *Advers. Reg. Angl. lib. 1. cap. 9.* VIVAR *in Apolog. pro Flavio Dext. §. 2.* SAVSAY *in Panopl. Cleric. Par. 1. lib. 2. §. 2.* CARRIERE *Tom. 2. Digest. Fidei. Titulo de Tradition. Eccles.* de quibus, & nos egimus supra *lib. 1.* vbi plura videre poteris, quæ lato calamo Sanctorum Patrum, eruditorum quæ Authorum Doctrinæ, Authoritatique adhærentes tradidimus.

998 Prędictas Traditiones ab Apostolo-

stolis non scriptas, sed ab ipsis tamquam morum Regulas statutas, vulgòque *Apostolorum Canones* appellatas, Sanctus Clemens, eorum coætaneus, gloriosusque Petri in Apostolica Cathedra Successor, necnõ & in Doctrina discipulus, Græcè scripsit, & postea sub Imperatore Iustino Dionisius Exiguus latinè transtulit accuratè; sicque ex Traditionibus, Apostolicos Canones emanasse Sancti Patres, & Concilia exploratum habuerunt. Sic docet Cardinalis BARONIVS *tom. 2. ad annum* 102. *num.* 12. siquidē de his Canonibus loquens, hęc scribit: *Tamen quod nõ nisi ex Traditione Apostolica eos manasse Sanctissimi Patres exploratum haberent, ea de causa in primis factum est, vt qui omniũ dissertissimi habentur Romani Pontifices Innocẽtius, Leo, Gelasius, atque Gregorius, sic ex illis videantur petijsse Authoritatem, vt tamen Apostolorum nomine speciatim citare Canones temperaverint; vt ex locis à Turriano collectis, quos brevitatis causa prętermittimus recensere, facile potest intelligi: quod & nos in Gregorio demonstramus, qui *lib. 7. Epist. 39.* scribẽs ad Romanum Defensorem, dum admonet, ne permittatur Episcopus cum mulieribus habitare, hæc habet: Hoc tantummodo adiecto, vt (sicut Canonica decrevit Authoritas) vxores, quas castè debent regere, non relinquant. Quæ quidem ex Apostolico Canone citata esse, nulli potest esse dubium, dum & summam illius Canonis à Dionysio, qui eos in Latinum vertit, eidem præfixam Gregorius recitavit.

999 Est autem huiusmodi in Collectione Cresconiana, vbi singula à Dionysio posita verba descripta habentur: Vt Episcopus, aut Presbyter vxorem suam, quam debet castè regere, non relinquat. Sequitur ibi *Canon 6.* Episcopus, aut Presbyter, &c. Eadem quoque ratiõne vetera Sacra Concilia, sive OEcumenica, sive Provincialia, cum eosdem Apostolicos Canones citare, recensere, vel restituere, vel quoquo modo commemorare oportuit; potius ipsorum sententiam, quàm verba, & generatim antiquitatis nomine, quàm speciali attestatione Canonum Apostolorum, descripserunt. At, quid hoc, nisi (quod dictum est) nomen incertum, & ob id Apocryphum; veritas autem & firmitas rei esset in omnibus explorata? Sanè quidem quicquid ex veneranda antiquitate in Sancta Dei Ecclesia ad posteros dimanavit, id non aliunde fluxisse quàm ex fontibus Apostolicis, Patres omnes, quorum summa fuit in Ecclesia cum Sanctitate coniuncta eruditio, sæpius testati sunt; quorum sententias, cum de Traditionibus Apostolicis egimus, superius recitavimus: vt non sit opus, in re tam solida, firmaque, & certissimè probata diutius immorari.*

1000 Idipsum tradit eruditus Pater TVRRIANVS *lib. 1. pro Canon. Apost. cap. 21.* vbi rectè cum D. Basilio probat, Canones sub Apostolorum nomine scriptos ab Apostolica Traditione manasse, ita namque loquitur. *Rursus idem B. BASILIVS *in libro de spiritu Sancto ad Amphilochium*, *cap.* 27. Inter ea, quæ ab Apostolis tradita esse dicit *Agraphos*, id est, *sine scripto*, vt sunt Traditiones Canonum Apostolorum, numerat Traditionem Apostolicam de trina baptizatione in vnius Baptismi Mysterio, quæ est Traditio Canonis 49. qui Episcopum, & Presbyterum deponi iubet, si in vno Mysterio non fecerit tria baptismata, id est, si non baptizaverit in nomine Patris & simul baptizaverit in nomine Filij, & simul in nomine Spiritus Sancti. Hæc enim tradiderunt Sancti Apostoli esse tria baptismata huius Mysterij, quę Pelagius Pontifex vocavit trinam mersionem in nomine Trinitatis, quam à Salvatore nostro traditam dicit. Sic quoque intellexit CLEMENS ROMANVS *in lib. 7. cap. 42.* vbi Apostolicam Traditionem describit, vt is qui baptizatur doceatur dicere post renuntiationem: Baptizor in Patrem, baptizor in Filium, baptizor in Spiritum Sanctum. Vndè consequens est, vt simul doceatur Sacerdos baptizare in Patrem, baptizare in Filium, baptizare in Spiritum Sanctum. Dat igitur B. Basilius testimonium, esse hunc Canonem Apostolorum, cum sententiam eius Canonis de huiusmodi trina baptizatione, sive mersione ex Apostolica Traditione sine scripto profectam esse dicit. (Vndè concludit TVRRIANVS:) Nec enim nos Canones Apostolorum à Sanctis Apostolis scriptos esse dicimus: sed traditos sine scripto per Sermonem: scriptos verò B. Clemente eorum discipulo: vndè sic eos inscripsit: Canones Ecclesiastici Sanctorum Apostolorum per Clementem. * Hæc Turrianus. *

§. IV.

QVANTA SIT PRÆDICTORVM Canonum authoritas?

1001 PRoœmialibus quæstionibus omissis ad pręcipuam prædictorum Canonum difficultatem accedimus: quęnam nempè, sit horum Canonum authoritas? Pro cuius clariori resolutione duximus prænotandum, inter Apostolicos Canones alios esse sub falso Clementis titulo ab hæreticis, incerto authore, confictos, vt testatur SIXTVS SENENSIS suprà laudatus: *Quos, (vt ipse inquit) GELASIVS PAPA *in Decret.*, *dist.* 15. prorsus reijcit: alios verò esse *numero* 84. quos CLEMENS ab Apostolis acceptos Græcè scripsit. Hos DIONYSIVS quidam vetustus interpres, precibus Laurentij Fratris adductus, ad Stephanum Papam, Latinos fecit. De his quæritur apud Iuris Pōtificij peritos: Vtrum ne, Canonici sint, vel Apocryphi. GRATIANVS *dist.* 16. varias proferens super hac re sententias, nihil certi statuit. Dicit approbatos esse ab ADRIANO Pontifice *in Epistola ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum*, cum tamen huiusce rei nullatenus in ea Epistola meminerit Adrianus. Nam in 4. Actione VII. Synodi illa verba, quibus commendatur VI. Synodus, & eius Canones, sunt Tharasij, & nō Adriani. Immò in fine prædictę 4. Actionis confirmatur à Concilio, & à Legatis Adriani Papæ ipsa 4. Actio, per quam approbantur VI. Synodi Canones, in quorum secundo recipiuntur Canones Apostolorum, 85.* His ergo suppositis, modo inquirendum est, de horum Canonum Authoritate?

1002 Magdeburgenses, loco in principio huius capitis citato, tuentur, pręedictos Canones omni prorsus authoritate carere; idque suadere contendunt GELASII Papę Authoritate *in cap. Sancta* 15. *dist.* Apostolorum Canones inter apocryphos libros connumerantis.

1003 Neque ZEPHERINVS Pontifex relatus à Gratiano *in cap. Sexaginta*, 16. *dist.* 85. Canones, legitimos admittit, cum solos 60. authenticos agnovetit. LEO Pontifex *in cap. Clementis* 3. *Dist.* 16. quinquaginta exceptis, cæteros, Apocryphos declarat.

1004 D. ISIDORVS relatus *in cap.* 1. *dist.* 16. penitus Apocryphos existimat, tamquam à Sanctorum Patrum mente alienos, & potius ab hæreticis, quàm à Sanctissimis Apostolis efformatos; sic enim scribit: *Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recepit, nec Sancti Patres illis assensum pręburerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis vtilia inveniantur, tamē ab Authoritate Canonica, & Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha deputata.*

1006 Nihilominus tamen Apostolorum Canones singularis esse Authoritatis, & ex Traditionibus Apostolicis à D. CLEMENTE fuisse collectos, Concilia, & Patres testatum reliquerunt. Sic docent BARONIVS *anno* 102. TVRRIANVS *integro libro pro Canonibus Apostolorum*, CORIOLANVS, BINIVS, & BALSAMON *in Notis ad eosdem Canones*, Illustrissimus ACVÑA, DARTIS, & BARBOSA *in cap.* 1. *dist.* 16. COVARRVVIAS *lib.* 4. *variar. cap.* 17. *num.* 6. POSSEVINVS *in Apparatu*, *tom.* 1. *verbo*: *Apostolorum Acta*. Cardinalis BELLARMINVS *tom.* 1. *cōtroverf. lib. de Verbo Dei, cap.* 20. & *de Scriptor. Ecclesiast.* Episcopus Canariensis CANO *de Locis, lib.* 5. *cap.* 5. Pro ipsorum Canonum authoritate egregiè facit Textus *in cap. Placuit* 4. & *cap. Quoniam*, *dist.* 16. vbi Canones illi ab Ecclesia approbantur, & tamquam authentici recipiuntur: faciunt etiam quàm plura Conciliorum, Pontificumque Decreta, in quibus generaliter, & specialiter recensentur, & approbantur.

1006 Prędictos Canones generaliter approbarunt THELESPHORVS *Epist.* 1. *in principio*, VICTOR *Epist.* 1. *post principium*, ZEPHERINVS *Epist.* 1. *circa medium*, FABIANVS *Epist.* 1. *ante finem*, & NICOLAVS *ad Consulta Bulgarorum, cap.* 72. S. ATHANASIVS illos inter Agiographa ennumerat. S. EPIPHANIVS *lib.* 3. *advers. Hæres.* Audianos confutans. Institutionem Apostolorum citat, dum agit de Paschæ celebratione: tametsi hic Canon non inveniatur inter illos, quos habemus. TERTVLLIANVS *adversus Praxean*, dicit: *Hos Canones Apostolorum, esse per manus traditos.* IVSTINIANVS Imperator sæpissimè *in Novellis* mentionem horum introducit, & secun-

cundum illos profitetur se Leges condere, expressisque verbis Canones Apostolorum vocat.

1007 Sæpè etiam Sancti Patres, antiquaque Concilia, Apostolorum Canones commendant, quod itidem fecit TRIDENTINUM *sess.25.cap.1.de Reformat.* CRESPETIUS *in Summa Discipl. Ecclesiast.verbo, Canones Apostolorum*, postquam prædicta Summorū Pontificū, Sanctorūque Patrum necnon & SacrorūConciliorum testimonia adduxit, sic concludit:* Posse & alia innumera afferre testimonia confirmantia,& roborantia, Canones Apostolorum verè esse Apostolorum.*

1008 Huic etiam sententiæ patrocinatur LEO IV.Pont. Max. *ad Episcopos Britanniæ*, relatus *in cap.* 1. *dist.* 20. vbi de Apostolorum Canonibus hęc, inter alia, scribit: *Quibus autem in omnibus Ecclesiasticis vtimur iudicijs,sunt Canones Apostolorū (alia lectio: qui dicuntur Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, &c.)*

1009 HINCMARUS, Rhemensis Episcopus *de Var. Eccles. cap.*18.testatur, Sanctam Romanam Ecclesiam Apostolicos Canones custodire, eosdemque custodiendos esse per Adrianum Papam mandasse. Verum quod ad Adrianum spectat, notat BARONIUS *ad annum* 101. *num.* 13. nihil huiusmodi ab eo statutum reperiri. At Author respectum habuisse videtur, quasi idem Pontifex receperit VI. Synodum, ac eius Canones; in quorum secundo, de 85.Apostolorum Canonibus recipiendis est Constitutio promulgata.

1010 Huc etiam egregiè facit IUSTINIANI Imperatoris Authoritas, qui in Constitutione ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum directa,prędictos Apostolorum Canones, eorumque observantiam commendans, hæc scribit: * Rectè, atque congruenter omnia agerentur, si ipsum rei initium gratum Deo esset; quod quidem certè facturum credimus, si Sacri illi Canones diligenter obseruentur, quos numquam satis laudati, adorationeque digni, & qui ipsum Filium Dei conspexerunt, illique ministrarunt, Apostoli, nobis reliquerunt, ac Sancti Patres custodierunt, & interpretati sunt.* Hæc autem Imperatoris Iustiniani verba intelligenda esse de 85. Apostolorum Canonibus constat primò,quia hic idem numerus recensetur in Nomocanone, ipsius Iustiniani Authoritate confirmato, & ab eodem prædicto Patriarchæ Epiphanio commisso, ac egregiè commendato; in illo enim Nomocanone ijdem ipsi 85. Canones recensentur,vt fidē facit INTERPRES ARABICI CODICIS,qui inOxomēsi Bibliotheca habetur à THOMA ROE ex Oriēte allatus, & donatus. Secundò quia ijdem ipsi 85. Canones extant in Nomocanone eisdem tēporibus à IOANNE EPIPHANIENSI Scholastico, qui Constantinopolitanam Ecclesiam circa superiora Iustiniani tempora post Eutychium rexit, consignato.

1011 De ijsdem Apostolorum Canonibus mentionem facit VI. Synodus TRULLANA *Can.*2.sic decernens: *Hoc quoque huic Sanctę Synodo pulcherrimè, & honestissimè placuit, vt deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem, firmi stabilesque maneant, qui ab his, qui nos pręcesserunt, Sanctis, & Gloriosis Apostolis traditi sunt octoginta quinque Canones.*

1012 Suffragatur etiam VII. OECUMENICA SYNODUS, *Can.* 1. hæc statuens: *Divinos Canones amplectamur, & integram illorum præceptionem, ac immobilem teneamus, tàm scilicet illorum, qui ab almis, & laudabilissimis Apostolis Sancti Spiritus tubis editi sunt, quàm eorum, qui à sex Sanctis,& vniversalibus Synodis promulgati sunt.* Et *Can.* 5. Simoniacos perstringens,ita decernit: *Efficiat secundum Apostolicam Regulam, quę dicit: Si quis Episcopus per pecuniam Dignitatem hanc obtinuerit, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur, & ipse, & qui eum consecravit, & excidatur omnimodis etiam à Communione, quemadmodum Simon Magus à me Petro. Qui Apostolicorum Canonum trigesimus est.*

1013 Et *Can.* 12. contra bonorum Ecclesiasticorum alienatores hæc decernit: * Quisquis Episcopus inventus fuerit, vel Abbas de salarijs Episcopij, sive Monasterij transferre quidquam in Principum manus, vel alij personæ conferre, irritum sit quod datum esse constiterit;secundum Canonem Sanctorum Apostolorum, qui dicit: Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus sollicitudinem habeat,&c.*

1014 Hinc S. IOANNES DAMASCENUS, *lib.*4. *de Fide Orthodoxa, cap.* 18. censuit, prædictos Apostolorum Canones dignos esse, qui inter Canonicos libros

bros

bros recenseantur: loquens enim de Novi Testamenti Libris, suum Canonem sic concludit: * Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, Apocalypsis Ioannis Evangelistę, Canones Sanctorum Apostolorum per Clementem.*

1015 Zonaras, Balsamon, & alij Iuris Ecclesiastici Græci Interpretes, 85. Canones Apostolicos referunt. Patriarcha PHOTIVS vir Ecclesiasticis notitijs apprimè instructus *in Proœmio sui Nomocanonis* affirmat, se * non alios modo Canones comparavisse, sed etiam eos, qui Sanctorum Apostolorum esse dicuntur, licet aliqui quasdam ob causas dubiæ eos Authoritatis esse existimaverint.*

1016 VRBANVS II. Pont. Max. Romæ sedens *anno Domini* 1088. fatetur, magnam esse tàm apud Orientales, quàm Occidentales Apostolicorum Canonum Authoritatem, vt refert Gratianus *Can.* Præter 22. *Dist.* * Sciendum verò (inquit) Pontifex, quod Canonum Apostolorum Authoritate Orientalis, & ex parte Romana vtitur Ecclesia.*

1017 Id ipsum præclarè confirmat DIONYSIVS EXIGVVS, summæ suorum temporum æstimationis vir, vt qui à doctissimo viro Casiodoro mirificè prædicetur, teste Baronio supra laudato. Hic enim, cum prædictos Canones è Græco in Latinum verteret, rogatus, non à Stephano Papa, vt aliqui asserunt, sed vt habet CASSIODORVS *de Divinis Lection. cap.* 23. à Stephano Episcopo Salonitano, illi operi hanc præposuit inscriptionem: * Incipiunt Ecclesiasticæ Regulę Sanctorum Apostolorum, prolatę per Clementem Ecclesiæ Romanæ Pontificem, quæ ex Græcis exemplaribus in Ordine primò ponuntur, quibus quàm plurimi quidem consensum non præbuere facilem. Et tamen postea quędam Constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta videntur.* Hæc Dionysius apud Cresconianam Collectionem, qui idem eisdem verbis tenet *in Epist. ad eumdem Stephanum scripta*, quam editioni ipsorum Canonum Apostolicorum præfixit.

1018 Nec omitti potest Cardinalis DEVSDEDIT vir sua ætate eruditione præclarissimus, qui ante annos propè sexcentos, tempore Vrbani II. qui Vitali III. successit, in libro, quem de eo composuit, *quod ad Regem, vel Imperatorem non pertineret Potestates Ecclesiasticas cōstituere, nec electionem Summi Pontificis confirmare*, postquam Canonem Apostolorum 30. citavit: Siquis *Episcopus potestatibus sæcularibus vsus, Ecclesiā per ipsas obtinuit, deponatur*, subiungit: * Siquis huius Apostolici Canonis Authoritatem Authenticam non esse contendat, Primæ vniversalis Synodi Nicænę, & Anthiochenæ, quibus Authentica esse docetur, eversor esse docetur: ac per hoc hæreticus esse iudicabitur. (Deinde subiungit·) Nam, & Calixtus, & Gregorius, & alij Pontifices, suas Constitutiones eorumdem Canonum Apostolicorum Authoritate firmaverunt. Stephanus verò IV. & Ioannes VIII. vt ait ANASTASIVS, *in prol. synodi* in plenissimę Authoritatis robore recipere consueverunt. (Et paulò infra:) Hanc itaque, quam prædixi, consuetudinem ab Apostolis traditam (quam prius *Canonem* Apostolorum vocaverat, vocat nunc *Consuetudinem ab Apostolis traditam*) nullatenus violare præsumpserunt Christianissimi Imperatores Constantinus, Constans, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Carolus, Ludovicus, & his Imperio, & Religione consimiles, qui vel à se, vel ab alijs ædificatas Ecclesias amplissimis donis ditavere, & in Clero, & in rebus Ecclesiasticis nullum iudicium, vel dominium vindicavere: immò quidam eorum legibus hoc caverunt. At contra Zenon, & Anastasius Imperatores Eutychianistę, leguntur prius Sanctam Ecclesiam sibi subdidisse, ita vt Catholicos Episcopos in exilium relegarent, alios subrogarent, &c.*

1019 Sed nec prætermittendum est illud PHOTII, Constantinopolitani Patriarchæ, de Canonibus Apostolorum testimonium, quod in volumine de libris à se lectis composito, & *Bibliotheca* inscripto, exaratum reliquit. * Legi (inquit) Clementis Romani volumina duo, quorum alterum de Constitutionibus Apostolorum inscribitur, in quo Canones Apostolorum continentur, qui collectioni Canonum Synodicorum pręscribuntur.*

1020 P. TVRRIANVS *in suo erudito opere pro Canonibus Apostolorum, lib.* 1. *cap.* 21. hęc, inter alia, scribit: * Possem pręterea eos omnes producere testes Canonum Apostolorum, qui apud Græcos Nomocanones scripserunt, id est qui Leges Canonicas in certos Titulos, quos vocant, distribuerunt; Constantinum

cog-

cognomento *Aposcholasticon* tempore Iustiniani, Photium Constantinopolitanum, Constantinum Harmenopolum, Matthæum Monachum, Zonaram, Theodorum Balsamonem: & qui apud nos idem fecerunt, id est, qui Concordantias Decretorum, quas vocant, composuerunt, & elaborarunt, Anselmum Lucensem, Deusdedit, Ivonem, Burchardum, Gregorium cognomento Polycarpum, Gratianum, &c.*

1021 Cardinalis BARONIVS, loco suprà laudato, *num.* 12. de prædictis Apostolorum Canonibus loquens, ita habet: *Non nisi ex Traditione Apostolica eos manasse, Sanctissimi Patres exploratum habuerunt. Ea de causa in primis factum est, vt qui omnium dissertissimi habentur Romani Pontifices Innocentius, Leo, Gelasius, atque Gregorius ex illis videantur petijsse authoritatem, vt tamen Apostolorum nomine speciatim citare Canones temperaverint. (Et infra *num.* 13. sic concludit:) Quis enim non recipiat, vt authenticos, quos à Patribus, & Sanctis Synodis noverit esse in firmam authoritatem acceptos, atque vnà cum alijs Sacris Canonibus simul intextos?* Hæc Baronius.

1022 Vndè non miror Sixtum Senensem in sua Bibliotheca, prædictorum Canonum authoritatem indubitatam esse dixisse, cum loco suprà laudato ita asserit: *Prioris autem assertionis pars est certissima, videlicet Canonum Apostolorum Authoritatem receptam esse, & indubitatam?

1023 Tandem D. EMMANVEL GONZALEZ *in Apparat. ad Decret. tom.* 1. pro Apostolicorum Canonum authoritate, hæc habet *num.* 42. *Verum prædictos Canones authenticos esse tamquam ex Apostolicis Traditionibus à D. Clemente collectos, docuerunt, & probarunt vltrà supra relatos ACVÑA, DARTIS, BARBOSA, &c. (Et in fine *num.* 43.) In Bibliotheca Regis Christianissimi extare veterē Collectionē istorum Canonum, refert FABROTIVS *ad Tit. de Vita, & Honest. Cleric.* vbi sub nomine Facundi Hermianensis referuntur hæc verba: Sancti Domini Discipuli, & Apostoli octuaginta-quinque Canones per Clementem ediderunt. Probat P. MARCA *lib.* 3. *Concord. cap.* 2. Apparet ergo, prædictos Apostolorum Canones authenticos esse iuxta Textum in dicto *cap. Placuit.* rectèque circumferri in fine Decreti.*

1024 Hęc de Apostolicorum Canonum Authoritate: nunc iam ad eorum numerum investigandum gradum faciamus.

§. V.

APOSTOLICORVM CANONVM numerus investigatur.

1025 Magna est inter Authores de prædictorum Canonum numero sententiarum varietas: siquidem ZEPHERINVS Pontifex *sexaginta*, LEO Papa *quinquaginta*, ac tandem TRVLLANA Synodus *octuaginta quinque*, Apostolorum Canones admittit. Hæc opinionum contentio permovit aliquos, vt tentarent viam, qua huius quæstionis mare sententiarum fluctibus agitatum placidum redderent, ac tranquillum, asserentes (prout refertur in GLOSSA 16. *Dist. Cap. Apostolorum*) VI. Synodum fuisse ante Zepherinum, & Leonem; & tunc quidem 85. Canones observari, prout dicit VI. Synodus; & postea vigintiquinque in desuetudinem abijsse; sicque solum remansisse sexaginta, vt dicit Zepherinus; procedente verò tempore decem ex illis perijsse, omnesque Apostolorum Canones ad solos quinquaginta fuisse redactos, vt Leo Pontifex affirmat. Ista verò solutio minimè subsistere potest; quia Zepherinus Pontifex, vt rectè notavit Glossa, VI. Synodum pręcessit: hæc enim celebrata fuit sub Agathone *anno* 680. *vel* 81. vt in Apologia pro Honorio Pontifice probabimus, & ex ipsius VI. Synodi Actis apertissimè innotescit: Zepherinus verò natione Romanus *anno Domini* 221. in Summi Pontificatus apicem evectus fuit: pręcessit ergo Zepherinus VI. Synodum celebratam sub Agathone, qui non nisi *anno* 678. ad Petri Cathedram fastigiatus est.

1026 Alia solutio desumi potest ex Glossa *in Cap. Apostolorum Canones* 16. *Dist.* iuxta quam prædictæ opiniones nullam secum afferunt oppositionem: quia Synodus dicit fuisse 80. capitula; Zepherinus verò non de capitulis, sed de sententijs loquitur: potest autem esse, quod in vno capite plures sint sententiæ. Hæc Glossa. Verum ista solutio in difficilem nodum incurrit, maioremque nubem offundit, quia iuxta eam plures deberent assignari sententiæ à Zepherino, quam à VI. Sy-

Synodo assignentur Capitula, cũ Capitula dicantur 85. Sententiæ verò, 60. Vndę prędicta solutio difficultatem non solvit; esto enim valeret ad salvandam contrarietatem inter Zepherinum, & Leonem: non tamen inter Zepherinum, & Synodum.

1026 His ergo solutionibus omissis, aptior, & rationi conformior videtur concordia, quam adducit Cardinalis TVRRECREMATA *in dicto cap. Apostolorum, 16. dist.* asserens, Apostolorum Canones diversimodè in Orientali, ac in Occidentali Ecclesia fuisse receptos; hacque diversitate rectè posse opposítas prædictorum Pontificum, circa Canonũ numerum, Sententias, in cõcordiam revocari; sic enim scribit: *Orientalis Ecclesia vtitur Canonibus Apostolorum, & etiam Occidentalis; sed differunt tamen, quia Occidentalis Ecclesia vtitur Canonibus in parte; Orientalis verò, intotum, vel in maiorem partem, vt colligitur 31. *Dist. §. Sciendum.* Sancta autem Synodus, quæ facta fuit in Orientali Ecclesia, loquitur de Canonibus Apostolorum, secundum quod illa Ecclesia Orientalis recepit, quę fortè recipit omnes, vel plures, quare Romana Ecclesia non recipit nisi 60. vt dicit Zepherinus, postea decem in desuetudinem abierunt, & retenta sunt 50. vt dicit Leo; vel fortè Leo non dissentit à Zepherino, quia quod Zepherinus dicit Sentẽtias, Leo dicit Capitula; in vno verò Capite, sicut dictum est, possunt esse plures sententię.*

1026 Vndè clarè apparet ingens sententiarum diversitas inter Ecclesiam Occidentalem, & Orientalem, circa prædictos Apostolorum Canones admittendos: hęc enim semper 85. admisit, vt videri potest in prima Collectione Titulorum facta à Ioanne Scholastico, vt notat CHRISTOPHORVS IVSTELLVS *in Præfat. ad tom. 2. Bibliothecæ Iuris Canon.* & ipse IOANNES, Antiochenę Ecclesiæ Presbyter, ex ordine Scholasticorum, hęc in *Præfatione* scribit: *Sancti Domini Discipuli, & Apostoli 85. Canones, Clementis opera, ediderunt.* Et post hanc Collectionem eos quoque Trullana Synodus suscepit, & approbavit *Can. 2.* dicens: *Hoc quoq; huic Sanctæ Synodo pulcherrimè, & honestissimè placuit, vt ab hoc nunc tempore deinceps, ad animarum medelam, & perturbationum curationem, firmi, stabilesque maneant, qui à Sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, atque adeo nobis etiam traditi sunt Sanctorum, & gloriosorum Apostolorum nomine octuaginta quinque Canones.*

1029 Insuper hos eosdem Canones à Sanctissimis Orientalibus Episcopis fuisse vniversali consensu susceptos, constat ex eo quod S. IOANNES DAMASCENVS *lib. 4. de Fide Orthod.* eos inter Sacras Scripturas collocarit. Et post prædictum S. Damascenum, Septima Generalis OEcumenica Synodus *Act. 1.* annuit, quod ex Bibliotheca Venerabilis Patriarchij Constantinopoleos, tamCanonum Sanctorum Apostolorum, quàm Synodorum Libri, in medium proferrentur: post quæ, *THARASIVS Sanctissimus Patriarcha dixit: legatur in primis liber Canonicarum Institutionum. Sancta Synodus dixit: legatur. Et accipiens idem Constantinus, Deo amabilis Diaconus, & Notarius Venerabilis Patriarchij, legit: Canon Sanctorum Apostolorum quinquagesimustertius: si quis Presbyter eum, qui convertitur à peccato, non susceperit, sed abiecerit, deponatur.* Ex quibus manifestè deducitur, non modo 50. Canones, sed alios etiam fuisse à VII. Synodo susceptos.

1030 ALEXIVS ARISTINVS, Diaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ, in Canonum Epitome à Guillelmo Voello, & Henrico Iustello *in tom. 2. Biblioth. Iur. Canon.* luci communi data, 77. Apostolorum Canones recenset. Prædicti Bibliothæcæ Iuris Canonici Authores, aliam addunt Epitomen Canonum Symeonis Magistri, & Logothetę, in qua 82. Apostolorum Canones continentur. Referunt etiam Synopsim Canonum Arsenij Monachi, qui *cap. 4.* hæc subdens: *Sanctorum Apostolorum Canon 85.* Alios Apostolorum Canones passim exhibet, vt 85. Canones admisisse constet, quos multis retrò annis antè prædictos Canonum Collectores, admiserat iam in Nomocanone Patriarcha PHOTIVS, sic Præfationem instituens: *Canones qui Sanctorum Apostolorum dicuntur, Clementis opera collecti octuagintaquinque.* Ex quibus colligitur, omnes 85. Canones Apostolorum ferè semper ab Orientalibus fuisse admissos, qui adhuc post Gratiani Decretum iussu Gregorij XIII. editum reperiuntur, & passim in omnibus Conciliorum editionibus.

Ec-

1031 Ecclesia verò Romana Latina, & Occidentalis numquam omnes 85. Canones Apostolorum in tota hac latitudine admisit; sed solos primos 50. Authenticos, & legitimos agnovit, eosque vt tales venerata est. In hac sententiam conspirat vniversus, & frequens Authorum in Ecclesiastica Historia celebriorum consensus, quorum agmen ducit Cardinalis TVRRECREMATA, vbi suprà, sic scribens: *Quare Romana Ecclesia non recipit, nisi sexaginta, vt dicit ZEPHERINVS: postea decem in desuetudinem abierunt, & retenta sunt quinquaginta, vt dicit Leo, &c.*

1032 At Cardinalis BARONIVS expressius hanc nostram tuetur sententiam; siquidem *ad annum* 102. *num.*14. sentit, in tota retro antiquitate solos 50. in Ecclesia fuisse susceptos; quod probat, quia prima eorum collectio, & traductio è Græco, Latina, tãtum 50. commemorat. Iam illius verba audiamus: *Sed iam de numero ipsorum agendum: nam Apostolicorum Canonum nomine tam præclaro, vt honestissimo velamento, error irrepsisse cognoscitur: quod perspicuè demonstrabimus. Scimus in primis Zepherini Papę citari solitam Epistolam de sexaginta, vel septuaginta (duplex enim est lectio) Sententijs ab Apostolis, & alijs quàm plurimis Episcopis præfixis, ac traditis, observandis. Certè quidem qui primus è Græco sermone Canones Apostolicos in Latinum vertit, accuratissimus, atque fidissimus interpres Dionysius, Græcus Author, & inter Latinos magna cum laude diu versatus, quinquaginta tantum reperit: quamobrem opinati sunt nonnulli, sexaginta illas Sententias, quinquaginta his Canonibus à Dionysio translatis contineri, sed quidquid sit quinquaginta tantum Canones, eosdemque à Dionysio in Latinum translatos novit antiquitas, qui in nova editione 49. numero continentur, ita vt vltimus habeatur ille, quo agitur de trina in Baptismate mersione. Equidem qui his supersunt, vsque ad numerum octogesimum quintum, quos habet Canon ille qui dicitur VI. Synodi, postea emanarunt.* Vnde prędictus Cardinalis solos primos 50. Canones vt legitimos admittit. Quod iterum confirmat num.17. vt infrà videbimus.

1033 Idem tradit Cardinalis BELLARMINVS *de Scriptor. Ecclesiast.* vbi hæc habet: *De Canonibus Apostolorum à Clemente scriptis maior est difficultas: nam ab vna parte TERTVLLIANVS *in lib. Advers. Praxean* scribit, Canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Sanctus quoque ATHANASIVS in Synopsi eos numerat inter Agiographa. Synodus Trullana *Can.* 2. recipit Canones Apostolorum octuagintaquinque. Deinde S. IOANNES DAMASCENVS *lib.*4. *de Fide Orthod.* videtur eos ponere inter Sacras Scripturas. At contra Gelasius Papa *in Concilio Romano*, vndè extat *cap. Sancta Romana*, 15. *distinct.* expresè dicit: liber Canonum Apostolorum Apocryphus. Sed hæc conciliari possunt, si dicamus, Canones legitimos esse solum 50. priores; reliquos, non esse legitimos, quamvis â Græcis recipiantur.*

1034 Et infrà: *In antiquis Codicibus Conciliorum non inveniuntur Canones Apostolorum, nisi 50. Et veré Canones qui errorem sapiunt, & ab hæreticis adulterati videntur, sunt Canones posteriores, vt Canon 65. de Sabbato non ieiunando; & 67. de Baptizatis, vel ordinatis ab hæreticis; & 84. de numero Librorum Sacrorum, in quo Canone multa sunt errata manifesta. Quod verò Gratianus dicit initio *dist.* 16. Canones Apostolorum authoritate Zepherini Papæ esse 60. fortasse vitio librariorum erratum est in numero.* Hæc ille.

1035 Ex his tribus Eminentissimis Cardinalibus apertè dignoscitur, quantam apud antiquos æstimationem authoritatem, & acceptationem obtinuerint 50. Canones Apostolorum, cum semper tam in Occidente, quàm in Oriente, tam in Latina, quàm in Græca Ecclesia singulari fuerint veneratione suscepti, vt videri potest in prima versione quam è Gręco, Latinam fecit Dionysius exiguus. Cum enim vir iste Græcus extiterit, magnaque eruditione, & Authoritate floruerit, vt cum Cardinali Baronio diximus, nullatenus hanc iniuriam Sacris Apostolis, & Ecclesiæ Græcę intulisset, solos primos 50. Canones, Latinos faciens, eosque in sua versione commendans, omissis 35. alijs, si isti revera, vt posteriores Gręci referunt, in exemplari, & Authographo Græco extitissent. Cum ergo in prædicta Collectione solos 50. Canones prædictus Author transtulerit, signum est, illum solos istos, & non alios in exemplaribus Græcis comperisse, vt videri potest apud ipsum, qui in Præfatione ad Stepha-

num

num Episcopum, hæc de Apostolorum Canonibus scripta reliquit: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare Sanctitatem: quamvis postea quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videantur.*

1036 Post Dionysium Exiguum prodijt Collectio Cresconij in Africa Episcopi, qui in Collectione Canonum Apostolorum solos 50. admittit, ipsosque enumerat, & ad Titulos comprobandos adducit. Post Cresconianam Collectionem lucem aspexit Collectio Isidori Mercatoris, qui in prædictæ Collectionis Præfatione sic profatur: *Propter eorum authoritatem cæteris Concilijs præposuimus Canones, qui dicuntur Apostolorum, (licet à quibusdam Apocryphi dicantur) quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum Sententias Synodali Authoritate roboraverunt, & inter Canonicas posuerunt Constitutiones.*

1037 Notatu dignum iudicamus, Adrianum Pontificem, post prædictam Isidori Collectionem, ferè sub eodem tempore Carolo Magno Imperatori Romæ commoranti, pervetustum Apostolicorum Canonum Codicem, Arabicè descriptum, tradidisse, quinquaginta tantummodo priores Canones continentem. De his 50. Canonibus Anastasius Bibliothecarius Apostolicus, in Præfatione ipsius Synodi Generalis VII. ad Ioannem VIII. Papam, sic proloquitur: *Sanè notandum est, quędam in hac Synodo ex Apostolorum, & VI. vniversalis Synodi Canonibus, & Sententijs inveniri, quæ penes nos interpretata nec habentur, nec admittuntur. Et certè de Apostolorum Canonibus liquidò novimus, quoniam ijs quidam facilem non præbuerunt assensum. Sed & Prædecessor vester Beatissimus Papa Stephanus non ex his plus quam quinquaginta recipiendos Synodicè promulgavit: Licet quędam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videantur.* Meminit hic ANASTASIVS de Stephano IV. qui in Lateranensi Synodo *anno 769. Act. 4.* sic statuit: *Non amplius suscipiantur Apostolorum Canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscipit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Edidit Canonem istum Lucas Holstenius in sua Histor. Romana Tripartita.

1038 In cuius confirmationem omitti non potest Cardinalis HVMBERTVS Leonis IX. Legatus; hic enim *in Respons. ad Libellum Nicetæ, Presbyt. & Monachi*, contra Latinos editum, hæc scribit: *Clementis Librum, id est Petri Apostoli Itinerarium, & Apostolorum Canones numerant Patres inter Apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis, quę decreverunt Orthodoxæ Fidei adiungenda.*

1039 Consonat Cardinali Humberto Illustrissimus Tarraconensis Archiepiscopus, vtriusque Iurisprudentiæ peritissimus D. ANTONIVS AVGVSTINVS, qui in *lib. 1. Dialogor. de Emendat. Gratian.* per Stephanum Baluzium recexcusso, hęc habet: *Media via inter eos, qui probent & eos, qui improbent placet, cuiusmodi est Humberti, Sylvęcandidæ Episcopi, Cardinalis, Leonis IX. Legati, cuius esse existimo verba Leoni IX. adscripta, quæ GRATIANVS refert *cap. 3. illius dist. 16.* Clementis librum, &c. Sic in corpore Canonum ex Dionysij Exigui interpretatione, & in Isidori Mercatoris Collectione tantum hos quinquaginta Canones invenies. Hoc Gratianus, & veteres Collectores referunt. Item RABANVS *in libro Pœnitentium*, & ANSEGISVS *lib. 1. Capitulor. Caroli.** Hæc ille.

1040 Quibus etiam addere possumus alium non minoris authoritatis ac momenti Cardinalem, scilicet Baronium, qui loco supra laudato *num.* 17. sentit, Canones, qui à Patribus, & Concilijs approbari meruerunt, & communi Ecclesię vsu tamquam Apostolorum recepti sunt, dubitari non posse, esse Apostolorum.* Quæ enim (inquit) ab Apostolis tradita essent, & ad posteros temporum successione dilapsa, ea Summorum Pontificum authoritate, Conciliorum Decretis, & Vniversalis Ecclesiæ consuetudine roborata, ac penitus stabilita esse, vt nefas sit his adversari, quis poterit dubitare? Ijs includi quinquaginta illa Capitula à Dionysio è Græco translata, certissimum est.*

1041 Nec omitti potest quod de prædictis Canonibus scribit doctissimus BINIVS in Notis Conciliorum ad Apostolorum Canones, vbi hæc habet: *Canones hos authoritate Apostolorum conditos, eorumque Traditione nobis traditos Clemens Romanus S. Petri discipulus

lus Grecè conscripsit; Dionysius autem Romanus Abbas, cognomento Exiguus, Græcarum litterarum peritissimus tempore Iustini Imperatoris Scriptor celeberrimus, eosdem Latinè quàm potuit accuratissimè, ac fidelissimè transtulit. Horum quinquaginta priores, quorum vltimus est de trina in Baptismate mersione, præter Apostolicam, & Orthodoxam Doctrinam ab antiquis Pontificibus, Concilijs, & Patribus approbatam, nihil continentes, velut authentici recipiuntur *cap. 3. Dist. 16.* Et iuxta Vulgatam Sanctorum Patrum Regulam, quoniam Author eorum alius ignoratur, Apostolica Traditione ad nos dimanasse rectè creduntur.*

1042 Præclarè facit HINCMARI Rhemensis Antistitis authoritas, qua vtuntur tã Cardinalis BELLARMINVS, quàm P. TVRRIANVS, alijque complures. Ille enim ante annos 800. *in libro de varijs Capitul. Eccl siast. cap.* 18. hęc scripsit: * Item Africanum Concilium *cap.* 85. prohibet rebaptizationes, & reordinationes. Item Canon Apostolorum: Siquis, inquit, Episcopus, Presbyter, Diaconus secundam manus impositionem acceperit, deponatur ipse, & ordinator eius. (Deinde subiungit:) Si quis autem huic Capitulo minus credit, quia illud inter Canones Apostolorum apud nos non reperit, scire debet, quod eorumdem Canonum multa Capitula nobis desunt. Nam B. Zepherinus Papa in Ordine 16. Apostolos 70. Canones constituisse testatur: quorum quinquaginta tantum Isidorus in Prologo suo de Canonibus, se invenisse fatetur, quibus & nos vtimur. (Et infrà loquens de libro Canonum Apostolorum:) Sed quidquid de illo libro conijciatur, nos tamen illa quinquaginta Capitula, quæ ex Gręco translata legimus, absque scrupulo recipere debemus, quæ & Sancta Romana Ecclesia custodit: nobisque custodienda per B. Adrianum Papam mandavit.* Hæc ille. Quod autem scribit, Ecclesiam nempè per Adrianum Pontificem iussisse, vt prædicta Capitula, vel Canones Apostolorum obseruarentur, intelligendum est, ac referendum ad VII. Synodum Generalem sub Adriano Pontifice pro cultu Sanctarum Imaginum celebratam in cuius Canone 1. Apostolorum Canones teneri, ac servari iubentur.

1043 Pro hac eadem sententia stat NATALIS ALEXANDER *Sæculo* 1. *Par.* 2. *Dissert.* 17. *Conclus.* 2. vbi inter alia hæc habet: * Obtinuere authoritatem quinquaginta præfati Canones per Occidentalem Ecclesiam vniversam.*

1044 Consonat D. EMMANVEL SCHELSTRATE *Par.* 2. *Antiquit. Illust. Disput.* 2. *cap.* 1. *num.* 149. dicens: * Quod autem hi Canones, nec ab antiquis tam Græcis, quàm Latinis tractatoribus fuerint reiecti, lucet in primis ex quinquaginta Canonibus vbique olim receptis, vt confirmat post Gelasium, collectio Dionysij exigui.* Relatisque in huius sententiæ confirmationem Authoribus, sic concludit: * Et hæc quidem de Ecclesia Occidentali quinquaginta Canones Apostolorum non improbante, sed demum Synodalitèr approbante, & vbique ferè recipiente. *

§. VI.

OPPOSITA ARGVMENTA diluuntur.

1045 CVm hucusque ex melioris notæ Authoribus vtramque nostræ Cõclusionis partem plenissimè probaverimus, Apostolorum nempè Canones magnam semper in Ecclesia Authoritatem obtinuisse, & à tota Ecclesia, tàm in Oriente, quàm in Occidente vniversali acceptatione fuisse susceptos, quod §. IV. ostendimus; & ad minus primos 50. Canones communiter à tota Ecclesia, tàm Gręca, quàm Latina esse receptos, quod superiori §. præstitimus; nunc iam ad enervanda oppositæ sententiæ argumenta accedamus.

1046 Ea est horum temporum calamitas, vt non desint Neoterici, non modò hæretici (qui vtpote insensissimi Apostolicæ Sedis hostes, nihil mirum, si ea, quæ prædictæ Sedis authoritati patrocinantur, non rectis oculis, torvoque vultu intueantur) sed Catholici, etiam aliàs litteraturę gaza divites, qui magis novitate, quàm antiquitate illecti non solum 85. Apostolorum Canones in Ecclesia Gręca semper admissos, sed primos etiam 50. quos sub nomine Apostolorum ab vtraque Ecclesia summa veneratione susceptos, tot Authoritatibus ostendimus, in dubium velint revocare, eorumque Authoritatem infringere, vt videre est apud P. IOANNEM CABASSVCIUM *in Notitia Conciliorum, edita anno* 1670. *cap.* 4. & fusius apud eumdem in editione Lugdunensi *anno* 1680. evulgata, vbi *fol.* 8. *num.* 3. hæc, inter alia

alia, leguntur: *De quibus tamen omnibus nihil in totis Canonibus, Apostolis attributis, legitur, cum tamen nullus ambigat cæteros, vsque ad finem Canones, Apostolicos dictos, numerum perficientes octogesimum quartum, suppostitios, & pseudepigraphos esse.* Et *num.*4. sequenti, ita in principio scribit: *Sed nemque constans persuasio est de prioribus quinquaginta, fuisse ab Apostolis concinnatos.* Quanam verò ratione id probet, videbimus infrà.

1047 Cabassucio subscribit Mag. NATALIS ALEXANDER; siquidem *sæcul.*1. *par.*2. *dissert.* 7. *conclus.*3. hęc habet: *Canones Apostolis inscripti nedum trigintaquinque posteriores, verum & priores quinquaginta sunt Apostolis suppositi, & pseudepigraphi.*

1048 Vna è rationibus, quibus probat CABASSVTIVS, prædictos Canones suppositicios esse, & pseudepigraphos, est: quia antiqui Græci huiusmodi Apostolorum Canones penitus ignorarunt; sic enim scribit *fol.* 30. *primæ Summæ Conciliorum*: *Neque etiam antiquiores Græci Canones istos agnoverunt.* Et *fol.*31. volens probare, prædictos Canones non fuisse à D. Clemente collectos, contendit eos nec ab antiquis Latinis Patribus cognitos: *Porrò (inquit) Clementem, & natu, & Episcopatu Romanum, hos collegisse Canones mihi nemò persuaserit; tum quia, vt satis ostendi, Canones isti veteribus Patribus incomperti erant.* Quod iterum repetit *in Summa Conciliorum edit. vlt. fol.*8. *num.*2. sic scribens: *Nec minus antiquioribus Gręcis, quàm Latinis isti Canones invisi, planeque ignoti sunt.* Hac eadem ratione promotus videtur Mag. Natalis Alexander; siquidem loco supra laudato *fol.*151. pro sua prædicta conclusione hæc habet: *Si Canones pręfati, verè Apostolorum essent, vt titulus præfert, illorum certè meminissent quatuor primorum sæculorum Scriptores Ecclesiastici, &c.*

1049 Vt huic argumento respondeamus, apertèque dignoscatur, quàm immeritò hæc à prædictis Authoribus asserantur, pro conclusione certissima statuimus: *Prædictos Canones (saltim quinquaginta priores) verè fuisse sub nomine Apostolorum inscriptos, verèque legitimos, & authenticos, ac sub nomine Apostolorũ à Patribus, Pontificibus, Concilijs, & tota Ecclesia susceptos.* Pręclarũ nobis in huius Assertionis cõfirmationẽ offert testimoniũ Cardinalis BARONIVS *tom.*2. *Annal. ad ann.* 102. *num.*11. ita de Apostolorum Canonibus sermonẽ instituens: *Quod verò à Sanctis Patribus privatim, & à Sacris Synodis publicè sunt recepti, meritò authentici dici debent.* Cuius rationem reddere videtur, dum *num.*13. *sequenti*, sic scribit: *Quis enim non recipiat, vt authenticos, quos à Patribus, & Sanctis Synodis noverit esse in firmam Authoritatem acceptos, atque vnà cum alijs Sacris Canonibus simul intextos?* Quod *num.* 17. fusius confirmat dicens: *His igitur de Authoritate, & numero Canonum Apostolorum discussis; illi tantum nobis ex Apostolicis fontibus Canones fluxisse iure videri possunt, qui vel à Patribus inter alios Sacros Conciliorum Canones sunt recepti, vel Romanorum Pontificum Authoritate firmati, aut in communem vsum Ecclesiasticę disciplinæ transisse noscuntur. Quæ enim ab Apostolis tradita essent, & ad posteros temporum successione dilapsa, ea Summorum Pontificum Authoritate, Conciliorum Decretis, & vniversalis Ecclesię consuetudine roborata, ac penitùs stabilita esse, vt nefas sit his adversari, quis poterit dubitare? (Et paulò infra:) Sed vtcumque acciderit: quod Sancta Ecclesia ea probasse noscatur, sive quod ab Apostolis fuerint instituta, sive quod Conciliorum Decretis fuerint confirmata, meritò, iureque authentica habeantur.*

1050 Et quamvis prædicta Baronij doctrina præclarè nostram conclusionem confirmet, adhuc nihilominus dubitari potest: Quot, & quinam ex 85. Apostolorum Canonibus authentici sint, hoc est, ab Ecclesia, Patribus, & Concilijs approbati? Cui difficultati respondemus, primos 50. pro authenticis habendos, iuxta ea, quæ scribit idem Baronius loco modò laudato dicens: *His includi quinquaginta illa Capitula à Dionysio è Græco translata, certissimũ est.* Quod, & nos latè ostendimus supra ex tribus Eminentissimis Cardinalibus Turrecremata, Bellarmino, & Hũberto, egregièque confirmavimus ex Anastasio Bibliothecario Apostolico, qui in Præfatione ad Synodum Generalem Septimam, Ioannem VIII. alloquens, dicit, ex prædictis Apostolorum Canonibus solos 50. fuisse à Pontifice Stephano, illius Prædecessore, susceptos: *Sed & Prædecessor vester Beatissimus Papa Stephanus, non ex his plusquàm quinquaginta, recipiendos

Sy-

Synodicè promulgavit.* Immò ipsemet STEPHANVS IV. IN CONCILIO LATERANENSI *an. 669. Act.* 4. *Nō amplius (inquit) suscipiantur Apostolorum Canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quę suscipit Sācta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Vt habetur in *vlt. editione Concilior. tom. 6. col.* 1723.

1051 Verum estò prædicta approbatio sufficiens sit, vt viri docti, ac sapientes omnes prędictos 50. Canones pro legitimis, & authenticis suscipiant; quia tamen Hæreticorum improbitas, nec adhuc hos 50. vt authenticos suscipit; nec desunt Neoterici, qui de quibusdam illorum subdubitent: vt omnes quinquaginta legitimos esse clariùs appareat, operæ pretium duximus omnes illos sequenti §. recensere, ipsisque Approbationem, quam vnusquisque ab Ecclesia, Patribusque promeruit, adiungere; vt ita manifestè innotescat tùm æquissima ratio, qua motus fuit Stephanus Pontifex, vt quinquaginta Apostolorum Canones pro authenticis habendos esse decerneret; túm manifesta calumnia, & improbitas, qua Magdeburgenses *Centur.* 1. blatterant, prædictos Canones à sola VI. Trullana Synodo fuisse approbatos. * Constat, inquiunt, in nulla alia Synodo eos Canones pro authenticis, & Apostolorum, esse receptos, quàm in VI. Constantinopolitana, quæ celebrata est circiter annum Domini 675. nam eius Canon 2. sic habet: Placuit huic Sanctæ Synodo, vt amodò confirmata, & rata sint Canonum Apostolorum octuaginta quinque capitula. * Hæc Magdeburgenses: quæ quantum à veritate abhorreant, sequens §. demonstrabit.

§. VII.

OMNES PRIMOS QVINQVAginta Canones Apostolorum ab Ecclesia, & Concilijs approbatos esse, ostenditur.

1052 DE 1. & 2. APOSTOLORVM CANONE speciallem mentionem fecerunt Innocentius I. *Epist. vnic. ad Vitric. cap.* 1. & Patres Concilij Africani *Can.* 16. Quodque in hisce duobus Canonibus à Sanctis Apostolis statutum fuit, statuerunt etiam Concilium Arelatense I. *Can.* 1. *&* 4. Nicęnum *Can.* 5. Arelatense II. *Can.* 12. & Carthaginense 2. vt refert Epiphanius *lib.* 9. *cap.* 16. Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 9. & Gratianus *Dist.* 64. *& sequent.*

1053 Canonis 3. meminit Euthychianus Pontifex *Epist.* 1. Canonis 4. Textus *in cap.* 1. *de Consecrat. dist.* 2. Canonis 5. Synodus Carthaginen. II. *Can.* 2. *&* 3. Canonis 6. Concilium Nicęnum I. *Can.* 56. & Nicęnum II. *Can.* 10. Canonis 7. S. Cyrillus *homil.* 10. Canonis 8. S. Anacletus Papa *Epist.* 1. Canonum 9. & 10. Concilium Antiochenum *Can.* 2. & Baccarense II. *Can.* 83.

1054 Canonis 11. Concilium Nicęnum I. *Can.* 5. *Cap. Sicut Apostoli* 11. *quæst.* 3. Canonis 12. Innocentius I. *dicta Epist. vnic. cap.* 8. Concilium Nicænum *Can.* 15. & eius mentio fit *in Epist. Constantini* apud Eusebium *lib.* 3. *de vita Constantini*, *cap.* 9. Canonis 13. Concilium Nicænum relatum, *in Epigraph. Can.* 1. *&* 2. *dist.* 73. *cap.* 3. *de Cleric. Peregrinis.* Canonis 14. Synodus Nicæna *Can.* 15. Antiochena *Can.* 21. Canonis 15. & 16. meminerunt Synodus etiam Antiochena *Can.* 3. Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 4. Canonis 17. Innocentius I. *in dicta Epist. ad Vitric. Can.* 6. *cap. Debitum. de Bigamis.* Theodosius *in l.* 3. *C. de Sum. Trinit.* Canonis 18. Leo I. *Epist.* 87. *Constitut.* 6. *Iustini Imperatoris.* Canonis 19. *cap.* 1. *de Big. non Ord.* Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 17. Canonis 20. S. Clementis *epist.* 1. *in princ.* cuius verba referuntur *in cap. Te quidem* 11. *quæst.* 3. & eorum sententia *in cap.* 1. *de Fideius.*

1055 Canonis 21. meminit Concilium Nicęnum *Can.* 1. Canonis 22. Synodus VIII. Constantinopolitana *Can.* 8. Canonis 23. & 24. Synodus Africana *Can.* 53. Canonum 25. & 26. Synodus Romana sub Gregorio VII. *Can.* 2. Leo Pontifex *Epist.* 92. *ad Rustic.* Canonis 27. *cap. Quoniam* 32. *Dist.* D. Basilius *ad Amphiloch. cap.* 3. Canonis 28. Synodus Africana *Can.* 32. Canonis 29. Synodus Nicæna *Can.* 5.

1056 Canonis 30. Concilium Chalcedonense *Can.* 12. Canonis 31. Concilium Carthaginense II. *Can.* 8. Athanasius *Epist. ad Orthod.* Canonis 32. Concilium Nicænum *Can.* 5. Canonis 33. Synodus Antiochena *Can.* 6. Canonis 34. Concilium Illiberitanum *Can.* 24. Synodus Antiochená *Can.* 9. Innocentius I. *dicta epist. vnic. cap.* 1. Canonum 35. & 36. Concilium Nicænum *Can.* 6. *&* 23. Ca-

nonis 37. Concilium Antiochenum *Can.* 18. Innocentius I. *dict. Epist. vnic.* Canonis 38. Concilium Antiochenum *Can.* 20. Innocentius I. *vbi sup.* & Anacletus *epist.* 1. Canonis 39. Concilium Nicænum II. *Can.* 12. & Parisiense III. *lib.* 1. *cap.* 25.

1057 Canonis 40. Concilium Chalcedonense *Can.* 22. Canonis 41. *cap. Præcipimus* 12. *quæst.* 1. quem Canonem, simul cum antecedenti, transcripsit Synodus Antiochena *in Can.* 24. & 25. Canonis 42. & 43. Synodus Constantinopolitana VI. *Can.* 50. Canonis 44. Concilium Nicænum. *Can.* 18. *cap. Episcopi* 41. *dist.* VI. Synodus *Can.* 10. Arelatensis II. *Can.* 14. Aquisgranensis I. *Can.* 40. Canonis 45. Concilium Nicænum *Can.* 56. Canonum 46. & 47. Concilium Nicęnum *Can.* 19. Innocentius I. *dict. Epist. ad Vitric.* Canonis 48. *cap. Placuit* 32. *quæst.* 7. Canonis 49. *cap. Multi, de Consecrat. dist.* 4. Canonis 50. *cap. Si quis Episcopus, de Consecrat. dist.* 4.

1058 Ex his, quæ hucusque diximus, convincitur manifestè, quantum à veritate deviaverint Magdeburgenses Apostolorum Canonum Authoritatem obnubilare conantes, eosque non nisi à VI. Trullana Synodo approbatos esse blatterantes, cum oppositum apertè innotescat ex tot Synodis supra adductis, quę non modò de illis expressam mentionem faciunt, sed illos etiam manifestè approbant, suosque Canones, Apostolicos imitatæ condiderunt, ac proinde illos tamquam authenticos veneratę sunt.

1059 Nec obstat dicere cum Magdeburgensibus, quibus aliqui Neoterici hac in re adhęrent, quod estò probaverimus, prędictos Canones authenticos esse, vtpote à Concilijs, & Patribus, qui eos citant, & sequuntur, approbatos; nihilominus tamen probatum adhuc non est, prædictos Canones à Concilijs, & Patribus tamquam Apostolorum Canones suscipi, ac citari: *In nulla alia Synodo (inquiunt Magdeburgenses) eos Canones pro authenticis, & Apostolorum, esse receptos, quàm in Sexta, &c.* Verum prędicti Assertores à veritatis tramite non aberrassent, si Synodos à nobis adductas diligenter evoluissent; nihilominus tamen vt huic instantię, quam non modò Magdeburgenses, sed quidam etiam Neoterici proponunt, asserentes, prædictos Canones esse Apostolis suppositos, & pseudepigraphos, plenissimè satisfaciamus, probandum aggredimur, Apostolorum Canones ideo esse ab Ecclesia, & Concilijs tanto in honore habitos, tantaque approbatione susceptos, quia verè sunt ab Apostolis conditi, & Apostolicam redolent Doctrinam.

1060 Pro hac nostra assertione egregiè facit Nicęna Synodus; siquidem in ea tres Apostolorum Canones, nempè 6. 44. & 70. adducuntur à Sanctissimis illis Patribus decernentibus: *Ne Sacerdos curas sæculares suscipiat, neque lucris vsurę studeat, neque sit ei cum Iudęis societas, neque cum eis prandeat, aut potes, quia hæc APOSTOLI SANCTI CONSTITVERVNT.* Nec obstat dicere: non esse veros Canones Nicænos, qui ex libro Patriarchę Alexandrini Arabico descripti, & huc allati sunt. Nam præterquàm quod hac de re egit eruditè P. TVRRIANVS *lib.* 3. *defens. Epistolar.* prædictos Nicęnos Canones legitimos esse, haud in efficaciter suadent Sancti Patres, dum illos citant, illorumque Authoritate sua dicta confirmant. Sic vnum ex his Nicænis Canonibus in Arabico repertis citavit B. BASILIVS *in Epist. ad Chorepiscopos*, Canonem nempè de Clericis Ordinandis, ac ducēdis ad Chorepiscopum, & à Chorepiscopo ad Episcopum. Alium etiam citat D. AVGVSTINVS, qui est de Successore ab Episcopo non relinquendo. Legitimi ergo sunt illi Nicæni Canones, sicque & Apostolorum Canones ab illis citati.

1061 Eadem Nicæna Synodus *Can.* 15. eorum, qui Græcè feruntur, laudat Canonem Apostolorum 14. sic enim inquit: *Propter multas turbas, ac tumultus, & seditiones, quę factæ sunt, visum est, omnibus modis delere consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inventa est præter CANONEM, &c.* Quem Canonem interpretans Zonaras, magnæ eruditionis vir apud Græcos: *Non transire (inquit) ex Ecclesia ad alium Episcopatū, sive Presbyter sit, sive Diaconus, ab Apostolis quoque est Canone prohibitum. Sed quia negligebatur præceptum, idcircò Synodus præceptum hoc Canone renovavit.*

1062 Eadem etiam Nicæna Synodus *Can.* 15. laudat 12. & 32. Apostolorum Canones; etenim in prædicto Canone sic decernit: *De excommunicatis, sive Clerici sint, sive Laici, vigeat sententia secundum CANONEM, qui cavet, ne ab alijs excommunicati, ab alijs recipiantur.* Quod au-

autem Laici excõmunicati ab alio nõ recipiantur, expressè habetur *in Can. Apost.* 12. De Clericis verò *in Can. Apost.* 32. Hic autem Nicæna Synodus vnam sententiam, duobus Apostolorum Canonibus comprehensam, vnum Canonem numero singulari vocavit, imitata Zepherinum Pontificem, qui 85. Apostolorum Canones 70. vel vt alij volunt 60. sententias vocavit, eo quod vna sententia quandoque pluribus Canonibus comprehendatur, vt supra iam attigimus.

1063 Præclarè etiam Apostolorum Canonibus patrocinatur Synodus Antiochena; siquidem *Can.* 24. qui est 41. Apostolorum: *Bene habet (inquit) oportere bona Ecclesiæ eidem Ecclesiæ asservari.* Etenim *bene habere* idem est, ac rectè constitutum esse, Canone scilicet antiquo Apostolorum, prout tradit Paschalis II. citans hunc Canonem quibusdam verbis ex Antiocheno desumptis. * Inter Decreta sua, inquit Paschalis, CANONIBVS APOSTOLORVM statutum est, vt omnium rerum Ecclesiasticarum curam habeat Episcopus: & eas velut Deo contemplante dispenset.* Hęc ille. Hoc enim extremum ex Canone Antiocheno desumptū; totū tamen Apostolis tribuit, vnde prędictus Pontifex Africana Canones expressè sub nomine Apostolorū approbavit.

1064 Expressius adhuc nobis, Apostolicisque Canonibus suffragatur Sententia Sanctæ Synodi Ephesinæ pronunciata in causa Episcoporum Cypri *Act.* 4. * Rem (inquit) præter id quod in iure, ac more Ecclesiastico positum est, & præter CANONES SANCTORVM APOSTOLORVM insuitatam, & ad libertatem omnium pertinentem Rheginus Coëpiscopus, & cum eo Zenon, & Evagrius Provinciæ Cypri Episcopi, vobis attulerunt. Vnde quia communes morbi maiori medicina opus habent, vtpote qui plus noceant, si nec antiqua consuetudo servata fuerit, sed potius Episcopus Antiochiæ Ordinationes in Cypro faciat, sicut Episcopi Cypri per libellos, tum ore suo Synodo, ad quem convenerunt, exposuere, decrevit Synodus, vt Episcopi, qui Ecclesię Cypri præsunt, teneant ius suum ab omni aliorum violentia liberum ordinandi secundum CANONES SANCTORVM PATRVM, & veterem consuetudinem per se ipsos, suosque Coëpiscopos: id quod in alijs quoque Diœcesibus, & vbique in omnibus Provincijs servabitur, vt nullus Episcopus aliam Provinciam, quæ non fuerit ab ipso ortu, & principio sub potestate sua, idest suorum Antecessorum, occupet: sed potius si quis eam occupavit, & sub potestatem suam per vim misit, vt restituat, ne Canones Patrum violentur, & ne superbia potestatis sæcularis simulatione operis pij irrepat: & nos libertatem paulatim amittamus, quā Dominus noster IESVS CHRISTVS omniū liberator, nobis suo Sanguine donavit.* Hucusque Sententia, & Decretum Ephesinæ Synodi. Hęc autem antiqua Ecclesiastica consuetudo, Apostolorumque Canones, quos sub nomine Apostolorum citat in hoc Decreto Ephesina Synodus, sunt Canones 34. & 35. Apostolorum, prout rectè observat prædictorum Canonum Græcus Interpres Zonaras. In hoc autem textu manifestè innotescit, prædictam Synodum iussisse, vt id, quod antiquitus, in Sacris Canonibus, sub expresso nomine Apostolorum, constitutum erat, observaretur. Quod quidem testimonium eò maioris est authoritatis, quò maiori commendatur antiquitate.

1065 Nec minus expressè Apostolicis Canonibus opitulatur Africana Synodus *cap.* 54. vbi dicit id, quod ex Concilio Milevitano *cap.* 14. repetitum est. * Sed illud scimus, inviolatam semper mansisse Ecclesiasticam disciplinam, ita vt nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet anteponere. (Et paulò infrà:) Quæ antiquorum sententia statuta sunt, nostro consensu mancipabuntur.* Alludit hìc Synodus ad Canonem 34. Apostolorum, quo præscribitur: * Vt omnes cuiuscumque gentis, sive nationis Episcopi, suum primum agnoscant: & nihil præterea, quæ ad cuiusque Ecclesiam privatim pertineat, sine illius sententia agere audeant.* Et paulò infra clarius adhuc hunc Canonem Apostolorum citans: * Omnes (inquit) Episcopi dixerunt, hic ordo, & à Patribus, & ab antiquis servatus est: & à nobis concedente Deo servabitur, servato iure Primatum Numidiæ, & Mauritaniæ.*

1066 Huius ordinis, Ecclesiasticæque disciplinæ meminit S. ANACLETVS, dum *Epist.* 3. scribit, illas Metropoles, quę priscis temporibus Primatum tenebant, quia scilicet erant capita plurium Provinciarum, primas omnium esse: & Patriarchas, sive Primates à B. Petro, & Clemente accepisse: eas verò Metropoles, quæ sin-

singularum Provinciarum Capita fuerant, accepisse Metropolitanos, esseque primas Civitates infra illas Patriarcharum, sive Primatum. Inter alias verò Civitates, quæ in vnaquaque Provincia sunt, illas esse primas, quæ à Sanctis Apostolis, & à Clemente, sive ab Anacleto primos Prędicatores acceperunt: quas se ait descripsisse in Matricula, vt vulgo dicitur, quam vocat *Tomum*, & Synodus Africana vocat *Matricion*, & *Archæotypon*. Et subiungit idem Anacletus Canonem Apostolorum 34. dicens: *Inde namque & Apostoli inter se statuerunt, vt Episcopi singularum gentium scirent, quis inter eos esset primus.* Ex quibus verbis manifestè dignoscitur, Sanctam Synodum Africanam iuxta Anacleti Pontificis intelligentiam, iussisse, vt id, quod Sanctorum Apostolorum Canone statutum fuerat circa ordinem, quem Episcopales, Metropolitanæ, & Patriarchales Ecclesię inter se retinere debebant, inviolabiliter observaretur.

1067 Nec minorem nostræ assertionis confirmationem suppeditat VII. OECVMENICA SYNODVS, NICÆNA II. cum nō semel, sed sępenumero de prędictis Canonibus sub expresso Apostolorum nomine mentionem fecerit. Sic enim loquitur *Can*.1. *Et DIVINOS CANONES amplectimur: & integram, ac firmam ipsorum Constitutionem, quos Sancti Apostoli Spiritus Sancti clarissimę tubæ, ediderunt.* Insuper *Can*.5. adducit Canonem 29. Apostolorum contra eos, qui pretio ad Sacros Ordines promoventur: *In eum enim, qui pretio ordinatus est (inquit Synodus) fiat secundum CANONEM APOSTOLORVM, qui ait: Si quis Episcopus pecunia hanc Dignitatem obtinuerit, aut Presbyter, vel Diaconus, privetur omnino Communione, vt Simon Magus à me Petro.* Deinde *Can*.10. Canonem Apostolorum 6. commendat, cum dicit: *Non licet illis (scilicet Presbyteris) mundanas vitæ curas suscipere, vtpote prohibitas à DIVINIS CANONIBVS.* Hi autem Canones, quos Divinos vocat, sunt Canones Apostolorum, vt supra dùm eiusdem Synodi Canonem I. recitaremus, vidimus. Tandem *Can*. 12. recitat Canonem Apostolorum 38. In eum enim, qui bona Ecclesiæ alienat, sive Episcopus sit, sive Monasterij Abbas, sic invehitur: *Sit irritum secundum CANONEM APOSTOLORVM, qui ait: Omnium bonorum Ecclesiasticorum.* Et quæ sequuntur.

1068 VIII. SYNODVS OECVMENICA sub Ioāne Pōtifice celebrata, in qua adfuerunt 383. Patres Constantinopoli cōgregati, & in qua, tamquā Romani Pontificis Legati, pręfuerūt Petrus Presbyter, Paulus Anconitanus, & Eugenius Episcopus Hostiensis, egregium præbet nostræ assertionis argumentum, luculentissimumque pro Apostolorum Canonibus testimonium. Cum enim Basilius Imperator Confessionem Fidei ab eis exposceret, qui Pontificis locum tenebāt, iique, sicut in *6. Act.* scriptum est, responderent, non decere alium Canonem nominari præter veteres, qui in cuncto Orbe vigerent, peterentque vt de omnium sententia legerentur, ac confirmarentur, Photius Patriarcha Constantinopolitanus dixit: Iudicio omnium fratrum, & Consacerdotum nostrorum legantur. Ac Petrus quidem Diaconus, & Protonotarius legit inquiens: Domini, & Salvatoris nostri divinam, & veneratione dignam Doctrinam sinu mentis complectimur, & voluntate non discrepante, ac puritate Fidei fundati Canonicos Typos (id est Canonicas formas) iudicio verissimo servamus: quin etiam septem Synodorum OEcumenicarum, vt quæ vnius Spiritus Sancti afflatu directæ, & actę sunt, prædicationem, & Canones sanos, & non depravatos, sincera, & constanti sententia, vt Sanctos honoramus, & custodimus.* Vnde manifestè apparet, non modo Apostolorum Canones sub expresso nomine Apostolorum à prędicta Octava Synodo approbari, sed ab ea etiam iniungi, ac districtè præcipi vt Sancti Canones in antecedentibus Synodis statuti, inviolabiliter serventur. Cumque tam in Nicæna, quàm in Ephesina Synodo expressa mentio fiat de prædictis Canonibus sub nomine Apostolorum, eorumque observantia expressè præcipiatur, hinc manifestè deducitur, prædictos Canones fuisse ab VIII. Synodo sub Apostolorum nomine confirmatos, sicque ab ipsa legitimos, & authenticos iudicari.

1069 Nec indignum notatu est testimonium quod de Apostolorū Canonibus perhibet PARISIENSIS SYNODVS, ex Episcopis Gallis Diœcesis Senonensis, Turonensis, & Rothomagensis, Ludovico, & eius filio Lothario Imperatoribus ante 700. & ampliùs, annos, congregata; in illa enim citatus fuit sub Apostolorum nomine, & ad verbum recitatus Canon 41. Apo-

Apostolorum. Quod vt clarius appareat, legatur Canon 15. vbi prædicta Synodus sancit, vt Episcopus habeat OEconomum Ecclesiæ, qui res Ecclesiæ secundum sententiam Episcopi dispenset. Quod si hoc non fecerit, divinis Constitutionibus subiacet. Id autem ipsum eisdem verbis legitur in Canonibus, qui Apostolorum titulo prænotantur.

1070 CONSTANTINOPOLITANA SYNODVS quā post Octavam OEcumenicā in Sanctorum Apostolorum Templo, habuit Patriarcha Photius, & in qua septēdecim Canones statuti sunt, de Apostolorū Canonibus expressè meminit, eosq; sub expresso Apostolorum nomine allegat, vt videri potest *Can.* 8. quem in eos, qui alios faciunt eunuchos condidit; in illo enim citans 22. Canonem Apostolorum, hęc habet: *Divinus, & Sacer SANCTORVM CANON eos, qui se faciunt eunuchos, interfectores sui esse indicat.* Can. vero 9. sancito in eos Clericos, qui Apostolorū Canonem iubentem, ne Sacerdotes vllum verberent, perperam interpretabantur, 22. Apostolorum Canonem clarius citat, dicens: *CVM APOSTOLICVS, ET DIVINVS CANON Sacerdotes, qui Fideles, qui peccarunt, & infideles, qui iniuriam fecerūt verberant, movendos esse gradu decernat, qui iræ indulgentes, & Apostolicas Constitutiones depravantes, interpretati sunt prohibere Canonem, ne liceat Sacerdotibus manu propria verberare, non autem illiceat manu aliena, iubendo alteri, vt verberet; cum hoc nec Canon dicat, neque ratio intelligere permittat, &c.*

1071 CARDINALIS HVMBERTVS Sylvæ candidæ Episcopus, & Leonis IX. Legatus huic nostræ sententiæ apertissimè suffragatur, vt constat ex facto, quod anno 1054. Constantinopoli evenit (cuius quidem facti, estò iā aliquid in superioribus prælibaverimus, non tamen historiam, quæ maximè ad rem nostrā facit.) Scripsit igitur Author iste Dialogum introductis personis Constantinopolitani & Romani, quo respondet calumnijs Michaëlis Archiepiscopi Constantinopolitani, & Leonis Archiepiscopi Acricę, Metropolis Bulgarorum, ad quos priùs idem Leo IX. eruditissimam Epistolam 31. capitulis comprehensam scripserat. Edidit etiam quidam Nicetas cognomento Pectoratus Presbyter, & Monachus Monasterij studij libellum contra Latinos, blasphemijs plenum, de Azymis & Sabbatorum Ieiunijs, & Nuptijs Sacerdotum inscriptū, qui cum ad manus Humberti Apocrisiarij, id est Legati Pontificis, venisset, librum scripsit, quo illum totum Nicetæ fortissimè, & festivissimè refellit. In hoc libro, quia Nicetas Canones Apostolorum insolenter iactabat, qui tunc cum falsis erant permixti, sic scripsit Cardinalis: *Et hoc asserere conaris ex Apocryphis libris, & Canonibus pari sententia Sanctorum Patrum repudiatis. (Deinde subiungit:) Nam Clementis librum, id est Petri Apostoli Itinerarium, & Canones Apostolorum numerant inter Apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis Orthodoxiæ adiungenda.*

1072 Hic tamen diligenter annotandum est, prędictum Cardinalem, dum de Apostolorum Canonibus loquens, dicit: *Ex Apocryphis libris pari sententia Sanctorum Patrum repudiatis*; alludere ad Decretum Gelasij Papæ de *Apocryphis Scripturis* in Romana Synodo septuaginta Episcoporum promulgatum, quod quidem Decretum quomodo sit intelligendum latè suprà docuimus, ideoque hac de re ne verbum quidem modo proferemus, sed solummodo annotabimus, prędictum Cardinalem, Virum authoritate insignem, & Apostolici Legati munus obeuntem, in prædicto libro, qui in Ecclesia singularem approbationem promeruit, estò quosdam Apostolorum Canones, vtpote ab hæreticis corruptos, ac adulteratos, tamquam Apocryphos reijciat, illos tamen qui 50. Capitulis sub Apostolorum nomine continentur, tamquam authenticos, & legitimos, ac Orthodoxæ Fidei regulam suscipere, & venerari, de quibus est nostra conclusio, & vindicatio.

1073 Pro cuius maiori confirmatione annotandum est, quod estò illis temporibus Latina, ac Romana Ecclesia solos priores 50. Apostolorum Canones pro legitimis, & authenticis susceperat, plures tamen præter eum numerum ab Ecclesia receptos fuisse, testatur Hincmarus Rhemensis Antistes, Vir singulari doctrina præditus, cuius verba supra num. 1042. retulimus, vbi meminit Canonis illius quo prohibentur fieri reordinationes Episcoporum, Presbyterorum, vel Diaconorum. Est autem Canon ille (quem Hincmarus dicit non reperiri in numero 50. Capitulorum) Apostolorum Canon 61, cui testimonium tribuit idem Hincmarus. Illud verò notan-

tan-

tandum est, cùm B. Gelasius dixit librum Canonum Apostolorum Apocryphum, nō dixisse de illis 70. Sententijs Apostolorum; tùm quia neque septuaginta, & hæ quidem per breves Sententię, Liber dici poterant: tùm quia illas iam exceperat, & ab Ecclesia suscipiendas esse decreverat, cum dixit, Decretales Epistolas, quas Beatissimi Pontifices scripserunt, venerabiliter suscipiendas esse.

1074 At de Libro, quem sub nomine Canonum Apostolorum Gelasius Pontifex inter Apochryphos connumeravit prudentissimè quidem Hincmarus iudicium tulit *lib. de varijs Quæstion.* sic scribens: *Sciendum autem quod B. Gelasius Papa librum, qui de Canonibus Apostolorum apud Græcos inscribitur, pro Apocrypho deputavit, cui & nos contradicere non debemus, quia hoc eum sine causa fecisse non credimus. Fortè Liber ille de capitulis, quæ Sancti Patres receperunt, nihil dicit. (Et infrà:) Sed quidquid de illo Libro conijciatur, nos tamen illa quinquaginta Capitula, quæ ex Græco translata legimus, absque scrupulo recipere debemus, quæ & Sancta Romana Ecclesia custodit, nobisque custodienda per B. Adrianum Papam mandavit.* Hæc Hincmarus, quæ hic ex integro transcribenda censuimus, esto iam aliqua prælibaverimus, vt ad saniorem sensum deducamus Neotericos videntes 50. Capita, seu Canones sub nomine Apostolorum à Viris tantæ antiquitatis, & Authoritatis, quales sunt Humbertus, & Hincmarus, susceptos fuisse, ac veneratos, & de his nullatenus locutum fuisse Gelasium in Decreto, quo Canonum Apostolorum librum inter Apocrypha deputavit, cum potiùs gravissimi isti Authores iudicent, prædictos 50. Canones sub nomine Apostolorum esse à Romana Ecclesia singulari acceptatione susceptos, eorumque doctrinam pari veneratione admissam.

1075 Hîc diligentèr notandum est, ab eodem Pontifice Gelasio, cui adscribitur librum Canonum Apostolorum inter Apocrypha reiecisse, aliquos Apostolorum Canones fuisse susceptos. Siquidem ***Epist. 1. ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, Siciliamque constitutos*** 22. Apostolorum Canonem citat *cap.* 19. dicens: * De ijs autem, qui se ipsos abscindunt, Paterni Canones evidenter sequenda posuerunt, quorum tenorem sufficiat indidisse: dicūt enim talia perpetrantes, mox vt agniti fuerint, à munere Clericali debere eos secludi: quod modis omnibus custodire nos convenit. Quia fas esse nulli suppeditat, quicquam præter illa, quæ memorabilis forma decrevit, censere.* Notandum autem, *Formam* vocari Canonem, vt frequēter Canones Forma, vel Regula vocari solent.

1076 Præterea idem GELASIVS *cap.* 5. Canonem Apostolorum 29. licet non citaverit, planè tamen secutus est, cum inquit: * Quos verò constiterit, Sacram mercatos esse pretio Dignitatem, convictos oportet arceri, non sine periculo talia perpetrantes. (Deinde subiungit:) Quia dantem, & accipientem damnatio Simonis, quam Sacra lectio testatur, involvit.* Canon vero 29. Apostolorum ait: * Qui pecunia hanc Dignitatem obtinuerit, deponatur ipse, & qui eum ordinavit, sicut Simon Magus à me Petro.*

1077 At in eodem *cap.* 25. Apostolorum Canones manifestè citavit dicens: * Quisquis propriæ desertor Ecclesiæ, nullis extantibus caussis, ad aliam putaverit transeundum, temerèque susceptus fuerit, & promotus, REVERENDORVM CANONVM, vel ipse, vel Receptor eius, atque Provector Constituta non effugiet, quæ de huiusmodi præsumptionibus præfixere servanda.* Contra vtrumque, sive transeuntem, sive recipientem, duo Apostolorum Canones, nempè 15. & 16. statuti fuerunt, quos Sancta Nicæna Synodus suo *Can.* 15. & 16. innovavit eosdem vt Apostolorum Canones dilaudans; sic enim ait *Can.* 15. * Propter multam turbam, & seditiones, quę fiunt, visum est tollere consuetudinem, quę præter CANONEM inventa est transeundi de Civitate in Civitatem, &c.* Cum igitur ante primam Nicænam Synodum, nullus alicuius Concilij Canon, quo id præscriptum sit, præter Apostolorum Canonem reperiatur, necessario deducitur prædictam Nicænam Synodum ad præfatum Apostolorum Canonem referri.

1078 Eadem pariter NICÆNA SYNODVS, *Can.* 16. hęc habet: * Qui recedunt ab Ecclesia præter CANOMEN ECCLESIASTICVM.* Cum antè nullo alio Canone, nisi 16. Apostolorum id statutum sit, hinc manifestè deducitur Nicænam Synodum de Apostolorum Canone 16. expressam hic mentionem fecisse. Ex quibus apertè colligitur, tam à Gelasio Papa,

pa,

pa, quàm à Nicæna Synodo approbatum, sancitumque fuisse id ipsum, quod in relatis Apostolorum Canonibus fuerat statutum.

1079 Huic insuper de Apostolorum Canonibus sententiæ subscribit manifestè S.SOPHRONIVS, Patriarcha Ierosolymitanus *Homil.de Agone Petri,& Pauli*, dicens: *Postquam B. Petrus catenis illis, quibus iussu Herodis vinctus fuerat, fuisset manu Angeli liberatus, multas eum regiones propter Simonem Magum perambulasse Verbum Dei prędicando, ac tandem rediјt Ierosolymam tertio anno vocationis Pauli; de quo ipse Paulus ait: *post tres annos ascendi Ierosolymam videre Petrum, & mansi cum eo diebus quindecim.* Vbi CANONES,ET CONSTITVTIONES fecerunt. Et Paulus quidem ad opus, ad quod vocatus fuerat, profectus est, Petrus verò iterum reversus Antiochiam.* Hactenus Sophronius: Vbi Sanctus Patriarcha expressam mentionem facit de Apostolorum Canonibus, & Constitutionibus, quæ haud dubium quin suo tempore essent integrę fidei, & vt tales ab omnibus susciperentur.

1080 Consonat ZEPHERINVS Pontifex, dum *Epist.supra relata*, asserit: *Sanctos Apostolos cum alijs quàmplurimis Episcopis 70.illas Sẽtentias pręscripsisse.* Vbi notandum est, illas quas Zepherinus Sententias vocat, à S. Clemente Regulas Ecclesiasticas Sanctorum Apostolorum vocari, vti loco iam suprà laudato tradidimus.

1081 Respondent Magdeburgenses: sententias, de quibus loquitur Zepherinus, non esse hos Apostolorum Canones, quos habemus, cum in his non reperiatur, quod in illis 70. Apostolorum Sententijs reperiri asserit Zepherinus, de illo scilicet Romanæ Ecclesiæ Privilegio, vt iudicia Episcoporum, maioresque Ecclesiæ causæ ab Apostolica Sede, & non ab alia terminentur, sicut Sancti Apostoli, eorumque Successores cum alijs Episcopis statuerunt.

1082 Non miror Magdeburgenses (vtpote apertissimos Apostolicæ Sedis hostes) huiusmodi Privilegium in Apostolicis Canonibus non invenire, cum alia longè clariora, & Apostolicæ Sedi apertissimè patrocinantia non videant, sed insolenter etiam inficientur. Nos verò, qui & Apostolicam Sedem, & illius Privilegia pro nostris viribus propugnanda suscipimus, videamus in quonam Apostolorum Canone prædictum Privilegium contineatur.

1083 Dicimus ergo; Privilegium, de quo Zepherinus loquitur, contineri in 34. Apostolorum Canone, qui iubet, vt omnium gentium Episcopi suum Primum agnoscant, & nihil exuperans sine illius Sententia agant, sed illa tantum, quæ ad cuiusque Parœciam, & loca eius pertineãt. Vnde infertur, quod si omnes Episcopi, qui sunt Apostolorum Successores, debent agnoscere suum Primum, id est Metropolitanũ, quamvis omnes sint Episcopi, vtpote quia ad eum pertineat maior sollicitudo de Episcopis subiectis: ipsi etiam Primi, id est Metropolitani, Successores etiam Apostolorum, debebunt quoque agnoscere suum Primum, Successorem videlicet B. Petri Apostolorum Principis.

1084 Confirmatur hæc nostra Sententia ex Sanctissimi Martyris ANACLETI doctrina, qui *Epist. 3.* vt probaret, Successoribus Apostolorum, & reliquis Episcopis relictam esse eam formam, quę inter Apostolos, & Petrum servata fuit, vt scilicet omnes Apostolorum Successores, sive maiores vt Archiepiscopi, sive minores, vt Episcopi, vnum Petri Successorem agnoscerent tamquam primum, 34. Apostolorum Canonem produxit.

1085 Sic etiam D. DIONYSIVS Areopagita *in Epist. ad Demophil.* Successores Apostolorum ab Episcopis distinxit, quia estò isti etiam Apostolorum Successores sint, sunt tamen Archiepiscopis, seu Metropolitanis minores.

1086 Pro maiori tamen confirmatione notandum est, quod ante Zepherinum, ANACLETVS Pontifex de alio Apostolorum Canone loquens, illum ad Sanctos Apostolos retulit, sic enim ait *Epist.1.* *Et Beati Apostoli (ita enim est in exemplari Vaticano vetustissimo) ac Prędecessor noster vir Apostolicus, & Spiritu Dei plenus, vnà cum reliquis Sanctis Collegis suis STATVIT dicens, &c.*

1087 Insuper Apostolorum Canonibus præclarè patrocinatur ORIGENES dum *lib.3.contra Celsum*, duorũ Apostolicorum Canonum Sententiam citat; loquens enim de Doctrina, quę tunc in Ecclesia secundum Canones Apostolorum erat, & modò etiam viget, hæc habet: *Quos tamquam à mortuis excitatos existimant, si idoneam vitæ mutationem ostendant, idque longiore tempo-

re quàm ij, qui primùm accedunt ad Fidem, aliquando postea admittunt, non tamen vt Ecclesijs præsint eos eligunt, qui postquam ad Fidem accesserunt, lapsi sunt.* Hactenus Origenes. Primum alludit ad Sententiam Apostolici Canonis 51. qui Episcopis, & Presbyteris præcipit, omnino recipere eos, qui à peccato revertuntur, & per pœnitentiam ad meliorem vitæ frugem resipiscunt. Secundum ad Sententiam Apostolici Canonis 80. quo præscribitur, ne Æthnicus, qui ex dæmonis castris ad Christianā militiam transfugit, aut Christianus, qui ex vitæ turpitudine resipiscit, honestamque vivendi rationem suscipit, statim Episcopus fiat, prius quàm vitæ suæ documentum præbuerit.

1088 Pro eisdem Apostolorum Canonibus stat etiam EVSEBIVS ALEXANDRINVS, qui ante mille quadringentos, & amplius annos singulari doctrina enituit, & de quo meminit Pontifex Antherus *in Epist. ad Episcopos Provinciarum Beticæ, & Toletanæ* directa; hic enim *homil.* 1. *de Ieiunio*, vna ex 16. quę extant, hæc scribit: *Canon Quadragesimæ omnibus impositus est ad ieiunandum.* Hunc autem Canonem esse 69. Apostolorum, quo id ipsum præscribitur, nullatenus dubitabit, qui celebriores Doctores prædicti ieiunij observantiam ex Apostolica Traditione confirmantes diligenter evoluerit, attentisque oculis perlustraverit; siquidem Clemens Romanus *lib.* 5. *de Martyrib. cap.* 14. Quadragesimalis observantiam ieiunij Apostolicam Traditionem appellat, eamdemque Traditionem citat S. Anastasius Antiochenus, in libro quem vocat *Odegón*. Et S. HIERONYMVS *in Epistola ad Marcellam advers. Montan.* asserit: *Quadragesimam nos secundum Traditionem Apostolorum ieiunare.*

1089 S. EPIPHANIVS *tom.* 1. *lib.* 3. contra Audianos disputans, Apostolicorum Canonum Authoritatē egregiè commendavit; siquidem de Apostolorum Constitutionibus loquens asserit: *In eis omnem Canonicum Ordinem contineri.* Quod dixit propter Ecclesiasticos Sanctorum Apostolorum Canones *in lib.* 8. comprehensos, quibus omnis Ecclesiastica Constitutio, Compositio, & Ordo continetur. Deinde subiungit nihil in eis esse depravatum, aut à Fidei, Confessione, Ecclesiasticavè Gubernatione, & Canone devium. Sed clarius idem Sanctus *lib.* 2. *tom.* 1. contra Montani hæresim disputans, Apostolorum Canonem 17. citavit, dum dixit: *Honorare Deum Monogamiam, sicut Sancti Apostoli ECCLESIASTICVM CANONEM Sacerdotij, ordinatè, & sanctè constituerunt; tametsi Charismata Sacerdotij, Virginitate, & Abstinentia, ac Monogamia, præcipuè Deus ornarit.

1090 ALEXANDER Pontifex, *in sua Epistola*, 1. *Decretum, & Sententiam Canonis Apostolorum* 31. expressè confirmat, dum dicit: *Sicut à Beatis Apostolis, & à reliquis Sanctis Patribus, & Successoribus eorum accepimus, statuentes decernimus, omnes qui Sanctos Patres persequuntur, aut amovere, vel dilacerare manifestè nituntur, infames esse, & alienos à liminibus Ecclesiæ vsque ad satisfactionem fieri.* Quod prius de eisdem loquens dixerat, iudicare eos dignos exilio finitimo, dicit nunc, decerni, alienos fieri à limitibus Ecclesiæ vsque ad satisfactionem; in quo satis innuit si Clerici propter hoc crimen deponantur, sicut Canon pręcipit, & depositi non satisfecerint, excommunicandos insuper esse.

1091 Pro cuius maiori munimine dignum notatu est, S. ANACLETVM *Epist.* 2. in eamdem Sententiam subscribere, eiusdemque Canonis 31. Authoritate roborare; sic enim scribit: *Hæc & alia considerantes Apostoli STATVERVNT, ne facile commoverentur, aut lacerarentur, vel accusarentur columnæ Sanctę Dei Ecclesię, quæ Apostoli, & Successores eorum non immeritò dicuntur; sed siquis adversus eos, vel Ecclesias eorum commotus fuerit, aut causas habuerit, priùs ad eos recurrat charitatis studio: vt familiari colloquio ea sanent, quę sananda sunt: & charitate emendent, quæ iustè emendanda cognoverint. (Subiungit Deinde:) Si autem aliqui eos, prius quàm hoc egerint, lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, & minimè absolvantur ante quàm per satisfactionem condignam egerint pœnitentiam.* Hęc S. Anacletus.

1092 Nunc iam videamus Sententiam istam in Apostolorum Canone 31. contineri: *Siquis Presbyter (inquit Canon) contempto suo Episcopo seorsum congreget, & alterum Altare erigat, cum nihil habuerit, de quo in causa pietatis, & iustitiæ Episcopum condemnet, deponatur tamquam

quam affectator Principatus; est enim tyrannus. Similiter, & reliqui Clerici, qui ei adhærent; laici verò excommunicentur. Hæc autem fiant post vnam, & secundam, ac tertiam Episcopi admonitionem.* Hactenus Canon.

1093 Idem Sanctus Pontifex ANACLETVS *Epist.* 1. alium Apostolorum Canonem citat dicens: *Qui autem pecuniam, vel res Ecclesię abstulerit, sacrilegium facit. Privilegia enim Ecclesiarum, aut Sacerdotum, Sancti Apostoli, iussu Salvatoris, intemerata, & inviolata ęternis decreverunt manere temporibus.* Vbi dum dicit, *decreverunt*; proculdubio Canonem aliquem significat; Ecclesiasticum enim Decretum, Canonē vocamus. Alludit autē proculdubio hic Anacletus, ad duorū Apostolicorum Canonum Sententias, videlicet 72. & 73. quorum primus: *Siquis (inquit) Clericus, aut Laicus ab Ecclesia auferat cerā, aut oleum, excommunicetur, & ad id, quod abstulit, quintam amplius partem addat.* Quod enim addit Canon: *quintam partem adijciat*, agnovit illa esse Deo sanctificata, sumptum est enim hoc ex *Levit. cap.* 5. vbi sic habetur: *Si peccaverit in his, quæ sunt sanctificata Domino, ipsum quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra, &c.* Alter verò Canon est huic proximus, scilicet 73. *Vas aureum, aut argenteum sanctificatum, aut velum nemo ad proprium vsum sibi vendicet: nefas enim est; & qui in eo palàm deprehensus fuerit, excommunicetur.* Cum igitur clarè dicat Anacletus Apostolos voluisse, hæc esse Ecclesiarum privilegia, vt res earum essent Domino sanctificatæ, atque hæc eadem sententia in Apostolorum Canonibus reperiatur, hinc manifestum fit, prędictos Apostolorum Canones à S. Anacleto satis expresse citatos fuisse.

1094 Sed expresśius adhuc idem ANACLETVS de Apostolorum Canonibus meminit *eadem Epist.* 1. loquens enim de Diaconis, Subdiaconis, alijsque Ministris, quos iuxta ipsius Anacleti pręscriptum, secum habere debet Episcopus dùm Pontificalia exercet, hæc subiungit: *Peracta autem Cōsecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere limitibus; sic enim Apostoli STATVERVNT; & Sancta Romana tenet Ecclesia.* In cuius expositione HINCMARVS Rhemensis Antistes existimat Anacletum hic de Ecclesiæ Ministris fuisse locutum; sic enim scribit: *S. Anacletus Papa, & Martyr, octavum Capitulum eorumdem Apostolorum statuisse testatur, vt Ministri Altaris facta oblatione communicent.* Hæc ille.

1095 Eamdem nostram sententiam secutus esse videtur ELEVTHERIVS Pontifex ita statuens: *De accusationibus ergo Clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad Sedem Apostolicam deferre, finitiva Episcoporum tantum Iudicia huc deferantur, vt huius Sanctæ Sedis Authoritate finiantur, sicut ab Apostolis, eorumque Successoribus, multorum consensu Episcoporum iam definitum est.* Id enim ipsum statutum fuit *Can.* 34. Apostolorum, ad quem Eleutherij Pontificis verba alludunt; & ad quem ipse Pontifex refertur. Idque ipsum testatur ANACLETVS Pontifex *Epist.* 3. in qua 34. Apostolorum Canonem ijsdem ferè verbis citat, interpretatur que dicens: *Inde namque & Beati Apostoli inter se STATVERVNT, vt Episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset, quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret.* Inde, inquit, STATVERVNT. Vnde? nempè ex eo quod sequitur: *Nam inter Beatos Apostolos quædam fuit discretio: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, qui & eamdem formam suis Successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt.* Hactenus Anacletus. Vnde iuxta ipsius interpretationem, ex sentētia Canonis 34. Apostolorum colligitur, definitionem causarum Episcoporum esse ad Romanum Pontificem referendam.

1096 Hanc Anacleti interpretationē secutus est Pontifex IVLIVS *Epist.* 1. *ad Oriental.* in ea siquidem ita de Romana Ecclesia sermonem instituit: *Ipsa namque omnibus maior, & prælata est Ecclesia, quæ non solummodo Canonum, & Sanctorum Patrum Decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce, singularem obtinuit Principatum: Tu es (inquit) Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam, &c.* Porrò dudum à Sanctis Apostolis, Successoribusque eorum in præfatis ANTIQVIS decretum fuerat STATVTIS, quæ hactenus Sancta, & vniversalis

Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter Sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, neque Episcopum damnari, quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam, Primatum omnium Ecclesiarum esse voluerunt. (Et paulò infra:) Quoniam & prius (à tempore scilicet Apostolorum) hæc huic Sanctæ Sedi concessa sunt, quæ sunt postea in Synodo Nicæna roborata. (Deinde post pauca:) Quoniam necesse est, hęc in posterum sollicitius prospici, & diligentius pręcaveri, quatenus ea, quę sunt ab Apostolis, eorumque Successoribus statuta, nulla desidia negligantur.*

1097 Tandem idem Pontifex IVLIVS citat Apostolorum Canonem, ex cuius Sententia iuxta Anacleti, ipsiusque Iulij interpretationem desumitur Privilegium, quod hucusque probavimus, de Superioritate in iudicando, & definiendo, qua Apostolica Sedes præ omnib' Ecclesijs insignitur. In cuius confirmationem hæc subiungit Iulius: *Quoniam & inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis. Et cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cęteris præemineret. De qua forma Episcoporum quædam orta est distinctio; & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent: sed essent in singulis Provincijs singuli, quorum inter Fratres haberetur prima sententia. (Hic est Canon Apostolorum 34. qui iubet, vt singularum gentium Episcopi suum primum sciant.) Et rursus quidam in maioribus Vrbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad B. Petri Sedem vniversalis Ecclesię cura confluerет.* Hactenus Iulius. Ex quibus manifestè convincitur, Apostolorum Successores, & Episcopos debere in maioribus causis ad Apostolicam Sedem, tamquam ad Caput recurrere, & à Summo Pontifice vltimam sententiam, iudicium, & definitionem expectare. Concludit tãdem Iulius enixè commendans observationem Apostolici Canonis præscribentis normam, & regulam, quam servare debent Episcopi ad supremam Divi Petri Cathedram, tamquam ad primum suum caput, recurrentes: *Qui ergo scit (inquit) se quibusdam præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum; sed Obedientiam quam exigit, etiam ipse rependat. Hæc instituta Apostolorum, & Apostolicorum virorum Canones habetis. His fruimini, his circumdamini, his armamini, vt his freti, circumdati, delectati, armati, contra inimicorum iacula persistere valeatis.*

1098 Hæc sunt Privilegia de causis maioribus ad Romanam Sedem referendis, quæ Pontifex ZEPHERINVS *in 1. sua Epistola*, dixit esse in Constitutis Apostolorum inserta. Exponens verò quænam sint hęc Apostolorum Constituta, subiungit: *Septuaginta enim sententias Apostoli pręscripserunt.* Inter has autem Sententias extat 34. Apostolorum Canon, in quo Privilegium istud, de quo Iulius, & Anacletus loquuntur, legitur statutum. Eandemque huius Canonis sententiam attenderunt cæteri Pontifices, qui de hoc Romanæ Ecclesię Privilegio loquentes, Apolorum Constituta, & Canones citarunt, vt Sixtus I. *Epist.* 2. Marcellus *Epist.* 1. Eleutherius *Epist.* 1. & Sixtus II. *Epist.* 1.

1099 Hic silentio prætereundum non est, Apostolorum Successores, & Pontifices id quod Apostoli suo Canonè 74. de Episcopo à Laicis accusato statuerunt, explicasse, ac declarasse prout ab ipsis Apostolis fuerunt instructi, explicantes, quinam sint fidedigni iudicandi, & ad accusationem admittendi. Vnde S. MARCELLVS *Epist.* 2. *Quod Laici (inquit) aut suspecti, Episcopos nõ debeant accusare, nec accusatoribus de inimici domo prodeuntibus credendum sit, & à B. Clemente, ipsis eum instruentibus Apostolis, legimus definitum.*

1100 Quod confirmat FABIANVS Pontifex *Epist.* 2. dicens: *Ipsi enim Apostoli, & Successores eorum STATVERVNT, eos ad accusationem non recipi, qui sunt suspecti, vel qui heri, & nudiustertius, vel dudum fuerunt inimici.*

1101 Fabiano consonat EVSEBIVS Papa *Epist.* 1. hæc scribens: *Scitote à tempore Apostolorum in hac Sancta Vrbe servatum esse, accusatores, & accusationes, quas exterarum consuetudinum Leges non asciscunt, à Clericorum accusatione summotas.* Et rursus *in eadem Epist.* *Neque sceleribus irretiti, vel sæculo militantes, Episcopos infamare, vel lacerare: Nam si hoc Apostoli, aut Successores eorum permitterent, perpauci remansissent, qui Domino in Sacerdotali Ordine militassent. Immò comprehensa esse hæc in illo Canone de accusatione Episcopi, cum ait: A fidedignis, comprehensa dico hæc,

quæ

quę Pontifices tradita esse de testibus à Sanctis Apostolis affirmant, perspici potest ex 2. *lib. Constitut. Apostolic. cap. 49.* in quo traditum est, quales esse debeant testes. Item quod simili brevitate per Sermonem ijdem Apostoli tradiderunt. 34. Canone, Successores eorū per accessiones corrigentes ea, quæ deesse videbantur, suppleverunt.*

1102 De Apostolorum insuper Canonibus egregium testimonium perhibet S. LEO MAGNVS *Epist. 92. cap. 2.* vbi citans Apostolorum Canonem 25. quo præscribitur, vt Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus in fornicatione, aut periurio deprehensus deponatur, sed non excommunicetur, hęc scribit: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, vt qui in Presbyterali honore, aut in Diaconij gradu fuerint consecrati, ij pro crimine aliquo suo, per manus impositionem, remedium accipiant pœnitendo, id est, vt excommunicentur.* Quod remedium pœnitendi significetur per manus impositionem, docet Synodus Africana, & etiam Rhemensis Archiepiscopus HINCMARVS, qui sic Leonem interpretatur: * Subiungit deinde Leo, quod sine dubio ex Apostolica Traditione descendit.* Traditionem Apostolicam, quæ in hoc Canone Apostolorum continetur, significat.

1103 Idem LEO *Epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum,* citat *Canonem* 34. de quo multa supra diximus; & *cap. 2.* subiungit: *Igitur, secundum Sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra, fraternitatis tuæ cura prętenditur, ius traditæ sibi antiquitus Dignitatis intemeratum habere decernimus. Ita vt à regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione dicedant.* Hucusque Leo.

1104 De hoc etiam Metropolitanorum iure, quos tamquam suos Primates agnoscere debent Comprovinciales Episcopi agit etiam Iulius Pontifex *in Rescript. ad Oriental. cap. 22.*

1105 Eumdem 34. Apostolorum Canonem citat ANICETVS Pontifex *in Epist. ad Episcopos Galliæ*; recitans enim prędicti Canonis verba eum verè esse Apostolorum profitetur, sic scribens: *Iuxta INSTITVTA APOSTOLORVM.* Eumdemque Canonem laudatis Apostolis tamquam illius Authoribus CALIXTVS Pontifex adduxit *Epist. 2.*

1106 At LVCIVS Pontifex eumdem Canonem innovans, & Apostolos illius Authores citans: *Constituimus (inquit) sicut à Sanctis Apostolis, eorumque Successoribus decretum reperimus, siquis Metropolitanus, nisi quod solummodo ad suam Parœciam pertinet, &c.*

1107 Apostolorum etiam Canones egregiè commendat NICOLAVS I. Pont. Max. siquidem *ad Cletum Constantinopolitanum* scribens iubet, vt Paternos Canones attendant, pręcipuè Apostolorum. Et *in Responsis ad Consulta Bulgarorū, cap. 9.* nonum Apostolorum Canonem citat, dum inquit: *Et de ijs, qui in Ecclesiam quidem intrant; neque tamen facta oblatione communicant, SACRI CANONES sufficienter enunciant.* Sic enim habet prędictus Apostolorum Canon, qui postea in Antiochena Synodo *Can. 2.* repetitus, & renovatus est: *Omnes Fideles, qui intrant in Ecclesiam, & audiunt Scripturas, sed non expectant, vt orent, & communicent, excommunicentur, vt Ecclesiæ Ordinem perturbantes.*

1108 Pro Apostolorum Canonibus egregiè facit LEONIS IV. Authoritas, qui animadvertens Britanniæ Episcopos, Conciliorum Canones, Pontificumque Decreta postponentes, in Ecclesiasticis causis tantum secundum Augustini, & Hieronymi expositionem, iudicium ferre, eos redarguit, ostendens in causis definiendis primò ad Canones Conciliorum, & ad Decreta, seu Decretales Pontificum recurrendum; secundò ad Sanctorum expositiones, in quibus si veritas non reperiatur, tunc adeundam esse Apostolicam Sedem, cuius Statuta qui non recipit, hæreticus esse convincitur, vt benè notat Glossa 20. *dist. cap. De libellis.* Iam nunc Leonis verba à Gratiano *dict. dist. & cap.* relata audiamus: *De Libellis, & Commentarijs aliorum non convenit aliquos iudicare, & Sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas, quæ habentur apud nos simul cum Canonibus, quibus in omnibus Ecclesiasticis iudicijs vtimur, idest, APOSTOLORVM, Nicęnorum, Ancyranorum, Neocęsariensium, &c.*

1109 Ad maiorem verò prędictorum confirmationem, audiendus est IOANNES VIII,

VIII. qui *in Epist. ad Imperatorem Basilium*, excusans Photij Patriarchæ Constantinopolitani in Episcopatum restitutionem, Apostolorum Canones citat, sic scribens: *Nos tamen hoc malum curamus, non quidem nostra Authoritate, tametsi potestatem habeamus faciendi hoc, sed Authoritate APOSTOLICARVM CONSTITVTIONVM, & de Sententia Patrum, qui sic agendum esse demonstrant.*

1110 Tandem pro Apostolorum Canonibus luculentissimum testimonium pręseferunt ea, quæ EVTYCHIANVS Pōtifex in extrema ferè parte *Epistolæ ad Beticæ Episcopos* scripsit: cum enim docere vellet, nullam posse esse causam solvendi Apostolorum Canonem, de non offerendo tempore Sacrificij quidquam aliud præter Domini Institutum: *Præcavendum est (inquit) ne Fides, & Disciplina Domini blasphemetur. Et si illa nonnunquam sinenda sunt, quæ si cæterorum constet integritas, sola nocere non valeant: illa tamen sunt magnopere præcavenda, quæ recipi sine manifesta decoloratione non possunt. Cum ergo talia erunt, quę Ecclesiastici Canones vitanda sanciunt, non licebit eos solvere. (Et infra:) Idcircò, fratres, ista prætulimus, vt hę species, quas non licet offerrè super Altare, iuxta Constitutionem Apostolorum, eorumque Successorum, ad domum Sacerdotum deferantur, & à Sacerdotibus benedicantur: & per simplicem benedictionem benedicta, demum à populis sumantur: Fabæ tantum, & vvæ, & cætera, quæ Apostoli constituerunt, super Altare offerantur.* Hactenus Eutychianus. Quibus pro primi argumenti satisfactione sufficientibus, iam ad vlteriora progrediamur.

1111 Secundum argumentum ad nostram conclusionem infirmandam, Apostolicorumque Canonum Authoritatem minuendā, desumunt Authores oppositi ex GELASII Pontificis Decreto, quo Liber Canonum Apostolorum inter Apocrypha connumeratur; vt refertur *in cap. Sancta 15. dist.* desumpto ex Concilio Romano, vbi Gelasius huiusmodi protulit Sententiam: *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus.*

1112 Cuius argumenti solutio, vt clarior appareat, prædictumque Gelasij Papæ Decretum genuina expositione dilucidetur, supponendum est cum Cardinali Turrecremata *in dict. cap.* tripliciter aliquid posse Apocryphum appellari. Primò quia eius Author ignotus est, sive dubius; quando scilicet ignoratur, quis talem composuerit librum. Talis est liber Iob, quem aliqui dicunt ab ipso Iob fuisse scriptū, alij à Moyse, alij ab aliquo Prophetarū. Vndè potest aliquis liber esse Apocryphus, licet sit in Canone confirmatus. Secundò dicuntur Apocrypha ea, quæ non sunt in Sacrorum Librorum Canone reputata, seu confirmata; nec inter libros Legis & Prophetarum, nec inter Agiographos computantur. Tales erant Libri Sapientiæ, Iudith, Tobiæ, & Machabæorum quando Ecclesia nondum eos in Sacrorum Canonem retulerat. Tertiò aliqua dicuntur esse Apocrypha, quia dubia sunt de veritate contentorum, sive eorum Author ignoretur, sive manifestè sciatur; vndè à Patribus Ecclesiæ non sunt approbata, sed potius reprobata. Huiusmodi sunt opuscula, quæ in præsentis textus littera recensentur: quæ, cum tot sint, brevitatis ergo duximus omittenda; ne in his, quæ ad rem non faciunt, tempus inutiliter impendamus.

1113 His ergo suppositis, respondemus: Gelasium Papam, estò in suo Decreto Librum Canonum Apostolorum inter Apocrypha recensuerit, non ideo voluisse eorum Authoritatem infringere, aut aliquo pacto minuere, sed ideo prædictorum Canonum Librum Apocryphum dixisse, quia, quis illum composuerit, exploratum non habebatur, præcipuè cum Apostolorum titulum pręseferret, & ab aliquo Apostolorum scriptum esse non cōstaret. Innititur hæc solutio Authoritati BARONII, qui ad *annum* 102. *num.* 11. de prædictis Canonibus sic loquitur: *Quod ergo inter Canonicos Libros non sint annumerati, ex ea parte quod authoritate careat ab Apostolis esse omnino sancitos, Apocryphi dici meruerunt. Qua etiam ratione S. ATHANASIVS (*in 9. Epist. & sup. Synod.*) eiusdem Clemētis scripta inter Apocrypha illa annumerat, quæ ab antiquo Scriptorum Canone essent aliena, postea verò recepta, vt Esther, Iudith, Tobiæ, & aliorum. Sic igitur ea ratione, quod cum Apostolorum nomine censerentur, non essent in Canone Librorum Novi Testamenti, meritò sunt Apocryphorum censura signati (Et infra *num.* 12.) At licet ea ex parte, qua diximus, ijdem Canones censeantur Apocryphi, quod sit incertum ab ipsis

ipsis Apostolis esse conscriptos. (Et *num.* 10.) Cum alioqui complures Codices absque Clementis titulo illos habeant, inde forrasse accidit, vt absque Clementis nomine, Gelasij censura, Liber Canonum Apostolorum annumeretur inter Apocrypha.*

1114 Secundò responderi potest: prædictum Gelasij Pontificis Decretum intelligendum esse non de prioribus 50. Canonibus, cum istos Authenticos esse, ex Patribus, & Concilijs supra ostenderimus; sed de posterioribus, qui, vt vidimus, ab aliquibus admittebantur. Huic solutioni consonare videtur Cardinalis BELLARMINVS *de Scriptorib. Ecclesiast.* vbi cùm retulisset tàm ea, quæ Apostolorum Canonibus patrocinantur, quàm ea quæ illis opponuntur, Decretum nempè Gelasij Pontificis in Concilio Romano, hæc subdit: *Sed hæc conciliari possunt, si dicamus, Canones legitimos esse solum 50. priores; reliquos, non esse legitimos.*

1115 In eamdem solutionem conspirat BINIVS *in Notis ad Canones Apost.* vbi hæc habet: *Horum 50. priores tantum, velut authentici recipiuntur *cap. 3. dist. 16.* Reliqui posteriores à Gelasio Pontifice *cap. Sancta, dist. 16.* inter Apocrypha recensentur; tum quod eorum Author ignoretur; tum etiam quod ex illis quosdam à Græcis dolosè suppositos, & superadditos, quosdam ab hæreticis corruptos, ex Canone 65. & vltimo evidenter constat.*

1116 Tertiò respondemus; quod si de prædictis Canonibus in secundo sensu loquamur, quo nempè iuxta Cardinalem Turrecremata, Apocryphum dicitur quidquid vt Apostolorum Scriptura habetur, in Sacrarum tamen Canonem Scripturarum relatum non est; prædictos Canones Apocryphos esse libenter concedimus; & in hoc sensu intelligi potest Gelasij Papæ Decretum, quo prædictus Liber Canonum sub nomine Apostolorum, Apocryphus dicitur: negamus tamen Apocryphos esse Canones in prædicto Libro contentos, quos authenticos esse constet. Ita docere videtur BARBOSA *in Decret. 16. dist. cap. Canones 1.* vbi relatis Martino de Ayala, Viguerio, Episcopo Covarruvias, ac Vivaldo, hæc subdit: *Ex quorum mente resolvendum est, quod vel quærimus: an huiusmodi Canones inter Sacros Divinæ Scripturæ, qui Canonici strictè solent appellari, sint connumerandi; vel: an Authentici sint, & vim habeant humanæ Legis Pontificiæ? In hoc posteriori sensu iuthenticos esse, & ab Ecclesia receptos dicendum est ex dicto *cap. Placuit, & cap. Quoniam,* perproximè citatos: in priori autem sensu, Canonicos esse negandum est; vt patet ex Decreto Concilij Tridentini *Sess. 4. in Decreto de Canonicis Scripturis*, vbi omnes enumerans de his Canonibus nullam facit mentionem: quare meritò sic distinguunt Melchior Canus *de Locis Theolog. lib. 5. cap. 5.* Cardinalis Baronius *Annal. Tom. 1. anno Christi 102.* Et confirmatur ex his, quę circa intellectum textus *in cap. in Canonicis, 19. dist.* tradunt Cano, dicto loco, *quæst. 3.* Castro *advers. Hæres. lib. 2. cap. 2.* Bellarminus *tom. 1. de Concilijs, lib. 2. cap. 12.* Nec etiam obstat Gelasij Papæ Authoritas *in cap. Sancta, vers. Quibus,* ibi: Liber Canonum Apostolorum Apocryphus, 15. *dist.* quia id propter aliquos vel corruptos, vel additos ab hęreticis, fecisse videtur.*

1117 Quartò respondemus: non deesse gravissimum fundamentum ad absolutè negandum, prædictos Canones esse Apocryphorum notam subituros; cum non desint Authores, qui dicant, illud verbum *Apocryphum* in Gelasij Decreto minimè reperiri, vt rectè notavit D. EMMANVEL SCHELSTRATE *vbi supra, num. 148.* sic scribens: *Vndè quod Gelasius Papa in Romana septuaginta Episcoporum Synodo anno Christi 494. posuit; Liber Canonum Apostolorum Apocryphus: commodo sensu venit intelligendum: præterquam enim quod hæc verba non habeantur in Codice Iustelli, vt notat *in margin.* Philippus Labbæus, &c.

1118 Nihilominus tamen, (quia iuxta communem Doctorum consensum illud verbum *Apocryphum* in prędicto Gelasij textu continetur) Quintò respondemus decantato illo apud Metaphysicos præcipuè Aristotelem, & D. Thomam, Axiomate: *Bonum ex integra causa: malum autem ex quocumque defectu.* Iuxta quod, vt prędictus Canonum liber Apocryphus à Gelasio censeatur, necessè non est, omnes ipsius Canones Apocryphos esse, sed sufficere, quòd aliqui tales sint, huiusmodi vè nævis fædentur, ne inter Authenticos liber continens omnes recenseatur. Huic solutioni egregium fundamentum suppeditat D. PETRVS MARCA, Parisiensis Antistes; siquidem *lib. 3. Concord. cap. 2. §. 7.* hæc

hæc habet: *Variæ sunt classes Apocryphorum in notitia Gelasij, vt observarunt viri eruditi, cum non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc sensum, sed etiam opuscula tractatorum, in quibus sunt nævi quidam.* Nec alio hic exemplo indigemus, quam Eusebij Pamphili Historia, quam Apocryphis accenset Gelasius, cum tamen pauloantè illam recipiendam statuisset, quod nimirum velit, hosce Historiarum libros nævis quibusdam permixtos. *Licet (inquit Gelasius) propter rerum notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent; vsquequaque non dicimus renuendos.* Idem dici debet de Canonibus Apostolorũ (inquit D. Emmanuel Schelstrate supra laudatus) singulari quadam primitivæ Ecclesiæ Doctrina refertis; licet, & aliunde ob certos nęvos inter Apocrypha à Gelasio recensitis.

1119 Nec mirum videri debet, quod quamvis in prædictis Canonibus pro maiori parte Apostolica Doctrina agnoscatur, eaque digna, vt ab Ecclesia recipiatur; nihilominus tamen in aliquibus illorum aliquid sit, temporum iniuria, & hæreticorum malitia adulteratum, vitiosum, & nota dignum, vt rectè animadvertit Cardinalis BARONIVS *vbi suprà, num.* 15. dicens: *Magnam verò suspicionem imposturæ faciunt tum Canon ille 65. qui apud Theodorum, & 66. tum qui de Libris Canonicis omnium postremus habetur. Priori enim cum excommunicatione plectendus statuatur Laicus, & depositione Clericus, qui Sabbato ieiunaverint, quo modo, quæso, tot, tamque dissertos Antiquos Patres, qui de Ieiunio Sabbati instituerunt disputationem, Canon ille præterijt, vt à nemine citatus reperiatur? vel quonam pacto, obsecro, Romana Ecclesia contra omnium Apostolorum Canonem, Sabbati ieiunium suscepisset, vel eorum Episcopus Clemens id fieri permisisset, qui, quod statuissent Apostoli, & ipse scripsisset, perquamoptimè sciret?*

1120 Et infrà, loquens de vltimo Canone 84. sic prosequitur: *Rursus verò quod ad novissimum illum Canonem spectat, quo Libri Canonici recensentur (in istò autem Canone non admittitur Liber Apocalypsis) ecquis vmquam antiquorum Latinorum, atque Græcorum annumerare inter Canonicos Libros præsumpsisset Apocalypsim, quam scijsset in Apostolorum Canone prætermissam, qui vel saltem causam aliquam huiusmodi silentij non adiunxisset? Certè quidem S. Hieronymo Authore superius demonstratum est, à Latinis omnibus, & antiquioribus Græcis ęquè fuisse receptum, &c.* Hucusque Baronius.

1121 Tertium argumentum, vt huius solutionis, simulque nostræ conclusionis stabilitatem evertant, desumunt oppositi Authores, ex S. Isidori Authoritate, cuius hæc sunt verba, à Gratiano in Decreto relata *cap.* 1. *Dist.* 16. & in omnibus veteribus libris Conciliorum Hispaniæ inventa, teste ANTONIO AVGVSTINO, Tarraconensi Archiepiscopo *lib.* 1. *de Emendat. Gratian. Dialog.* 6. *Canones, qui dicuntur Apostolorum, sed quia eosdem nec Sedes Apostolica recipit, nec Sancti Patres illis assensum prebuere, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis vtilia inveniantur, tamen Authoritate Canonica, ac Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha deputata.*

1122 Cui argumento respondemus, tenuissima illud, ac valde debili Authoritate inniti; vt enim communiter docent Authores in Ecclesiastica Historia valdè periti, prædictus textus relatus *in Decreto, Dist.* 16. non est S. Isidori, Hispalensis Archiepiscopi, sed alteriùs Isidori cognomẽto *Mercatoris*, sive *Peccatoris*. Sanctus namque Isidorus nullam Canonum Collectionem confecit: primam enim veterum Canonum Collectionem, quam hucusque noverimus, fecit Dionisius patria Scytha, cognomento Exiguus, Vir Divinarũ Scripturarum valdè peritus, in sæcularibus admodum eruditus, de quo CASSIODORVS *de Divin. Scriptur. cap.* 22. hæc tradit: *Fuit nostris temporibus Dionysius, Monacus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus, in vtraque lingua valdè doctissimus, qui petitus à Stephano Episcopo Salonitano, ex Græcis Exemplaribus Canones Ecclesiasticos composuit, quos hodie vsu celeberrimos Ecclesia Romana complectitur*, vt tradit Trithemius *de Viris Illustr. lib.* 2. *cap.* 4. Otho Frisingensis *lib.* 5. *Chron. cap.* 4. Cardinalis Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast. anno* 500.

1123 Floruit autem Dionysius istè temporibus Theodorici, circa annum 530. prædictamque Canonum Collectionem fecit, illos è Græco in Latinum transferens in-

incipiensque à Pontifice Siricio, vsque ad Hormisdam; constatque præfata Collectio 250. articulis, quibus superaddita sunt Gregorij II. *Decreta*, 17. capitulis comprehensa, vt rectè annotavit Dominus Marcà, Parisiensis Antistes, *lib. 3. Concord. cap. 3.* Hãc Collectionem credimus esse eam, quæ *Codex Canonum* appellatur à Nicolao Pontifice *cap. Si Romanorum*, 19. *dist.* & ex quo citatur Textus *in cap. 2. de Præbendis*, & approbatur in Concilio Bracharensi I. *Can.* 18. Toletano IV. *Can.* 3. *cap. De Libellis*, 20. *dist.* & à Iustiniano *in Novella* 131. Hunc Canonum Codicem Adrianus I. Carolo Magno Imperatori dono dedit circa *annum* 787. vt probat P. Sirmundus *tom. 2. Concilior. Gall. ad annum* 787. Hinc Carolus Imperator Episcopos Galliæ admonuit, vt Canonum executioni invigilarent, ipsaque Decretorum Capita in Capitulari Aquisgranensi dato *anno* 789. retulit. De hac collectione plura adduxerunt Iustellus *in Præfat. ad ipsum Codicem Ecclesiæ Vniversalis*, Cironius *ad Titul. de Constitution.* Istiusque Codicis Indicem refert D. Antonius Augustinus *in Epitome Iuris Pontif. 2. par. in princip. cap.* 21.

1124 Ferè sub idem tempus alia Canonum Collectio evulgata est, cuius labor adscribitur FVLGENTIO FERRANDO, Diacono Carthaginensi, de quo fit mentio *in cap. Sacrorum, 63. dist.* & meminit etiam Cuiacius *in cap. 1. de Cohabit. Cleric.* at hęc Collectio diverso ordine, quam prima confecta est, dum in ea prędictus Fulgentius citando, non recitando sub vnoquoque capite omnes diversorum Conciliorum Canones collegit; quod quidem opus Cresconius *in sua Collectione*, *Breviarium* appellat. De ea videndi sunt Baronius *anno* 527. *num.* 87. & Cardinalis Perronius *contra Regem Magnæ Britanniæ, lib. 1. cap.* 48.

1125 Hanc subsecutà est alia edita à MARTINO, Monacho Benedictino Braccharensi Episcopo, cuius vitam, & gesta refert Iepes *tom. 1. Chronic.* D. Benedicti *anno* 564. *fol.* 251. Hic igitur Synodorum Græcarum fecit Collectionem, eamque maiori Hispaniarum Ecclesiarum vtilitati in Latinum transtulit, aliosque Canones ex Latinis Concilijs, præcipuè Toletanis compilavit; quæ quidem Collectio in Tomis Conciliorum post II. Braccharensem Synodum reperitur, approbationemque à Lucensi Concilio anno 571. celebrato promeruit. De hac eruditè agit Illustrissimus Archiepiscopus D. Antonius Agustin *dist. 2. Par. cap. 15. in Gratianum, dial.* 10. 11. & 12. Notatu tamen est dignum, plerumque citari apud Gratianum sub nomine Martini Papæ Canones omnes, qui in dicta Collectione Martini Braccharensis Episcopi transcripti sunt, vt Textus *in cap. Episcoporum 64. cap. Non debet 65. dist. cap. 19. quæst. 3. cap. Episcopo 4. 8. quæst. 1. cap. Si quis Presbyter. cap. Non licet 92. dist. cap. Si quis Episcopus 6. quæst.* 4. & alij congesti ab Episcopo D. Antonio Augustino in præcitatis Dialogis, qui supradictæ Martini Braccharensis Antistitis Collectioni attribuendi sunt, vt rectè annotarunt Germonius *lib. 2. Animadversion. cap.* 1. Iustellus *ad Canones Ecclesiæ vniversæ, fol.* 187. & Episcogus Covarruvias *in cap. 1. de Testamentis, num.* 1.

126 Quarta Collectio fuit ISIDORI An verò istius Author sit S. Isidorus Hispalensis Episcopus, vel Isidorus cognomento Mercator? Lis est inter Authores. Et quidem prædictæ Collectionis Authorem fuisse S. Isidorum Hispalensem Episcopum, docent Iuo Carnotensis *lib. 1. Decret. Tit. 11. cap.* 22. Gratianus *in cap. 1. dist.* 15. Innocentius *in Histor. de Ivone Carnoten.* Ioannes Gerson, & Genebrardus *ad annum* 618. ipseque S. Isidorus id ipsum innuere videtur *lib. 6. Etymolog. cap.* 16. Asserit etiam expressè HINCMARVS, Rhemensis Episcopus *Epist. 7. cap.* 12. sic scribens: *Isidorus Hispalensis Episcopus collegit, cum Epistolis Romanæ Sedis Pontificum, à Sancto Clemente vsque ad B. Gregorium.*

1127 At prædictam Canonum collectionem, cuius Gratianus meminit *vbi sup.* non posse D. Isidoro Hispalensi Episcopo adscribi, ipsa temporum ratio convincit; in illa enim Collectione fit mentio Concilij Toletani II. anno 681. celebrati: D. autem ISIDORVS: *Migravit è vita, pridie nonas Aprilis anno Domini 635. Sisenando in Hispania regnante.* Vt constat ex BREVIARIO ROMANO: vndè manifestè deducitur, nõ potuisse D. Isidorum esse prædictæ compilationis Authorem. Quomodo enim meminisset Isidorus *Concilij*, 40. & amplius annis post suum obitum celebrati? In prędicta etiam Collectione memorãtur Pontifices Gregorius II. & III. & Zacharias

rias, eorumque Epistolę in illa referuntur; cum tamen prædicti Pontifices multis post D. Isidori obitum annis, anno nempè 700. & sequentibus floruerint, quod manifestè demonstrat, Authorem prædictæ Collectionis non potuisse esse D. Isidorum, qui multis retrò annis obierat.

1128 Pro maiori huius veritatis munimine, animadversione dignum est, S. Braulium, Ildephonsum, & Sigibertum Gemblacensem omnia S. Isidori Hispalensis opera sollicite recensere, ac diligenter enumerare; nullam tamen de prædicta Canonum Collectione apud Gratianum relata facere mentionem. Cumque omnia S. Ildephonsi opera, & antiquissima exemplaria per Griallium, & Loaysam haud contemnenda diligentia, correcta habeamus, nusquam tamen in eis istam Canonum Collectionem legimus; neque de illa meminit VIVAR *in Notis ad Chronic. Marci Maximi*, 617. vbi S. Isidori vitam, illiusque opera describit. Cardinalis Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast.* pari eruditione ac diligentia S. Isidori Hispalensis opera recenset; cumque multa sint, quorum Cathalogum texuit S. Ildephonsus *in Lib. de Viris Illustr.* & in Parisiensi editione *anno* 1601. plurimi addantur libri à S. Isidoro compositi; nihilominus tamen nullam de prædicta Canonum Collectione, neque in prima, neq; in secunda editione mentionem facit, vt videre est apud Bellarminũ loco supra laudato. PHILIPPVS LABBÆVS singularis eruditionis Scriptor, qui magna sollicitudine, infatigabilique cura, sua cuique Authori scripta attribuit *in differt. Historic. de Scriptor. Ecclesiast.* Loquens de S. Isidoro, istiusque operibus, de Collectione Canonum, quæ solet S. Isidoro adscribi, hęc habet: *Præfationem de origine Conciliorum, in qua fit mentio Concilij Toletani XI. quod habitum fuit anno 675. & VI. Generalis Synodi anno 681. sub Agathone Papa celebratę, & Collectionem seu compilationem, tàm Decretalium Epistolarum, tàm veterum Pontificum, quàm Conciliorum, à temporibus Apostolorum ad Concilium Hispalense II. iam ab octingentis, & quod excurrit, annis, nonulli Isidoro nostro Hispalensi Archiepiscopo, qui anno 636. obijt, tribuerunt, sed immeritò.* Quod latè probat ibi *fol.* 649. Immò nec ipse Natalis Alexander referens S. Isidori opera hanc illi Collectionem adscribit.

1129 Cum ergo certissimum sit, prædictæ Collectionis Authorem non esse S. Isidorum, iam tota prædicti argumenti machina corruit, quæ in Authoritate D. Isidoro Hispalensi falsò adscripta vnicè innitebatur. At pro pleniori prędicti argumenti solutione videamus modo, quisnam fuerit prædictæ Collectionis Author? Eum fuisse Isidorum Mercatorem seu Peccatorem (vtroque enim nomine illum appellant Possevinus *in Apparat. Sacr. fol.* 244. *litt. B.* & Archiepiscopus Acuña *in Proœmio Decret. fol.* 40.) censuerunt plurimi, vt Baronius *anno* 865. *num.* 5. *&* *anno* 102. *num.* 11. Boetius Eppon *tom.* 3. *lib.* 4. *de Iure Sacro, cap.* 2. Mariana *lib.* 6. *de Reb. Hispan. cap.* 5. Tamayus de Vargas *in Notis ad Luitprand. fol.* 83. Ambrosius Morales *lib.* 12. *Chronic. Hispan. cap.* 21. Padilla *in Histor. Hispan. Centur.* 7. *cap.* 22. Quod pręclarè confirmat Iuliani authoritas *in Chronic.* vbi refert Isidorum Mercatorem, Episcopum Setubensem ope Monachi cuiusdam, huic compilationi operam dedisse. Cui consonat LVITPRANDVS *in Chron. anno Christi* 719. dicens: **Isidorus Setabitanus, qui interfuit Concilio XVI. Toletano, composuit ordinem Concilij, & Collectionem Conciliorum, quæ dicitur Isidori Peccatoris, vel Mercatoris, quo cognomento vocatus est super Isidori nomen.**

1130 Hic diligenter animadvertendum est, quod quamvis predictus Isidorus, pro sua eximia humilitate, se *Peccatorum* cognominari voluerit; fuit tamen singularis æstimationis, & opinionis apud antiquos. Vnde Codex manuscriptus huius Collectionis, eximiæ vetustatis, in Bibliotheca Regia S. Laurentij apud Scuriale asservatur. Et certè manum, ac stylum reprimere potuissent, ac intra maturi iuditij ripas coercere tam P. MATTHÆVS RADERVS *in Præfat. Analect. ad Martial. Script.* hunc Isidorum insulsissimũ Fabrum Decretalium Epistolarum Romanorum Pontificum confingens, quàm P. PHILIPPVS LABBÆVS, loco supra laudato, hæc scribens: *Quisquis enim ille fuit Isidorus modò *Peccator*, modò *Mercator* appellatus, cuius nobis iuxta ac eruditissimis viris origo hactenus ignota, circa annum 780. emersit è tenebris, pluresque Epistolas aut à se, aut ab alio quopiam confictas, eodem colore imbuit, atque ex varijs Antiquorum Patrum, Scripto-

torumque Hieronymiana Sacræ Scripturæ versione posteriorum, centonibus, crasso,ac soloce filo consutis,consarcinavit,ad incautiorum, quibus nihil non arridet, certissimam fraudem.* Potuissent certè Religiosissimi isti Patres modestiam edisсere, seseque ab huiusmodi convitijs abstinere, nec tam severis verbis invehi in Authorem istum gravissimum, & antiquitate maximè commendatum; cuius humilitas, & Doctrina non quidem convitia, sed egregia laudum præconia sibi meritò conciliarunt; quòd vtique fecissent, si Cardinalem Baronium *in Notis ad Martyrolog. die* 4. *Aprilis* legissent; ex istius quippe verbis proculdubiò edidicissent,& præclaram existimationem, quam de tanto Authore concepturi, & pietatem, ac modestiam, qua de illo fuerant locuturi; sic enim scribit Baronius: * In antiquis manuscriptis Codicibus, hunc Isidorum Collectorem Conciliorum,*Mercatorem* cognomento dictum invenimus, vt in his quæ in nostra Bibliotheca habentur. At in nuper impressis,nõ *Mercator*, sed *Peccator* reperitur scriptus, secũdùm morẽ nõnullorum antiquorum Patrum, qui humilitatis ergo,sic se inscribere,& subscribere consueverunt. Irrepsit puto error vt *Mercator* pro *Peccator* sit scriptus. Cùm autem eiusdem Collectionis Author, recensendo in sua Præfatione Synodos Vniversales,Sextam vltimo loco ponat, manifestum est post dictam Sextam Synodum vixisse, nec ad Septimæ tempora pervenisse; quam ob causam cum Collectores Sacrorum Canonum recensemus, quintum hunc ordine numeramus, primoque loco ponimus Dionysium Exiguum, indè Ferrandum Diaconum, tertiò Martinum Bracharensem Episcopum, quartò Cresconium, ac demùm post hos omnes, Isidorum. * Hucusque Baronius.

1131 Nec dubium quin prædictus Isidorus singulari eruditione floruit, nec tam contemnendę Authoritatis, vt putant prędicti Authores, fuerit,cum suamCollectionem 80. Episcopis exposcentibus inchoaverit eisdemque instantibus fœlicitèr compleverit,vt ipse in sua Præfatione hisce verbis attestatur: * Compellor a multis tàm Episcopis,quàm reliquis servis Christi,Canonum Sententias colligere,& in vnum volumen redigere, & de multis vnum facere.* Et infrà Episcoporum multitudinem, qui opus istud ab illo desiderarant, expressurus: * Octuaginta (inquit)Episcopos, qui hoc opus me incipere,& perficere coëgistis &c.*

1132 Nec fuit contemptibile hoc opus, nec illius Author tam opprobio dignus, vt Graves Scriptores non intellexerint illius Authorem fuisse S. Isidorum, Hispalẽsem Episcopum,qui Sãctitate conspicuus obijt,anno 635. Ita censet REDEMPTVS DIACONVS,in eius Vita. Cui consonant CORRECTORES DECRETI,qui àGregorio XIII. designati, illi operi insudarunt, vt patet ex animadversione Decreto præfixa, in qua sic loquuntur: * Isidorum hunc Hincmarus Arciẽpiscopus Rhemensis in libro de Synodis celeberrimum illum Hispalensem fuisse affirmat, à quo testatur Trithemius librum Decretorum esse conscriptum: ac certè multa verba, quæ in Prefatione huius Collectionis leguntur, sunt in *lib.* 5. *Ethymologiarum S. Isidori.** Opus ergo quod à tam eruditis Viris D. Isidori existimatur, indignum planè est eo contemptu, quo de ipso, illiusque Authore, prefati Patres loquuntur. Quid enim Hæreticis relinquemus, si in Authorem Catholicum,cuius sedulam curam, immensumque laborem summus tam illustrium Virorum sequutus est plausus, cuiusque opus à tot præclaris Authoribus dignum habitum est, quod eximiæ S. Isidori eruditioni adscriberetur, tam iniuriosa convitia à Catholicis ipsis effundantur? præcipuè cum prædictam Canonum Collectionem D. Isidoro adscribendam non esse, adhuc Ecclesia non definierit.

1133 Nos quidem pro certo habemus, prędictam Canonum Collectionem non esse legitimum S. Isidori fœtum, vt pręter dicta eruditissimè annotavit Illustrissimus Dominus MARCA, Parisiensis Antistes *lib.* 3.*Concord.cap.*5.§.1. cuius hæc sunt verba: * Certum quidem est, & omninò indubitatum ex Sententia Illustrissimi Cardinalis Baronij, fordes verborum, quę aliquoties in illa Collectione occurrunt, in Isidorum Hispalensem laudatissimum, & eruditissimum Virum non esse reijciendas. (Et paulò infrà:) Indè autem colligitur Isidoro Hispalensi non esse tribuendam istam Collectionem.*

1134 Certissimum etiam existimamus, nullum alium Isidorum Hispalensem Episcopum fuisse prędictæ Collectionis Autho-

thorem: ab anno siquidem 635. quo D. Isidorus commune naturæ debitum solvit, ad annum vsque 700. & vltrà, non fuit in Hispalensi Ecclesia alius Isidorus, qui Episcopalem illam Sedem teneret, vt ex illius Ecclesię monumētis liquet: nam S. Isidoro successit Theodiscus; Theodisco, Honoratus; Honorato, Antonius; Antonio, Fugitivus; Fugitivo, Iulianus; Iuliano, Florecindus; Florecindo, Felix; Felici, Faustinus; Faustino, Oppas; huic, Ioannes; isti Verus, qui Episcopatum administravit circa annum Christi 760. Ex quibus manifestè convincitur, prædictæ Collectionis Authorem non potuisse esse alium Isidorum, Hispalensem Episcopum, à S. Isidoro distinctum.

1135 Nihilominùs censemus, prædictum Isidorum præclarum Sanctitate, ac Doctrina simul fuisse Virum, vt rectè notavit Natalis Alexander *Sec. 1. Par. 2. Dissert. 20.* qui quamvis in 1. conclusione statuat, S. Isidorum Hispalensem non esse præfatarum Epistolarum Authorem, nec earum Collectorem; in 4. tamen asseverat: * Incertum esse, quisnam fuerit Isidorus ille Mercator, qui præfatas Epistolas fabricatus est. Quidam (inquit) Viri eruditi illarum Authorem fuisse Isidorum quemdam MAGNI NOMINIS MONACHVM existimant, qui se *Peccatorem* dicere soleret, & nomini suo hoc semper elogium adderet; quem Episcopi ad has Epistolas cudendas impulerunt: ex *Peccatore* porrò, *Mercatorem* scribas oscitantes fecisse. Ita conijcit Morinus. Alij hoc *Peccatoris* elogium servantes Isidoro, ipsum fuisse Episcopum suspicantur, quod solemnis esset mos Sanctorum Episcoporum, vt se peccatores subscriberent, vt constat ex Concilijs Turonensi I. Parisiensi III. Turonensi II. & Matisconensi I. Ita conijcit D. Marca, Parisiensis Archiepiscopus.* Hęc Alexander. Vndè manifestè colligitur, prædictum Isidorum nec sua indole, nec suis scriptis promeruisse suum nomen tam probrosis verbis à prædictis Authoribus proscindi; prædicta namque Collectio, cuius Author creditur, à celebrioribus Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, cæterarumque Nationum Viris magno semper in honore habita est, & in tota Occidentali, immò & Orientali Ecclesia singulari plausu suscepta, vt testatur D. EMMANVEL SCHELSTRATE *Dissert. 2. Par. 2. Antiquit. Illvst. cap. 11. num. 222.* hæc scribens: * Restat etiam de huius Collectionis Authoritate disserere, & ostendere, qualiter recepta fuerit per vniversam Occidentis Ecclesiam. De Hispania enim dubitare non licet, cum ad instantiam octuaginta Episcoporum eam Collectionem ope cuiusdam Monachi, qui ex sua forsan Bibliotheca Decretales primorum Pontificum Epistolas subministravit, aggressus est, & cum eosdem octoginta Hispaniæ Episcopos, & alios Sacerdotes in Prçfatione sua alloquatur, inditium est, ab eisdem fuisse receptam Canonū Collectionem, quod egregiè confirmatur ex eo quod Riculphus, Archiepiscopus Moguntinus, hanc Collectionem ex Hispanijs in Gallias, & Germaniam attulerit, vbi teste Hincmaro, Metropolita Remensi, statim vbique recepta Bibliothecas adimplevit. Idem confirmari potest de Italia ex Angilramno Metensi Episcopo, qui pleraque capitula ex hac Collectione desumpta ab Adriano I. recepit, post quem Nicolaus Papa I. vt non solùm Collectionem in Gallorum animis stabiliverit, sed & ad Orientem eius Notionem in Epistolis ad Photium Patriarcham Constantinopolitanum publicare studuerit.* Hæc ille.

1136 Dices: Estò prędicti Capitis Author non sit S. Isidorus Hispalensis Antistes, magni tamen roboris semper videri argumentum ex dicto *cap. 1. Dist. 16.* desumptum, in quo Apostolorum Canones inter Apocrypha reijciuntur tamquam à Patrum, & Ecclesiæ mente alieni, ab Hæreticisque supposito Apostolorum nomine conficti.

1137 Respondemus tamen, levis armaturę esse argumentum prędictæ Authoritati innixum; supposito enim, vt probavimus, illius Capitis Authorem non esse S. Isidorum, tota illius Authoritas ad particularis cuiusdam Anonymi Scriptoris testimonium devolvitur, cum adhuc, quisnam fuerit prædictus Isidorus, gravissimis Authoribus incompertum sit. Et quamvis de illius Authore manifestè constaret, ex prędicta tamen Authoritate Capitis *Sancta.* solum aperta eiusdem Authoris colligitur contradictio; siquidem GRATIANVS in eadem *Dist.* duo illa *cap. 1.* nempe & 4. sub eodem Isidori titulo, nulla apposita differentia, descripsit. Ex his autem duobus capitibus, dùm

de

de Apostolorum Canonibus agitur, alterum alteri opponi apertissimè innotescit: in 1. enim de prædictis Apostolorum Canonibus hæc scribuntur: *Eosdē nec Sedes Apostolica recipit, nec Sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab Hæreticis, sub nomine Apostolorum, compositi dignoscuntur.* In 4. verò oppositum asseritur, prædictos nempè Canones esse à Sanctis Patribus in Sacris Synodis receptos: nullatenus autem Sancti Patres prædictos Canones Synodali Authoritate roborassent, si eos ab Hæreticis, sub nomine Apostolorum compositos, agnovissent. Vt autem prædicta contradictio clariùs appareat, præfati Capitis verba audiamus: *Placuit huic Sanctę Synodo, vt amodò confirmata, & rata sint Canonum Apostolorum octuagintaquinque Capitula, *Epistola Isidori in Cap. Canonum*: Isidorus servus Christi Lectori suo conservo. Propter eorum authoritatem cæteris Concilijs præponimus Canones, qui dicuntur Apostolorum, licet à quibusdam Apocryphi dicantur; quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum Sententias Synodali authoritate roboraverunt, & inter Canonicas posuerunt Constitutiones.*

1138 Si duo ista Capita inter se conferantur, manifesta est eorum contradictio; in 1. enim asseritur, nec Sanctos Patres, nec Apostolicam Sedem prædictis Apostolorum Canonibus præbuisse assensum; in 2. verò dicitur, prędictos Canones fuisse à Sanctis Patribus Synodali Authoritate roboratos: in 1. innuitur, illos Canones fuisse ab Hæreticis, sub Apostolorum nomine compositos; in 2. affirmatur, eosdem Canones esse à Sanctis Patribus inter Canonicas Constitutiones adscriptos. Quæ quidem dissonantia adeo manifesta est, vt vel ex ipsis verbis innotescat. Quare non miror GLOSSAM *in dicto cap. Placuit*, hæc scribere: *Ex his tribus Capitulis surgit contrarietas, quam Gratianus non solvit, nec ponit.*

1139 Vndè si vtrumque Caput sit S. Isidori, vt refert Gratianus, non potest ex 1. efficax argumentum desumi, quia Capiti 4. manifestè opponitur. Insuper prædictum Caput, vt referuntur CORRECTORES DECRETI: *Desumptum est ex Pręfatione Isidori ad Collectionem Conciliorum, quæ in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanę descripta, Romam missa est. Nam in illa, quę vulgatæ Isidori Collectioni, de qua initio dictum est, præponitur, contrarium potiùs videtur dici, & refertur infra *cap. Placuit.* hac eadem *dist.* si modò idem est Isidorus.* Vndè Correctores Decreti sufficiens nobis prębent fundamentum, vt tam de textu illius Capitis 1. quàm de illius Authore dubitemus.

1140 Huc accedit, Cardinalem BARONIVM existimare, Gratianum in prædicti textus relatione à veritatis tramite deviasse; sicque nullatenus legendum, vt scribit Gratianus, sed vt annotat Baronius, eo quòd iste ex Codice antiquissimo creditusque dignissimo ea transcripserit, vt ipsemet testatur *anno* 102. *num.* 11. dicens: *Qua habita consideratione, Isidorus (non ille Sanctus Episcopus Hispalensis, vt multi nomine decepti, sunt opinati, sed ille dictus cognomēto *Mercator*) in Præfatione suæ Collectionis, hæc habet: Denique propter eorum authoritatem cæteris Concilijs præposuimus Canones, qui dicuntur Apostolorum (licet à quibusdam Apocryphi dicantur) quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum Sententias Synodali Authoritate roboravere, & inter Canononicas posuere Constitutiones. Hæc Isidorus; quæ descripsimus ex vetustissimo Codice, nulli quidem (audacter dico) antiquitate secundo, quem penes nos habemus in nostra Bibliotheca: quam esse veram, germanamque lectionem, atque illi præstare, quæ in Hispano Codice habetur scripta, & à Gratiano descripta *cap. 1. dist. 16.* quilque poterit facile iudicare.*

1141 Denique quantum à veritate deviet prædicti Capitis 1. textus, quàmque inconsequens sit quod in illo iuxta Gratianum continetur, apertè innotescit ex his, quę solita sua eruditione, & magisterio rectè annotavit BARONIVS: *Nam quid est (inquit) quod habetur: Nec Sancti Patres illis assensum prebuere, pro eo quod ab hęreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur? Vndè ista manifesta probatio, quòd ab hæreticis traditi fuerint? Quis vnquam talia reperitur dixisse? Et quæ conventio Lucis ad tenebras, cū nihil in illis quinquaginta, nisi quod Catholicam, Apostolicamque Doctrinam, & Sanctissimam morum Disciplinam redoleat, sit invenire? Et quomodo rursus non mendacissimè dictum est, Sanctos Patres non esse illis assensos, cum vix sit reperire Catholicum Scriptorem Ecclesiasticum, vel Sacrum Conventum Episcoporum, penès

penès quem aliquis ex Canonibus illis non inveniatur pari consensione probatus? Explossa igitur falsa Isidori lectione, illa prorsus verior, atque probatior esse cognoscitur, quam idem Gratianus *cap.* 4. *Dist.* 16. paulò inferiùs ex legitimo, atque germano textu reddidit.* Hactenùs Baronius.

1142 In quorum confirmationem omitti non possunt, ea quæ annotavit GLOSSA *in cap. Placuit* 4. dicens: * Probat Isidorus in hoc *Cap.* Canones Apostolorum esse recipiendos tribus rationibus. Primò, quia plures eos receperunt. Secundò, quia Sancti Patres eorum Sententias confirmaverunt, & eas inter Canonicas Constitutiones posuerunt. Tertiò, quia positi sunt, & inserti in Breviario, in quo Decreta diversorum Conciliorum posita sunt; quòd factum fuit à Clemente vsque ad Silvestrum.*

1143 Neque his obstat quod annotavit D. ANTONIVS AVGVSTINVS, Tarraconensis Antistes, in emendatione Gratiani *Dial.* 7. sic scribens: * Hæc verba (relata nempè à Gratiano *in cap.* 1. *Dist.* 16. à nobisquè cum Cardinali Baronio reiecta) in omnibus veteribus libris Hispaniæ Conciliorum inveniuntur; non illa, quæ Isidorus Mercator in Præfatione Conciliorum scripsit, quæ etiam Gratianus *cap.* 4. *eiusdem Distinctionis* posuit, neque distinxit varietatem horum Scriptorum, vt debuit, cum contraria dicerent.* Non, inquam, obstat 1. quia creditu digniorem existimamus antiquissimum Codicem à Baronio citatum, quàm alios à D. Antonio relatos. Secundò, quia estò prædicti *capitis* 1. verba à Gratiano relata in omnibus veteribus Hispaniæ Conciliorum libris inveniantur, ne Isidori verbis aliquid detrahatur; hinc tamen non convincitur prædictum Isidorum esse illum Sapientissimum, simulque Sanctissimum Hispalensem Episcopum, nec maiorem habere Authoritatem ea, quam habet particularis Author, qui quantumvis gravissimus, ea tamen dicit, quę neque probat, neque probare potest; immò quæ veritati opponuntur, vt verbis suprà relatis optimè expendebat Baronius. Vndè enim deprompsit, quod nec Apostolica Sedes Apostolorum Canones recipit, nec Sancti Patres illis assensum præbuerunt, quando oppositum evidenter convicimus manifestè ostendentes priores 50. Apostolorum Canones tàm ab Orientali quàm Occidentali Ecclesia singulari plausu receptos esse, & à Patribus, & Concilijs Synodali Authoritate approbatos? Vndè meritò censemus, maiorem Fidem esse Patrum, & Conciliorum, quàm prædicti Isidori verbis adhibendam, præcipuè cum iste in *dict. cap.* 1. illis adversetur; nec hucusque compertum sit, quisnam sit Author, qui prædictum caput, vndè tota argumenti efficacia desumitur, in lucem ediderit.

1144 Nec obstat 2. de prædictis Apostolorum Canonibus nullam apud priorum sæculorum Authores, vti Eusebium, Hieronymum, aliosque similes fieri mentionem, vt Magister NATALIS ALEXANDER expendit. Non, inquam, obstat 1. quia vt latè suprà probavimus de illis meminit S. CLEMENS ROMANVS Apostolis Coætaneus, cuius Collectionem commemorant Ioannes Scholasticus, & Dionysius Exiguus, Viri apud Antiquos præclari: de illis insupèr meminere Patres Concilij Trullani mille retrò annis Constantinopoli, anno videlicet 600. celebrati, S. IOANNES DAMASCENVS, SEPTIMA SYNODVS, alijque celeberrimi Authores, quos suprà retulimus.

1145 Secundò: quia nullam de Apostolorum Canonibus mentionem apud præfatos Authores reperiri, nihil ipsis derogat Authoritatis; estò enim librum Baruch nec Sancti Patres Augustinus, & Damascenus, nec Summi Pontifices Innocentius, & Gelasius; nec Concilia, Laodicenum, & Cartaginense; in Sacrorum Librorum numero supputaverint, aliquamvè de illo mentionem fecerint; immò quamvis Augustinus cum totum Canonem Scripturarum se texere profitetur, illum in numeratione prætermiserit; & Innocentius, cæteris pręter hunc vnum supputatis, reliquos damnandos esse asseruerit; hoc tamen non obstante, eum Ecclesia Canonicum reputat, vt patet ex Concilio Florentino sub Eugenio IV. in Decreto super vnione Iacobinorum, & Armænorum, & ex Tridentino sub Paulo III. *Sess.* 4. cuius quidem Decreto, prædictus Liber in Sacrarum Scripturarum Canonem relatus est.

1146 Et certè relati Authores multis de causis adduci potuerunt, vt prædictum Canonum Librum silentio præterirent,

rent; quia non omnes Canonici Libri eodem tempore recepti sunt; sicque illi, quos priora Concilia non admiserunt, à posterioribus ingēti plausu suscepti sunt; fateor enim B. Hieronymi temporibus, quod nunc tenemus omnino certum non fuisse. Vndè quemadmodum ante tempora Hieronymi, licet quidam asseruerint Epistolam Iacobi ab alio, sub eius nomine, editam; tamen paulatim (vt idem ait) procedente tēpore obtinuit Authoritatem: & Epistola Iudę, quam à plerisque HIERONYMVS adstruit fuisse reiectam, Authoritatem vsu meruit: ita & liber iste Baruch, quàmvis olim à quibusdam non fuerit receptus, modò tamen dignus est habitus, qui ab Ecclesia & Concilijs vniversalibus reciperetur, vt bene notat, Episcopus Canariensis, CANVS de hoc Libro differens. Sic quamvis aliqui priorum sæculorum Authores Apostolorum Canones, ceu verum Apostolorum fætum, veritate tenebris obducta, nusquam in suis scriptis citaverint; advenientibus tamen temporibus, decursu exactioribus posteriorum Authorum notitijs, ac priscis illis tenebris discussis, veritas ipsa clarior affulsit, ipsique Canones, ad minus 50. priores, digni habiti sunt, qui à posteriorum sæculorum Patribus, Concilijs, immò & à tota Ecclesia admittantur, citentur, ac sub nomine Apostolorum singulari veneratione habeantur.

1147 Respondemus tertiò hoc argumentum, vtpote negativum, non esse magni roboris æstimandum, vt multis demonstratur exemplis. Siquidem Magdalenam cum fratre Lazaro, & sorore Martha in Gallias appulisse, constans est illius Regni Traditio ex Actis Sanctorum Tutelarium Ecclesiæ Tolonensis, ex vetere Codice manuscripto Ecclesiæ Sanicensis, ex Chronico Sigiberti Monachi Gemblacensis *ad annum* 745. ex Honorio Augustodunensi Presbytero, qui floruit *anno* 1120. *in serm. de S. Maria Magd.* ex Epistola Illustrissimi Michaëlis Moresij Archiepiscopi Arelatensis *anno* 1203. directa ad Episcopos, & Clericos præfatæ Provinciæ, ex testimonio Guilielmi Durandi Mimatensis Episcopi *in Rationali Divin. Offic. lib.1. Rubr.*8 & quod maius est ex Authoritate Benedicti X. Pont. Max. in Diplomate, dato Romæ die 20. Ianuarij anno 1319. & Eugenij VI. in Diplomate, dato Florentiæ die 4. Septembris anno 1442. & Sixti IV. in Diplomate die 20. Februarij anno 1475. Quæ omnia firmissimè probant Traditionem prędictam, quam luculenter confirmant gravissimi Authores, vti Vincentius Bellovacensis, Bernardus Guidonis, Sodovensis Episcopus, S. Antoninus, Episcopus Florentinus, *tom.1. tit. 6.* Baptista Mantuanus, Silvester Prieras Sacri Palatij Magister, Genebrardus in Chronolog. Baronius *in Annal.* & *in Notis ad Martyrol. Rom.* Surius *tom.4. ad diem 22. Iulij*, Molanus *in Notis ad Martyrol.* Vsuardi, & plures alij apud Natalem Alexandrum *dissert.16. sæcul.1. par.2.*

1148 Nihilominus contra præfatum B. MARIÆ MAGDALENÆ in Gallias adventum, prædicta continuata Traditione roboratum, & quatuor Summorum Pontificum, celebriorumque Authorum testimonijs suffultum, militat argumentum; si enim Magdalena, & Martha in eam Provinciam devenerunt, ibique tot virtutes patrarunt, quomodo primos suę gentis Apostolos ita ignorarunt, vt nullo vmquam eos pręconio extulerint, Cassianus, Salvianus, Victor Massiliensis, Eucherius Lugdunensis, & Cęsarius Arelatensis, alijque Tractatores Sacri, & Ecclesiarum Magistri, qui præfati B. Mariæ Magdalenæ in illam Provinciam adventus nusquam meminere? Insuper Antiqui Authores, qui Sanctorum Vitas litterarijs monumentis in suis Martyrogijs consecrarunt, vti Beda, Vsuardus, Freculphus, & Ado Viennensis, prædictum Magdalenæ in eam Provinciam addeuntem taciti pręterierunt; & quod notatu dignius est, ADO Viennensis, licet illi Provinciæ finitimus esset, id ignoravit. Tandem S. GREGORIVS Magnus, ODO, PETRVS Venerabilis Cluniacensis Abbas, PETRVS DAMIANI, & S. BERNARDVS, estò multos Sermones, & homilias in S. Magdalenæ Festivitate scripserint, ac habuerint, nullam de prędicto illius in Gallias adventu mentionem fecerunt: dubiam ergo prædicti Authores illam traditionem efficient? Cui argumento NATALIS ALEXANDER respondet: hæc futilia esse, quia negantia:

1149 *Quis enim (inquit) apparitionem stellæ, quæ Magos ad Christi cunas deduxit, commentitiam esse dixerit, quia nullus, præter S. Matthæum, Evangelij Scriptor eius meminit? Quis resurrectionem Lazari fictitiam esse effatiat, quia S. Matthæus, Marcus, & Lucas eam scriptis non commendarunt? Quis Ædis Deiparæ

ræ

ræ mirabilem Lauretum advectionem fabulis accenseat, ob silentium S. Antonini, qui & coævus Author, & Lauretanæ Regioni erat finitimus? Perperam itaque infert ex silentio præfatorum Authorum Launoius, B. Magdalenam numquam in Provinciam appulisse, aut Sacrum eius Corpus ibi non quiescere.* Hæc ille. Si ergo tot eiusdem Nationis Authores Magdalenæ, & Marthæ temporibus coætaneos, ac sua gravitate insignes, prædictum adventum silentio prę terijsse, inefficax argumentum est, iuxta ipsum Alexandrum, ad prædictam Traditionem enervandam, quia, vt ipse eruditè expendit, est argumentum negans, quod in historia futile est, ac parvi momenti, quomodo ipse Alexander in sua 3. conclusione probare contendit, primos 50. Canones supposititios esse, quia si verè Apostolorum essent, vt titulus præfert, illorum certè meminissent quatuor primorum sæculorum Ecclesiastici Scriptores?

1150 Respondemus quartò, prædictum argumentum, si alicuius roboris est in Apostolicos Canones, maioris, vel saltim æqualis momenti debere esse in S. Dionysij libros de Ecclesiastica Ierarchia & de Divinis Nominibus; quòd de istis celeberrimi illi quatuor primorum sæculorum Patres, & Scriptores nec vllam mentionem fecerunt, nec illos in suis sententijs citarunt, vt fatetur ipse Natalis Alexander *sec. 1. Par. 2. Dissert.* 21. prædictę instantiæ sic respondens: * Respondeo secundò, quatuor primorum sæculorum Patres, Dionysij Areopagitæ opera non citasse, multiplici de causa.* Quare sicut ipse Natalis multas reperit causas, ob quas quatuor primorum sæculorum Patres, & Concilia S. Dionysij opera non citarunt, quin propter hoc, præfatos libros authenticos, & legitimos esse denegemus: multa etiam nobis paritèr occurrunt, ob quę quatuor primorum sęculorum Scriptores, & Patres de Apostolorum Canonibus mentionem non fecerint, quin hoc illis aliquid veritatis detrahat, & Authoritatis, aut ob hoc eos illegitimos esse dicamus.

1151 Primò, quia præcipuus scopus Sanctorum Patrum, qui primis illis sæculis floruerunt, erat nascentes hæreses suffocare; ad illarum autem hęresum extirpationem Apostolorum Canonibus Sancti Patres non indigebant; isti enim Canones non tam erant Regulæ Fidei, quam morum, & Ecclesiasticę Disciplinæ, instructioque, ac eruditio, vt Fideles sanctè, ac Catholicè viverent: vndè ad illorum temporum hæreticos convincendos nulla erat prædictorum Canonum necessitas. Secundò, quia ea fuit illorum Patrum in Dogmaticis controversijs, & hæresum profligatione consuetudo, vt validissimo argumento vterentur, quale est ex Scriptura Sacra desumptum. Hinc D. Athanasius, quarto iam decurrente sæculo, adversus Arianos pugnans illos coarguit, quòd præter Scripturas Sacras alios Authores advocarent, & Synodos postularent, cum vis Scripturę potentior sit. Ideò ergo forsan primorum sęculorum Patres Apostolicos Canones non citarunt, quia ad profligandas illorum temporum hæreses vberem campum in Scriptura Sacra reperiebant.

1152 Nec obstat quod nec Eusebius Cæsariensis, nec D. Hieronymus, dum Apostolorum Opera summa diligentia recensent, de Apostolorum Canonibus non meminerint, quia quamvis Eusebius in sua Historia texenda, magnam diligētiam adhibuerit, non tamen omnia dixit, nec tale vmquam pollicitus fuit, nec potuit ea narrare, quæ ad illius manus non pervenerunt; vt Scriptoribus Gallis quotidie accidere videmus, qui multa quę in Hispania aguntur, silentio prętereunt, idemque Hispanis Scriptoribus evenit, qui multa, quæ in Gallijs accidunt, facilè prætermittunt, quòd non omnes remotarum Regionum notitię ad ipsos adveniant, nec ipsi eas facilè possint ob locorum distantiam accipere. Ideò Eusebius multa, quę ad ipsum deferri non potuerunt, omisit, vt rectè notavit S. MAXIMVS Martyr *in Prologo ad opera S. Dionisij*, qui prędictam ob causam non miratur, ea ad Eusebij notitiam non devenisse, dicens: * Eusebium quàm plurima omisisse, quæ ad eius manus non pervenerunt. Etenim nec prorsus omnia se collegisse ait; immò magis fatetur, libros, qui ad ipsum non pervenerunt, esse numero superiores: Et sanè multorum meminisse possem, quos minimè habuit; & hos quidem suæ Regionis, vt Hymenæi, & Narcissi, qui Sacerdotes Ierosolymis fuere. Item neque Pantheni Opera descripsit; neque plurimorum aliorum. Origenes enim, nescio an omnium, vix autem quatuor meminit.* Hęc ille. Certę

tè non meminit Eusebius Athenagoræ, qui & Apologiam pro Christiana Religione luculentissimam, & librum eruditissimum de Resurrectione Mortuorum scripsit: quia ideo illa opera Athenagoræ esse, possit prudens aliquis dubitare. Idem de S. Hieronymo dicimus, qui in Scriptorum Cathalogo Eusebium secutus est, vt ipse in Cathalogi Prologo confitetur.

1153 Tertia ratio, ob quam aliqui Authores res memoratu dignissimas taciti prætereunt, est, quia istarum veritati, & authoritati, illorum silentium nullum præiuditium parit, quando de eisdem rebus alij æqualis eruditionis, & authoritatis ex professo pertractant, ac præcipuum sermonem instituunt. Quid enim interest de Dionysij Operibus nullam mentionem apud quatuor primorum sæculorum Authores inveniri, si de illis alij æqualis authoritatis, ac gravitatis egerunt? Vti IVVENALIS Episcopus Ierosolymitanus, qui Synodi Chalcedonensis tempore florebat, LEONTIVS BYZANTINVS *lib.2.contra Nestor. & Euthychet.* & *lib.de Sectis*; inter Sanctos Patres, qui à Christo ad Cōstantinum vsque Magnum Ecclesiam illustrarunt, DIONYSIVM etiam Areopagitam enumerat. S.SOPHRONIVS Patriarcha Ierosolymitanus *in Epist. ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham.* S. MARTINVS I. Pont. Max. *in Concil. Lateranen. Secret.*1. S.MAXIMVS Martyr, Dionysij Areopagitæ opera vindicavit. SEXTA SYNODVS OECVMENICA *Act.*8. refert testimonium ex Codicillo S. Dionysij Episcopi Atheniensis, & Martyris ex Libro de Divinis Nominibus. AGATHO Papa *in Epist. ad Constantin. Pogonat. Imperat.* quæ recensetur *Act.* 4. *VI. Synodi.* S. GREGORIVS MAGNVS *homil.* 34. *in Evang. Lucæ*, ADRIANVS I. *in Epist. ad Carol. Magn. Imperat.* pro VII. Synodo, NICOLAVS I. *in Epist. ad Michaël. Imperat.* THEODORVS Presbyter, antiquissimus Author, à Photio laudatus, *in Bibliotb. Cod.* 1. Idem Patriarcha PHOTIVS librorum Censor severissimus, & apprimè eruditus *in sua Bibliot. Cod.* 231. ELIAS Cretensis Metropolitanus *in Orat.* 1. *S. Gregorij Nazianzeni.* S. IOANNES Damascenus *lib.*1. *Orthod.Fidei*, *cap.*15. EVTHYMIVS *part.*1. *Panopl. tit.* 2. SIMON Metaphrastes *in Orat. de Dormit. Deipar.* NICEPHORVS CALLISTVS *lib.*2. *Histor. Ecclesiast. cap.* 20. ANGELICVS DOCTOR, necnon & B. ALBERTVS MAGNVS, qui eiusdem S. Dionysij Areopagitæ libros præclarissimis commentarijs illustrarunt, ipsiusque doctrinam sequuntur innumeris in locis, eius verba referētes, & præcipuè D. THOMAS *in 2. Sent. dist.*10. *q.*1. *art.*12. probat positionē, quæ asserit Angelos superiorum ordinū, ministerium circa nos immediatè nō habere: *Quia (inquit) hæc Dionysij sententia est, qui S. Pauli Discipulus fuit, & dicitur eius visiones scripsisse.* Quibus addēdus Cardinalis BESSARION, Vir inter Græcos, qui Florentino Concilio adfuerunt, eruditione præclarus, *lib.* 2. *Defens. Platon. cap.*3.

1154 Tandem omitti nequit Censura, qua Vniversitas Parisiensis, anno 1527. die 17. Septembris Sorbonæ iussit Erasmi Sententiā *in Præfat. ad* 1. *Pauli Epist. ad Corinth.* prædicta opera de Ecclesiastica Hierarchia, D. Dionysio temerè denegantis: *Non vere eruditis, sed temerarijs, & novitatum studiosis, videtur non esse Dionysius Areopagites, qui libros Ecclesiasticæ Hierarchię conscripserit: quondoquidem ab ipso Dionysio Areopagita fuisse conscriptos, constat 1. ex ipsis Ecclesiasticę Hierarchiæ, & alijs eiusdem Authoris libris. Deinde clarorum Virorum testimonio idem cōprobatur. Postremò VII. Generali Synodo id fit dilucidius: in qua Magnus Dionysius appellatur, is qui libros scripsit Ecclesiasticæ Hierarchiæ.*

1155 Ex dictis manifestè convincitur, silentium de S. Dionysij Operibus in quatuor primorum sęculorum Authoribus, nihil prædictorum operum fidei, & authoritati detrahere, cum pro illis tot, tantęque Fidei testes, uti antiquissimos Patres, Summos Pontifices, ac OEcumenica Concilia citaverimus. Vndè si testis vnus affirmans mille negantibus est pręferendus, vt fert commune Iurisconsultorum proloquium: cum tot affirmativi testes antiquitate, ac Sanctitate pręclari, maximaque Authoritate, & gravitate apud Ecclesiam celebres, D. Dionysij Operibus suffragentur, ea verè esse S. Dionysij asseverantes; proculdubio contemnendum videtur aliquorum Authorum silentium, qui prædicta opera non citarunt, vel quia ea non viderunt, vel quia eorum exemplar authenticum, certum, & citatu dignum ad

illorum manus non devenit. Idem ergo proportione servata, de Apostolorum Canonibus ducimus asserendum, illorum nempè Authoritati nihil derogare, quod aliqui Authores silentio illos præterierint, cum tot dentur maioris exceptionis, & Authoritatis, ac gravitatis in Ecclesia testes, qui de illis mentionem faciunt, eos citant, ipsorumque Doctrinam sequuntur, celeberrimi nempè Ecclesiæ Patres, Concilia, Summi Pontifices, immò & ipsa, tàm Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesia, quæ priores 50. Canones omni semper tempore singulari plausu, ac pari veneratione suscepit, vt manifestè liquet ex supradictis.

1156 Verum licet hæc ita se habeant, adhuc nihilominus alicuius roboris videtur argumentum, quo oppositi Authores prædictorum Canonum Authoritatem infringere, vel saltim minuere conantur sic arguentes: si prædicti Canones verè essent Apostolorum, proculdubio aliquis Apostolus in suis scriptis, ad minus D. Lucas in Actis Apostolorum, aliquam de illis mentionem fecisset. Insuper si tam certum esset, vt suponimus, prædictos Canones esse Apostolorum, essent proculdubio scriptura Canonica, vti sunt Epistolæ Pauli, Petri, Ioannis, cæterorumque Apostolorum scripta: Sanctum ergo Lucam nullam de prædictis Canonibus in Actibus Apostolorum fecisse mentionem, magnoperè minuit ipsorum Authoritatem, haudque leve illis prçiuditium parit.

1157 Huic tamen instantiæ respondemus, eiusdem esse inefficaciç cum præcedenti, eò quod sit argumentum negans, habensque contra se affirmativum, multiplici Authoritate roboratum. Quid in Ecclesia, Patribus, atque Concilijs, certius quàm Apostolorum Symbolum fuisse à Sanctis Apostolis compositum, & sub Apostolorum nomine à tota Ecclesia singulari semper veneratione susceptum? Nihilominus nec vllus Apostolorum, nec S. Lucas in ipsorum Actis, vllam vmquam de illo mentionem fecit, nec illud Ecclesia inter Canonicas Scripturas aliquando retulit. An ne propter hoc silentium, istamque omissionem, in re adeò gravi, & ad commune Ecclesiæ bonum maximè spectante, prædicti Symboli veritatem negabimus, illumque ab Apostolis compositum inficiabimur? Absit tantus error. Quòd ergo nec S. Lucas *in Act. Apost.* nec aliquis Apostolus in suis Epistolis aliquam mentionem fecerit de prædicto Symbolo, quod nobis ex Patribus, Pontificibus, Concilijs, ipsaque Ecclesia innotescit, neutiquam præfatum Symbolum alicuius falsitatis convincit, nec ostendit, illud non fuisse ab Apostolis compositum; sed tantummodò probat, non fuisse ab ipsis conscriptum, quod verissimum est: fuit enim prędictum Symbolum per Apostolorum Traditionem Fidelium memoriæ, & cordibus commendatum, vt tradit S. HIERONYMVS *Epist. 61. ad Pammach.* ita scribens: *Symbolum Fidei, & Spei nostrę, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.* Cui subscribunt RVFFINVS *in Exposit. sym.* & S. PETRVS CHRYSOLOGVS *serm. 62.* Cum igitur Fideles prędicti Symboli notitiam ex Apostolica Traditione susceperint, nihil mirum, si S. Lucas, cęterique Apostoli, nullam de illo mentionem fecerint; multæ enim Apostolicæ Traditiones ab Ecclesia, vt tales susceptæ sunt, quin eas in Apostolorum Epistolis, vel libris scriptas reperiamus. Nec quia prędictum Symbolum ab ipsis Apostolis compositum est, debet inter Apostolorum Acta referri; quia vt rectè notavit Hieronymus, S. Lucas multa, quæ Apostolorum temporibus contigerunt, Historiographi licentia prętermisit. Sic nec de suo Evangelio mentionem fecit; quin inde liceat inferri, illud non fuisse à S. Luca compositum.

1158 Insuper quid in Ecclesia celebrius, quàm D. Petrum Romę suam Cathedram collocasse, ibique Pontificatum gessisse? quod miris encomijs Sancti Patres efferunt, & extollunt, vt PAPIAS Apostolorum discipulus apud Eusebium *lib. 2.* D. HIERONYMVS *in Cathalogo Viror. Illustr.* TERTVLLIANVS *lib. advers. Iudæ, cap. 9.* S. AVGVSTINVS *lib. 18. de Civit. Dei, cap. 22.* EVSEBIVS *lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 13.* S. EPIPHANIVS *Hæres. 27.* PAVLVS OROSIVS *lib. 7. cap. 4.* S. LEO Papa *Serm. de SS. Apost. Pet. & Paul.* & ante hos omnes S. IRENÆVS *lib. 3. advers. Hæres. cap. 3.*

1159 Similiter de Martyrio Petri in Vrbe Roma, constat ex TERTVLLIANO *lib. de Præscript. cap. 36.* HEGESIPPO *lib. de Excidio Vrbis Ierosol. cap. 1.* S. DIONYSIO, Corinthiorum

Episcopo *in Epist.ad Roman.* cuius verba refert EVSEBIVS *lib. 2.Hist. cap.24.* S. ATHANASIO *in Apolog. pro fuga sua.* LACTANTIO *lib.4. Divin. Instit. cap.11.* THEODORETO *Epist. 113. ad S.Leon.* in qua Vrbem, Ecclesiamque Romanam commendat. S. HIERONYMO *in Cathal. Scriptor. Ecclesiast.* S. AMBROSIO *Serm.de Basilicis non tradendis contra Auxentium.* S. IOANNE CHRYSOSTOMO *Homil.32. in Epist. ad Rom.* S.LEONE I. *in Natali Apost. Petri, & Pauli.* Tandem ex S.GREGORIO MAGNO *Epist. 37. lib. 6. ad Eulog. Patriarch. Alexand.* Et quidem S. Petrum Romæ sedisse, ibique pro Catholica Fide sanguinem suum fudisse, adeò celebre, pervulgatumque est apud Sanctos Ecclesiæ Patres, vt nemini citrà temeritatis notam liceat, id indubium revocare.

1160 At estò toti Ecclesiæ certissimum sit, S. Petrum tàm Antiochiæ, quàm Romæ suam Cathedram rexisse, ibique vnà cum D. Paulo glorioso Martyrio occubuisse, nihilominùs nec S. Lucas, qui Apostolorum historiam, memorandaque illorum gesta litteris commendavit, de profectione S. Petri in Romanam Vrbem meminit, nec S.Paulus, qui *ad Galatas 1. & 2. cap.* suam Ierosolymis, & Antiochię cum D. Petro conversationem memoriæ prodidit, aliquam mentionem facit, immò nec leviter insinuat, se Romæ Petrum vidisse, eique aliquo tempore convixisse. Num propter istud silentium hanc historiam Ecclesiæ, Patribus, ac Concilijs compertissimam inficiabimur? Neutiquam. Nullius namque roboris est argumentum negativum dum contra se habet affirmativum tanto Authoritatum munimine roboratum.

1161 Hinc, pro maiori prædictorum confirmatione, asserimus, dubitari non posse, D. Paulum Ierosolymam, vt Petrum videret, profectum fuisse, ipsique Petro Antiochiæ convixisse, & dexteram Societatis à Sanctis Petro, Iacobo, & Ioanne fuisse B. Paulo datam, ac tandem ipsum Paulum in Galatiam abijsse: cumque hæc facta æquè sint certa, ac memoranda, nihilominùs S. Lucas illa silentio prætermisit. Hinc S. Hieronymus ex his, alijsque similibus factis, toti Ecclesiæ conspicuis, qualis est reprehensio, qua D.Paulus Cepham, id est, Petrum, ob legalium observationem coarguit, quia reprehensibilis erat, quam D. Lucas omisit, infert, nemini hoc mirum debere videri, cum idem S. Lucas alia non minus memoranda, silentio præterierit, quale est, S. Petrum fuisse primum Antiochiæ Episcopum, & exindè Romam abijsse, quod S. Lucas nullatenùs refert. Vndè vlteriùs subinfert S. Lucam non omnia Apostolorum gesta, sed aliqua tantúmmodo, alijs omissis, commemoranda sumpsisse. *Mirum non est (inquit Hieronymus) hanc rem videlicet reprehensionis Petri per Paulum tacuerit, cum & alia multa, quę Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit; & non statim esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse, accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitùs omisit.*

1162 Ex dictis facilè apparet, quam parvi momenti sit instantia, qua oppositi Authores probare nituntur, Apostolicos Canones non esse verè Apostolorum, eo quod nec vllus Apostolus, nec S.Lucas aliquam de illis mentionem fecerit; quia, vt modo ex S. Hieronymo diximus, frequenter in Historiographis invenimus, alios iustis de causis inter cętera omisisse, quæ alij relatu digna putarunt; quod & in Apostolicorum Canonum notitia experimur: estò enim illos Apostoli, & S. Lucas iustis de causis silentio præterierint, de illis tamen expressè meminit S. Clemens Romanus Vir & Vita, & Doctrina verè Apostolicus, Apostolis coętaneus, Divique Petri Discipulus, ac Successor; illorum etiam notitiam multi alij Pontifices, Patres, & Concilia continua Traditione retinuerunt: quò corruit oppositæ Sententiæ argumentum, quod quia negativum nullius est roboris æstimandum: alioquin labescerent insigniora Fidei nostræ Mysteria; quia nec S. Matthæus Christi Circumcisionem narravit, nec S.Marcus Præsentationem retulit, nec S. Lucas Stellam, quę Magos duxit, commemoravit.

§. VIII.

ALIA ARGVMENTA *soluuntur.*

1163 OBijcies 4. prædictos Canones non parum suspectos reddunt tum Authores, qui non modò illos ea veneratione, qua par erat, non suscipiunt, sed & manifestè rèijciunt; tùm Scriptores, qui de illis dubitare non erubescunt; siquidem DIONYSIVS EXIGVVS celebris ille Vir, qui eos omnium primus è Græco transtulit in Latinum, in suæ versionis initio, sic alloquitur: *Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare Sanctitatem, &c.* Cui consonat ISIDORVS MERCATOR, dum in sua versione, hæc inter alia, scribit: *Canones, qui dicuntur Apostolorum, licet à quibusdam Apocryphi dicantur: quoniam plures eos recipiunt, &c.* ANASTASIVS Apostolicus Bibliothecarius *in Præfatione ad Septimam Synodum Generalem* 8. alloquens, sic ait: *Sanè Ioannem notandum est, quædam in hac Synodo ex Apostolorum, & Sextæ Vniversalis Synodi Canonibus, & Sententijs inveniri, quæ penès nos interpretata, nec habentur, nec admittuntur. Et certè de Apostolorum Canonibus liquidò novimus, quoniam his quidam facilem non præbuere consensum.* Nec ab istis dissentit HINCMARVS, Rhemensis Antistes, qui de prædictis Canonibus sermonem instituens, hæc habet: *In quibus quædam receptibilia, quædam verò non servanda.* PHOTIVS etiam, Constantinopolitanus Patriarcha, illos non certos, sed dubios existimavit; sic enim scribit *in Præfat. ad Nomocan. nunc primum Tom. 2. Bibliothecæ Iuris Canonici edita*: *Etiam eos Canones, qui Sanctorum Apostolorum esse dicuntur, eodem tempore complexus sum, quamvis nonnulli quibusdam causis moti, pro dubiis eos habuerint.* Vndè cum isti Authores antiquissimi sint, rectè ex eorum testimonijs colligitur, prædictos Apostolorum Canones non fuisse olim vniversali acceptatione susceptos, nec vt certos, sed vt dubios habitos, sicque modicæ esse Authoritatis.

1164 Respondemus primò, exigui roboris esse argumentum, quod tam debili nititur fundamento, quale est aliquorum dubium, & incertitudo, quin exprimatur, quinam sint isti Authores, qui prędictos Canones non susceperunt, vel illos dubios esse dixerunt; an scilicet Catholici sint, an hæretici. Etenim si heterodoxi sint, parum interest, ipsos Apostolorum Canones non recipere, vel Apocryphos asserere: hæc enim est antiqua Hæreticorum improbitas, impiaque, ac detestanda consuetudo, vt & multos Scripturę Sacræ libros, quos Patres, Concilia, totaque Ecclesia vniversali plausu tamquam Canonicos, & Divinos suscipit, & veneratur, ipsi tamquam Apocryphos reijciant: quod quia cuilibet in Sacris Litteris, ac Dogmaticis controversijs de libris Canonicis mediocritèr versato, perspicuum est, ac vulgare, libentèr omittimus. Si autem argumentum de Catholicis loquatur, vt alicuius roboris videretur, necesse erat exprimere, quinam sint hi, qui Apostolorum Canonibus assensum facilem non præbuere, illosque tamquam Apocryphos contempsere; si enim sint infimæ Classis, eorumque Authoritas parvi ab omnibus æstimetur, nullius roboris erit argumentum ab illorum Authoritate desumptum; sin autem Authoritate, & Gravitate magna sint insignes, haud difficilè erit ipsorum verba in legitimo sensu exponere. Dici enim potest 1. Apostolorum Canones ob Authoris incertitudinem Apocryphos à prædictis Authoribus vocari, quomodo Apocryphus dicitur liber, cuius Author certus non est, quin hoc prædictis Canonibus aliquid Authoritatis detrahat, & Doctrinæ; cuius quidem rei, estò innumera adduci possent exempla, brevitatis tamen gratia duo tantùm proferemus in medium.

1165 Circa Authorem libri Iob ingens est Catholicorum dissidium; quidam enim existimat fuisse ipsius Iobi amicos, vt refert Author Catenæ in Iob. Alij verò autumant fuisse aliquem ex Prophetis. Ita tenent S. Isidorus *lib. 6. Etymolog. cap. 2.* & Hugo Cardinalis *in Prol. lib. Iob*; vbi refert quosdam dicentes, talem Scriptorem fuisse Moysen. Nec ab ista Sententia discedunt Rabbi Moyses, Kimky, Isidorus *lib. 1. Offic.* Philippus initio, *cap. 3.* Abulensis *in principio Genesis super Hieron. Prol. cap. 7.* & *in Prologo*

logo Iosue, quaest.3. Eugubinus *in Praef. 1.* & *Beuter. annot.6.* dicentes colloquia amicorum Iob ab illis fuisse Syriacè, & postea à Moyse Hebraicè scripta, ad leniendum Populum in deserto peregrinantem, vt auditis flagellis Iob, praeclarum illud Patientiae simulachrum, in suis laboribus aemularentur. Alij censent fuisse Salomonem. Ita innuere videtur S. Gregorius Nazianzenus *Orat. ad Iulian. tribut. exequat.* Et ita censisse Nazianzenum, dicunt Nicetas *eo loco*, & Olympiodorus *in Praefat.* Quod confirmari potest ex Athanasio *in Synopsi* hunc Librum Canticis Canticorum subiungente, sicut & faciunt quaedam Biblia Vaticana vetustissima, & Concilium Laodicense, Librum Iob Canticis supponens.

1166 Probabilior tamen Sententia eumdem Iobum huius Libri Authorem adstruit, vt rectè notarunt Hugo Cardinalis, Dominicusque Brixiensis *in Praef. ad Moral. Iob*, Arboreus *in Theosoph. lib.9. cap.12.* Suidas *verbo Iob*, & B. Albertus Magnus verissimam vocat hanc Sententiam, quam multi alij sequuntur.

1167 Nihilominùs S. GREGORIVS MAGNVS hanc litem dirimere ausus non est, tantummodoque asseruit, Authoris incertitudinem nihil obstare, quominùs huius libri Author, Divinus censeretur, & Spiritu Sancto afflatus; sic enim scribit *Praefat. in Iob*: * Quis haec scripserit, superfluè quaeritur, quia Spiritus Sanctus haec scripsit, qui scribenda dictavit. Cum igitur rem agnoscamus, & Authorem Spiritum Sanctum teneamus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo percontamur? * Haec ille. Vndè colligitur, illam Sententiarum diversitatem, eamque Authoris Libri Iob incertitudinem nihil obstare, quominùs S. Gregorius praedictum Librum, vti Diuinum, ac summa Authoritate praeditum suscipiat, ac veneretur, quomodo & illum alij Patres, & Concilia summo honore prosequuntur, vt rectè notavit Episcopus Tena *lib. 2. Isagog. Sacr. Script. Difficult. 5. Sec. 2.* dicens: * Quare semper illum Iudaei recipiunt, vt notat Hieronymus *in Prologo eius*, Sacraque Concilia (quę librorum Canonem scripserunt) semper hunc librum in Canone habuerunt.* Egregium etiam huius veritatis testimonium perhibet GENEBRARDVS *lib. 2. Chronolog. pag. 14.* affirmans: * Memorabilem Historiam Iob tam esse Authenticam, Canonicam, & Sacram, vt nemo vmquam de hoc dubitaverit. Quare hunc Librum repudiare, aut de Historię veritate dubitare (ait S. Thomas *in Comment. sup. Iob in Prologo*) est Authoritati Sacrae Scripturae obviare.*

1168 Hìnc Sancti Patres praedictum Librum vti Canonicum, & Divinum semper venerari sunt. Eum, Scripturam Divinat vocat S. CYPRIANVS *Serm. de opere, & eleemosyn.* Totum mysticis eloquijs redundantem dicit RVFFINVS *in Symbol. Apostol.* Mysteria multa complectentem, scripsit D. HIERONYMVS. Multa de Christo prophetasse, testatur PHILIPPVS PRESBITER *in cap.1. Iob.* Librum continentem suavia Sacramenta verborum, testatur CASSIODORVS. IGNATIVS *in Epist. ad Philadelph.* citat ex hoc libro testimonia, idque innumeros fecisse Patres cōstat. S. CYRILLVS *Catech.4.* & S. GREGORIVS NAZIANZENVS *de veris & germanis Scripturae libris*, & S. IOANNES DAMASCENVS *lib.4. cap. 18.* inter Sacros recensent libros. Idem fecerunt MELITO SARDICENSIS *in Epist. ad Onesimum*, ALCIMVS AVITVS *ad Sororem*, & RABBANVS *de Institut. Cleric. lib.2. cap.53.*

1169 Ex his manifestè deducitur Authoris incertitudinem nihil Fidei, Doctrinae, & Authoritati libri cuiuslibet derogare; estò enim incertus sit Author, potest tamen illius liber, Doctrinae ergo, Supremam Authoritatem attingere, & inter Divinos, ac Canonicos connumerari, vt de Libro Iob manifestè patet.

1170 Praeclaram eiusdem veritatis confirmationem Psalmorum Liber suppeditat. Magna etenim est inter Scripturae Sacrae Interpretes circa Psalmorum Authorem dissensio: an scilicet solus David; an verò etiam aliqui alij omnes illos composuerint? Et ratio dubitandi est: quia si ad Hebraicum fontem recurrimus, nullus illorum Author inscribitur, sed Authoris nomine suppresso absolutè dicitur *Liber Psalmorum.* Immò in Latina vulgata Clementina ita habetur: A septuaginta Interpretibus Psalterium, vel Psalmi absolutè inscribuntur.

1171 Quae quidem difficultas magis accrescit, si attentè consideretur ex centum

tum quinquaginta Psalmis, quibus coalescit Psalterium, triginta sex, nullius Authoris nomen præseferre; triginta tres apud Hebræos varijs nominibus in titulo prænotari, sicut Moysis, Salomonis, & aliorum septem virorum, quibus fuere ad canendum traditi; & tantum septuaginta novem inscribuntur Davidi; quo factum est, vt gravissimi Anthores in varias dividantur Sententias. Prima inter præcipuas est affirmantium, plures esse Psalmorum Authores. Hanc tenet HIERONYMVS _in Epist. ad Sophron._ & CYPRIANVS; S. HILARIVS _Præfat. in lib. Psalmor._ S. ATHANASIVS _in Synop._ PHILO, Vir dissertissimus, & S. AVGVSTINVS agens de titulo primi Psalmi aiunt: non omnes Plalmos à Davide fuisse editos. S. quoque ISIDORVS _lib.6. Etymolog. cap. 2._ & RABANVS _de Institut. Cleric._ idem sentiunt. Eamdem sententiam prosequitur SIXTVS SENENSIS _lib. 1. Biblioth. Sanc._ dicens: fuisse decem Authores Psalmorum, Davidem scilicet, Salomonem, Moysem, &c.

1172 Quidam dicunt, Davidem novem tantum Psalmos composuisse; quod innuere videtur S. AVGVSTINVS, vbi suprà, dum ait: *David tantum cecinit ore proprio novem Psalmos.* Rabbi verò Salomon Gallus ait: decem fuisse Authores Psalmorum, scilicet Abraham, Melchisedech, Moysem, &c.

1173 Secunda verò Sententia oppositum tuetur, omnes nempè Psalmos fuisse à Davide concinnatos. Hanc tenuere ORIGENES, S. AMBROSIVS, CASSIODORVS, & THEOPHYLACTVS _Ioan. 10._ dicens: *Legem vocat Evangelista Librum David, per quem intelligit omnes Psalmos.* Sed clariùs hanc Sententiam sequitur EVTHYMIVS _in Prologo Psalmorum_, vbi postquam primam retulit, hæc subiungit: *Alij verò, quibus ego consentio, asserunt, omnes Psalmos à Davide fuisse compositos.* Eadem est S. IOANNIS CHRYSOSTOMI mens, ac Sententia; _in Prologo namque_ 1. de Davide, hæc habet: *Excitavit eis Deus Regem Virtute pręditum, iustumque Prophetam, qui librum centum quinquaginta Psalmorum, Divino Spiritu motus, metricè ex proprijs propriè linguæ modis composuit concinnè, &c.* Eidem suffragatur AVGVSTINVS, dum _lib. 17. de Civ. Dei, cap._ 14. hęc, inter alia, scribit: *Mihi autẽ credibilius videntur existimare, qui omnes centum & quinquaginta Psalmos eius (scilicet Davidis) operi tribuunt.*

1174 Ex quibus patet, quanta sit inter Sanctos Patres, gravissimosque Authores Sententiarum diversitas circa Authorem 150. Psalmorum, quin propterea dubitaverit aliquis hucusquam, illorum Authorem fuisse Divino Spiritu afflatum, omnesque 150. Psalmos esse à Sanctis Patribus, Concilijs, totaque Ecclesia tamquam Scripturam Canonicam, & Divinam singulari veneratione, summoque plausu susceptos, & inter Libros Protocanonicos, quorum Authorem esse Scriptorem Sacrum, numquam dubitatum est, recensitos. Vndè quamvis aliqui Authores Apostolorum Canones, Apocryphos ob Authoris incertitudinem appellaverint, quia nempè eis certum non erat, an illorum Author fuerit S. Clemens, an verò aliquis alius; non tamen arguitur inde, prædictos Canones fuisse Apocryphos appellatos ratione Doctrinæ, cum verè Apostolica sit, quæ in illis continetur; nec minus inde inferri licebit, illorum Authorem non fuisse Apostolico Spiritu ditatum, vt exemplis librorum Iob, & Psalmorum apertè convincitur, alijsque multis illustrari poterat.

1175 Respondemus secundò, quod si de Apostolorum Canonibus aliqui dubitaverunt, hi fuere Anonymi, infimæ notæ, ac indigni, quibus Fides adhibeatur, cum prędicti argumenti Authores, nullam de illis mentionem faciunt: Authores verò, qui primos 50. Apostolorum Canones à tota Ecclesia non modò Orientali Synodaliter fuisse approbatos, ac singulari veneratione susceptos, incunctanter asseverant, incerti non sunt, sed manifesti, ac præclarissimi, Patres nempè, Summi Pontifices, Concilia, & Cardinales, quorum nomina, simul & verba suprà pro nostra conclusione retulimus. Vndè hęc certitudo, qua Viri tanta gravitate, Authoritateque pollentes prędictos Canones tamquam verum, ac legitimum Apostolorum fœtum absque vlla prorsus hæsitatione admittunt, & ab omnibus tam Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesiæ Episcopis susceptos affirmant, omne dubium, quod pro Sententia opposita adducebatur superat, & maioris est ponderis æstimanda, quàm dubium aliquorum, qui oppositum censuere. Nec prędictorũ Canonum debilitatur Authoritas,

quòd

quòd de illis ab aliquibus fuerit dubitatum; nec quòd pręfati Canones ab aliquibus recepti non fuerint, probat, eos non fuisse à Patribus, Concilijs, immò & à tota Ecclesia susceptos, vt oppositæ Sententiæ argumentum perperàm inferebat.

1176 Ad maiorem prædictorum illustrationem, supponendum est, ex communi Doctorum consensu, Scripturæ Sacræ Libros in Protocanonicos, & Deuterocanonicos partiri. Protocanonici, seu primi Canonici, vel primi ordinis Canonici dicuntur libri illi, de quorum Authoritate numquam fuit in Ecclesia dubitatum, sed semper ab omnibus Ecclesijs, vt Sacri, & Divini habiti sunt, & vt Verbum Dei recepti. Deuterocanonici verò, seu posteriores Canonici, sive secundi ordinis Canonici vocantur illi, qui non statim ab omnibus Ecclesijs recepti sunt, sed de eorum Authoritate aliquando est ab Authoribus dubitatum, asserentibus aliquibus esse Divinos, alijs Sacros esse denegantibus, quamvis demum omnes Catholici in eam convenerint Sententiam, vt eos in Divinarum Scripturarum Canonem referrent; quales sunt inter alios Libri Sapientiæ, & Ecclesiastici; de vtriusque enim gravissimi Authores dubitarunt, an Canonici essent, & Sacrarum Scripturarum loco habendi? Nam Sapientiæ Librum neque GREGORIVS Theologus *Carm. de veris, & germanis Sacræ Script. Libris*; neque ORIGENES *in Explicat. Psalm.* 1. (vt referunt EVSEBIVS *lib.* 10. *Hist. cap.* 19. & NICEPHORVS *lib.* 6. *Hist. cap.* 15. & 16.) neque S. CYRILLVS Ierosolymitanus *Cath.* 4. §. *de Libris*; neq; AMPHYLOCHIVS *Carm. de eod. argu.* vel ipsemet Eusebius, aut alius Author antiquus in Sacrorum Librorum Canone posuerunt. Immò ab eo exclusisse videntur S. EPIPHANIVS *lib. de Ponder. & mensur.* iuxta initium; S. HIERONYMVS *Zach.* 8. 9. & 11. *in Prol. Galeat. & Prol. in lib. Salom.* S. ATHANASIVS *in Synopsi.* S. CYPRIANVS *in Exposit. Symb.* S. IOANNES DAMASCENVS *lib.* 4. *Fid. Orthod. cap.* 18. & alij, non quidem ignoti, sed Sanctitate, eruditioneque præclari, non audentes illum inter Canonicos referre, ipsumvè tamquam certum, indubitatæque Fidei admittere.

1176 Eodem vento iactatus, eisdem fluctibus agitatus fuit Ecclesiastici Liber; siquidem de illius Authoritate dubitasse videtur AVGVSTINVS *lib. de Cura pro mort. gerend.* Immò S. EPIPHANIVS *de Ponder. & Mensur.* & S. CYPRIANVS *in Exp. Symb.* ex Patrum testimonio eumdem Ecclesiastici Librum à Canone Sacrarum Scripturarum reiecerunt, vt refert EVSEBIVS *lib.* 4. *Hist. cap.* 26. idemque pręstiterunt MELITO, & ORIGENES *Psalm.* 1. quibus consonat S. IOANNES DAMASCENVS *lib.* 4. *de Fide Orthod. cap.* 18. Ex quibus apertè innotescit, quo fundamento Augustini, & Hieronymi temporibus fuerit de Sapientię, Ecclesiasticique Libris dubitatum.

1178 Non tamen propterea oppositum sentientes Authores, tantorum tamque Sanctitate, Doctrinaque insignium Patrum ac Doctorum dubio succubuerunt; immò potius diligentiori cura, & sollicitudine veritatem inquirentes, prædictique dubij fundamenta discutientes sese ijs, qui de prædicta veritate dubitabant viriliter opposuerunt, prædictosque Ecclesiastici Sapientiæque Libros in plenam integramque Fidem, Authoritatemque asseruerunt, multò plures non inferioris notæ Authores, quousque tandem Ecclesia illos, in Sacrorum Librorum Canonem, varijs in Concilijs retulit.

1179 Vndè nec obstat, tàm gravissimos Authores, de Ecclesiastici Libro dubitasse. Ipsorum enim dubitationi opponitur certa multorum Sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum, Sacrorumque Conciliorum (quibus nunc, quia fusius infra dè hac eadem re tractaturi sumus, abstinemus) Authoritas; & incertitudo illorum, qui prædictorum Librorum Authoritatem negarunt, longissimè superatur certitudine istorum, qui cum in Ecclesia maioris suppositionis testes existant, vtrumque Librum tamquam Canonicum, non quidem dubitantes, sed certissimè asseverantes suscipiunt.

1180 Pro quorum maiori illustratione, non est silentio prætereunda solutio, qua eruditus Pater DOMINICVS GRAVINA diluit simile argumentum factum contra Librum Esther, de cuius etiam authoritate quidam olim dubitavere, *tom.* namque 2. *de Verbo Dei lib.* 4. *controvers.* 4. *art.* 1. ad primũ, hæc habet: *Si Patres citati reiciunt, aut non numerant Librum Esther inter Canonicos, & Divinos Libros; sat nobis est, quod numeret reliquis Sanctorum Chorus. (Et infra:) Authoribus in

con-

contrarium, graviores alios, qui citantur, opponimus, & Ecclesiæ Matris inconcussam Authoritatem: & negativę eorū Authoritati affirmativam aliorum Patrum, & Ecclesiæ prȩferimus.* Quo plenè satisfactum videtur aliquorum dubitationi, qui oppositum censuerunt.

1181 Nec omitti potest solutio, qua his, qui de vtroque Libro, Sapientiæ scilicet, & Ecclesiastici, dubitarunt, prædoctè respondet Illustrissimus TENA: *Tantum probare, eo tempore apud illos Patres, non fuisse certum, dictos libros esse Canonicos: at postea maiori facta diligentia, & Spiritus Sancti assistentia, id declaratum est, & Ecclesiæ vsu, expressaque Definitione Conciliorum, ac Pontificum, & testimonio Patrum.*

1182 Nec obstat, prædictos Libros fuisse à S. Isidoro Apocryphos existimatos, posset enim responderi (vt scribit idem Author) *Cum Apocryphum dicatur dupliciter, & quia incerti Authoris, & quoniam dubiæ Authoritatis: non rectè sequitur: Isidorus censet hunc Librum, vt Apocryphum: ergo vt non Canonicum. Quia licet sit Canonicus, potest dici Apocryphus, quando non certè constat de Authore, vt multi dicunt de Libro Iob, & de Epistola ad Hebræos, cum tamen certum sit, esse Scripturam Canonicam. Præterea nàm Isidorus, licet dicto *cap.* 1. §. *Quartus est*; affirmet, hos libros, & alios ibi numeratos esse extra Canonem Hæbreorum; postea tamen dicit: Quos, quamvis Hebræi inter Apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter Divinos Libros, & honorat, & prædicat.*

1183 Idem ergo videtur, proportione servata, de Apostolorum Canonibus dicendum: estò enim fateamur Authores in argumento relatos de illis dubitasse, & aliquos illis facilem non prȩbuisse consensum; estò etiam permittamus hos Authores non fuisse incognitos, & Apocryphos, sed maxima Autoritate condecoratos: inde tamen nihil aliud deducitur, quàm, priscis illis temporibus prædictos Apostolorum Canones fuisse cum aliqua dubitatione susceptos. At postquam posterioribus sæculis, veritate diligenter discussa, eorum Authoritas innotuit, & testibus maioris in Ecclesia acceptationis, solidata apparuit, rationi consonum non est, amplius de illis dubitare, cum multorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, meliorisque notæ Authorum approbationem meruerint, qui vnanimi consensu ipsis suffragantur, eos singulari veneratione citant, illorumque doctrinam, ceù verè Apostolicam, pari veneratione sequuntur. Quod vt melius agnoscatur præcipuos, quorum verba modò retulimus, hic breviter commemorabimus.

1184 Inter Sanctos prædictis Apostolorum Canonibus patrocinantur, S. Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus, S. Epiphanius, S. Basilius, S. Athanasius, S. Hieronymus, & S. Ioannes Damascenus.

1185 Inter Pontifices, S. Clemens Romanus, S. Anacletus, S. Zepherinus, S. Leo Magnus, S. Eutychianus alijque plures, vti Alexander, Eleutherius, Iulius, Fabianus, Anicetus, Lucius, Nicolaus, I. Leo IV. Antherus, Calixtus, Ioannes VIII. Stephanus IV. & Leo IX.

1186 Inter Concilia, Synodus Nicæna II. Antiochena, Ephesina, Africana, VII. Generalis sub Adriano Papa, VIII. sub Ioanne Papa, Parisiensis, ac tandem Lateranensis.

1187 Quibus adiungendum Imperatoris Constantini testimonium, sicut & Eminentissimorum Cardinalium Deusdedit, Humberti, Turrecremata, Baronij, & Bellarmini.

1188 In eamdem Sententiam collimant Clemens Alexandrinus, eiusque Discipulus Origenes, Eusebius Alexandrinus, Patriarcha Photius, Nicephorus Callistus, Anastasius Bibliotecarius Apostolicus, Dionysius Exiguus, Isidorus Mercator, Hincmarus Rhemensis Antistes, D. Petrus Marca Archiepiscopus Parisiensis, alijque plures, quos molestiæ vitandæ gratia silentio præterimus.

1189 Verum estò omnes prædicti Doctores Apostolorum Canonibus, prȩcipuè 50. prioribus expresè patrocinentur luculentius adhuc eisdem suffragatur Ecclesia, quæ in Lateranensi Concilio anno 769. congregato *Action.* 4. hæc statuit: *Non amplius suscipiantur Apostolorum Canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta Capita, quæ suscipit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Quæ quidem tanti Concilij Authoritas, estò nulla alia daretur, sufficiens erat, vt omne tàm antiquorum, quàm recentiorum Authorum dubium procul eliminaretur; siquidem omnes Catholici in dogmaticis

ticis controversijs omne deponunt dubium, mentisque vela contrahunt, cum de Romanæ Ecclesiæ determinatione innotescit sese humiliter subijcientes expresso sensui, Iuditio, & Sententiæ Sanctæ Apostolicæ Sedis, & Cathedræ Divi Petri, quam Christus Dominus constituit omnis doctrinę Normam, Fidelium Magisterium, ac totius Christianæ Religionis Regulam, Fideique Cynosuram.

CAP. VIII.

DIFFICVLTATES CIRCA aliquos Apostolorum Canones dirimuntur.

1190 VT ab oppositæ Sententiæ Authoribus omnem dubitationem, scrupulumque procul abigamus, enodandas aggredimur difficultates, quę circa aliquos ex prioribus 50. Apostolorum Canonibus occurrentes, prædictos Authores impulerunt, vt illos Apostolorum esse inficiarentur.

§. I.

PRÆCIPVA DIFFICVLTAS circa Quintum Apostolorum Canonem, enodatur.

1191 PRo maiori difficultatis dilucidatione prænotandum est hunc Canonem ab alijs quintum, ab alijs verò, sextum appellari. Gratianus, & alij illum quinto loco, hisce verbis rępónunt: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus vxorem suam prætextu Religionis non abijcito; si abijcit, segragator à communione; si perseverat, deponitor.* BINIVS autem *in prima versione Græcolatina Dionisij Exigui*, & alij, sexto loco his verbis enumerant: *Episcopus, aut Presbiter vxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abijciat: si verò reiecerit excommunicetur; sed si perseveraverit, deijciatur.*

1192 Contendunt Magdeburgenses, hoc Canone Sacerdotum Matrimonium approbari: *Deinde (inquiunt, de Apostolorum Canonibus loquentes, apud Turrianum *lib. 1. contra Magdeburgens. cap. 4.*) inter eos reperiuntur Canones repugnantia præcipientes, quales sunt 5. 17. & 16. 40. & 41. quorum alij nuptias Sacerdotum damnant: alij verò admittunt.*

1193 Sed omissis Hæreticis, qui, cum pro sua lascivia perpetuum Castitati bellum indixerint, nihil mirum quod molestè ferant ea, quę à Sanctis Apostolis, pro Sacerdotum continentia, æquissimè statuta sunt; non desunt inter Catholicos aliqui, qui de isto Canone non benè sentiant, quorum vnus est CABASSVTIVS *in Notitia Ecclesiast. Concilior. qui in Diatrib. de Canon. Apost. edit. vlt. num. 7.* hunc 5. vel 6. Canonem, Apostolorum non esse asseverat, ita scribens: *Inter priores illos 50. Canones is, qui ordine quintus legitur, statuens segregationis, & depositionis pœnas in Episcopum, Presbiterum, aut Diaconum, qui Religionis prætextu suam dimiserit vxorem, verosimiliter fuit olim ab hæreticis, vel schismaticis confectus.*

1194 Si istius Authoris censura ratione aliqua, quantumvis apparenti, firmaretur, posset vtique conniveri: at velle sine fundamento fœdare existimationem, commaculareque Fidem vnius è primis 50. Apostolorum Canonibus, qui à tot Viris Sanctitate Doctrinaque pręclaris, quot supra laudavimus, approbari meruerunt, non potest non ingenti admiratione concitare.

1195 Nihilominus vt veritas clarius eluceat, & prædicti Canonis intelligentia manifestior appareat, adducemus fundamentum, quo moderni hæretici moventur ad erroneè existimandum, turpissimèque defendendum Ecclesiæ ministris, quantumvis per consecrationem Deo, & Altari destinatis, prohibitum non esse Matrimonium, sed licitum. Quod ne aliquò admiratione afficiat, prænotandum est, antiquam esse hæreticorum consuetudinem ad suos firmandos errores vti aliquibus Sacrarum Litterarum locis, & Conciliorum, Sanctorumque Patrum testimonijs, vel eorum verba, vel sensum sinistris, & erroneis interpretationibus adulterantes. Vndè nihil mirum, quod ad prædictum errorem de Ecclesiasticorum incontinentia, Ecclesiæ, atque Ecclesiastici status honestati perniciosissimum confirmandum vtantur hoc 5. Apostolorum Canone, sic arguentes: Prędictus Canon præcipit Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, ne prętextu Religionis, vel Ecclesiastici status abijciant vxores suas: ergo quia Clericis

etiam in Sacris Ordinibus constitutis licet vxores ducere, & retinere.

1196 Hunc errorem probare contendunt eo quòd, nulla Lege, Continentia, vel Cœlibatus præcipiatur, sicut & nulla Lege Ecclesiasticorum incontinentia prohibetur, quia neque in Lege Naturæ, neque Scripta, neque Gratiæ vllum invenimus de Sacerdotum cęlibatu præceptum, immò & eos vxores habuisse comperimus. Sic in Lege Naturæ omnes Sacerdotes, ad Moysis vsque Legem, primogeniti erant, vxoribusque vacabant, vt constat ex Genesi, vbi apertè narratur cunctos, tàm primogenitos, quàm reliquos Sacerdotes, vsque ad Aaronis electionem, Matrimonio deditos fuisse, vt probat Franciscus Gothmanus *de Cœlibat. Sacerdot. lib.* 1.

1197 Sic etiam Legis Scriptę Sacerdotes minimè fuisse cælibatui devinctos, constat *Levit.* 22. vbi Deus pro minoribus Altaris Ministris hanc sanxit Legem: *Scortum, & vile prostibulum non ducent vxorem, nec eam quæ repudiata est à marito: quia consecrati sunt Deo suo, & panes propositionis offerunt.* De vxore etiam Summo Pontifici tradenda ita statuit: *Pontifex, idest, Sacerdos Maximus virginem ducet vxorem, viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo.* Ex quibus manifestè deducitur, Deum Antiquæ Legis Sacerdotibus non modò Cœlibatum vel Continentiam non præcepisse; sed potius illis præscripsisse Leges, iuxta quas debebant vxores sumere. Quod latius probat BECANVS *in Analog. cap. 7. quæst.* 7. Ergo idem quoque in Lege Gratiæ Sacerdotibus licitum erit, ne videatur istis imponi onus gravius, quàm fuerit Lex Mosayca, & lapis offensionis apponatur Clerico: vnusquisque enim tentatur à concupiscentia, constatque multos ob Cœlibatus institutum, vel cecidisse, vel à statu Clericatus abstinuisse, immò, & abhorruisse.

1198 Quod præclaré confirmat NICOLAI Antiocheni, vnius è septem primis Diaconis in ipsis iam Ecclesiæ primordijs miserabilis casus. Iste enim (vt referunt IRENÆVS *lib. 1. cap.* 27. TERTVLLIANVS *lib. de Præscript. Hæret. cap.* 46. S. EPIPHANIVS *Hæres.* 25. S. HILARIVS *Can.* 25. & alij) cum post Diaconatum susceptum, aliorum, quos Deo videbat addictos, æmulatione exemploque commotus, ab vxore, quam formosam quidem habebat, sese continere statuisset, ac cæpisset, tandemque superatus à concupiscentia iterum illam superinduxisset; cum propter hoc argueretur ab Apostolis, sordidissimam excogitavit hæresim, necessarium asserens ad consequendam salutem quotidianis inquinari luxurijs, aliaque id genus abominanda deliramenta commentus; vndè ortum habuit Nicolaitarum secta, quæ in Gnosticos, quæsito specioso nomine à sapientia, conversa est.

1199 Hic tamen obiter notandum duximus, verius esse, Nicolaum, vnum ex septem Diaconis, non fuisse hæreseos Nicolaitarum Authorem: ita enim docent S. IGNATIVS MARTYR *in Epist. ad Trallian.* CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 2. Stromat.* EVSEBIVS *lib.* 3. *de Hæreticor. Fabul. cap.* 1. quibus addimus VICTORINVM Pictaviensem *Comment. in Apocalip.* ita dicentem: *Nicolaitę autem erant illo tempore ficti homines, & pestiferi, qui sub nomine Nicolai ministri, fecerunt sibi hęresim. Probati enim Authores vindicarunt ab hæresi Nicolaum, quem Epicopum Samaritanum ab Apostolis factum, virumque probatissimum scribunt.

1200 Nihilominus estò hæc ita sint, celeberrimum est recentioribus Hæreticis, cum Matrimonium inductum sit in remedium incontinentiæ, licitum etiam esse Sacerdotibus, vxores ducere, easque retinere; id que à Sectarijs communiter in praxim, actumque reduci, atque opere compleri extra dubium est: Andreas enim Carolostadius intimus Luthero, Archidiaconusque Vuittembergensis, in Saxonia Matrimonium publicè inivit; exindeque Vuittembergenses Lutherani in laudem illius, tunc primum vxorati, Missam ediderunt, cuius pestiferam collectam, cum sit indigna relatu, libenter hic omittimus, apud recentiores videndam.

1201 Alijs insuper rationibus prędicti Hæretici perniciosam suam Sententiam probare nituntur. Cum enim Matrimonium Sacramentum sit, & gratiam conferat, indè inferunt, non esse Sacerdotibus denegandum, maximè cum à D. Paulo vocatur *ad Hebr.* 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Si ergo honestum est omnibus: ergo & Clericis. Vrgent insuper ex illo Apostoli 1. *ad Corinth.* 9. *Numquid non habemus potesta-*

statem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Ergo possunt & Clerici vxorum consortio vti. Quod confirmant ex eodem Apostolo docente, vt Episcopus eligatur *vnius vxoris vir*.

1202 Tandem quia si vsus coniugij Ministris Ecclesiæ ratione Clericalis gradus repugnaret, non permitterent Sacri Canones Episcopos, & Clericos cum vxoribus cohabitare; sed non tantummodo illis id permittunt, verum & in vxorum desertores animadvertunt, ipsisque depositionis penam minantur, vt patet ex 5. Apostolorum Canone: Igitur Matrimonij vsus non modo nulla Lege Sacerdotibus est prohibitus, verum & omni Lege permissus, tàm Naturali, Veteri, & Scripta, quàm Nova, & Evangelica, iuxta Apostoli Pauli, dictique Canonis Apostolorum mentem.

1203 His alijsque rationibus turpissimum suum errorem confirmare contendunt Magdeburgenses, cęterique recentiores Hæretici, conantes sese, exitiosamque suam hæresim prædicti Canonis 5. Authoritate protegere, illius legitimum sensum adulterantes. Quod vt clarius innotescat, genuinum, ac germanum prædicti Canonis sensum sequenti §. exponemus.

§. II.

CANONIS 5. APOSTOLORUM genuinus sensus aperitur.

1204 EAdem Canonis 5. Sententia refertur in *cap. Siquis* 28. *dist.* ibidemque apponitur illud, quod legitur in Canone Apostolorum *cap. 6. alias* 5. *Siquis docuerit, Sacerdotem sub obtentu Religionis propriam vxorem contemnere, Anathema sit.* Vndè manifestè apparet, Gratianum prædictum Caput ex Canone Apostolorum 6. desumpsisse. Nunc ergo quomodo iste Canō *Siquis*, à GLOSSA intelligatur, videamus. *Hæc est (inquit Glossa) nona pars dist. in qua dicit Presbyterum, Religionis causa, non debere contemnere propriam vxorem, quantum ad exhibitionem necessariorum, vt 31. *dist. cap. omninò.** Legitimum verò sensum prædicti Capitis *Siquis*, affert GRATIANVS *cap. Quicumque* 32. *dist.* sic scribens: *Potest & aliter intelligi illud, quod in Canone (scilicet *cap. Siquis* 28. *dist.*) Apostolorum legitur, vt iste sit sensus Capituli: Siquis docet, Sacerdotem vxorem suam contemnere: Non quam vxorem in Sacerdotio accepit, sed quam dum adhuc esset Laicus, vel in minoribus Ordinibus constitutus sibi copulavit, cum qua continentiam professus est, cum ad Sacros Ordines ascenderet, quam nullus debet contemnere, hoc est, ab animo, & cura sua abijcere, quin ei necessaria provideat. Probatur autem hæc interpretatio authoritate Leonis Papæ, qui *Epist. 90. cap. 3.* scribens Rustico Narbonensi Episcopo, ait: (Hactenus Gratianus, sequitur immediatè *cap.* 10.) Lex continentię eadem est Altaris Ministris, quæ Episcopis, atque Presbyteris, qui cum essent Laici, sive Lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vndè vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere, quo & salva sit Charitas, & cessent opera nuptiarum.*

1205 Prosequitur idem Gratianus textum *cap.* 11.) quod declarativum est Canonis 5. & *cap. Siquis* 28. *dist.* vbi eadem continetur sententia) sic scribens: *Item Leo contra Epist. Nicetæ Abbatis: Omninò confitemur non licere Episcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono, propriam vxorem causa Religionis abijcere à cura sua, scilicet vt victum, & vestitum largiatur, non vt cum illa ex more carnaliter iaceat. Sic & Sanctos Apostolos legimus egisse, Beato Paulo Apostolo dicente: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut fratres Domine, & Cephas?* Vide insipiens, quia non dixit: Numquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet vt de mercede prędicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium.* Hactenus Leo.

1206 In cuius expositione hęc subdit Gratianus: *Vt igitur ex his Authoritatibus apparet, Sacerdotes vxoribus quas in laicali habitu, vel in minoribus Ordinibus constituti, sibi legitimè copularunt, necessaria ministrare, debita verò reddere, non valent.*

1207 Pro clariori tamen intelligentia hic apponendum censuimus quod scribit GLOSSA *in dict. cap. Omnino.* *Abbas

Nnn 2 bas

bas Nicetas dicebat licere Episcopo, Presbytero, & Diacono, amplecti vxorem suam, & cognoscere. (En ipsummet Magdeburgensium, istorumque sequacium errorem.) Et hoc probat Authoritate Apostoli dicentis, se habere potestatem circumducẽdi mulierem, sicut Fratres Domini, & Cephas. Leo autem Papa eum reprehendit, & scribens contra eum dicit: non esse verum, posse cum ea dormire more solito; tamen debere ei largiri victum, & vestitum; & hoc probat exemplo Apostolorum, reprehendens eum ex eo quòd malè intelligebat illud verbum *circumducendi.** Ex dictis incipit iam verus prædicti Canonis sensus innotescere, simulque apparet, quàm sinistrè Magdeburgenses, istorumque sequaces illum interpretentur.

1208 Prædictę intelligentiæ consonat Glossa Cardinalis TVRRECREMATÆ *in dict. cap. omnino 31. dist.* * Sequitur (inquit) aliud caput ad idem propositum, quod est caput Leonis Papæ IX. contra Epistolam Nicetæ Abbatis: & potest dividi in duas partes. In prima probat, quod Ministri Altaris vxoribus, quas ante Sacros Ordines duxerunt, non debent vti ad concubitum post susceptos Ordines Sacros; sed debent eis in vitæ necessarijs providere. In secunda, reprehendit Abbatem prædictum, malè textum Apostoli intelligentem. (Et infrà:) Invehit ad locum contra istum Nicetam Abbatem dicentem, quod licebat Episcopo, Presbytero, & Diacono, amplecti vxorem suam, & carnaliter cognoscere. Et ad hoc inducit Authoritatem Apostoli suprà positam; sed malè intelligebat. Vndè dicit: Vide, &c. vt habetur in textu.*

1209 Huic expositioni subscribit Cardinalis BELLARMINVS *lib. 1. de Cleric. cap.* 21. qui sibi objiciens prædictum Canonis 6. textum, sic 3. argumentum efformat: *Lex Pontificia, quæ cęlibatum Sacerdotio adiunxit, dissentit à Concilijs antiquis.* Quod probat ex Canone Apostolorum 6. *Episcopus, aut Presbyter, &c.* Cui difficultati sic satisfacit: * Ad 1. respondent Humbertus Cardinalis lib. contra Nicetam, & habetur hęc responsio sub nomine Leonis IX. *dist. 31. cap. Omnino.* Apostolos iussisse, vt non abjiciant Clerici vxores à cura sua, & si reliquerint quoad torum: debent enim adhuc eas alere, & eis in omnibus providere. Id quod exposuit Concilium Trullanum Can. 48. vbi dicitur, quod Episcopi vxor debet in Monasterio aliquo degere, & providentia Episcopi viri sui frui. Necnon Concilium Turonensę II. Can. 8. vbi dicitur, quod Episcopus coniugatus debet habere vxorem, vt sororem, & curam eius gerere, absque tamen vlla suspicione carnalis commercij.*

1210 In eumdem sensum collimat Illustrissimus Archiepiscopus ACVÑA *in expositione cap. Omnino 31. dist.* vbi hæc habet: *Collige ex textu, Apostolos iussisse, vt Clerici non abjiciant vxores à cura sua, & si eas debeant relinquere quoad torum debent eas adhuc alere, & in omnibus providere. Id quod exposuit Concilium Trullanum Can. 48. vbi dicitur, quod Episcopi vxor debet in Monasterio aliquo degere, & providentia Episcopi viri sui frui. Tradit Sotus *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. vers. Pluribus*, Bellarminus *lib. 1. de Clericis, cap.* 21. qui vterque nostri textus meminere. Ex quibus adde, nostrum textum non dimanasse à Leone IX.* Ad illa verò verba textus: *Mulierem sororem*, ait: *Idem disponit Concilium Turonense II. Can. 8. vbi dicitur, quod Episcopus coniugatus debet habere vxorem vt sororem, & eius curam gerere, absque suspicione tamen carnalis concupiscentiæ; vt eleganter Vazquez *de Sacram. Ord. disp.* 249.*

1211 Nec dissentit BARBOSA *in Exposit. cap. Si quis docuerit*, 28. *dist.* sic scribens: *In Canone Apostolorum 6. alias 5. statuitur, vt Presbyter causa Religionis non contemnat propriam vxorem, vt refertur in hoc textu. Colligi ex eo videtur, tempore Apostolorum coniugatis ad Sacrum Ordinem cooptandis, vsum anterioris Matrimonij permissum esse, vt per Clicthovęum *de Continent. Sacerdot. cap.* 4. cum sequentibus, & sentit Henriquez *in Summa*, vbi de Ordine *cap.* 14. §. 7. *vers. Eodem Statuto*, contrariam tamen opinionem, nempè quod circa Apostolorum tempora, cunctis fuerit Sacerdotibus vxorius vsus interdictus, probat Apostoli Authoritas ad Titum *cap. 1. num.* 8. *Oportet Episcopum esse continentem.* Cum enim Apostoli à Spiritu Sancto edocti, necessariam esse Ecclesiæ continentiam prospicerent, fatendum est, illos docuisse, non nisi continentes Ministros esse suscipiendos. Vbi præter Sotum, & Bellarminum iam citatos, allegat Episcopum Co-

varr.

varruvias *de Sponsal. par. 2. cap. 6. §. 3. num. 1.* Nec obstat hic Textus : Solum enim prohibet, ne Sacerdotes sic vxores contemnant, vt eis, liberisque, & familiæ non provideant; sed debent adhuc eas alere, & alimenta præstare: at verò citrà contemptum communi toro ex amborum consensu abstineant, advertunt Soto, & Bellarminus locis iam supra adductis.* Hactenus Barbosa.

1212 His aptissimè congruit expositio, qua prædictum Apostolorum Canonem interpretatur D. EMMANVEL GONZALEZ *in 3. lib. Decret. de Cleric. Coniugat. cap. 1. fol.* 88. vbi sic discurrit: * Nec tandem obstat Textus in dicto Canone 6. Apostolorum. Nam respondetur, in eo Canone nihil de ineundo à Sacerdotibus, vel Episcopis connubio agi, sed quia primis Ecclesiæ temporibus vxorati assumpti fuerunt ad Sacros Ordines, illis præcipitur, non vsus coniugalis, sed cura, & providentia erga iam ductam vxorem, cui, etsi dimissę, Sacerdos de alimentis, & alijs ad vitam necessarijs providere tenebatur. Leo *Epist. 92. ad Rustic.* (cuius verba suprà tradidimus) Episcopi enim, & Presbyteri Ecclesiæ Latinæ, vt suprà retuli, abstinebant à coniugibus, sed non eas deserebant, immò eas castè vt sorores tractabant, Concilium Aurelianense I. Can. 15. Turonense II. Can. 13. Aruernense Can. 12. Vndè de Vrbico Aruernensi Episcopo, refert Gregorius Turonensis *lib. 1. cap. 22. & 44.* Papianilam habuisse, vt sororem, non vt vxorem, Fortunatus *in Poem. ad Leontium Burdegalensem*, ibi:

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc coniux, est modò chara soror.*

Hæc ille.

1213 Prædictæ interpretationi suffragatur etiam eruditus P. TVRRIANVS *de Canon Apost. lib. 1. cap. 4.* sic illum exponens: *Canon 5. iubet, vt Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus vxorem suam non excludat prætextu Religionis. Quia enim præcipit Apostolus, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi sint pudici, & continentes, vt antè docuimus, vetat hic Canon 5. Apostolorum, ne hoc prætextu continentiæ, vxores, quas ante quàm Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi fierent, duxerunt, domo eijciant, & alere, ac curare desinant: non enim iubet Apostolus inhumanos esse, sed continentes. (Et infrà concludit:) Restat igitur, vt Canon iste quintus Apostolorum prohibeat, ne Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, quia eis non liceat vxoribus suis vti, sed potius necesse sit continentiam colere, propter iuge ministerium Ecclesiæ, quod summa Religione, & reverentia tractandum est, ne prætextu, inquam, huiusmodi reverentiæ, & continentiæ Religiosæ, vxores domo eijciant relicta earum cura. Hoc enim inhumanitatis, vt dixi, est, & à pietate alienum. (Et paulò infra:) Hic igitur Canon, quem hactenus interpretati sumus, non solum non permitit Episcopis, Presbyteris, & Diaconis nuptias, id est, vt vxores ducant, vt Magdeburgenses novi Nicolaitæ falsò interpretantur; sed suis verbis satis clarè significat, abstinendum esse istis ab ijs, quas ante ordinationem duxerunt : siquidem cavet, ne prætextu huiusmodi continentię Religiosæ, cuius lege tenentur, vxores eijciant suas.* Hæc ille.

1214 Nec præteriri potest interpretatio, qua prædictum Canonem dilucidat eruditus SEVERINVS BINIVS *in Notis Conciliorum. de Canonibus Apostolorum*, vbi sic loquitur: *Hoc Canone non præcipitur, vt coniugatus Clericus vxori suæ maritali commercio cohabitet, liberisque procreandis, & generandis incumbat; sed potius, vt hi, qui habent vxores, iuxta præceptum Pauli *1. ad Timoth.* 5. & exemplum S. Petri *1. ad Corinth. 9.* illarum curam habeant ipsisque de omnibus, quæ ad vitam honestè degendam requiruntur, provideant. Huius expositionis veritas elucescit primò ex titulo, quem huic Canoni Dionysius Abbas præfixit: Secundò ex Epistola Clementis II. qua Clementi à Petro præcipitur, vt tales Ministri Altaris ordinentur, qui ante sui Ordinationem vxores suas reliquerunt, id est, ipsis consentientibus, à carnali copula abstinuerunt. Ita in vetusto exemplari Vaticanæ Bibliothecę legi, scribit Turrianus *lib. 1. cap. 1. pro Canon. Apost.*

1215 Tertiò S. Gregorius *lib. 1. Indict. 4. Epist. 42.* constituit non modò, vt non Episcopi, sed ne quidem Subdiaconi ad Sacros Ordines recipiantur, nisi qui cum vxoribus antea habitis continentes deinceps vixerint. Cum itaque eodem libro *Epist. 38.* Apostolica Lege, & Constitutione hac citata, Episcopis præcipiat, ne vxores suas relinquant, non aliter hunc Canonē intelligi voluit, quàm vt ij quiob

suas

susceptos Sacros Ordines vsu coniugij abstinent, vxorum suarum curam habere non desinant. Quartò, communi omnium ferè Patrum consensu, ac testimonio constat, quòd si quis legitimè coniugatus vxore consentiente Episcopatum, & Ordines susceperit, is tàm in Orientali, quàm Occidentali Ecclesia, vel Muneris Episcopalis exercitio, vel vxoris suæ coniugali consuetudine abstinére debuerit. Vide Epiphanium *in Compendio*, Hieronymum *contra Vigilantium*, *& Epist. 50. ad Pammach.* Basilium *Epist.* 17. Leonem *Epist.* 82. *cap.* 4. vbi ne quidem Subdiaconis permittit vxoribus vti. Quintò, Apostolica Constitutione bigamis, etiam si cælibes, & continentes sint, susceptio Sacrorum Ordinum maiorum interdicitur, vt patet infrà *Can.* 17. *& seqq.* Quomodò igitur ordinatis Authoritate Apostolica pręcipietur; vt vxoribus, quas habent legitimas, coniugali consuetudine, & commercio cohabitent, ipsisque debitum petentibus licitè reddant? * Hactenus ille.

1216 Ex prędictis præfati Canonis 5. expositionibus duo manifestè inferuntur. Primum, longè à vera ratione recessisse P. Cabassutium, dum inquit: * *Verosimiliter fuisse olim ab Hæreticis, vel Schismaticis hunc Canonem confictum.* * Cum iuxta præ allatas tam illustrium Authorum interpretationes nihil in illo contineatur, quod schisma, aut hæresim sapiat, nihilque consonum non sit Apostolico Spiritui, ac zelo, quo Sanctissimi Apostoli continentiam Sacris Ecclesiæ Ministris præscripserunt.

1217 Secundò deducitur, valde erroneam esse consequentiam, qua Hæretici, Sacerdotibus licitum esse matrimonium contrahere, eoque vti, ex supradicto Canone conantur inferre: ab isto namque errore tàm longè abest legitimus prędicti Canonis sensus, & Sacerdotum continentię, ac cælibatui adeò patrocinatur, vt ne ijs quidem, qui ex laicali statu ad Sacerdotium promoti fuere, Matrimonij priùs licitè contracti vsum vlla ratione permittat, vt ex prædictis supra allatorum Authorum interpretationibus manifestè apparet, quas legitimas esse sequens §. demonstrabit.

§. III.

PRÆDICTAM CANONIS quinti expositionem, legitimam esse probatur.

1218 EO puritatis, continentiæ, & Castitatis amore in suis Ministris Divino cultui mancipatis Ecclesia semper exarsit, eosque puritate nitère vsque adeò semper exoptavit, vt pro certissima Conclusione statuere possimus, eam à suis primordijs, & Apostolorum temporibus perpetuò, ac continuato vsu voluisse in Ministris Deo consecratis perpetuam stabilire puritatem, omnemque ipsis incontinentiam interdicere, ac Matrimonij vsum in his, qui ante Sacrum Ordinem illud legitimè contraxerant, penitùs prohibere.

1219 Multi, gravissimique Authores poterant pro hac Assertione laudari, sed qui eam præcipuè illustrant sunt Concilia, & Patres, quos infrà citabimus. Nihilominùs aliquorum Authorum nomina, & Tractatus hìc breviter recensebimus. Hanc itaque Conclusionem tenent Cardinalis Baronius *anno* 58. *num.* 16. *&* 68. *num.* 9. *& anno* 591. Cardinalis Bellarminus *loco suprà laudato*, Iodocus Coccius *lib.* 8. *Thesaur. Fid. art.* 6. Archiepiscopus Tarraconensis D. Antonius Augustin *in Epit. Iuris, lib.* 4. *Tit.* 37. Illustrissimus Acuña *in princ. disp.* 21. *& in cap.* 7. *Dist.* 32. Crespesius *in Summa, verbo, Cælibatus*, vltrà congestos à Barbosa *lib.* 3. *Decret. Tit. de Cleric. coniugat.* & Graña, P. Bollò *in OEconom. Canon. Clas.* 1. *cap.* 1. §. 6. Ioannes Dartis *de Benefic. cap.* 6. *Sec.* 4. Cironius *ad Tit. de Custod. Eucharist.* Garcia *in Summa Tract.* 1. *difficult.* 1. *dub.* 5. *punct.* 9. *& in Polit. Regul. Tract.* 4. *cap.* 2. *difficult.* 2. *dub.* 2. Petrus Gregorius *lib.* 7. *Syntagm. cap.* 14. *& lib.* 1. *Partit. Tit.* 11. *cap.* 4. *& lib.* 3. *Tit.* 21. *cap.* 9. *& lib.* 4. *Tit.* 14. *cap.* 7. *& de Benefic. cap.* 25. *& in cap.* 1. *de Sponsal. num.* 7. Barbosa *lib.* 3. *de Iure Eccles. cap.* 14. *num.* 7. Lanthmeterius *lib.* 2. *de veter. Monach. cap.* 80. D. Ferdinandus de Mendoza *lib.* 2. *Concil. Illiberit. cap. fin.* Columbus *de Angel. Hierarch. lib.* 6. *cap.* 21. *&* 22. Sebastianus Cæsar *de Ecclesiast. Hierarch. disp.* 8. §. 7. *& disp.* 10. §. 2. Vighel *in Methodo*

*thodo Iur.Canon. fol.*264. Le Maistre *de Cœlibat. Sacerdot. lib.*4.*cap.*3. & 4. Revardus *lib.*1.*Conie*ct. *cap.* 2. Beyerlink *in Theatr. Vitæ Hum. verbo, Cælebs.* P. Macedo *de Clavib. Petri, lib.*4. *cap.*7. Guzman *de Cœlibat. Sacerd.* Conradus Kling *lib.*3.*disput. cap.* 37. Claudius Espenceus *integro lib. de Continent. Sacerd.* Loaysa *in Can.*25. *Concil. Tolet.*9. Ambianas *ad Tertul. de Monogam. cap.* 8. *observat.* 2. Duarenus *lib.*4.*de Sacris, cap.*8. Turrianus *lib.*1.*Pro Canon. Apost. cap.* 1.2. & 28. & *in VI. Synodo, fol.* 40. & *lib.* 1. *contr. Magdeburg. cap.*1.*de Dogmat. lib.* 2.*fol.*62. Coriolanus *in Can.* 5. *Concil. Tolet.* 3. Cresolius *lib.*2. *Mistag. cap.*9. Becanus *in Analog. cap.*7.*quæst.*7. Bernardus *in Tract. de Cælibat. Sacerdot.* Bronch *Centur.* 1.*Assert.* 96. Valensis *de Benefic. lib.*1. *tit.* 19. Ægidius Ortensius *de Privileg. Honest. art.* 11. Savarus *ad Sydon. lib.*5. *Epist.*16.

1220 Hi, alijque haud ignobiles Authores, quos brevitatis gratia omittimus, stant pro Sacerdotum, Sacrorumque Ministrorũ Continentia, & Cœlibatu; multique illorum censent, Cœlibatum fuisse Iure Divino Sacerdotibus iniunctum; cum enim Ecclesia ab Apostolorum temporibus hanc continentiæ legem in suis Ministris semper servaverit, proculdubio credidit, eam esse Divino Iure præceptam: tum quia Christus Dominus Discipulis suis *Lucæ* 21. iniunxit, ne huius sæculi implicarentur curis; quod & commendavit Apostolus 2.*ad Timoth.*2. dicens: *Nemó militans Deo implicat se negotijs sæcularibus*; & *ad Tit. cap.* 2. suadens, vt, sæcularibus curis neglectis, Deo inserviat. Tum quod Christus Dominus Castitatem in Ecclesia sua voluerit emicare. Ita censuerunt Maior *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 2. *per tot.* Vualdensis *de Sacrament. cap.* 128.*num.*5. Turrianus *lib.* 2. *de Dogmat. fol.*85.*col.*1. & *lib.*5. *pro Canon. Apost. cap.* 12. & *sequent.* Azor *lib.*13. *Instit. Moral, cap.*12. *quæst.* 1. Clicthoveus *de Continent. Sacerd. cap.* 4. Medina *eodem tract. lib.*2.*cap.*7. & Vualdensis *de Sacr. cap.*28.

1221 Alij verò, estò iudicent, cœlibatum non esse Iure Divino Sacris Ordinibus annexum, existimant tamen, & quidem verius, ex antiquissimo Ecclesiæ statuto esse Sacris Ministris præceptum, vt patet *ex cap. Rursus, qui Clerici, vel Monachi, cap.*2.*de Cler. coniugat. cap. Siquis eorum*; quod est ex VI. Synodo *cap.*6. & *cap. Erubescant.*32.*dist. Clementina Vnica, de Consanguin. ex Epist. Siricij Papæ, ad Hymer. Tarracon. Episc.* in qua præcipiens Clericis Cœlibatum eam Legem confirmat; & *cap. Diaconi*, & *cap. De his* 28. *dist.* & *dist.*27.*cap.*1. ibi: *Si dixerit, non posse in Castitate permanere, non ordinetur.* Quod est Martini Pontificis, & *cap.* 1. & *cap. Placuit.* 31. *dist.* Ex Tridentino *sess.*24.*Can.*9. Et constat ex vsu Ecclesiæ Orientalis, vbi Matrimonio Sacerdotes Græcos vti, constat, & infrà probabimus, & liquet apertè *ex cap. Cum olim. tit. De Cleric. Coniugat.* Et non valuisset Ancyrana Synodus relata *in cap. Diaconi*, 28.*dist.* permittere Diaconis vxorum consuetudinem, si Iure Divino, non Ecclesiastico esset inhibita, vel eis præcepta Continentia. Vndè hanc Sententiam, vt veriorem tenent Theologi cum D. Thoma 2. 2.*quæst.* 88.*art.*1. Bellarmino *dict. cap.* 18. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.*27. *num.*5. Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 9. *cap.* 13. Hieronymo Garcia *in Summa, vbi suprà.* Lanthmetero *dict. cap.*80. Sebastiano Cæsar. *dict. disp.*8.§.7. Vazquez *disp.* 246. Illustrissimo Arauxo *in Decision. Moral. tract.*2.*quæst.*19. *num.*1. Macedo *de Clavib. Petri, lib.*4. *cap.*7.*fol.* 574. qui fundamentis oppositæ Sententiæ satisfaciunt. Iuris ergo tantùm Ecclesiastici est Lex Continentiæ circa Presbyteros, & Clericos in Sacris Ordinibus constitutos.

1222 Antiquissimam in Ecclesia esse Legem istam, qua Ecclesiasticis Matrimonium prohibetur, Cœlibatusque præcipitur, permulti Sacri Canones ostendunt, vt Canon 27. Apostolorum vbi sic habetur: *In nuptijs autem qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, vt vxores accipiant, sed Lectores, Cantoresque tantummodo.* (qui verè Laici erant, omnique Sacro Ordine destituti.) Citatur autem Canon iste à Patribus VI. Synodi, & refertur à Gratiano *in cap. Siquis*, 32. *dist.* D. Clemens *Epist.* 2. *ad Iacobum Frat. Dom.* & *lib.*6.*Constit. cap.*17. Concilium Neocesariense *Can.*1. Et *Can.*7. quem citant Patres Concilij Moguntini II. sub Rabano *Can.*19. Parisiense III. *Can.* 35. Romanum II. sub Silvestro *Can.* 19. Et *in cap. Quia tua*, §. *Siquis verò* 12. *quæst.*2. Eugenius II. *Decret.* 2.

1223 Za-

1223 Zacharias I. *Epist.* 1. *ad Bonifac.* Concilium Nicænum I. *Can.* 3. *L. Sacris* 45. *C. de Episc. & Cleric.* Synodus Trullana *dist. Can.* 6. & *cap. Presbyteris* 27. *dist.* Concilium Carthaginense III. Aurelianense III. *Can.* 7. D. Bernardus *Epist.* 203. *Nec Clerici est pugnare armis militaribus, nec Subdiaconi vxorem ducere.* Ex quibus manifestè apparet, Ecclesiam iam ab ipso exordio, Sanctosque Patres, in primis illis nascentis Ecclesiæ Concilijs, Sacris Ministris Cœlibatum præcepisse, & Matrimonia interdixisse.

1224 Sanctam hanc de Ecclesiasticorum continētia Doctrinam Sancti Apostoli nobis suo exemplo statutam reliquerunt: nullus enim eorum, qui ante acceptam vxorem ad Apostolatum vocatus est, eam postea duxit; vt infra in solutione secundi argumenti ostendemus. Vndè, hoc Apostolorum exemplo, omnes sequentes Episcopi, & Presbyteri ab eis ordinati, Cœperunt sese à coniugijs abstinere. Hinc credibile est, hanc in Sacris Ministris continentiæ Legem ab Apostolorum exemplo, & consuetudine, quæ in illorum Successoribus perseveravit, suum ortum duxisse. Cum enim Sanctissimi illi Apostolorum Successores rectissimè existimarent, Ecclesiastici status conservationi, ipsisque Ministris Deo devotis valdé congruere, tàm animæ, quam corporis puritatem; probèque agnoscerent, incontinentiam istiusque effectus Sacris Ecclesiæ Ministris, haud parvam perniciem allaturos esse, Apostolorumm exemplum secuti, vel levissimam incontinentiæ vmbram exhorruerunt. Quare Summi Pontifices, Sancti Patres, Sacraque Concilia, vt damna, quæ ex incontinentia suboriri poterant, procul à Sacris Ecclesiæ Ministris arcerent, his omnibus Cœlibatum, & Continentiam generali Lege iniunxerunt, vt constat ex pluribus Concilijs, tàm in Græca, quàm in Latina Ecclesia celebratis, in quibus non modò statutum fuit, ne Sacris Ordinibus initi Matrimonio copulentur, sed etiam, ne iam contracto vterentur, sed à proprijs sese abstinerent vxoribus, cum ministrorum necessitas, ac Fidelium inopia cogeret tunc, etiam ex coniugatis Clericos assumere; cum hoc tamen discrimine, quod Græcis Clericis per aliquot sæcula permissum fuit, vt Matrimonio ante Ordinationem contractô vterentur, prout docent Eusebius, S. Epiphanius, S. Cyrillus, S. Chrysostomus, S. Clemens, S. Basilius, aliquaque Concilia, de quibus infrà. Et licet primis sæculis Græci Episcopi Matrimonio antea contracto vterentur, vt scribit Nicephorus *lib.* 12. *Hist. cap.* 34. huiusmodi tamen vsus illis postea prohibitus fuit in VI. Synodo *Can.* 17. & 44. de quibus infra agemus. At si de Sacris Latinæ Ecclesiæ Ministris loquamur, nullo vmquam tempore illis, vel Matrimonio novo, vel ante Ordinationem contracto, vti permissum fuit, sed semper probibitum, ne etiam proprijs vxoribus ante Ordinem Sacrum susceptis vterentur; immò ne adhuc cum illis sub eodem tecto, eodem vè cubiculo morarentur. Quod Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, nec non & Ecclesiæ Doctorum testimonijs probandum assumimus.

§. IV.

QVID DE CLERICORVM CONtinentia Sancti Patres, tàm Græci, quàm Latini censuerint?

1225 CVm Sanctissimi Ecclesiæ Patres optimè agnoscerent, quantum ad Ecclesiastici status decorem, decentiam, & conservationem spectaret Sacros Ecclesiæ Ministros, tàm animæ, quàm corporis puritate nitere, semper à Clericorum Continentia stetere, summis laudibus extollentes Castitatem, quàm Ecclesiastici, tamquam vnum à præcipuis ornamentis ad proprium splendorem spectantibus sunt æstimaturi. Quid ergo hac de re Sanctissimi Patres maioris in Ecclesia eruditionis, & doctrinæ senserint, audiamus.

1226 S. BASILIVS, natione Græcus, qui anno 370. singulari Sapientia, & Virtute floruit, *Epist.* 1. *ad Amphiloch. Can.* 3. *Diaconus (inquit) post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem eijcietur; in laicorum autem locum extrusus à communione non arcebitur: quoniam antiquus est Canon, vt qui gradu exciderunt, hoc solo punitionis modò puniantur, primis, vt existimo, Legem illam secutis: *Non vindicabis bis in idipsum.**

1227 Et *Can.* 6. *Canonicorum fornicatio pro Matrimonio non reputetur, sed eorum coniunctio omnino divellatur: hoc enim, & Ecclesiæ ad securitatem est vti-

vtile, & non dabit Hæreticis adversus nos ansam, quod propter peccandi libertatem ad nos attrahamus.*

1228 Insuper *in cap. 3. Isaiæ*: *Quisquis igitur præsidentia Cathedræ dignus censetur, iamque adscriptus est Ordinini Presbyteratus, si talis est Presbyter, aut circumfert characterem Presbyterij, par est eum vel maximè esse irreprehensibilis vitæ, & expertem vxoris.

1229 Tandem *Epist. 17. ad Paregor. Presbyt.* Cœlibatus legem, vtpote Clericis à Sanctissimis I. Nicæni Concilij Patribus æquissimè præscriptam, egregiè commendat, dicens: *Nec primi, nec soli, Paregori, sancimus, non debere mulierculas cohabitare viris, &c.*

1230 S. CYRILLVS Ierosolymitanus, anno 370. *Catech.* 4. hæc, inter alia, scribit: *Tu in Libros Evangelicos inscriptus, cùm sis, propter institutum Continentiæ: cave igitur ne delearis propter scortationem.*

1231 Et *Catech.* 12. *Decebat sanè purissimum puritatis Doctorem (de Christo Domino loquitur) ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud IESVM benè fungitur Sacerdotio, abstinet à muliere: ipse IESVS quomodo ex viro, & muliere proditurus esset?*

1232 S. EPIPHANIVS, circa annum 380. *Hæres.* 59. præclare docuit, quantum Ecclesiæ Ministros Continentia deceret: *Revera (inquit) non suscipit Sancta Dei prædicatio post Christi Adventum eos, qui à nuptijs, mortua ipsorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem Sacerdotij honorem, ac dignitatem. Et hæc certò Sancta Dei Ecclesia cum synceritate observat. Sed & adhuc viventem, & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum: maximè vbi synceri sunt Canones Ecclesiastici.*

1233 S. GREGORIVS NYSSENVS anno 390. de puritate, quam Ecclesiæ Ministri, præcipuè Sacerdotes, servare debent, Sermonem instituens, *lib. de Virginit. cap. vlt.* *Quomodo (inquit) Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum, vt munus offerres vnctus es? Munus sanè non omnino alienum, neque suppositum ex ijs, quæ tibi extrinsecus eveniunt, sed revera tuum, quòd est homo tuus interior, qui tamquam agnus innocens, & perfectus esse debet, ab omnique macula, ac sordibus remotus. Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti, ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est, cur Mosem non audias, qui populo edicit vt à nuptijs purus sit, quo Dei aspectum comprehendat?*

1234 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS anno 400. affirmat *hom. 2. in Iob*, Sacerdotem debere summa Castitate ornari. *Paulus (inquit) Apostolus, vbi in Orbe adulterijs, fornicationibusque repleto, voluit Orbis Pastores constituere, & quoniam virtutes rarò inveniebantur, Episcopos ordinans, Tito dixit: *Constitue Episcopos, sicut ego disposui: vnius vxoris virum (ad Tit. 1.)* non ea ratione, quod id nunc in Ecclesia observetur; oportet enim omni prorsus Castitate Sacerdotem ornatum esse; sed quod id quandoque ad eos, qui in fornicatione erant, magnum fuit: ideo dixit: *Constitue Episcopos, sicut ego disposui tibi. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir.* Non quod id Legis loco posuerit, sed quod errori ignoscebat.* Videndus etiam *homil. 23. in Genes. & Epist. 125. ad Cyriac.*

1235 S. ISIDORVS Pelusiota, Vir planè doctissimus, qui Theodosij Iunioris tempore, anno nempè 440. floruit, *lib. 1. Epist.* 284. Palladio Episcopo directa, optimè describit magnam morum puritatem, qua fulgere debent Sacerdotes, exemplumque, quod præbituri sunt populo, mulierum commercia sollicite declinantes: *Mulierum (inquit) congressus, vir optimè, quantum fieri potest, fuge. Nam eos, qui Sacerdotum munere funguntur, sanctiores, & puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt. Siquidem illi, & sui, & plebis: hi autem sui dumtaxat curam gerunt. Quod si etiam vt cum ipsis congregaris necessitas aliqua te obstringat, oculis humi deiectos habe, atque ipsas quoque, quonam pacto spectandum sit, doce. Cumque pauca, quæ ipsarum animos astringere, atque illustrare queant, locutus fueris, statim avola; ne forte diuturna consuetudo vires tuas emolliat, & infringat.* Hucusque Græci Patres.

1236 Nunc iam quid hac de re Latini senserint, quàmque præclarè Cœlibatum, & Castitatem in Ecclesiæ Ministris commendaverint, ac viriliter propugnaverint, videamus. S. AMBROSIVS anno 370.

Epist. 82. ad Vercellensem Ecclesiam eruditissimè ostendit, proprium esse Ministrorum Ecclesiæ, ac maximè Sacerdotum, sese ab omni Matrimonij vsu abstinere, sic enim scribit: * *Vnius vxorem virum* præcepit (Apostolus) esse, non quo coniugij exortem excludat: nàm hoc suprà leg em præcepti est: sed vt coniugali castimonia servet oblationis suæ gratiam. Neque iterum, vt filios in Sacerdotio creare Apostolica invitetur Authoritate: habentem enim dixit filios, non facientem, neque coniugium iterare.*

1237 Et *Orat.* 2. ad Missam: *Peto (inquit) Domine Deus, vt qui ab ipso pubertatis tempore, à carnalis copulæ complexu alienum me esse voluisti, delectationis sensu non tangar.* Diffusius tamen ad *cap. 3. 1. ad Timoth.* & *lib. 1. Offic. cap.* 50. vt infrà videbimus.

1238 S. HIERONYMVS anno 390. puritatem, & Castitatem, quam Sacri Ecclesiæ Ministri servare adstringuntur, acerrimè propugnavit contra illorum temporum hæreticos, qui oppositum defendebant, eodemque errore inquinabantur, quo nostri temporis Hæresiarchæ miserrimè tenentur, erroneè existimantes Sacerdotium, Sacrumque Altaris Ministerium cum Matrimonio non solum antea contracto, sed & post Sacrum Ordinem contrahendo, rectè posse cohærere. Sic igitur exclamat Hieronymus *advers. Vigilant. cap.* 1. * Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius vxores duxerint: nulli cœlibi credentes pudicitiam, immò ostendentes, quàm sanctè vivant, qui malè de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes vxores viderint Clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quę aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?*

1239 Idem tenet *in Apolog. ad Pammach. cap.* 3. vbi sic loquitur: *Ecce perspicuè nuptias diximus concedi in Evangelio: sed tamen easdem in suo officio permanentes, præmia Castitatis capere non posse. Quod si indignè accipiunt mariti, non mihi irascantur, sed Scripturis Sanctis, immò Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & vniverso Choro Sacerdotali, & Levitico: qui se noverũt hostias offerre non posse, si operi serviant coniugali. Sed eo loco, vbi de Apocalypsi testimonium posuimus, nomine manifestum est, quid de Virginibus, & Viduis, & Coniugibus senserimus? Hi sunt, qui cantant Canticum novum, quod nemò potest cantare, nisi qui virgo est. Hi sunt primitiæ Dei, & agni, & sine macula. (*Apocalyp.* 14.) Si virgines primitiæ Dei sunt: ergo viduæ, & in Matrimonio continentes, erunt post primitias, hoc est in secundò, & tertiò gradu.*

1240 Nec pro Sacrorum Ministrorum, ac præcipuè Prælatorum Continentia omitti potest, quod idem Sanctus scribit *ad cap. 1. Epist. ad Tit.* *Si laicis (inquit) imperatur, vt propter Orationem abstineant se ab vxorum coitu: quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Relegamus Regum Libros, & inveniemus Sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare David, & pueris eius, nisi interrogaret vtrum mundi essent pueri à muliere, non vtique aliena, sed coniuge. (1. *Reg.* 21.) Et nisi eos audisset ab heri, & nudiustertius vacasse ab opere coniugali, nequaquam panes, quos prius negaverat, concessisset. Tantum interest inter propositionis panes, & Corpus Christi, quantum inter vmbram, & corpora; inter imaginem, & veritatem; inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quę per exemplaria præfigurabantur. Quomodo itaque Mansuetudo, Patientia, Sobrietas, &c. præcipuæ esse debent in Episcopo, & inter cunctos laicos eminentia; sic & Castitas propria, & (vt ita dixerim) pudicitia Sacerdotalis, vt non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore, mens, Christi Corpus confectura, sit libera.* Hactenus Hieronymus.

1241 Pro eadem Ministrorum Ecclesiæ Continentia lectu dignissimus est, quod scripsit AVGVSTINVS anno 400. *lib. 2. de Adult. Coniug. cap.* 20. vbi ait: * Vndè istos, qui virilem excellentiam non putant, nisi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis coniugijs hærendo pereãt in æternum, solemus eis proponere etiam Continentiam Clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam rapiuntur inviti, eamque susceptam vsque ad debitum finem, Domino adiuvante, perducunt. Dicimus ergo eis: quid si vos ad hoc subeun-

eundum,populorum violentia caperemini, nonne susceptum castè custodiretis officium, repentè conversi ad impetrandas vires à Domino, de quibus numquam antea cogitastis? Sed illos (inquiunt) honor plurimùm consolatur. Respondemus: Et vos timor amplior moderetur. Si enim hoc multi Dei Ministri repentè, atque inopinanter impositum susceperunt, sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere; quantò magis vos,adulteria cavendo, vivere continenter debetis,metuentes non in Regno Dei minus lucere, sed in gehennæ ignibus ardere?*

1243 S. VERANVS, Lugdunensis Antistes, circà annum 470. eidem suffragantur Sententiæ (vt videre est *tom. 1. Concil. Gall.*) his verbis: *Quis præsidentem Sacris Altaribus, atque ad ipsa Sancta Sanctorum honoris privilegio venientem, indignissimis carnalium voluptatum contaminari illecebris patiatur, ac sub ipso coniugalis licentię nomine adquiescat quempiam Clericorum, & Sacerdotis agere officium, & mariti implere personam? Cum purificatis corporis, atque animi motibus perpendendum, quàm idoneus debet esse is, qui ad celebranda Mysteriorum loca,non solum pro suis, verum etiam pro alienis peccatis intercessurus accedit. Incongruum siquidem mihi videtur, de coniugali thoro aliquem consurgentem, Altariorum septa penetrare. Ipsi vtique illuminati, & docti de Spiritu Sancto,optimè nostris oblaturum Spiritualis Sacrificij victimas,quali oporteat igne flagrare.Si enim in Lege Veteri, vbi dum Evangelicæ perfectionis authoritas præfulgeat, Sancto David, cum fugæ necessitate præmeretur, Sacerdos Sadoch, non prius panes propositionis tradidit, quàm se, & pueros suos, iā die tertiò mundos esse à mulieribus fatetur: quis immaculatas Agni carnes ad salutē Mundi pręstitas,post passionū inquinamēta,vel etiā audeat cōsecrare?* Hęc ille.

1244 S. ISIDORVS, Hispalensis Antistes, anno 620. *de Ecclesiast. Offic. lib. 2. cap. 5. De Sacerdot.* *Habebit etiam (inquit) inter hæc omnia,& Castitatis eminentiam, ita vt mens Christo dedita,ab omni inquinamento carnis sit munda, & libera (Et *lib. 2. cap. 10.*) Placuit Sanctis Patribus, vt qui Sacra Mysteria contrectant,casti sint; & continentes ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia sint liberi.*

1245 Venerabilis BEDA, circa annum 700. probans quam congrua, & conveniens sit Sacris Altaris Ministris Continentia,altè discurrit *lib. 3. de Tabernac. & vasis eius, ac vestib. Sacerdot. cap. 9.* sic scribens: *Sine illa castimoniæ portione, quæ ab appetitu copulæ coniugalis cohibet, nemo vel Sacerdotium suscipere, vel ad Altaris poterit Ministerium consecrari, idest, si non aut virgo permanserit, aut contrà, vxoriæ coniunctionis fœdera solverit. Quod videlicet genus virtutis nulli per Legem necessariò imperatum, sed voluntaria est devotione Domino offerendum, dicente ipso de hoc: *Non omnes capiunt verbum istud.* (*Matth.19.*) Ad quam tamen benigna mox exhortatione eos, qui possunt,invitat dicens: *Qui potest capere capiat.*

1246 Et paulò post, iisdem, qui vel vxorem, vel alios cognatos, & implicamenta Mundi huius propter ipsum reliquerint, centuplum promittit in hac vita præmium, & in sęculo futuro vitam æternam. Vndè certè gratia distinctionis non Moyses hoc vestimento vestiri Aaronem, & filios eius iubetur, sicut de prioribus dicitur: *Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum,& filios eius cū eo. Facies* (inquit) *& fœminalia linea,vt operiant carnem turpitudinis suæ.* Ipsi (inquit) operiāt carnem turpitudinis suę: tu fœminalia Pontifici,& filijs eius facies. Tu Castitatis regulam docebis, tu abstinendum ab vxorio complexu ijs,qui Sacerdotio functuri sunt, intimabis. Nulli tamen violentū huiusmodi Continentię iugum impones: sed quicumq; Sacerdotes fieri,ac Ministerio servire Altaris volunt, ipsi sua sponte vxorum servi esse desistent. Quod vbi perfecerint, & suscepto semel Continentię proposito, Ministros se Sanctuarij,ac Altaris fore consentiunt, aderit Lex Divina, quæ velut cæterum illius habitum Sacerdotibus congruum imponens,quomodo vivere, & docere debeant, abundanter instituat,congaudensque spontaneę ipsorum devotioni,dignum Sacerdotij decus,Sapientiæ,Patientię, Mansuetudinis,Misericordiæ, &c. superaddat. Mortem namque certissimam incurrit animæ, siquis luxuriosè vivens,Sacerdotalem sibi vsurpare gradum præsumit.*

1247 S. PETRVS DAMIANI, S. R.E. Cardinalis, anno 1040. singulari eruditione, & Sanctitatis exemplo clarus in *Epist. ad Petrum Lateranen. Archipresbyt.*

byt. Non solum Sacerdotes, sed & cœteros etiam Altaris Ministros, Diaconos videlicet, atque Subdiaconos debere castimoniæ cingulo præcingi, iuxta communem Patrum consensum: *Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, tàm districtè, tàm rigidè regula Castitatis indicitur, vt omni Catholicorum Patrum concurrente iudicio, à contrahendis nuptijs funditus abscindantur. Et certè satis est ratione plenissimum, vt per Episcopos, in hisque tribus gradibus niveus pudicitię candor effloreat, qui nimirum Sacris Mysterijs familiarius appropinquant. Nam quia Dominicum corpus in virginalis vteri Templo coaluit, nunc etiam à Ministris suis continentis pudicitiæ munditiem requirit. Planè sicut concipienti Deificæ Virgini non virile semen influxit, sed virtus Sancti Spiritus obumbravit: ita nunc in Altari positum Sacramentum eadem Sancti Spiritus virtus est, quæ vivificat, & necesse est, vt hoc pudica manus, & impolluta contingat.* Hæc autem tanti Viri Authoritas eo magis facere ad rem videtur, quia ab ipsis Magdeburgensibus citatur *Centur.* 11.

1248 S. ANSELMVS Cantuariensis, ingenio acerrimus, & admiranda Sanctitate pręclarus, qui anno 1090. floruit, Castitatem, qua insigniri debent Altaris Ministri hisce brevissimis verbis complexus est *ad Hebr. cap.* 7. **Melchisedech sine genealogia est*: quia Novi Testamēti Sacerdotes, & Ministri vxores habere non possunt: quas si habere voluerint, profitentur se esse Sacerdotes Iudaïcæ institutionis, non Christianæ.*

1249 S. BERNARDVS, vir planè Apostolicus, qui anno 1130. non minus gloria miraculorum, quā sapientię splendore enituit, Ecclesiasticorum incontinentiam graviter reprehendit *Serm.* 65. *in Cant.* *Mulieres (inquit) relictis viris, & item viri dimissis vxoribus, ad istos se conferunt. Clerici & Sacerdotes, populis, Ecclesijsque relictis intonsi, & barbati apud eos inter textores, & textrices plerumque inventi sunt. An non gravis demolitio ista? An non opera vulpium hæc? Verùm non apud omnes fortè ista tam manifesta reprehenduntur: & si sint, non est vndè probentur. Quonam modo capimus illos? Revertamur ad consortium, & contubernium fœminarum. Hoc enim inter eos nemó qui careat. Interrogo vnumquempiam horum, Heus tu bone vir, quænam hæc mulier? & vndè hæc tibi? vxor ne tua? Non, inquit, nam voto meo istud non convenit. Filia ergo? Non. Quid? Num soror? num neptis? num aliquo saltem propinquitatis, vel affinitatis gradu attinens tibi? Nullo prorsus. Et quomodo tuta tibi cum ista continentia tua? Sanè nec licet tibi istud, cohabitationum (si nescis) virorum, & fœminarum, in ijs, qui vovere Cōtinentiam, Ecclesia vetat. Si non vis scandalizare Ecclesiam, eijce fœminam. Alioquin ex hoc vno cætera, quæ non adeò manifesta sunt, proculdubio credibilia fiunt.* Et *Epist.* 203. *Nec Clerici, inquit, est pugnare armis militaribus, nec Subdiaconi vxorem ducere.

1250 S. HILDEGARDIS, quæ anno 1170. singulari Sapiētia, & Virtute effulsit, Sacerdotum puritatem præclarè confirmat *Visione* 6. vbi hęc leguntur: *Nolo vt duę copulæ, scilicet spiritualis, & carnalis studij in Sacerdotibus sint: quoniam Sacerdos Iustitiā Dei sibi copulavit, ita vt vxor eius sit, cū qua cæteros populos enutriet, & docebit, vt pater filios suos educare, & docere solet. Et quomodo aptum esset, vt Sacerdos duas copulas in recta mensura exerceret, qua sibi in diversitate contrariæ sunt? Quomodo? vna carnalis, & vna spiritualis?*

1251 ANGELICVS MAGISTER, solita sua eruditione, & Doctrina mirificè probat, quàm alienus sit ab Ecclesiastico Ministerio, quamque ab Ecclesia prohibitus, præcipuè Latinis, Matrimonij vsus tam post ordinationem contrahendi, quàm ante ordinationem contracti; siquidem *in quæst. disput. de Peccat. venial. art.* 7. *In Sacerdote (inquit) vxorem ducere, est contra præceptum de Voto Continentiæ implendo, non autem in Laico, qui non vovit: & sic illud, quod est veniale, vel nullum peccatum in laico, est peccatum mortale in Sacerdote.*

1252 In *Supplement. etiam ad* 3. *p. quæst.* 53. *art.* 3. & *in* 4. *Sent. dist.* 37. *quæst.* 1. *art.* 4. *& sequent.* inquirit: Vtrum Ordo impediat Matrimonium? In cuius resolutione præclarissimam ad rem nostram Doctrinam affert, probans cum Ordine Sacro cohærere non posse Matrimonium, illiusque vsum, vt contendunt Magdeburgenses, alijque illorum sequaces; sic enim scribit Sanctus Doctor: *Decretum dicit: Qui in Subdiaconatu, & alijs superioribus Ordinibus vxores accepisse

pisse noscuntur, eos vxores dimittere compellas. Quod non esset (inquit Sanctus) si esset verum Matrimonium. Præterea nullus potest vovens Continentiam Matrimonium contrahere: sed quidam Ordines sunt, qui habent Votum Continentiæ annexum: vt ex littera patet: ergo talis Ordo Matrimonium impedit.*

1253 In corpore autem *art.* sic prosequitur: * Respondeo dicendum, quod Ordo Sacer habet ex quadam congruentia quod Matrimonium impedire debeat; quia in Sacris Ordinibus constituti Sacra Vasa, & Sacramenta tractant, & ideò decens est, vt mundiciam corporalem, & Continentiam servent. Sed quod impediat Matrimonium, ex constitutione Ecclesiæ habet. Tamen aliter apud Latinos, quàm apud Græcos; quia apud Græcos impedit Matrimonium contrahendum solum ex vi Ordinis; sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & vlteriùs ex Voto Continentiæ, quod est Ordinibus Sacris annexum: quod etiam siquis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso tamen quod Ordinem suscipit secundum Ritum Occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse. Et ideò apud Græcos, & alios Orientales Sacer Ordo impedit Matrimonium contrahendum, non tamen Matrimonij priùs contracti vsum: quamvis non possint Matrimonium contrahere: sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit Matrimonium, & Matrimonij vsum, nisi fortè ignorante, & contradicente vxore Vir Ordinem Sacrum susceperit; quia ex hoc non potest ei aliquod præiudicium generari.*

1254 S. CATHARINA SENENSIS Ecclesiasticorum Castitati, ac Honestati, eximiè patrocinatur; siquidem *Part. 3. cap. 123. de Defectib. Ministror.* ita in incontinentes invehitur: * Et quod deteriùs est, ipsi faciunt veluti sponsus, qui sponsam propriam ornat: ita faciunt isti dæmones incarnati, qui de substantia temporali suarum Ecclesiarum ornant abominabiles, atque dæmoniacas suas concubinas, cum quibus iniqui sceleratissimè vivunt, & absque verecundia quacumque, faciunt eas ad Ecclesias cum alijs ambulare, atque Divinis Officijs interesse, dûm ipsi miserabiles in Altari consistunt, ad consecrandum Vnigeniti Filij Dei Corpus & Sanguinem. O dæmones incarnati, & dæmonibus deteriores! *

1255 Hęc de Continentiæ lege Sancti Viri, hæc Sanctissimi Ecclesiæ Patres senserunt. Vndè cum Ecclesiæ, Pontificum, & Conciliorum Sententia communi Sanctorum, & Ecclesię Patrum consensui consona semper sit, ac conformis; cum iam superiori §. viderimus quid celebriores Ecclesię Patres circa incompatibilitatem Matrimonij, istiusque vsus cum Ordine Sacro censuerint; videamus nunc, quid nobis dicant, quidque nos doceant Fidei Patres, ac vniversales Christianæ Religionis Magistri Summi Romani Pontifices, qui D. Petri Cathedram pro merito, & Dignitate obtinuerunt, Ecclesiæque Navem prudentissimè, ac æquissimè gubernarunt.

§. VI.

QVID CIRCA SACRORVM Ministrorum Continentiam Summi Pontifices præscripserint.

1256 SANCTVS CLEMENS ROMANVS, qui *anno* 80. Ecclesiam moderabatur, *Can. Apost.* 25. hęc statuit: * Ex his, qui cælibes ad Clerum pervenerunt, iubemus, vt Lectores tantùm, & Cantores (si velint) nuptias contrahant.* Vndè cum Lectores olim merè laici essent, omnique Sacro Ordine destituti, optimè deducitur, Apostolorum tempore solis laicis fuisse permissum Matrimonium inire; particula enim illa *tantùm* cum exceptiva sit, firmat Regulam in contrarium in non exceptis.

1257 Idem Sanctus Pontifex *Epist.* 2. * Ad Dominica (inquit) Ministeria tales eligantur, qui ante Ordinationem suam coniuges suas noverint. Quòd si post Ordinationem Ministro Altaris contigerit invadere proprium cubile vxoris, Sacrarij non intret limina, nec Sacrificium portet, nec Altare contingat, nec ad Dominici Corporis portationem accedat, nec aquã Sacerdotibus ad manus porrigat, sed Ostia forinsecus claudat, & minora sectetur officia.* Hactenùs Clemens. Vbi diligenter notandum, illa verba: *qui coniuges suas noverint*, ab aliquibus diversimodè legi; siquidem Severinus Binius *in Concil.* sic è Græco vertit: *non noverint*, quam versionem amplectuntur Turrianus *lib.* 1. *pro Canon. Apost. cap.* 1. Iodocus Coccius *lib.* 8. *Thesau. art.* 6. *qui ante Ordinationem suam coniuges suas non noverint.*

rint. At Cardinalis Humbertus in illa controversia, quam iniji cum Niceta Pectorato, de qua multi mentionem faciunt, præcipuè Archiepiscopus Acuña *in cap. Aliter. 31. Dist.* legit: *Coniuges suas noverint*: explicationis tamen gratia addit: * Si semper continere noluerint: * quasi dicat, eligi posse coniugatos antè Ordinationem, si noluerint ante eam esse continentes: at post Ordinationem abstinere ab vxoribus debuisse. Eum sequitur Basilius Poncius de Leon *de Matrim. lib. 7. cap. 23. num. 3.* Idemque referunt Epiphanius *in Compend. Fid. Doctr.* & Socrates *lib. 1. cap. 8. & lib. 5. cap. 21.* de quibus infrà.

1258 Idem S. Clemens *lib. 6. Constit. Apostolic. cap. 17.* * Episcopum (inquit) Presbyterum, & Diaconum ordinari præcipimus, qui sint Monogami, id est, vnius vxoris viri, sive vxores eorum superstites fuerint, sive non: post Ordinationem tamen, si vxores non habent, præcipimus, vt non liceat amplius ducere; aut si antea duxerant, non alias in Matrimonium accipere: sed potiùs, quod cum haberent, ad Ordinationem venerunt, contentos esse.*

1259 CALIXTVS II. relatus à Gratiano *in cap. Presbyteris. 27. Dist.* pręcipit ne Sacris initiati vxores ducant, quas si duxerint, dimittere teneantur: * Pręsbyteris (inquit) Diaconis, Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, seu Matrimonium contrahere penitùs interdicimus: contracta quoque Matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta Sacrorum Canonum diffinitiones iudicamus. * Hîc Canon notatu dignissimus est, tum sua antiquitate (floruit enim Calixtus anno 218.) tum legalitate; inventus namque est, vt scribit Gratianus *in Codice Vaticanæ Bibliothecæ in Fragmento eiusdem Concilij ab Vrbano II. habiti.* Ad illam autem particulam *disiungi* sic notat Glossa: * Quoad carnis copulam, non quoad Matrimonij vinculum: dicit enim Lex, quod Matrimonium non dicitur dissolvi, quod ab initio nullum fuit; vt *in Authent. de Nupt.**

1260 SIRICIVS Papa, qui floruit *anno 384. Epist. ad Himer. Tarraconen. Episcop.* concinnè describit Honestatem, & Castitatem, qua Ecclesiæ Ministri pravos incontinentiæ motus cohibere tenentur, nec mollibus inservire delicijs, præoccupans obiectionem illorum, qui suam lasciviam Sacerdotum Veteris Testamenti exemplo eluere, eique excusationis velamen prætendere conantur. Iam ipsius verba *in dict. Epist. cap. 7.* audiamus. * Plurimos Sacerdotes Christi, atque Levitas, post longa Consecrationis suæ tempora, tàm de coniugibus proprijs, quàm etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in Veteri Testamento Sacerdotibus, & Levitis generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat, quòd in Lege Moysis passim Sacris Ordinibus à Domino laxata sunt fræna luxurię, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet dicens: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester.* Cùr etiam procul à suis domibus anno vicis suę, in Templo habitare iussi sunt Sacerdotes? Hac scilicet ratione, ne vel cum vxoribus possint carnale exercere commercium, vt conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo Munus offerrent. Quibus etiam expleto deservitionis suæ tempore, vxorius vsus, solius successionis causa, fuerat relaxatus, quia non ex alia, nisi ex Tribu Levi quisque ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti. Vndè Dominus IESVS, cùm suo nos illustrasset Adventu, in Evangelio protestatur, quia Legem venerat implêre, non solvere: & ideô Ecclesiam, cuius Sponsus est, Castitatis voluit splendore radiare, vt in die Iudicij, sine macula & ruga eam possit reperire. Quarum sanctionum Sacerdotes omnes, atque Levitę insolubili Lege cōstringimur: vt à die Ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitiæ, & corda nostra mācipemus, & corpora, dummodò per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, Sacrificijs placeamus.

1261 *Qui autem in carne sunt* (dicēte electionis Vase) *Deo placere non possunt* (*ad Rom. 8.*) *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis* (*1. ad Corinth. 3. & 2. ad Corinth. 6.*) Et vbi poterit, nisi in corporibus Sanctis, Dei Spiritus habitare? Et quia aliquanti, de quibus loquimur, vt tua Sanctitas retulit, ignoratione lapsos se esse deflent: his hac cōditione misericordiam dicimus esse non negandam,

vt

vt fine vllo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent; si tamen post hæc continentes se statuerint exhibere. Hi verò, qui illiciti privilegij excusatione nituntur, vt sibi asserant veteri hoc Lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico Honore, quo indignè vsi sunt, Apostolicæ Sedis Authoritate deiectos, nec vmquam posse veneranda attrectare Mysteria, quibus se ipsi, dûm obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, Presbyter, & Diaconus talis fuerit inventus, iam nunc per nos sibi omnem indulgentiæ aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam.*

1262 Et *Epist.* 4. *ad Episcop. Africæ*, docet magnam Castitatem, cui studere debent Ecclesiæ Ministri, Divino cultui dicati, & præclaram illam puritatem, qua Matrimonij vsum negligebant, & socium thalamum aversabantur adhuc illi, qui priscis illis temporibus ob Ministrorum inopiam ab ipso coniugio ad Sacrum Ordinem promovebantur. *Præterea (inquit) quod dignum, & pudicum, & honestum est, suademus, vt Sacerdotes, & Levitæ, cum vxoribus suis non coeant: quia in Ministerio Divino quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namque sic Paulus scribit dicens: *Abstinete vos, vt vacetis orationi* (1. *ad Corinth.* 7.) Si ergo Laicis abstinentia imperatur, vt possint deprecantes audiri, quanto magis Sacerdos vtique omni momento paratus esse debet munditiæ puritate securus, ne aut Sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? Excusabit? Quo pudore? Qua mente excusabit? Qua conscientia? Quo merito hic se exaudiri credit? cum dictum sit: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum.* (*ad Tit.* 1.) Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest iure etiam Gentilitas accusare. Fortè creditur, quia scriptum est: *Vnius vxoris virum.* (1. *ad Timoth.* 3.) Non permanenti in concupiscentia generandi, dixit; sed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admisit qui ait: *Vellem omnes homines sic esse, sicut & ego.* (1. *ad Corinth.* 7.) Et apertius declarat dicens: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt: vos autem in carne non estis, sed in spiritu.** (*ad Rom.* 8.)

1263 Eamdem doctrinam de Ministrorum Ecclesiæ Continentia, & Cœlibatu tradidit INNOCENTIVS I. qui anno 406. Pontificatum gessit. Sic enim loquitur *Epist.* 1. *cap.* 6. *Præterea quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet; vt Sacerdotes, & Levitæ cum vxoribus suis non coeant: quia Ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: *Sancti estote, quoniam, & ego sum Sanctus Dñs Deus vester.* (*Levit.* 20.) Nam si priscis temporibus de Templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non descendebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebât, quibus vtique propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die Ordinationis suæ servare debent, quibus vel Sacerdotium, vel Ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à Sacrificijs Divinis, vel à Baptismatis officio vacent?*

1264 *Et Epist.* 4. *Si convicti fuerint Presbyteri in Presbyterio filios procreasse, à Sacerdotali removeantur Officio: quia qui Sancti non sunt, Sancta tractare non possunt, atque alieni efficiantur à Ministerio, quod vivendo illicitè polluerunt.*

1265 SIXTVS III. qui anno 430. Ecclesiæ clavū tenebat: *Vsque adeò (inquit) pristinam immunditiam retinet, vt etiam Orationi præiudicet, & ad Sacerdotale Officium non admittat: aut si ipsa mundata per Christum est, quid est quod Orationem impedit; vel cur etiam Sacerdotes necesse est esse continentes?*

1266 S. LEO I. anno 450. eleganter præscribit Castitatem, qua ab omni concubitu abhorrere debent Sacri Ecclesiæ Ministri, adhuc Subdiaconi; sic enim loquitur *Epist.* 84. *ad Anastas. Episcop.* *Nam cum extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ Continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem con-

connubium carnale conceditur; vt & qui habent, sint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc Ordine, qui quartus à capite est, dignum est, custodiri: quanto magis in primo aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico Ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria necdum frænasse detegitur.*

1267 Quod confirmat *Epist. 92. ad Rustic. Narbonen. Episc. cap. 3.* sic scribens: *Lex Continentię eadem est Ministris Altaris, quæ Episcopis, aut Presbyteris. Qui cùm essent laici, sive Lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit: Vndè vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere, quo & salva sit charitas coniugiorum, & cessent opera nuptiarum.*

1268 Præclarum perpetuæ Continentiæ Ministrorum Ecclesiæ argumentum nobis suppeditat S. GREGORIVS MAGNVS *lib. 1. Epist. 42.* *Ante triennium (inquit) Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ, prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur. Quod mihi durum, atquè incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non invenit, neque Castitatem ante promisit, compellatur à sua vxore separari: atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Vndè videtur mihi, vt à præsenti díe Episcopis omnibus dicatur, vt nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit: quatenus & præterita mala, quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caveantur. Qui verò post eandem prohibitionem, quæ ante triennium facta est, continenter cum suis vxoribus vixerunt, laudandi, atque remunerandi sunt, & vt in bono sic permaneant, exhortandi. Eos autem, qui post prohibitionem factam se à suis vxoribus continere noluerint, nolumus promoveri ad Sacrum Ordinem: quia nullus debet ad Ministerium Altaris accedere, nisi cuius Castitas ante susceptum Ministerium fuerit approbata.*

1269 Eandem materiam prosequitur *lib. 3. Epist. 34.* sic scribens: *Multorum relatione comperimus, hanc apud vos olim consuetudinem tenuisse, vt Subdiaconi suis licitè miscerentur coniugibus. Quod ne denuo quisquam præsumeret à servo Dei, Sedis nostræ Diacono, ex Authoritate nostri Decessoris est isto modo prohibitum: vt eodem tempore hi, qui iam vxoribus fuerant copulati, vnum ex duobus eligerent; idest, aut à suis vxoribus se abstinerēt, aut certè nulla ratione ministrare præsumerent. Et quantum dicit, Speciosus tunc Subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit officio, & vsque in obitus sui tempus, Notarij quidem gessit officium, & à ministerio, quod Subdiaconum oportuerat exhibere, cessavit, &c. De cætero verò fraternitas tua sit omnino sollicita, vt quos ad hoc iam officium contigerit promoveri, hoc quam maximè diligenter inspiciat, ne si vxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem Sedis Apostolicæ eos cuncta observare, sua nihilominus districtione constituat.*

1270 Et *lib. 8. Epist. 40.* hęc profert: *Prius enim, quàm scripta ad nos vestra recurrerent, Ioannem Diaconum, qui ab altera parte electus est, parvulam habere filiam, ex quorumdam relatione cognovimus. Vndè si rationem voluissent attendere, nec alij eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione ad Episcopatum audet accedere, qui adhuc longam corporis sui Continentiam, filiola teste, convincitur non habere?*

1271 Insuper ipse Pontifex *ad Augustinum Anglorum Episc. cap. 2.* hæc scribit: *Si qui verò sunt Clerici extra Sacros Ordines constituti, qui se continere non possunt, sortirè vxores debent, & stipendia sua exterius accipere: quia & de ijsdem à Patribus novimus scriptum, quod dividebatur singulis prout cuique opus erat.*

1272 Et *lib. 7. Epist. 39. ad Romanū Defensorem.* *Pervenit autem ad nos quosdam Episcorum, sub prætextu quasi solatij, in vna domo cum mulieribus conversari. Et ideo ne per hoc aut subsannatoribus iusta obtrectationis detur occasio, aut facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis assumat, huius tibi serie præceptionis iniungimus, vt strenuum te studeas, & sollicitum exhibere: & si qui Episcoporum, quos commissi tibi patrimonij finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compes-

pescas, & de cætero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, quas Sacrorum Canonum censura permittit, id est, matre, amita, germana, & alijs huiusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio. Melius tamen faciunt, si etiam à talium se cohabitatione contineant. Nam legitur quod B. Augustinus nec cum sorore sua habitare cõsenserit dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Præterea curæ tuæ sit eosdem fratres nostros Episcopos adhortari, vt subiectos sibi, in Sacris videlicet Ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem sui, modis omnibus servare commoneant: hoc tantummodo adiecto, vt hi, sicut Canonica decrevit Authoritas, vxores, quas castè debent regere, non relinquant.*

1273 Tandem *lib. 1. Regist. Epist. 50. Indict. 9. ad Symmachum Defensorẽ data.* *Volumus (inquit) vt Sacerdotes, qui in Corsica cõmorantur, prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, exceptis dumtaxat matre, sorore, vel vxore, quæ castè regenda est.*

1274 ZACHARIAS PONTIFEX anno 740. egregium præbuit huius veritatis documentum; siquidem adhuc ijs, qui ante Sacerdotalem Ordinem licité Matrimonium inierant, illius vsum post susceptum Ordinem inhibuit: *Quales se esse Sacerdotes existimant, aut quid inde sentiant dicente Deo: *Sacerdotes mei semel nubant.* (*Levit.* 21.) Et Apostolus: *Vnius vxoris virum, &c.* (1. *ad Timoth.* 3.) Et hoc ante susceptum Sacerdotium vti licitum est. Nam à die suscepti Sacerdotij etiam ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt. Quomodo Sacerdotio fungi considerant, qui talibus sceleribus involuti esse monstrantur, vt neque Seculares Fideles his facinoribus obvolutos optemus? Quomodo non pertimescunt Divina Mysteria contingere? Aut quomodo ad orandum pro peccatis populi accidere præsumunt, cũ Sacri Canones neq; purũ Clericũ, cui Sacerdotium non est, secundis copulari nuptijs præcipiunt? Isti enim è contrariò non solum post susceptum Sacerdotium se abstinere ab vna vxore nolunt, immò luxuria obvoluti peiora Secularium scelera committunt, vt plures vxores habere præsumant, quibus neque vnam concessum est post susceptum ministerium attrectare.*

1275 EVGENIVS II. qui anno 824. inter vivos numerabatur, *cap.* 2. *Præcipimus (inquit) observari, vt qui in Ordine Subdiaconatus, aut suprà, vxorem duxerint, aut concubinas habuerint, Officio Ecclesiastico, & beneficio careant.*

1276 NICOLAVS I. *Addoni Viennensi Antistiti* scribens (vt habetur *cap.* 4. 32. *dist.* Quod Subdiacono vxorem ducere non liceat) hæc habet: *De illo Clerico Alberico nomine, quem per Ordines Ecclesiasticos, vsque ad Subdiaconatum, castè vixisse dicitis, cur vestra Authoritate vxorem duxerit, miramur; eo quod nulli vmquam (exceptis illis, quibus Ecclesiastica Regula habere permittit) vxorem ducendi licentiam damus.*

1277 LEO IX. anno 1050. (vt scribit S. Petrus Damiani *Epist. ad Canibert. Taurinen. Episcop.*) in plenaria Synodo instituit, vt quæcumque damnabiles fœminę intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris prostitutæ, ex tunc, & deinceps, Lateranensi Palatio adiudicarentur ancillæ: *Quod videlicet salutare Statutum (inquit B. Petrus Damiani) nos etiam per omnes Ecclesias propagandum decernimus: quatenus percepto priùs Apostolicæ Sedis Edicto, vnusquisque Episcopus Ecclesiæ vendicet famulas, quas in sua Parochia deprehenderit sacrilega Presbyteris admixtione prostratas; ęquitatis scilicet iure, vt quæ Sacris Altaribus rapuisse servorum Dei convincuntur obsequium, ipsæ hoc saltem Episcopo per diminuti capitis sui suppleant famulatum.*

1278 Huc maximè spectat illud eiusdem Pontificis *in cap. Omnino* 31. *dist.* de quo supra mentionem fecimus. Idemque prosequitur *in cap. Siquis* 32. *dist.* sic statuens: * Siquis ergo ex pręfatis Ordinibus desiderat ad Diaconatum ascendere, non potest sine consensu vxoris suæ, vt fiat de carnali deinceps spirituale coniugium, nemine cogente eos. Neque permittitur postea vxor iungi eidem marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere in vita, aut post mortem eius.*

1279 NICOLAVS II. anno 1060. *in cap. Nullus*, 32. *dist.* contra Presbyteros Castitatem non servantes hoc Decretum promulgavit: *Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit (Glossa: scientia iuris, non facti) concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Vndè etiam ipsa Sancta Synodus hoc Capitu-

lum sub Excommunicatione statuit.*

1280 ALEXANDER II. anno 161. *cap. Siquis amodò, 31. dist.* *Siquis (inquit) amodò Episcopus, Presbyter, aut Diaconus fœminam acceperit, vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat, vsque dum ad satisfactionem veniat: nec in Choro psallentium maneat, nec aliquam portionem de Rebus Ecclesiasticis habeat.*

1281 Idem Pontifex *in cap. Praeter. 32. dist.* de Clericorum Continentia vberiùs agit, pœnamque Castitatis legem perfringentibus constitutam proponit, dicens: *Præter hæc autem præcipiendo mandamus, vt nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter, vel subintroductam mulierem. Vndè etiam Sancta Synodus hoc capitulum sub Excommunicatione statuit, dicens: Quicumque Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus post constitutũ beatæ memoriæ Prædecessoris nostri Sanctissimi Papę Leonis III. ac Nicolai, de Castitate Clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, & authoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli præcipimus, & omninò contradicimus, vt Missas non cantet, nec Evangelium, aut Epistolam ad Missam legant, neque in Presbyterio ad Divina Officia cum his, qui præfatæ Constitutioni obedientes fuerint, maneant, neque partem ab Ecclesia suscipiant.*

1282 S. GREGORIVS VII. qui anno 1080. Christianum Orbem Virtutum splendore collustravit, Sacris Ministris Divino Cultui devotis castitatem egregiè commendavit, eamque in illis ardentissimo desiderio prosecutus est. Hinc *lib. 2. Epist. 25. ad Annonem Colonien. Episc.* *Sollicitudinem (inquit) tuam ex parte B. Petri communis Patris, & Domini instanter admonemus, vt non solum in Ecclesię tuæ Diœcesi, sed etiam in omnibus suffraganeorum tuorum Parochijs Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos admonitionibus tuis castè vivere facias. Quoniam, vt fraternitas tua novit, cæteræ Virtutes apud Deum sine Castitate nihil valent; sicut nec sine cæteris Virtutibus Castitas.*

1283 Idem etiam Sanctus Pontifex *Epist. 62. ad Aquileien. Episcop.* sic loquitur: *Decrevimus enim, quod siquis eorum Ordinum, qui Sacris Altaribus administrant, Presbyter scilicet, Diaconus, & Subdiaconus, vxorem, vel concubinam habet, nisi illis omnino dimissis, dignam pœnitentiam agant, sacris Altaribus penitùs ministrare desistant, nec aliquo Ecclesiæ beneficio vlteriùs potiantur, vel potitis fruantur.*

1284 Vna tamen prę cunctis lectu dignissima est Decretalis Epistola ab ipso Sancto Pontifici Otthoni Constantiensi Episcopo scripta, quæ diffusè habetur Labbæum *in Concil. Rom. in Apologet.* pro Decretis, quę Venerabilis Papa Gregorius contra Simoniacos, & incontinentes Altaris Ministros in Romana Synodo promulgavit anno Christi 1074. vt habetur *tom. 10. Concilior. fol.* 315. quæ incipit: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei dilecto in Christo Fratri Otthoni Constantiensi Episcopo, salutem, &c.* in illa enim hæc scribit: *Instantia nuntiorũ tuorum, festinanter redire volentium, non permisit nos Fraternitati tuæ, quæ in Romana Synodo constituta sunt, seriatimin timare. Hæc tamen necessaria tibi scribenda fore arbitrati sumus: nos iuxta Authoritatem Sanctorum Patrum in eadem Synodo Sententiam dedisse, vt hi qui per Simoniacam hæresim, &c.* latèque pertractatis his, quæ contra Simoniacos fuerant statuta, *num.* 11. sic in Clericos Castitatem non servantes, invehitur: *Tertium autem Apostolici nostri Statutum, quod incontinentibus Clericis Ministerium Altaris interdicit, nihilominùs difinitum est à Sanctis Patribus. Est enim scriptum in Niceno Concilio, quod maximum est inter quatuor Concilia Evangelijs adequata, *cap. 3.* (Et relatis Concilij verbis, ita prosequitur:) Vides ne ergo quod penitus Clericis coniugale opus interdicatur, qui & pro ipsa cohabitatione fœminarum non solum de Ministerio Altaris, sed de Clericatu suo periclitari iure censentur? Nec hoc tantum de Sacerdotibus, sed & de omnibus Sacris Ordinibus evidenter decernitur.* Et postquam adduxit ea, quę statuta fuerant tam in Concilio Neocæsariensi ante Nicęnum I. & in Chalcedonensi, quàm ea, quæ decreta fuerant à S. Silvestro, qui Nicęnam Synodum congregavit, & à Siricio Pontifice, ac tandem ea quæ S. Hieronymus ad Oceanum scripsit, & authenticis rationibus probavit, non li-

licere Clericis conversari cum fœminis. Hæc addit: *Quod si post nostra monita aliquis Clericus Agapetas ampliùs quæsierit amare, quàm Christum, secundù Synodalem Regulam cōveniatur, & præcepta in Nicæna definita ei legantur. Iam verò si conventus prædictos fugerit, & reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab Ecclesia anathematizandus est: germinant enim fœminæ spinas cum viris habitantes, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt.

1285 Sed quid dicam vlterius? Deficit enim mihi tempus, vt enarrem viritim Sanctos Patres prædictis nostri Apostolici statutis subscribentes: nam omnes Catholici eadem observanda esse censuerunt; qui & à Sacratissimis quatuor Concilijs dissentire noluerunt: ex quibus noster Apostolicus præfata produxit Decreta. Qua propter nec idiotas latere æstimo, quàm periculosè, vel potiùs quàm perniciosè, sibi suisque sectatoribus decipiant quicumque per Sozomeni caput Sacerdotibus incontinentiam adscribere non formidant: quibus licet superiorum Epistolarum assertio sufficere debeat; iterum tamen eos præmonere de cavendo Anathemate non tædeat.*

1286 VRBANVS II. anno 188. egregium prebuit huius veritatis monimentum; gravissimas siquidem pœnas constituit ijs, qui post Diaconatum, Matrimonium inire ausi fuerint. *Eos (inquit) qui post Diaconatum vxoribus vacare voluerint, ab omni Sacro Ordine removemus, Officioque, atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Quod si ab Episcopo commoniti non se correxerint, Principibus indulgemus licentiam, vt eorum fœminas mancipent servituti. Si verò Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsius Officij interdictione mulctentur.*

1287 ALEXANDER III. anno 1160. Sacrorum Ministrorum honorem, ac puritatem, necnon & Castimoniam, cui studere debent, eo Zelo prosecutus est, eaq; sollicitudine procuravit, vt *in Epistola ad Salernitanum Episcopum directa*, *par. 18. cap. 1.* hęc scribat: *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, qui in domibus suis proprijs publicè tenent concubinas, ad eas abiurandas volumus à tua fraternitate compelli, ne in eamdem fornicationem instinctu diabolicæ fraudis redeant, & periurij reatum incurrant. Vndè ipsos per suspensionis, & interdicti Sententiam, debes arctiùs cogere, vt mulieres ipsas à se removeant, quod de ipsis sinistra suspicio non possit haberi. Et si qui eorum ad ipsas redire, vel alias accipere fortè pręsumpserint, in aliquos eorum debes perpetuam Excommunicationis Sententiam proferre, vt alij eorum exemplo perterriti à similibus arceantur.*

1288 INNOCENTIVS III. anno 1220. *Serm. 1. de Consecrat. Pontif.* Clericos ad puritatem, & Castitatem tamquam præciosissimum sui status decus, & ornamentum servandum, hisce elegantissimis verbis hortatur: *Vivamus, Fratres Carissimi, non solum castè, sed etiam cautè. Castè, ne contaminemus Vnctionem, quam accepimus; propter quod dicitur: *Si Sacerdos qui Vnctus est peccaverit*; quasi dicat: Non peccet, non contaminet Vnctionem. Cautè, ne corrumpamus alios per exemplum.*

1289 Idem Pontifex *de Cleric. Coniugat. lib. 3. tit. 3.* tantum abest vt existimet Matrimonium posse Ecclesiasticis congruere, & cum purissimo illo Statu cohęrere, vt potius illud abominetur, & Ecclesiastico, Continentiæ Legem violantes gravissimi pœnis coerceat: *Accepimus (inquit) quod quidam Clerici tuæ Diœcesos, qui Matrimonium contraxerunt, Ecclesiastica beneficia detinere contendunt, in quorum conversatione Cythara cum Psalterio malè concordat. Cum ergo vir cogitet, quomodò placere possit vxori, & idcò minùs quæ Dei sunt valeat cogitare, cum quasi divisus in duo, plenam sui non habeat potestatem, vt ei, à quo stipendium accepit, pleniùs famuletur; mandamus quatenus huiusmodi Clericos beneficijs Ecclesiasticis, quæ in tua Diocesi sunt adepti, prives, appellatione remota, præsertim cum rerum Ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire.*

1290 Ex quibus satis apertè constat, quid circa Sacrorum Ministrorum Cœlibatum, & perpetuam illorum Continentiam Summi Pontifices Sanctissimè præscripserint. Nunc iam quid de hac re Sacratissima totius Orbis Concilia censuerint, videamus.

§. VII.

QVID DE SACRORVM Ministrorum Continentia statuerint Sacratissima Concilia, tàm in Oriente, quàm in Occidente celebrata?

1291 CVm in maiorem Sacrorum Ministrorum æstimationem, ac decorem Ecclesia semper intenderit; & puritatem, castitatemque ad prædictum decus conciliandum multum valere probe intellexerit, ideo suos Ministros Sacro Divinoque Cultui, ac Altaris Ministerio devotos, tàm corporis, quàm animi puritati nitere votis omnibus exoptavit; vt ostendunt frequentissima Christiani Orbis Concilia, tam Generalia quā Nationalia, tàm in Oriente, quam in Occidente celebrata, in quibus ipsa Ecclesia Spiritu Sancto edocta Sanctissimas Leges, Sacratissimosque Canones ad honestatem, tàm Sacro ac alto Ministerio debitam promovendam, & stabiliendam sancivit.

1292 CONCILIVM ANCYRANVM in Græcia anno 310. celebratum *Can.* 10. hæc de Diaconis statuit: *Quicumque Diaconi constituti, in ipsa constitutione testificati sunt, & dixerunt, oportere se vxores ducere, cum non possent sic manere, ij si vxores postea duxerint, sint in ministerio, eo quod sit illis ab Episcopo concessum: Siqui autem hoc silentio prætérito, & in ordinatione, vt ita manerent suscepti sunt, postea autem ad Matrimonium venerunt, ij à Diaconatu cessent.*

1293 NEOCÆSARENSE anno 316. *Can.* 1. *Presbyter (inquit) si vxorem duxerit, ordine suo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitùs extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur.*

1294 NICÆNVM I. anno 320. *Can.* 3. ex Græco translato: *Omnibus modis interdicit Sancta Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque vlli Clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater, aut soror, aut avia, aut amita, vel matertera sit. In his namque personis, & harum similibus, omnis, quæ ex mulieribus est, suspicio declinatur. Qui aliter præter hæc agit, periclitabitur de Clero suo.* Ex hoc Decreto manifestè colligitur, quantam in Ecclesiasticis honestatem Sacrum Concilium desideret, cum illos ab omni mulierem suspicione procul abesse exoptet, quo & illorum Castitas securius servetur, & Ecclesiastici Status æstimatio, decus, ac honor gloriosius effulgeat.

1295 Vberius tamen, & ad rem nostram aptius ipsum Concilium *Can.* 78. ex Arabico traslato ita decrevit: *Siquis Sacerdos lapsus fuerit in peccatum carnis, qui non duxit vxorem, & hoc peccatum numquam antea commiserit, sed potius benè semper audierit, debet agere pœnitentiam in Ieiunio, & Oratione vno anno, & facere elemosynas secundum vires, & cessare à ministerio gradus sui, quàmdiu durat vnius anni pœnitentia; quo peracto debet redire ad Ministerium, & ad Sacrificium, sicut priùs, & attendere deinceps diligenter, ac cavere sibi per vniversum vitæ suæ tempus. Si verò ad idem peccatum reversus fuerit, deponendus est tantum, & non prohibendus Communione Fidelium, & Sacra Communione.

1296 Quod si vxorem duxit, & adhuc vxor vivit, & cum eo habitat, debet imponi duplex pœnitentia. Idem servandum est de Diacono, qui si tertiò ad idem scandalum redierit, deponendus est tunc: quod tamen intelligendum est, si fuerit viduus. Nam si vxorem habeat, & cum ea habitet, debet remanere in pœnitentia, & excommmunicatus tribus annis: qua pœnitentia peracta redeat ad Ordinem: quod si ad peccatum redierit, deponatur solum. Et in vniversum intelligendum est hoc in omnibus Ordinibus. Episcopus verò cum primùm in hoc peccatum lapsus fuerit debet ex gradu suo cadere, cui non est pœnitentia imponenda, neque Communione Fidelium, neque Communione Sacra prohibendus. Sacerdos viduus recipiendus est ad pœnitentiam; qui vxorem habet, non est recipiendus. Diaconus viduus bis est ad penitentiam recipiendus; Diaconus coniugatus semel; & non erunt prohibiti communione Fidelium, neque Communione Sacra, sed Ministerio Altaris.*

1297 TRVLLANA SYNODVS anno 711. habita *Can.* 6. Matrimonij vsum ante Sacrum Ordinem licitè contracti hisce verbis prohibet: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta vxore in Clerum promoventur solos Lectores, & Cantores vxorem posse ducere; & nos hoc servantes decernimus, vt deinceps nulli penitus Hypodiacono,

cono, vel Diacono, vel Presbytero post sui Ordinationem contrahere liceat: si autem hoc fuerit ausus facere, deponatur. Siquis autem eorum, qui in Clerum recedunt, velit lege Matrimonij mulieri coniungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.*

1298 Et *Can.* 12. * Hoc, inquit, ad nostram cogitationem pervenit, quod in Africa, & Lybia, & alijs locis quidam ex his, qui illic sunt Religiosissimi Præsules, cum proprijs vxoribus, etiam postquam ad eos processit Ordinatio, vnà habitare non recusant, ex eo populis offendiculum, & scandalum afferentes. Cùm itaque studium nostrum in eo magnopere laboret, vt omnia ad gregis nobis commissi vtilitatem fiant, nobis visum est, vt nihil eiusmodi deinceps vllo modo fiat, &c. Siquis tale agere deprehensus fuerit deponatur.*

1299 Tandem *Can.* 48. sic habetur: * Vxor eius, qui ad Episcopalem Dignitatem promotus est, communi sui Viri consensu priùs separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, Monasterium ingrediatur, procùl ab Episcopi habitatione exstructum, & Episcopi Providentia fruatur.*

1300 Hac sollicitudine, & cura Ecclesiæ Græcæ Concilia in Sacrorum Ministrorum Continentiam incubuerunt: at non minori cura Latina Ecclesia suorum Ministrorum puritati & Castitati invigilavit, vt videri potest in ipsius Concilijs, quorum Canones Castitatem Ministris Sacro Ordine initiatis, severissimis pœnis præscribunt.

1301 Sic CONCILIVM ILLIBERITANVM anno 313. habitum: * Placuit (inquit *cap.* 33.) in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, positis in Ministerio abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Quod quicumque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.*

1302 ROMANVM anno 320. *cap.* 8. * Nullum Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliqua prævaricatione pręsumpserit.*

1303 ARELATENSE II. anno 325. apud Coccium, vel 452. iuxta Natalem Alexandrum, *Can.* 2. * Assumi aliquis ad Sacerdotium non potest in vinculo coniugij cõstitutus, nisi fuerit promissa conversio. * apud Alexandrum verò: Nisi fuerit præmissa conversio.

1304 Et *Can.* 3. * Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem, præter Aviam, Matrem, Sororem, Filiam, Neptem, vel conversam secum vxorem habere pręsumpserit, à Communione alienus habeatur.*

1305 In CONCILIO CARTHAGINENSI II. quod anno 396. celebratum fuit, omnibus Ecclesiasticis in Sacro Ordine constitutis perpetua præcipitur Castitas: siquidem *cap.* 2. Aurelius Episcopus (sivè Epigonius, vt cum Labbæo notat Alexander Natalis) dixit: * Cùm in præterito Concilio de Continentiæ, & Castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, cõscriptione quadã Castitatis, per Consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos. Ita placuit, vt condecet Sacrosanctos Antistes, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus, &c. Ab omnibus dictum est: Placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari deserviunt.*

1306 CONCILIVM CARTHAGINENSE III. anno 397. *Can.* 17. Statutũ reliquit, vt cum omnibus omninò Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, sed solæ matres, aviæ, matertere, amitæ, sorores, & filiæ fratrum, aut sororum, & quæcumque ex familia domestica necessitate etiam antequam ordinarentur iam cum eis habitabant, &c.

1307 Et *Can.* 19. * Placuit (inquit) vt Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut vxores ducere, aut Continentiam profiteri.*

1308 CARTHAGINENSE V. anno 400. *Can.* 3. sic decernit: * Cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga vxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundùm priora Statuta, etiam ab vxoribus continere: quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.*

1309 TOLETANVM I. anno 400. *Can.*

Can. 1. contra Clericos incontinentes, sic statuit: * Placuit, vt Diaconi, si vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ, etiam si vxores habeant, in ministerio constituantur; ita tamen, vt siqui etiam ante interdictum, quo per priores ante nos Episcopos constitutum est, incontinenter cum vxoribus vixerint, Presbyterij honore non cumulentur. Siquis verò ex Presbyteris ante interdictum filios susceperit de Presbyterio, ad Episcopatum non admittatur.*

1310 Et *Cap.* 4. * Subdiaconus defuncta vxore, si vxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios, & Lectores, ita vt Evangelium, vel Epistolam non legat.*

1311 ARAVSICANVM I. habitum anno 441. *Can.* 22. decernit: * Præterea, vt deinceps non ordinentur Diaconi coniugati, nisi prius, conversionis proposito, professi fuerint Castitatem.*

1312 Et *Can.* 23. * Siquis autem post acceptam Benedictionem Leviticam, cum vxore sua incontinens invenitur, ab officio abijciatur.*

1313 ANDEGAVENSE celebratum anno 453. apud Baronium *eodem anno* contra incontinentiam Clericorum, sic statuit: * Diaconi Presbyteris noverint omni humilitate deferendum esse. Familiaritatem extranearum fœminarum noverint esse vitandam: sed siqui sint debiles, non nisi à sororibus, aut amicis suis, aut matribus consolentur: quia sicut bonum non est homini solum esse, ita familiares esse Clericos fœminis non oportet extraneis.*

1314 TVRONENSE I. anno 461. *Can.* 1. * Si vniversis Fidelibus, secundum Apostolicam Doctrinam, Castitas custodienda indicitur, vt qui habent vxores, ita sint, quasi non habentes: quantò magis Sacerdotes Dei, ac Levitę, Divino mancipati Altario custodire debent, vt non solúm cordis, verum etiam corporis puritatem servantes, pro plebe supplicaturi, preces illorum ad Divinum introire mereátur auditum? Cûm ergo laico abstinentia imperetur, vt possit Orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri: quanto magis Sacerdotibus, vel Levitis, qui omni momento parati Deo esse debent in omni munditia, & puritate securi, ne aut Sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur? Qui si contaminati fuerint carnali concupiscentia, qua fronte excusabunt? quo pudore vsurpabunt? qua conscientia? quo merito exaudiri se credent?*

1315 Et *Can.* 2. ita decernit: * Et licet à Patribus nostris ê commissa Authoritate id fuerit constitutum, vt quicumque Sacerdoś, vel Levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, à Communione Dominica abstineret, nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, id decrevimus, vt Sacerdos, vel Levita, coniugali concupiscentiæ inhęrens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non conscendat, neque Sacrificia Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. Sufficiat his tantûm, vt à Communione non efficiantur alieni.*

1316 Et *Can.* 6. * Qui verò se sacratis Virginibus per coniunctionem nefandam miscuerit, vel propositum professę Religionis dereliquerit, vtrique à communione habeantur alieni, quia *siquis Templum Dei violaverit, disperdet illũ Deus* (1. *ad Corinth.* 3.) donec resipiscentes à laqueo diaboli, à quo capti tenentur, ab ipsius voluntate, ad auxilium pœnitentiæ revertantur.*

1317 CONCILIVM AGATHENSE anno 506. celebratum *Can.* 9. contra incontinentes, hæc habet: * Placuit etiam, vt si Presbyteri, vel Diaconi coniugati ad thorum vxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentij Ordinatio, vel Syricij Episcopi Authoritas, quæ est his Canonibus inserta, servetur. Quod si ad aliquos formula illa Ecclesiasticę vitæ pariter, & disciplinę, quæ à Syricio Episcopo ad Provincias commeavit, non probabitur pervenisse, eis ignorationis venia remittitur, ita vt de cætero penitùs incipiant abstinere, &c. Siqui autem scissę formam vivendi missam à Sancto Syricio Episcopo deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abiecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, eo quod post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.*

1318 Et *Can.* 16. * Si coniugati iuvenes consenserint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, Religione promissa, postea quam pariter conversi fuerint, ordinentur.*

GE-

1319 GERVNDENSE anno 517. *Can.* 6. Clericorum Continentiam sic præscribit: *De conversione vitæ id statuere placuit: A Pontifice vsque ad Subdiaconum, post suscepti honoris Officium, siquis ex coniugatis fuerit ordinatus, vt semper alterius fratris vtatur auxilio, cuius testimonio vita eius debeat clarior apparere.*

1320 TOLETANVM II. anno 551. *Can* 3. in favorem perpetuæ Continentiæ, qua fulgere debent Sacri Ecclesiæ Ministri, sic loquitur: * Illud verò prætereà speciali ordinatione decrevimus, quod nec antiqua Concilia in vniversis Canonibus siluerunt, vt nullus Clericorum à gradu Subdiaconatus, & suprà, in consortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, vel ancillam; sed si sunt ei huiusmodi servitia, matri, vel sorori, vel alij propinquę contradat.*

1321 AVRELIANENSE II. anno 533. pro Diaconorum honestate hæc præcipit *Can.* 8. * Siquis Diaconus in captivitate redactus, vxori fuerit copulatus, reversus, ab Officij omnino ministerio removendus est. Cui sufficere debet pro actus sui levitate impleta pœnitentia, pro satisfactione Communio.*

1322 ARVERNENSE anno 535. *Can.* 12. contra Clericorum incontinentiam, & pro eorum Castitate, sic loquitur: * Cum Presbyteri, atque Diaconi sublimi Dignitatis apice prærogentur, actibusque omninò sæculi renuncient, & ad Sacrum Ministerium electi repudient: & quisquis est Presbyter, atque Diaconus Divino munere, benedictione percepta, vxori suæ prius, frater illico efficiatur ex coniuge: attamen eosdem reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto militię cingulo, vomitum pristinum, & inhibita rursus coniugia repetijsse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus Sacerdotij violasse; quod nati etiam filij prodiderunt. Quod quisquis fecisse cognoscitur, omni in perpetuum (quam admisso iam crimine perdidit) Dignitate privabitur.*

1323 AVRELIANENSE III. anno 537. *Can.* 2. contra Ministros Sacros Castitatem non servantes, in hac forma decernit: *Nullus Clericorum à Subdiacono & suprà, & quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si forte iam habeat) misceatur vxori. Quod si fecerit laica communione contentus, iuxta priorum Canonum statuta, ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus suus, in hac vilitate permixtionis viventem, ad Officium postea admiserit, & ipse Episcopus ad agendam pœnitentiam tribus mensibus sit à suo Officio sequestratus.*

1324 Et *Can.* 7. *Clerici verò (inquit) qui cum vxores non haberent, benedictione suscepta coniugia crediderint eligenda, qui volentes, absque vlla reclamatione, in ętate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus, quas acceperint, Excommunicatione percellantur.*

1325 AVRELIANENSE IV. anno 547. celebratum, *Can.* 17. ad Sacerdotum, Diaconorumque honestatem promovendam statuit:* Vt Sacerdotes, sive Diaconi, cum coniugibus suis non habeant communem lectum, & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortij Religio maculetur. Quod qui fecerint, iuxta priscos Canones, ab officio regradentur.*

1326 AVRELIANENSE V. habitum anno 549. *Can.* 4. contra Clericorum incontinentiam, sic loquitur: *Siquis Clericus post acceptam benedictionem cuiuslibet loci, vel Ordinis, ad coniugalem thorum iam sibi illicitum denuò redire præsumpserit, vsque in diem vitæ ab honore accepti Ordinis & (sicut habent antiquorum Patrum Canones) ab Officio deponatur, ei tantummodo communione concessa.*

1327 TVRONENSE II. multa pro Clericorum Continentia stabilivit, *Can.* enim 2. sic ait: *Nullus Clericorum pro occasione necessitatis faciendæ vestis, aut causa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat. Et cum iubeamur victum, aut vestitum artificio quærere, & manibus proprijs laborare; quid opus est in domo serpentem includere pro veste?*

1328 Et *Can.* 11. *Nullus ergo Clericorum, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quasi Sanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam, pro confirmatione rerum, in domo sua stabilire præsumat: quæ & ipsa extranea est, dum non est mater, aut soror, aut filia: quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoscitur subiecta dominatui.*

1329 Et *Can.* 13. *Episcopus coniugem vt sororem habeat, & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem, tàm Ecclesiasticam, quàm propriam, vt nulla de

de eo suspicio quaqua ratione consurgat. Et licet (Deo propitio) Clericorum suorum testimonio castus vivat, quia cum illo tàm in cella, quam vbicumque fuerit, secum habitent, eumque Presbyteri, & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba iuniorum (Deo adiutore) conservent: sic tamen propter Zelotem Deum nostrum, tàm longè absint mansionis propinquitate divisi, vt nequi, qui ad spem recuperandam Clericorum servitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.*

1330 Tandē *Can.* 20. *Archipresbyteri Vicani, Diaconi, & Subdiaconi, non quidē omnes, sed plures in hac suspicione tenentur à populo, quod cum coniugibus suis maneant. Pro qua re hoc placuit observare, vt quotiescumque Archipresbyter seu in Vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, vnus Lector Canonicorum suorum, aut certè aliqui de numero Clericorum, cum illo ambulet, & in cella, vbi ille iacet, lectum habeat pro testimonio, &c. Reliqui Presbyteri, & Diaconi, ac Subdiaconi Vicani hoc studio se custodiant, vt mancipiola sua ibi maneant, vbi vxores suæ: illi tamen segregatim solitarij in cella iaceant, & orent, & dormiant, &c. Nam si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni Officio Clericali inter laicos se observare cognoscat: eo tamen permisso, vt inter Lectores in psallentium Choro colligatur.*

1331 CONCILIVM MATISCONENSE anno 576. pro Castitate à Clericis conservanda, sic loquitur *cap.* 11. *Episcopi, Presbyteri, vel vniversi honoratiores Clerici, cum sublimi dignitatis apice sublimentur, actibus omnino renuncient sæculi, & Sacro electi Ministerio repudient carnale consortium, ac permixtionis pristinæ contubernium commutent germanitatis affectu. Et quisquis ille est, Divino munere benedictione percepta, vxori priùs suæ frater illicò efficiatur ex coniuge.*

1332 LVGDVNENSE II. anno 586. contra Clericos mollibus inservientes delitijs hoc Decretum edidit *cap.* 1. *Sancimus, vt nullum Clericum ab Ordine Sancto Antistitis, vsque ad Subdiaconi gradum, mulierem pręter matrem, amitam, & sororem in hospitio suo habere liceat. Placuit etiam, vt si quicumque vxor sibi iuncti ad Diaconatus, aut Presbyteratus Ordinem quoquo modo pervenerint, non solum lecto, sed etiam frequentatione quotidiana debeant de vxoribus suis sequestrari. Quod si (quod Deus avertat) de eorum familiari contubernio, post acceptam benedictionem, infans natus patuerit, ab Officij gradu privetur.*

1333 TOLETANVM III. Pelagij II. Pontificis, & Reccaredi Regis temporibus celebratum, anno scilicet 589. quæ hucusque diximus præclarè confirmat *Can.* 5. sic decernens: *Compertum est à Sancto Concilio, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos venientes ex hæresi, carnali adhuc desiderio vxoribus copulari. Ne ergo de cœtero fiat hoc, præcipitur, quod & prioribus Canonibus determinatur, vt non liceat eis vivere libidinosa societate, sed manente inter eos fide coniugali, communem vtilitatem habeant, & non sub vno conclavi maneant. Et certe si suffragatur virtus, in aliam domum suam vxorem faciat habitare, vt Castitas, & apud Deum, & homines habeat testimonium bonum. Siquis verò post hanc conventionem, obscenè cū vxore elegerit vivere, vt Lector habeatur. Qui verò semper sub Canone Ecclesiastico iacuerunt, si, contra veterum imperata, in suis cellulis mulierum, quæ infamem suspicionem possunt generare, consortium habuerint, illi Canonicè quidem distringantur; mulieres verò ipsę ab Episcopo venumdatæ, pretium ipsum pauperibus erogetur.*

1334 HISPALENSE I. anno 590. *Can.* 3. *Inter cętera verò cognoscite, à nobis hoc definitum, pro abolendis maculis Clericorum: quia quidam Episcoporum, non observantes nuper editum Concilij Toletani Decretum, minus solliciti in subiectis existunt: placuit proinde vt si Presbyteri, Diaconi, vel Clerici consortia extranearum fœminarum, vel ancillarum familiaritatem, per Sacerdotij sui admonitionem, à se minus removerint, sæculi iudices easdem mulieres cum voluntate, & permissu Episcopi, comprehensas, in suis lucris vsurpent, vt vitium hoc, dum Sacerdos inhibere non prævalet, potestas iudicialis coerceat.*

135 TOLETANVM IV. anno 643. *Can.* 20. *Inoffensos ergo, & immaculatos decet Dei existere Sacerdotes, nec vllo eos fornicationis contagio pollui; sed ca-

castè viventes, mundos semetipsos celebrandis exhibeant Sacramentis. Abstineamus ergo nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus, vt mundi corpore, purgati mente, possimus ad Sacrificium Christi digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.*

1336 Et *Can.* 26. *Quando Presbyteri, aut Diaconi, per Parochias constituuntur, oportet eos primum professionem Episcopo suo facere, vt castè, & purè vivant sub Dei timore, vt dum eos tali professione obligaverit, sub Sancta Disciplina retineantur.*

1337 VENETICVM anno 465. adhuc Subdiaconis nova connubia inire prohibuit; *Can.* enim 11. ita legitur constitutum: *Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi, quibus ducēdi vxores, licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec eis cætibus admisceantur, vbi amatoria cantantur, & turpia, aut obscæni motus corporum, choris, & saltibus efferuntur; nè auditus, & obtutus Sacris Mysterijs deputatus, turpium spectaculorum, atque verborum contagio polluatur.*

1338 LVGDVNENSE III. anno 583. *Can.* 1. *Placuit etiam, vt si quicumque vxoribus iuncti ad Diaconatus, aut Presbyteratus Ordinem quoquo modo pervenerint, non solum lecto, sed etiam frequentatione quotidiana debeant de vxoribus suis sequestrari; quodsi (quod Deus avertat) de eorum familiari contubernio, post acceptam benedictionem, infans natus patuerit, ab Officij gradu priventur.*

1339 TOLETANVM VIII. anno 655. sub Martino I. Pontifice habitum, damna ex incontinentia suboriri solita Apostolico Zelo præcavens, plures in Sacrorum Ministrorum incontinentiam Canones, æquissimè, ac Sanctissimè condidit; in 5. enim hæc habet: *Pervenit ad totius Concilij Sacrum auditum, quosdam Sacerdotes, & Ministros obliviscentes maiorum, ac veterum Constitutorum, aut vxorum, aut quarumcumque fœminarum immunda societate, & execrabili contagione turpari, quibus quanto est pertinacior vis in malis, tanto austerioribus convenit obviare Decretis. Propter quod, flagitijs detectis, specialiter hoc à Sancto Concilio definitur, vt omnes Episcopi id ipsum in suis quærere sollicitè curent. Et cum hoc verissimè reperire potuerint, omnes placita cautione taliter distringant, vt numquam vlteriùs tam abominanda comittant. Mulieres verò, seu libertæ sint, seu ancillæ, hac illis turpitudine sociatæ, ita omnimodè separentur, & Monasterio tradantur, (alia lectio habet: aut certè vendantur) vt vlterius ad conscios sui criminis omnem revertendi aditum habeant denegatum. Illi verò, si omninò coërceri nequiverint, vsque ad exitum vitæ suæ Monasterijs deputati, pœnitentiæ disciplinis maneant omnino subiecti.*

1340 Et *Can.* 6. pro Subdiaconorum Castitate servanda, hæc statuit: *Relatum est nobis, quosdam Subdiaconos, postquam ad Sacri huius Ordinis pervenerint gradum, non solum carnis immunditia sordidari, cum scriptum sit: *Mundamini qui fertis vasa Domini*: sed etiam, quod dictu quoque nefas est, novis vxoribus copulari, asserentes: hoc ideò sibi licère, quia benedictionem à Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde omni excusationum discisso velamine, id pręcipimus observari, vt cum ijdem Subdiacones ordinātur, cū vasis Ministerij, benedictio eis ab Episcopis detur, omni penitùs ab illis sorde mulierum, ac familiaritate remota. Quod si hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt, sub pœnitentiæ oneribus, vsque ad extremum vitæ, Monasterijs religandi.*

1341 Et *Can.* 7. eadem Continentiæ Lege constringit eos, qui se invitos Sacram Ordinationem suscepisse contestabantur: *Recedant ergo, ait talium desideriorum impudorati fautores: & licet inviti perceperint, quod non merebantur habere, libentèr tamen ob cœleste retineant præmium, quod nolendo, per terrenæ necessitatis consecuti sunt eventum: vt tamen inviti appetant bona diligere, quæ sponté videntur desides impugnare. Quod siquis post hoc perennis dispositionis Edictum non sinceriter Sacris inhęserit cultibus, & abijciens à se gratiam, quam accepit, relabi ad coniugia, moresque sęculi attentaverit, vel eum redire constiterit, mox omni Ecclesiastici Ordinis Dignitate privatus, verè vt Apostata à Sanctis Ecclesiæ liminibus, & societate fidelium habeatur prorsus exclusus, Monasterij claustris; donec aduixerit sub pœnitentia retrudendus.*

1142 TOLETANVM IX. anno 655.

 vel

vel iuxta alios 657. in Ecclesiasticos, Castitatem in Sacris Canonibus præscriptam non servantes, severè animadvertit *Can.* 10. sic loquens: *Cum multæ super incontinentia Ordinis Clericorum vsque hactenus emanaverint Sententiæ Patrum, & nullatenus ipsorum formari quiverit correctio morum, vsque adeo Sententiam iudicantium protraxere commissa culparum, vt non tantum ferretur vltio in Authores scelerum, verum & in progeniem damnatorum. Ideoq; quilibet, ab Episcopo vsque ad Subdiaconũ, deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuę detestãdo cõnubio, in honore constituti filios procreaverint, illi quidẽ ex quibus geniti probabuntur, Canonica Censura damnentur: proles autem tali pollutione nata, non solum hæreditatem parentum numquam capiet; sed etiam in servitutem eius Ecclesiæ, de cuius Sacerdotis, vel Ministri ignominia nati sunt, iure perenni manebunt.*

1343 CABILONENSE I. anno 658. habitum *Can.* 3. *Licet iam prioribus Canonibus fuerit statutum, placuit tamen revocare, vt siquis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quicumque ex Sacerdotali Cathalogo, præter personas, quæ in ipsis Canonibus continentur, cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habere præsumpserit, quæ dedecoris, vel adulterij possit adferre suspicionem, iuxta statuta Canonum, ab Ordine regradetur.*

1344 NANNETENSE CONCILIVM, anno 658. *Can.* 3. *Prohibendum (inquit) & omnibus modis interminandum est, vt nullus Sacerdos eas personas fœminarum, sicut & in Canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat. Sed neque illas, quas Canones concedunt (quia instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed siquis habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio Presbyteri, habeat in vico, aut in villa domum, longê à Presbyteri conversatione, & ibi eis subministret, quæ necessaria sunt.*

1345 SYNODVS FRANCICA, anno 742. *Falsos Presbyteros (inquit) & adulteros, vel fornicatores Diaconos, & Clericos de pecilijs Ecclesiarum abstulimus, & degradavimus, & ad pœnitentiam coegimus.*

1346 MOGVNTINVM sub Stephani VI. Pontificatu anno 888. vel 813. secundum alios, conservandæ Castitatis causa, contra Clericorum incontinentiam sic invehitur *Can.* 10. *Vt Clericis interdicatur mulieres in domo sua habere, omnimodis decernimus. Quamvis etiam Sacri Canones quasdam personas fœminarum, simul cum Clericis, in vna domo habitare permittant, tamen (quod multum dolendum est) sępe audivimus per illam concessionem scelera multa esse commissa, ita vt quidam Sacerdotum, cum proprijs vxoribus comcumbentes, filios ex eis generassent. Et idcircò constituit hæc Sancta Synodus, vt nullus Presbyter vllã fœminã secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis, vel facti iniqui penitûs auferatur.*

1347 Quod confirmat RHEMENSE CONCILIVM, anno 813. dum *Can.* 22. cavet: *Vt à Sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditus eradicetur, cum quibus etiam nulla habitatio eis concedatur, præter illam, quæ in Nicęna Synodo permittitur, idest, matrem, aut sororem, vel eas tantum personas, à quibus omnes suspiciones effugiant.*

1348 AQVISGRANENSE anno 816. celebratum, haud minori Castitatis Clericalis Zelo ita *Can.* 6. statuit: *De Subdiaconis, placuit Patribus, vt quia Sacra Mysteria contrectant, casti, & continentes sint ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, iuxta quod illis, Propheta dicente, iubetur: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* (*Isaiæ* 52.)

1349 Et *Can.* 9. *Sacerdotem quęrit Ecclesia, aut de Monogamia ordinatum, aut de Virginitate Sanctum.*

1350 VVORMATIENSE anno 868. *Can.* 9. *Placuit vt Episcopi, Presbyteri Diaconi, Subdiaconi abstineant se à coniugibus, & non generent filios. Quod si hoc Decretum violaverint, ab honore Clericatus pellantur.*

1351 Et *Can.* 11. *Sacerdotes igitur, si in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis manifestus sibi ostensus fuerit actus, Sacerdotij non possunt habere honorem, secundum Canonicæ Institutionis Authoritatem.*

1352 Eiusdem Castitatis conservandæ Zelo Patres CONCILII METENSIS, anno 888. sub Arnulpho Rege celebrati, *Can.* 3. ita constituerunt: *Sacerdotes, qui

qui, vice Mosis, iram Domini super populum sævientem precibus suis debent mitigare, attendentes etiam, ne illud fiat, quod scriptũ est: *Maxima ruina populi in culpa Sacerdotum fuit*: nequaquam in sua domo secum aliquam fœminam habeant, nec matrem, nec sororem; sed auferentes omnem occasionem Satanæ, Angelicam vitam ducant, & Domino Deo casto corpore, mundo corde, finetenùs serviant.*

1353 LONDINENSE II. sub Paschali II. anno 1102. *Can.* 4. *Nullus Archidiaconus, Presbyter, Canonicus vxorem ducat, aut ductam retineat. Subdiaconus verò quilibet, qui Canonicus non est, si post professionem Castitatis, vxorem duxerit, eadem regula constringatur.*

1354 Et *Can.* 5. *Vt Presbyter quamdiù illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit Legalis, nec Missam celebret; nec si celebraverit, eius Missa audiatur.*

1355 Et *Can.* 6. *Vt nullus ad Subdiaconatum, aut suprà, ordinetur sine professione Castitatis.*

1356 LONDINENSE III. sub eodem Pontifice, anno 1108. *Can.* 2. *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi castè vivant, & fœminas in domibus suis non habeant, præter proximas, consanguinitate sibi iunctas. Si verò post interdictum Concilij Lugdunensis II. fœminas suas tenuerunt, vel alias duxerunt, si amplius Missam celebrare voluerint, eas omnino à se sic faciant alienas, vt nec illi in domum earum ingrediantur, sed nec in aliqua domo scienter conveniant, nec huiusmodi fœminæ in territorio Ecclesiæ habitent. Illi autem Presbyteri, qui Divini Altaris, & Sacrorum Ordinum contemptores, prælegerunt cum mulieribus habitare, à Divino Officio remoti, omnique Ecclesiastico beneficio privati, extra Chorum ponantur, infames pronunciati, &c. Presbyteri verò, qui relictis mulieribus, Deo, & Sacris Altaribus servire elegerint, quadraginta diebus ab Officio cessantes, pro se interim Vicarios habebunt, iniuncta eis pœnitentia secundum hoc, quod Episcopis eorum visum fuerit.*

1357 ROTHOMAGENSE à Gothifredo Archiepiscopo, anno 1119. celebratum, suæ Provinciæ Presbyteris omne mulierum consorcium interdixit, etsi infelici eventu, ac seditione contigerit. Rem ita narrat ODORICVS VITALIS *lib. 12. Histor. Ecclesiast.* *Inter cætera Concilij Capitula, quæ protulit, omne consortium fœminarum penitùs eis interdixit, & in transgressores terribilem Anathematis Sententiam vibravit. Cumque Presbyteri tàm gravè pondus nimium abhorrerent, & inter se pro corporum, & animarum discrimine, conquærentes, mussitarent: Archiepiscopus Albertum quemdam eloquentem, quia nescio quid fari cœperat, iussit comprehendi, & mox in ergastulum carceris retrudi. Præfatus enim Præsul erat Brito, in multis indiscretus, tenax, & iracundus, vultu, gestuque severus, in increpatione austerus, procax, & verbositate plenus. Cum autem reliqui Sacerdotes, insolita re visa nimis obstupuissent, nimiumque perterriti, quod agendum esset, ignorarent, dubitantes vtrum sese defendere, seu fugere deberent, furibundus Præsul de Cathedra surrexit, de Synodo concitus exivit, satellitesque suos, quos ad hoc prius instruxerat, advocavit: protinùs illi cum fustibus, & armis in Ecclesiam irruerunt, & in conventiculum Clericorum mutuò colloquentium irreverenter ferire cœperunt: porrò quidam illorum poderibus suis induti, per cænosos Vrbis vicos ad hospitia sua cucurrerunt, alij verò podijs, vel lapidibus, quos ibi fortè invenerant, arreptis, repugnare conati sunt. Clientes autem quod ab inermi coronatorum Choro convicti fugissent, erubuerunt, & indignantes, coquos, ac pistores, & vicinos asseclas actutum asciverunt, & recidivum certamen in Sacris temerè penetralibus redintegraverunt: quoscumque in Ecclesia, vel Cœmeterio repererunt, iustos, vel iniustos percusserunt, vel impegerunt, vel alio quolibet modò iniuriati sunt.*

1358 In CONCILIO LATERANENSI I. Vniversali IX. sub Calixto II. anno 1122. etiam Subdiaconis inhibetur connubium; siquidem *Can.* 3. hæc statuuntur: *Presbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus concubinarum, & vxorum contubernia pœnitus interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem, præter quas Synodus Nicæna, per solas necessitudinum causas habitare permisit, videlicet, matrem, sororem, amitam, vel matertеram, aut alias huiusmodi, de quibus nulla valeat iustè suspicio oriri.*

1359 Et *Can.* 21 *Presbyteris, Diaconi-

conibus, Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, seu Matrimonia contrahere penitus interdicimus. Contra diiungi iudicamus.*

1360 Idem statuit LATERANENSE III. sub Alexandro III. anno 1129. dum *Can.* 11. *Clerici (inquit) in Sacris Ordinibus constituti, qui mulierculas in domibus suis incontinentiæ nota tenuerint: aut obijciant eas, & continenter vivant; aut ob Officio, & beneficio Ecclesiastico fiant alieni.*

1361 In LATERANENSI Vniversali X. sub Innocentio II. anno 1139. *Can.* 6. hæc decernuntur: *Qui in Ordine Subdiaconatus, & suprà, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio, atque Ecclesiastico beneficio careant.*

1362 CONCILIVM OXONIENSE habitum anno 1261. duo ad hanc rem statuta reliquit. Primò: quod Clerici non teneant publicè concubinas: *Ne Clerici Beneficiati, inquit, vel in Sacris Ordinibus constituti in hospitijs suis tenere publicè concubinas præsumant, nec alibi cum scandalo accessum habeant ad easdem.*

1363 Secundò, qualis pœna est infligenda concubinis Clericorum: *Et si fortè (ait) concubinæ eorum, monitione postea proposita ab eis non recesserint, ab Ecclesijs Dei, quas infamare præsumunt, expellantur, nec admittantur ad Ecclesiastica Sacramenta. Et si nec sic duxerint abstinendum, Excommunicationis mucrone percellantur, & tùm demum contra eas invocetur brachium sæculare. Ipsos autem Clericos per substractionem Officij, & Beneficij, Canonica Monitione præmissa, volumus coerceri. Item licet legitima testamenta Clericorum Beneficiatorum decedentium volumus firmiter observari, nolumus tamen quod concubinis suis aliquid relinquant in testamento suo: quod si fecerint, illud arbitrio Episcopi convertatur in vsum Ecclesiæ, in qua vixit defunctus.*

1364 Tandem OECVMENICA TRIDENTINA SYNODVS sub Pio IV. anno 1562. *Sess.* 24. *de Sacram. Matrim.* perpetuę Continentiæ Legem præscripsit Ecclesiasticis, qui ad Sacros Ordines promoti sunt, eorumque Matrimonia irrita pariter, ac Monachorum decernit, Anathematè feriens eos, qui contrarium senserint; *Can.* enim 9. hęc statuit: *Siquis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel Voto; & oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se Castitatis (etiam si voverint) habere donum, Anathema sit, cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.*

§. VIII.

IMPERATORVM IVDICIVM de Clericorum Cœlibatu, & Continentia.

1365 QVamquam ex tot Sanctissimis Patribus, Pontificibus, Sacrisque Concilijs hucvsque relatis satis appareat, Clericos Sacris Ordinibus initiatos, Cœlibatus, & perpetuæ Continentiæ Lege adstringi, nihilominus, cum hi, quos hac in re refellimus præcipuè hæretici sint, omninoq; Sacro Ordinè destituti, qui Pontificias Leges minimi ducunt, vixque vllam Clericalem inter & Laicalem Statum differentiam agnoscunt, opere prætium duximus pro nostra Conclusione supremam in Secularibus, Civilibus, & Politicis Authoritatem, ac testimonia omni exceptione maiora ferre, aliquorum nempè Imperatorum Rescripta, qui quamvis statu laici extiterint, Christianæ tamen Religionis Zelo sese insignes, ac prǽclaros maioris puritatis Ecclesiastici Status promotores præstiterunt, Statuta Summorum Pontificum, Sacrorumque Conciliorum Decretis valdè conformia condentes, quibus Pontificiæ Leges in his, quæ ad Castitatem à Sacris Ministris servandam pertinent, promptius, ac facilius observarentur.

1366 HONORIVS, & THEODOSIVS circa annum 420. pro ardentissimo illo Zelo, quo Clericorum honestatem desiderabant, omnemque incontinentiæ suspicionem ab illis relegare conabantur, hoc Rescriptum ediderunt *in l. Eum qui, C. de Episcop. & Cleric.* *Eum, qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. Quicumque igitur cuiuscumque gradus Sacerdotio fulciuntur, vel Clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant: hac ta-

tamen ijs facultate concessa, vt matres, filias, atque germanas intra domorum suarum septa contineant. In his enim nihil sęvi criminis existimari, fœdus naturale permittit.

1367 Fusiùs de hac re IVSTINIANVS Imperator anno 530. siquidem Clericorum Continentiam, varijs in locis commendat, præcipuè *l.Omnem* 42. *C. de Episcop. & Cleric.* vbi hæc habet: * Convenit igitur huiusmodi eligi, & ordinari Sacerdotes, quibus nec liberi sint, nec nepotes: etenim fieri vix potest, vt vacans huius quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne studium, omnemque cogitationem circa Divinam Liturgiam, & res Ecclesiasticas consumat. Nam cum quidam summa in Deum spe, & vt animæ eorum salvę fiant, ad Sanctissimas accurrant Ecclesias, & eis omnes suas facultates adferant, & derelinquant, vt in pauperes, & egentes, & alios pios vsus consumantur; indecens est, Episcopos in suum illas auferre lucrum, aut in propriam sobolem, & cognatos impendere. Oportet enim Episcopum minimè impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium Fidelium Spiritualem esse Patrem.*

1368 Insuper *l.Sacris.45.eod.tit.**Sacris Canonibus (inquit) neq; Deo amantissimis Presbyteris, neque reverendissimis Diaconis, ac Subdiaconis nuptias contrahere post huiusmodi Ordinationem permittentibus; sed solis reverendissimis Psaltis, & Lectoribus id concedentibus: animadvertimus, quosdam despicientes quidem Sacros Canones, pueros autem generantes, ex quibusdam mulieribus, quibus coniungi secundum Sacerdotalem censuram non possunt. Quoniam igitur pœna facinoris huius in sola Sacerdotij erat amissione: Sacros autē Canones non minus, quàm Leges valere, etiam nostræ volunt Leges: sancimus obtinere in illis, & quę satis visa sunt Canonibus, perindè ac si Civilibus inscriptum esset Legibus, & omnes istiusmodi homines, tàm Sacerdotio, quàm Divino Ministerio, atque etiam dignitate ipsa, quam habent, nudari. Quemadmodum enim Sacris Canonibus prohibita sunt talia; sic & secundum nostras Leges, rem ipsam prohiberi, & præter supradictam excidendi à Ministerio pœnam, nè legitimos quidem, & proprios esse eos, qui ex huiusmodi inordinata constupratione nascuntur, aut nati sunt; sed eam, quę ex talibus fœminibus oritur, participari turpitudinem. Tales enim eos esse disponimus, quales quos Leges ex incestis, aut nefarijs natos nuptijs definiunt, ita vt neque naturales, aut nothi, seu spurij intelligātur: sed prorsus, & vndique prohibiti, & successionis genitorum indigni, ac nec donationem ab illis capere possint.*

1369 Ex quibus manifestè apparet, quam directè prædictis Imperatorum Legibus adversetur error Magdeburgensium, cæterorumque hæreticorum illis adhęrentium, qui vt lasciviam foveant, impiè, ac insolentèr adstruunt, Sacerdotibus, cæterisque Ministris, Sacro Ordine initiatis, licitum esse coniugium, cùm plusquam mille & quadringentis retrò annis, non modò in Sacris Canonibus, à Iustiniano Imperatore commemoratis, sed etiam in istius Imperialibus Legibus huiusmodi coniugium severis, ac rigorosissimis pœnis inhibitum legatur. Ipse insupèr Iustinianus non modò in prędictis locis ob magnam venerationem, qua Sacros Canones prosequebatur, has Leges ipsis valdè consonas descripsit; sed in his etiam, qui sequuntur, insignem illam Pietatem, Religionem, ac Zelum, quo maiori Ecclesiastici Status conservationi, & honori invigilabat, apertissimè ostendit.

1370 Siquidem *in Nomocanone Tit. 9. cap.29.* sic decernit: * Si Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus nuptias contraxerit, Canonibus tenetor (qui Canones non minus, quam Leges valent) & prætereà Sacerdotio excidito. Liberi autem tamquam ex illicitis nuptijs nati, neque naturales, neque nothi sint, neque ex donatione, successione, ficto debito, aut aliorum obligatione quidquam percipiant à patribus suis; sed neque matres eorum, sed omnia capiat Ecclesia, in qua ille deservierit.*

1371 In *Authent.verò sancimus, col.1. tit.6. Quomodo oportet Episcopos, &c.* statuitur:*Vt ordinādus Episcopus sit neq; vxori alij copulatus: sed aut in virginitate degens à principio, aut vxorem quidem habens, ex virginitate autem ad eum venientem, & non viduam, neque seiunctam à viro, neque concubinam: neque filios, aut nepotes habens, neque cognitos Legi, neque illi odibiles: alioqui qui propter hoc aliquid agit, & ipse cadet Sacerdotio; & qui eum ordinat foris Episcopatum

tum sectabitur, hanc Legem offendens. Prius autem aut Monasticam vitam professus, aut in Clero constitutus non minus mensibus sex, vxori tamen non cohærens, aut filios, aut nepotes habens. Hoc enim omnimodò super Deo amabilibus Episcopis quærimus, sicut etiam priùs duabus nostris Constitutionibus hoc sancitum est, per quas dudum cohærentes vxoribus non perscrutamur, omne præteritum relinquentes, de cætero autem nulli permittentes, appositioni Legis vxorem habenti talem imponi Ordinationem; quam Legem etiam nunc renovamus, ne fortè, si præter hoc aliquid fiat, & ipse cadat Sacerdotio, & Ordinantem similiter excludi procuret.*

1372 Et *cap.* 5. * Neque autem (inquit) secundas habentem, aut eum, qui habuerit nuptias, ordinari in Diaconum, aut Presbyterum, neque si mulieri iungatur seiunctę, & proprium virum derelinquenti: sed neque si concubinam habeat; sed & ipsam vxorem, si cum Castitate, & Virginitate sit: nihil enim sic in Sacris Ordinationibus diligimus, quàm cum Castitate viventes, aut cum vxoribus non cohabitantes, aut vnius vxoris virum, qui vel fuerit, vel sit; & ipsam Castitatem eligentem, primum principium, & fundamentum manifestum secundum Divinas Regulas, & residuæ virtutis constitutam. Si autem aliquis Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus posteà ducat vxorem, aut concubinam, aut palàm, aut occultè, Sacro statim cadat Ordine, & deinceps idiota sit. Quod si & Lector secundam ducat vxorem, propter quædam, & hoc forsan irrecusabili necessitate, nullatenùs ad altiorem ascendat gradum, neque perfruatur gradu maiori in Sacerdotio: maneat autem in eodem gradu perpetuò.*

1373 Et *Novella* 123. *de Episcop. & Cleric. cap.* 14. * Si verò (inquit) futurus ordinari Diaconus non habuerit vxorem (sicut prædictum est) coniunctam sibi, non alitèr ordinetur, nisi priùs ab Ordinante eum, interrogatus promiserit, posse post Ordinationem, & sine legitima vxore honeste vivere. Non valente eo, qui ordinat in tempore Ordinationis permittere Diaconum, aut Subdiaconum post Ordinationem vxorem accipere. Is autem qui permittit Episcopus, expellatur ab Episcopatu. Si verò post Ordinationem Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus vxorem duxerit, expellatur à Clero, & Curię Civitatis illius, in qua Clericus erat; cum proprijs rebus tradatur. Si verò Lector secundam ducat vxorem, aut primam quidem viduam, aut separatam à viro, aut Legibus, vel Sacris Canonibus interdictam, nequaquam ad alium Ecclesiasticum Ordinem promoveatur; sed & si quolibet modò ad maiorem Ordinem perducatur, expellatur eo, & priori restituatur.*

1374 Tandem *cap.* 29. * Presbyteris (ait) & Diaconis, & Subdiaconis, & omnibus in Clero conscriptis non habentibus vxores, secundum Sacros Canones, interdicimus etiam nos secundum Sanctarum Regularum virtutem, mulierem aliquam in propria domo superinductam habere: tamen citra matrem, aut sororem, aut filiam, & alias personas, quæ omnem suspicionem effugiunt.*

1375 LEO IMPERATOR, cognomento *Philosophus*, qui floruit anno 800. Legem Sacris Canonibus perpetuam in Sacris Ministris Continentiam requirentibus, valdè consonam tulit; siquidem *Constitut.* 3. sic loquitur: * Cum decenter inde ab initio de ijs, qui faciendis Deo Sacris digni essent, Ecclesiasticus Ordo constituerit, non rectè (meo quidem iudicio) qui præsentis temporis consuetudinem sequuntur, interdum Ecclesiasticam Traditionem contemnunt. Nam vbi illa mandat, vt qui creandi Sacerdotes sunt, aut per omnem vitam, si promissum non falsum fore fidant, Cœlibatum voveant, aut si illum servare, impossibile ijs videatur, legitimè Matrimonium ineant, ac deindè Divinum Ministerium suscipiant: consuetudo, quæ in præsenti obtinet, ijs, quibus Matrimonio coniungi in animo est, concedit, vt antequam vxorem duxerint, Sacerdotes fieri possint, ac deindè biennium ad perficiēdam voluntatem iungi Matrimonio volenti præstituit. Id igitur quia indecorum esse videmus, iubemus, vt ad vetus Ecclesiæ, & antiquitus traditum præscriptum dehinc creationes procedant: neque enim dignum est, vt qui spirituali ascensu supra corporis abiectionem, & sordes evecti sunt, hi rursum ad carnis sordes delabantur: sed è diverso, vt Divinum Ministerium, ex corporis sordibus, tamquam in altum aliquem gradum conscendat, convenientius fuerit.*

1376 Et *Constit.* 79. eamdem Sententiam sic prosequitur: * Quæ semel Deo dicata sunt, ea deinceps auferri non oportere,

tere, sancitum est: idque non solum in donarijs, verum multo etiam magis in hominibus, qui per Sacrum Ordinem Divinæ Maiestati consecrati sunt, observandum est: tametsi (vt multi sunt hominum lapsus) in statu, in quem tamquam honestè victuri allecti erant, peccatum dominio in ipsos suscepto, exturbet. Non approbantes igitur veteris Legislatoris propositum, qui Sacerdotem, Diaconum, aut Hypodiaconum, si post assumptum Ordinem mulieri in Matrimonium iungatur, omninò à Clericali habitu discedere, atque ad profanam vitam reverti vult, illud Decretum irritum facimus. At verò statuimus, vt ab Ordine, quem ante nuptias obtinuerint, solum recedentes, satis tamen pœnarum luere videantur, & nequaquam Clericali habitu, adeòque Ecclesiæ Ministerio, cuius quidem vsus eis licitus non est, iudicio priventur.*

1376 Non minori zelo Honestatem, & Castimoniam, quà Ministri Deo sacrati, iuxta Sacrorum Canonum Statuta, cœlibem debent ducere vitam, sua Authoritate sancivit Imperator ISACIVS ANGELVS, qui anno 1185. vitalem auram trahebat, vt enim Sacri Canones, Cœlibatum Sacris Ministris præscribentes, in suo vigore persisterent, vt ab omnibus Ecclesiasticis inviolabiliter observarentur, hanc Legem sanxit *Constit. 3.* * Propositum est, quosdam eorum, qui ad Metropoles vel Archiepiscopatus electi, & ordinati sunt, cum vxores ante Ordinationem haberent, non recusari quidem quin primarij Sacerdotij Chrismate inungerentur; sed eorum vxores eumdem rursus mundanum habitum induere, inverecundè agentes in his ędibus, quas anteà habitabant, nec fœmineis introductas esse Monasterijs, sed nec Deo se ipsas dedicasse, & vitam delegisse Monasticam. Et hæc, quod Sacri, Divinique Canones expressim moneant, electos Pontifices à legitimis suis vxoribus, quas ante Ordinationem habebant, omnimodò abstinere, vt non ex præcepto, sed propria voluntate eorum quisque Continentiam, vel Cœlibatum proprium sibi deligat, propter Dignitatem Sacerdotij, aut propter Matrimonij honestatem, coniunctionem castam præferat, &c.

1378 Triste (prosequitur idem) etiā quiddam, nec gratum, impijssimū Chartophylacē mea intuens Maiestas definijt, cohortātibus ad id Sanctissimis Patriarchis, vxores creatis Pontificibus ante Ordinationem coniunctas, in muliebria Monasteria, procul sita ab habitatione Pontificum, sine dilatione induci, tonderique eas, & canonicè apud Monachas degere, in quo Monasterio comam deposuerint: & si ipsæ tonsuram recusent, qui ijs ante creationem iuncti erant Matrimonio, Pōtificali Solio, & Dignitate priventur, & in eorum loco alij sufficiantur. In posterum autem, qui ante creationem vxorem legitimam habebit, non aliter ordinari, quàm si communi coniugum scripto consensu, & placito à se invicem separentur, & mulier Monasticam vitam amplexa sit. Sic enim creatio, sine offendiculo, & damno iuxta Sacros, & Divinos Canones procedet, semota ab omni Sacerdotalis Ordinis reprehensione.*

1379 Eximius ille Ecclesiæ propugnator CAROLVS MAGNVS IMPERATOR, qui anno 780. floruit, magna veneratione refert *lib.1.cap. 98.* ea, quæ à Sanctis Ecclesiæ Prælatis, ad Ecclesiasticorum honestatem securiùs stabiliendam, fuerant decreta. * Statutum est (inquit) ab Episcopis de Presbyteris, qui fœminam indiscretè secum habitare permittunt, & propter hoc malæ suspicionis opinione denotantur, vt si deinceps admoniti se non correxerint, velut contemptores Sacrorum Canonum Canonica invectione feriantur.*

1380 Tandem silentio prętereundum non est, quod pro Sacrorum Ministrorum Castitate servanda præstitit FRIOLA, Hispaniæ Rex, contra pestiferum, abominabilemque abusum, qui apud Hispanos invaluerat, quos inter Ecclesiastici, contra Sacrorum Canonum Statuta, Matrimonijs polluebantur. Rem eleganter narrat D. Rodericus, Toletanus Archiepiscopus, anno 1240. *lib.4. Rer. Hisp. c.6.* * Cùm (dicēs) à tēpore Vvitizæ insolens abominatio esset, vt Clerus carnalibus coniugijs poti-retur, Friola Rex intelligens iram Dei pro tanta immunditia æstuasse, iuxta Sacrorum Canonum Instituta pręcepit, vt Ministri Ecclesiæ Castitate servata nullatenùs Matrimonijs, vel connubijs fœdarentur. Et licet aliàs austerus, & crudelis fuerit, propter hæc, quæ circa Clerum instituit, direxit Dominus manum eius.*

§. IX.

§. IX.

QVID DE EADEM CONTInentia Patres, alijque Authores, tám Græci, quàm Latini censuerint.

1381 EX iteratis Concilijs, tàm Generalibus, quàm Nationalibus in omnibus sęculis, ac in toto ferè Christiano Orbe celebratis, ex totque, ac tantis Patribus, quos Christianæ Religionis, & Doctrinę Zelo præclaros §§. antecedentibus adduximus, manifestè patet, Ecclesiam ad maius suorum Ministrorum decus, & ornamentum perpetuæ Continentiæ Legem ijs, qui ad Sacros Ordines promoventur, semper imposuisse, eamque ab istis diligentissimè servari votis omnibus exoptasse, ideóque sub gravissimis pœnis prohibuisse quidquid puritati Sanctissimi, ac Sacratissimi illius Ministerij, quo Deo, istiusque Cultui devoti, ac in Ecclesia mancipati funguntur, videbatur opponi.

1382 Verùm non modó Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacratissimorumque Conciliorum communis est iste consensus, sed & omnium, tàm Græcorum, quàm Latinorum ferè Ecclesiæ Doctorum, qui eximia sua Doctrina, & Virtute, perpetuæ Ecclesiasticorum Continentiæ faverunt, & verbo, ac opere demonstrarunt, quam necessaria sit Ecclesiasticis, tàm corporis, quàm animi puritas ad Christianum Populum ędificandum, nosque suis scriptis hac in re præclarissimè erudierunt, ac incontinentiæ sectatores efficacissimis rationibus impugnarunt.

1383 Inter Græcos eximius fuit Continentiæ Ecclesiasticorum Zelator ORIGENES, qui anno 230. præclara eruditione enituit; siquidem *in Levit. Homil.* 4. Presbyterorum Continentiam sic commendat: * Sacerdos campestri lineo cingitur, vel fœmoralibus vtitur, qui luxuriam fluxæ libidinis cingulo strinxerit Castitatis. Ante omnia enim Sacerdos, qui Divinis assistit Altaribus, Castitate debet accingi.*

1384 Et *in Numer. Homil.* 23. Ecclesiasticorum Castitatem efficaciter suadet his verbis: * Si Oratio iusti sicut incensum offertur in conspectu Domini, & elevatio manuum eius Sacrificium est vespertinum: Dicit autem Apostolus ijs, qui in coniugio sunt: *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis Orationi* (1. *ad Corinth.* 7.) Certum est, quia impeditur Sacrificium indesinens ijs, qui coniugalibus necessitatibus serviunt. Vndè videtur mihi, quod illius est solius offerre Sacrificium indesinens, qui indesinenti, & perpetuę se devoverit Castitati.*

1385 Et *lib.* 8. *contra Cels.* eamdem materiam sic prosequitur: * Cæterum homines idiotę ab eis pro nihilo habiti, vt stulti, & illiberales, si modò committant se in Fide in Deum, & Doctrinam IESV accipiant, tantum absunt ab omni lascivia, spurcitia, turpitudine libidinum, vt in morem perfectorum Sacerdotum ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum castè, purèque vivant, alieni à congressu mulierum, etiam legitimo. Et apud Athenienses quidem vnicus Pontifex, nè ipse quidem satis sibi fidens, quod imperare posset masculis cupiditatibus, cicuta oblitis virilibus, putatur satis idoneus ad castè obeundas eius Civitatis solemnes ceremonias. Et apud Christianos non desunt viri, quibus cicuta ad hoc nihil opus est, vt Deo castè serviant, sed pro cicuta eis Verbum Dei sufficit, ad expellendas è cogitatione omnes concupiscentias, & vacandum præcationibus.*

1386 EVSEBIVS, Cæsariensis Antistes, qui tempore Constantini Magni anno nempè 330. effulsit, de Sacrorum Ministrorum Novæ Legis Continentia latè, ac eruditè pertractat *lib.* 1. *de Demonstrat. Evangel. cap.* 9. vbi, inter alia, hęc scribit: * Oportere enim (dicit) Sermo Divinus, Episcopum vnius vxoris virum esse. Verumtamen eos, qui sacrati sint, atque in Dei Ministerio, cultuque occupati, continere deinceps se ipsos à commercio vxoris decet: qui autem non ad tantum assumpti sint Sacerdotij munus, ijs idem Sermo Divinus indulget.*

1387 IOANNES CYPRIVS, qui floruit anno 420. Sacrorum Ministrorum Castitati præclarè patrocinatur, suique temporis consuetudinem refert *in Vita S. Epiphanij, cap.* 38. * Non amplius ordinabat Epiphanius eos, qui haberent vxores, sed viros Sanctos, qui exercebant vitam Monasticam, & viduos probatos: licebat enim videre Ecclesiam tãquam pulchram Sponsam, ornatam Sacerdotio.*

SOCRA-

1388 SOCRATES anno 430. Castitatem priscis illis temporibus ab Ecclesię Ministris, in Orientali parte, fuisse servatam narrat *lib. 1. cap. 21.* * Ipse porrò in Thessalia aliam consuetudinem invaluisse novi, vt ibi qui Clericus sit, si cum vxore, quam cum esset laicus ducebat, postquam Clericus factus sit, dormierit, Clericatu abdicatus sit: id adeò cum omnes Illustres Presbiteri in Oriente, & Episcopi etiam, modò ipsi voluerint, nulla lege coacti, ab vxoribus abstineant.*

1389 IOANNES ZONARAS, qui vixit anno 1118. *in Exposit. Canon. Apostol. Can. 26.* Castitati, qua Ecclesiæ Ministri micare tenentur, apertè suffragatur ita scribens: * Presbyteri quidē, & Diaconi, & Hypodiaconi, ante Chirotoniam interrogantur: An cōtinenter, & castè vivere velint? Et si quidē pollicentur hoc, ordinantur: sin minus, ante Ordinationem, & Chirotoniam venire permittuntur ad nuptias: post nuptias autem, ad Ministeriū deliguntur: post Chirotoniam verò, si prædicti mulieres accipiant, à Ministerio removentur. Solis Lectoribus etiam postquam in Clerum delecti sunt, Matrimonium contrahere licet, in suoque statu proprio manère.*

1390 Consonat THEODORVS BALSAMON, Patriarcha Antiochenus, *in Exposit. Can. 10. Ancyranæ Synodi: Quicumque Diaconi constituti, &c.* * Hunc Canonem (inquit) nè sequaris, qui definit, Diaconos posse cum mulieribus Matrimonio coniugi postquam ordinati fuerint, quando dum ordinarentur testificati sunt, & dixerunt suis Episcopis, necesse esse, vt ad Matrimonium veniant, & veluti promissionem acceperunt. Sive enim hoc prædixerint, sive silentio prætererint qui ordinantur, non permittitur eis, vt post Ordinationem cum mulieribus coniungantur. Sextus enim Canon Synodi in Trullo deponendos decernit Diaconos, & Presbyteros, & Subdiaconos, qui post Ordinationem Matrimonium contraxerunt. Quod si autem contra Canones, nec ex permisione Episcopali, nec ex eo tantùm, quod non tacuerint, conceditur. Lege etiam sextam Novellam Imperatoris Leonis Sapientis dicentis, quod etiam si ex consuetudine potestatem habeant ij, qui sunt sacrati, intra biennium post Ordinationem pręfinitum, ducendi vxores legitimas, hoc tamen vt à Canonibus prohibitum, observari non debet.*

1391 CONSTANTINVS HARMENOPOLVS anno 1130. *in Iustinian. Constitut. lib. 4. Tit. de Cleric.* egregium nobis præbet testimonium præclaræ illius Castitatis, quam suo tempore Sacri Ecclesiæ Ministri, Sacrorum Canonum præscripto parentes, diligentissimè observabant. * Hypodiaconi (inquit) & Presbyteri, vxores habere prohibentur omninò. Vndè si pręter huius Constitutionis præscriptum, connubio mulieri iungantur, de Sacerdotio deijciantur, ac sua expolientur Dignitate.*

1392 Nec omitti potest quod pro Continentia, cui in Græcia Ecclesiæ Ministri studebant, scribit NICEPHORVS GREGORAS ad annum 1330. *lib.* enim 7. *Roman. Histor.* hęc narrat: * Vno anno interiecto in Patriarchicum Solium collocatus Ioannes Glycas tum Logotheta Dromi, qui vxorem, & filios, & filias habebat: vxor statim Monasticum habitum induit, quem & ipse reverentia Sedis induisset, nisi illius conatui Imperator obstitisset. Nam cum corruptus humor non ita multò antè, certis anni intervallis articulos eius invasisset, gravissimè cruciabatur, & de sententia Medicorum ei carnibus vescendum erat: qua de causa Monasticus habitus ei non est concessus.*

1393 Tandem perpetuam Continentiam, quam Sacri Ministri in Græcia servabant, elegantèr confirmat IEREMIAS, Patriarcha Constantinopolitanus anno 1380. siquidem *Respon. 1. cap. 21.* * Nos (inquit) illis Sacerdotibus, qui in Virginitate persistere non possunt, prius quàm tamen consecrentur, & Sacerdotes fiant, accipiendi vxores potestatem damus. Ille autem, qui semel Virginitatem professus est, virgo permaneat, nec iam illi vllam amplius licentiam, post Votum susceptum, nubendi damus. Nemo enim mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, idoneus est consequendo Cœlesti Regno. Si verò huic humanitus quid contigerit, hunc Ecclesiastica Disciplina coërcemus, ac ad moderationem vitæ per pœnitentiam, atque Confessionem, carnis item mortificationem, ac omnem vitæ Continentiam revocamus, ac velut illustratione quadam expiamus, nihil dubitantes, benignissimi Dei Misericordiam humanæ eius infirmitati non defecturam.*

1394 Hæc sunt quæ de Sacrorum Canonum observantia, quibus Ministrorum Ecclesiæ Græcæ Continentia statuta est, ipsi Authores Græci tradiderunt; nunc quid de Castitate Latinæ Ecclesiæ Ministris Sacro Ordine initiatis perpetua, ac inviolabili Lege præscripta Authores Doctrina pariter, & antiquitate celebriores tradiderint, audiamus.

1395 PRIMASIVS, Africanus Episcopus, qui anno 540. floruit. & V. Generali Constantinopolitanæ Synodo interfuit, in expositione Textus 1. *ad Timoth. 3. Vnius vxoris virum*; hæc habet: * Si illi nec hoc licet, quod vel laico licet, quid de cæteris sentiendum est? Diaconi sint vnius vxoris viri, non vt si non habuerint ducant: sed nè duas habuerint: si enim digniorem vxor facit, quare non digami ordinentur? *

1396 ALCVINVS anno 750. *lib. de Virtut. & Vitijs, cap.* 18. * Omnibus (inquit) Castitas semper necessaria est, sed maximè Ministris Christi Altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prędicatio. Tales enim debet habere Ministres, qui à nullo contagio carnis corrumpantur, sed potiùs Continentia Castitatis splendeant, & totius honestatis in Populo fulgeant exemplo.*

1397 HAYMO, qui circa annum 800. floruit, *ad cap. 3. 1. ad Timoth.* ad illa verba: *Vnius vxoris virum*: * Hoc est (inquit) ante quam ordinetur, vnam vxorem debet habere: vt non sit bigamus, aut trigamus; posteà verò penitùs abstinere debet.*

1398 Et *Homil. de Confessorib.* *In Apocalypsi dicitur: *Isti sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* In cuius expositione inquit: Quod cum omnibus Fidelibus generaliter observandum sit, specialiter tamen Ministris Ecclesiastici Ordinis observandum iniungitur.*

1399 HALITOGARIVS Episcopus anno 830. *lib. 5. cap.* 1. contra incontinentes Presbyteros hæc disposuit: * Presbyter si vxorem acceperit, ab Ordine deponatur: si verò fornicatus fuerit, aut adulterium pęrpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.*

1400 HINCMARVS, Rhemensis Antistes anno 860. *in Vita S. Remigij* refert eventum satis miserandum, de quodam Episcopo, qui cum ante Sacrum Ordinem, Matrimonij iugum subijsset, post Sacram Ordinationem sese à Matrimonij vsu, immò & ab ipsa vxore subtraxit; at cum posteà illam frequentiùs, quàm par erat, inviseret, in luxuriæ inquinamenta miserè prolapsus est. Tandem in se reversus, ceu alius David, maculam illam lacrymarum imbribus, Domino miserante, abstersit. Divus autem Remigius illum non nisi septenni pœnitentia iniuncta ad pietatem admisit. Iam elegantissima Galliarum Primatis verba audiamus. * Genebaldus Vir carne Nobilis, tàm in Scripturis Sãctis, quàm in Sęcularibus Litteris eruditus relicta coniuge, &c. vitam Religiosam expetierat. Episcopus ordinatus, plus quam necesse fuerat de ante acta vita, & gradus sublimitate confidens, cum debuerit cogitare, quia nec David sanctior, nec Salomone sapientior esset, qui mulierum delinimentis periclitati sunt; incautè suam vxorem, quam relinquens mutaverat in sororem, quasi pro instructione salutari, frequentius se visitare permisit, oblitus Scripturæ dicentis: *Lapides excavant aquæ: & alluvione terra consumitur, & rupes transfertur de loco suo.* (*Iob.* 14.)

1401 Vndè contigit, vt crebræ visitationes, & blanda, ac frequentia mulieris colloquia, durum contra luxuriæ mollitiem cor Episcopi emollirent, & quasi rupem saxeam, de loco suæ Sanctitatis ad luxuriæ inquinamenta transtulerint. Et iterum contra Scripturam dicentem: *Quis alligabit ignem in sinu suo, & vestimenta eius non comburentur?* (*Prov.* 6.) admota igni palea, id est, muliebris carnis materia, libidinis ignem suasione diabolica quasi vento vehementi exagitante, ardor luxuriæ in flammas erupit, & concumbente eo cum eadem quondam vxore sua, mulier concepit: & post partum mandavit Episcopo, filium se peperisse. Genebaldus verò confusus, & dolens, nuntio dixit: Quia latrocinio vt lateret homines, quod Deum latère non potuit, in cubiculi absconso generatus est, rectè vocabitur Latro, &c. Tandem Domino, qui B. Petrum respexit, & negationem amarissimè flevit, illum respiciente, Genebaldus in se reversus, &c. crimen confessus est, & in parva mansiuncula à D. Remigio inclusus, summa Contritione, & Continentia pœnitentiam egit per annos septem.*

1402 RABBANVS MAVRVS, Mo-

Moguntinus Episcopus, anno 850. *lib.* 4. *in Exod. cap.*8. Ecclesiasticorum Ministrorum Continentiam his verbis commendat: * Fœminalia, quæ ad operiendum carnem turpitudinis fieri mandantur, illam Castimoniæ portionem, quę ab appetitu copulę coniugalis cohibet, propriè designat; sine qua nemo vel Sacerdotium suscipere, vel ad Altaris potest Ministerium consecrari, id est, si non aut Virgo permanserit, aut contrà vxoriæ coniunctionis fœdera solverit.*

1403 SMARAGDVS, Abbas Monasterij S. Michaëlis ad Mosam, Vir apprimè eruditus, qui anno 970. mira Sapientia resplenduit, *in Diademate Monachor. cap.*48. * In veteri Testamento (ait) eo tantum tempore, quo Sacerdotes præsto erant Altari, ab vxorum suarum se continebant concubitu: nunc autem quia quotidie Corpus Domini, aut conficiendum nobis est, aut sumendum, ab omni concubitu semper est abstinendum.*

1404 ADAMVS CANONICVS anno 1080. sic in Sacerdotum coniugia insurgit: * In Concilio Moguntino multa sancita sunt ad vtilitatem Ecclesiæ, prę quibus Simoniaca hæresis, & nefanda Sacerdotum coniugia, olographa Synodi manu, perpetuò damnata sunt. Quod veniens Domum noster Archiepiscopus, non tacuisse probatur. De mulierib⁹ statuit eãdem Sententiã, quam Decessor eius memorabilis Alebrandus, & anteà Libentius inchoaverant, vt scilicet fierent extra Synagogam, & Civitatem, nè malesuada pellicum vicinia violaret obtutus.*

1405 Prætereundum tamen non est, quod in suis Annalibus refert LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS (quem Bellarminus insignem, & veracem Historicum vocat) circa annum 1080. de pœna, quam S. Gregorius VII. Clericis, perpetuam Castitatem non servantibus, constituit, dicens: * Hildebrandus Papa (qui Gregorius VII. dictus fuit) cum Episcopis Italiæ conveniens, iam frequentibus Synodis decreverat, vt secundùm Instituta antiquorum Canonum, Presbyteri vxores non habeant: habentes, aut dimittant, aut deponantur: nec quisquam omninò ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum Continentiam, vitamque cœlibem profiteatur. Hoc Decreto per totam Italiam promulgato, crebras litteras ad Episcopos Galliarum transmittebat, præcipiens, vt ipsi quoque in suis Ecclesijs similiter facerent; atque à contubernio Sacerdotum omnes omninò fœminas, perpetuo Anathemate resecarent. Adversus hoc Decretum protinùs vehementèr infremuit tota factio Clericorum, clamitantium aliqua indigna relatu (idcircò ea omittimus.) (Et paulo infrà:) Nihilominùs ille instabat, & assiduis Legationibus Episcopos omnes, socordiæ, ac desidię arguebat, & nisi ocyùs iniunctum sibi negotium exequerentur, Apostolica se Censura in eos animadversurum comminabatur. Archiepiscopus Moguntinus, sciens non parvo constare operam hanc, vt tanto tempore inolitam consuetudinem revelleret, atque ad rudimenta nascentis Ecclesiæ, senescentem iam mundum reformaret, moderatiùs agebat cum eis. Et primò eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit, hortans eos, vt quod necessariò faciendum sit, spontè faciant; & tàm sibi, quam Romano Pontifici necessitatem adimant, aliquid contra eos, quod secus sit, decernendi. Ad vltimum, congregata Synodo in Herpersfurt, mense Octobris, pressius iam imminebat, vt relegata omni tergiversatione, in pręsentiarum, aut coniugium abiurarent, aut Sacri Altaris Ministerio se abdicarent, &c.*

1406 IVO, Carnotensis Episcopus, qui anno 1100. eruditione, & Pietate claruit, de Clericorum Castitate latè disserens hęc, inter alia, scripsit *Epist.* 64. * Quod apposuistis, Castitatem eius non fuisse probatam, nec à me in litteris meis fuisse commendatam, superfluum mihi visum fuit, post Dominum Papam de Castitate eius disceptare, cuius præcepto videram eum Romæ in Presbyterum ordinari (cuius eadem Lex est Continentiæ, quæ & Episcopi.) Cuius etiam Sacerdotium post Litteras Papæ commendatitias legi litteris vestris commendatum, & Episcopum suum, qui eius Sacerdotium aspernabatur, à vobis vehementer reprehensum.*

1407 Et *Epist.* 220. * De Canonico (inquit) Ecclesiæ vestræ, qui contra prohibitionem vestram Matrimoniales tabulas sibi composuit, nullam Sententiam ad manum habeo, quam dilectio vestra ignoret, si scripta apud se reposita diligenter exploret. Verumtamen consilium, quod

quod mihi ipsi darem, si aliquem de commissis mihi fratribus, vxoria compede astrictum deprehenderem, tutum esse intelligo, videlicet vt Sacramētum coniugij maneat; Clericus verò, qui postposita Clericali Continentia de Superiori Ordine ad inferiorem descendit, stipendia Militiæ Clericalis amittat. Novit enim vestra dilectio quando de laica conversatione in Clericum quis assumitur, non maritali exercitio, sed Divinæ tantum Militiæ dedicari. Vndè ab Ordinatoribus Clericorum in eorum Ordinatione dicitur de eis: *Hæc est generatio quærentium Dominum*, non, quærentium coniugium, sed *quærentium tantum Dominū*: quia testatur Doctrina Apostolica: *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus*, vt ei placeat, cui se probaverit. Postquam ergo de inferiori laicorum gradu quis sortitus fuerit superiorem, id est, Militiam Clericalem, & inde se pręcipitaverit ad voluptatem coniugalem, nulla ratio sinit, vt in illo casu positus, illius Ordinis Dignitate, & vtilitate potiatur, quam misera voluptate commutasse videtur. Ad hoc enim instituta est Clericalis Militia, vt Psalmodię, & Hymnodię quotidianum Deo offerat Sacrificium: quod offerre iure non poterit, cui vt plus placeat vxori, quàm Deo, lenocinante vxore, & fallente carnis voluptate, operam dare necessarium erit. Cùm enim, secundum Apostolum, non concedatur laicis orare, nisi eo tempore, quo continent: quantò magis semper debent continere, qui tàm pro ipsius, quàm pro aliorum delictis iubentur orare? Ad hoc quippè Fidelium Orationes in stipendia Clericorum deputatæ sunt, vt & continenter vivant, & benefactorum suorum peccata Sanctitatis intercessione detergere sufficiant, quatenus hi, de quorum eleemosynis vivunt, hoc eorum meritis assequantur, quod suis meritis assequi non merentur.*

1408 HVGO VICTORINVS D. Bernardi coætaneus, anno 1130. *de Sacrament. Fid. lib. 2. part. 4. cap. 4.* * Voluit (inquit) Sermo Dei, in Sacro Officio Ministros Dei, ad regenda infirma corporis, proprium, ac singulare operimentum habere, vt per hoc ostenderet pudicitiam, & castimoniam illorum, præcipuè cum Sancta tractarent, vnicam, ac singularem esse debere. Vndè Ministri novi Sacerdotij hoc operimentum in Sacro Officio singulare non assumunt, quibus est iniuncta servandæ Castitatis quotidiana necessitas, sicut quotidie est concessa offerendi potestas.*

1409 PETRVS LOMBARDVS, communiter Magister Sentētiarum dictus, anno 1140. *lib. 4. Distinct. 37.* sic scribit: * Sunt igitur quidam Ordines, in quibus nullatenus potest contrahi coniugium: & si intercesserit copula, fit divortium, vt Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. In alijs verò permittitur sortiri coniugium, nisi Religionis habitum sumpserint, vel Continentiæ Votum fecerint.*

1410 ARNOLDVS CARNOTENSIS, Bonevallensis Abbas, Vir admodum pius, & Doctus, Divique Bernardi Discipulus, & in primis amicus, anno 1160. *Tract. vlt. de verbo Dom.* * Fœminalia (inquit) quæ ad operienda pudenda primo loco posita sunt, tantam edocent oportere esse Continentiæ verecundiam, vt nè suspicioni quidem locum relinquat: & ita abscondi quidquid est inhonestatis notabile, vt nullo casu ad ea intuenda zelotes admittatur aspectus: sed talem se exhibeat conversio Sacerdotum, quasi sine sexu sit, & omninò abominetur eiusmodi labem: quin etiam confundatur, & erubescat ad membra communia, ipsamque operiat naturam consciam sui, detesteturque quod potest, non quod agit, & quasi emortuas fœtidas illas partes sepeliat, & abscondat.*

1411 STEPHANVS, Eduensis Episcopus, anno 1180. *de Sacrament. Altar. cap. 5.* * Subdiaconi (inquit) vasa, in quibus fit Consecratio Dominici Corporis, & Sanguinis portant. Vndè Sermo Propheticus ad istos dirigitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Propterea Lex Continentiæ, quæ munditiam parat, & conservat, eis indicitur; cuius observantia non est naturæ, sed gratiæ: *Quod enim de carne est, caro est.** Qui in Subdiaconis tantam amat puritatem, eam potiori iure desiderabit in Diaconis, Sacerdotibus, & Episcopis ob sublimiorem, excellentioremque Dignitatis gradum, quem in Ecclesia tenent.

1412 Eidem Sacrorum Ministrorum Castitati apertè suffragatur DVRANDVS A S. PORTIANO, Meldensis Episcopus, anno 1310. dum *in 4. Sent. Dist. 37. quæst. 1.* * Ordo (inquit) Sacer impe-

pedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, non ratione Ordinis absolutè, sed ratione Voti adiuncti.*

1413 De hac eadem re eruditè pertractat AVGVSTINVS TRIVMPHVS, Anconitanus, qui anno 1320. Pietate, & Doctrina enituit; siquidem *de Potest. Ecclesiast. quæst. 92. art. 3.* hęc habet: *De Voto Continentiæ Clericorum triplex distinctio est necessaria. Prima est, quia Clerici Orientales, & Occidentales in Minoribus Ordinibus constituti licitè possunt contrahere Matrimonium, & vti contracto. Secunda verò est, quia constituti in Sacris Ordinibus, puta Episcopatu, Sacerdotio, Diaconatu, Subdiaconatu, nec apud Gręcos, nec apud nos, possunt Matrimonium contrahere, nec vnquam potuerunt à tempore Apostolorum; sicut patet 84. *Dist. cap. Cum in præterito.* Tertia est, quod constituti in Sacris apud Græcos, & in Orientali Ecclesia licitè vtuntur Matrimonio contracto: vndè si sunt coniugati, ad Sacros Ordines possunt promoveri, Continentia non promissa: sed apud nos, & in tota Occidentali Ecclesia ad Sacros Ordines promoveri nequaquam possunt, nisi promissa Continentia; & si sunt coniugati exigitur, vt ipsi, & eorum vxores profiteantur Continentiam; aliter repelluntur, ne ad Sacros Ordines promoveantur. Votum ergo Continentiæ vitæ Apostolicæ in Prelatis Primitivæ Ecclesiæ planè fuit servatum, non quidem per ipsius Christi, vel Apostolorum Præcepti coactionem, cum sit consilij, & super erogationis opus, sed per ipsorum Apostolorum imitationem.*

1414 Magister IOANNES TAVLERVS, qui anno 1350. Pietatis, & Doctrinę laude floruit, *Sermone ad Populum habito*, quo in vitia acriter invehitur: * Certè (inquit) miror vehementer, quod vlla fœmina tantæ præsumptionis est, vt vmquam à Sacerdote aliquo tangi ausit. Quòd si iam sæculares Sacerdotes, prędictis vitijs subiacentes, Iuda Traditore peiores sint, nos qui Religiosi dicimur, & in Sacris Ordinibus Monasticis vivimus, si similia perpetramus, longè profectò adhuc sceleratiores sumus. Quod si Prælatus talia admittat, graviora sunt crimina. Si Episcopus, ille adhuc enormiùs peccat: denique si Papa, huius omnium pessima, & gravissima sunt peccata. Quò enim status est altior, tantò casus est gravior, & culpa maior. Si verò aliquid eiusmodi Virgo Deo dicata, seu Monialis agat, & ipsa valdè enormiter peccat: talis enim se Virgini Matri corpore, & animo conformare deberet.*

1415 THOMAS VVALDENSIS anno 1410. *part. 2. cap. 229.* * Nullus (inquit) contemnat hoc Ecclesiæ de Clericali Castitate Decretum, tamquam humanum penitùs; sed sciat Evangelicum esse, & à Legis necessitate descendens Apostolicum institutum, &c. Sic est causa Sacerdotum Christi, quod Hostias offerre non possunt, si operi serviant coniugali. Ideò aut eliguntur Virgines, aut Vidui, aut post Consecrationem, in æternum pudici.*

1416 Sed de ista Clericorum Continentia pereruditè discurrit IOANNES GERSON, Parisiensis Cancellarius, qui anno 1420. communi spiritu fruebatur; siquidem *lib. de vita Spiritual. Anim. lect. 6.* sic scribit: *Quod si quis ex Sacerdotibus dixerit, quo pacto potert absque consensu proprio fieri super se statutum, ne Matrimonio iungeretur? Respondemus: Quod neque hoc factum est. Sed si conqueritur, imputet sibi, qui talem sponte delegerit. Quis cogebat eum? Sed & quis cogere poterat? Nullus, si non forte necessitas publica, aut revelatio Divina, aut culpa propria, qua sic arceri merebatur, accepisset. Ante votum libertas, post votum factum est necessitas. Quod si dixerit iterum, quod consensus mutuus viri ad fœminam facit Matrimonium de iure naturali: constitutio igitur positiva quo pacto valuit invadere ius illud? Sed neque, inquit, expresè quidquam vovi. Respondemus ad vltimum, quod non solum vovit, sed votum solemnizavit per Ordinis susceptionem. Si nescivit, sciat, &c. *

1417 Insuper *in Dialog. de Perfect. Cord.* * Clerici (inquit) vniversi in Sacris Ordinibus constituti votum habent Castitatis, non qualecumque, sed solemne, quale dirimeret Matrimonium iam contractum. *

1418 *Et Dialogo de Cœlibat. Ecclesiast. Act. 4.* Naturam, ac Sophiam ita colloquentes inducit: * *Natura*: Cur non adijcis, tollendum esse Votum Sacerdotis, cum non sit ei Divina, & essentiali, vel inseparabili societate connexum, quidquid sit de Monachis, &c. *Sophia*:

O! quasi stetit in non vovendo tota reformatio, quasi non peccent vxorati. Sed nec refert magnopere, si Votum nequaquam sit annexum essentialiter Sacerdotio, postquam ita coniunctum est sibi, vt omnis illud suscipiens, nedum voveat, sed Votum etiam solemnizet, Matrimonium dirimens iam contractum, non minus quàm in Monachis.*

1419 Praeclarè ad rem nostram DIONYSIVS CARTHVSIANVS anno 1460. *De vita Canonicor. art. 13.** Porrò (inquit) Ministri Ecclesiae ad Castitatem tenentur multiplici ratione: Primò, quia in sua Consecratione, seu promotione ad Ordines Sacros, se ad Continentiam adstrinxerũt Voto, saltem implicitè, vel ęquivalenter. Quemadmodum enim in Decreto copiosè ostenditur, non solum ad Sacerdotium promovendi, sed inferiores quoque Sacros Ordines suscepturi, Castimoniam debent vovere. Et dato, quod modo non voveant explicitè, implicitè tamen promittunt, dum vovent secundum Canones Sacros victuros, & observaturos eosdem: Votum autem maximè obligat, immò magis quàm mandatum. *

1420 Verum, nec omittit potest, quod PETRVS RAVENNAS, qui anno 1490. floruit, eruditè tradidit de Castitate Ecclesiasticis congruente. Haec sunt ipsius verba *in Sermone apud Gaminensem Synodum habito*: * Clerici debent continenter vivere. *Dist. 31. per totam, & ibi per Glossam in Summa.* Et Episcopus debet cogere eos ad dimittendum mulieres, de quibus est sinistra supicio, vt *in cap. Clericos. in cap. sunt. de Cohabit. Cleric. & Mulier.* Sed quaero in illa conclusione: an licitum sit audire Divina à notorio fornicatore? Et ista quaestio examinatur per Doctores *in cap. vestra. de Cohabit. Cleric. & Mulier.* Et ibi Abbas dicit, quod iste passus est periculosus, & de illo saepè fuit interrogatus à viris timoratae conscientiae; & ibi tandem istam ponit decisionem, quam puto verissimam: Quod si fornicatio est ita notoria, quod nullam habeat dubitationem, sicut videmus in plurimis Clericis, qui tenent ita publicè concubinas, sicut vxores, & publicè nutriunt filios, ita quod ipsi etiam non audeant difiteri: tunc omnino est abstinendum ab illis, &c. O quot miseri Clerici in Italia, in Francia, in Hispania, & caeteris Regionibus, velociùs sagitta currũt ad tartareas oras propter incontinentiam! Nec ad hoc advertunt. Et quid proderit in sortem Domini fuisse electos? Gratias ingentes ago Deo meo, quia non permisit me Clericalem vitam ducere: nam defuncta vxore mea prima, suadebant amici, & propinqui vt Curiam peterem, dicentes quod evaderem in magnum virum. Non enim (dicebant) deerunt tibi Episcopatus, non Abbatię, non Praelaturę: Quod constanter recusavi, & vt penitùs essem incapax, secundam duxi vxorem, noscebam enim me ipsum, quod fecissem, vt aliqui faciunt, & forte peius. Malui potius in Matrimonio vivere cum paucis reditibus, quam amplissimos beneficiorum redutus possidere, & incontinenter vivere. Nec vmquam me peccati poenituit, & si erravi, libenter erravi. Sciebam enin esse scriptum, quod grande Patrimonium grandis est tentatio, & quantò quisque in superiori est loco constitutus, tantò in maiori versatur periculo. *

1421 Colophonem tandem addat Insignis ille Hispanus D. FERDINANDVS DE MENDOZA, qui anno 1594. floruit, & Doctrina, & Nobilitate celebris, qui in Commentario, numquam satis laudato, ad Concilium Illiberitanum *Can. 32.* in quo praedicti Concilij Patres de hac re agentes hoc Decretum ediderunt: * Placuit in totum prohiberi Episcopis Presbyteris Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios: quod quicumque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Hunc, inquam Canonem exponens *cap. 66.* * Retulit (inquit) & probavit hunc Canonem Concilium Vvormatiense, *Can. 9.** Loquensque de his, quae in hoc Canone à Sanctissimis illis Patribus fuerant statuta, censet, ea fuisse Ecclesiastico Statui convenientissima; illosque Patres in praedicto Canone condendo, Divino fuisse Spiritu afflatos, vt sic tàm antiquas, quàm recentes haereses, quae Sacrorum Ministrorum Continentiam temerè relaxabant, penitùs extirparent. Vndè sic prosequitur: * Inter reliquã enim, quae ad retundenda Haereticorum tela apposite sanxerunt, hoc vnum ad pudicitiae, & Continentiae Sacrae propugnationem adversus Lutherum, Calvinum, & reliquos antiquos, & recentiores Sectarios magni momenti est, quo ab initio Ecclesiae decernunt, Sacros homines, vt Divino cultui mancipati, diligentiùs invigilent Matrimonio absti-

abstinere. (Et infrà:) Sic à principio nascentis Ecclesiæ, & Religionis, quia alij ætate, virtute, & prudentia prædití non erant, qui tanto Officio fungi possent, opus fuit ex maritis Diaconos, Sacerdotes, & Episcopos eligere, quorum vxores quamvis nullo Sacro Munere fungi possēt, Episcopissas, Presbyterissas, Diaconissas, & Subdiaconissas vocatas, quod his Sacerdotibus nuptæ erant (exemplo nostro, quo Marchionissæ, Comitissæ, & Ducissæ illæ dicuntur, quæ Ducibus, Comitibus, & Marchionibus nuptę sunt.) Ex Concilio Altisiodorensi *Can.* 21. Turonensi II. *Can.* 20. & alijs didicimus. Maritos autem iam electos à suscipiendis liberis temperantiæ lege, & præclara Apostolorum imitatione, & Traditione semper abstinuisse in Ecclesia Occidentali, Hieronymi *Epist.* 50. *in fine*, *& lib.* 1. *advers. Iovin.* Epiphanij *lib.* 1. *tom.* 1. *Hæres.* 56. & aliorum Authoritate non ambigo, eo præsertim tēpore, quo Missæ Sacrificium, aut offerre, aut ministrare debuissent. Sed cum ex aliorum incontinentium, vel non continentium experimento agnovissent postea multa redundare incommoda, ex mutua illa coniugum Charitate, dùm recenti carnis voluptate resoluti, marcidique toti ad tractandum, & consumandum immaculatum Christi Corpus accederent, & in medio forsàn Sacrificio se occasio offeret cogitandi, quomodo vxoribus placere debuissent, Divino Spiritu afflati decreverunt in totum prohibere, vt qui iam mariti, vel Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, aut Subdiaconi ordinati sint, vxorios posthac amplexus recusarent, congruentem sancto Ministerio, quod gerebant, mentis, & corporis integritatem servantes.

1422 Hanc ergo Continentiæ Legem ab Hispanis primùm edito hoc Canone, à Gallis posteà renovatam in Concilio Arelatensi II. *Can.* 2. legimus; ab Afris deinde repetitam Carthaginensis Concilij II. Patres demonstrant. *Can.* 2. nec noviter à se stabilitam dixerunt, sed antiquissima Apostolorum Traditione Sanctam.*

1423 Et infrà: * Idem decreverunt posteà Taurinensis Synodus *Can.* 5. Arausicana *Can.* 23. *&* 24. Turonensis I. *Can.* 1. Aurelianensis III. *Can.* 2. Altisiodorensis *Can.* 20. Matisconensis I. *Can.* 2. Toletana II. *Can.* 1. Toletana III. *Can.* 5. Toletana IV. *Can.* 43. Toletana VIII. *Can.* 5. & Toletana IX. *Can.* 10. & aliæ, à quibus libenter abstineo, & tandem Lateranensis sub Innocentio III. & Tridentina. * Hactenùs Mendoza.

§. X.

CLERICORUM CONTINENTIA ratione suadetur.

1424 TOT Summis Pontificibus, Concilijs, Sanctis Patribus, Imperatoribus, meliorisque notæ Authoribus, tàm Græcis, quàm Latinis, Continentiæ Legem, qua Ministri Divino Cultui dicati, tàm in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia adstringuntur, supra communivimus, vt supervacaneum omnino videatur, quidquam eis addere præter debitam venerationem. Quia tamen non desunt aliquorum ingenia, qui magis ratione, quàm Authoritate ducuntur, immò Authoritati, ratione destitutę, minimè acquiescunt; vt appareat, nostram Assertionem, & Authoritate, & ratione fulciri, aliquas hic breviter adducemus, quibus nostra roboretur Sententia.

1425 Primò præclarum nobis argumentum suppeditat D. Paulus 2. *ad Timoth.* 2. illis verbis: *Labora sicut bonus Miles Christi Iesu. Nemó militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Pro cuius Textus expositione notatu dignum est, Romanos à Castimonia, Castrorum nomen aucupantes, teste D. Isidoro *lib.* 9. *Orig. cap.* 3. Militibus suis vxores ducere, aut iā ductas in castra portare prohibuisse, vt scribit Tacitus *lib.* 14. *Annal.* vbi plura Lypsius, & Dio Cassius *lib.* 60. sicque cum vxoribus, iam susceptis, divortium bona gratia propter Militiam fiebat. Vndè Imperator Claudius Militaribus maritorum Ius concessit, vt cum mulieres secum ferre non possent, quia Legibus prohibebantur, hoc solatio fruerentur, teste Dione Cassio *lib.* 60.* Militibus, quoniam ex Legibus vxores habere non poterant, iura maritorum indulsit.*

1426 Hæc autem Lex in militaribus adeò rigidè, perfectèque observabatur, vt nec fœminis, etiam vxoribus, Castra intrare Romano Iure licerēt. Vndè Marcus Antonius tamquam propudiosus, & consuetudinem communiter receptam violans, ac perfringens notatur à Marone *in Gallo*, quod Cleopatram in expeditione secum duxisset:

—— Sequiturque, nefas! Ægyptia coniux.

Cui

Cui cōcinit PROPERTIVS *lib.4. Eleg.3.*

Romanis vtinam patuissent Castra puellis;
Essem militiæ fortius fida tuæ.

QVINTILIANVS *in Declam. Marian.* * Meretrices ab exercitu submoventur, intrare castra fœminis non licet.* Hinc Tertullianus *in Exort. ad Castit.* docet, suo tempore milites Cœlibatum servasse: multo ergo magis hæc & plura facere oportet Militem Christi. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, & S. Basilius *in Asceticis*, *Serm.1. & in Præfat.* vt benè notat Cornelius à Lapide *ad dictum locum Pauli.* Vndè quod D.Paulus Timotheo suasit, vt, tamquam bonus miles, negotijs sæcularibus se non implicaret, de nuptijs, quæ militibus erant prohibitæ, intelligendum est, vt innuit Bellarminus suprà laudatus, *cap.19.* Hinc sic formatur argumentum: Si militibus, vt sese in militari expeditione, estò temporali, ac terrena, aptiùs, ac diligentiùs exercerent, omnes mulieres, tàm alienæ, quàm propriæ prohibebantur, eorumque vsus penitùs interdicebatur; quantò magis Sacerdotibus, & Ecclesiæ Ministris, sub Crucifixi Vexillo militantibus, decens, ac decorum erit corporis, animique Puritatem, & Castimoniã, ipsis sanctissimè præscriptam, ad Christi imitationem diligentissimè observare?

1427 Secundùm argumentum ex eodem D.Paulo desumitur, qui 1. *ad Corinth.* 7. *Nolite* (inquit) *fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis Orationi.* Vbi Glossa: * Nisi fortè ex consensu ad tempus; vt scilicet ex condicto abstineatis propter gratiarum actionem: vndè subdit: vt vacetis expedientiùs Orationi; vt etiam misereatur Deus, mundiùs exorandus est: & si munda sint coniugia, tamen etiam à licitis abstinendum est, vt faciliùs ad effectum adducatur Oratio.* Hæc Glossa. Si ergo laici, iuxta D.Pauli monitum, sese à licito adhuc mulierum vsu abstinere debent, propter expeditiorem Orationis effectum; multo magis à prohibito mulierum consortio sese cohibere debebunt Clerici, Sacris Ordinibus initiati.

1428 Tertiò: quia nihil est Sacerdotibus, & Sacris Ministris congruentiùs, quam corporis, animique puritas; huic enim adhuc Æthnicorum Sacerdotes diligentissimè studebant; nam vt ait PLATO *Timæi lib.1.* apud Athenienses prædicti Sacerdotes separatim à cætero Populo convivebãt, nè aliqua prophana cõtagione eorũ Castitas pollueretur, & vt refert SENECA *Declam.1. cap.1.* loquens de Virginibus, in Gentilitatis Sacris ministrantibus, à Sacerdotio repellebantur captivæ, prostitutæ, & homicidæ, nec poterant Sacerdotium petere, quia Sacerdos debet esse castus cum castis, & purus cum puris. * Indignam te (inquit) Sacerdotio dicerem, si transires per Lupanar.* Et D.HIERONYMVS *contra Iovianum*, hæc scribit: * Trevis Stoicus, vir eloquentissimus, vitam antiquorum Sacerdotum narrans ait, quod omnibus postpositis negotijs semper in Templo fuerunt, & rerum naturas, causasque, ac Syderum rationes contemplati sunt; & numquam cognatos, liberos, propinquos quidem viderunt, ex eo tempore quo cæpissent Divino Cultui deservire: à carnibus, & vino semper abstinentes.*

1429 Quartò, pro maiori prædictorum illustratione, notatu dignum est quod dicit Hieronymus, referens verba, quibus IOSEPHVS *lib. 2. cap. 18.* Sacerdotum Gentilium Continentiam commendat loquens de Farisæis, Saducæis, & Essæis, quorum novissimos miris effert præconijs, quod vxoribus, & vino semper abstinerent, & quotidianum ieiunium verterent in naturam; quod, & de multis alijs Gentilibus ibidem commemorat, à quibus brevitatis gratia supersedemus. At prætermittendum non esse censuimus Gentilium exemplum, apud quos lege 12. Tabularum ita cavebatur. * Divos castè adeunto.* Imò, & coniugio vtentes à suis sacrificijs repellebant. Vnde TIBVLVS *lib.2. eleg.1.*

* Vos quoque abesse procul iubeo [discedat ab Aris]
Queis tulit hesternâ gaudia nocte Venus.*

Et SILIVS ITALICVS *lib.7.*

* Huc ades, ò Regina Deum, gens casta precamur.*

CLEMENS *lib.1. stromat.* idem scribit de Ægyptijs, ac D.AVGVSTINVS *serm.37. ad Frat. in Erem.* Plura ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. 4. Dier. Genial. cap.17.* vbi TIRAQVELVS, GIRALDVS *Synt.17.* Ideò apud eos, Sacerdotes sine vsu coniugij erant. *leg. vitric. 60.* ibi: *propter Sacerdotium, ff. de donation.* inter plura congesserunt Tiraquellus *in l. 5. conub. ex nu.76.* PAMELIVS *ad Tertul. de exhort. castit.* Si ergo Flamines Gentiles, sive Sacerdotes in superstitiosis cultibus suis, &

riti-

ritibus servientes Satanæ, sic à lascivijs se abstinent, & à negotijs secularibus se substrahunt, & Castitatem tanto rigore observant, vt quietiùs, & puriùs possent ministrare in ritibus suis: quales debent esse Sacerdotes Dei Altissimi, vt dignè serviant eis, quibus commissi sunt, sive quibus commissus est populus Dei, redemptus Sanguine suo. Vndè eis dicitur in figura *Exod.12. Renes vestros accingetis*, quo significabatur, vt Sanctus GREGORIVS exponit *hom.22.in Evang.* debere eos carnis voluptatem edomare, qui Agnum Paschalem comedũt. Ex Bellarm. *Exhort.29.* & *Exod.29. Indues tunicis lineis, cingésque balteo, Araon scilicet & liberos eius.*

1430 Quintò, nostram assertionem certissimam reddiderunt, Æthnici Philosophi, dum Matrimonij vsum, cum rerum naturalium studio, & contemplatione incompatibilem credidere, vt testatur D. HIERONYMVS *lib.2. in Iovinian.* Vndè Cicero post Terentiæ repudium, ab Hircio rogatus, vt sororem suam vxorem duceret, respondit: Se non posse vxori simul, & Philosophiæ operam navare: fortiori ergo ratione Deo, & vxori rectè inservire non possumus, *cap.1. 21. quæst.1.* Quare optimo Iure Sanctissimi Ecclesiæ Patres, Ministris Deo Sacratis Matrimonij vsum prohibuerunt, & perpetuam Continentiæ legem præscripserunt; cum istorum muneris sit sese à terrenis avocare, & divinarum rerum contemplationi addictos esse.

1431 Quod eleganter confirmat illud IVLIANI Imperatoris *Orat.5.* *Apud Athenienses, qui arcana illa tractant, castissimè degunt; tùm eorum Antistes Hyerophanta ab omni prorsus generatione abstinet, tamquam progressionis illius in infinitum particeps esse minimè debeat; sed definitæ potiùs, ac perpetuò manentis, & vna contentæ incorruptæ, sinceræque naturæ.*

1432 Sextò, egregium puritatis, & continentiæ à Sacerdotibus observandæ argumentum nobis suppeditat illud 1. *Reg.* 21. vbi dicitur: *Venit autem David in Nobe ad Achimelech Sacerdotem.* Et infrà: *Et respondens Sacerdos David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm Panem Sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? Et respondit David sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.* Vndè deducit Sanctus HIERONYMVS *in cap.1. ad Titum*, perpetuã requiri in Sacerdotibus Continentiam ab vxoribus, qui Corpus Christi, quod illo Pane Propositionis significabatur, conficiunt, edunt, alijsque tradunt. Vndè colligitur, licitum non fuisse, sanctum Panem comedere, quin illius comestionem præcederet Sanctificatio, quę in duobus præcipuè consistebat, in abstinentia scilicet ab vxoribus, & corporis purificatione, si quid maculæ in via contraxissent. Si ergo homines laici panem illum Sanctum, Venerabilissimi Eucharistiæ Sacramenti Symbolum, edituri, tantâ debebant Continentia, & puritate niteres quo non oportebit esse puriorem, quo Solari radio non splendidiorem Sacerdotem, cuius muneris est panem illum Sanctum, & Sanctum Sanctorum, non in figura, sed re ipsa, assiduè consecrare, manibus attrectare, ac tandem ipsis dentibus atterere? Os quod igne spiritali repletur: lingua, quæ tremendo nimis sanguine rubescit, Sacerdos, qui tali insignitur honore, quanta debebit, & corporis, & animi puritate splendescere, quanta munditia micare, quantaque Castitate fulgere?

1433 Præclarè SYRICIVS Pontifex *Epist. ad Hymer. Tarracon. Episcop. cap.7.* & Sanctus HIERONYMVS *lib. 1. contra Iovinian.* longè post medium: *Nam & in Veteri (inquit) Lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab vxoribus separati, & vinum, & siceram non bibebant, quę solent libidinem provocare.* Huc etiam spectat illud *Exodi 19.* vbi cum populus Legem à Deo esset accepturus, ait illis Moyses: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Quo vtitur S. AMBROS. *lib.1. de Offic. cap. vlt.* ad probandam Continentiam Clericorum. Facit etiam casus ille Mathiæ Summi Pontificis, de quo refert IOSEPHVS *lib.17. antiquit. cap.8.* Ei non licuisse sacrificare, sed illi vna die substitutum datum fuisse, qui illius vice Sacra faceret, eo quod nocte somniasset se rem cum sua vxore habere, ac Matrimonio vti.

1434 Septima ratio eruitur ex Sacerdotibus Veteris Testamenti; siquidem antiqua illa Lex præclaram puritatem, ac exi-

eximiam ab vxoribus Continentiam exigebat in ijs, qui Deo appropinquaturi, vel rem aliquam Sanctam erant tractaturi. Sic *Exod.* 28. Aaroni, istiusque filijs præcepit Deus, vt cum Tabernaculum ingrederentur, fœminalibus lineis, à renibus, vsque ad femora, tegerentur, quo iuxta Sanctum, ac Venerabilem BEDAM *libro tertio de Tabernaculo, cap. 9.* adumbrabatur, Novi Testamenti Sacerdotes, aut Virgines esse debere, aut contracta cum vxoribus fœdera dissolvere. Sic etiam *ex* 1. *Paralip.* 24. & *Luc.* 1. deducitur Sacerdotes Veteris Testamenti per vices suas solitos fuisse ministrare, & toto eo tempore, quo in Tabernaculo famulabantur, procul à domo, & vxore abfuisse. Vndè inferunt SIRICIVS *Epist. ad Hymer.* INNOC. I. *Epist. ad Vitric.* Et etiam Beda *in cap.* 1. *Luc.* Si illo tempore, quo ministrabant, ab vxoribus abstinebant, omninò decere, vt Sacerdotes nostri, qui non per vices, sed semper ministrant, semper se ab vxoribus cohibeant.

1435 Octavò, rationem nobis suggerit *cap. Si laicus 31. distinct.* vbi hæc habentur: *Si laicus, & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: Sacerdoti, à quo semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est: Ergo semper Matrimonio carendum.* Cui consonant *cap. 2. eiusdem distin.* ex Venerabili BEDA *in cap.* 1. *Luc.* desumptum: *Sacerdotibus (inquit) vt semper Altari queant assistere, semper ab vxoribus continendum, semperque Castitas observanda.* Et *cap. 5. eiusdem distin. ex Innocentio I.* dicitur: *Sicut Paulus ad Corinthios scribit, dicens: *Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi*; & hoc vtique laicis præcipit, multo magis Sacerdotes, quibus orãdi, & sacrificandi iuge Sacrificium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere.* Ex quibus infert Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. Si laicus*, citatum S. Hieronym. hic à minori ad maius arguere sic: si, vt laicùs expeditius oret, sive vt liberiùs, orationi vacet, oportet eum se ab amplexu coniugali continere; magis decebit Sacerdotes, quibus orare, & sacrificare semper incumbit, semper à Matrimonio cessare: in actu enim carnalis concubitus secundum PHILOSOPHVM 7. *Ethicorum*, mens totaliter absorbetur, nec quis in venerea delectatione existens, potest aliquid intelligere: in illo enim actu *homo comparatur iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, vt dicitur *Psal.* 48. cum ergo actus orandi sit actus rationis, vt dici Cassiodorus: (oratio, inquit, est oris ratio) patet quod in actu carnalis concubitus, & venereæ delectationis non potest laicus, sive Clericus orare, sicut oportet. Si ergo laicus vult devotè orare, vt oportet, debet à complexu vxoris abstinere secundum consilium Apostoli 1. *ad Corinthios* 7.

1436 Nona ratio fundatur in Puritate, & Cõtinentia, qua fulgere debent, qui ad venerabile Eucharistiæ Sacramentum dignius, ac decentius accedere aspirant; isti enim debent se à Matrimonij vsu adhuc licito continere, vt eruditè expendit S. HIERONYMVS relatus *cap. 1. 33. quæst. 4.* dicens: *Si Panes Propositionis non poterant ab his, qui vxores suas tetigerant comedi, quanto magis Panis ille, qui de Cœlo descendit non potest ab his, qui coniugalibus paulò ante hæsere complexibus violari, atque contingi? Non quod nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* In cuius expositione hac habet Glossa: *Ostenditur in hoc capite, quod Continentia præcedente, debet quis accedere ad Eucharistiam; & hoc probat Hieronymus argumento de Pane Propositionis ad Panem, qui de Cœlo descendit.* Huc facit illud AVGVSTINI *serm. 216.* *Ille homo Christianus est, qui quoties sanctę Solemnitates veniunt, vt securiùs comunicet, ante plures dies Castitatem cum propria vxore custodit.* Et idem Augustinus *Serm. 2. de tempore*, idest, *de 2. Dom. Adventus*, ait: *Quotiescumque, aut dies Natalis Dñi, aut reliquæ festivitates (Glossa: de quibus in his capitulis, & infrà *de Consecrat. dist. 3. cap. 1.* Hugo) adveniunt, sicut frequenter admonui, non solum ab infidelium (Glossa: infideles eos vocat, qui peccant mortaliter *argumento 23. quæst. 4.* fortè, vel quia non servant fidem amicis suis; vel ad differentiam fidelis 54. *dist.* Christiano) concubinarum consortio, sed etiam à proprijs vxoribus abstinete.* Vt habetur 33. *quæst. 4. cap. 2.*

1437 Quod confirmat S. AMBROSIVS *de Adventu Dñi, eadem dist. cap. 3.* relatus, sic scribens: * Fratres non solum de-

debetis ab omni immunditia abstinere, sed etiam ab vxoribus proprijs studiosissimè contineatis. Nullus omninò vxori suę, ieiuniorum diebus, coniungatur.* In cuius expositione Correctores Decreti notarunt *in alio ferm. S. Ambrosij manu scripto, de Quadragesima*, hæc legi: Nullus omninò vxori suę iungatur, ante octavam Paschæ. In plerisque vetustis Gratiani Codicibus, hoc loco absunt ista verba: *Ieiuniorum diebus*; de quibus tamen Beatus Ambrosius loquebatur; & ideò adduntur in Rubrica, quæ dicit: * Diebus ieiuniorum à proprijs vxoribus abstinere oportet.* Vnde si laicis abstinentia ab vsu adhuc licitò Matrimonij, certis diebus, ante Eucharistiæ perceptionem, sanctè iuxta prædictos Patres imponitur, quanto maiorem debebunt servare Sacerdotes? Etsi isti semper debent esse dispositi ad Sanctum Sanctorum dignè recipiendum, suisque manibus attrectandum, & populo communicandum, quantam reverentiam, decentiam, & continentiam perpetuam Sacerdotalis illorum Status sibi, quasi suo iure, vindicabit?.

1438 Decimò, rationem pro Sacrorum Ministrorum Continentia suppeditat proprium illorum munus, & officium. Sic nos docet INNOCENTIVS I. *cap. 9. 2. Epistolæ*, quam *Victric. Rothomagensi Episcopo* scripsit; cum enim in istius Diocesi essent aliqui Diaconi, & Presbyteri, qui à suis vxoribus abstinere nolebant, quæsivit Episcopus ab Innocentio, an Presbyteri, & Levitæ deberent Continentiæ vacare? Cui difficultati sic respondet Pontifex.* Tenere debet omnino Ecclesia, vt Sacerdotes, & Levitæ cum vxoribus suis non misceantur; quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est: *Ego enim sum Dominus Deus vester: Sancti estote, quia ego Sanctus sum.* Nam si priscis temporibus, anno vicis suæ, de Templo Dei Sacerdotes non discedebant (sicut de Zacharia legimus) nec domū suam omnino tangebant, quibus vtiq; propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus, quia ex alia Tribu, & pręterquam ex semine Aaron, nullus accedere ad Sacerdotium præcipiebatur; quanto magis hi Sacerdotes, vel Levitę pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus, vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à Sacrificis Divinis, vel à Baptismatis Officio vacent?* Vt habetur 31. *dist. cap.* 4.

1439 In cuius Confirmationem, ipse Innocent. *in Epist. 3. Exuperio Tolosano Episcopo* scripta *cap. 1.* * Eos (inquit) ad Sacrificia fas sit admitti, qui vel cum vxore exercent carnale officium.* Vt habetur *eadem distinct. & cap.* in cuius expositione Correctores Decreti sic legunt; * Neque eos ad Sacrificia fas sit admitti, qui exercent, vel cum vxore carnale consortium.*

1440 Probata iam decem hisce rationibus, tot Sanctorum Patrum, Sacrorumque Canonum Authoritate munitis, summa Puritate, Castitate, ac perpetua Continentia, qua florere debent Sacri Evangelicę Legis Ministri, æquum videtur, vt examinemus causas, quibus præfati Sancti inducti fuere, vt perpetuam Ecclesiasticis Castitatem præscriberent; & quamquam multæ sese offerant, præcipuas tantummodo seligemus.

1441 Prima igitur causa, ob quam convenit Ecclesiæ Ministros pudicos esse, ac puros, est: quia ipsi debent placare Deū, iuxta illud: *Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*: placare autem non possunt, nisi placeant: placere verò non valent, si carnalitèr vniunt, iuxta illud Pauli *Rom. 8. Qui autē in carne sunt, Deo placere nō possunt.* Vnde D. BERNARDVS vt filijs iræ, qui nondū Deo reconciliati, reconciliationis alienæ negotium, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, apprehendit. Secunda: quia ipsi sunt loco Dei; & ideo ipsi vivere debent vt Deus, scilicet spiritualitèr, non carnalitèr, *Apocalyp. 1.* Vidit Ioannes similem filio hominis præcinctum ad mamillas Zona aurea, idest Continentia. Tertia: ipsi Officio Angeli funguntur *Malach. 2.* dicitur de Sacerdote: *Angelus Domini exercituum est.* Dicitur autem de Sacerdotibus *Exod. 19. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.*

1442 Quartò: quia eorum officium est intendere spirituali generationi, quæ sancta, & munda est *Ioann. 1. dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, &c.* Et ideò non decet eos esse immundos, & exorabiles. Quintò: quia ipsi contrectant Sancta: vnde decet eos esse Sanctos, & mundos mente, & carne, *Levit. 21. Incensum Domini, & panes Dei sui non hominum, vel animalium offerunt; & ideò*

Sancti erunt. Et *in eodem* habetur: *Qui habuerit maculam, non offerat Panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.* Macula verò turpissima, & fœdissima est luxuria, & incontinentia, quam posuit Salomon in gloria sua. *Eccles.* 47. & *Levit.* 22. *Qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt*; & infrà: *In quo est immunditia, peribit coram Domino.* Sextò: quia oportet eos mundare alios; ideo decet eos esse mundos: quia vt dicitur *Eccles.* 34. *Ab immundo quid mundabitur?* Vnde *Machab.* 4. dictum est Levitis: *Sanctificamini, & mundate domum Domini.* Et *Neemiæ* 12. *Mundati sunt Sacerdotes, & Levitæ, & mundaverunt populum.*

1443 Septimò, quia ipsi sunt Ministri Regis Altissimi, vndè decet, vt ipsi sint Dei proprij; & toti, Deo dediti; & ideò nec etiam coniugati esse debent, ex quo *vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.* 1. *ad Chorint.* 7. Hæc de motivis ad prædictam Continentiæ Legem stabiliendam; nunc ad remedia à Sanctis Patribus, pro huiusmodi Castitatis conservatione, adhibita accedamus.

§. II.

AN SACRIS MINISTRIS aliquid fuerit ab Ecclesia, tuendæ Castitatis gratia, præscriptum.

1444 CVm hucusque de perpetuæ Continentiæ Lege, Sacris Ecclesiæ Ministris à Summis Pontificibus, Sacrisque Concilijs sanctissimè præscripta, deque illius causis, & rationibus, quæ Venerandos illos Patres ad prædictam Castimoniæ Legem Ecclesiastici status proprissimam, ferendam impulerunt, satis superque egerimus; videndum modò est, an Ecclesia conservandæ Castitatis gratia, aliquid disposuerit. Quid enim interesset, Ecclesiam perpetuæ Continentiæ Legem Sacris Ministris imposuisse, si huiusmodi Legis observationi opportunis remedijs non consuluisset? Deus non modò Mundũ condidit *Gen.* 1. *In principio creavit Deus Cœlum & terram*, sed illius etiam conservationi Altissima sua Providentia assiduè intendit. Primum hominem è limo terræ efinxit; eumque in Paradisum transtulit, ibique quidquid fructuum, animalium, & avium ad illius cibum, vtilitatem, & refectionem desiderari poterat, statim produxit. In alijs similiter rebus media illarum conservationi conducentia suavissimè disposuit. Videamus ergo nunc quibus medijs Ecclesia, Summique Pontifices, qui illam gubernarunt, vsi fuerint ad stabiliendam perpetuæ Castitatis custodiam, quàm in Ecclesiasticis ad maius istorum decus, & ornamentum, votis omnibus exoptarunt?

1445 Pro Conclusione certa statuimus: vnum è præcipuis medijs, quibus Summorum Pontificum, Sacrorumque Conciliorum Zelus vsus fuit ad pretiosum Castitatis monile in Ecclesiasticis conservandum, omneque incontinentiæ periculum ab illis procul arcendum, fuisse, omnem Ecclesiasticorum cum fœminis consuetudinem, & familiaritatem, Sanctissimis suis Legibus inhibere.

1446 Adeò certa, ac secura est hæc conservandæ Castimoniæ via, vt vel ipsis Æthnicis innotuerit, qui solo naturali lumine ducti, vtriusque sexus honestati convenientissimum fore iudicarunt, viros à fœminis segregari. Si antiquos legislatores consulimus, inveniemus ipsos, vt pudicitiæ, sublata illecebrarum occasione, consulerent, discretas mulierum, ac virorum mansiones esse voluisse; adeò vt PLATO *lib.* 7. *de Legib.* iam indè à septennio vtrumque sexum seiungi voluerit; & pueros quidem vna cum pueris, puellas autem pariter cum puellis degere, & conversari. Nec alia ratione veteres partem illam ędium, in qua convivia celebrabantur, *Andron* appellarunt, quamquod convivijs illis viri tantum interessent; vt referunt SVIDAS, & IVLIVS POLLVX *lib.* 1. *Onomast. cap.* 8. & VITRVVIVS *de Architect. cap.* 10. ex diverso *Gynecæum* à mulieribus dictum est Conclave, in quo illæ plerumque morabantur; vt notarunt FORNERIVS *lib.* 1. *Rer. Quotidian. cap.* 18. P. PINTO *in Specileg. cap.* 3. *num.* 2. & BALSAMON *in Can.* 47. *Synodi VI.*

1447 Hæc autem vtriusque sexus divisio, ac separatio non modò apud Græcos, vt refert ÆMILIVS PROBVS *in Præfat.* sed etiam apud Romanos magnopere observata fuit, prout ex PLINIO *lib.* 2. *Epist.* 17. & SIDONIO *libro* 2. *Epist.* 2. probat SAVARVS *in eius notis.*

1448 Ob eandem sexuum diversitatem, Constantinus Imperator disposuit, vt delinquentibus discreti carceres constituerentur, alius nempè pro viris, alius verò pro

pro fœminis; vt habetur *in l.* 2. *de Exhiben. Reis*; idemque statuit IVSTINIANVS Imperator *in Leg.*3.*de Custod. Reor. Novel.* 133. vt refert VICTOR *lib.* 3. *de persequuti. Vvandal.* Nec adhuc inter Æthnicos licitum erat viros cum fœminis in eisdem balneis esse; ideoque distincta erant virorum,& mulierum balnea. Vndè GELLIVS *lib.* 10. *Noct. Attic. cap.* 3. meminit cuiusdam Consulis in M. Marium animadvertentis, eo quod balnea in quibus vxorem lavari voluerit, nec satis cauta, nec satis citò tradita ab eo fuissent; et HESIODVS *lib.* 2. *Oper. & Dier.* præcipit, ne viri in muliebri balneo corpus abluant: & ab Adriano Imperatore lavacra pro distinctione sexus extructa fuisse narrat ÆLIVS SPARTIANVS *in Adriano.* Adeoque turpe fuit balneum promiscuum, vt tractaretur aliquando apud QVINTILIANVM *lib.*5.*Institut. cap.* 9. An idoneum esset adulterij signum lavari cum viris: quin, & iustis divortij causis Theodosij Constitutione primum introductis,hanc Iustinianus addidit: At si mulier ita luxuriosa sit, vt libidinis causa lavacrum commune cum viris habere audeat, *l. penult.Cod.de Repud. Novel.* 22. *cap.*16. & 117.*cap.*8.

1449 Ad has Civiles Leges proculdubio Sacri Canones allusserunt, cum in illis,id ipsum omnibus personis, tàm Ecclesiasticis, quàm Secularibus prohibitum reperiamur: vt videre est *in Can.* 30. LAODICENSIS CONCILII, vbi hæc statuuntur: *Non oportet Ministros Altaris, vel etiam Clericos quoslibet, aut continentes se, aut omnem omnino Christianum,cum mulieribus lavacra habere communia. Hæc est enim apud Gentiles prima reprehensio.* Idipsum sancitum legimus in varijs Concilijs congestis à CRESPETIO *in Summa, verbo Balnea*, quę illustrant NARBONA *de Ætate*, *anno* 14. *quæst.* 29. SALMVTIVS *ad Pancirol. lib.* 1. *memorabil. tit.* 4. *num.* 12. IACOBVS GOTHOPHREDVS *in l.* 5. *C. Theodosian. de Custod. Reor.* CASAVBONVS *in Not. ad Spartian. fol.* 34. KOCQVIER *in Face Histor. centur.*1.*cap.* 5. PANZIROLVS *l.* 1. *var. cap.*52. PINEDA *de Reb. salom. cap.* 4. *num.* 12. Fœminarum promiscuo Balneo vtentium intemperantiam, & impudicitiam arguit CLEMENS ALEXAN. *lib.* 3,*Pedagog.cap.*5. his verbis: *Quæ communi Balneo cum viris vtuntur, & vnà cum veste pudorem exuentes, &c. Sed cum viris quoque nudis lavari non erubescunt, &c.*

1450 At apud Romanos, quamvis Æthnicos, id sęvioribus Legibus cavebatur; nam Lege Romuli pœna capitali afficiebatur, qui se nudum à fœmina videri passus fuisset, vt refert PLVTARCHVS *in vita Romul.* & PHILIPPVS CAME. *Hor ar. successiv. cap.* 34. & *tom.* 2.*cap.*41.

1451 Hinc Sancti Patres probè agnoscentes gravissima damna, quæ ex mulierum familiaritate suboriuntur, quantumque in earum consuetudine Castitas periclitetur, plura de fœminarum consortio vitando tradiderunt; vt S. IVSTINVS Martyr *Epist.ad Cenam,& Serem frat.* S.IOANNES CHRISOSTOMVS *homil.* 9. & *epist. ad Olymp.* D. HIERONYMVS *epist. ad Nepotianum*, & *ad Ocean.* D. ISIDORVS *lib.* 2. *de Offic. cap.* 22. S. EPHREM. *in Exhort. de timore*, CLEMENS ALEX. *lib.* 3. *Pedag. cap.* 11. vbi inquit: *Videtur autem super omnia aversandus mulierum aspectus; non solum enim si tangantur, sed etiam si spectentur, potest peccari.* De quo multa apud Sanctos Patres. SVETONIVS *in Tyberio*,ibi: *Agrippinam semel omnino ex occursu visam adeò contentis, & tumentibus oculis prosequutus est, vt custoditum sit, ne vnquam in conspectum eius posthac veniret.* Huc egregiè facit illud, quod MEDÆA *apud Ovidium*, aiebat:

*Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire, quis esses:
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Et vidi,& perij.*

1452 Vt ergo ab his incontinentiæ periculis Ecclesiastici procul abessent, D. PAVLVS, Divino Spiritu afflatus, rectissimè disposuit 1. *ad Chorint.* 11. vt mulieres in Ecclesia non nisi velato capite incederent(de quo latè egimus in Apologetica S. Anacleti defensione) & refert TERTVLLIANVS *lib. de Veland.Virgin.*de Iudæis fœminis idem testatur ita consuevisse *lib. de Coron. Milit.cap.*4.de Gentilibus fœminis idem tradunt PLVTHARCVS *qq. Roman. quæst.*14. APVLEIVS *de Asino Aureo,cap.*11. illustrant BARONIVS *anno* 57. SERLOGVS *in Cant. vestig.* 6. *sect.* 2. *cap.* 25. ANTONIVS DE LEON *in Discursu Hispano de los Velos,*

los, vide THEOPHYLUM RAYNAVDUM *tom. 12. tract. de sobria frequent. Mulier. per tot.* & ALOYSIVM NOVARINVM *in Vmbra Virginea.*

1453 Vndè si præcipuum, ac salutarius remedium, quo Æthnici pro Castitatis custodia vsi sunt, si securior via, quam Christiani Principes inierunt, ne laicorum, tàm virorum, quàm mulierum, periclitaretur honestas, si tandem opportunius auxilium, quo Sancti Patres se puritati opitulari posse iudicarunt, fuit viros à fœminis segregari, hasque ab illorum aspectibus adhuc in Templis abstrahi; potiori vtique iure id observare debebunt Ecclesiastici, quorum professio, ac status perpetuam Continentiam, & Castitatem in superiori gradu deposcunt, quorumque Sanctimonia ea esse debet, vt omnem imbecillitatis lapsum declinet, omnemque suspicionis vmbram effugiat; cum ipsi debeant tamquam puritatis specula, & exemplaria secularibus proponi.

1454 Hinc Sancta NICÆNA SYNODVS I. *Can. 3.* in Ecclesiasticorum domibus omnem mulierum habitationem prohibuit, ijs tantummodo exceptis, de quibus nulla posset esse suspicio, vt videri potest in sanctissimis illius verbis, quæ, iuxta Dionysij exigui, versionem, sic se habent. *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, non alicui omninò, qui in Clero est, subintroductam habere mulierem, nisi fortè, aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt.*

1455 Idem reperitur statutum *in cap. Interdicimus 32. distinct. cap. Volumus*, & *cap. In omnibus 81. distinct.*

1456 Id ipsum decrevit CONCILIVM ARELATENSE *Can. 3.* *Siquis (inquit) de Clericis, à gradu Diaconatus, in solatio suo mulierē præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum vxorem habere præsumpserit, à Comunione alienus habeatur.*

1457 ARVERNENSE CONCILIVM *Canone 15.* vbi de Episcopis, Presbyteris, & alijs Clericis, ita legitur: *Fugiatur ab his extranearū mulierū culpanda libertas, & tantum cum avia, matre, sorore, vel nepte, si necessitas compulerit, habitent, de quibus, vt priorum Canonum series continet, nefas est aliud quam natura constituit, suspicari.* Ex quibus manifestè apparet prędictorum Conciliorum prohibitionem eo collimare, vt mulierum dumtaxat extranearum consortium, sive ingenuarum, sive ancillarum, aut libertarum convictus, earum videlicet, quæ nullo sanguinis iure, vel Matrimonij vinculo ipsis coniunctæ sunt, declinetur, & inhibeatur.

1458 Quod vltra adductos Canones in alijs etiam Concilijs cavetur, vt TVRONENSI II. *Can. 1.* vbi hæc habentur: *Nullus ergo Clericorum, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quasi Sanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam, pro confirmatione rerum in domo sua stabilire præsumat, quæ & ipsa extranea est, dum non est mater, aut soror, aut filia.*

1459 RHEMENSE *Can. 22.* *A Sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditùs eradicetur, cum quibus etiam nulla habitatio eis conceditur, præter illam, quæ in Nicęna Synodo permittitur, idest, matrem, aut sororem, vel eas tantum personas, à quibus omnes suspiciones efugiant.*

1460 His, alijsque similibus Canonibus consonat, quod NANNETENSIS, & CABILONENSIS Concilij Patres decreverunt *Can. 3.* ibi: *Licet iam prioribus Canonibus fuerit statutum, placuit tamen renovare, vt si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quicumque ex Sacerdotali Cathalogo præter personas, quæ in ipsis Canonibus continentur, cum qualicūque extranea muliere familiaritatem habere præsumpserit, quæ dedecoris, vel adulterij possit adferre suspicionem, iuxta Statuta Canonum, ab Ordine degradetur.*

1461 S. GREGORIVS VII. acerrimus Sacerdotalis Continentię propugnator extitit; ideoque, vt hæc integra servaretur, & illæsa, hoc Decretum edidit *lib. 7. Regest. Epist. 108. ad Syagrium.* *Volumus te Synodum congregare, atque vt in ea, omnia, quę Sanctis Canonibus sunt adversa districtè sub Anathematis interpositione damnentur, &c. idest, vt nec aliæ mulieres cum Sacerdotibus habitent, nisi eæ, quæ Sacris Canonibus sunt permissę.*

1562 Verùm estò primis illis seculis, ad maiorem Castitatis tutelam, & vt omno Ecclesiasticæ incontinentiæ periculum declinaretur, Sacri Canones districtè prohibuerint, vt nullus Clericus Sacris Ordini-

ni-

nibus initiatus in solatio suo mulierem aliquam haberet, præter eas, quæ vel sanguinis, vel affinitatis iure essent coniunctæ; nihilominus posterioribus seculis, tot, tantisque periculis Clericorum, mulierumque cohabitatio obnoxia comperta est, vt Sancta Cócilia coacta fuerint eã districtiùs inhibere, ac quarumcũque fœminarũ consortiũ, etiã earum, quæ sanguine, vel affinitate essent cõiunctæ, à Clericorũ domibus eliminare; quo omnis suspicioni aditus præcluderetur, ac huiusmodi Castimoniæ exemplo seculares meliùs, ac salubriùs instruerentur, vt patet ex NANNETENSI CONCILIO, sic decernente: * Inhibendum est, & modis omnibus interminandum est, vt nullus Sacerdos eas personas fœminarum, sicut in Canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua retineat; sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, sororem, quia instigante Diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequas illarum. Sed si qua de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessitas sustentationis Presbyteri, habeat in Vico, aut in Villa domum longè à Presbyteri conversatione, & ei ibi sui ministret quæ necessaria sunt. Sed secundum Authoritatem Canonum modis omnibus prohibendum est, vt nulla fœmina ad Altare accedere præsumat, aut Presbytero ministrare, aut in Cancello stare, aut sedere.*

1463 Eadem prædicti Canonis Sententia habetur in MOGVNTINO CONCILIO *sub Arnulpho*, his verbis: *Quamvis Sacri Canones quasdam personas fęminarũ, simul cum Clericis in vna domo habitare permittat; tamen, quod multum dolendum est, sæpe audivimus per illam concessionem plurima scelera esse commissa, ita vt quidam Sacerdotum cum proprijs sororibus concũbentes, filios ex eis generassent. Idcircò constituit hæc Sancta Synodus, vt nullus Presbyter vllam fœminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis, vel facti iniqui penitùs auferatur.* Eamdem Sententiam probat Textus *in cap. Clericus* 20. *cap. Clerici* 32. *cap. Ad reatum* 33. *cap. Legitur* 81. *dist. cap.* 1. *&* 18. *quæst.* 2. ferè per totam, & tandem *cap. Clericus* 82. *dist.*

1464 Quod confirmat CONCILIVM FOROIVLIENSE *Can.* 4. ibi: * Vt iuxta Nicęni venerandi Definitionem Concilij, nullus patiatur subintroductas mulieres secum in domo propria habere, vel privatè cum eis cohabitantes conversari; & quamquam de quibusdam inhonesta carentes suspicione clementiùs aliquomodo inibi legatur indultum: nos tamen omnes omnino nunc necessarium vetare prospeximus, eo quod experimento didicerimus, illarum velamento, alias licentius ad eos aditum veniendi perditionis causam habuisse.*

1465 Nec minus apertè pro hac eadem sententia loquitur AQVISGRANENSE II. in Germania sub Ludovico celebratum; siquidem *Par.* 3. *cap.* 11. hæc habet: * Decernimus, vt Presbyteris nulla omnino cohabitet fœminarum, contemnentes autem hanc Constitutionem, periculum proprij sustinere gradus.* Idem cavetur in METENSI *Can.* 3. * Nequaquam in sua domo secum aliquam fœminam Sacerdotes habeant, nec matrem, nec sororem: sed auferentes omnem occasionem Satanæ, Angelicam vitam ducant.*

1466 Hinc THEODVLPHVS *in Epist. ad Presbyt. Aurelian. cap.* 12. * Nulla fœmina (inquit) cum Presbytero in vna domo habitet: quamvis enim Canones matrem, & sororem, & huiusmodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcircò amputamus, quia in obsequio, sive imputatione illarum conveniunt aliæ fœminæ, quę non sunt affinitate coniunctæ, & eum ad peccatum illiciunt.* CONCILIVM ANDEGAVENSE *Cap.* 5. *Familiaritatem extranearum fœminarum noverint esse vitandam; sed siqui sunt cœlibes (lege, debiles) non nisi à sororibus, aut amitis suis, aut à matribus consolentur.*

1467 AVRELIANENSE *Can.* 3. *Nullus Episcoporum, Presbyterorum, aut Diaconorum extranearum mulierum intra domum præsumat habere solatium, quibus etiam pro vtilitate, seu aliqua familiariùs regenda committat, quod etiam de propinquis fœminis indicentes, similiter prohibemus, ne sub concessa sibi licentia parentali, ex earum sequipedis memoratorum vita, vel opinio polluatur.*

1468 BRACARENSE III. *Can.* 4. statuit vt nullus Sacerdotum, sive quisque de Clero, absque honesto, & competenti testimonio, excepta sola matre, cum quibuslibet fœminis secretè se præsumat adiungere, & non solum extraneis mulieribus,

bus, nec etiam cum sororibus, & propinquis. Idem statuit HIPPONENSE CONCILIVM *Can.* 26. AFRICANVM sub Bonifacio, *cap.* 5. MATISCONENSE I. *cap.* 1. & 3. TVRONENSE I. *Can.* 1. & 3. & TVRONENSE II. *Can.* 10. & 11.

1469 Ex Patribus D. CLEMENS *Epist.* 2. *ad Iacob.* S. CYPRIANVS *Epist.* 63. S. AMBROSIVS *lib.* 1. *de Offic. cap.* 20. S. ISIDORVS Pelusiota *lib.* 2. *Epist.* 62. & *lib.* 1. *Epist.* 84. D. AVGVSTINVS *Epist.* 236. & S. PETRVS DAMIANI *Opusc.* 52. *cap.* 5.

1470 Alia luculentissima Sanctorum Patrum, Sacrorumque Conciliorum testimonia, mulierum in Clericorum domibus cohabitationem prohibentia, videri possunt apud Authores, qui hac de re pererudite tractant, præcipuè apud Illustrissimum Archiepiscopum Tarraconensem D. ANTONIVM AGVSTINVM *in Epit. lib.* 6. *tit.* 37. & 38. & *lib.* 7. *tit.* 18. & 20. *lib.* 8. *tit.* 26. & 27. & *lib.* 39. *tit.* 31. CRESPESIVM *in Summa, verbo Clerici mulierum contubernio.* Nostram Conclusionem, vltra congestos à BARBOSA *in Collect.* & *Select.* ad hunc *text.* & GRANA *in* 3. *Decret. tit. de Cohabit. Cleric.* & *Mulier.* illustrant GERMONIVS *lib.* 1. *Animadvers. cap.* 18. BASILIVS PONCIVS *lib.* 7. *de Matrim. cap.* 26. *num.* 5. PETRVS GREGORIVS *lib.* 1. *Partit. tit.* 21. *cap.* 1. BARBOSA *de Iure Eccles. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 32. LANTMETERVS *lib.* 2. *de veter. Monach. cap.* 47. LOAYSA *in Can.* 12. *Concil. Tolet. IV.* & *Can.* 5. *Concil. Tolet. XII.*

1471 BALSAMON *in Can.* 47. *Synodi VI.* & *in Epist. Basilij ad Gregor. Presbyter.* & *in Supplement.* BOSCHETVS *in Notis ad Innocent. III. lib.* 3. *epist.* 80. FORNERIVS *lib.* 6. *Rerum quotidian. cap.* 10. CIRONIVS *lib.* 3. *Observat. cap.* 9. & 10. SALMVTIVS *ad Panzirol. tit.* 49. BARONIVS *anno* 398. BERMONDVS *de Public. Concubin. ver.* Tenent. GIBALINVS *de Clausura Regular. Disquis.* 1. *cap.* 1. §. 1. & *cap.* 9. §. 1. ROBERTVS *lib.* 1. *Rerum Iudic. cap.* 20. ESPENCEVS *lib.* 6. *de Continent. cap.* 12. AMBIANAS *ad Tertul. de Exhort. Castit. cap.* 12. *observat.* 2. & *de Monogam. cap.* 8. *observat.* 2. NARBONA *anno* 60. *quæst.* 60. MORNATIVS *in Authent. Episc. Cap. de Episcop.* & *Cleric.* IVSTELLVS *ad Can. Eccles. Vniver. in Can.* 3. *Concilij Nicæni;* ÆGIDIVS *de Privileg. Honest. art.* 14. EPISCOPVS ALBASPINEVS *lib.* 1. *observat. cap.* 24. LVNA, & ARELLANO *lib.* 3. *singular. Antinom.* 1. THEOPHILVS RAYNAVDVS *in tract. de Sobria Alterius Sexus Frequentat.* EPISCOPVS VILLAROEL *Tom.* 1. *Regim. Eccl. par.* 1. *quæst.* 2. *art.* 6. GOTHOPHREDVS *in leg.* 44. *C. Theod. de Episcop.* & *Cler.* plures congerit CABREROS DE METV *lib.* 2. *cap.* 16. alios congessit *in Can.* 27. *Concil. Illiberit.* D. EMMANVEL GONZALEZ.

1472 Ex hucusque dictis satis manifestè patescit, quanta solicitudine, & cura, Ecclesia, Sanctique Patres contenderint, omnia incontinentiæ Ecclesiasticis summè exitiosæ, ac indecoræ pericula avertere, omnem Clericorum cum fœminis consuetudinem, familiaritatem, & contubernium districtè, iteratis Canonibus, inhibentes. Et quamvis prioribus sœculis Ecclesiastica lege permitteretur, matres, cæterasquæ fœminas consanguinitatis, vel affinitatis communione devinctas, quæ omnem suspicioni aditum præcludebant, Clericorum domos incolere, eorumque contubernio frui; postea tamen temporum perversitate ingravescente, morumque corruptione vndique grassante, ac ipsa natura in malum potiùs, quàm in bonum propendente, cum prædictis Clericorum propinquis aliæ fœminæ, nullo sanguinis vinculo ipsis coniunctæ, iuvenilique florentes ætate, quæ non levem possent suspicionem inijcere, famularentur; prædicti Patres, relataque Concilia, vt ijs, alijsque gravissimis incommodis, quæ inde suboriebantur, ipsaque experientia attestante assiduè patebant, prudenter occurrerent, non potuerunt, non pro ardentissimo Zelo, quo Clericos puritate nitere exoptabant, omnem quarumcumque fœminarum, nulla excepta, cum Clericis cohabitationem, commercium, ac familiaritatem rigorosissimis legibus inhibere; vt ex supra adductis Canonibus, laudatisque Authoribus apertissimè innotescit, ac evidentèr comprobant multiplicia, ac miseranda illa priorum sæculorum exempla, quæ RHODIGINVS *lib.* 18. *Antiq. lect. cap.* 18. BISCIOLA *lib.* 3. *Horar. succes. cap.* 10. & GOTHOPHREDVS *in l. vlt. de Ritu Nuptiar.* abundè congesserunt.

Ve-

1473 Verùm cum illa priorum sæculorum inconvenientia ex cohabitatione matris, ac sororum in eadem Clericorum domo, rarò, aut numquã posterioribus hiscè sæculis visa sint suboriri, INNOCENTIVS III. *in cap. A nobis Tit. de Cohabit. Cleric. & Mulier.* iuxta antiquos Ecclesię Canones, decrevit, extranearum tantum fœminarum cohabitationem Clericis prohiberi, cum matre autem, aut sorore, aut similibus convictum, minimè damnari.

1474 Nihilominus vtinam prisca illa Sanctorum Canonum dispositio persisteret, quæ omnem quarumcumque fœminarum habitationem à Clericorum domibus relegabat; nam estò in matribus, sororibus, & alijs huiusmodi consanguinitatis, affinitatisvè iure devinctis nullum sit periculum, nullaque suspicio: nequit tamen Clericis ingens non imminere periculum ex pedisequis, quæ illorum matribus, sororibusque inserviunt, & ex alijs extraneis fœminis, quę vt illorum consanguineas salutent, atque conveniant, ipsorum domos crebrò adeunt, eorumque limina frequenter terunt. Quod, cum & sæcularibus exemplum minus rectum, & multoties scandalum pareret, ipsisque Ecclesiasticis periculum vitari dignissimum afferret, Sacri Canones iterum, atque iterum rectissimè prohibuerunt. Et meritò quidem; id enim Sancti Patres pro Ecclesiastici honoris Zelo, & Continentiæ securitate vna voce proclamant.

1475 S. BERNARDVS *serm. 66. super Cant.* * Cum fœmina (inquit) semper esse, & non cognoscere fœminam, nonne plus est, quàm mortuos suscitare? Quotidie latus tuum ad latus iuvenculæ est in mensa; lectulus tuus ad lectum eius in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere; & continens vis putari? Estò ita sit, sed ego suspicione non careo.* In idem collimat S. PETRVS CHRYSOLOGVS *serm. 124. de Decollat. S. Ioan. Bapt.* sic scribens: * Etsi Ioannes tantus, Ioannes talis, tanta etemo separatus à fœminis, fœminarum pericula non evasit; quis est, qui inter fœminas vivens, evasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidit, nisi qui Sancto alitur Spiritu?*

1476 Nec prætereundus silentio S. ISIDORVS PELVSIOTA, qui *lib. 1. Epist. 89.* & *lib. 2. Epist. 62.* pericula ex-pendens, ex fœminarum communicatione, Castitati imminentia: * Omnes quidem (ait) mulierum aspectus, congressus, colloquia, si fieri posset oportere vitari: sed quoniam ex necessarijs plerumque causis earum consortium admittendum est, saltem id curandum, vt oculi velut iniecto freno cohibeantur. * Cui consonat, & illud D. GREGORII, quod habetur *in cap. Oportet. 81. Dist.* * Neque enim hoc silere debeo, quod cum gravi animi tristitia dico. Sacerdotes cum fœminis habitare conspicio: quod nefarium est dicere, vel audire, & contra Sanctorum Canonum sancita. Vbi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt. Ideoque admonendi sunt, vt non antiqui hostis decipiantur fraude, quatenus iuxta Apostoli vocem *non vituperetur ministerium nostrum.**

1477 Hinc S. LEANDER *lib. de Instit. Virgin.* * Dispar (inquit) sexus in vnum locatus, eo titillatur instinctu, quo nascitur; & naturalis movetur flamma, si in eo posita attigerit. Quis colligabit ignẽ, & non comburetur, viri sexus, & fęminæ diversus si coniungitur, quò lex naturę provocat, quò movetur?* Idem innuit S. ANTHIOCVS *Homil. 17.* vndè Poëta;

Carpit enim vires paulatim, vritque videndo Fœmina.

De quo plura NOVARINVS *lib. 6. Aqua Nuptial. Excurs. 27. & 28.*

1478 Ex quibus Sanctorum Patrum Authoritatibus manifestè colligitur, quantum ex cohabitatione fœminarum, quæ nullo consanguinitatis fœdere sociantur, Clericorum Castitas periclitetur, qui non solum peccatum, sed & quamlibet suspicionis occasionem declinare debent: hanc autem non effugient, dum fœminas, quantumvis arctissimo consanguinitatis vinculo sibi devinctas, in suo contubernio admittant: estò enim istæ nullam suspicionem inducant, nullumque periculum afferant, inducunt tamen illæ, quæ vel istis inserviunt, vel ipsas invisuræ Clericorum limina terunt; sicque semper imminet ipsis incontinentiæ periculum, quod vt penitus eliminetur, nihil est separatione efficacius, vt rectè admonuit D. BASILIVS *in Epistol. ad Paregor. Presb.* supra laudatus, ipsi præcipiens, vt inservientem sibi mulierem subintroductam domo eijceret, virorumque famulatu vteretur, vt omnem offensa-

occasionem effugeret: additque, se id, iuxta Nicęnę Synodi Statuta, præcipere. *Nec primi (inquit) nec soli, Paregori, statuimus, ne mulieres cum viris cohabitarent; sed lege Canonem, qui à Sanctis Patribus nostris Niceę editus est, qui apertè prohibet, ne sint subintroductæ. In hoc autem situm est Cœlibatus decus, & honestas, quod separatissimus à consuetudine, & consortio mulierum.*

1479 Cum iam hucusque satis, superque probaverimus, quàm iusta, quàmque rationi consona fuerit Lex Clericis Sacro Ordine initiatis Continentiam præscribens; cumque insuper adduxerimus rationes, causasque, quibus Summi Pontifices, & Concilia adducta fuerunt ad præcipiendum, vt Clerici Sacris initiati perpetuam Castitatem profiterentur; ac tandem media, quibus Concilia, Sacrique Canones vsi fuerunt, vt & Ecclesiasticorum Castitas illibata persisteret, & assidua incontinentiæ pericula declinarentur, latè suprà retulerimus: modò enervanda aggredimur argumenta, quæ hæretici confingunt, vt sanctas Leges Ecclesiasticis perpetuam Cõtinentiam præscribentes, penitùs aboleant.

§. XII.

SOLVUNTUR ARGUMENTA, Clericorum Continentiam impugnantia.

1480 VNum è præcipuis argumentis, quibus innituntur Hæretici, desumitur ex Antiqua Lege, tam Naturæ, quã Scripta, quæ cum Sancta fuerint, ac Divina, nihilominus Sacerdotibus, cæterisque Sacris Ministris, & Matrimonium contrahendi, & contracto vtendi copiam faciebat. Cum ergo Christus non venerit legem solvere, sed adimplere, licebit vtique Sacris Novę Legis Ministris subire casti debita iura tori.

1481 Huic tamen argumento ex Sanctorum Patrum Doctrina manifesta exhibetur solutio. Concedimus enim Antiquæ Legis Sacerdotibus, Sacrisque Ministris datum fuisse, fœminis vinculo sociari iugali: indè tamen deduci posse, id ipsum Sacris Novæ Legis Ministris licitum, aut concessum, firmiter negamus, idque propter multiplicem disparem rationem inter vtrosque repertam. Prima innititur Doctrinæ S. MAXIMI, Monachi, & Martyris, quem huiusmodi argumentum non subterfugit *Cur (inquit) non prohibeantur Sacerdotes legis habere vxores: Sacerdotes verò Christi prohibeantur quoad concubitum?* Cui difficultati brevissimis, eruditissimisque hisce verbis respondet: *Quia scilicet est Sacerdotium (in nova Lege) secundum ordinem Melchisedech, de quo non est litteris mandatum, duxisse vxorem, quare necessariò, qui secundum ordinem eius Sacerdotio funguntur, non admittunt vxorem.*

1482 Secunda desumitur ex S. AMBROSIO, qui *ad cap.* 3. 1. *ad Timoth.* eidem argumento respondens: *Veteribus (inquit) idcircò concessum est Levitis, & Sacerdotibus vxores ad vsum habere (*Levit.* 21) quia multum tempus otio vacabant à ministerio, aut Sacerdotio. Multitudo enim erat Sacerdotum, & magna copia Levitarum, & vnusquisque certo tempore serviebat Divinis Ceremonijs, secundum institutum David. Hic enim viginti, & quatuor Classes instituit Sacerdotum, vt vicibus deservirent. Vndè Abia octavam Classem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur Sacerdotio; ita vt tempore, quo non illos contingebat deservire Altari, domorum suarum agerent custodiam, vbi autem tempus imminebat ministerij, purificati aliquantis diebus accedebant ad Templum offerre Deo. Nunc autem septem Diaconos esse oportet, & aliquantos Presbyteros, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in Civitate Episcopus, ac per hoc omnes à conventu fœminæ abstinere debere, quia necesse est, eos quotidie præstò esse in Ecclesia, nec habere dilationem, vt post conventum legitimè purificentur, sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiam si non quotidie peregrinis, incolis tamen, vel bis in hebdomada, etsi non desint, qui propè quotidie baptizentur ęgri. Nam veteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant privati. Si enim plebeis hominibus, Orationis causa, ad tempus abstinere se pręcipit, vt vacent Orationi, quantò magis Levitis, & Sacerdotibus, quos die, noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo debent esse cæteris, quia Dei Actores sunt.*

1483 Tertia ex Venerabili & Sancto BEDA, qui eamdem S. Ambrosij rationem, estò alijs verbis, reddit *ad cap.* 1. *Lucæ*, vbi optimè probat perpetuam Sacerdo-

dotum Evangelicæ Legis Continentiam, quamvis eam Sacri Antiquæ Legis Ministri neutiquam observaverint: *Hoc est, quod dixi, quod vicis suæ tempore, Pontifices Templi tantum officijs mancipati, non solum à complexu vxorum, sed ab ipso quoque domorum suarum abstinerent ingressu: vbi nostri temporis Sacerdotibus, quibus semper Altari servire iubetur, perpetuò servandę Castitatis exemplum datur. Quia enim tunc Sacerdotum ex stirpe Aaron successio querebatur, necessariò tempus substituendæ soboli procurabatur: at quia nunc non carnalis successio, sed perfectio spiritualis inquiritur, consequenter Sacerdotibus, vt semper Altari queant assistere, semper ab vxoribus abstinendum, semper Castitas observanda præcipitur.*

1484 Quartam disparitatis rationem tradit S. ANSELMVS, Cantuariensis, qui ingenio acerrimus, & Sanctitate mirandus, compendiosè ostendit Castimoniam, qua Sacri Altaris Ministri nitescere debent, magnumque inter vtriusque Testamenti Ministros discrimen assignat *ad cap. 7. Epist. ad Hebræ.* ita scribens: *Melchisedech sine genealogia est: quia Novi Testamenti Sacerdotes, & Ministri vxores habere non possunt; quas si habere voluerint, profitentur se esse Sacerdotes Iudaicæ institutionis, non Christianę.*

1485 Quintam adducit EVSEBIVS, Cæsariensis Episcopus, doctrina, antiquitateque Venerabilis; *lib. enim 1. de Demonst. Evang. cap. 9.* huic difficultati sic respondet: *Meritò aliquis quæsierit, quęnam causa sit, vt illi quidem (antiquæ scilicet Legis Sacerdotes) in nuptijs, & procreatione liberorum plurimum studij posuerint: nos verò hanc partem negligamus, &c. Adversus hæc, talem licet ex ipsis Hebræorum oraculis rationem colligere. Quicumque ante Moysem in laude pietatis nomen adepti sunt, hi tunc initium habente, tuncque primum existente vita fuisse memorantur: quę verò ad nos pertinent, tendere ad finem. Quare illos magna cum cura sobolis incrementum quæsivisse, cum per illud tempus, & numerus hominum augesceret, & multiplicaretur, atque indies robur acciperet genus humanum: nobis verò non admodum curę esset hoc, vtpotè cum res iam interire, ac desinere, atque ad extremum finem tendere credantur, quādo planè dicitur, ante vitæ consummationem, Evangelicam in foribus esse Doctrinam, & renovatio, ac generatio alterius sæculi, quod brevi instet futurum, denunciatur.

1486 Vna igitur defensio hæc. Altera autem erit huiusmodi. Priscis illis, qui remissiorem, ac liberiorem vitam agebant, nihil erat impedimento, ne domui, liberisque præessent, ac pariter divinæ quoque rei vacarent, quandò vna cum vxoribus, & liberis, & domo religioni assiduam dare operam poterant, & nusquam illi per res externas, à meliore proposito avellebantur. Res verò nostræ innumerabilia habent, quę extrinsecus premant, & quę in alienas curas vndique trahant, & ab earum rerum studio, quę Deo placent, abducant. Hanc igitur causam esse, cur nubendi ratio contrahatur, Evangelicę Doctrinæ verbum demonstrat, vbi ait: *Hoc autem dico fratres: tempus breve est: reliquum est: vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint. (1. ad Corinth. 7.)*

1487 Pręcipua tamen discriminis ratio ex eo desumitur, quod Sacerdotes Veteris Legis Sacerdotium illud per successionem, & carnalem generationem protrahebant: at præcipuum Sacerdotum Novę Legis munus, & Officium est Evangelium propagare, illudque per totum terrarum Orbem protendere, spiritualique generationi, non corporeæ, vacare iuxta illud Pauli: *Per Evangelium ego vos genui.* Huic solutioni fundamentum præstat eiusdem Eusebij Cęsariensis doctrina, qui loco supra adducto hæc, inter alia, scribit: *Causa igitur, ob quam Viri Sancti priscis temporibus magno cum studio liberos susciperent, reddita est: quæ non amplius in nobis locum habere dicenda est: quippè cum Deo favēte, per Evangelicam Salvatoris nostri Doctrinam innumerabiles gentes & populos, in Vrbibus, & Regionibus, & agris liceat nobis oculis intueri, eodem animo festinantes, & ad Sancta Evangelicæ Doctrinæ præcepta concurrentes, quibus quidem satis superque sit, si Doctores, ac Prędicatores Divini Verbi omnibus, & vitę vinculis, & sollicitudinibus liberati, possint sufficere. His autem ipsis maximè in præsentia, vt melioribus studijs vacent, liberius, seiunctus à re vxoria victus adamatur, velut ijs, qui divina, & incorporea sobole propaganda occupati teneantur, & non vnius neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reli-

quam instruendę vitæ curam susceperint. Oportet enim, dicit Sermo divinus, *Episcopum vnius vxoris virum esse.* Verumtamen eos, qui sacrati sint, atque in Dei ministerio, cultuque occupati, continere deinceps se à commercio vxoris decet: qui autem non ad tantum assumpti sint Sacerdotij munus, ijs idem sermo divinus indulget.*

1488 Respondetur sextò, ex Doctrina Cardinalis TVRRECREMATA, qui cum *in cap. Tenere. 31. dist.* sibi opposuisset prędictam difficultatem; cur scilicet Sacerdotibus Veteris Legis concessus est vsus vxorum, non autem Sacerdotibus Novi Testamenti? Respondet: *Quod illis (scilicet Sacerdotibus Veteris Legis) concessus fuit vsus vxorum, quia in successione sanguinis erat successio officij Sacerdotalis. Vndè ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron ad Sacerdotium non erat aditus. Hoc autem non est in Sacerdotio Evangelico, hic nullus succedit patri in beneficio Ecclesiastico; potiùs enim sunt alij promovendi quàm filij Clericorum: Ergo exigitur, vt istis non concedatur vsus vxorum, deficiente causa, ob quam concedebatur illis. Hu. Quantò magis hi Sacerdotes nostri temporis sine cessione sunt, quia dignitates Ecclesiasticæ, & Ecclesiastica beneficia non debent relinqui iure hereditario, nec deterri sanguini, *vt 8. quæst. 1.**

1489 Tandem respondemus, nullius roboris esse præfatum argumentum; cum potiùs ex Veteris Testamenti Sacerdotibus manifestè convincatur Continentia, & Castitas, qua Sacri Novæ Legis Ministri pollere debent: vt enim multiplici Sanctorum Patrum testimonio probavimus, & constat *ex lib. 1. Paralip. cap. 24. & Lucæ 1.* Antiquę Legis Sacerdotes toto illo tempore, quo Tabernaculo inserviebant, à domo aberant, & vxore, cuius consortio abstinebant. Vndè rectè inferunt SIRICIVS Pontifex *Epist. ad Hymer.* INNOCENTIVS I. *Epist. ad Vitric.* & Venerabilis BEDA *in cap. 1. Lucæ*; quod si illi, tempore, quo ministrabant, sese omnino ab vxoribus cohibebant; congruum vtique erit, vt nostri Sacerdotes, qui non per vices, vt illi, sed semper ministrant, semper se ab vxoribus contineant. Hoc eodem argumento vtitur Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. Tenere 31. dist.* siquidem prædictum Innocentij textum exponens, hęc habet: *Arguit Innocentius exemplo, sive ratione sumpta à Sacerdotibus Veteris Legis, honestatem legis Continentiæ datæ Sacerdotibus, & Ministris Altaris in Nova Lege. Primò enim ponit Legem Continentię sic arguendo: Isti, qui dum ministrabant in Templo pro vice sua, debebant abstinere à complexu vxorum suarum. Ergo cum Ministri Novi Testamenti continuè debent servire in Ecclesia, continuè debent continere.* Consonat hæc solutio Siricio, cæterisque Pontificibus, quorum testimonijs, Sacerdotum, Sacrorumque Evangelicæ Legis Ministrorum Cœlibatum latè supra probavimus.

1490 Secundum argumentum, cui valde fidunt hæretici Matrimonium Sacris Novę Legis Ministris licitum esse, adstruere conantes, innititur exemplo D. Petri, cęterorumque Apostolorum, quos Matrimonio copulatos fuisse, asseverant, idque confirmant ex illo *D. Pauli 1. ad Corinth. 9. Numquid, non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?*

1491 Cui argumento respondemus primò, falsum esse, quod in illo supponitur, quodque ab Hæreticis non facilè probabitur, Apostolos nempè iugalia vincula subijsse; cum potiùs compertum sit, nullum eorum, qui ante acceptam vxorem ad Apostolatum vocatus est, eam posteà duxisse. De Ioanne Evangelista notum est, cum eum Dominus Virginem appellarit. De Iacobo eius fratre idē refert EPIPHANIVS *Hæres. 58.* De Iacobo fratre Domini idem tenent EVSEBIVS *cap. 21.* D. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Hom. 5. in Matth.* & S. HIERONYMVS *de Scriptor. Ecclesiast.* De B. ANDREA post Metaphrasten *in Vita S. Petri*, tradit SAVSAY *in Laudib. B. Andr.* Paulum Virginem fuisse, patet *1. Corinth. 7. vers. 8.* vt disertè docēt explicantes hunc locum S. AVGVSTINVS *de Oper. Monach. cap. 4.* S. HIERONYMVS *lib. 1. Contr. Iovin.* CHRISOSTOMVS, AMBROSIVS, THEODORETVS, THEOPHILACTVS ad dictum locum Pauli, & alij Patres communiter; probatque BARONIVS *anno 57. num. 59.* TERTVLLIANVS *lib. de Monogam. cap. 3. & 8.* vbi plura PAMELIVS, & AMBIANAS. De alijs idem refert SVAREZ *lib. 9. cap. 14.* Vndè TERTVLLIANVS *lib. de Monogam.* *Petrum (inquit) solum invenio maritum.*

1492 Secundò respondemus: estò admit-

mitteremus, Petrum, cæterosque Apostolos Matrimonij iugum subijsse; non tamen inde rectè deduci, Sacerdotes, ac Ministros Sacris Ordinibus initiatos posse, ad illorum exemplum, coniugium inire. Estò enim Apostoli Sacerdotes fuerint; tamen nec argumentum probat, nec vllus vmquam convincet, eos postquam ad Sacros Ordines fuerunt promoti, Matrimonium contraxisse. Innititur hæc solutio doctrinæ S. HIERONYMI, qui *contr. Iovin. lib.1. cap.* 14. simili obiectioni sic satisfacit: * Petrus, & cæteri Apostoli, vt ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium nesciebant: qui assumpti postea in Apostolatum, reliquunt Officium coniugale. Nam cum Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum *Matth.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: Respondit ei Dominus: *Amen dico vobis*, quoniam nemò est, qui dimisserit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multò plura in sæculo isto, & in sæculo futuro vitam ęternam. Et quidem (concludit Hieronymus) assumpti in Apostolatum, relinquunt Officium coniugale.* Et ibidem ita infrà, scribit: * Quamquam excepto Apostolo Petro non sit manifestè relatum de alijs Apostolis, quod vxores habuerint; & cum de vno scriptum sit, & de cæteris tacitum, intelligere debemus, sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significat. * Quod autem Apostoli ante Evangelij notitiam Matrimonium inierint, cum merè laici fuissent, & neutiquam sub Nova, sed sub Antiqua Lege constituti, eique subditi, quid inde contra nostram Assertionem, quæ non negat posse laicos Matrimonium contrahere, sed solum affirmat, esse id Sacris Ministris prohibitum? Nec inficiamur, posse Sacro Ordine initiari Matrimonio copulatos, cum huiusce rei, non modò in Veteri Lege, sed in Novæ etiam initio, nascentisque Ecclesiæ incunabulis multa exempla passim occurrant, quibus id ipsum iam supra probavimus: at nec hoc quidem in Apostolis, eorum Principe excepto, admittimus, prout in prima solutione asseruimus, & in hac secunda HIERONYMVS convincit.

1493 Nec obstat illud D. Pauli in argumento propositum: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, &c?* Hinc enim non infertur, mulieres, quas Apostoli circumducebant, proprias fuisse, sed pias quasdam fœminas, quę Apostolorum Doctrina, & Miraculis excitatæ, ac quibusdam, quasi divinis igniculis accensæ, eos cum suis viris, populisque recenter ad Fidem conversis subsequebantur, videntesque eximiam paupertatem, quam Apostoli profitebantur (iuxta illud: *Ecce nos reliquimus omnia*) pietate commotæ, de suis facultatibus ipsis ministrabant. Nec novum in Apostolis istud; siquidem in ipso Evangelicę prædicationis Prototypo Christo, id ipsum evenisse conspicimus, quando illum in desertum locum abeuntem, ingens Fidelium tàm virorum, quàm mulierum multitudo subsecuta fuit: *Quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur*; vt Sacri testantur Evangelistæ, Sanctique Patres exponunt. Inde tamen nō nisi sacrilegè inferri potest, illas fuisse proprias mulieres, aut Christum vxorem duxisse. Sed quod inde iuxta Sanctorum Patrum Doctrinam deducitur, est: eas fuisse pias aliquas fœminas, quæ æquè, ac viri proprię salutis zelo, mirisque prodigijs, quę Christus operabatur, adductæ ipsum sequebantur. Videntes autem summam illius paupertatem, *ministrabant ei de facultatibus suis*, quin hoc ab vllo vmquam reprehensione dignum iudicatum sit. Quare nec id in Apostolis obiurgari debet, cum illi hac in re Christi Prædicationem, Doctrinamque imitati sint.

1494 Fundatur hæc solutio in expositione, qua Angelicus Doctor explicat illa Pauli verba: *Numquid non habemus potestatem, &c.* sic enim illa interpretatur: * Quasi dicat: Nam cùm sim Apostolus, numquid non habemus ego & mei potestatem manducandi, & bibendi nostra, id est, vivendi stipendijs nostris? Augustinus: Permisit Dominus, non iussit Apostolis accipere necessaria à subditis. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem, scilicet Fide, circumducendi nobiscum propter sumptus ministrandos? Ambrosius *in Gloss.*: Mulieres desiderio Doctrinæ Dominicæ, & Virtutum cupidæ, Apostolos sequebantur, & ministrabant eis sumptus, & servitia. Et similiter Christum secutæ sunt. *Lucæ* 8. & 23. *Sicut cæteri Apostoli*, vt habetur *Actor.* 6. & sicut fratres, id est cognati, Domini, qui maiores sunt. *Ad Galat.* 2. Iacobus, & Ioannes, qui videbantur co-

pre-

lumnæ esse, &c. & *Cephas*: qui maximus est inter Apostolos; vndè *Cephas* interpretatur, *Caput*, Ambrosius: Non hoc reprehendit Apostolus, sed eorum more sibi probat licere. Idcircò autem, vt ait Augustinus, Dominus mulieres ministraturas sequi voluit, ostendens quid debetur à plebibus, Euangelistis: vel ideò etiam, nè viderentur alienæ à salute. Aut *numquid ego solus, & Barnabas?* Isti enim fuerunt coniuncti ad prædicandum Gentibus *Actor.13. Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Non habemus secundum opinionem vestram Potestatem operandi, scilicet, mulieres circumducendi, & sumptus accipiendi? quasi dicat: Immò habemus, sicut alij: sed omnes alij, licitè accipiunt: ergo & nobis licet.* Hactenùs Divus Thomas.

1495 Hanc eamdē solutionē eleganter cōfirmat S. HIERONYMVS, sic prædictū Textū exponēs, loco supra citato: *Si autē nobis illud opposuerit (scilicet Iovinianus) ad probandum, quod omnes Apostoli vxores habuerint 1. *ad Corinth. 9. Numquid non habemus Potestatem mulieres, aut vxores circumducendi* (quia apud Græcos vtrumque significat) *sicut cæteri Apostoli, & Cephas, fratres Domini?* Iungat & illud, quod in Græcis Codicibus est: Numquid non habemus Potestatem sorores mulieres, vel vxores circumducendi? Ex quo apparet, cum de alijs Sanctis dixisse mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum, Magistris de sua substantia ministrabant: sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc significat: Numquid non habemus Potestatem manducandi, & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi? Vbi de comedendo, & bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur: perspicuum est, non vxores debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de sua substantia ministrabant: aut certè, si *Gynaicas* vxores accipimus, non mulieres: id quod additur, *sorores*, tollit vxores: & ostendit eas germanas in spiritu fuisse, non coniuges! *

1496 Mulieres illas, quas Apostoli circumducebant, non fuisse vxores Apostolorum; siquidem neminem præter Petrum coniugatum fuisse diximus, ac probavimus; sed sororum loco ipsas extitisse, vt ipsis necessaria ad victum subministrarent; eosque comittabantur, sed præcipuè vt faciliorem Evangelij prædicationem efficerent ijs in locis, quorum aditus mulieribus liber erat. Id confirmat CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 3. Stromat.* ita scribens: * Reliqui Apostoli prędicationi attendentes, non vt vxores, sed vt sorores circumducebant mulieres, quæ vnà ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in gynecæum, absque vlla reprehensione, malavè suspicione ingredi posset Doctrina Domini.* Consonat S. ISIDORVS PELVSIOTA eodem modo prędictum locum dilucidans *lib. 3. Epist. 179.* vbi sic scribit: * Non quod, ij, qui Virginitatem suadebant, & Castitatem prædicabant, ac Virginum Choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem haberent. Quis enim eos Virginitatem suadentes tulisset, siquidem ipsimet in voluptatum cęno volutantes deprehensi essent.*

1497 Nec obstat his S. IGNATIVM *in Epist. ad Philadelph.* Paulum inter coniugatos recensuisse; vndè inferri videtur: non solum Petrum, sed etiam Paulum, cæterosque Apostolos Matrimonium contraxisse; atque adeò fœminas, quas ipsi circumducebant, non sorores, sed verè vxores fuisse. Non, inquā, obstat; huic enim difficultati respondemus cum Baronio *anno Christi* 57. cui alij adhærent, asserentes, Pauli nomen in dicta Epistola inter coniugatos insertum fuisse à posterioribus Gręcis Clericis, vt suum coniugium, exemplo Pauli coniugati, defenderent; nam exemplaria Epistolarum S. Ignatij Vaticana, Sfortiana, aliaque antiquissima simul atque correctissima, ibi Pauli nomen non habent. Quare cum prædicti Codices tanta polleant Authoritate, tota argumenti efficacia, supposititio Pauli nomini innixa, penitus collabescit.

1498 Tertium argumentum, cui potissimum innititur Calvinus, cum suis sequacibus, *lib. 4. Instit. cap.* 12. §. 23. vt testatur BELLARMINVS *de Cleric. lib. 1. cap.* 20. desumitur ex Historia Socratis *lib. 1. cap.* 8. & SOZOMENI *lib. 1. cap.* 22. asserentium, Nicæna Synodo Legem ferre volente, ne liceret Clericis cum vxoribus suis dormire, surrexisse Paphnutium Confessorem, & vehementer contradixisse; eiusque sententiæ Synodum totam subscrip-

cripsisse, & Continentiam ab vxore in cuiusque arbitrio reliquisse. Ex hac igitur historia, & Niceni Concilij, ac Paphnutij Authoritate contendit Calvinus *lib. de Instit. Christ. cap.* 3. §. 70. licere Clericis, etiam in Sacris constitutis, Matrimonium contrahere, vt refert D. FERDINANDVS DE MENDOZA *de Concil. Illiberit. Confir. lib.* 2.

1499 Vt autem huic argumento plenissime satisfaciamus, aponemus hic historiam istam, prout refert GRATIANVS *in cap. Nicæna*, 31. *Dist.* qui eam desumpsit *ex Historia Tripartita*, *lib.* 2. *cap.* 1. vbi hæc habentur: * Nicæna Synodus corrigere volens hominum vitam, in Ecclesijs commorantium, posuit Leges, quas Canones vocamus, in quorum tractatu videbantur aliquibus introducere legem, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi cum coniugibus, quas ante Consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem in medio Paphnutius Confessor contradixit, honorabiles confessus Nupcias, & Castitatem esse, dicens, cum propria coniuge concubitum; suasitque Concilio, ne talem poneret Legem, gravem esse asserens causam, quæ in ipsis, aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius (licet nuptiarum esset inexpertus) exposuit, Synodusque laudavit sententiam eius; & nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in vniuscuiusque voluntate, non in necessitate dimisit.*

1500 Ex hoc textu duæ difficultates, à nobis diligenter examinandæ, consurgunt. Prima, an hæc historia vera sit, an potius fabula. Secunda, huius historiæ veritate discussa, an ipsa aliquid contra Ecclesiasticæ Continentię Legem, reprehensione dignum involvat.

§. XIII.

AN HISTORIA PAPHNVTII relata in cap. Nicæna, 31. Dist. *vera sit.*

1501 HAnc non esse veram Historiam, sed potiùs Fabulam, existimant BARONIVS *Tom.* 1. *Annal. anno Christi* 58. *num.* 20. & latiùs *Tom.* 3. *anno* 326. §. *Habet Lector.* BOVERIVS *de Repub. Ecclesiast. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *verf. Labile quoque*; & *verf. Secunda series.* SEVERINVS BINIVS *in Collect. Concilior. General. Tom.* 1. *in Notis ad Concil. Nicæn. Can.* 3. ÆGIDIVS CONINK *de Sacram. Ordin. disput.* 20. *dub.* 12. *num.* 122. P. AZOR *Institut. Moral. part.* 1. *lib.* 13. *verf. Inter Catholicos*; & precipuè TVRRIANVS *lib. de Sexta, & Septima Synodo*; & Cardinalis BELLARMINVS *de Clericis, lib.* 1. *cap.* 20. *ad* 5. *argum.*

1502 Sed oppositum (veram nempè esse Historiam) tenēt SOCRATES, SOZOMENVS, CASSIODORVS, NICEPHORVS ALPHONSVS PISANVS, de quibus infrà, & VAZQVEZ *de Sacram. Ordin. disp.* 147. *cap.* 4. *num.* 45. *& sequent.* Episcopus BARBOSA *in Decret. cap. Nicæna* 31. *Dist.*

1503 In hac sententiarum varietate, pro pleniori intelligentia, & elucidatione quæstionis, in qua ingens est inter gravissimos Authores dissensio, operæpretium duximus, ad antiquitatem recurrere, ac aliqua principia, tàm in iure, quàm in facto apud vtramque Ecclesiam, Latinam nempe, & Græcam, circa Ecclesiasticorum Continentiam, certissima breviter pręmittere.

1504 Primò, igitur pręmittendum est, ac pro certo habendum, à primordijs Ecclesiæ coniugatos fuisse ad Sacros Ordines assumptos, vt patet ex his, quæ scribit PAVLVS *ad Titum cap.* 1. ipsum instruens, & admonens quales deberent esse hi, quos in Presbyteros, & Episcopos eligeret: *Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, Filios habens Fideles, non in accusatione luxuriæ.* Vbi præcipit vnius vxoris virum eligendum potiùs, quàm qui nullam vxorem duxerit, vt inquit BARONIVS *Tom.* 1. *anno* 58. *num.* 14. quia in Creta, de cuius agebat Paulus Ecclesia, nullum cęlibem, qui numquam duxisset vxorem, erat possibile reperiri, cogentibus nimirum antiquis Cretensium Legibus, vt omnes homines à puero vxores ducerent, teste STRABONE *lib.* 10.

1505 Secundò, præmittendum est, quod licet ab initio nascentis Ecclesiæ coniugati, & non coniugati ad Sacros Ordines fuerint assumti, ingens tamen discrimen inter Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ Ministros statutum est; nam in Ecclesia Latina, tàm coniugatis, quàm non coniugatis Castitas perpetuo servanda iniuncta fuit; coniugatis enim prohibitus ad vxores accessus, vt cōstat ex CLEMENTE Romano *Epist.* 2. extat etiam de eadem re LVCII Papæ De-

Decretum *cap. Ministri* 81. *dist.* eisdem ferè verbis cum testimonio Clementis. Constat insuper ex CONCILIO ILLIBERITANO *Can.* 23. sic statuente: *Placuit in totum prohibere Episcopis, & Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, quod quicumque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Idem postea SILVESTER I. *in Concilio Romano II. cap.* 19. *Nemò enim Presbyter, à die oneris Presbyterij, sumat coniugium.* Vxorem enim ducere non tantum Presbyteris, sed etiam Subdiaconis interdictum *in hoc eodem Concilio cap.* 8. Idem etiam SIRICIVS Papa *Epist.* 4. *num.* 9. Quod postea repetit INNOCENTIVS I. *Epist.* 2. quæ est *ad Vitric. cap.* 9. *& in Epist.* 3. *ad Exuper. Tolan. Episcop. num.* 1. Decreti Siricij mentione facta, vbi præcipitur, vt Sacerdotes, & Levitæ cum vxoribus suis non coeant, qui in Ministerio Divino quotidianis necessitatibus occupantur.

1506 Idem docet INNOCENTIVS *Epist.* 5. & habetur *cap. Maximilianus* 81. *dist.* Sanctissimis hisce Pontificibus consonant Sacratissima Concilia, ARELATENSE II. *Can.* 2. ibi: *Nisi fuerit promissa conversio.* CARTHAGINENSE II. *Can.* 2. TAVRINATENSE *sub Siricio, Can.* 7. CARTHAGINENSE V. *sub Anastasio, Can.* 5. & habetur *in cap. Cum de quorumdam*, 48. *dist.* CARTHAGINENSE VI. *Can.* 28. TOLETANVM II. *Can.* 1. TELENSE *sub Zosimo*, vbi prolata est Epistola Siricij supra laudata, AFRICANVM *sub Cœlestino, & Bonifacio, Can.* 37. LEO I. *Epist.* 84. *num.* 4. *& Epist.* 92. *ad Rustic. Narbonen. Episcop. num.* 3. & habetur *in cap. Lex Continentiæ*, 31. *dist.* CONCILIVM ARAVSICANVM I. *sub eodem Leone, Can.* 22. qui Matrimonio iunctis, Sacris initiari prohibet, nisi in Diaconatu promissio Castitatis emissa fuerit; & *Can.* 23. *Si aliter ordinetur, reijciatur.* Et *Can.* 24. TAVRINATENSIS CONCILII Decretum probat, ne promoveantur. Idem repetitum postea in CONCILIO TVRONENSI I. *cap.* 1. *&* 2. *Quod si coniugio dederint operam, ne ministrent.* Idem etiam alijs in Concilijs stabilitum reperitur, quæ brevitatis causa omittenda censuimus. Ex quibus apertè constat, in Ecclesia Latina perpetuam Continentiam, & à proprijs vxoribus abstinentiam, his, qui post coniugium Sacris Ordinibus initiati sunt, semper fuisse præceptam.

1507 Tertiò, præmittendum est, in Ecclesia Latina, non coniugatis, vt ad Sacros Ordines ascenderent, perpetuam Continentiam impositam fuisse, ac Matrimonium omnino prohibitum. Hoc æquè certum est in Sacris Canonibus, & Concilijs, ac id quod *num. antecedenti* asservimus. Id enim statuerunt Apostoli *apud Clementem Romanum, lib.* 6. *Constit. cap.* 17. dicentes: *Episcopum, ac Presbyterum, & Diaconum Ordinari præcipimus, qui sint monogami, idest vnius vxoris viri, sive vxores eorum superstites sint, sive non; post Ordinationem tamen, si vxores non habent, præcipimus, vt non liceat ampliùs ducere, aut si antea duxerant, non alias in Matrimonium accipere, sed potiùs, quod cum haberent ad Ordinationem venerunt, contentos esse.* Extat etiam *Canon Apostolorum* 27. Idem in CONCILIO ROMANO II. *sub Silvestro, Can.* 8. statuitur; vbi Subdiaconis transitus ad nuptias apertissimè prohibetur; & in CONCILIO CARTHAGINENSI II. *Can.* 2. non tantum à proprijs vxoribus abstinentia, sed absolutè omnibus Episcopis, Presbyteris, & Levitis, Castitas indicitur. Idem alia Concilia, alijque Pontifices decreverunt. VENETICVM *sub Leone I. Can.* 11. *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non est.* NICOLAVS I. *Epist.* 70. *colum.* 7. in eo reprehendi Latinos à Græcis putat, quod Latini Presbyteros sortiri coniuges prohiberent. MOGVNTINVM *sub Arnulpho Can.* 19. Decreti Neocæsariensis mentione facta, etiam Subdiaconis interdicit coniugium; & in MOGVNTINO *sub Leone VIII.* Sacerdotum coniugia prohibentur, sicut & in TOLOSANO *sub Victore VII. Can.* 6. Et Subdiaconis etiam in ROMANO *sub Nicolao II. Can.* 3. Id ipsum statuerunt ALEXANDER II. *in Cap. Si quis amodò*, 81. *dist.* GREGORIVS VII. *lib.* 1. *Epist.* 62. CONCILIVM ROMANVM *sub eodem Pontifice*, MOGVNTINVM *sub eodem*, MELPHITANVM *sub Vrbano II. Can.* 11. PLACENTINVM *sub eodem, Can.* 5. QVINTILIBVRGENSE *sub Paschali II.* aliaque plurima, quæ ne fastidiosi simus, duximus omittenda. Hæc dicta sint de Ecclesia Latina, & de Continentia Clericorum, tàm vxoratorum, quàm non vxoratorum.

Nunc

1508 Nunciam ad Sacros Graecæ Ecclesiæ Ministros, accedentes, præmittimus quartò, ab initio nascentis Ecclesiæ, Continentiæ Legem, & à proprijs vxoribus ante Ordinationem ductis abstinentiam, æquè Græcis, ac Latinis fuisse præscriptam, vt tenent communiter Doctores, & præcipuè eruditus Magister SOTVS *lib. 7. de Iust. & Iure, quæst. 6. art. 2. conclus. 4.* ALBERTVS PIGHIVS, *controvers. 25. §. Quod autem interdum.* MICHAEL MEDINA *lib. 2. de Continent. cap. 36.* quos refert, & sequitur P. GABRIEL VAZQVEZ *Tom. 3. in 3. part. D. Thomæ, disp. 248. cap. 1.* Originē quidem sumpsit ea Lex ab Apostolis, qui eam vniversè præceperunt *Can. 25.* Extat etiam apertissimum testimonium Clementis *Epist. 2. colum. 2.* cuius verba dedimus suprà. Verùm licet ea Continentiæ lex, communis fuerit Græcis pariter, ac Latinis, & de iure vtrique Castitatem tenerentur servare; de facto tamen ea Castimoniæ Lex non sic in Græca, ac in Latina Ecclesia observata est; consuetudo enim prædictæ Legi contraria, in Græcia vim magnam, & robur semper obtinuit, tàm ante Nicænam Synodum, quàm post ipsam. In Græca igitur Ecclesia id more maiorum, & consuetudine comparatum est, vt tàm vxoratis, quàm non vxoratis, qui Sacris Mysterijs initiari volebant, ante Ordinationem daretur optio, vt à die Sacræ Ordinationis Cælibem, & Continentem vitam eligerent; quæ quidem optio numquam Sacris Latinæ Ecclesiæ Ministris data fuit; cum isti à die suæ Ordinationis, semper Castitatis præcepto obstricti sint: prædicta autem Continentiæ electio in Sacris Ecclesiæ Græcæ Ministris satis patescit, ex Historia Paphnutij in Nicæna Synodo, vt probavimus, & infrà videbimus, & habetur etiam *lib. 3. in Act. Concilij Nicæni*, apud ALPHONSVM PISANVM, cuius verba infrà adducemus. Constat etiā ex his, quæ scribit NICEPHORVS CALLISTVS *lib. 12. cap. 34.* dicens: *Cum in Oriente omnes, atque etiam Episcopi, si vellent, pro arbitrio suo, non aliqua Legis necessitate coacti, vxorum congressum declinarent, multi etiam ipso Episcopali munere fungentes in Episcopalibus Sedibus liberos multos ex coniugibus, quas sibi ex legitimo Matrimonio antea coniunxissent, susciperent.*

1509 Insuper non coniugatis etiam dabatur optio in ipso Ordinationis ingressu, vt patet ex CONCILIO ANCYRANO *in Græcia sub Sylvestro I.* vel paulò antea celebrato *Can. 10.* vbi sic cavetur: *Diaconi, qui cum ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, & dixerunt, velle se coniugio copulari (vel vt alij vertunt: velle se vxores ducere) quia sic manere non possunt; hi, si postmodum vxores duxerint, in Ministerio maneant, propterea quod Episcopus licentiam dederat, &c.* Extat apud GRATIANVM *cap. Diaconi quicumque. 28. Dist.*

1510 Nec obstat, si dicas huic Canoni, vtpotè Concilij Provincialis, non satis adesse Authoritatis ad Legem in Ecclesia Græca condendam; non, inquam, obstat. Primò, quia hic non loquimur de Lege, sed de consuetudine, quæ contra cælibatus Legem in illa Ecclesia invaluit; quæ quidem consuetudo testimonio Concilij, quātumvis Provincialis, satis superque convincitur. Secundò, quia Concilia, quantumvis Provincialia sint, si tamen ab Ecclesia, vel Pontificibus, vel alijs Generalibus Concilijs approbentur, vniversalis, & Ecclesiasticæ Legis vim, & efficaciam obtinent: tale autem esse prædictum Ancyranum Concilium satis apertè constat, cum à subsequentibus Græciæ Concilijs approbatū fuerit, ac receptū, vt patet *ex cap. Quoniā sanctæ, & Cā. Prima annotatio. 16. Dist.* & probatur, ex LEONE IV. *cap. De Libellis 20. Dist.* vbi dicitur: *Quibus autē in omnibus Ecclesiasticis vtimur iudicijs, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsarienśiū, &c.* Approbatum insuper fuit à I. NICÆNA SYNODO Generali, vt constat ex OECVMENICO FLORENTINO CONCILIO *sess. 7.* vbi ANDREAS, Coloniensis Episcopus, qui Romanæ Ecclesiæ vices gerebat, hæc asseruit: *Quippè, qui non fuerat nescius Conventus multos, antè primam Nicænam Synodum, congregatos fuisse, initiò, Antiochiæ contra Paulum Samosatenum, deinde Ancyræ, adversus eos, qui revertentes ad Fidem, à qua tormentorum metu defecerant, recipere recusarent: postea verò Neocæsareæ: quos tamen Conventus omnes, Synodus ipsa Nicæna comprobavit, nonnullis eiusdem Neocæsarēsis Conventus, de septem Diaconibus, Actis exceptis, quæ cum non essent probanda, refellit.*

1511 Ex quibus patet in Ecclesia Græca, tàm vxoratis, quàm non vxoratis, qui ad Sacros Ordines promovendi erant, tem-

pore suę Ordinationis datam fuisse optionem, & libertatem, vt Continentiam Sacro Ordini annexam eligerent, & observarent. Si Sacris Ordinibus initiandi, tàm vxorati, quàm non vxorati semel Continentiæ, & Cœlibatus statum in ipsa Ordinatione eligebant, nec poterant non vxorati Matrimonium post Sacram Ordinationem inire, nec vxorati, antea inito vti, vt patet ex *Can.* 10. Ancyrani Concilij *in 2. eius Par.* & ex Neocęsariensi *Can.* 1. vbi Presbyter vxorem ducens, à Sacro Ordine deponitur. Id ipsum habetur in Constantinopolitano Concilio sub Anastasio, vt refert Palladius in vita Chrysostomi, in quo Asiani Episcopi, Constantinopoli convenientes, Eusebium Valentinianum Episcopum accusarunt de varijs criminibus, & Sede expulerunt: inter ea tamen sextum crimen erat, quod cum vxori propriæ abrenunciasset, rursus illi coniunctus fuerit, filiosque ex ea procreaverit.

1512 At si Græci in ipsa Ordinum susceptione, vel sua fragilitate timidi, vel vt incontinentiæ pericula caverent, se non posse Continentiam servare protestabantur, poterant nihilominus à Pontifice per omnes Ordinum gradus ad apicem vsque Sacerdotij evehi; & ijs quidem, qui ante Sacram Ordinationem coniugium nō inierant, integrum erat adhuc postquam Sacris Mysterijs inaugurati erant, iugalia subire vincula, sicut & his, qui ante Sacros Ordines Matrimonia contraxerant, illo post Ordinationem vti. Et quidem de non vxoratis antequam ad Sacros Ordines promoverentur, satis patescit ex Ancyrano Concilio *Can.* 10. modo relato, illis verbis: *Qui si sic manere non possunt, ij si postmodum vxores duxerint, in Ministerio maneant.* At hæc facultas postea in Trullana Synodo *Can.* 6. ablata fuit; quod tamen sufficienter probat, illam consuetudinem, qua Sacris Ordinibus initiati, qui in ipsa Ordinatione, se non posse Continentiam servare, asseverant poterant post Ordinationem coniugium inire, ad illud vsque tempus viguisse.

1513 Quod secundam verò, Clericis nempè vxoratis, qui ante Ordinationem, vel in ipso Ordinationis ingressu Continentiam professi non fuerant, immò potius, se non posse continenter vivere expresse attestati sunt, integrum fuisse, adhuc post Ordinationem, Matrimonio antea inito vti, communis est Doctorum Sententia, antiquorum præcipuè Theologorum, vt RICHARDI *in 4. Sent. dist. 37. art. 1. quæst. 2. ad 2.* SCOTI *quæst. vnic.* PETRI SOTI *de Instit. Sacerdot. lect. 5. & 6.* GABRIELIS VAZQVEZ *vbi supra, cap. 4.* Tandem QVINTANADVEÑAS *lib. 1. Rer. Eccles. cap. 6. num. 9.* asserit hunc esse communem Doctorum sensum.

1514 Præsuppositis igitur his certissimis principijs, quæ ad enodandam huius quæstionis difficultatem, haud parum conducunt, pro Conclusione statuimus: Veram esse historiam Paphnutij, qui Nicænę Synodo suasit, ne Græcis, qui bona fide coniugium inierant, & sese per Sacros Ordines Deo consecraverant, Matrimonij antea licitè contracti vsus, districta Lege prohiberetur. Nostram Conclusionem probant omnes Authores pro secunda Sententia laudati, præcipuè Historia Tripartita, quæ eam, vt veram commemorat; eam etiam vt talem transcripsit GRATIANVS *in Decreto.* & supponit GLOSSA *in dicto cap. Nicæna*, dicens: *Nicæna Synodus volebat Legem imponere, & necessitatem Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, vt servarent Castitatem cum vxoribus, cum quibus in Minoribus Ordinibus Matrimonium contraxerunt. Sed quia hæc Lex erat occasio fornicandi, surrexit Paphnutius Confessor, inexpertus nuptiarum, & Synodo contradixit, ne talem poneret Legem, cum Castitas sit cognoscere vxorem propriam. Synodus autem Sententiam eius laudavit, & approbavit.*

1515 Nihilominus in hanc Sententiam acriter invehuntur aliqui Authores, qui prædictam narrationem, non veram historiam, sed meras nugas existimant; præcipuè P. TVRRIANVS *lib. de Sexta, & Septima Synodo*, qui estò Ecclesiastica eruditione præditus aliàs, Nicæni tamen Concilij Decretum, & Paphnutij Monachi, & Episcopi Consilium, & tanto Concilio, & tanto Confessore censuit indignum, ideoque non ad interpretandum Concilium, sed ad infringendam Ecclesiasticorum Scriptorum, qui id litteris prodiderunt, Authoritatem disputationis filum convertit, illosque in tota hac Paphnutij historia impudenter, & impiè mentitos asseverat. Contra Sozomenum invehitur cum vocans Theodori Mopsuestiæ Episcopi, & hæretici laudatorem, eaque de causa illius historiam omni Fide, Authoritate, & probabilitate carere, affirmat, nec

nec ab Apostolica Sede receptam, vt testatur D. GREGORIVS *lib. 6. Epist. Indict. 15. Epist. 195. ad Eulog. Episcop. Alexandr.* per hęc verba: *In historia autem Sozomeni, de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur, sed ipsam quoque historiam Sedes Apostolica recipere recusat: quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, atque vsque ad diem obitus sui magnum Doctorem Ecclesię fuisse perhibet. Restat ergo, vt siquis illam historiam recipit, Synodo, quæ piæ memoriæ Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicat; qui verò contradicere non valet, illam historiam necesse est vt repellat.* Huic oppositioni addere posset Turrianus minorem fidem, & authoritatem in historia Nicæni Concilij Sozomeno tribui posse, eo quod illum circa tempus eiusdem Concilij, & confirmationem errasse legamus; refert enim illud habitum fuisse *sub Iulio*, cum tamen absolutum fuerit tempore Silvestri Prædecessoris, non solum Iulij, sed & Marci, cui Iulius successit, vt demonstrat Epistola Præsidum Osij, & Viti, ac Vincentij Legatorum ad eumdem Sylvestrum.

1516 De Socrate autem, vt cætera omittã (inquit BELLARMINVS *lib. 1. de Cleric. cap. 20.*) cõstat ipsum *lib. 5. suæ Historiæ, cap. 21.* in tribus fuisse mentitum: *Primò enim dicit, licuisse suo tempore vnicuique celebrare Pascha, quando vellet, nec de hac re Ecclesiã aliquid certi statuisse. Constat autẽ Nicęnam Synodum statuisse, vt Pascha semper celebraretur Dominica prima, post Lunam quartamdecimam primi mensis; cuius Canonis meminerunt EPIPHANIVS *Hæresi. 70. Audianorum*, & AMBROSIVS *lib. 10. Epist. 83.* EVSEBIVS *in Vita Constantini*, ATHANASIVS *in lib. de Synodis Arimini, & Seleuciæ.*

1517 Secundò dicit in Romana Ecclesia, non ieiunari ante Pascha, nisi tres hebdomadas, & tamen vocari Quadragesimam. At S. Leo, qui eodem tempore vixit, quo Socrates, *Serm. 4. de Quadragesima* dicit, Romæ ieiunari quadraginta dies. Et idem dicit GREGORIVS *homil. 16. in Evangel.* & certissimum est.

1518 Tertiò dicit, Romæ non ieiunari in Sabbatis; cum tamen contrarium sit certum ex AVGVSTINO *Epist. 86. & 118. ad Ianuar.* Si ergo in historia sui temporis Socrates tam apertè mentitur, vel certè refert, quæ non scit, quæ fides adhiberi illi potest in historia Concilij Nicæni, quod annis plusquam centum ante eius ætatem celebratum est?

1519 Præterea, historia ista de Paphnutio manifestè pugnat cum verbis Epiphanij contra *hæresim 59.* vbi ait, esse contra Canones Ecclesiasticos, quod Sacerdos, vel Diaconus liberos gignat; & cum verbis HIERONYMI *libro contra Vigilantium*, vbi dicit, in Oriente, & Ægypto non esse licitum Sacerdotibus, & Diaconis vxoribus vti; quod sanè falsum est, si Nicæna Synodus, in Oriente pauló ante celebrata, vxorum vsum illis concessit. Vel ergo Epiphanius, & Hieronymus, vel Socrates & Sozomenus mentiuntur. At certè magis credendum est Epiphanio, & Hieronymo viris Sanctis, qui vicini fuerunt temporibus Concilij Nicæni, quàm Socrati, & Sozomeno hæreticis.* Hactenus Bellarminus.

1520 Hæc & similia contra Socratem adducit Turrianus *vbi supra*; quibus superaddere posset, Socratem multa, quę in suis libris enarrat, præcipuè ea, quę duobus complexus est ex scriptis Ruffini Presbyteri accepisse, vt ipse testatur *lib. 1. cap. 8.* Ruffinum autem, & eius opera Gelasius Papa D. Hieronymum sequutus in Romano Concilio damnavit, & inter Apocrypha recensuit, vt habetur apud GRATIANVM *in cap. Sancta Romana, 15. dist.* Sicque videtur historia hæc de Paphnutio consilio: & Nicænę Synodi Decreto, his duobus suffulta Authoribus minus ponderis habitura.

1521 Tandem (inquit Belarminus *vbi supra*)* Quomodo cohæret ista narratio de Paphnutio cum *Canone 3.* Concilij Nicęni, vbi prohibetur Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ne vllam mulierem habeant domi, præter matrem, sororem, amitam, &c. Et hoc argumento convictus Lutherus *in lib. de Concilijs, 1. part.* dicit: Patres Concilij noluisse sequi Sententiam Paphnutij: quamvis etiam contrarium alibi Lutherus scripserit.* Vndè D. FERDINANDVS DE MENDOZA *de Concilio Illiberit. lib. 2. cap. 66.* inquit: *Hæc Turrianus, & qui illius partes susceperunt ingerunt nobis, vt credamus totam de Paphnutij Confessoris consilio, & Nicæni Concilij Decreto, confictam esse historiam, vel fabellam.*

1522 Sed cum attenta animi cogitatione considero, quæ Sanctus Confessor, & Episcopus Paphnutius suasit, & Nicęna Synodus decrevit, non possum non mirari, quæ causa fuerit, quævè tanta in Canone difficultas, vt Bellarminus, & Turrianus ea difficultate commoti in tam antiquos, & graves Ecclesiæ Scriptores, tam acres sermonis, & disputationis aculeos contorserint. Si vt Calvinum confutarent, qui huius Concilij Nicęni Authoritate, & Paphnutij historia contendit *lib. de Instit. Christ. cap. 3. §. 70.* licere iam ordinatis nuptias contrahere, optimè fecissent. Sed attentiùs considerare potuissent, quod Paphnutius Confessor non suasit Synodo, vt Sacerdotes Cœlibes matrimonium inirent: vt impiè ex eadem historia colligit Calvinus; (hoc enim nec in Occidentali, nec in Orientali Ecclesia est vnquam receptum) sed id tantum, vt iuxta Romanæ, & Hispanicæ Ecclesiæ consuetudinem, Græci omnes, & Orientales mariti ad Sacerdotium promoti, ab vxoribus anteà ductis, tali præcepto non abstraherentur. Et vt clarè appareat, Socratem id ipsum, quod asserimus, manifestè fateri, illius verba audiamus *lib. 1. cap. 18.* *Verum de vna re (inquit) à Paphnutio gesta hactenus: alteram etiam narrabo, eius consilio confectam, quæ & Ecclesiæ vtilitati, & omnibus qui Sacris sunt initiati ornamento esse possit. Visum erat Episcopis legem novam introducere, vt qui essent Sacris initiati (sicut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi) cum vxoribus, quas cum erant laici in Matrimonium duxissent, minimè dormirent. Et quoniam illis erat propositum de hac re consilium inire, in medio eorum consessu surrexit Paphnutius, ac vehementèr vociferatus est, non grave iugum cervicibus illorum imponendum esse, qui erant Sacris initiati: honorabile esse coniugium inter omnes, & thorum immaculatum: videndum ne nimis exquisita præscriptione, Ecclesiam gravi incommodo afficerent: omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam, tamque ab omni animi perturbatione vacuam: neque à singulorum vxoribus fortasse eam castimoniæ normam posse servari. Viri autem cum vxore legitima concubitum, Castimoniam appellavit, illudque satis esse, vt qui in Clerum ante adscripti erant, quàm duxissent vxorem, hi secundum veterem Ecclesiæ Traditionem, deinceps à nuptijs se abstinerent, non tamen quemquam ab illa, quam iampridem cum laicus erat, vxorem duxisset, seiungi debere. Istam in Episcoporum Conventu orationem habuit Paphnutius, cum ipse non modo nuptias non expertus esset, sed etiam (verè dixerim) mulierem non aliquando attigisset; nam à puero in Monasterio se ipsum severo vitæ, disciplinęque generi totum dediderat: qui quidem, propter singularem Castimoniam, præ cæteris planè in magna famę celebritate vixit. Itaque cum totus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Conventus verbis Paphnutij assensisset, controversia de hoc exorta penitùs sedata est, potestasque permissa pro arbitratu ab vxorum consuetudine abstinendi.* Hactenus SOCRATES, cui in omnibus penè etiam verbis consentit SOZOMENVS *lib. 1. cap. 22.*

1523 At nec solus Socrates, nec solus Sozomenus historiam hanc, veluti veram, litteris tradiderunt, sed illam etiam CASSIODORVS *in Historia Tripartita, lib. 2. cap. 14.* & NICEPHORVS *lib. 8. cap. 19.* litterarijs monumentis consecrarunt. Nec obstat dicere, vtrumque, Cassiodorum nempè, & Nicephorum eam à Socrate, & Sozomeno desumpsisse: id enim non diffiteor; at in illos nec Novatianorum hæresis, nec Theodori Mosuepteni amicitia, nec Romanæ Ecclesiæ odium, aut concepta à Gregorio Magno suspicio, vt in alios, retorquebitur: quinimmò cum Gregorius Magnus, Sozomeni fidem, authoritatemque elevasset, quod à Theodori partibus stetisset, retulisset profectò quæ errore tanto (vt voluit Turrianus) de Paphnutio Confessore, & Concilio Nicęno impudentèr ille confixerat; cum tanti videri possit ad eorum causæ confirmationem. Nec obstat Socratem, huius historiæ scriptorem, Novationum hæreticum extitisse; vt oppositi Authores putant, tùm quia non constat, Socratem eo tempore, quo historiam composuit, Novatianum fuisse: tùm etiam, quia non inde sequitur, in historia Paphnutij mentitum fuisse, cum longè alius sit Novatianorum error; tùm quia si non esset adhibenda fides historiæ Socratis, eo quod Novatianus fuerit, neque etiam esset credendum Eusebio, quia Ariana hæresi infectus in defensionem Origenis librum vnum scripsit; & tamen eius Historiam probat, & recipit Gelasius Papa *in Cap. Sancta Romana.* Nec officit, quod Socrates multa ex suis libris præcipuè, quæ duobus com-

complexus est, acceperit à scriptis Ruffini Presbyteri, vt ipse affirmat *lib. 1. cap. 8.* Ruffinum autem, & eius opera Gelasium Papam, vt Apocrypha *in Cap. Sancta Romana, 15. Dist.* reiecisse. Nam Ruffini Historia non est reiecta in dicto Canone, sed scripta eius de libero Arbitrio, quod de eo non rectè senserit, vt benè notavit Basilius Poncius *de Impediment. Ord. cap.* 23. Quare Socratis Historiam non admittemus in his, in quibus arguatur falsitatis. At ipsum in Historia, quam de Paphnutio refert, deceptum fuisse, non est vndè convincatur, vel levibus saltem eruatur indicijs.

1524 Nec valet consequentia: Socrates in alijs nonnullis contra Historiæ leges peccavit: ergo & in Paphnutij Historia mentitus est; si enim hæc consequentia teneret, nihil certi in Historia haberemus, cũ ferè nullus sit Historicus, cui error aliquis exprobrari non valeat. Sic estò Philosophus in aliquibus à veritatis tramite, tamquam Æthnicus, aberraverit; indè tamen non infertur, ipsum in tota Philosophia errasse; immò illum in his, in quibus errore captus non est, multi Sancti Patres vt Magistrum sequuntur. Sic etiam estò D. Augustinus in aliquibus rectum iter non tenuerit (vt ex eiusdem libris retractationum liquet) non inde deducitur, ipsum in alijs, quæ doctissimè scripsit, in errorem incidisse. Ergo estò admittamus Socratem in his omnibus, quę argumentum refert, & oppositi Authores congerunt, errasse; non indè convincitur, ipsum in Historia, quam de Paphnutio commemorat, à veritatis via recessisse; nec vt fabulosum reijciendum id, quod tam graves Authores Catholici, quales suprà retulimus, verum esse existimarunt.

1525 At vt validiùs confirmetur, veram esse Historiam, quam Socrates de Paphnutio narrat, silentio præterire non possumus vetustissimum Vaticanæ Bibliothecæ Codicem, qui eisdem ferè verbis prędictam Historiam vti veram commemorat, prout refert ALPHONSVS PISANVS *lib. 3. ex Actis Concilij Nicæni, ad finem*; ibi enim hæc leguntur: *Has Leges scripsit ipse Sanctus, eorum Confessor, in præsentia Deo dilectissimi & laudatissimi Regis Constantini, & Ecclesiastica gubernatione. Statuerant autem & aliam Legem Episcopis proponere, quam Divinus prohibuit Paphnutius; de qua necessarium existimavi narrare admiratione maxima dignam Historiam. Placebat quibusdam Episcopis in Concilio, novam Legem in Ecclesiam introducere, & vt de alijs ad Ecclesiam pertinentibus, ita & eam Legem difinire, de eo, quod non oporteat Clericos Sacri Ordinis suam quamlibet vxorem eijcere. Statuerunt igitur de eo quod non oportet Clericos Sacri Ordinis, sive Episcopos, sive Hypodiaconos, sive aliquem ex Sacro Cathalogo dormire cum vxoribus, quas adhuc laici duxerant. His ita dispositis, surgens in medio turbæ Episcoporum, Divinus Paphnutius, magna voce clamavit, dicens: Ne gravetis iugum Clericorum Sacri Ordinis: honorabile enim (inquit) connubium in omnibus, & thorus immaculatus; ne perfectionis excessu magis lædatis; neque enim omnes ferre posse, ait, vacuam affectibus exercitationem, nemo (vt opinor) in Castitate conservatur si maritorum quilibet vxore privetur; pulchram dico esse Castitatem vniuscuiusque cum vxore sua conventum; immò separari hac Lege dico eam, quam Deus coniunxit, & quam semel dum Lector esset, aut Cantor, aut Laicus vxorem duxit. Et hoc quidem dixit Paphnutius, cum esset omnis coniugij expers, propterea quod in Monasterijs à pueritia fuerat educatus; ideòque huius viri Consilio persuasa tota Episcoporum concio, de hac quæstione tacuit, iudicio volentium relinquens Continentiam ex consensu à proprijs vxoribus.* Et pro maiori veritatis munimine notandum est, prædictum Codicem Vaticanum, ex quo Alphonsus Pisanus Nicænum Concilium transtulit, scriptum fuisse sub Imperatore Basilio, & ab eius Authore ex membranis Dalmatij Cyziceni Episcopi, cuius meminit SOCRATES *lib. 2. Histor. cap.* 28. collectum: vndè videtur de prędictæ Paphnutianę historię veritate, non posse amplius dubitari.

1526 Nec his obstat, quod Eusebius, sicut & Ruffinus, & Theodoretus Eusebium sequuti eam historiã silentio pręterierint, vt Bellarminus, & alij opponunt: ideò enim illam siluerunt, quod Nicæni Concilij Historiam, vel ætate, vel negotijs alijs impeditus Eusebius ommiserit; vel quia (secundũ GELASIVM *in Concilio Romano*, prout refertur *in Cap. Sancta 15. Dist.* & ZONARAM) eius Fides, cũ ea, quæ in Nicęna Synodo prodita est, non satis conveniret, cum Arianus esset; satiusque duxit, & merito Historiam Concilij Nicæni prę-

te-

terire, quam in eam quid grave, & reprehensione dignum scribere.

1527 At licet EVSEBIVS hanc Historiam silentio prætererit, id tamen nullum illius veritati præiuditium parit: tum quia sæpe videmus ea, quæ ab aliquibus Authoribus silentio involvuntur, ab alijs in lucem, & memoriam vindicari; vt in historijs, tàm profanis, quàm Sacris, & præcipuè Evangelistarum passim occurrit; quod quia certissimum, ac cuique obvium est, & nos in hac eadem controversia latè ostendimus, nunc duximus omittendum: tum quia quamvis Eusebius, Ruffinus, & Theodoretus de hac historia nec verbum quidem protulerint, illam tamen referunt alij Scriptores æquali gravitate insignes, vti Sozomenus, Cassiodorus, & Nicephorus. Habetur insuper, vt diximus in Concilij Nicæni Actis, quæ Alphonsus Pisanus è Græco transtulit. Ac tandem CLAVDIVS SPENCEVS *lib.* 1. *de Continent. cap.* 4. non longe ante medium, se hanc historiam in Græco Nicæni Concilij Codice, nondum typis excusso, legisse, manifestè testatur.

1528 Nec insuper obstat quod Cardinalis BELLARMINVS ait *loco supra citato*: *Quomodo cohæret ista narratio de Paphnutio cum *Canone* 3. Concilij Nicæni, vbi prohibetur Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ne vllam domi mulierem habeant præter matrem, sororem, amitam? Et hoc argumento convictus Lutherus *in libro de Concilijs, par.* 1. dicit: Patres Concilij noluisse sequi Sententiam Paphnutij; quamvis etiam contrarium alibi Lutherus scripserit.*

1529 Non, inquam, obstat: respondemus enim primò, indigna credi esse, quę Martinus Lutherus blatterat, cum ea nec probet, nec alicuis Scriptoris fidedigni Authoritate confirmet. Deinde quia si Bellarminus, & cæteri, quos recensuimus, Authores censent Socrati, & Sozomeno nullam esse adhibendam fidem, eo quod suspectæ fidei sint, & Sozomeni Historia à S. Gregorio Papa reprobata; cum omnia Martini Lutheri opera sint ab Ecclesia damnata, atque proscripta, nullam promerentur fidem ea, quæ Lutherus de hac historia enarrat. Quod si Lutheri opera esse ab Ecclesia reprobata, ipsumque nulla Authoritate insigniri, non obstat, quo minus ipsi in his, quæ de Paphnutij historia refert exhibeatur fides; cur æqualem admi-nus fidem non promerebuntur Socrates, & Sozomenus in his, quæ de hac ipsa historia scribunt, præcipuè cum eadem ipsa gravissimi Catholici Authores confirment? Tandem quæ fides Luthero in hac historia haberi potest, quandò ipse Bellarminus fatetur, illum sibi ipsi contrarium in tali narratione esse? *Quamvis (inquit) etiam contrarium Lutherus alibi scripserit.*

1530 His tamen omissis respondemus secundò, prædicta Nicęni Concilij verba nostrę Conclusioni minimę adversari: siquidem Concilij inhibitio non est de vxoribus, sive mulieribus ante Ordinationem ductis, sed tantum de fœminis subintroductis, vt videri potest in prædicti *Canonis* 3. textu, iuxta Dionysij Exigui versionem, vbi hæc leguntur: *Interdixit per omnia Magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè, aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quę suspicionem effugiunt.* Quod autem per mulieres subintroductas non intelligantur à Concilio consanguineę, nec Matrimonij vinculo coniunctæ, sed extraneæ, sive ingenuæ, sive ancillæ, aut libertę, constat ex Africanæ Ecclesiæ Concilijs, scilicet CARTHAGINENSI I. *Can.* 3. altero CARTHAGINENSI *sub Aurelio, Can.* 17. & CARTHAGINENSI IV. *Can.* 46. Constat etiam ex Gallicanæ Ecclesiæ Synodis, scilicet ARVERNENSI *Can.* 16. AGATHENSI *Can.* 10. TVRONENSI I. *Can.* 3. & TVRONENSI II. *Can.* 10. ac tandem ex Hispanæ Ecclesiæ Concilijs, ILLERDENSI *Can.* 5. HISPALENSI I. *Can.* 3. & TOLETANO IV. *Can.* 41.

1531 Tota enim retro antiquitas Ecclesiastico subintroductarum nomine numquam intellexit vxores, aut consanguineas; sed eas, quę nullo sanguinis, aut Matrimonij iure devinctæ in Clericorum obsequio, & Ministerio essent, ipsisque sororio, vel quovis alio nomine pietatis, & Charitatis convivercnt. Vndè, & Agapetæ nuncupatę sunt, vt constat ex *Epistola synodica* 2. CONCILII ANTIOCHENI *contra Paulum Samosatenum*, in qua Patres, perditos istius hæresiarchæ mores describunt, & reprehendunt, & ex S. BASILIO *in Epist. ad Paregor. Presbyt.* qua ipsi iubet, vt mulierem subintroductam,

quam

habebat in obsequio, domo eijciat; sed præcipuè ex S. HIERONYMO *Epist. 22. ad Eustoch.* vbi has Agapetas, quas Niçeni Patres *subintroductas mulieres* vocarunt, id est in locum matrum, sororum, aut filiarum ascitas, & quasi adoptatas, apertè ab vxoribus distinguit: *Vndè (inquit) in Ecclesias Agapetarum pestis introivit? Vndè sine nuptijs aliud nomen vxorum? Imò vndè novum concubinarum genus? Plus inferam: vndè meretrices vniviræ? Eadem domo, vno cubiculo sępe vno tenentur & lectulo;& suspiciosos nos vocant, si aliquid existimemus? Frater sororem virginem deserit, cœlibem spernit virgo germanum, fratrem querit extraneum:& cum in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spirituale consortium, vt domi habeant carnale commercium.* Ex quibus patet, subintroductarum mulierum nomine, numquam à Sanctis Patribus vxores, aut consanguineas fuisse intellectas; sicque vxores prædicta Nicæni Canonis prohibitione minimè comprehendi.

1532 Hæc præclarè confirmant tum Canon 5. Apostolorum, in quo hęc habentur: *Episcopus, aut Presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abijciat. Si verò reiecerit, excommunicetur: Sed si perseveraverit, deijciatur.* Tum CONCILIVM ARELATENSE II. *Can.3.* vbi hæc leguntur: *Siquis de Clericis à gradu Diaconatus, in solatio suo mulierem, præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum vxorē habere præsumpserit, à Communione alienus habeatur.*

1533 Nec minus expresè nobis patrocinatur S. GREGORIVS MAGNVS *lib.1. Regest. Epist. 50. Indict.9. ad Symmach. Defensor. data*: *Volumus (inquit) vt Sacerdotes, qui in Corsica commorantur, prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, exceptis dumtaxat matre, sorore, vel vxore, quæ castè regenda est.* Hinc CONCILIVM TVRONENSE II. manifestè supponit Episcopum coniugi ante Ordinationem ductę cohabitare posse, quasi sorori; sic enim statuit *Can. 12.* *Episcopus coniugem vt sororem habeat, & ita sancta conversatione gubernet domum omnem, tàm Ecclesiasticam, quàm propriam, vt nulla de eo suspicio consurgat.* Sed nec in horum confirmationem omitti potest Imperatorum HONORII, & THEODOSII *ad Palladium Rescriptum, in l. Eum qui, C. Theodos. & Iustinian. de Episcop. & Cleric.* sic decernentium: *Eum, qui probabilem sęculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. Quicumque igitur cuiuscumque gradus Sacerdotio fulciuntur, vel Clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant, hac tantum eis facultate concessa, vt matres, filias, atque germanas intra domorum suarum septa contineant: in his enim nihil sævi criminis existimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui Castitatis hortatur affectio, quæ ante Sacerdotium maritorum, legitimum meruere coniugium: neque enim Clericis adiunctę sunt, quæ dignos Sacerdotio viros sua conversatione fecerunt.*

1534 Cum ergo, iuxta tot Conciliorum, & Patrum intelligentiam, manifestum sit, nec Ecclesiasticos vxoratos, nec istorum vxores ante Ordinationem ductas illa Nicæni Concilij prohibitione mulierum subintroductarum cohabitationem prohibētis cōprehendi, immò huiusmodi cohabitationē illis tūc tēporis permissam fuisse S. Gregorius Magnus expressè affirmet; optimè cohæret prædictus Nicęni Concilij *Can.3.* cum his, quæ Paphnutius Nicænæ Synodo suasit, si vtrumque attentè consideretur. Nihilominus ad maiorem huius quęstionis illustrationem, & vt clariùs appareat veram esse Paphnutij historiam, ad secundæ difficultatis propositæ enodationem progrediamur.

§. XIV.

AN PAPHNVTIVS ALIQVID reprehensione dignum Nicænæ Sinodo proposuerit.

1535 VT æqua lance trutinetur id quod Paphnutius Nicænę Synodi Patribus proposuit, illius verba hic transcribenda censuimus. *Surgens itaque in medio Paphnutius Confessor (inquiunt Socrates, & Sozomenus, vbi suprà) honorabiles confessus nupcias, & Castitatem esse dicens cum propria coniuge Concubitum; suasitque Concilio ne talem poneret legem, gravemque asserens causam, quę in ipsis, aut eorum coniugibus, occasio fornicationis existeret.* Ex his ergo verbis duæ colliguntur rationes, quibus

bus permotus fuit Paphnutius, vt Nicęno Concilio suaderet, ne novam ferret legem, qua vsus Matrimonij ante Ordinationem contracti inhiberetur; altera, quæ Matrimonium ipsum; altera, quæ coniuges respiceret. Pro prima dixit: honorabiles esse nuptias, & Castitatem, cum propria coniuge concubitum; quod ideò asseruit, quia nova tunc grassabatur Hęresis Eustachij Monachi, Matrimonium improbantis; vt refert SOCRATES *lib.2.cap.33.* *Surrexerat enim (inquit) paulò ante Eustachius Monachus, postea Sebastę factus Episcopus, qui nuptias fieri prohibuit, à cibis abstinendum docuit: vndè nonnullos, qui nuptias contraxerant, à connubio segregavit, tantoque, tam crudeli, tam impio, tam nefario in nuptias irruit odio, vt in ædibus coniugatorum, Pręcationes fieri vetuerit; benedictionemque Presbyteri, habentis vxorem, quam laicus duxisset, tamquam scelus, declinandam præceperit. Quem quidem, cum alia plura his similia fecisset, docuissetque, Gangris in Paphlagonia coactum Concilium, gradu Episcopali dimovit, eiusque dogmata anathemate damnavit.*

1536 Quod pręter Socratem ipsa SYNODVS GANGRENSIS *in præfatione, seu Epistola ad Episcopos Armæniæ*, docet, dicens: *Nam ex eo quod illi (Eustachius videlicet, & eius sectatores) nuptias damnarent, & docerent, quod nullus eorum, qui sunt in coniugio, habet in Deo spem, seductæ mulieres multæ, suis subditæ maritis, ab ipsis maritis discesserunt, & à proprijs vxoribus viri; sed hoc interim medio dum continere non valent, adulterium commiserunt, eaque de causa diffamati sunt, & probris insimulati. (Et infrà.) Et qui nolunt in ædibus coniugatorum (odio scilicet coniugij) facere pręces, factasque despiciunt, ac sæpenumero de oblatis in illis coniugatorum domibus non participant; & qui Presbyteros coniugatos contemnunt, eorumdemque Lithurgias non attrectant.*

1537 Ex quibus apertè patet intellectus *Can.4.* eiusdem Gangrensis Concilij ita pręcipientis: *Si quis existimat de coniugato, quod eo sacrificante non oporteat ipsius oblationi, vel Sacrificio comunicare; anathema esto.* Non enim id definivit Concilium (vt hæretici nostri temporis impiè contendunt, Canonis sententiam, vel ignorantià non assequentes, vel quod probabilius est, malitià labefactantes) quod volverit omnes Presbyteros coniugali vinculo ligari; sed vt proscriberet Eustachij errorem, qui vel vxorum, vel Sacramenti Matrimonij odio, Presbyteros in Græcia maritos, vt impios, execrabilesque damnabat. Cum ergo hoc probè cognitum, ac exploratum haberet Paphnutius, Superioris Thebaidæ Episcopus, & Confessor, Divino potius Spiritu afflatus, quam humano consilio innixus, ne vllò vmquam tempore dici posset, Ecclesiam semel damnatis erroribus aliquandò patrocinari, nuptias castas esse dixit, & Castitatem cum propria coniuge concubitum, Synodoque suasit, ne legem ferret, qua vsus Matrimonij ante Ordinationem in laicali statu licitè contracti, interdiceretur; nè si forsan in tanto Concilio, quantum erat Nicænum, Clericorum nuptiæ in laicali habitu, ac statu contractę reijcerentur, rudes quidam, & imperiti, nuptias tamquam quid turpe damnari, falsò intelligerent, altioresque radices mitteret explosa iam, ac damnata Eustachij Monachi Hæresis, ad quam confutandam necesse fuit illud Gangrense Concilium convocari.

1538 Secunda causa S. Paphnutium inducens, vt Nicænæ Synodo suaderet, ne Legem illam sanciret, vxoratos respiciebat: non enim omnes ferre possent tam austeram disciplinam; neque à singulorum vxoribus fortassè ea castimoniæ norma tutò servari posset. Propositum enim fuerat priùs in Concilio, novam Legem in Ecclesiam introducere, vt qui essent Sacris initiati, cum vxoribus, quas laici adhuc, iure in Matrimonium duxissent, minimè dormirent: hocque generaliter statuere volebant illius Synodi Patres, pręcipuè in Oriente, vbi Concilium agebatur, vbi etiã talis consuetudo longiùs fuerat progressa. Illud autem grave visum est Paphnutio, cum propter Hæresim Eustachij, tùm ob Incontinentiæ vxorum imminentia pericula: ipsæ enim cum nullo voto essent devinctæ, si Castitatem servare cogerentur, quam non noverant, cum se continere non possent, maritorum fide, & charitate fraudatę, in periculo erant in deteriora labendi, à quo etiam periculo effervescentes iuvenum maritorum animi non multum aberant; quos aliquando eligi Sacerdotes, exiguus tunc Catholicorum numerus, Ecclesiæque necessitas, postulabat. Vndè si illa

Con-

Continentiæ Lex sanciretur, nec mulieres Sacris maritorum Ordinibus assentirentur, nec isti vellent ea Lege ad Sacros Ordines promoveri, vndè Ecclesia Sacrorum Ministrorum inopia laboraret.

1539 Istæ verò Paphnutij rationes tantum roboris, ac energiæ habuerunt, vt Sacrum Concilium adduxerint, ne aliquid contra inveteratam consuetudinem, qua Clerici Matrimonio, ante Ordinationem licitè in laicali statu contracto, vtebantur, sua Authoritate decerneret. Præmissis igitur his rationibus, quæ Paphnutium, vt illud consilium S. Synodo proponeret, excitarunt; videamus nunc: an Paphnutius reprehensione dignus fuerit, quod illis commotus, tale quid Concilio suaserit? Nihil enim est Sanctis Ecclesiæ Patribus communius, nihilque proprius, quam Dei offensas modis omnibus declinare, ac hæreses, & quidquid ad illas conducit, penitùs extirpare, vt semper Apostolico Zelo Sũmi Pontifices præstiterunt, tùm per se, tùm per Patres in Sacris Concilijs congregatos, vbi semper vtilitati Ecclesiæ consuluerunt.

1540 Ad pleniorem tamen dicendorum intelligentiam prænotandum est, illud, quod Paphnutius Sanctę Synodo suasit, ipsaque decrevit, novum non fuisse, cum semper in Oriente ea impunitas, & licentia fuerit ab Ecclesia permissa. Qui enim volebant altioris vitæ fastigium conscendere, liberè, spontaneèque Continentiam sibi servandam proponebant, nec post Sacerdotium acceptum, sicut in Occidente, vxorum amplexibus implicabantur. Illi verò, quibus hanc Sanctam Continentiæ traditionem sequi non placebat, vxores antea ductas domi retinebant, & liberis tamquam sæculares operam dabant, vt testantur SOCRATES *lib.* 5. *cap.* 22. & NICEPHORUS *lib.* 12. *cap.* 34. In hoc igitur statu, Legem Continentiæ relinquendam Paphnutius consulvit, & Concilium decrevit, cuius Sententia, ommissio potiùs fuit, quàm Decretum, cum nihil novi decreverit.

1541 His ergo suppositis, pro Cõclusione statuimus: NEC IN PAPHNUTII CONCILIO, NEC IN SANCTÆ NICÆNÆ SYNODI DECRETO, QUIDQUAM ESSE REPREHENSIONE DIGNUM. Primò, quia reprehensibile non est id, quod non est contra Legem, sed potiùs illi consentaneum: (*vbi enim non est Lex, nec est prævaricatio Legis*) Matrimonij autem vsus in Clericis, qui ante Ordinationem licitè coniugium inierant, quando Paphnutius Nicæno Concilio suasit, ne Legem illam conderet, nulli Ecclesiasticæ Legi videbatur opponi: Lex enim Cælibatus, & Continentiæ post Sacrum Ordinem iure divino non obligabat, vt suprà probavimus; & quamvis initio nascentis Ecclesiæ Continentia post Ordinem Ecclesiastica, & Canonica Lege fuerit præscripta, vt suprà etiam asseruimus; nihilominus mos huic Legi contrarius invaluerat in Oriente, vti ex Nicephoro, Socrateque diximus. Vndè nullam promeruit Paphnutius obiurgationem, eo quod Nicænæ Sinodo suaserit, vt consuetudo, quæ tot sæculis in Oriente viguerat, teneretur: observantia enim morum, qui in Ecclesia legitimè sunt introducti, ac præscripti, repræhensione digna non est.

1542 Pro maiori horum elucidatione prænotandum est, Ius Ecclesiasticum, sicut & Civile, constare Iure scripto, & non scripto. *Cap. Catholica*, 12. *D. ft.* Vndè IUDICES cognitores *in Concilio Chalcedonensi* rectè petierunt ab Anastasio, Episcopo Nicæno, qua ratione proba e vellet, Ecclesiam Basilinopoleos subiectam esse Nicænæ, an secundum Canones, an ex consuetudine aliqua? *Act.* 13. Et annis aliquot superioribus FAUSTINUS, Legatus Romanæ Ecclesiæ dixerat *in Præfatione Concilij Africani*: aliqua teneri Canone, aliqua verò consuetudine: Quare PHOTIUS *in Nomocan. Tit.* 1. *cap.* 3. rectè annotavit, Ecclesiasticam consuetu linē non scriptam, perindè ac Legem servari.

1543 Insuper veluti exploratum Iuris principium ab omnibus tenetur, Consuetudinem legitimè præscriptam, veluti Legem servandam esse, *l. cum de lanionis.* §. *Asinam. ff. de fundo instruct. l. si servus plurium.* §. *final. ff. de legatis* 1. *l. si publicanus, in fine l. licitatio.* §. *Eadem, ff. de publicanis. l. non tamen. ff. de donation. l.* 3. *Cod. de Episcop. Audient. l. si quis donaturus. ff. de vsufructu, l. venditor.* §. *si constat, ff. commun. prædior. l. quod si nolit.* §. *Qui assidua. ff. de Edilit. edicto. l. si fundus. ff. de Evictione. l.* 3. §. *vlt. ff. de testibus. l. sine hærede.* §. *Lucius, ff. de adminiss. tut. l. cùm alimenta. ff. de alimentis. l. nummis. ff. de Pollicit. l. semper*, §. *De legat.* 3. *l.* 1. *ff. de Decur. l.* 1. §. 1. *ff. de albo scribendo, l. vt gradatim.* §. *Et si lege, l. honor, l. munerum*, §. *Mixta. ff. de mu-*

muner. & honor. l. 1. C. De Pascuis publicis, l. vsum aquæ, C. De aquæduct. l. si non speciali, C. De Testament. l. in totum, C. De ædificijs privat. l. Ob metallum, C. De metallis, l. 12. l. super, C. De Iure fisci.

1544 Vt autem consuetudo vim, & Authoritatem Legis obtineat, tria concurrere debent, scilicet vsus longævus, Principis consensus, & rationabilis causa, vt communiter docent Doctores *Tit. de Consuetud.* Quod autem consuetudo præfata tribus conditionibus illis fulciatur, apertè innotescit; siquidem ab Apostolorum tempore vsque ad Nicænum Concilium, perpetuus vsus, & consuetudo obtinuit, vt sacri Ecclesiæ Ministri, Matrimonio ante Ordinationem licitè contracto vterentur, vt ex Socrate Nicephoroque probavimus; & quod eadem consuetudo rationabili causa introducta fuerit, convincitur ex rationibus, quibus, vt supra diximus, adductus fuit Paphnutius, vt suaderet Nicæno Concilio, ne consuetudinem prædictam aboleret: nec enim rationabilior causa potest inveniri, pro consuetudine Ecclesiastica, quàm ipsam dirigi ad vitandos errores, avertenda peccata, cavendasque Dei offensas, quæ pro humana fragilitate inevitabiliter committerentur, si his, qui cum laici essent licitè coniugium inierant, nulloque se Castitatis, aut Cœlibatus voto, cum sacris initiarentur, obstrinxerant, nec ad illam servandam, aut votum emittendum devincti fuerant, Matrimonij vsus prohiberetur; sic enim defraudaretur Ecclesia Ministris, dum magis illis indigebat.

1545 Nec defuit huic consuetudini approbatio: omnes enim Orientalis Ecclesiæ Prælati, omnesque Summi Pontifices, qui post D. Petrum Ecclesiam gubernarunt, vsque ad Nicænum Concilium, prudentes, & scientes prædictam in Græcia consuetudinem tolerarunt, quin vmquam Lex aliqua huiusmodi vsus prohibitiva conderetur. Quare iure optimo adstruere possumus, prædictam consuetudinem Nicæni Concilij tempore, omnes præscriptionis conditiones habuisse, & Ecclesiasticæ Legis vim obtinuisse, iuxta ea, quæ suprà probavimus, & eleganter confirmat S. AVGVSTINVS *Tom. 2. Epist. 84. ad Casulan.* ita scribens: *Mos populi Dei, & instituta maiorum, pro Lege sunt tenenda; & sicut prævaricatores Legum divinarum, ita, & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt.* Cui consonat ANGELICVS DOCTOR 1. 2. *quæst. 97. art. 3. in corp.* vbi inter alia, hæc habet: *Et secundum hoc consuetudo, & habet vim Legis, & Legem abolet, & est Legum interpretatrix.*

1546 Nec obstat dicere contra Canones, & instituta Pontificum non potuisse, ab Ecclesiasticis Græcis consuetudinem introduci, cum non modo particulares Clerici, verum nec Prælati inferiores tanta polleant Authoritate, vt possint contra Canones legem ferre. Non, inquam, obstat; huic enim instantiæ plenissimè satisfacit ANGELICVS PRÆCEPTOR *loco citato ad* 3. sic scribens: *Si verò multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem à superiori potestate positam removendi; tamen ipsa consuetudo in tali multitudine prævalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.* Cum ergo omnes Græciæ Patres, omnesque Summi Pontifices prædictam consuetudinem permiserint, & quod palmare est, ipsa vniversalis Nicæna Synodus cui Legem huic consuetudini contrariam constituere in animo erat, re diligenter discussa prædictam Legem non tulerit, sed illum vsum toleraverit; manifestè vtique convincitur, iuxta Angelici Præceptoris Doctrinam, consuetudinem vtendi Matrimonio ante Ordinationem contracto Ecclesiasticæ Legis vim, & efficaciam prædictà tolerantia obtinuisse; sicque nulla ratione reprehensibilis erat Paphnutius, quod Concilio suaserit, ne consuetudinem, quæ in Græcia increbuerat, & Ecclesiasticæ Legis vim obtinuerat, sua Authoritate aboleret.

1547 Probatur secundò, indignum esse aliqua censura Paphnutium, quod suis rationibus Sanctam Synodum induxerit, vt prędictam consuetudinem in suo statu relinqueret; dici enim potest, illam iam tunc temporis Ecclesiasticę Traditionis vim obtinuisse. Quod vt melius intelligatur, prænotandum, est Ecclesiam in suis primordijs Traditionibus gubernari: sicut enim apud Romanos Ius non scriptum omnes Leges, etiam duodecim tabularum pręcessit (*l. 1. ff. de curat. furios.* GOVEANVS *in l. 2. num. 1. ff. de vulgari.*) sic etiam

etiam Ecclesia in suis initijs, antè omnia Concilia, & Pontificum Instituta, regulariter Traditionibus gubernabatur; primis enim illis nascentis Ecclesiæ temporibus, Fideles absque vlla scriptura Ecclesiasticas Traditiones observabant, vt rectè notavit S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Homil. 4. in Epist. 2. ad Thessal.* sic scribens: *Vndè perspicuum est, non omnia Apostolos tradidisse per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea esse fidedigna; quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse fidedignam.* De hoc Iure non scripto exponitur illud D. PAVLI *ad Timoth. 6. Depositum custodi* id est Traditiones Ecclesiæ, vt censet IRENÆVS *lib. 3. cap. 3.*

1548 Secundò prænotandum est, triplex reperiri Traditionum genus. Primum Iuris Divini, & de his Traditionibus loquuntur CONSTANTINOPOLITANA SYNODVS V. *Act. 10.* VII. SYNODVS *Act. 1.* & CONCILIVM TRIDENTINVM *Sess. 4.* Vndè D. PAVLVS *ad Hebros*, ait: *Quod non habemus scriptum in Evangelio.* Et 1. *ad Corinth. 15. 16. & 20.* Hinc dicitur Evangelim datum esse in corde Ecclesię; quia constat illud datum esse à Christo Domino per Traditionem, & Apostolos à Christo illud accepisse, atque ab his fuisse Gentibus traditum, vt docet D. Paulus 2. *ad Timoth. 2. ad Thessalon. 2.* Harumque Traditionum extant exemplaria *in cap. Ecclesiasticarum 11. dist. cap. Cum Marthæ, de Celebrat. Missar.* in TRIDENTINO *sess. 24. cap. 1. & sess. 22. cap. 2.* Apud Authores etiam multa id genus traduntur, vt videre licet apud ANTONIVM PEREZ *in Penthateuco Fidei de Tradition.* & communiter apud Authores dogmaticos, tàm priscos, quàm recentiores.

1549 Secundum Traditionum genus est earum, quæ ab Apostolis propria Authoritate institutę sunt. Quasdam refert APOSTOLVS 1. *ad Timoth. 2. & 5.* & *ad Corinth. cap. 7.* & Sancti Patres allati ab Episcopo COVARRVVIAS *lib. 4. variar. cap. 19. & 20.* VARGAS *de Iurisdict. Episcop. Axiom. 10.* SOTO *lib. 2. de Iust. & Iur. quæst. 5. art. vlt.* Ad tertium genus spectant, Traditiones institutæ per Episcopos in sua Provincia, vel Diœcesi, in qua tantum vigent, & obligant. *Cap. Scit Sancta, Cap. Ridiculum, 12. dist.* De his Traditionibus loquitur HIERONYMVS *Epist. ad Lucinum*, ita scribens: *Illud breviter te admonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ Fidei non officiunt (Glossa: id est, quæ Fidei non adversantur) ita observandas, vt à maioribus traditæ sunt.* Vt habetur *Cap. Illud 17. dist.* & NICOLAVS Pontifex *Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi, in d. cap. 5. dist. 12.* *Ridiculum (inquit) est, & satis abominabile dedecus, vt temporibus nostris, vel falso insimulari Sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas Traditiones, quas antiquitùs à Patribus suscepimus, pro libitu semper errantium infringi patiamur.*

1550 His ergo prælibatis. Matrimonij ante Ordinationem contracti vsum in Græcis Clericis Ecclesiasticæ Traditionis vim in illa Orientis parte communiter receptæ obtinuisse, affirmare minimè auderē, nisi me STEPHANI Papæ commoneret Authoritas *in 1. Actione Synodi, ab ipso in Lateranensi Basilica congregatæ*; ibi enim loquens de Continētiæ voto in his, qui Sacris initiati sunt, in Occidentali Ecclesia recepto, ab Orientali verò non admisso: *Aliter (inquit) se Orientalium Traditio habet Ecclesiarum, aliter huius Sanctæ Romanæ Ecclesię; nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi Matrimonio copulantur; istius autem Ecclesię, vel Occidentalium nullus Sacerdotum, à Subdiacono vsque ad Episcopum, licentiam habet coniugium sortiendi.* Vt habetur *in cap. Aliter 31. dist.* In cuius Capitis expositione, hæc habet GLOSSA: *Dicitur in hoc capite, quod alia est Traditio Orientalis Ecclesiæ, & alia Occidentalis. Nam in Orientali Ecclesia omnes Clerici indistinctè possunt vti Matrimonio contracto; in Occidentali verò Ecclesia aliter servatur.* Vndè tàm Stephanus Papa, quàm Lateranense Concilium ab ipso congregatum *in dicta sess.* consuetudinem vtendi Matrimonio ante Ordinationem contracto Ecclesiasticam Orientalis Ecclesiæ Traditionem reputant: non ergo reprehensionem promeretur Paphnutius, quod Nicænę Synodo prædictam consuetudinem, & Traditionem retinendam suaserit; cum Ecclesiasticarum Traditionum, tàm generalium, quàm particularium observantia enixè semper à Sanctis Patribus, & Concilijs commendetur, ac egregijs laudibus efferatur, vt obvium, ac pervium erit cuilibet, qui Sacros Canones, ac Theologos de Ecclesiasticis Traditionibus ex professo agentes accuratè evolverit.

1551 Probatur tertiò nostra Conclusio: quia nullius culpæ reus, aut reprehensione dignus censendus est, qui id quod licitum est hortatur, & fovet: licitum autem fuisse id, ad quod Sanctus Paphnutius Nicænam Synodum induxit, manifestè ostendit aprobatio, qua Ecclesia, Summique Pontifices, qui illam gubernarunt, prædictam consuetudinem in omnibus sæculis confirmarunt; nullus namque Pontifex, nullumque Concilium *à I. Nicæno*, vsque ad vltimum, in Ecclesia celebratum, consuetudinem, & præscriptionem vtendi Matrimonio, ante Ordinationem contracto. Græcis Clericis inhibuit, aut huiusmodi vsum illicitum illis esse declaravit: immò eam Ecclesia, prudens, & sciens semper permisit, ac perconsequens iuxta ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrinã, suprà relatã, illam approbavit: *Consuetudo (inquit) in tali multitudine prævalens, habet vim Legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini Legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudó introduxit.*

1552 Ne autem id quod dicimus fundamento destitutum existimetur, illud probandum aggredimur; & in primis, ne Paphnutij Cõcilium novum, exoticumque videatur, animadvertendum est, eamdem illam secundam rationem, quæ vxoratos respiciebat, multo ante Paphnutium, Dionysium Corinthiorum Episcopum impulisse, vt ad Pinytum, Gnossiæ Ecclesiæ Episcopum scriberet, illum commonefaciens, ne grave servandæ, immò compulsę Castitatis onus, ac necessitatem, fratrum ac discipulorum animis imponeret, in quo multorum periclitaretur infirmitas; cuius rationem habere, & suorum necessitati seattemperare, erat necesse, quod consilium laudavit, & amplexus est PINYTUS, vt EVSEBIVS *lib. 4. Hist. Ecclesiast. cap.* 27. NICEPHORVS *lib. 4. cap.* 8. tradiderunt. Ex quibus clare apparet, Paphnutij Concilium, nec novum fuisse, nec inauditum, cum id ante Paphnutium in multis Orientalibus Ecclesijs receptum esset, vt liquet ex ANCYRANO CONCILIO *Can.* 10. & GANGRENSI *Can.* 4. vt testantur SOCRATES *lib. 5. cap.* 22. & NICEPHORVS *lib. 12. cap.* 34. Quod amplius roboratur ex his, quæ scripserunt Christiani Imperatores HONORIVS, & THEODOSIVS *in l. Eum qui, C. Theodos.* & IVSTINIANVS *de Episcop. & Cleric.* qui in suo Rescripto, de prędicto Matrimonij vsu in Clericis coniugatis loquentes asserunt, consonum non esse, vt ipsi propter Ordinem coniuges suas, tot periculis obiectas relinquant: *Illas autem non relinqui Castitatis hortatur affectio, quæ ante Sacerdotium maritorum, legitimum meruere coniugium; neque enim Clericis in competenter adiunctæ sunt, quæ dignos Sacerdotio viros sua conversatione fecerunt.*

1553 Iam verò talem Græcorum vsum, & consuetudinem licitam fuisse, non obscurè colligitur *ex Canonibus* NICÆNIS 24. *&* 66. & apertissimè ex *Can.* 63. vbi Clericis coniugatis lapsis, duplex imponitur pœnitentia, quod posteà repetitum videbimus in LATERANENSI CONCILIO *sub Innocentio III.*

1554 Id ipsum eleganter confirmatur ex S. GREGORII MAGNI *Constitutione in Epist. ad Petrum Siciliæ Subdiaconum, lib. 1. Epist.* 42. & habetur *in cap. Qui Castitatem* 31. *dist.* cuius quidem Constitutionis motivum proponit GLOSSA, dicens: *Quod olim promovebantur Subdiaconi non promissa continentia, & licitè vtebantur vxoribus, & beneficijs. Postea Pelagius Prædecessor Gregorij statuit, vt vel contenti essent vxoribus tantum, vel beneficijs tantum; de qua Constitutione Gregorius facit mentionem 27. *quæst.* 2. *cap. Multorum.* Postea idem Pelagius aliam Constitutionem, in qua præcisè prohibuit, vt Subdiaconi nullo modo commisceri debeant amodò vxoribus suis: & illam Constitutionem quidam Subdiaconi servabant, quidam non: sed quia illa Constitutio fuit dura, scilicet, quod aliquis, qui non promisit Continentiam, cogeretur continere, ideò retractatur à S. Gregorio, & statuitur, &c.* Hæc Glossa. Cum igitur res ita se haberet, isque esset Clericalis Continentię status, S. GREGORIVS *loco citato*, sic decrevit: *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem Continentię non invenit, neque Castitatem ante promisit, compellatur à sua vxore separari, atque per hoc (quod absit) in deterius cadat. Vndè videtur mihi vt à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, vt nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi quis se victurum castè promiserit, quatenùs, & pręterita mala

la

la, quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caveantur.*

1555 Ex quibus clarè patet, quod S. GREGORIVS Papa non modò non reprobavit prædictam consuetudinem, qua Clerici, qui nullo se Castitatis voto adstrinxerant, Matrimonio ante Ordinationem contracto vtebantur, sed immò illam approbavit revocans sui Prædecessoris Pelagij Constitutionem prædictum vsum prohibentem.

1556 Verum nec solus Gregorius, sed & INNOCENTIVS III. *in cap. cum olim. de Cleric. coniugat.* prædictam Græcorum consuetudinem improbavit: cum enim ab eo quęreretur; An filius Sacerdotis Græci, ex vxore genitus, ad Episcopatum Anglorienſem posset promoveri? Archierontino Archiepiscopo consulenti, sic rescripsit: *Cum olim ad nostram Audientiam pervenisset, quod Canonici Anglorien. Cantorem Tricaricen. sibi elegerant in Pastorem (Et infra:) Licet tibi de forma electionis Canonicę, ac idoneitate personę in alijs constitisset, movit te tamen, quod cum Pater eius Græcus fuerit, & iuxta Ritum Græcorum vxorem duxerit in Minoribus Ordinibus constitutus, Cantorem ipsum, ex vxore legitima in Sacerdotio suscepisset. Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum Continentiæ non admisit, quoniam Orientales in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus vtuntur Matrimonio iam contracto: mandamus quatenus, nisi pro eo quod inter Latinos Græci huiusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet, si aliud Canonicum non obsistat, ad confirmationem, & consecrationem eiusdem sine dubitatione procedas.*

1557 At CLEMENS III. *in cap. Quæsitum, de Pœnit. & remiss.* non modo prædictam Græcorum consuetudinem, & Matrimonij vsum non reiecit, sed illum illicitum esse expręssiùs declaravit: *Quæsitum (inquit) est vtrum Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo Matrimonio licet vti, Pœnitentia publica sit imponenda, si eam postulent sibi pro filijs oppręssis iniungi?* Quibus verbis manifestè nostra roboratur Assertio; si enim Græcæ Ecclesiæ Clericis Matrimonio vti non liceret, neutiquam id Pontifex affirmasset, oppressionemque infantis maiori severitate damnasset.

1558 Nec CONCILIVM GENERALE LATERANENSE *sub Innocentio III.* eam consuetudinem improbavit, sed potiùs eam approvasse videtur; cum enim Latinis Clericis omnium fœminarum commercium gravissimis pœnis interdixisset, de Græcis hęc decrevit: *Cum autem, secundum regionis suæ morem, non abdicarunt copulam coniugalem, si lapsi fuerint, graviùs puniantur, cum legitimo Matrimonio vti possint.*

1559 Quod, & confirmant SENONENSIS CONCILII PATRES, dum *in Decreto Fidei, Can.* 8. hęc asserunt: *Neque voluit Orientalis Ecclesia suos ea severitate coerceri, vt contractis primum Matrimonijs vti non liceret.* Ex dictis convincitur antiquum, & perpetuum vsum Matrimonij ante ordinationem contracti à Græcis Clericis, maiorum Consuetudine receptum, non modo fuisse ab Ecclesia, Pontificibus, & Concilijs semper permissum, sed etiam vt licitum ab eisdem declaratum, vt manifestè innotescit, ex Canonicis testibus, quos ex Sanctis Pontificibus Clemente, & Innocentio III. & ex sacratissimis Concilijs Lateranensi, & Senonensi id expressè affirmantibus, paulò ante adduximus; sicque, & talem Matrimonij vsum licitum fuisse, nec Sancto Paphnutio vitio verti debere, quod Nicænæ Synodo suaserit, ne Legem prędicti vsus inhibitivam stabiliret; alias (quod absit dicere) eadem culpa, eodemque crimine commacularentur Pontifices, Ecclesia, & Concilia, qui prædictum Matrimonij vsum ante Ordinationem legitimè contracti ad hanc vsque diem permiserunt, illumque iuxta Angelici Præceptoris Doctrinam, sua Authoritate approbarunt.

1560 Et quia de hac re elegantissimè scripsit Hispanus ille, & eruditione, & Zelo insignis D. FERDINANDVS DE MENDOZA *lib.* 1. *de Concilio Illiberino confirmando ad Can.* 33. illius verba audiamus: *Hæc longius ad defensionem Paphnutij magis, quam Græcorum deducere, adducereque placuit, ne tanta Patri tanto, Episcopo, & Confessori impudicitiæ, vel incontinentię nota imponatur, neve Concilio Nicęno Hæretici falsò putent Leges omnes, quas ipsi impudenter sanciunt, confirmari, cum illud non decernat, nec approbet Gręcorum consuetudinem, sed ne ob Hæresim Eustachij, tunc recenter exortam, impingerent ad eundem scopulum erroris ansam ex Concilio sini-

nistrè sumentes, Ideò supersederunt Continentiæ Legi in Græcia solum, & Oriente; nam de eius Sacerdotibus solum nata fuerat disceptatio, & in eis solum, opus erat novæ illius Legis Constitutione; cum in reliquis Occidentis Provintijs, sive Traditione, sive lata Constitutione id iam observaretur: quod & consuluisset ipse Pater Turriánus (qui oppositum censuit, alijque ipsum sequentes, fabulosamque historiam Paphnutij existimantes) si in Concilio Greco, & Græcorum Episcoporum maiori ex parte coacto interfuisset, vidissetque Concilij taciturnitate, & conniventia hæreseos, & errorum periculis (quæ ex prohibitione redundabant) aditum intercludi. Illa autem si absfuissent, non Latini modo, sed & ipsi Græci Continentiæ Legem peculiari Decreto proculdubio indixissent: nam in eam Sententiam sat fuisse propensos Episcopos omnes, Socrates, & Sozomenus scripserunt: at prudentes Legislatores temporum vicissitudini cedere, & posse, & debere, Philosophorum placitis, experimẽtisque multis edocti sumus.* Hactenus ille.

1561 Ex dictis cumulatissimè satisfecimus tertiò argumento, quo Calvinus probare contendit licere iam ordinatis nuptias contrahere, idque perperam deducere conatur ex Paphnutij, & Nicęni Concilij Authoritate, & SOCRATIS, & SOZOMENI testimonio narrantium: *Quod cum Nicęnum Concilium Legem ferrè vellet, *ne liceret Clericis cum vxoribus suis dormire*, surrexit Paphnutius Confessor, & contradixit, & Synodus tota in eius Sententiam ivit, & Continentiam ab vxore in arbitrio cuiusque reliquit.* Satisfecimus, inquam, quia Calvinus prædictorum Authorum verba cavillose recitat, non fideliter, cum non explicet de quibus Clericis loquatur; an de ijs, qui iam Sacris Ordinibus sunt initiati, an de ijs, qui ante Ordines coniugium licitum inierunt, quod duo illi Authores clarissimè expresserunt; Socrates enim, vt iam diximus, & illius verba in Quæstione de veritate historiæ Paphnutij, adduximus, hæc, inter alia, habet: *Visum erat Episcopis (ijs scilicet, qui Nicæno Concilio interfuerunt) Legem novam introducere, vt qui essent Sacris initiati (sicut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi) cum vxoribus, *quas cum erant laici in Matrimonium duxissent*, minimè dormirent.* Eisdem verbis refert Sozomenus.

1562 Hunc autem esse legitimum Socratis, & Sozomeni sensum comprobant alij Scriptores, quos suprà retulimus, & TEXTVS *in cap. Nicæna 31. distinct.* & Autographum Vaticanum Nicæni Concilij, à P. ALPHONSO PISANO, Societ. IESV relatum; & prędictis verbis sic explicatis, & litteraliter, vt sonant, intellectis, prout nos retulimus, Continentiæ Lex, quam ferrè volebat Concilium, non erat, vt contendit Calvinus, ne liceret Clericis cum vxoribus suis dormire, vt inde inferat licere Clericis generaliter loquendo vxores proprias habere, cum generaliter prohibere vellet Concilium Clericis cum vxoribus suis dormire; non, inquam, huiusmodi Legem condere volebant Sanctissimi Concilij Patres; sed solum loquebantur de Clericis, qui ante Ordinationem in statu laicali coniugium inierant; ijsque interdicere volebant, ne post Ordinationem vxoribus suis miscerentur. Et huic solummodo Constitutioni sese opposuit Sanctus Paphnutius, Concilium vehemẽter rogans, ne novam istam Legem in Græcis Clericis stabiliret, ob rationes, quas fuse expendimus; istud verò Paphnutij Concilium nullis inconvenientibus obnoxium dignoscitur, vt probavimus; cum ab Ecclesia, & subsequentibus Concilijs fuerit approbatum.

1563 At velle Calvinum ex isto Paphnutij Concilio inferre licere iam Ordinatis Matrimonium contrahere, est consequentia adeo absurda, vt eam non nisi effrenata ipsius, suorumque sequacium lascivia posset deducere; cum numquam in Ecclesia, tàm Græca, quàm Latina Clericis semel Sacris Ordinibus initiatis licuerit coniugium inire, vt suprà diximus, & ex Concilijs, & Patribus manifestè probavimus, estque Catholicorum omnium firmata Sententia, vt communiter tradunt Authores de Græcorum Matrimonio tractantes.

1564 Pro maiori prædictorum munimine, audiendus est Eminentissimus Cardinalis BELLARMINVS, qui de prędicta Socratis, & Sozomeni Authoritate, qua Calvinus vtitur, sermonem instituens, hęc, solita sua eruditione scribit: *Hoc testimonium aliquid habet momenti pro sententia Græcorum, sed nullum pœnitus pro errore Lutheranorum; nam vterque Author in eodem loco testatur Paphnutium adiecisse, bonum sibi videri, vt secundum an-

antiquos Canones prohibeatur Clericis, nè post Ordinationem vllo modo vxores ducant, sed solum permittantur vti illis, quas ante Ordinationem acceperunt. Nonne hoc totum contra Lutheranos est, qui post Sacerdotium vxores ducunt?* Hęc ille.

1565 Nihilominus prędictus Cardinalis non acquiescit illis verbis, quę Socrates, & Sozomenus addunt: *Surrexit Paphnutius, & contradixit, & Synodus tota in eius sententiam ivit, & Continentiam ab vxore in arbitrio cuiusque reliquit.* Vnde in prædicta verba sic insurgit: *At quòd Concilium statuerit, Continentiam esse relinquendam in arbitrio Clericorum, nullam habet apparientiam, nec debet illis Authoribus credi.* Sed, bona tanti viri venia, nec Socratem ea censura dignum agnoscimus, nec quod nullam apparentiam habent, Continentiam esse Clericorum arbitrio relinquendam, concedimus; hic enim expræssè loquitur Socrates de Græcis ante Ordinationem coniugatis, quibus post Ordinationem licitus erat matrimonij vsus, & poterant, pro suo arbitrio, vel Cœlibem vitam maioris perfectionis desiderio colere, vt Ecclesiæ Latinæ Clerici, vel Matrimonio in statu laicali licitè contracto, iuxta consuetudinem in Ecclesia Græca præscriptam, frui.

1566 Potuisse autem Græcos Clericos Matrimonio ante Ordinationem licitè contracto, pro suo arbitrio vti, vel non vti, expressè tradunt Socrates, & Sozomenus, vt lucet ex verbis paulò ante relatis, & *ex Historia Tripartita*, è qua GRATIANVS *cap. Nicæna*, 31. *Dist.* concinnavit; quibus consonant verba Nicænæ Synodi, quam ALPHONSVS PISANVS, è Vaticano transtulit: *Iuditio volentium (inquit) Synodus relinquens Continentiam à proprijs vxoribus.* Et cōfirmat NICÆPHORVS CALLISTVS *lib.* 12. *Histor. cap.* 34. dum inquit: *In Oriente omnes, atque etiam Episcopi, si vellent pro arbitrio suo, non aliqua legis necessitate coacti, vxorum congressum declinarent: multi etiam ipso Episcopali munere fungentes, in Episcopalibus Sedibus, liberos multos ex coniugibus, quas sibi ex legitimo Matrimonio antea coniunxissent, susciperent.*

1567 Cur verò sit in arbitrio Clericorum, qui in minoribus Matrimonium contraxere, eo in maioribus Ordinibus vti, pulcrè explicat INNOCENTIVS III. *Cap. Cum olim de Cleric. coniugat.* *Quia Orientalis Ecclesia Votum Continentiæ non admisit.* Ratio autem ob quam in Ecclesia Latina non est in Clericorum arbitrio Matrimonio ante Ordinationem contracto vti, est, quia isti ante Ordinationem, Continentiæ Votum emiserunt, sicque post Ordinationem, nec possunt nova inire coniugia, nec ante Ordinationem initis frui; cum vtrumque Continentiæ Voto, quo omnes Sacri Romanæ, & Latinæ Ecclesię Ministri se se adstringunt, manifestè repugnet. At cum vniversalis Ecclesia, Sacraque Concilia Gręcis permiserint, vt vxorati possint ad Sacros Ordines promoveri, quin illos ad emittendum Castitatis Votum obstrinxerint, penes ipsos est, Continentiam post Ordinationem servare, vel non servare, & Matrimonio licitè ante Ordinationem contracto frui, vel non frui, prout ipsis placuerit. Vnde illa BELLARMINI verba: *Continentiam esse Clericorum arbitrio relinquendam, nullam habet apparientiam, intelligi debent de Græcis Clericis, qui ante Ordinationem, Castitatis votum emiserunt, iuxta ea, quæ in quarta suppositione præmissimus, manifestè ostendentes in Gręcia, tàm vxoratis, quàm non vxoratis datam fuisse optionem, an post Ordinationem vellent Continentiam servare; sed Continentiæ voto semel ab ipsis admisso, nec poterant non vxorati coniugium inire, nec vxorati Matrimonio antea inito vti: oppositum verò asserere, nec veritati, nec Innocentij menti congruit.

1568 Nec ijs obstat STEPHANVS, Pontifex, qui *in cap. Aliter*, 31. *Dist.* probare videtur posse Sacris Ordinibus initiatos coniugium inire, iuxta Orientalis Ecclesiæ Consuetudinem, sic enim scribit: *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius Sanctæ Romanæ Ecclesię. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi Matrimonio copulantur; istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium, nullus.* In cuius expositione, hæc habet GLOSSA: *Multi ex hac littera dixerunt quod Orientales possunt contrahere in Sacris Ordinibus.*

1569 Pro pleniori huius dificultatis enodatione prænotandum est, ab Authoribus dubitari an olim omnes Sacri Ordines Matrimonium impedierint? CAIETANVS enim *Tom. 1. Opusculorum Tract.* 27.

27. *de dispensat. Matrim. in Ecclesia Occident. quæst. unica, paulo ante principiū,* ex hoc textu colligit licuisse olim Græcis Diaconis Matrimonium inire; idemque ex hoc textu infert SOTUS *in 4. Sentent. distinct. 38. quæst. 1. art. 2. colum. penul. vers. Colligito, & lib. 7. de Iustit. & Iure, quæst. 6. conclus. 2.* quibus consonant DECIANUS *Tractat. Criminal. lib. 6. cap. 21. num. 5. & cap. 22. num. 2.*

1570 Verior tamen, & communior Sententia tenet, numquam Sacro Ordine initiatis, tàm in Latina, quàm in Græca Ecclesia licuisse Matrimonium inire, vt habetur *in Cap. Siquis eorum. 32. distinct.* & *in VI. Synodo Generali Ecclesiæ Græcæ,* vbi sic legitur: *Siquis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante Ordinationem Subdiaconatus faciat.* Hanc Sententiam sequuntur ALBERTUS TROTIUS *de vero, & perfecto Clerico, lib. 2. cap. 10. num. 4.* AZEVEDUS *lib. 1. num. 49. tit. 19. & lib. 8. Novæ Recopilat.* BARONIUS *Annal. Ecclesiast. tom. 1. anno Christi 58. & tom. 3. num. 325. §. Habes Lector.* Episcopus COVARRUVIAS *de Sponsal. part. 2. cap. 6. §. 3. num. 2. vers. Utcumque sit.* D. BARBOSA *in Rubric. ff. soluti Matrimonij, part. 2. num. 9. in fine.* DIONYSIUS PAULUS LLOPIS *in Flosculo Cleric. par. 2. num. 90.* BOVERIUS *de Repub. Eccles. part. 2. lib. 2. c. 10. vers. Neque, & vers. In Oriente.* GABRIEL VAZQUEZ *de Ordine, disp. 249. cap. 2. in principio.* AZOR *Instit. Moral. part. 1. lib. 13. cap. 12. quæst. 3. & 5.* SANCHEZ *de Matrim. lib. 7. disp. 28. num. 3.* & communiter Doctores, qui, licuisse apud Græcos vxoribus vti, quas ante Ordinationem duxerant, existimarunt, qui citantur ab Episcopo BARBOSA *ad Cap. Nicæna Synodus 31. dist.*

1571 Quibus prænotatis, non obstat prædictus Textus *in cap. Aliter*, cum non constet, eum fuisse Stephani Papæ, estò ipsi adscribatur; multi enim fuerunt Pontifices prædicto nomine nuncupati; & tamen apud nullius Epistolam præfatus Canon invenitur; vt rectè notavit Cardinalis BELLARMINUS *lib. 1. de Clericis, cap. 21.* Nihilominus PETRUS CRESPESIUS *in Summa Catholicæ Fidei, verbo: Cœlibatus, colum. 2.* censet hunc fuisse Stephanum I. hoc tamen difficultate non caret; siquidem Stephanus I. creatus fuit Pontifex anno 245. & vt scribunt PLATINA, & PANVINUS *in Chronolog.* martyrio occubuit, sub Gallieno, anno 257. multo ante Trullani Concilij tempora, quod anno 680. vel 681. celebratum est. Et ab anno 200. vsque ad 300. nondum suborta fuerat controversia de vsu Matrimonij ante Ordinationem contracti, apud Sacros Græcæ Ecclesiæ Ministros; cum vsque ad Trullani Concilij tempus nondum prohibitum fuerit ijs, qui Sacris Mysterijs inaugurati fuerant, Matrimonium contrahere; vt notavit BASILIUS PONTIUS *de impedimento Ordinis, lib. 7.* Deinde, quia cum prædictus Canon conditus fuerit in Lateranense Concilio, vt ostendit illius inscriptio (quæ sic se habet: *Vndè Stephanus Papa, ait in 1. Act. Synodi, ab ipso in Basilica Lateranensi congregatæ*) impossibile videtur potuisse ab Stephano I. sanciri, cum sub hoc Pontifice nullum Concilium celebratum fuerit, immò nec potuerit in Lateranensi Ecclesia celebrari; quia tunc temporis Lateranense Palatium adhuc Imperatores Idolatræ incolebant; istud enim datum fuit Pontificibus sub Imperatore Constantino, & S. Sylvestro Pontifice, qui anno 300. floruit, & primum Generale Nicænum Concilium Imperatoris Constantini consensu, & aprobatione celebravit, quos omnes Stephanus I. multis annis præcessit.

1572 Quare certiùs videtur prædicti Canonis Author ē fuisse Stephanum III. vt rectissimè notavit Archiepiscopus ACUÑA *in dict. cap. Aliter*, qui existimat, hunc Canonem conditum esse à Stephano III. qui erat natione Siculus, & Pontificalem Sedem anno Christi 768. obtinuit, vt tradit PLATINA *in Stephano.*

1573 Ommisso ergo huius Canonis Authore, eiusque in certitudine, argumēto, cuius vim aliqui Authores ponunt in illis verbis: *Matrimonio copulantur*, respondemus Cardinalē TURRECREMATAM in huius textus expositione, hæc habere: *Per hoc verbum fuerunt multi decepti: & decipiuntur hodie dicentes, quod olim omnibus licuit contrahere in Sacro Ordine, & nunc non.* Quam quidem sinistram intelligentiā refutat ipse Cardinalis ibi: *Nusquam enim à tempore Apostolorum licuit contrahere in Sacro Ordine, vt *dist. 84. Cum in præterito, & dist. 32. Si quis eorum*, & supra ea *dist. Nicæna.**

Vndè

1574 Vnde illa verba: *Matrimonio copulantur*, sic à prædicto Cardinali exponuntur; * id est, carnaliter commiscentur. Sępe enim invenitur copulari, pro carnaliter commisceri, & copula pro carnali commixtione; vt supra *cap. proximo* 30. *quæst.* 1. *Nosse*, & 27. *quæst.* 2. *Agathos. cap. Priusquam.* *

1575 Huic interpretationi suffragatur S. HIERONYMVS *Epist.* 147. ad amandum copulantur, id est, carnaliter se cognoscunt, sic enim habet; * Illa secundò viro, qui non appellatur vir, sed adulter, à tempore pœnitentiæ non copuletur. * Archiepiscopus ACVÑA, existimat illa verba, *Matrimonio copulantur*, sic absque vlla violentia posse explicari: *permanent copulati*: * Nam Latinè verbum passivum non solum actionem præsentem, verùm & præteritam significat. Ius etiam Canonicum non rarò hoc, quod est Matrimonio copulari, sumit pro eo, quod est coniugali copula vti. * Cui subscribunt SOTVS *de Iust. & Iure, lib.* 7. *quæst.* 6. *art.* 2. HENRIQVEZ *lib.* 10. *de Ordinis Sacrã. cap.* 14. §. 7. *Litt. N. ad finem.* BELLARMINVS *lib.* 1. *de Clericis, cap.* 21. §. *Dico secundò*, AZOR *Tom.* 1. *Instit. Moral. lib.* 13. *cap.* 12. §. *Ad illud.* Episcopus COVARRVVIAS *de Sponsalib.* 2. *part. cap.* 6. §. 3. *num.* 1. SANCHEZ *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 28. *num.* 7. *vers. Ad tertium.*

1576 Idem tenet GLOSSA, dum prædicta verba sic exponit: *copulantur*, id est, *copula vtuntur*. Correctores Decreti super hunc textum, hęc scribunt: * *Matrimonio copulantur*, id est, *possint simul esse in Sacris Ordinibus, & Matrimonio iuncti*: nam neque illis postquam ad Sacros Ordines ascendissent, licebat contrahere Matrimonium. *

1577 Vnde Sacerdotes Matrimonio copulari, idem prorsus erit, ac Matrimonij vsum, & concubitum exercere; sicque dum Stephanus Papa asseruit Orientalium Ecclesiarum Sacerdotes, Diaconos, atque Subdiaconos Matrimonio copulari, solum declaravit eis licitum esse, Matrimonio ante Ordinationem contracto vti: Quam interpraetationem praeclarè confirmant SEXTÆ SYNODI PATRES, qui de Latinæ Ecclesiæ Ministris, Sacro Ordine initiatis, loquentes, hęc statuunt *Can.* 13. in principio: * Profiteantur se non amplius suis vxoribus copulari. * Huc spectat illud CONCILII TOLETANI III. *Can.* 5. ibi: * Carnali adhuc desiderio vxoribus copulari. * Agit enim de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis antea coniugatis. Et in hoc sensu intelliguntur illa INNOCENTII III. verba *in cap. Gaudemus de Divort.* * Fideles homines Matrimonio copulari libere possunt; * id est Matrimonio iam contracto vti, vt constat ex contextu. Ita exponit GLOSSA *in præsenti, verbo: copulantur*; quam sequuntur RICHARDVS *in* 4. *Dist.* 37. SOTVS *de Iust. & Iur. lib.* 7. *quæst.* 6. *art.* 2. *conclus.* 2. Episcopus COVARRVVIAS *de Sponsal. part.* 2. *cap.* 6. §. 3. *num.* 1. Episcopus BARBOSA *in cap. Aliter*, 31. *Dist.* Quam etiam interpretationem contra P. Turrianum latè defendit, ac probat P. GABRIEL VAZQVEZ *disp.* 247. *cap.* 6. *num.* 79. BASILIVS PONCIVS *lib.* 7. *de Impedim. Ord. cap.* 23.

1578 His tamen opponitur TEXTVS NICOLAI PAPÆ *ad consulta Bulgarorum, cap.* 70. 28. *Dist. cap. Consulendum*, vbi dicitur: * Consulendum decernitis, vtrum Presbyterum habentem vxorem debeatis sustentare, & honorare; an à vobis proijcere? Ad quod respondemus: quoniam licet ipsi valdè sint reprehensibiles: Vos tamen Deum convenit imitari, qui *Solem suum oriri facit super bonos, & malos.* *

1579 Ex quo textu hęc suboritur difficultas: Cur Bulgari Presbyteri vocantur reprehensibiles, mali, & improbi, si receptam vsu consuetudinem, à magna Synodo probatam, sequebantur? Ad cuius enodationem pręsupponendum est ex GLOSSA: * Quod Bulgari sunt populi inter Hungariam, & Gręciam constituti: apud istos Presbyteri quidam habebant vxores. Quare quæsiverunt Bulgari (qui laici erant) à Nicolao Papa: An deberent illos eijcere? Et respondet, quod non: licet illi Sacerdotes sint reprehensibiles, & hoc probatur exemplo Domini, qui Iudam proditorem non eiecit: & quia laici Clericos iudicare non debent. Sed quid si mali fecerint? Episcoporum iudicio reservatur. * Hactenus Glossa. Correctores Decreti ad illud verbũ *Presbyterum* pro maiori illius explicatione, hæc annotant: * In vltimo cap. harum responsionum referuntur Bulgarorum verba dicentium multos apud se esse Græcos, & Armęnos, & alios, qui diversa docerent. Nondum enim

à Romana Sede Episcopum, aut Presbyterum acceperant; quamobrem nihil mirandum, si Presbyter, de quo in hoc cap. agitur, coniugatus erat.*

1580 Hoc ergo supposito inquiritur, cur prædictos Presbyteros Nicolaus Papa reprehensibiles vocet? Respondent aliqui, quos suppresso nomine refert P. AZOR *Instit. Moral. Tom. 1. part. 1. lib. 13. cap. 12. quæst. 1.* Ideo Sacerdotes Græcos reprehensibiles à Nicolao appellari, quia Matrimonio ante Ordines inito vtentes re vera peccabant; estò ob eorum duritiem in eo manere permitterentur, tamquam minùs malum, instar permissionis Lupanarium. Sed hæc solutio sustineri non potest, quia vt suprà probavimus Græcis licitum erat, vxoribus ante Ordinationem ductis copulari; sicque in hac commixtione, ac vsu, nullo se scelere commaculabant, vt clarè deducitur *ex cap. Aliter, 32. Dist.* & ex INNOCENTIO III. *in cap. Quæsitum, de Pœnitent. & remis.* vbi huiusmodi vsus licitus supponitur, ibi: *Quæsitum (inquit) est vtrum Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo Matrimonio licet vti.* Et ex eodem *in cap. vt Clericor. 13. de Vita, & Honest. Cleric. in fine*, sic decernente: *Qui autem, secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo Matrimonio vti possunt.* Vbi GLOSSA annotat: *Id dici propter Græcos, qui in Sacris constituti, vtuntur Matrimonio ante contracto.* Quare hanc partem sustinent S. ANTONIVS, SYLVESTER, SOTVS, LVDOVICVS LOPEZ *Instructor. Conscient. part. 2. de Matrim. cap. 49.* & alijs apud SANCHEZ *de Matrim. lib. 7. dis. 18. num. 6.*

1581 Quare respondemus Græcos Presbyteros, principaliùs à Nicolao Pontifice fuisse obiurgatos, non quod Matrimonio ante Ordinationem contracto vterentur, vt latè suprà ostendimus, sed quod tali odio Latinos prosequerentur, vt quia in Latina Ecclesia nullus, qui se Castitatis Voto non adstringeret, ad Sacros Ordines promovebatur, ipsi è contra nulli, qui Continentiam fuisset professus, aut vitam Cœlibem agere decrevisset, Sacros Ordines conferrent, eumque Deo Ministrum consecrarent; immò omnes Sacris Misterijs inaugurandos compellebant, vt ante Ordinationem coniugium inirent. Ob istum ergo abusum Sacrorum Ordinum honestati, ac decori maximè noxium, illos Pontifex optimo Iure valde reprehensibiles appellavit. Eundem perniciosissimum abusum Ecclesiastico sanè Zelo reprehendit S. HIERONYMVS *in Vigilant.* hæc, inter alia, scribens: *Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non Ordinant Diaconos, nisi priùs vxores duxerint nulli Cœlibi credentes pudicitiam, immò ostendentes, quam sanctè ipsi vivant, qui malè de omnibus suspicantur.* In hunc errorem prolapsi fuerunt Græci, qui *in VI. Trullana Synodo*, Acephala, Latinorum nomine *Canonem 13.* condiderunt, quo ante Ordinationem vxoratos, nec volunt coniugum vsu privari, nec à suscipiendis Ordinibus reijci, immò eis Ordinum susceptione Continentiam prohibent profiteri. Ex quibus manifestè apparet gravissima ratione ductum fuisse Pontificem Sergium, ne huiusmodi Trullanam Synodum confirmaret, estò multis, varijsque Imperatoris minis, ac iniurijs fuerit impetitus; estò enim in ea nullus alius Canon esset præter istum, puritati, quam tam Sacrum, ac Sanctum ministerium exigit, adeo oppositum, indigna planè erat, quæ ab Apostolica Sede approbaretur. Huiusmodi ergo abusu ingravescente, nihil mirùm quod Nicolaus Græcos Presbyteros valde reprehensibiles appellarit.

1582 Vt autem appareat prædictum Pontificem se prudentissimè gessisse, ac gravissima permotum fuisse ratione, vt id præstaret, silentio præteriri non potest quod scribit Cardinalis HVMBERTVS, Sylvæ Candidæ Episcopus *in Disputatione*, quam, dum Legati à Leone IX. munus exequebatur, *adversus Nicetam Pectoratum*, istiusque libellum Latinæ Ecclesiæ infamatorium inivit, cuius verba, vt refert Cardinalis BARONIVS *Tom. 11. in fine*, sic se habent: *Ante omnia autem comprobamus te mentitum ipsi veritati, in eo, quod dixisti, nostros priùs ordinari, deindè vxores sortiri: quia apud nos nec ad Subdiaconatus gradus quisquam admittitur, nisi perpetuam Continentiam, etiam à propria coniuge profiteatur; nec post gradum, vxorem cuiquam ducere conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere Synagogam Satanæ, & prostibulum Balaam, & Iezabel, cum Nicolao dicis, Episcopum, & Presbyterum, & Diaconum dicimus qui vnam habet vxorem, ordinari, quamvis*

vi-

vivant eorum coniuges, quamvis defunctæ, nec licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire; aut, si nupserint, alteras amplecti; sed sufficere eis, quas habent cum ad Ordinationem venerunt.

1583 O abominabilis Cynice! quomodo non erubuisti tantum nefas evomere? Ergo non licet aliquem post manus impositionem sine vxore esse? Si ita est, ipse Ioannes Apostolus, & Paulus, & Barnabas, & omnis continens in gradu Ecclesiastico, in culpa est proculdubio. Vndè necesse est, vt futurus Episcopus, Presbyter, Diaconus, priùs vxorem sortiantur, quæ sibi sufficere habeat ad carnales complexus.*

1584 Ipse Cardinalis eandem disputationem contra Nicætam prosequens, sic concludit: *Illa tamen Ecclesia (idest Orientalis) quam Arius corrupit, Macedonius prostituit, quæ genimina viperarum, id est, Nestorium, Eutychem, Monothelitas, & Theopaschitas, & reliquas hæreticorum pestes peperit, & aluit, adhuc à Nicolai Hæresiarchæ complexibus abstrahi non potuit, adeo vt ad Sacri Altaris Ministerium Ordinandos interroget: an habeant vxores? Qui si responderint, se non habere, compellantur primùm ducere, & sic impositionis manum accipere, vt novi mariti, & recenti carnis voluptate toti resoluti, & marcidi, & inter Sancta Sacrificia cogitantes, quomodo placeant vxoribus, immaculatum Christi Corpus tractent, atque populo distribuant.* Hactenus ille.

1585 In præcedentibus argumentis longiùs orationis filum traximus, quam nostra ferebat voluntas: in ijs tamen, quę sequuntur, operam dabimus, vt ab illis nos breviùs expediamus.

§. XV.

ALIIS ARGVMENTIS exhibetur solutio.

1586 ARguitur quartò *ex Decreto Sacerdotum Matrimonio propitio*, quod Magdeburgenses *centur. 9.* D. Gregorio falsò adscribunt, adducentes pro se historiam, quam S. VDALRICVS, Augustanus Episcopus, Nicolao I. Papæ, scribens, hisce verbis enarrat: *B. Gregorius suo quodam Decreto vxores Sacerdotibus ademit. Deinde cum paulò post iussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores infantium suffocatorum capita ad sexmillia, piscium loco extraxerunt; quam cædem infantium cum intelligeret Sanctus Pontifex ex occultis fornicationibus, vel adulterijs Sacerdotum natam, continuò revocavit Decretum, & peccatum suum dignis pœnitentiæ fructibus purgavit.*

1587 Cui argumento respondemus prędictam narrationem esse meram fabulam, veritatisque specie destitui, quod manifestè convincitur, si attendatur S. Vdalricum creatum fuisse Episcopum anno 924. provt referunt Cardinal. BARON. & SPONDANVS *ad eundem annum.* & Nicolaum I. obijsse anno 867. vt notarunt ONVPHRIVS, & BVLLARIVM Magnum Cherubini. Vndè impossibile videtur Vdalricum iam Episcopum, Nicolao I. Papæ scripsisse (provt in præfatæ Epistolæ initio refertur) cum prædictus Pontifex iam plusquam 56. annis fuisset denatus. Nec iuvat dicere S. Vdalricum Nicolao, non quidem I. sed II. litteras illas scripsisse; hoc enim maiorem secum affert incompatibilitatem; siquidem Nicolaus II. creatus fuit Pontifex anno 1059. vt patescit ex Bullario Magno; cum tamen S. Vdalricus annis circiter centum præobierit.

1588 Neque minùs fabulosum est factũ quod de D. Gregorio Magdeburgenses comminiscuntur; quia neque in huius Sancti operibus, neque in eius vita, quam exactissimè refert Ioannes Diaconus, vel minimum vestigium, tàm memorabilis facti invenitur; quod enim blatterant Magdeburgenses, Siciliæ Diaconos ob S. Gregorij Decretum fuisse commotos, vt tot millia infantium occiderent, nullam veritatis speciem præsefert, immò merum figmentum esse comprobatur; estò enim id ita accidisset (quod creditu est difficillimum) evenisset vtique in Sicilia, vbi degebant Presbyteri exacerbati Decreto, quod in eos condiderat S. Gregorius, eis vxores adimens; non verò Romæ, vbi nihil inveniebatur quod huiusmodi Decreto corrigeretur. Insuper quod tam brevi temporis spatio Subdiaconi, qui post S. Gregorij Decretum Ordinati sunt, sexmillia infantium suffocaverint, fidem omnem superat. Præterea, qua ratione infantium in Sicilia cæsorum capita, in piscinam Romanam S. Gregorij proiecta sunt? Tandem vndè Clericorum esse filios potiùs quam laicorum,

innotuisset? Ex quibus manifestè convincitur, nullo fundamento, nullaque probabili ratione prędictam historiam fulciri, sed solum esse merum Magdeburgensium figmentum, qui solita sua audacia, & præclaram tanti Pontificis famam, & bonam, ac honestam Ecclesiasticorum illius Regni existimationem obnubilare, ac commaculare voluerunt, illis tam execrabile facinus cædis tot millium infantium impiè adscribentes, vt tam sancti Status dignitatem, à qua tam obscænum, tamque nefandum flagitium penitùs abhorret, hisce fabulis deturparent.

1589 Arguitur 5. ex CLEMENTE ALEXANDRINO *lib. 3. Stromat. Pag. 139.* hęc scribente: *Quin & vnius quoque vxoris virum vtique admittit Apostolus, seu sit Presbyter, seu Diaconus, seu laicus, vtens Matrimonio citra reprehensionem. Servabitur autem per Filiorum procreationem.* Sub Clemente ergo Alexandrino, in fine nempè 2. sęculi, Sacerdotes, & Diaconi Matrimonio vtebantur.

1590 Respondemus 1. estò permittamus Sacerdotes, & Diaconos post Sacrum Ordinem liberos ex coniugio ante inito suscepisse; inde tamen nihil contra nostram Assertionem deduci; non enim negamus, immò ex Patribus, & Concilijs latè probavimus Subdiaconis, Diaconis, & Presbyteris licitũ fuisse Matrimonij vsum, ante Ordinationẽ in laicali statu contracti; immò ipsos, & si Episcopali Dignitate insignitos, liberis ex coniugio antea inito procreandis operã dare potuissent. Et ratio est, quia cœlibatus, vel perpetua Continentia post Ordinẽ, etsi à multis piè, & sanctè, & laudabiliter ad Apostolorũ imitationem servaretur, nullo tamen præcepto, nullaque Lege, vel Canone eo tempore pręscripta fuerat, vt graves Authores tradidere; & licet lata fuerit Lex de Continentia post Ordines servanda, ea tamen contraria consuetudine, quæ tunc in Orientalibus Ecclesijs Superiorum permissione vigebat, & ad hanc vsque diem retinetur, fuerat abrogata.

1591 Respondemus 2. argumentum prædicta Authoritate innixum, nõ convincere, quod intendit; in prædictis enim verbis, Matrimonij vsus, non ad Presbyteros, & Diaconos, sed ad laicos est referendus, vt ipse contextus demonstrat ibi: *Seu laicus vtens Matrimonio citra reprehensionem.* Estò enim Apostolus Diaconos, & Presbyteros vnius vxoris viros admittat, non asserit tamen, eos filiorum procreatiõni operam date; & hoc quidem satis superque erat ad Clementis Alexandrini scopũ, qui contra Tatianum, & Encratitas probandum susceperat Matrimonium, eiusque vsum malum non esse, nec ab eo, velut à peccato debere homines abhorrere; cum à Deo fuerit institutum, ex eo autem quod decreverit Apostolus, *vnius vxoris virum* ad Sacerdotium assumi, convincitur, Matrimonium non solum pro Lege antiqua fuisse concessum, vt prędicti Hæretici contendebant, sed etiam pro Lege gratiæ, ac novo Testamento, vt ex Apostoli verbis deducitur. Hanc solutionem præclarè confirmat ipse Clemens Alexandrinus eodem *lib. 3. Stromat. pag. 344.* hæc scribens: *Quid autem ad hec dicunt, qui in Legem invehuntur, & in Matrimonium, vt quod sit solum à Lege concessum, non autem etiam in Novo Testamento? Quid ad has Leges latas possunt dicere, qui sationem abhorrent, & generationem, cum Episcopum quoque qui domui rectè pręsit, Ecclesiæ ducem constituat? domum autem dominicã, vnius mulieris cõstituit coniugiũ.*

1592 Respondemus 3. cum S. AMBROSIO, qui *Epist. 82.* in prædicti textus expositione, hæc annotavit: *Ne quis filios creare in Sacerdotio Apostolica invitetur Authoritate, habentem filios dixit, non facientem; & ita Apostolus permisit vnius vxoris virum, non verò bigamum, in Episcopum eligi.* In eamdem interterpretationem collimant S. IOANNES CHRYSOST. *in Epist. ad Timoth. cap. 3. Homil. 10.* S. EPIPHAN. *Hæres. 59.* & S. HIERONYM. *lib. 1. contra Iovin. & Epist. 50. ad Pammach.* vbi ait: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgenes eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium, in æternum pudici.*

1593 Arguitur VI. ex CONCILIO Gangrensi *Can. 4.* sic statuente: *Siquis discernit Presbyterum coniugatum tamquam occasione nuptiarum quod oferre nõ debeat, & ab eius oblatione ideò se abstinet, anathema sit.* Orientalis ergo Ecclesiæ Presbyteri Matrimonio copulabantur tempore Nicæni Concilij, & Gangrensis Synodi, non multo post Nicænam celebratæ.

1594 Respondemus: Gangrensis Concilij Patres non loqui hic de Presbyteris, qui coniugio post Ordinationem Sacram vterentur; sed de illo, qui vxorem ante Or-

Ordinationem duxerat, & eam post Sacrum Ordinem, vt sororem retinebat. Hanc autem esse Concilij mentem colligitur ex versione DIONYSII EXIGVI, qui prædictum Canonem è Græco transtulit in Latinum, sic: *Quicumque discernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit.* Pro cuius confirmatione notandum est Gesnerum estò Lutheranum, rationis, & textus efficacia victum, hanc, quam ex Dionysio Exiguo interpretationem adduximus, fuisse sequutum.

1595 Arguitur septimò ex Authoritatibus S. EPIPHANII, S. HIERONYMI, & S. LEONIS Papæ I. asserentium Episcopos, Presbyteros, & Diaconos non eligi, nisi aut Virgines sint, aut vidui, aut post Ordinationem, in æternum pudici: Ergo nec Presbyteris, & Diaconis licitus erat Matrimonij ante Ordinationem contracti vsus; nec vera est Historia, quam ex Socrate, & Sozomeno probavimus de Paphnutio. Antecedens probatur Authoritate S. EPIPHANII *Hæresi.* 59. hęc scribentis: *Sanctum Sacerdotium ex Virginibus quidem vt plurimum procedit, si verò non ex Virginibus, at ex solitariam vitam degentibus: si verò non suffecerint ad Ministerium solitariam vitam degentes, de his qui continent à propijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem servantibus.*

1596 Huc spectat illud D. HIERONYMI *Epist.*50. *& lib. Adversus Vigilan. & in Apologia ad Pammach.* *Quid facient Orientis Ecclesię? Quid Egypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desierunt.*

1597 Accedat tandem S. LEONIS MAGNI Authoritas, qui *Epist.* 82. *ad Anastas. Episco. inter Græcos*, nempè Thessalonicensem *cap.* 4. hæc habet: *Cum extra Clericorum Ordinem constitutis, nuptiarum societati, & liberorum procreationi studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ Continentiæ puritatem, ne Subdiaconis quidem carnale connubium concedit, vt & *qui habent, sint tamquam non habentes*, & qui non habent, permaneant singulares.* Hactenus Leo. Ex his ergo Authoritatibus rectè concluditur obiectionis intentum; & si Subdiaconis concessum non erat carnale coniugium, vt B. Leo asserit; multò minùs Diaconis, & Presbyteris concedebatur.

1598 Huic argumento respondemus primò, prædictas Sanctorum Patrum Authoritates intelligendas esse de his, qui Continentiam ante Ordinationem profitebantur, istis enim nulla iam facultas erat, vel Matrimonium denuò contrahendi, vel antea contracto vtendi; iuxta ea, quæ in huius quæstionis limine pręmisimus, & manifestè patescunt *ex Can.* 10. ANCYRANI CONCILII *in* 2. *eius part.* NEOCÆSARIENSI *Can.* 1. & CONSTANTINOPOLITANO *sub Anastasio*, vt refert PALLADIVS *in Vita S. Chrysostomi.*

1599 Respondemus secundò, quod estò Lex Continentiæ post susceptos Ordines servandæ, ab Apostolorum tempore initium sumpserit; cum tamen Ecclesiastici Sacris Ordinibus initiati eam, non iure divino, sed tantum Ecclesiastico, tenerentur servare; optimè fieri potuit, vt prædicta Lex vno tempore observaretur; & alio consuetudine in contrarium prævalente, abrogaretur, alioque tandem reviviscceret, & in pristinum statum vindicaretur. Vnde quamvis EPIPHANIVS, & HIERONYMVS suo tēpore eā legē servatā scripserint, idque libenter concedamus; negamus tamen quod id semper, & pro semper in eodem statu permanserit; Epiphanius enim, & Hieronymus octoginta circiter annis à Nicæni Concilij tempore remoti inveniuntur, quo temporis intervallo ea disciplina rectè potuit variari.

1600 Respondemus tertiò, pro maiori prędictorum confirmatione, estò S. EPIPHANII, & D. HIERONYMI testimonium libenter admittamus, illud tamen, contra nostram Assertionem nullatenùs militare; ex ijs enim, quæ Sancti asseverant, non deducitur Continentiam esse Sacris Ministris aliquo vniversæ Ecclesiæ Canone præceptam. Referunt quidem Sancti quod suo tempore pia, & Sancta consuetudine in Orientalibus Ecclesijs, vt plurimum observabatur, hoc autē non impedit, Concilij Patres attendentes prędictam Continentiæ post susceptos Ordines consuetudinem, communiter à præcipuis Ecclesiasticis observari, ex ea consuetudine fuisse commotos, atque id in suum animum induxisse, vt nova Canonica Lege eam sancirent, è contra verò Sanctum Paph-

Paphnutium probè cognoscentem ingentia incommoda, quæ ex prędicta lege iam Sacro Ordine initiatis, & ante Ordinationem vxoratis erant suboritura, Sacræ Synodo suasisse, ne legem coniugalis vsus inhibitivam conderet, sed eos qui ante Sacros Ordines coniugium inierant, in sua libertate relinqueret, vt vel Continentiam profiterentur, vel Matrimoniè licito contracto vterentur. Nec vrgent illa S. EPIPHANI verba: * Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi ab vxoris consuetudine se continent, vbi Ecclesiastici Canones accuratè servantur.* Ijs enim verbis non vult significare Continentiam ab vxoribus, esse suo tempore Sacris Ministris alicuius EOcumenici Concilij Canone vsu recepto, præscriptam.

1601 Respondemus quartò, prædictas EPIPHANII, HIERONYMIQVE Authoritates, quod ad Sacerdotium ex Virginibus eligeretur, intelligendas esse de Ecclesia Latina, vbi Sacri Ministri, vt plurimum ex Virginibus eligebantur; & si fortè ex Virginibus non occurrerent, qui sacris initiarentur Mysterijs, perpetuam ab vxoribus, etiã proprijs, Continentiam post Ordinem servandam profitebantur; vt constat ex pluribus Decreti Capitibus, nempè *cap. Ministri.81. Dist.* & *Can.33.* CONCILII ILLIBERIT. ibi: * Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios.* Et ex Papa SYLVESTRO *in Concilio Romano II. cap.19.* *Nemo enim Presbyter à die oneris Presbyterij sumat coniugium.* Quo loco per coniugium, contubernium cum fœmina intelligitur. Constat insuper ex CONCILIO VENETICO *sub Leone I. Can.* 11. & CARTHAGINENSI II. *Can.* 2. vbi AVRELIVS Episcopus, hæc dixisse legitur: * Cum in præterito Concilio de Continentiæ, & Castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, conscriptione quadam Castitati per Consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos. Ita placuit, vt condecet, Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, qui possint simpliciter quod à Deo postulant impetrare: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab vniversis Episcopis dictum est: Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant (GLOSSA: id est, Subdiaconi) pudicitię custodes etiam ab vxoribus abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altario deserviunt.* Apud Gratianum, *Dist.84. cap.3.*

1602 At si de Gręca Ecclesia loquamur, optimè possunt prædictæ Authoritates intelligi de Continentia, & Castitate, quam Sacri Ecclesię Ministri post Sacrum Ordinem in multis Orientalibus Provintijs, estò non in omnibus, profitebantur. Quod vt clarius intelligatur, notandum est, quod estò consuetudo, quæ in Oriente præscripserat, vt Sacri Ecclesiæ Ministri possent post Ordinationem Matrimonio ante Sacrum Ordinem contracto vti, communiter esset recepta, in multis tamen alijs partibus contrarium tenebatur, eademque Castitas, quę in Ecclesia Latina tenetur, diligentissimè observatur, vt testatur NICEPHORVS *lib.* 12. *Hist. cap.* 34. vbi diversas Ecclesiarum consuetudines prosequens, de Thessalia (ad cuius Episcopum scribit S. LEO *Epist. citata*, cuius verba dedimus in argumento) hæc habet: * In Thessalia, & hoc factitatum esse liquet. Licebat Clerico cuius priusquam in Ordinem eum cooptaret, legitimè vxorem ducere. At si postea, vt consuetudine receptum est, vxorem cognovisset, eo Ordine movebatur.* Quæ Thessalię consuetudo ortum duxit ab Heliodoro, Tricensi Episcopo, qui maluit Episcopatum deponere, quàm Æthiopicam amatoriam Fabulam Theagenis, & Chariceæ, quam composuerat, supprimere. Intellectis ergo, iuxta hanc vltimam Doctrinam, supradictis Authoritatibus, nullius est roboris argumentum, nulloque negotio quilibet ei plenissime satisfaciet.

1603 Tandem arguitur contra supradicta *ex cap. Qui Clerici, vel vovent. in 1. collect.* vbi Decano, & Canonicis Lemovicentibus, sic rescribit ALEXANDER III. * Cum institisset apud nos Herbertus lator Parrochianus vester, vt de Ordine Subdiaconatus, ad quem recipiendum nimis enormiter, & inordinatè se ingesserat, cum eo misericorditer ageremus, & non potuisset, sicut non debuerat, in hac parte proficere; tandem à nobis licentiam postulavit, vt possit sibi in Matrimonium aliquam legitimè copulare. Nos itaque studio-

diosiùs attendentes, quod prædictus Ordo, cum nullam sibi dignitatem attulerit, vel honorem, Matrimonium eius non impedit, Discretioni vestræ per Apostolica Rescripta præsentia mandamus, quatenus si Matrimonium legitimè duxerit contrahendum, nullus vestrum à contractu Matrimonij, prædicti Ordinis obtentu, prohibere præsumat, nec sibi propter hoc molestiam inferat, vel gravamen.* Ex quibus verbis manifestè deducitur, rectè posse Subdiaconum coniugium inire; cumque Subdiaconatus sit Ordo Sacer (vt constat ex INNOCENTIO III. & ex *cap. Ante triennium*, & alijs multis,) hinc inferri videtur, posse Ecclesiæ Ministros Sacris Mysterijs initiatos, non solum ante, sed etiam post Sacram Ordinationem, Matrimonium contrahere.

1604 Vt huius argumenti difficultatem perfectiùs enodemus, operæpretium duximus sequens instituere caput.

CAP. IX.

AN SVBDIACONATVS SIT Ordo Sacer, & Castitatis Votum annexum semper habuerit; ita vt non modo Matrimonium contrahendum impediat, sed etiam dirimat contractum.

1605 PRo pleniori notitia primæ partis huius dubij, prænotandum est, ex Sacris Ordinibus, quos Ecclesia vt tales semper admisit, Hæreticos absolutè negare esse Sacros, non modò Subdiaconatum, sed etiam Diaconatum, & Sacerdotium: Vvaldenses enim Sacerdotibus sacratius Ministerium, qualis est Authoritas Confessiones audiendi, & à peccatis absolvendi, temerè inficiantur; immò Authoritatem istam ita profanam faciunt, vt eam Sacerdotibus denegantes, Laicis concedant, vt tradunt GVIDO *de Vvaldensib. Hæres.* 5. & ÆNEAS SYLVIVS, postea Pontifex PIVS II. *in Histor. Bohem. cap.* 25.

1606 Hieronymus de Praga, ita Sacrum Sacerdotium violavit, ac effrenata sua audacia polluit, vt *artic.* 13. potestatem conficiendi Venerabilissimum Eucharistiæ Sacramentum, Confessiones audiendi, & quæcumque alia Sacramenta efficiendi, ac conferendi, merè laicis vtriusque sexus concesserit, vt videre est apud Cochlæum *lib.* [illegible]. *Hist.*

1607 Martinus Lutherus *de Captivit. Babylon. cap. de Ordine, & ad Senatum Pragen.* absolutè negat, in Novo Testamenro esse Sacerdotes; nullumque Sacrum Ordinem, sed tantum profanum admittit; hæc enim scribit: *Suntque prorsus omnes Christiani, Sacerdotes.*

1608 Magistrum suum Lutherum est sequutus Calvinus, qui *Epist.* 190. Presbyteratum esse Ordinem Sacrum, verbis relatu indignis, denegavit.

§. I.

PRESBYTERATVM ESSE Ordinem Sacrum ex Patribus tum Græcis, tum Latinis ostenditur.

1609 PRædictis hæreticorum deliramentis, & in Sacrum Sacerdotium, Divinumque Ministerium blasphemijs, Ecclesiæ Patres sese viriliter opposuerunt, Presbyteratum vt Sacrum Ordinem ita vnanimi consensu venerantes, vt cum iam à primis Ecclesiæ temporibus Sacrum gradum fuisse, nullus illorum ambigat. Et meritò, cum id apertè constet *ex cap. Presbyter. & cap. Ecclesiæ.* 33. *dist. cap. Cleros, vers. Sacerdos, & vers. Presbyter.* 21. *dist.* ex CONCILIO AQVISGRANENSI *sub Stephano* 5. *Can.* 8. Docent etiam id ALCVINVS *de Divin. Offic. cap.* 35. & communiter Theologi.

1610 Præcipui tamen Ecclesiæ Patres Sacerdotium inter Sacros Ordines numerantes sunt, ex Græcis S. CLEMENS ROMANVS *Can. Apost.* 2. *& lib.* 2. *Constit. Apostolic. cap.* 28. *& lib.* 8. *cap.* 16. S. DIONYSIVS AREOPAGITA *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 1. *& cap.* 5. *Sacerdotium illuminans Ordo ad contuenda Sacra Mysteria, eos, qui imitantur, adducit; sub Sanctorum tamen Pontificum Ordine, cum quibus propria officia peragit.*

1611 S. IGNATIVS *Epist. ad Smyrnen. & Ephes.* S. POLYCARPVS *Epist. ad Philippen.* S. IVSTINVS *Dialog. cum Trypho.* S. IRENÆVS *lib.* 4. *cap.* 20. ibi: *Sacerdotes sunt omnes Domini Apostoli, qui neque domos hereditant hic, sed semper Altari, & Deo serviunt.* ORIGENES *homil.* 6. *in Levit.* PAMPHILVS Mar-

Martyr *in Apolog. pro Orig.* EVSEBIVS CÆSARIENSIS *lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap.* 13. CONCILIVM NEOCESARIENSE *de Ordinat. Sacerdot. cap. 9.* SYNODVS NICÆNA *Can. 6.* ex Arabico translato, ibi: *Siqui sunt ex Diœcesi ad Sacerdotium, id est, ad Sacros Ordines eligendi, primum quidem adducendi sunt ad Episcopum, &c.*

1612 S. ATHANASIVS *de Vita S. Ambrosij.* S. EPHREN *de Sacerdot.* sic, inter alia, de Sacro isto Ministerio scribens: *O potestas ineffabilis, quæ in nobis digna est habitare per impositionem manuum Sacrorum Sacerdotum! O quàm magnam in se continet profunditatem formidabile, & admirabile Sacerdotium!* S. BASILIVS MAGNVS *de Baptis. cap.* 8. S. GREGORIVS NICÆNVS *Orat. de Sancto Baptis.* S. EPIPHANIVS: *Presbyterorum (inquit) Ordo cum possit generare patres, per lavacri regenerationem generat filios Ecclesiæ.* S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *homil.* 5. *de verb. Isaiæ: Vidi Dominum, &c.* *Sacerdotium Principatus est ipso etiam regno venerabilius, & maius, ideòque Deus ipsum Regale Caput, Sacerdotij manibus subiecit, nos erudiens, quod hic Princeps, est illo maior. Siquidem id quod minus est benedictionem accipit ab eo quod est prçstantius. (Et *lib. 3. de Sacerdot.*) Siquis (inquit) consideret, quantum id sit Mysterium. (Et paulò infrà:) Tunc probè intelliget, quanto Sacerdotes honore, quanta Dignitate, Spiritus Sancti gratia dignata fuerit: operationibus enim illis, túm Sacra hçc, quæ dico, initiantur, perficiunturque. (Et infrà:) Etenim qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est, vt Potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in Cœlo, &c.*

1613 S. CYRILLVS ALEXANDRINVS *de Recta in Deum Fide ad Reginas Comment.* 1. *Sanè (inquit) quibus Sacri Ministerij Provincia concredita est, hi soli Deo ministrant: neque enim hominibus Sacerdotes assistunt, sed Deo. (Et *Comment.* 2.) Qui in Sacerdotum Ordinem asciti eam sortiti sunt Provinciam, vt Christi, omnium Servatoris, Mysteria edisserant, populo proponant.* S. ISIDORVS PE- [illegible] 151. & *Epist.* 152. *Divina quidem res est Sacerdotium, ac rerum omnium præstantissima.* PROCOPIVS GAZÆVS *in Exod.* *Sacerdotium (ait) excedit omne humanum fastigium, quod Christi supra naturam particeps est.* Et *in Numeros, fol.* 415. GERMANVS CONSTANTINOPOLITANVS *in Theoria:* *Agnoscite (inquit) omnes Sacerdotes, qui Sacro Altari assidetis, & incruentam victimam sacrificatis. (Et infrà:) Per manum Sacerdotum, & linguam Mysteria conficit. (Deus.) Hæc ergo Sacerdotij est virtus, &c.* ELIAS CRETENSIS *in Orat.* 1. *Nazianz.* *Eo nomine etiam Angelus Dei Omnipotentis Sacerdos appellatur. (Et infrà:) Quod quidem valdè honorificum, & formidabile est: honorificum inquam propter sublimitatis, ac dignitatis magnitudinem.*

1614 NICÆNA SYNODVS *Can.* 14. sic loquitur: *Quod Ordo in Sacerdotio versatur, est omnibus manifestum, & Sacerdotij manuum impositiones servare, Deo gratum est.* Ex quo manifestè deducitur, esse Sacrum Ministerium, cum per manuum impositionem in Primitiva Ecclesia Spiritus Sanctus daretur. TEOPHILACTVS *ad cap.* 11. *&* 20. *Ioannis*, hæc habet: *Vide igitur Sacerdotum Dignitatem, quod divina sit: Dei enim est remittere peccata. Sic igitur illi honorandi sunt vt Deus: nam quamvis indigni sint, quid hoc? Divinorum donorum Ministri sunt, & gratia operatur per eos: non enim indignitas nostra gratiam prohibet, quia per Sacerdotes gratia suppeditatur, honorandi sunt.* GENNADIVS SCHOLARIVS *de Sacrificio in Azymo, sect.* 7. *Ad hoc Mysterium requiritur Sacerdos: nam qui Sacerdos non est, hoc est, gradum Sacerdotalem non habet, Sacrificium nunquam conficiet.*

1615 BESARION *de Sacram. Eucharist.* hæc, inter alia, scribit: *Ex quo manifestum est, non orantis Sanctitatem, sed ipsum Dominum proprijs suis verbis à Sacerdote prolatis panem, & vinum in proprium Corpus permutare, &c. (Et infrà:) Est ad hoc necessarius, & idoneus, & sufficiens Minister: sufficiens autem est qui Potestatem per Consecrationem habet, & Sacerdos factus est.* Hæc Græci Patres pro Sacro Sacerdotij Ordine; at non minori veneratione Sancti Latinæ Ecclesiæ Patres, & Doctores Sacerdotium ipsum, vt Sacrum Ordinem prosecuti sunt; interquos

AR-

1616 MARTIALIS, Lemovicensis Episcopus *Epist. ad Burdegalens. cap. 3.* sic illos alloquitur: * Honorabatis Sacerdotes, qui vos suis Sacrificijs decipiebant: ergo multò magis Sacerdotes Dei Omnipotentis, qui vitam vobis tribuunt in Calice, & vivo Pane, honorare debetis.* Eumdem Presbyteratus Ordinem sacrum esse apertè ostendunt Sancti Pontifices ANACLETVS *Epist.* 2. TELESPHORVS *Epist. ad omnes vniversaliter.* FABIANVS *Epist.* 2. ibi: *Sacerdotes quoque Dominus sibi elegit, vt Sacrificent ei, & offerant oblationes Domino.* EVSEBIVS *Epist.* 3. *Caput Ecclesię Christus est, Christi autem Vicarij Sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in Ecclesia.* HORMISDAS *ad Episcopos per Hispaniam constitutos, cap.* 1. *Sacerdotibus (inquit) ordinandis, quæ sunt à Patribus præscripta, & definita cogitetis: quia sicut est Caput Ecclesiæ Christus, Christi autem Vicarij Sacerdotes; sic & in eligendis his curam oportet esse præcipuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos pręesse necesse est corrigendis, nec quidquam illi deesse personę, penes quam est Religionis summa, & substantia disciplinę.*

1617 S. GREGORIVS MAGNVS *lib. 4. Epist. 31. ad Imperatorem Mauritium*, hortans eum, vt debitam Sacerdotibus reverentiam impendat, huiusmodi reverentiæ rationem hisce verbis reddit: * Nam in Divinis Eloquijs Sacerdotes, aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moysem de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: *Applica illum ad Deos*; id est, ad Sacerdotes (*Exod. 22.*) Et rursum scriptum est: *Dijs non maledices.* Et Propheta, ait: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* (*Malach.* 2.) Quid ergo (inquit Sanctus) mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo Eloquio honorem tribuens, eos, aut Angelos, aut Deos etiam ipse appellat Deus? Ecclesiastica quoque Historia testatur, quia cum piæ memoriæ Constantino Principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dij estis, à vero Deo constituti, ite, & inter vos causas vestras discutite; quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. (Et infrà:) Quid ergo mirum, si Christianus Imperator, veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, cum Pagani Principes honorem impendere Sacerdotibus noverint, qui Dijs ligneis, & lapideis serviebant.*

1618 NICOLAVS I. *Epist. 8. ad Michael. Imperat.* * Oportet (inquit) pietatem vestram Sacerdotibus, qualescumque sint, propter eum, cui deserviunt, reverentiam potiùs, quàm iniurias exhibere. Sed de his iam cum Sancto Papa loquamur vobis Gregorio: In Divinis Eloquijs Sacerdotes aliquandò Dij vocantur, aliquando Angeli, &c.* S. LEO Papa I. *Epist. 61. ad Maxim. Antiochen. Episcop. cap. 6.* & pręcipuè *Epist. 81. ad Dioscor. Alexandr. cap. 1. de Excellentia Sacri Muneris Sacerdotalis*, hæc scribit: *Quod ergo à Patribus nostris propensiori cura novimus esse servatum, à vobis quoque volumus custodiri, vt non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur; sed post diem Sabbati eius noctis, quę in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, hoc est sub lege Divini Officij substituantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, ieiunis, & à ieiunantibus Sacra Benedictio conferatur.* Videndus etiam *Epist. 37. ad Episcop. African. cap. 1.*

1619 GREGORIVS III. *Epist. ad Bonifac.* *Si bonæ actionis (inquit) & Catholici viri sint ipsi Presbyteri, & Ministerio Christi, omnique Lege Sancta edocti, aptique, ab Episcopo suo Benedictionem Presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic Ministerio Sacro fungantur.*

1620 INNOCENTIVS III. qui & Doctrinæ, & Sanctitatis gloria effloruit, *lib. 1. Myster. Missæ, cap. 9.* *Vnguntur (inquit) manus Presbyteris ab Episcopo, vt cognoscant, hoc Sacramento se per Spiritum Sanctum accipere gratiam consecrandi. Vnde cum eas vngit Episcopus dicit: *Consecrare, & Sanctificare digneris Domine manus istas, per istam vnctionem, & nostram benedictionem, vt quæcumque consecraverint, consecrentur; & quæcumque benedixerint, benedicantur in nomine Domini.**

1621 Eamdem veritatem Sancti Patres, Ecclesiæque Doctores confirmant.

S. CYPRIANVS *Epist. 55. & 66.* *Singuli (inquit) Divino Sacerdotio honorati, & in Clericali Ministerio constituti, non nisi Altari, & Sacrificijs deservire, & precibus, atque Orationibus vacare debent.* S. PACIANVS *Epist. 1. de Sacerdotibus, & eorum sacro munere*, sic scribit: *An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum Sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non alijs, quàm Apostolis imperatum est.* S. HIERONYMVS *Epist. 1. ad Heliodor. cap. 7.* *Absit (inquit) vt de Clericis quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus Sacro ore conficiunt, per quos, & nos Christiani sumus: qui claves Regni Cœlorum habentes quodammodò ante iudicij diem iudicant,*

1622 S. PAVLINVS NOLANVS *Epist. 6. ad Sulpit.* ita scribit: *Credo ipsius Ordinatione correptus, & Presbyteratu initiatus sum (fateor) invitus. Data igitur cervice in iugum Christi videò maiora me meritis, & sensibus opera tractare, iamque arcanis, & penetralibus Dei summi receptum, & insertum communicare Cœlestia, & Deo propius admotum in Spiritu ipso Christi, & Corpore, & splendore versari. Vix adhuc intellectum sacræ molis capio mentis angustijs, & onus muneris mei (conscius infirmitatis) horresco. Ea conditione in Barchinonensi Ecclesia consecrari adductus sum.*

1623 ARNOBIVS IVNIOR *ad Psalm. 139.* sic de Divino Sacerdotij munere loquitur: *Quid tàm magnificum, quàm incrementa divina conficere? Et quid tàm perniciosum, quàm si quis ea conficiat, qui nullum Sacerdotij gradum accepit?* VICTOR VTICENSIS *de Persecut. Vvandal. lib. 2.* de Sacerdotibus eorumque sacro munere loquens: *Vobis (inquit) dictum est: Quæcumque solveritis super terram, erunt & soluta, & in Cœlis.* Qui nos solemnibus Orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus Divini Sacrificij Ritus exhibendus est consuetus?*

1624 S. ISIDORVS, Hispalensis Episcopus *de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 5.* Sacerdotij excellentiam, & originem, his exprimit verbis: *Presbyterorum Ordo exordium sumpsit à Filijs Aaron: qui enim Sacerdotes vocabantur in Veteri Testamento, hi sunt, qui nunc appellantur Presbyteri, qui nuncupabantur Principes Sacerdotum, & nunc Episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur, *seniores*; quia seniores ætate Græci, *Presbyteros* vocant. His enim, sicut Episcopis, dispensatio Ministeriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesijs Christi, & in confectione Divina Corporis, & Sanguinis consortes cum Episcopis sunt; similiter, & in Doctrina Populorum, & in Officio Prædicandi.*

1625 CONCILIVM TOLETANVM IV. *cap. 30.* *Quicumque in Sacerdotio Dei positi sunt, irreprehensibiles esse debent Paulo attestante: Inoffensos ergo, & immaculatos oportet existere Dei Sacerdotes, castè viventes, mundos se ipsos celebrandis exhibeant Sacramentis. Abstineamus ergo nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus, vt mundi corpore, purgati mente possimus ad Sacrificium Christi dignè accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.*

1626 RABBANVS MAVRVS *de Vniverso, lib. 4. cap. 5.* *Presbyter Grecè, latinè, *senior* interpretatur; non pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, *Presbyteri* nominantur. Ideò Presbyteri, *Sacerdotes* vocantur, quod Sacrum dant, sicut & Episcopi.* PASCHASIVS RATHBERTVS *de Corp. & Sanguin. Dom. cap. 12.* *Ex Officio Sacerdotis ista, non ex merito prestantur. Idcircò licet reus sit, Officium Ministerij sacrum est, & gradus Sacerdotij à Summo Pontifice Christo compensatur, vt nihil minùs carnis, & sanguinis habeat hoc Mysterium à quovis indigno, quàm ab Apostolica propagine consecrata exhibeatur: quia non ex eo, sed ex eius Officio, à Summo Pontifice gratia, quam ipsa veritas repromisit, impletur.*

1627 S. PETRVS DAMIANI *Epist. 15. cap. 15.* *Cum Sacerdos (inquit) ideò dicatur, quia sacrum det, hoc est, quia Deo Sacrificium offerat, quid in Ecclesia sublimius, quid eminentius Sacerdotio poterit inveniri, per quod videlicet Mysterium Dominici Corporis, & Sanguinis probatur inveniri? Licet igitur Episcopi quibusdam privilegijs pro magno suo quisque Ministerio specialiter potiantur: quia tamen id, quod omnibus maius est, commune cum reliquis Sacerdotibus

bus habent, cum his etiam, & ipsi non immeritò Sacerdotij nomen tenent.*

1628 IVO CARNOTENSIS *serm. de Excellent. Sacror. Ordin.* sic, inter alia, scribit: *Distat hoc tantum inter Pontifices, & huius temporis Sacerdotes: quia scilicet, solis Pontificibus addicta est Clericorum Ordinatio, &c. (Et infrà:) Presbyteri cum ordinantur, Episcopo eos benedicente, & manum super eorum capita tenente, omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manum suas iuxta manū Episcopi super capita eorum levant, & Spiritum Sanctum super eos, qui ordinantur, invocant. In quo apparet, quanta sit excellentia Sacerdotalis officij, per quod quotidie in Altari Christi Passio celebratur, & reus quisque à peccatis conversus Deo reconciliatur. Quibus omnibus de Sacerdotali Ordine breviter pertractatis, admonendi sunt Christi Sacerdotes, quatenus sicut excellunt Ordinis dignitate, sic excellant vitæ Sanctitate.* Vide eumdem *Epist.* 124. vbi in eorum, qui censent, Laicos absque Presbyteratus Ordine, Ecclesię Sacramenta ministrare posse, hæresim, sic invehitur: *Quorum fatuitas multipliciter improbari potest, partim ratione, partim Divinorum operum attestatione, postremò Sanctorum Parum irrefragabili Authoritate. Primò namque, si à quibuscumque personis Divina Sacramenta confici, & tractari possent, ex abundanti constitutus esset in Ecclesia Ordo Sacerdotalis, & Leviticus: quod impium est aliquem arbitrari, cum hunc vtrumque Ordinem, & vetus Lex primò, Domino iubente, sub figura constituerit, & Evangelica, vel Apostolica Doctrina postmodum veritate consecraverit.*

1629 HVGO VICTORINVS *in Specul. Eccles. cap.* 5. de Sacro Sacerdotum munere hæc tradit: *Ordo Presbyterorum à filijs Aaron sumpsit exordium, dum isti à triginta annis, & suprà, ordinantur (Episcopo eos benedicente, & manus super capita eorum tenente) omnes Presbyteri, qui cum eo sunt præsentes, manus cum Episcopo levantes super eos Spiritum Sanctum invocant. Post invocationem accipiunt Stolam super vtrumque humerum, vt intelligant, se debere esse munitos per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, vt nec eos adversa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt & Calicem, cum vino de manu Episcopi, & Patenam cum Hostia, vt intelligant, se habere potestatem offerendi Deo Hostias placabiles, Corpus scilicet, & Sanguinem Christi. Magna dignitas! mira potestas! excelsum, & expavendum officium! hoc Ordine non est alius excellentior in Ecclesia.* Quibus addiderim: nec alium esse in Ecclesia Ordinem, qui Sacratiori Ministerio fungatur: quare omnimodo Sacer debet appellari.

1630 Hic D. BERNARDVS *serm.* 2. *de Cœna Dom.* *Audite modò Sacerdotes, & obstupescentes admiramini: Nulli Angelorum, nullis Spiritibus supernis; sed hominibus, nec tamen omnibus, sed Ordini vestro tantum, mandatum esse huius Sacramenti celebrationem in Altari, &c.*

1631 PETRVS LOMBARDVS, Sententiarum Magister, *lib.* 4. *dist.* 24. *Septimus est (inquit) Ordo Presbyterorum, ad quos pertinet, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in Altari Dei conficere, Orationes dicere, & dona Dei benedicere: qui cum ordinantur, inunguntur his manus, vt intelligant, se accepisse gratiam consecrandi, & Charitatis opera debere extendere ad omnes.* Vbi satis clarè explicat tot Sanctorum Magister (vti S. THOMÆ, D. BONAVENTVRÆ, B. ALBERTI MAGNI, & aliorum, qui illius opera elucidarunt, illumque vt Magistrum venerati sunt) quàm Sacer sit Presbyteratus, quamque multis nominibus debeat Sacrorum Ordinum primatum tenere.

1632 ALEXANDER ALENSIS *part.* 4. *quæst.* 10. *memb.* 5. *art.* 1 §. 1. *Potestas consecrandi solummodò est Sacerdotū. Hæc enim potestas annexa est Ordini Sacerdotali: Vndè soli Sacerdotes possunt consecrare. Hoc autem tenet Ecclesia Romana, informata, & edocta ab Apostolis, qui informati erant, & edocti à Domino: vndè qui contrarium asserunt, à Fidei veritate deviant, & infideles iudicandi sunt.*

1633 Cui consonat D. THOMAS 3. *part. quæst.* 82. vbi de Ministro Eucharistiæ sermonem instituens, *art.* 1. hæc habet: *Sicut baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc Sacramentum: ita Sacerdoti, cum ordinatur, confertur Potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi.* Et *in* 4. *Sent. dist.* 24. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *& in Supplement. ad* 3. *part. quæst.* 37. *art.* 1. *in corp.* *Ministerium (inquit) Novi Testamenti est dignius, quàm Veteris, vt patet 2. *ad Corinth.* 3. sed in Veteri Testamento non so-

solum Sacerdotes, sed etiam Ministri eorum Levitæ sanctificabantur: ergo & in Novo Testamento debent consecrari per Ordinis Sacramentum, non solum Sacerdotes, sed Ministri eorum.* Et *art.2.eiusdem quæst.* agens de numero, & distinctione Ordinum, relatis varijs Sententijs, quas non sequitur, concludit: *Et ideo aliter dicendum, quod Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Eucharistiç ordinatur, quod est Sacramentum Sacramentorum, vt Dionysius dicit *cap.3. Ecclesiast. Hierarch.* Sicut enim Templum, & Altare, & Vasa, & Vestes, ita & Ministri, qui ad Eucharistiam ordinantur, Consecratione indigent; & hæc Consecratio est Ordinis Sacramentum. Et ideo distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam; quia Potestas Ordinis, aut est ad Cõsecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod Ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum Eucharistiæ. Si primò modo, sic est Ordo Sacerdotum: & ideo cum ordinantur accipiunt Calicem cum vino, & Patenam cum pane, accipientes Potestatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi, &c.* Ex quibus manifestè infertur, quod si Sacrorum Ministrorum Consecratio est Ordinis Sacramentum; cum Presbyteratus sit primus, & precipuus inter Ordines, proculdubio erit Ordo Sacer. Et si præcipua Sacerdotis potestas est in Ordine ad consecrationem Eucharistiæ, quæ est Sacramentum Sacramentorum, vt cum S. DIONYSIO docet D. THOMAS: Sacerdotum Potestas, & Ordo, velint, nolint hæretici, inter Sacra, & Sacramenta computari debet, ac haberi.

1634 S. BONAVENTVRA *in 4. sent. Dist. 23. quæst. 2.* * Soli Sacerdotes conficere possunt hoc Sacramentum (Eucharistiæ): Et si alij conficiunt, nihil omninò faciunt. Et hoc quidem docet Fides nostra, quam ab Apostolis percepimus, & ipsi à Domino. Vndè ordinaverunt Ecclesiam secundum Dei institutionem. Et quia Apostoli, & eorum postmodum successores potestatem conficiendi personis spiritualibus contulerint, quas & Sacerdotes appellarunt: imò solis illis tenet Fides licitum esse. Huic consonat ratio, quod Sacramentum illud, quod in magna reverentia habendum fuit, spiritualibus personis commissum est, & committi debuit.*

1635. Tandem S. LAVRENTIVS IVSTINIANVS, nunc à SS. D.N. ALEXANDRO VIII. ob præclara Virtutum merita, in Sanctorum Albo repositus *Serm. de Christi Corp. seu de Eucharist.* hęc ad rem nostram aptissima, aureo verborum torrente, effudit: *Magna est profectò, & admiranda Sacerdotum dignitas. Maxima illis est collata Potestas. Sua namque prolatione eloquiorum cœlestium, & ad eorum pene libitum Corpus Christi de panis transsubstantiatur materia: descendit de Cœlo in carne Verbum, & Altaris verissimè reperitur in mensa. Hoc illis prærogatur ex gratia, quod nusquam datum est Angelis, assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in seque suscipiunt.*

1636 Ex tot, tantorumque Sanctorum Authoritatibus, qui & virtutis, & sapientiæ suæ radijs Ecclesiam illustrarunt, manifestè innotescit, quàm vnanimi consensu Presbyteratum, tamquam Sacrum Ordinem, Sacerdotesque, veluti Sacros primi Hierarchici Ordinis Ecclesiastici Ministros, venerati sint. Et meritò, cum præcipuum Sacerdotum Ministerium, nec sacratius esse possit, nec divinius, vt supra probavimus. Tot ergo Authoritatibus, totque luculentissimis testimonijs virorum, tum Sanctitate, tum Sacrarum eruditione litterarum insignium, tamquam validissimo ariete satis retunditur, immò penitus diruitur relatus hæreticorum error, qui vti profani, & à religione remoti, à Sacro Sacerdotij Ordine religionem eripere, & ex Sacro profanum facere moliuntur, illud non inter res Sacras, vt par erat, sed inter profanas, & laicalis status proprias, connumerantes. Satis, inquam relatus error retunditur; cum quælibet ex illis Authoritatibus, quas ex Sanctis Patribus, & Concilijs retulimus, validissima sit prædictæ hæreseos explosio, & à Catholico Orbe eliminatio.

§. II.

DIACONATVM ESSE ORDINEM Sacrum, Patres tum Græci, tum Latini proclamant.

1637 VT tenebris expulsis, clariùs eluceat veritas, apponendum priùs censuimus, quid hac de re hæretici sentiant. Falcidius enim in talem lapsus est errorem, vt Diaconatum Sacerdotio æqualem esse existimarit: vt refert S. AVGV-

GVSTINVS *in quæst. veter. & novi Testam. quæst.* 101.

1638 Martinus Lutherus *in Captivit. Babylon. cap. de Ordin.* negat illum esse Sacrum Ministerium, & temporale affirmat, sic enim scribit: *Diaconium est ministerium non legendi Evangelij, aut Epistolæ, vt hodie vsus habet, sed opes Ecclesię distribuendi pauperibus, vt Sacerdotes leventur onere rerum temporalium.*

1639 Luthero consonat Philippus Melancton dum *in secunda editione locorum communium, fol.* 91. *Diaconi (inquit) erant, qui eleemosinas partiebantur inter inopes.* Volens in hoc solo consistere Diaconatus Officium.

1640 Prædictis subscribit Nicolaus Henningius, Hæreticus *in Epist.* 1. *ad Philippen.* ita scribens: *Diaconus accipitur pro administratore eleemosinarum Ecclesiæ, qui accipiendis, & distribuendis eleemosynis præficitur. Verùm Diaconatus, quem postea finxerunt Pontifices, nullum habet in verbo Dei firmamentum.*

1641 Attamen quàm falsa sit, quamque sacrilega horum Hæreticorum opinio, manifestè agnoscet quisquis Sacras Scripturas evolverit, præcipuè illud. *Actor.* 6. *Elegerunt Stephanum, virum plenũ fide, & Spiritu Sancto, & Philippũ, Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.*

1642 Et illud *ad Philipp.* 1. *Paulus, & Timotheus servi IESV CHRISTI, omnibus Sãctis in CHRISTV IESV, qui sũt Philippis, cum Episcopis, & Diaconis. Et* 1. *ad Timoth.* 3. *Diaconos similiter oportet esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, &c.* Quibus textibus manifestè confutantur prædicti Hæretici, & pręcipuè Nicolaus Hennigius, qui erroneè asseruit: *Diaconatum nullum habere in verbo Dei firmamentum.*

1643 Sed vt validiùs prædictus error explodatur, videnda est S. PETRI *Liturgia*, in qua, hæc habentur: *Deinde clara voce Diaconus: Benedic Domine. Sacerdos dicit: Benedictum regnum Patris, & Filij, &c. Diaconus: Rogemus Dominum pro superna pace, &c.*

1644 Et *Liturgia* D. MARCI, vbi sic legitur: *Sacerdos: Pax omnibus. Populus: Et spiritui tuo. Diaconus: Orate: Sacerdos sic orat, &c. Diaconus: Ad Orationem state. Sacerdos orat: In nos insuffla circunstantes servos tuos in introitu Sacri Ministerij, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Lectores, Cantores, & Laicos. Diaconus Evãgelium recitaturus dicit: Domine benedicito, &c. Diaconus: state recti: audiamus Sanctum Evangelium.*

1645 Liturgiaque D. IACOBI: *Diaconus: Domine benedic. Sacerdos ipsi apprecatur, &c. Orans Diaconus respondet: Dominus benedicat, dignosque nos faciat, &c. Deinde canere incipit Diaconus in ingressu: Vnigenite Fili Dei, &c. Deinde Diaconus Collectam dicit: In pace Dominum oremus, &c.*

1646 Vt autem clariùs appareat, Hæreticos novitati potiùs, quam veritati studere, antiquitatisque notitia penitùs destitui. Sanctos Patres, gravissimosque Authores, tùm Græcos, tùm Latinos proferemus in medium, qui pleniorem Diaconorum, illorumque Ministerij notitiam nobis vnanimi consensu suppeditarunt, illorumque Ministerium Sacrum esse, ac Divinum, apertissimè tradiderunt.

1647 S. CLEMENS Romanus *lib.* 8. *Constit. cap.* 17. *Diaconum (inquit) cum ordinas, Episcope, imponendo ei manus, præsentibus omnibus Presbyteris, & Diaconis, & precando ei dices: *Domine Deus Omnipotens auribus percipe preces nostras, & ostende faciem tuam super hunc servum tuum, tibi electũ ad Ministerium, & imple eum Spiritu Sancto, & virtute, sicut implevisti Stephanum Protomartyrem, & imitatorem Christi tui.**

1648 Et *cap.* 28. de Diaconi Ministerio loquens: *Diaconus (inquit) non benedicit, neque dat benedictionem: accipit verò ab Episcopo, & Presbytero. Non baptizat, non offert: oblatione verò ab Episcopo, aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris.* Vbi clarè patet, Diaconi Ministerium non esse laicum, nec merè temporale, sed sacrum, & spirituale in Sacrificiorum Altari.

1649 S. DIONYSIVS AREOPAGITA *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 3. pro Sacro Diaconorum munere, hæc habet verba: *Porrò Ministrorum alij quidem pro clausis Templi foribus adstant: alij proprij aliquid muneris agunt: qui verò ip-

ipsius Ordinis præcipui sunt (Diaconi, vnà cum Sacerdotibus) Sanctum Panem, & benedictionis Calicem Sacrosanctis Altaribus imponunt, cum antè præcesserint ab omni Clero vniversalis laus, atque Confessio.*

1650 Huc advocandus S. IGNATIVS Martyr, Apostolorum Coætaneus, hæc *ad Heronem Diaconum*, scribens: * Nihil sine Episcopo facito: Sacerdotes enim sunt; tu vero Sacerdotum Minister. Baptizant, sacrificant, eligunt, imponunt manus: tu vero illis ministras, vt Sanctus ille Stephanus Iacobo, & Presbyteris, qui erant Ierosolymis.*

1651 Et vt clariùs appareat ad Diaconum, ratione sui muneris, non solum spectare eleemosynas pauperibus distribuere, illisque cibum administrare, idem Sanctus *ad Trallianos*, scribens, adversariorumque quasi solutionem prȩveniens: * Oportet (inquit) & Diaconos Mysteriorum Christi Ministros per omnia placere. (Nota non dixisse: ciborum Ministros, vel eleemosynarum: sed Mysteriorum Christi: quid enim sacratius potuit dicere, aut elegantius pro retundenda Hæreticorum perfidia? (Prosequitur enim Sanctus:) Nec enim ciborum, ac potorum Ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores, &c. Quid Sacerdotium aliud est, quàm Sacer Cætus, Consiliarij, & Assessores Episcopi? Quid verò Diaconi, quàm immitatores Angelicarum virtutum, qui purum, & inculpatum Ministerium illis exhibent, vt S. Stephanus B. Iacobo?*

1552 S. POLYCARPVS *anno.* 140. virtutum fulgore coruscans *ad Philippen.* ita scribit: *Diaconi inculpabiles sint in conspectu Iustitiȩ Dei, sicut Dei, & Christi Ministri, & non hominum.* Quibus verbis manifestè explodit prædictorum Hȩreticorum errorem, volentium, Diaconos solummodo esse Ministros hominum pro eleemosynarum distributione, non verò Dei, & Christi.

1653 Consonat ORIGENES *Homil. 2. in Cant.* ad illa verba: *Vidit & sedem puerorum eius*, in quorum expositione Diaconorum munus, Divinum reputat, non profanum, vtpotè quod non ad temporalia, sed ad Sacrum, Divinumque Cultum ordinatur: *Ecclesiasticum (inquit) putò Ordinem dici, qui in Episcopatus, vel Presbyterij sedibus habetur. *Vidit & Ordinationes, sive stationes Ministrorum eius.* Diaconorum, vt mihi videtur, Ordinem memorat, Divino adstantium Ministerio.*

1654 S. BASILIVS Magnus *in Liturgia* docet, proprium Diaconi munus esse, Sacro Altaris Ministerio adesse; non vero profanis, & secularibus negotijs implicari: *Tunc ante adventum: Pontificis (ait in Liturgia) intrant Ecclesiam Presbyter, & Diaconus, & adstantibus ante Cancellos, dicit Presbyter hanc Orationem, &c. Post Cantores stans Diaconus, in secundo gradu Ambonis, dicit alta voce: In pace Dominum postulemus, &c.*

1655 S. EPIPHANIVS *Hæres.* 79. * Neque Diaconis in Ecclesia creditum est, vt aliquod Ministerium perficiant; sed solum, vt administrent, & exequantur commissa.*

1656 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *in Liturgia*: * Dum hæc cantantur à Sacerdotibus inclinant se. Diaconus à dextris stat Sacerdotis, & dicit remissa voce: Dominum rogemus. Et dicit Sacerdos Orationem Introitus.* Quid clariùs ad ostendendum Diaconi Ministerium Sacrum esse, ac Divinum: cum ad Diaconum, pro suo munere spectet ad dexteram Sacerdotis adstare in Altari cum Divina peraguntur Officia?

1657 S. CYRILLVS Alexandrinus præclarè explicat, quàm Sacrum, quamque Divinum sit Diaconi munus, cum Divino penitùs Cultui mancipetur; *lib. enim 13. de Adorat. in Spirit.* * Presbyteris (ait) concreditum est Altare, & quæ intra velum continentur. Diaconis verò illud: *Custodient custodias Tabernaculi, & omnia vasa eius, & custodias populi.* Quid? Nonne ipsi prȩcipiunt clamantes in Ecclesijs: nunc quidem tempus esse, vt populi Hymnum dicant, & modestè ac decenter stent, interdum verò vt quiescant, præterea ad orandum excitant? Et dum illa incruenta Hostia Consecratur, nonne ipsi sacratiora Vasa ferunt, & accuratam omnibus in rebus observantiam exhibent? Igitur prȩstantiores quidem Sacerdotale munus explent; sed Levitæ adiuvant, ita vt Ordinem Ecclesiastici, Sacerdotij, Legis littera prȩdicere videatur.* Hæc ille.

1658 In idem redeunt S. ISIDORI PELVSIOTÆ verba *lib. 1. Epist. 29.* *Si venerandi Altaris Diaconi Episcopi sint

ſint oculi, profectò cum tu Dei permiſſu ipſis præſis, totus oculus eſſe debes.* Et *Epiſt.* 157. *ad Panſophium Archidiac.* *Si Altari Chriſti miniſtras, da operam, vt cum ipſis Legibus munus tuum adminiſtres, manſuetum videlicet, atque humilem te præbeas.* Ex quibus conſtat, præcipuum Miniſterium, quod iſte Sanctus in Diacono agnoſcit, non eſſe ſecularibus menſis miniſtrare; ſed Sacris menſis, Diviniſque Officijs celebrandis inſervire.

1659 PROCOPIVS GAZÆVS *in Numer. fol.* 383. *Diaconi miniſterijs publicis invigilant, populum de precibus, & de reliquis rebus erudiunt, Sacra Vaſa adminiſtrant.*

1660 ANTIOCHVS, quaſi Neothericos Hæreſiarchas, Diaconiũ probroſis verbis proſcindentes, audiret, *homil.* 123. hęc in illius laudem, profert: *Hoc tenore vitæ Diaconi etiamnum converſentur in conſpectu Iuſtitię Domini, ingrediantur ſine quęrela, tamquam Deo, & Chriſto miniſtrantes, non item hominibus. (Et *homil.* 124.) Diaconos oportet, vt Myſteria IESV CHRISTI, dum adminiſtrant, dent interim modis omnibus operam, grati vt ſint omnibus, atque amabiles: non enim eſculentorum ſunt, atque poculentorum Miniſtri, ſed Eccleſiæ Dei ſubſerviunt.*

1661 EVSTACHIVS de S. Eutychij Diaconatu, *in eius Vita*, ſermonem inſtituens, hæc enarrat: *Paulò poſt alter Stephanus apparuit, cũ Diaconi iugũ ſubijſſet, factis, & verbis potens vita, & moribus multos componens, ac docens, quomodo Divinum Miniſterium perficere oporteat, &c.*

1662 S. MAXIMVS *Centur.* 1. *de Charit. cap.* 21. *Diaconi (inquit) rationem ſuſtinet, qui ad Sacra certamina mentem perungens, cogitationes quoque affectibus plenas ab illa abigit.* Et ad *cap.* 3. *Dionyſ. de Eccleſiaſt. Hierarch.* *Romæ ſeptem tantum Diaconi Altari miniſtrant, quos præcipuos, vt opinor, vocat.* Hæc Græci Patres, & Authores de Sacro Diaconatus Ordine: iam nunc quid ſenſerint Latini videamus.

1663 S. FABIANVS Papa, qui *anno* 237. Eccleſiam fœlicitèr adminiſtravit, *Epiſt.* 1. *Septem Diaconos (ait) in Vrbe Roma, per ſeptẽ Regiones Civitatis, ſicut à Patribus accepimus, habemus, qui per ſingulas hebdomadas, & Dominicos dies, atque Feſtivitatum ſolemnia iniuncta ſibi obſervant miniſteria, & parati omni hora ſunt ad Divinum Officium, & quidquid ijs iniungitur, peragendum.* Horum autem Miniſterium, cum Divino Cultui vnicè ſit devotum, non poteſt non Sacrum reputari.

1664 LVCIVS Papa, relatus *in cap. Miniſtri.* 81. *diſt.* *Miniſtri (inquit) Altaris Presbyteri, ſive Diaconi, ad Dominica tales eligantur Officia, qui Continentiam ſervent.*

1665 S. AMBROSIVS *lib.* 1. *Officior. cap.* 41. Sacrum Diaconi Miniſterium præclarè commendat, dicens: *Laurentius, cum videret Sixtum Epiſcopum ſuum ad Martyrium duci, flere cœpit, non paſſionem illius, ſed ſuam remanſionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis ſine filio, pater? Quo Sacerdos Sancte, ſine Diacono properas? Numquam Sacrificium ſine Miniſtro offerre conſueveras. Quid ergo in me diſplicuit Pater? Num degenerem me probaſti.? Experire certè vtrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem: cui conſumandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui Sanguinis negas?*

1666 Idem Sanctus *ad cap.* 4. *Epiſt. ad Epheſ.* *Evangeliſtæ Diaconi ſunt, ſicut fuit Philippus. Quamvis non ſunt Sacerdotes, evangelizare tamen poſſunt ſine Cathedra, quemadmodum Stephanus, & Philippus memoratus.*

1667 Et *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 2. *Levitam vidiſti: ſed Miniſter eſt Chriſti. Vidiſti illum ante Altaria miniſtrare: ergo Chirographum tuum tenetur, non in terra, ſed in Cœlo.*

1668 PRVDENTIVS *anno* 380. *Hymn. de S. Vincent.* ſic cecinit:

*Exclamat hic Vincentius
Levita, de Tribu Sacra,
Miniſter Altaris Dei,
Septem è columnis lacteis.*

Et *Hymn. de S. Laurent.*

*Hic primus è ſeptem viris,
Qui ſtant ad Aram proximi,
Levita ſublimis gradu,
Et cæteris præſtantior.
Clauſtris Sacrorum præerat,
Cœleſtis arcanum domus,
Fidis gubernans clavibus,
Votaſque diſpenſas opes.*

1669 CONCILIVM CARTHAGINENSE IV. *cap.* 4. *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit,

dicit,

dicit, manum super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad Ministerium consecratur.* Priscis enim illis temporibus, à tempore Apostolorum, per manuum impositionem dabatur Spiritus Sanctus.

1670 Et *cap.* 38. *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget.*

1671 D. AVGVSTINVS *lib.* 1. *de Morib. Eccles. Cathol. cap.* 32. *Quam multos Episcopos, optimos viros, Sanctissimosque cognovi! Quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos, & huiusmodi Ministros Divinorum Sacramentorum!*

1662 SEVERVS SVLPITIVS *in Vita D. Martini, cap.* 4. *Martinus apud Hilarium Pictaviæ Episcopum aliquamdiù commoratus est. Tentavit autem idem Hilarius, imposito Diaconij Officio, sibi eum arctius implicare, & Ministerio vincire Divino.*

1673 S. MAXIMVS, Taurinensis Antistes, *Homil.* 1. *in Natal. S. Laurent.* *B. Laurentius, cum in Sede gloriosissimi Patriarchæ, Diaconatus officio fungeretur, puritate innocentis vitæ, fortissimæque mortis triumpho, Apostolico se consortio copulavit.*

1674 CONCILIVM VASSENSE II. *cap.* 2. *Non solum in Civitatibus, sed etiam in omnibus Parochijs verbum faciendi damus Presbyteris potestatem. Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente, per se ipsum non potuerit prędicare, Sanctorum Patrum Homiliæ à Diaconibus recitentur. Si enim digni sunt Diaconi, quę Christus in Evangelio locutus est, legere, quare indigni iudicentur Sanctorum Patrum expositiones publicè recitare?*

1675 VIGILIVS TRIDENTINVS *de Sisinnio, Martyrio, & Alexandro,* hæc scribit: *Alexander, frater Martyrij Lector haud vmquam impigrè Deo ad Ministerium antelucanum serviebat, cui in Sacrificio Diaconus famulabatur.*

1676 CÆSARIVS ARELATENSIS *Homil.* 30.* Rogo vos (inquit) & admoneo, fratres, vt quotiescumque iuxta Altarium, à Clericis oratur, aut Oratio, Diacono clamante, indicitur, non solum corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam cum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante: *Flectamus genua*, maximam partem populi, velut columnas erectas, stare conspicio; quod Christianis dum in Ecclesia oratur, omnino non licet. Non enim propter nos, sed propter vos, Diaconus clamat.*

1677 CONCILIVM ARVERNENSE *cap.* 12, loquens de Sacro Diaconatus munere, sic illud commendat: *Cum Presbyteri, atque Diaconi, sublimi Dignitatis apice prærogentur, actibusque omnino seculi renuntient, & ad Sacrum Ministerium electi, repudient, & quisquis est Presbyter, atque Diaconus, Divino munere benedictione præcepta, vxoris suæ priùs frater illicò efficiatur ex coniuge.*

1678 ARATOR, antiquissimus Author, qui circa annum 540. floruit, *lib.* 1. *Hist. Apost.* de Sacro Diaconatus Officio, sic cecinit.

*Iura Ministerij, Sacris Altaribus apti,
In septem secrere viros, quos vndiq; electos
Levitas vocitare placet quem splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & laticem cum sanguine porrigat Agni.
Huic numero delatus honor, sublimia tecum
Sacramenta gerit, per quem nunc longiùs ire
Non patitur mensura viæ, ne plura locutus.
Inveniar dixisse minus: ô cura Ministris
Officium librare suum, quo laudis amictu
Hunc deceat lucere Chorum, quem mysticus Ordo
Consecrat in numero, cui dant cœlestia formam *;

1679 S. GREGORIVS MAGNVS *lib.* 4. *Epist.* 44. *In Sancta Romana Ecclesia, dudum est consuetudo valdè reprehensibilis exorta, vt quidam ad Sacri Altaris Ministerium Cantores eligantur, & in Diaconatus Ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prędicationis Officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat. Qua in re præsenti Decreto constituo, vt in hac Sede, Sacri Altaris Ministri cantare non debeant; solumque Lectionis Evangelicæ Officium inter Missarum solemnia exolvant: Psalmos verò, & reliquas Lectiones censeo per Subdiaconos, vel, si necessitas fuerit, per Minores Ordines exhiberi.*

1680 S. ISIDORVS, Hispalensis Antistes, *lib.* 2. *de Offic. Eccles. cap.* 8. *Diaconorum Ordo (inquit) à Levi Tribu exordium accepit. Præcepit enim Dominus Moysi, vt post Ordinationem Aaron Sacerdotis, & filiorum eius, rursum Levi Tribus in Divini Cultus Ministerijs ordinarentur, & consecrarentur Domino pro omnibus primogenitis, & servirent pro Israel coram Aaron, & filijs eius in Tabernaculo Domini, excubantes in Templo die, ac nocte, ipsique gestarent Arcam, & Ta-

Tabernaculum, & omnia Vasa eius, &c. Quam regulam constituerunt Sancti Patres in Novo Testamento. In Evangelio autem, primordia eorum *in Actibus Apostolorum* ita leguntur: *Convocantes autem duodecim Apostoli multitudinem Discipulorum, &c. Actor. 6.* Ex hinc iam decreverunt Apostoli, vel Successores Apostolorum, vt per omnes Ecclesias septem Diaconi, qui sublimiori gradu essent cęteris, circa Aram Christi, quasi columnę Altaris assisterent, & non sine aliquo septenarij numeri Mysterio. Hi enim sunt quos *in Apocalipsi* legimus (*cap. 1. v. 8.*) septem Angelos tubis canentes. Hi sunt septem candelabra aurea: hi voces tonitruorum: ipsi enim clara voce, in modum preconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genua, sivę in psallendo, siue in lectionibus audiendis: ipsi etiam, vt aures habeamus ad Dominum clamant, ipsi quoque evangelizant; sine ipsis Sacerdos nomen habet, Officium non habet: nam sicut in Sacerdote Consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est; illi orare, huic psallere mandatur; ille oblata sanctificat, hic Sanctificata dispensat; Levitæ inferunt oblationes in Altaria, Levitæ cōponunt mensam Domini: Levitę operiunt Arcam Testamenti.*

1581 ALCVINVS *lib. de Divin. Offic. cap. 35.* de Tonsura Cleric. loquens: *Diaconus (inquit) assumitur, hoc est assumitur ad servitium Altaris, ministrat Presbytero, ponit Linteum in Altari, ponit Panem, & Calicem, quę nec mittendi, nec auferendi Potestatem habet Presbyter, si Diaconus affuerit. Sicut Presbytero consecrandi Officium competit, sic Diacono ministrandi.*

1682 IOANNES MICROLOGVS *de Ecclesiast. Observat. cap. 9.* *Diaconi quoque (inquit) Officium in Missa nihilominus, & ipse convenientius explebit, quàm alius, qui Sacris Vestibus non fuerit indutus. Nam & Diaconus tempore Oblationis, & Lectionis, alba indutus esse debet.*

1683 S. ANSELMVS *ad illa verba Pauli ad Ephes. cap. 4. alios veró dedit Evangelistas, &c.* *Sicut Lucam (inquit) & cæteros, qui Evangelium prædicabant, & Officium Ministrandi pauperibus habebant (*Actor. 6.*) vt septem Diaconi sub Apostolis: vtrumque enim victum prębebant, & spiritualem, & corporalem. Similiter adhuc deberent agere omnes Diaconi. Inde est etiam, quod hodie in Missa legunt Evangelium.*

1684 PETRVS LOMBARDVS, Sententiarum Magister *lib. 4. Sent. Dist. 24.* *Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdoribus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, scilicet in Baptismo, in Chrismate, in Patena, & Calice: oblationes quoque inferre, & disponere in Altari, componere etiam mensam Domini, & vestire, Crucem ferre, & prædicare Evangelium, & Epistolam ad Populum: nam sicut Lectoribus Vetus Testamentum, ita Diaconibus Novum prædicare præceptum est. Ad ipsum etiam pertinet Officium precum, & recitatio Cathecumenorum nominum, Ipse præmonet, & ipse annunciat.*

1685 GVILIELMVS ALVERNVS, Parisiensis, *de Sacram. Ord. cap. 3.* de Sacro Diaconatus munere disserens: *Tria (inquit) sunt Diaconalis Officij Ordinis Ministeria. Primum est, Evangelicæ Lectionis recitatio. Secundum est, Panis, & Vini ad conficiendum Eucharistiæ Mysterium oblatio, seu Ministratio. Illa enim recipit in Sacro Calice, & Patena Sacerdos de manu Diaconi. Tertium, custodia, & repositio ipsius Eucharistiæ, & Vasorum Sacrorum, videlicet Calicis, & Patenæ, Corporalium, ac pallarum. Manifestum autem est, quòd ipsa eminentissima Sanctitas Sacratissimę Eucharistiæ, cuius custodia Diacono creditur, causam dedit Ordini Diaconali.*

1686 Quàm Sacrum sit Diaconorum Ministerium, explicat optimè ANGELICVS DOCTOR *in 4. Dist. 24. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. & sequent.* & *in Addition. ad 3. part. quæst. 37. art. 2.* vbi inquirit: vtrum septem sint Ordines? Et Et inter alia: *Dicendum est (inquit) quod Ordinis Sacramentum, ad Sacramentum Eucharistiæ ordinatur. (Et infrà:) Et ideo distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam, quia Potestas Ordinis aut est ad Consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod Ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est Ordo Sacerdotum: & ideò cum ordinantur accipiunt Calicem cum Vino, & Patęnam cum Pane, accipientes Potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi. Cooperatio autem Ministrorum

est vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo, sic est tripliciter. Primò enim est Ministerium, quo Minister cooperatur Sacerdoti in ipso Sacramento, quantum ad dispensationem, sed non quantum ad Consecrationem, quam solus Sacerdos facit; & hoc pertinet ad Diaconum. Vnde in littera (*in 4. sent. Dist. 24.*) dicitur, quod ad Diaconum pertinet ministrare Sacerdotibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi; vnde & ipse, Christi Sanguinem dispensat.*

1687 Et *in eadem quæst. art. 3. in corp.* nostram Assertionem probat; nempè Diaconatum Sacris Ordinibus annumerandum esse; sic enim scribit: * Dicendum, quod Ordo, dicitur Sacer dupliciter. Vno modo secundum se, & sic quilibet Ordo est Sacer, cum sit Sacramentum quoddam. Alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum, circa rem aliquam consecratam, & sic sunt tantum tres Ordines Sacri, scilicet Sacerdotium, & Diaconus, qui habent actum circa Corpus Christi, & Sanguinem consecratum: & Subdiaconus, qui habet actum circa Vasa Consecrata: & ideò etiam eis Continentia indicitur vt Sancti & mundi sint, qui Sancta tractant.* Hactenus D. THOMAS.

1688 VINCENTIVS, ex Ordine Predicatorum, Bellovacensis Episcopus, *in Speculo Histor. lib. 8. cap. 60.* sic scribit: * Sextus Ordo Diaconorum, idest, Levitarum est, quorum est; prædicare, & Sacerdoti ministrare, quo vsus est Dominus prædicando, & Carnem suam, ac Sanguinem Apostolis ministrando.*

1689 GVILLELMVS DVRANDVS *in Ration. Divin. Offic, lib. 2. cap. 9.* * Diaconus duplex gerit officium, scilicet Prædicandi populo: vnde lecturus Evangelium dicit populo: *Dominus vobiscum*: & ministrandi Sacerdoti. Nempè propter prædicandi officium Casulam super humerum portat; quia Prædicator in præsenti vita, opera populi portare debet. Pro eo vero quod Sacerdoti ministrat, & quia propter instantes necessitates ire, atque redire habet, dexteram habere debet liberam.*

1690 IOANNES SCOTVS *in 4. Sent. Dist. 24. quæst. 1. art. 2.* * In Ecclesia (ait) tantum sunt septem Ordines, quorum primus est gradus disponens ad Consecrationem Eucharistiæ, & est Sacerdotium. Secundus gradus, est disponens ad dispensationem Eucharistiæ, saltem sanguinis, & est Diaconatus.*

1691 THOMAS ARGENTINAS *in 4. Sent. Dist. 24.* * Diaconus (inquit) materiam præparat, parando Calicem cum vino, & aqua, & patenam cum Hostia consecranda. Hæc autem sic parata, offert Diaconus Sacerdoti.*

1692 IOANNES GERSON, Parisiensis Cancellarius, *in Summa Theolog. de Sacra. Ord.* ita Scribit: * Sextus Ordo est Diaconatus: & est actus istius Ordinis ordinare Hostias in Altari, & vinum, prædicare Epistolam, & Evangelium, & ministrare Sacerdoti immediatiùs cæteris Officialibus. Legere enim Evangelium est actus consequens. Hic Ordo à veteri Testamanto nomen traxit, scilicet à Tribu Levi: Hic Ordo ab Apostolis est celebratus, quando, vt legitur *in Actibus Apostolorum*, septem Viros plenos Spiritus Sancto ad hoc officium elegerunt, & oratione præmissa, manus eis imposuerunt: His, cum ordinantur, Episcopus manus imponit, quia ad ministerium applicantur, ponit ijs Orarium, idest Stolam, super lævum humerum, vt per hoc intelligant, se accepisse iugum Domini suave: Accipiunt & textum Evangelij, vt intelligant se esse precones Evangelij Christi.*

1693 Tandem DIONYSIS Carthusianus, apprimè in Divinis Litteris eruditus *Tom. 1. Oper. Minor. in Compend. Theolog. Proposit. 38.* hęc asserit: * Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus Ordines Sacri vocantur, quibus & caracter imprimitur, & habentes eosdem, ad Continentiam sunt adstricti.*

1694 Relatis hucusque Sanctis Patribus, Summis Pontificibus, Sacris Concilijs, Ecclesiasticisque Authoribus, alios quam plures addere possemus, quorum verba, molestiam declinãtes, silentio tradimus, quique de Sacro Diaconatus Ministerio expressam mentionem faciunt, miris illud præconijs extollentes; vti inter Patres Græcos CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 6. Stromat. cap. 6.* EVSEBIVS CÆSARIENSIS *lib. 6. Ecclesiast. Hist. cap. 35. & lib. 8. cap. 6.* S. ATHANASIVS *in Vita S. Antonij*, S. BASILIVS MAGNVS *Epist. 1. ad Amphiloch. Can. 6. & Epist. 70.* S. GREGORIVS NAZIANZENVS *Epist. 159. ad Amphiloch. & Epist. 205.* S. IOANNES CHRI-

CHRYSOSTOMVS *homil.* 3. *de Incomprehens. Dei nat. & homil.* 3. *in Epist.* 2. *Thessalon.* SYNESIVS *Epist.* 58. *&* 66. IOANNES CASSIANVS *Collat.* 4. *cap.* 1. SOZOMENVS *lib.* 7. *cap.* 19. SOCRATES *lib.* 4. *cap.* 18. *lib.* 6. *cap.* 3. *& lib.* 7. *cap.* 40. TEODORETVS *lib.* 5. *Histor. Eccles. cap.* 21. *&* 30. IVSTINIANVS Imperator *Novell. vt determinatus sit numerus Clericorum.* Et *Novell.* 123. *cap.* 5. THEOSTERICTVS *Orat. Funeb. in S. Nicætam.* THEOPHILACTVS *ad cap.* 19. *Lucæ, & in Epist. ad Rom. cap.* 8. SIMON METAPHRASTES *in Martyrio S. Marci, & de S. Abraham,* THEODORVS BALSAMON *in Can.* 36. *Apost.* NICÆTAS CHONIATES *de Reb. gest. Alexij Angeli Imperat. lib.* 2. PHILOTHEVS, Patriarcha Constantinopolitanus, *in Ordine instituendi Diaconum.*

1695 Ex Concilijs Græcis NICÆNVM I. *Cap.* 14. ANTIOCHENVM *Cap.* 51. SARDICENSE *Cap.* 10. LAODICENSE *Can.* 20. *&* 21. CHALCEDONENSE *Can.* 6. & TRVLLANVM *Can.* 7. *& Can.* 14.

1669 Ex Patribus Latinis S. ANACLETVS Papa *Epist.* 1. EVARISTVS Papa *Epist.* 1. TERTVLLIANVS *de Præscript. cap.* 41. *& de Baptis. cap.* 17. S. CORNELIVS Papa *Epist. ad Fabium Antiochen.* S. CYPRIANVS *Epist.* 65. *& lib. de Lapsis.* CAIVS Papa *Epist. ad Felicem Episcop. cap.* 6. S. OPTATVS MILEVITANVS *lib.* 1. *&* 2. *contra Donatist.* EVSEBIVS Vercellensis *Epist. ad Episcopos Italiæ.* S. HIERONYMVS *Epist.* 85. *ad Evagr.* SIRICIVS Papa *Epist.* 1. *cap.* 13. ZOSIMVS Papa *Epist. ad Esych.* ARNOBIVS Iunior *in Psal.* 135. S. LEO Papa I. *Epist.* 86. *cap.* 6. GELASIVS Papa *Epist.* 6. ENNODIVS Ticinensis *in Vita Epiphan. Ticinen.* Ven. BEDA *in Vita S. Cuthberti,* ADRIANVS I. Papa *in Capitulis ex diversis Synodis, & Canonibus collectis, pauló ante finem.* HAYMO *ad cap.* 32. *Isai.* VVALPHRIDVS STRABO *de Rebus Eccles. cap.* 31. RABBANVS MAVRVS *lib.* 1. *de Instit. Cleric. cap.* 13. REGIVS PRVMIENSIS *lib.* 2. *Annal. ad an.* 870. IVO CARNOTENSIS *Serm. de Excellentia Sacrorum Ordin.* S. BERNARDVS *in Vita S. Malachiæ.* INNOCENTIVS III. *lib.* 1. *Myster. Missæ, c.* 5.

1697 Ex Concilijs Latinis ILLIBERITANVM *Cap.* 23. ARELATENSE I. *Cap.* 15. ARELATENSE II. *Cap.* 13. *&* 15. CARTHAGINENSE III. *Cap.* 4. CARTHAGINENSIS IV. *Cap.* 37. 38. *&* 41. ARELATENSE III. *Cap.* 1. AGATHENSE *Cap.* 16. *&* 65. AVRELIANENSENSE I. *Cap.* 11. MATISCONENSE I. *Cap.* 10. ANTISIODORENSE *Cap.* 19. TOLETANVM IV. *Cap.* 38. TVRONENSE III. *Cap.* 9. CABILONENSE II. *Cap.* 23. tandem FLORENTINVM, & TRIDENTINVM, *locis supra laudatis*, ex quibus colligi potest quanta sit Diaconorum Dignitas, quamque Sacrum illorum Ministerium.

§. III.

PRÆCIPVA DIFFICVLTAS DE Sacro Subdiaconatus Ordine exagitatur.

1698 POstquam offusas hæresum tenebras, quibus non modo Diaconatui, sed Sacerdotio etiam Sacri Ordinis dignitas denegatur, fulgentissimo tot Sanctorum Patrum, totque Sacrorum Conciliorum Sole fugavimus; nunc ad præcipuam difficultatem, quam huius capitis initio proposuimus, discutiendam accedimus; ea autem est: An Subdiaconatus inter Sacros Ordines sit annumerandus, illique Continentiæ, & Castitatis votum sit annexum.

1699 Circa primam igitur huius difficultatis partem, Heretici communiter Subdiaconatum à Sacrorum Ordinum numero relegare contendunt. Sic Vviclevus illum Sacris Ordinibus annumerare renuit *in Trialog. cap.* 13. dicens: *Tempore Pauli sufficiebant duo Ordines Clericorum, scilicet Sacerdos, atque Diaconus: quia certum videtur, quod superbia Cæsarea alios gradus invenit.* Et *lib. de Papa, cap.* 11. omnes ab Institutione Christi alienos dicit.

1700 Calvinus *lib.* 4. *Institut. cap.* 19. omnes Ecclesiasticos Ordines sacrilegè irridet, & impijssimè reijcit. Vndè Subdiaconatum Sacrū Ordinem esse non admittit.

1701 Marcus etiam Antonius de Dominis Hæresiarcha scelestus, ac detestandus Subdiaconatum Sacrum Ordinem esse inficiatur, cum illum inter Sacros, & Ecclesiasticos Ordines non admittat.

Vndè *de Ordinè, cap.* 1. *num.* 60. impiè asserit: *Duos tantum Ordines verè Ecclesiam antiquam agnovisse.* Per hos autem duos Ordines Sacerdotium intelligit, & Diaconatum. Quantum autem à Catholicæ veritatis tramite prędicti hæretici devient, sequenti demonstrabitur Assertione.

1702 Asserimus ergo: HYPODIACONATVM, SEV SVBDIACONATVM, AB INITIO NASCENTIS ECCLESIÆ INTER ECCLESIASTICOS ORDINES AGNITVM FVISSE, ATQVE CONNVMERATVM. Quam quidem Assertionem luculentissimis Patrum testimonijs, venerādis Conciliorum Decretis, gravissimoque aliarum Authoritatum robore confirmandam, corroborandamque assumimus.

1703 Primò *ex Can. Apost.* 42. & 43. vbi sic decernitur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus aleator, aut desinat, aut Communione privetur.*

1704 S. CLEMENS ROMANVS *lib.* 8. *Constit. Apost. cap.* 28. hæc habet: *Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, & Diaconissam, si hoc facere opus sit, absente Presbytero. Hypodiacono non licet excommunicare Lectorem, aut Cantorem, aut Diaconissam, aut Clericum, aut laicum.* Et quamvis prędictus *Constit. Apost. Liber*, difficultati suprà relatæ sit obnoxius, in his, in quibus à communi Ecclesiæ Sanctorumque Patrum consensu discedit; nullam tamen patitur in his, inquibus illis consonat, vt suprà diximus, vt de Subdiaconatu constat ex dictis, & dicendis.

1705 S. IGNATIVS Martyr *in Epist. ad Antiochen.* Subdiaconum inter Ecclesiasticos Ordines enumeravit. *Saluto (inquit) Sanctum Presbyterorum Collegium, saluto Sanctos Diaconos, saluto Hypodiaconos.*

1706 EVSEBIVS CÆSARIENSIS *lib.* 6. *Ecclesiast. Hist. cap.* 33. *Non ignorabat (loquitur de Novato) in hac Ecclesia Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem.*

1707 S. ATHANASIVS *Epist. ad solitariam vitam agentes*: *Ariani (inquit) rapuerunt Eutychium Subdiaconum, virum probè Ecclesiæ inservientem.*

1708 TRVLLANA SYNODVS *Can.* 4. *Siquis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Ostiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur.* Et *Can.* 14. *Subdiaconus, ne minor viginti annis ordinetur.*

1709 ELIAS CRETENSIS *in Orat.* 10. *Nazianz.* *Cum primus gradus Presbyterorum sit, secundùs Diaconorum, tertiùs Subdiaconorum, &c.*

1710 Ex Patribus Latinis FABIANVS Papa *Epist.* 1. ita scribit: *Septem Subdiaconos Ordinavimus, qui septem Notarijs imminerent, vt gesta Martyrum veraciter in integrum colligerent.*

1711 S. CYPRIANNVS *Epist.* 15. de Clementino Hypodiacono mentionem facit; & *Epist.* 24. de Lectore Saturo, & Hypodiacono Optato dicit: *Quos iam pridem communi consilio Clero proximos feceramus.* *Epist.* etiam 78. Herminiani meminit Hypodiaconi.

1712 ILLIBERITANI CONCILII PATRES Subdiaconatui testimonium prę stitisse constat ex illis verbis *Cap.* 30. *Subdiaconum ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerit mæchatus; eo quod postmodum, per subreptionem, ad altiorem gradum nō sit promovendus: Si autē aliqui sunt in præteritum ordinati, amoveantur.* In cuius expositione RABBANVS MAVRVS, Episcopus Moguntinus, *in Pœniten. lib.* 2. *cap.* 4. diversis hunc Canonem conceptum verbis retulit, dicens: *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint męchati, eo quod per subreptionem ad altiorem gradum promovebantur.* Rabbano consentiunt Codices manuscripti, in quibus vel *promoveantur*, vel *promovebantur* sine negatione editorū legitur: Olim enim (teste D. FERDINANDO DE MENDOZA *in hunc Can.*) non tanta in Subdiaconis eligendis, quanta in Diaconis, & Presbyteris (quod & hodie observatur) adhibebatur cura. Etsi enim mæchum in adolescentia, videri posset quibusdam ordinari Subdiaconum posse; ne tamen is gradu suscepto, per subreptionem postea, tacito vitę anteactæ crimine, ad altiores conscenderet, qui sanctiorē poscebant vitæ integritatem, ideò visum est Patribus, aditum etiam ad hunc gradum męchis præcludere, vt cautiùs adolescentes viverent, & sanctiùs.*

1713 SIRICIVS Papa *Epist.* 1. *cap.* 9. *Quicumque se Ecclesiæ vovit obsequijs à sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet Ministerio

ſterio ſociari. Qui ab acceſſu adoleſcentiæ, vſque ad trigeſimum ætatis annum probabiliter vixerit, vna tantum, & ea, quam Virginem, communi per Sacerdotem benedictione, perceperit, vxore contentus, Acolytus, & Subdiaconus eſſe debebit: Poſt quæ ad Diaconij gradum, ſi ſe ipſe primitùs, Continentia præeunte, dignum probarit, accedat.* Et *cap.* 10. de Lectore, Exorciſta loquens: * Qui dum (inquit) initiatus fuerit, expleto biennio per quinquennium aliud Acolytus, & Subdiaconus fiat, & ſic ad Diaconatum provehatur.*

1714 S. HIERONYMVS *Epiſt.* 91. * In ipſo (inquit) perſecutionis articulo Sancti Filij noſtri Aſterij Hypodiaconi, neceſſarij mei, Beatitudinis tuæ litteræ ad me pervenerunt: quibus ſatisfacis, te contrà parvitatem meam, librum Romam non miſiſſe, &c.*

1715 CONCILIVM CARTHAGINENSE IV. *Cap.* 5. * Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, de manu verò Archidiaconi vrceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.*

1716 CONCILIVM TOLETANVM I. *Cap.* 4. * Subdiaconus defuncta vxore, ſi aliam duxerit: ab Officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Oſtiarios, & Lectores; ita vt Evangelium, vel Epiſtolam non legat.* Et *Can.* 5. * Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra Civitatem fuerit, vel in loco, in quo Eccleſia eſt, ſi ad Sacrificium quotidianum non venerit, Clericus non habeatur.*

1717 S. PAVLINVS, Nolanus Antiſtes, *Epiſt.* 13. * Hæc igitur (inquit) iam in virtute, & miſericordia Domini revaleſcente, per chariſſimum in Domino fratrem Amachium Domini, & patris noſtri Derfini Subdiaconum, quia ipſius occaſio præſtò erat, ſcripſimus.*

1718 S. LEO Papa I. *Epiſt.* 84. *cap.* 4. * Subdiaconis (inquit) carnale connubium non conceditur. Quod ſi in hoc Ordine, qui quartus à capite eſt, dignum eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, aut ſecundo, tertioque ſervandum eſt?*

1719 GELASIVS Papa *Epiſt.* 6. *cap.* 3. * Si quis etiam de religioſo propoſito, & diſciplinis Monaſterialibus eruditus, ad Clericale munus accedat, in primis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur: ſi omnibus, vt decet, fulcitur, continuò Lector, vel Notarius, vel certè Defenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat Acolytus, maximè ſi huic ætas etiam ſuffragatur, ſexto menſe Subdiaconi nomen accipiat: ac ſi modeſtæ converſationis, honeſtæque voluntatis exiſtit, nono menſe Diaconus, completoque anno ſit Presbyter.*

1720 CONCILIVM AGATHENSE *cap.* 39. * Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendæ vxoris licentia non eſt, etiam aliorum nuptiarum evitent convivia.*

1721 ENNODIVS TICINENSIS *in Epiſt. ad Conſtantin.* * Vigilius, Subdiaconus veſter experiri voluit, quanta mihi à vobis Charitas redderetur, & ad occaſionem profectus, ſummam coniunctionem noſtram conatus adducere, ſtatum inter nos amicitiæ, dum augetur, honoribus vult metiri: hunc, ſi mereor, ad Diaconi Sacramenta perducatis, vt Dignitas præfati, ad ſpem mihi proficiat maiora poſcendi.*

1722 CONCILIVM GERVNDENSE *Cap.* 6. * Placuit à Pontifice, vſque ad Subdiaconum, poſt ſuſcepti honoris officium, ſi quis ex coniugatis fuerit ordinatus, vt ſemper alterius fratris vtatur auxilio, cuius teſtimonio vita eius debeat clarior apparere.*

1723 AVRELIANENSE III. *Cap.* 2. ſtatuit: * Vt nullus Clericorum à Subdiacono, & ſuprà, & quos vxores in propoſito ſuo accipere inhibetur, propriæ (ſi forte eam habeant) miſceantur vxori. (Et *Cap.* 15.) Presbytero, Diacono, & Subdiacono ſine Epiſcopi ſui litteris ambulanti, iuxta ſtatuta priora communionem nullus impendat.*

1724 TVRONENSE II. *Cap.* 11. * Si quis Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus de hac re Statuta Patrum, vel noſtra, temerare præſumpſerit, excommunicetur.*

1725 BRACARENSE I. *Cap.* 27. * Placuit, vt quia in aliquantis huius Provinciæ Eccleſijs Diaconi, abſconſis infrà tunicam vtuntur orarijs, ita vt nihil diſtare à Subdiacono videantur, vt de cætero ſuperpoſito ſcapulæ (ſicut decet) vtantur orario.*

1726 S. GREGORIVS Turonenſis *lib.* 4. *Hiſtor. Francor. cap.* 6. Cato Preſ-

Presbyter, ait: * Ipsos Clericatus gradus Canonica sum semper Institutione sortitus. Lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis ministravi, Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui.*

1727 CONCILIVM MATISCONENSE II. *Cap.* 16. * Illud quoque rectum visum est à nobis disponere, vt quæ vxor Subdiaconi, vel Exorcistę, vel Acolyti fuerat, mortuo illo, non secundo se audeat sociare Matrimonio.*

1728 S. GREGORIVS Magnus *lib.* 4. *Epist.* 44. ita scribit: * Psalmos, & reliquas Lectiones censeo per Subdiaconos, vel, si necessitas fuerit, per minores Ordines, exhiberi. (*Et lib.* 11. *Epist.* 54.) Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Cantores, Lectores Clericos appellamus.*

1729 ANTISIODORENSE CONCILIVM *Cap.* 20. statuit: * Quod si Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, post acceptam benedictionem, filios procreaverit, aut adulterium commiserit, & Archipresbyter hoc Episcopo, aut Archidiacono non intimaverit, integro anno non communicet.*

1730 ALDHELMVS *de Laud. Virginit. cap.* 23. hæc de S. Cypriano loquens scribit: * Cyprianus, qui fuerat pervicax Fidei refragator, per septenos Fidei gradus (hos explicant infrà Hugo Victorinus, Magister Sententiarum, & alij) paulatim proficiens ad Summum Pontificatus apicem fœliciter pervenit.*

1731 ADRIANVS I. *in Capitulis ex diversis Synodis, & Canonibus collectis, pauló ante finem*, hæc habet: * Non Subdiaconus adversus Diaconum, non Acolytus adversus Subdiaconum, Exorcista adversus Acolytum, non Lector adversus Exorcistam, non Ostiarius adversus Lectorem det accusationem aliquam.*

1732 CAROLVS MAGNVS, Imperator, *in Epist. ad Clerum Ravennaten.* * Habent (inquit) proprium officium in Ecclesiastico Ministerio Ostiarij, habent Lectores, habent Exorcistæ, habent suum Acolyti officium, habent Subdiaconi: sic & Diaconi, necnon & Presbyteri, & habent distinctionem in vestibus Ecclesiasticis.*

1733 CONCILIVM *apud Theodonis Villam habitum, Cap.* 1. * Siquis Subdiaconum calumniatus fuerit, vel vulneraverit, vel debilitaverit, quinque quadragessimis pœniteat.*

1734 NICOLAVS I. *apud Gratianum*, 32. *dist.* ita statuit: * Clericus, qui per Ordines Ecclesiasticos, vsque ad Subdiaconatum castè vixerit, vxorem ducere non potest.*

1735 HVGO VICTORINVS *de Sacr. Fid. lib.* 2. *par.* 3. *cap.* 5. * In Septem graduum promotionibus (ait) per spiritualem potestatem altiùs semper ad Sacra tractanda conscenditur. Primùs gradus est Ostiariorum; secundus, Lectorum; tertiùs, Exorcistarum; quartùs, Acolytorum; quintùs, Subdiaconorum; sextùs, Diaconorum; septimùs, Sacerdotum.*

1736 PETRVS LOMBARDVS, Sententiarum Magister, *lib.* 4. *dist.* 24. hæc asserit: * In Sacramento septiformis Spiritus septem sunt gradus Ecclesiastici, scilicet, Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes: Omnes tamen Clerici vocantur.*

1737 STEPHANVS, Eduensis Episcopus, *de Sacrament. Altar. in Prol.* * Sic (inquit) fungitur homo in se vice Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, atque Sacerdotis. His virtutibus interior adornatur, &c.* De quo plura *Cap.* 2. 3. 4. & 5.

1538 D. THOMAS *in Additionibus ad* 3. *part. quæst.* 37. *art.* 4. *ad* 3. sic, inter alia, scribit: * Dicendum, quod oblationes à populo oblatæ per Sacerdotem offeruntur, & ideo duplex Ministerium circa oblationes est necessarium. Vnum ex parte populi, & hoc est Subdiaconi, qui suscipit oblationes à populo, & Altari imponit, vel offert Diacono. Alterum ex parte Sacerdotis, & hoc Diaconi est, qui oblationes ministrat ipsi Sacerdoti, & in hoc est actus principalis vtriusque Ordinis, & propter hoc Ordo Diaconi est superior.*

1739 Et *in eodem art. ad* 6. respondet dicens: * Quod (Concilium Carthaginense IV. *Can.* 6.) Acolyti habent actum super Vrceolum tantum, non super ea, quæ in Vrceolo continentur: Sed Subdiaconus habet actum super contentis in Vrceolo, quia (ISIDORVS *Epist. ad Lucifer.* & CONCILIVM CARTHAGINENSE IV. *Can.* 5. & DECRET. *dist.* 23. *cap.* 6.) vtitur aqua, & vino ad ponendum in Calice, & aquam iterum manibus Sacerdotis præbet: Et Diaconus sicut, & Subdiaconus, solum habet actum super Calicem, non super contenta; sed Sacerdos super contenta: & ideò si-

sicut Subdiaconus in sui Ordinatione accipit calicem vacuum, Sacerdos plenum, ita Acolytus Vrceolum vacuum, sed Subdiaconus plenum: Et sic est quædam connexio in Ordinibus.*

1740 Ex hucusque dictis manifestè convincitur contra hæreticorum ignorantiam, & errorem, Subdiaconatum semper à tota Ecclesia, tàm Orientali, quàm Occidentali, vt Ecclesiasticum Ordinem agnitum fuisse, & habitum, vt Concilia, Patres, Sanctissimi viri, celebrioresque Doctores, tum Græci, tum Latini litterarijs monumentis consecrarunt.

§. IV.

ALIA STATVITVR CONCLVSIO, qua vt certissimum propugnatur, Subdiaconatum tanquam Sacrum Ordinem à Patribus, maiorisque nominis, & antiquitatis Doctoribus, tám Græcæ, quàm Latinæ Ecclesiæ, habitum fuisse, illiusque Ministerium, vt Sacrum, & Divinum comendatum.

1741 SVbdiaconatum Sacrorum Ordinum numero adscribi, gravissimo Authoritatum pondere suadetur in primis S.CLEMENTIS ROMANI, qui *lib.8.Constit. Apostolic. cap.21.* hæc scribit: *Hypodiaconum cum ordinas Episcope, imponas ei manus, & dicas: Domine Deus effector Cœli, & terræ, qui in Tabernaculo testimonij Æditũos fecisti Sanctorum Vasorum tuorum custodes, & ipse nunc respice hunc famulum tuum, qui ad Ministerium Hypodiaconi electus est, & tribue ei Spiritum Sanctum, vt Vasa ad ministrandum tibi facta dignè attrectet, pareatque voluntati tuæ semper, per Christum Dominum nostrum, &c.*

1742 Et *in Epist.2.ad Iacobum Fratrem Dom.* *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta Divinorum Secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & Ministro.* Id est Hypodiacono, qui nomine Ministri communiter intelligitur.

1743 PHILO CARPATHIVS à S. Epiphanio circa *annum* 400. Episcopus ordinatus, vir in Divinis Scripturis haud vulgaritèr eruditus, nostræ Assertioni mirificè suffragatur; *in calce* siquidem *Commentarij in Cant.* hæc scribit: *Sunt autem comites sponsi, vel amici, ad Sacrum hoc veluti Epithalamium advocati, novem ipsi Angelorum Chori: sponsæ verò totidem Fidelium Ordines, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Doctores, Pontifices, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti: hique inter se Mysteria ipsa nostræ Redemptionis, & præmia futuræ fœlicitatis æternæ divinissimè commentantur.*

1744 GEORGIVS Presbyter *in Vita Theodori Archimandritæ*, hæc scribit: *Cum hæc Theodosius Episcopus accepisset, statim ad eum in Oratorium accessit, & Lectorem declaravit, postridiè Subdiaconum, & Presbyterum instituit. Ecce, inquiens, omnes Clerici Ordines consecutus es, vt Divina possis Mysteria peragere ad eorum, qui accedunt, ædificationem.*

1745 LEO Imperator, cognomento *Philosophus*, *constitut.*75, sic nostrum confirmat Assertum: *Sexta Synodus vicenarium Hypodiaconum ordinari posse sanxit: huic verò Civilis Lex contradicens, annis viginti quinque admetiri iubet. Nos itaque, vt Sacram Legem Sacer Ordo sequatur, convenire rati, vt ad Hypodiaconatum, qui quidem eo digni sunt, anno ætatis vigesimo admittantur, sancimus.*

1746 SIMON METAPHRASTES *in Vita S. Abramij*: *Tunc sui Cleri accepta parte aliqua, cum venisset ad vicum, cum eos elegisset, qui erant Virtute insigniores, alios quidem Presbyteros, alios Diaconos constituit, alios cooptavit in alios Sacros gradus.*

1747 In eamdem sententiam collimant Latini Patres. S. ANACLETVS Papa, & Martyr *Epist.* I. *Episcopus (inquit) in Solemnioribus diebus aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos Ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, in fronte, & à tergo stent.*

1748 S. FABIANVS Papa *Epist.I.* *Septem Diaconos in vrbe Roma per septem regiones Civitatis, sicut à patribus accepimus, habemus: qui per singulas hebdomadas, & Dominicos dies, atque Festivitatum Solemnia, cum Subdiaconibus, & Acolytis, ac sequentium ordinum Ministris, iniuncta sibi observant Ministeria, & parati omni hora sunt ad Divinum Officium, & quidquid ijs iniungitur, peragendum, &c. Deinde septem Diaconos ordinavimus, qui septem Notarijs imminerent, &

& gesta Martyrum veraciter in integrum colligerent, nobisque rimanda manifestarent.*

1749 S. DAMASVS Papa, Subdiaconatum inter Sacros, Maioresque Ordines collocat, *Epist.*4. dicens: *Corepiscopis non licet Sacerdotes consecrare, nec Diaconos, nec Subdiaconos.*

1750 CONCILIVM BRACCARENSE I. *cap.* 28. * Placuit, vt non liceat cuilibet ex Lectoribus Sacra Altaris Vasa portare, nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.*

1751 Quam Sacrum sit Subdiaconi ministerium rectè explicat S. ISIDORVS, Hispalensis Episcopus, qui Sapientiæ, & Virtutum splendoribus coruscavit; *lib. enim* 2. *de Offic. Eccles. cap.* 10. hæc scribit: *Subdiaconi oblationes in Templo suscipiunt à populis: isti obediunt Officijs Levitarum; isti quoque Vasa Corporis, & Sanguinis Christi, Diaconis ad Altare offerunt. De quibus placuit Patribus, vt, quia Sacra Mysteria contrectant, casti sint, & continentes ex vxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, iuxtà quod illis, Propheta dicente, iubetur: *Mundamini qui fertis vasa Domini. Isai.*51. Hi igitur, cum ordinantur, sicut Sacerdotes, & Levitę, manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tantum, & Calicem de manu Episcopi, & ab Archidiacono scyphum aquæ, & manutergium accipiunt.*

1752 ALCVINVS *lib. de Divin. Offic. cap.* 35. *de Tonsura Clericor.* postquam de Ostiarij, Lectoris, Acolyti, & Exorcistæ ministerijs fuerat loquutus, hæc de Subdiaconi munere subdit: *Subdiaconus Subminister est, eo quod sub Diacono sit, id est, sub Ministro. Illius ministerium est, vt minister Diacono, id est, deferat ei linteum super quod consecrandum est Corpus, & Sanguinis Domini: deferat ei panem cum oblatis, & Calicem, quo vinum, & aqua habeatur, quia de latere Domini processit Sanguis, & Aqua.*

1753 VVALAFRIDVS STRABO *de Rebus Ecclesiastic. cap.* 31. *Diaconi, & Subdiaconi Presbyterorum adiutores sunt in verbo Baptismo, & quotidiano officio.* Cum ergo Sacerdotis munus, in his rebus Sacrum sit, ac Divinum: Divinum vtique, & Sacrum erit Subdiaconi Ministerium, cum ipsi, pro suo munere competat, Sacerdoti in eisdem illis rebus inservire, & in eodem officio cooperari. Quod confirmari potest RABBANI MAVRI Authoritate idem cum S.ISIDORO sentientis *lib.* 1. *de Institut. Cleric. cap.*8.

1754 CONCILIVM LATERANENSE *sub Alexandro III.* Subdiaconatum inter maiores Ordines enumerat *cap.* 12. dicens: *Clerici in Subdiaconatu, & suprà, in minoribus quoque Ordinibus, & stipendijs Ecclesiasticis sustentantur, coram Iudice seculari Advocati in negotijs fieri non præsumant, nisi propriam, vel Ecclesiæ suæ causam fuerint prosecuti.*

1755 ALEXANDER III. qui eodem tempore floruit, Subdiaconatum à minoribus Ordinibus distinguit, illumque inter Sacros, & maiores Ordines recenset, *Epist. ad Herfordensem Episcopum*, sic scribens: *De eo autem quod quęsivisti: an liceat extra ieiunia Quatuor Temporum, aliquos, in Ostiarios, Lectores, Exorcistas, vel Acolytos, aut etiam Subdiaconos promovere; tibi respondemus, quod licitum est Episcopis, Dominicis diebus vnum, aut duos ad minores Ordines promovere: Sed ad Subdiaconatum, non nisi in Quatuor Temporibus, aut Sabbato Sancto, vel Sabbato ante Dominicam in Passione, nulli Episcoporum, pręterquam Romano Pontifici, liceat aliquem ordinare.* Quod quidem tempus, ab Ecclesia solummodo, pro Sacris Ordinibus conferendis constitutum est.

1756 INNOCENTIVS III. qui in vtraque Iurisprudentia mirificè emicuit, præcipuum Subdiaconi Ministerium vti valdè Sacrum agnoscit; siquidem *lib.* 1. *Mist. Missæ*, *cap.*4. hæc tradit: *Subdiaconi Nathinæorum vices in Ecclesia representant: de quibus rectè Patribus placuit, vt qui Sacra Mysteria contrectant, Legem Continentiæ debeant observare.*

1757 ANGELICVS DOCTOR *in* 4. *Sentent. dist.* 24. suprà laudata, & *in additione ad* 3.*partem, quæst.*37. Subdiaconatum, illiusque Ministerium, Sacrum esse manifestè ostendit *art.*2. *in corpore*, sic discurrens: *Et ideò aliter dicendum, quod Ordinis Sacramentũ ad Sacramentũ Eucharistię ordinatur, quod est Sacramẽtũ Sacramẽtorum: vt Dionysius dicit (*de Eccl. siast. Hierarch.cap.*3.) sicut enim templum, & Altare, & vasa, & vestes, & Ministri, qui ad Eucharistiam ordinantur, Consecratione indigent, & hæc Consecratio est Ordinis

nis Sacramentum: Et ideò distinctio Ordinis est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam, quia potestas Ordinis, aut est ad Consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod Ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est Ordo Sacerdotum.* Et postquam de Sacerdotis, & Diaconatus Ministerio eruditè tractavit, hæc de Subdiaconatus munere subdit: *Secundò est Ministerium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinãdam in Sacris Vasis ipsius Sacramenti, & hoc pertinet ad Subdiaconum: Vndè dicitur in littera, quod Vasa Corporis, & Sanguinis Domini portant, & oblationes in Altari ponunt; & ideò accipiunt Calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cum ordinantur.*

1758 Et *art. 3.* præclarè docet Subdiaconatum esse inter Sacros Ordines computandum, dicens: *Respondeo dicendum quod Ordo dicitur Sacer dupliciter: vno modo, secundum se, & sic quilibet Ordo est Sacer, cum sit Sacramentum quoddam: alio modo ratione materię, circa quam habet aliquem actum; & sic Ordo Sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: & sic sunt tantum tres Ordines Sacri, scilicet Sacerdotium, & Diaconatus, qui habent actum circa Corpus Christi, & Sanguinem consecratum: Et Subdiaconatus qui habet actum circa Vasa consecrata: & ideo eis etiam Continentia indicitur, vt Sancti, & mundi sint, qui Sancta tractant.*

1759 RICARDVS DE MEDIAVILLA *in 4. Sentent. Distin. 24. quæst. 3. art. 3.* loquens de Sacramento Eucharistiæ: *In Sacramenti (inquit) confectione deseruiunt tres Ordines, scilicet Diaconatus, Subdiaconatus, & Presbyteratus. Subdiaconatus materiam Sacramenti accipit à populo, & offert Diacono, &c. (Et infra) Hi tamen Ordines, quamvis sint Sacramentum vnum vnitate prædicta, non tamen habent inter se ita necessariam connexionem, quin defacto possit suscipi posterior, priore non suscepto.*

1760 Nostræ Assertioni præclarè etiam patrocinatur Subtilissimus IOANNES SCOTVS *in 4. Sentent.* Subdiaconatus Ordinem, illiusque ministerium Sacrum esse manifestè convincens; nam *quæst. 1. art. 2.* hæc scribit: * In Ecclesia tantum sunt septem Ordines, quorum primus est gradus disponens ad Consecrationem Eucharistiæ, & est Sacerdotium. Secundus est disponens ad dispensationem Eucharistiæ, saltem Sanguinis, & est Diaconatus. Tertius est disponens ad oblationem materiæ Eucharistiæ consecrandæ, & est Subdiaconatus. Et patet ratio, quare tres isti gradus Sacramenti dicuntur Ordines, quia immediatè disponunt ad actum aliquem, vel ministerium circa Eucharistiam, vel eius materiam exhibendam. (Et infra) Ex dictis apparet, quod non est proprius actus Diaconi legere Evangelium, & Subdiaconi, Epistolam; sed isti sunt remoti, & minùs perfecti eorum actus. Perfectissimi autem, & proprij illorum sunt, quos habet vnus immediatè circa Eucharistiam dispensandam, alius circa materiam eius offerendam.* Hęc ille.

1761 GVIDVS, Præclarum Carmelitani Ordinis decus, & ornamentum, postquam *Hæresi 19. Græcor.* minores Ordines explicuit, hæc, inter alia, subdit. *Et sicut ad legendum Evangelium institutus est Ordo Diaconorum, sic ad legendam Doctrinam Apostolicam, contentam in Epistolis Apostolorum, quæ supponitur in Evangelio, convenientèr institutus est in Ecclesia Ordo Subdiaconotum, quorum sit potestas legendi Epistolas in Missa, tam pro vivis, quam pro defunctis.*

1762 Admodum Reverendus P. THOMAS DE ARGENTINA, qui suæ Virtutis, & Doctrinæ meritis ad supremum Augustinianæ Religionis apicem fastigiatus fuit, Subdiaconatũ esse Ordinem Sacrũ prædicare confirmat *in tit. 4. Sent. Distin. 24. quæst. 1. art. 2.* vbi hæc leguntur: *Omnes gradus Ecclesiastici Ordinis ordinantur ad Sacramentum Altaris, quod dicitur Sacramentum vnionis, quia Fideles illo Sacramento vniuntur Domino IESV CHRISTO. Ad quam vnionem duo requirũtur: primò, CHRISTI ad nos approximatio, quæ fit per Sacramenti Eucharistiæ Consecrationem, & ad istum actum deseruiunt tres Sacri Ordines, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus: quia Subdiaconus materiam præparat parando Calicem cum Vino, & Aqua, & Patenam cum Hostia consecranda. Hęc autẽ sic parata offert Diaconus Sacerdoti, Sacerdos autem sic accipiens à Diacono, offert ipsi Deo, & consecrat Divinorum Verborum Ministerio.*

1763 Pręclarus ille Vir Pietate, & Doctrina insignis IOANNES GERSON,

Bbbb Pa-

Parisiensis Cancellarius, *in Compend. Theolog.* de Sacram. Ordin. sic loquitur: * Ordinum vnus est supremus, & principalis, scilicet Sacerdotium: alij secundarij, & huic deservientes. Supremus Ordo duos habet actus, scilicet principalem, qui est conficere Corpus Christi; & secundarium, qui est populum præparare, vt idoneè cõmunicet. Secundarij autem Ordines, & huic supremo Ordini deservientes, aut deserviunt ei quoad actum suum principalem, aut quoad actum suum secundarium. Si quoad actum suum principalem, qui est conficere Corpus Christi, tunc est potestas super Hostias, ex quibus conficitur Corpus Christi. Et hoc potest esse dupliciter: quia aut in comparatione quoad populum, qui eas offerunt in templo, & sic est Ordo Subdiaconatus. Subdiaconi enim interest accipere Hostias à populo, & reponere in Presbyterio, vt ipsas ministrare possit Diacono, vt dicit Isidorus, &c.*

1764 Coronidem tandem imponat eximius ille Sacrarum Litterarum interpres Doctrina, & Pietate conspicuus DIONYSIUS CARTHUSIANUS, qui litterariam Rempublicam suis eruditissimis scriptis nobilitavit; hic enim *tom.* 1. *operum minorum in Compend. Theolog. Proposit.* 38. hęc exaravit: *Septem sunt partes ipsius (Ordinis scilicet) quæ per analogiam Ordines nuncupantur, puta Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, qui Ordines Sacri vocantur, in quibus, & caracter imprimitur, & habentes eosdem ad Continentiam sunt astricti. Alij sunt quatuor Ordines minùs principales, satis noti, in quorum quolibet caracter imprimi perhibetur.*

1765 Ex tot Concilijs, Patribus, & celebrioribus Ecclesiæ Doctoribus antiquitate, & Doctrina conspicuis satis patescit Subdiaconatum semper ab initio nascentis Ecclesiæ non modo inter Ecclesiasticos, sed inter Sacros etiam Ordines fuisse connumeratum, illiusque Ministerium, vt Sacrum, & Divinum habitum fuisse, ac existimatum. Et quamvis tot virorum Authoritas satis, superque esset, vt perversa Hæreticorum oppositum censentium convinceretur improbitas; nihilominùs, ne quis existimet rem adeò gravem ratione destitui eam non levi argumento aggredimur suadendam.

§. V.

SUBDIACONATUM ESSE Ordinem Sacrum, ratione probatur.

1766 ILle est Ordo Sacer, cui annexum est Votum Continentiæ, & Castitatis, vt rectè probat B. ALBERTUS MAGNUS *in* 4. *Sentent. Distinct.* 24. Vbi de Sacerdotio, Diaconatu, & Subdiaconatu loquens, hæc habet: * Dicuntur Sacri isti Ordines propter Sanctitatem, quæ indicitur ministrantibus in eis: Oportet enim habere Votum Continentiæ, vel simpliciter, vel secundum tempus: simpliciter, vt in Occidentali Ecclesia; quia non dantur isti tres vltimi Ordines, nisi voventibus, & observantibus Castitatem perfectam: secundum tempus autem, in primitiva Ecclesia, vt in Ecclesia Orientali, si in Matrimonio Ordinem suscipiunt, permanent in Matrimonio, sedtamen quamdiù ministrant, separantur ab vxoribus suis, & iterum illa mortua, aliam ducere non possunt.* Hactenus Albertus.

1767 Albertum sequutus est suus præclarissimus discipulus ANGELICUS DOCTOR *in* 4. *Sentent. Distinct.* 38. *quæst.* 1. suprà laudata; *& in addition. ad* 3. *part. quæst.* 53. *art.* 3. *in corpore:* * Respondeo (inquit) dicendum quod Ordo Sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia, quod Matrimonium impedire debeat, quia in Sacris Ordinibus constituti Sacra Vasa, & Sacramenta tractant: & ideò decens est, vt munditiam corporalem per Continentiam servent: sed quod impediat Matrimonium ex Constitutione Ecclesiæ habet, tamen aliter apud Latinos, quam apud Gręcos: quia apud Græcos, impedit Matrimonium contrahendum solum ex vi Ordinis: sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & vlterius ex Voto Continentiæ, quod est Ordinibus Sacris annexum; quod etiam si quis verbo tenùs nõ emittat, ex hoc ipso quod Ordinem suscipit secundum Ritum Occidentalis Ecclesię, intelligitur emisisse.*

1768 Angelico Præceptori consonat D. BONAVENTURA *in* 4. *Dist.* 24. qui reddens rationem, cur Sacramentum Ordinis diversos gradus habeat, & per Sacros, & non Sacros dividatur, hanc adducit: * Quia ordinat ad dispensandum Sa-

Sacramentum dignissimum, & Ministrandum in Templo Dei. Ad Ministerium autem illud concurrunt quędam Officia digniora, & quędam minùs digna: Et si omnia requirant Ministros Sanctos: Illa tamen, quę attenduntur circa Altare, circa portationem Vasorum Sacrorum, & circa oblationem Sacrificij consumandam potissimè requirunt Ministros Sanctos iuxta illud *Isaiæ* 51. *Mundamini, qui fertis Vasa Domini.* Sanctitas autem, vel Sanctificatio potissimè consistit in Continentia. Et ideò sunt quidam Ordines, qui requirunt Continentiam in Ministris, quidam verò minimè. Ideò rectè Ordines quidam Sacri dicuntur, quidam non Sacri, non ratione sui, sed ratione materiæ, & Ministerij, ad quod requiritur Sanctitas in Ministro.*

1769 Quod eleganter confirmat Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. servanda, Dist.* 32. sic scribens: * Circa primum, dicit Gratianus, quod servanda est Continentia ab omnibus in Sacris Ordinibus Constitutis.* Et *in quæst.* quam super hoc Caput exagitat: vtrum scilicet, Ordines convenienter distinguantur per Sacros, & non Sacros? Resolvit Sacros Ordines, Sacerdotium nempè, Diaconatum, & Subdiaconatum, ob Continentiam ipsis annexam, cum Matrimonio cohęrere non posse: *Patet (inquit) Conclusio: quoniam Ordines Sacri impediunt Matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum.* Quod prius expressè tradiderat ANGELICVS DOCTOR *in 4. senten. Dist.* 24. dicens: * Et sic Ordo Sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam, & sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, qui habet actum circa Vasa Consecrata. Et ideo etiam eis Continentia indicitur; vt Sancti, & mundi sint, qui Sancta tractant.*

1770 Sed omitti non potest eiusdem Cardinalis Doctrina *ad cap. Erubescant, Dist.* 32. vbi docet: *Quod Sacer Ordo dicitur tripliciter. Primo modo, quia deputatus est Sacro Officio, id est Ecclesiastico, vel Clericali, & secundum hoc quilibet Ordo est Sacer. *vt* 1. *quæst.* 1. *quolibet.* Et 6. *quæst.* 1. *Infames.* & 28. *quæst.* 1. *Nullus.* Secundò, dicitur Sacer Ordo ille tantum, cui Continentia est indicta, & cui licet Sacra contingere ministrando Altari, & isto modo sunt Sacri Ordines tres, scilicet Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Tertio dicuntur Sacri illi, in quorum collatione imponitur manus, &c.*

1771 Turrecrematæ subscribit Episcopus BARBOSA *de Iure Eccles. Vni. lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 16. dicens: * Quare melior ratio erit, si dicamus, Ordinem Sacrum illum dici, qui habet annexum Votum Castitatis, & non Sacrum illum, qui huiusmodi votum annexum non habet.* In cuius rationis confirmationem præter Turrecrematam *in cap. Erubescant* supra citatum adducit ABBATEM *in cap. A multis*, & PETRVM GREGORIVM *in Syntagmate Iuris, lib.* 16. *cap.* 7. *num.* 9.

1772 Subdiaconatum autem ab initio nacentis Ecclesiæ semper habuisse Castitatem annexam probant ex Summis Pontificibus S. LEO PAPA *Epist.* 8. *cap.* 4. NICOLAVS I. CALIXTVS II. S. GREGORIVS. EVGENIVS. NICOLAVS II. & S. GREGORIVS VII. quos suprà laudavimus.

1773 Ex Concilijs, SEXTA SYNODVS *Cap.* 4. CONCILIVM ILLIBERITANVM *Cap.* 33. AGATHENSE *Cap.* 39. AVRELIANENSE III. *Cap.* 11. ALTISIODORENSE, ROMANVM, TOLETANVM I. TVRONENSE I. & II. & SYNODVS TRVLLANA. Ex Sanctis Patribus S. PETRVS DAMIANVS, DIVVS THOMAS, alijque plures, quos suprà pro hac eadem veritate lato calamo adduximus. Vndè si Ordo Sacer ille est, qui Votum Castitatis habet annexum, vt ex D. THOMA, ALBERTO MAGNO, D. BONAVENTVRA, & alijs, probavimus: Cum Subdiaconatus ab initio nascẽtis Ecclesiæ huiusmodi Castitatis Votum semper annexum habuerit, vt ex Concilijs, & Patribus ostendimus: hinc non inefficaciter concluditur, Subdiaconatum esse Sacrum Ordinem omnibus numeris absolutum.

1774 Sed contrà prædicta obstat: quod in primitiva Ecclesia Subdiaconatus non reputabatur Sacer, vt inquit VRBANVS II. *in cap. Nullus* 60. *distinct.* Et ideo legimus tempore Siricij, antiquissimi Pontificis Cathedram Petri tenentis *anno Domini* 385. Subdiaconatum minimè fuisse Sacrum Ordinem *in cap. Quicumque*, vbi GLOSSA *vers. Ad Diaconi*, 77. *distin.* & tempore LVCII Papę *in cap. Ministri.* 81. *distinct.* ita Doctores per Textum

ibi *in Cap. A multis, de Ætat. & Qualit.* DVRANDVS *in ration. Divin. Offic. lib. 2. cap. 8. in prin.* Cardinalis BELLARMINVS *tom. 2. de Sacram. Ordin. lib. 1. cap. 7.* HENRIQVEZ *in Summa lib. 10. cap. 13. §. 4.* VAZQVEZ *in 3. par. disp. 237. cap. 2. num. 12. & disp. 238. cap. 1. num. 7.* CAMPANIL *Rubric. 2. num. 20. in princ.* SEBASTIANVS CÆSAR *de Ecclesiast. Hierarch. §. 1. num. 8.* BOETHIVS EPPON. *in Coment. ad cap. Clericus 6. & 8. de Vita, & Honest. Clericor.* qui omnes probant Subdiaconatum olim Sacris Ordinibus annumeratum non fuisse.

1775 Huic difficultati responderi potest ex doctrina Archiepiscopi ACVÑA *in cap. Si quis eorum, num. 6. 37. Distinct.* concedentis Subdiaconatum in primitiva Ecclesia Sacrum non fuisse, vt docet ABBAS, & alij *in dict. cap. A multis 9. de ætate, & qualit.* per textum ibi; & *in dict. cap. Miramur. de servis non ordinandis*; ideo autē Sacer non erat, non ex eo, quod non habuerit Continentię Votum annexū; sed quia Subdiaconus res Sacras proximè nō contingebat. Cum igitur in Ecclesiæ primordijs Subdiaconis non liceret Sacra Vasa tangere, vt patet *ex cap. Nullus 24. Dist.* & ex CONCILIO LAODICÆNO *cap. 21.* teste *Belarmino* proximè relato, ideo Sacer non dicebatur. At postquam futuris temporibus cæperunt Subdiaconi Sacra Vasa contingere, vt constat *ex cap. Non licet 23. Distinct.* cæpit Subdiaconus, Sacer Ordo nuucupari. Quod postea VRBANVS II. *in cap. Nullus 60. Distinct.* magis confirmavit, dum concessit, vt Subdiaconus in Episcopum eligeretur, vt notat BELLARMINVS, vbi proximè, *vers. Olim.*

1776 Verum estò prędicta solutione, Doctrina oppositi textus, & Sententiæ, quibus Subdiaconatus Sacer, & non Sacer iuxta diversa tempora adstruitur, aptè conciliari videantur, iuxta celeberrimum illud Iuris axioma: *Distingue tempora, & concordabis Iura*; asserere tamen Subdiaconatum in Ecclesiæ primordijs Sacrum Ordinem non fuisse, quia primitùs Sacra Vasa non tangebat, haud levem difficultatem involvit; necesse enim est vt fateamur Subdiaconis, adhuc in ipsius Ecclesiæ incunabulis Sacra Vasa contigere licuisse; primò quia in quolibet toto, nihil est antiquius, & magis primarium, quam partes, è quibus essentialiter constituitur, vt fert communis Philosophorum, & Theologorum consensus: cumque quodlibet Sacramentum sit quoddam totum, hinc materia, & forma, Sacramenti partes essentiales dicendæ sunt, cum sine illis nequeat illius valor, & essentia salvari. Vndè necessariò fatendum est, ab initio nascentis Ecclesiæ Subdiaconis Sacra vasa contingere licuisse: cum horum Vasorum traditio, & tactus, essentialis huius Sacramenti materia semper extiterit; propria enim Ordinationis Subdiaconi materia est traditio Calicis vacui cum Patena superposita, vt expressè habetur in CONCIL. CARTHAG. IV. *cap. 5. relato in cap. Subdiaconus, 23. distinct.* & in CONCIL. FLORENTINO *sub Eugenio IV. in Decret. Fidei, post vltimam Sessionem, §. Sextum Sacram.* & probant S. THOMAS *in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 1. ad 1.* GVILLELMVS DVRANDVS *in Ration. Divin. Offic. lib. 2. cap. 8. num. 3.* RODVLPHVS CVPPERS *in repet. cap. Oportebat 79. distinct. in §. Subdiaconatus Ordo, art. 1.* IACOBVS DE GRAFFIS *in Aureis Decisionib. part. 2. lib. 1. cap. 9. num. 6.* VELENTIIS *Tom. 4. disput. 9. quæst. 1. punct. 5. vers. tertia quæst.* VAZQVEZ *Tom. 3. in 3. part. disput. 236. cap. 3.* ÆGIDIVS CONINCK *de Sacrament. quæst. 20. de Ordine, dub. 7. conclus. 4.* OCHAGAVIA *Tract. vnic. de Sacram. Ordin. quæst. 3.* MOLFESIVS *in Theolog. Moral. Tract. 2. cap. 8. num. 14. & 15.* PAVLVS COMITOLVS *Respons. Moral. lib. 1. quæst. 52.* GALGANET *de Iure publico, lib. 3. Tit. 26. num. 1.* CAROLVS DE GRAFFIS *de Defect. Cleric. in Prælud. num 288.* MACHADO *Tract. 7. docnment. 1. num. 4.* Episcopus BARBOSA *de Offic. & Potest. Episcop. part. 2. Allegat. 14. num. 3.* & communiter Theologi de Sacramentis tractantes. Ideò nullo vmquam Iure prohiberi potuit Subdiacono ne Sacra Vasa tangeret, Calicem scilicet, & Patenam suæ Ordinationis materiam, hoc namque videretur absurdum.

1777 Nec obstat CONCILIVM LAODICENSE *cap. 21.* relatum *in cap. Non oportet, 23. Dist.* inhibens Subdiaconis ingressum in Sacrarium, & Dominicorum Vasorum contactum; non enim ibi prohibetur illis ne tangant Vasa Sacra, Calicem scilicem, & Patenam suæ Ordinationis materiam, sed ne tangant Vasa in quibus Sacrę Eucharistiæ reliquiæ servantur: non enim poterant huiusmodi

Va-

Vasa deferre, aut extrahere ex loco vbi Eucharistia servabatur, quia hoc tantum Diaconis concessum erat. Sensus istè manifestè colligitur, si Laodiceni Concilij verba, dictique *cap. Nullus Acolytorum. Sentent.* attentè perpendantur, huic intelligentię suscribunt VAZQVEZ *disp.* 238. *cap.* 6. *à num.* 59. & SEBASTIANVS CÆSAR suprà laudatus §. 1. *num.* 9. Episcopus BARBOSA *de Iure Ecclesiast. cap.* 37. *lib.* 1.

1778 Secundò, probatur esse proprium Subdiaconi Ministerium Sacra Vasa contingere; id enim manifestè patet ex CONCILIO CARTHAGINENSE IV. *cap.* 5. vbi dicitur: * Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, Patenam de manu Episcopi accipiat vacuum.* Vnde cum Patena Sacra sit, iam Subdiaconus in ipso suę Ordinationis exordio Sacra tangit.

1779 Quod eleganter confirmat S. CLEMENS ROMANVS, dum *lib.* 8. *Constit. Apostol. cap.* 21. in forma Ordinationis Subdiaconi, Sacra contingere includit, dicens: * Hypodiaconum cum ordinas Episcope, imponas ei manus, & dicas: Domine Deus effector Cœli, & Terræ, qui in Tabernaculo Testimonij Æditiuos fecisti Sanctorum Vasorum Custodes, & ipse nunc respice hunc famulum tuum, qui ad Ministerium Hypodiaconi electus est, & tribue ei Spiritum Sanctum, vt Vasa ad ministrandum tibi facta dignè attrectet, pareatque voluntati tuæ semper. Per Christum Dominum nostrum, &c.*

1780 Insuper Subdiacono licere sacra contingere expresè tradit CONCILIVM BRACCARENSE I. *cap.* 28. vbi hæc statuit: *Placuit vt non liceat cuilibet ex Lectoribus Sacra Altaris Vasa portare, nisi his, qui ab Episcopo Sabdiaconi fuerint ordinati.*

1781 S. ISIDORVS Hispalensis *de Offic. Ecclesiast. lib.* 2. *tap.* 10. censet proprij Subdiaconorum muneris esse Sacra contingere: *Subdiaconi oblationes in Templo suscipiunt à populis: isti obediunt Officijs Levitarum, isti quoque Vasa Corporis, & Sanguinis Christi Diaconis ad Altare offerunt, &c.*

1782 ALCVINVS *lib. de Divin. Offic. cap.* 35. * Subdiaconus (inquit) Subminister est, eo quod sub Diacono sit, idest sub Ministro. Illius ministerium est, vt ministret Diacono, idest, deferat ei linteum super quo consecrandum est Corpus, & Sanguis Domini: deferat ei Panem cum Oblatis, & Calicem, quo Vinum, & Aqua habeatur, quia de Latere Domini processit Sanguis, & Aqua.* Vnde Subdiaconus ratione sui Officij, & Ministerij, necessariò habet tangere Sacra. Quod egregie confirmat RABBANVS MAVRVS, dum *lib.* 1. *Instit. Clericor. cap.* 8. idem quod ex S. Isidoro citavimus, apertissimè asseverat.

1783 Consonat IVO CARNOTENSIS, qui *Serm. de excellent. Sacror. Ordin.* de Subdiaconatu loquens: * Quinto inquit) loco ordinantur Subdiaconi, qui iam Ministerio Altaris approximant, qui Vasa Corporis, & Sanguinis Domini portant.* Igitur Sacra tangunt.

1784 INNOCENTIVS III. *lib.* 1. *Myster. Missæ, cap.* 4. *Subdiaconi Nathineorum vices in Ecclesia repræsentant: de quibus rectè Patribus placuit, vt qui Sacra Mysteria contrectant Legem Continentię debeant observare.*

1785 Sanctus THOMAS *in* 4. *Sent. distinct.* 24. sæpiùs iam citata; & *in Addition. ad* 3. *part. quæst.* 37. inter alia hæc habet: *Distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam, quia potestas Ordinis, aut est ad Consecrationem ipsius, aut ad aliquod Ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum.* Et postquam de Sacerdotis, & Diaconatus Ministerio egerat, de Subdiaconatus munere hæc subiungit: *Secundò est Ministerium ordinatam ad materiam Sacramenti ordinandam in Sacris Vasis ipsius Sacramenti, & hoc pertinet ad Subdiaconum. Vndè dicitur in littera (*Mag. Sent.*) quod Vasa Corporis, & Sanguinis Domini portant, & oblationes in Altari ponunt; & ideò accipiunt Calicem de manu Episcopi, sed vacuum cum ordinantur.*

1786 Subtilis SCOTVS *lib.* 4. *Sent. distinct.* 24. *quæst.* 1. *art.* 2. de Subdiaconi Ministerio hæc scribit: *Tertiùs est disponens ad oblationem materiæ Eucharistię consecrandam, & est Subdiaconatus. Et patet ratio quare tres isti gradus Sacramenti dicuntur Ordines, quia immediatè disponunt ad actum aliquem, vel Ministerium circa Eucharistiam, vel eius materiam exhibendam.*

1787 Tandem THOMAS ARGENTI-

TINAS *in 4. Sent. Distinct. 24. quest. 1. art. 2.* nostræ assertioni egregiè patrocinatur. censet enim omnes tres Sacros Ordines Maiores ad Sacramenti Eucharistiæ Consecrationem concurrere, dicens: *Ad istum actum deserviunt tres Sacri Ordines, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, quia Subdiaconus materiam præparat, parando Calicem cum Vino, & Aqua, & Patenam cum Hostia consecranda, &c.* Ex quibus Authoritatibus manifestè convincitur proprium esse Subdiaconi Ministerium, Sacra tangere; sicque iuxta communem tot gravissimorum Authorum mentem, & consensum, ipsum omni tempore semper, vt Sacrum Ordinem habitum fuisse, atque vt talem debere ab omnibus iudicari; cum Sacra Vasa ab alijs tangi non debeant, quam ab hominibus Sacratis, & in aliquo Ordine constitutis, vt clarè docent Summi Pontifices STEPHANVS I. *in Epist. ad Hilarion.* SIXTVS I. *Epist. 1. de qua tom. 1. Concilior.* & SYLVESTER *in Romana Synodo, Act. 1. Cap. 9. eodem tom. 1. Concilior.* & expressè habetur *in cap. Nullus Acolytus. 24. distinct. in cap. Sacratas. 23. distinct. & in cap. Sancta. de Consecrat. distinct. 1.*

1788 Cum ergo Subdiaconatum à primordijs Ecclesiæ fuisse Ordinem Sacrum tot firmissimis principijs probaverimus; modò respondendum est argumento Authoritate VRBANI II. *in cap. Nullus. 60. Distinct.* innixo, quo probatur Subdiaconatum in primitiva Ecclesia non fuisse Sacrum Ordinem reputatum; quod, & alijs etiam textibus confirmari videbatur.

1789 Respondemus igitur, Subdiaconatum semper fuisse, adhuc in Ecclesiæ primordijs, inter Sacros Ordines connumeratum, vt ex adductis testimonijs manifestè innotescit. Nec obstat Textus *in cap. Miramur*, vbi dicitur, Subdiaconatum à Constitutione Vrbani, & Gregorij, esse Ordinem Sacrum. Non, inquam, obstat; Pontifex enim ibi non dicit Subdiaconatum à tempore Gregorij, & Vrbani cæpisse esse Ordinem Sacrum; sed solum asserit ex indè cæpisse non dubitari esse Sacrum, licet enim antea Sacer esset; Vrbano tamen statuente, posse Subdiaconum in Episcopum elegi, & Gregorio abusum, qui in Sicilia irrepserat, contrahendi Matrimonium in Subdiaconatu, Apostolicis suis litteris, ac Diplomatibus penitùs extirpante; cæpit Subdiaconatus his duobus Beneficijs decoratus ab omnibus pro Sacro indubitanter haberi, vti antea in rei veritate erat, & à Doctissimis, & Sanctissimis Viris, vt talis fuerat reputatus. Huic solutioni patrocinatur GLOSSA Marginalis *in dict. cap. Miramur*, & suffragatur etiam SYLVESTER, *verbo Matrimonium*, §. 12. *in 6. Dist.* vbi docet, constitutos in Sacris Matrimonium contrahere non posse, citatque nostrum textum de Subdiaconatu loquentem. Hanc eandem explicationem approbat Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. Si Subdiaconus. 34. Distinct.* ad illud verbum *Duxerit*, dicens: *Alio modo exponitur iuxta intellectum de facto, quia de iure numquam potuit Subdiaconus contrahere, nec in Orientali, nec in Occidentali Ecclesia, vt 32. Dist. si qui eorum.* Et tamen si defacto contraxerit, repellitur, quamvis non fuit Matrimonium, quia quantum potuit facit, vt 27. *quest. 1. quotquot*, quia voluntas in talibus maximè attenditur, vt *Extra. de Bigamis. Nuper.**

1790 Quod confirmat GLOSSA *in cap. Siquis eorum. 32. distinct.* vbi docet: à tempore Apostolorum numquam Subdiaconis Matrimonium contrahere, licuisse. In cuius expositione optimè notat Illustrissimus ACVÑA, quod licet Glossæ opinio ab omnibus deserta videatur, ipsi tamen non displicet, eamque probat *ex Can. 25. Apostol.* & alijs ibi ab ipso laudatis.

§. VI.

SVBDIACONATVM SEMPER habuisse Castitatis Votum annexum, breviter suadetur, & obiectionibus exhibetur solutio.

1791 LVculentissimis Patrum, Conciliorum, & singularis Fidei, ac eruditionis Authorum testimonijs statuta iam, ac affatim roborata prima propositi dubij parte, Subdiaconatum nempè Sacri Ordinis Dignitate insigniri; ad secundam eiusdem discutiendam accedimus; an scilicet Subdiaconatus annexum habeat Votum Castitatis?

1792 Huius dubij resolutio ex ijs, quæ ex Concilijs, & Patribus latè probavimus, manifestè potescit; ostendimus enim Castitatem Sacro Ordini ab Ecclesiæ primordijs fuisse semper annexam; aliunde ex eisdem Concilijs, & Patribus pro-

probavimus Subdiaconatum fuisse semper Sacri Ordinis dignitate insignitum; ex quibus manifestè deducitur Continentiæ Votum esse illi indispensabiliter annexum. Verùm estò hæc ita se habeant, pro maiori tamen huius secundæ partis illustratione, aliquas Sanctorum Patrum Authoritates duximus afferendas, quibus efficaciùs nostra roboretur Assertio.

1793 S. ISIDORVS, Hispalensis Antistes, *de Offic. Eccles. lib. 2. cap.* 10. loquens de Subdiaconis, eorumque Ministerio, quod est Vasa Corporis, & Sanguinis Domini ad Altare offerre, hæc scribit: *De quibus placuit Patribus, vt quia Sacra Mysteria contrectant, Casti sint, & Continentes ex vxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, iuxtà illud *Isaiæ* 51. *Mundamini qui fertis Vasa Domini.*

1794 INNOCENTIVS III. *lib.* 1. *Myster. Missæ, cap.* 4. de Subdiaconis, istorumque Ministerio agens: *Subdiaconi (inquit) Nathinæorum vices in Ecclesia repræsentant, de quibus rectè Patribus placuit, vt qui Sacra Mysteria contrectant, legem Continentię debeant observare.*

1795 ANGELICVS DOCTOR *in* 4. *Sentent. Dist.* 24. *& in Addition. ad* 3. *part.* de Subdiaconi Ministerio, hæc habet: * Subdiaconatus, qui habet actum circa Vasa consecrata; & ideò etiam eis Continentia indicitur; vt Sancti, & mundi sint, qui Sancta tractant.*

1796 At nostræ Assertioni tot Sanctorum Patrum testimonijs roboratæ obstare videtur TEXTVS *in cap.* 4. *Qui Clerici, vel vovent. in* 1. *Collect.* in illo enim ALEXANDER III. Decano, & Canonicis Lemovicensis Ecclesiæ, rescribens: *Cum institisset (inquit) apud nos Herbertus, &c.* Prout in vltimo argumento retulimus. Ex quo Textu inferunt aliqui licere Subdiacono Coniugium inire; eiusdemque Textus Authoritate se se protegunt Hæretici, vt audacter asseruerint posse quemlibet Sacris initiatum Ordinibus Matrimonium contrahere.

1797 BASILIVS PONTIVS Legionensis, vt predicti Textus dificultatem dissolvat, censet *lib.* 7. *de Matrimonio, cap.* 27. Subdiaconatum tempore Alexandri III. non sic fuisse inter Sacros Ordines computatum, vt eo Ordine insignitus, Matrimonium contrahere non valeret; quod probat ex eodem Alexandro, qui *p.* 18. post Lateranense Concilium *cap.* 4. hæc statuit: * Si autem Subdiaconi contraxerint Matrimonium, eos, dummodò ante tales fuerint, quod timendum sit ne pro vna pluribus abvtantur, dissimulare poteris cum suis mulieribus remanere, quia tolerandum est malum, vt peiora evitentur.*

1798 Verum tanti Authoris, qui sua opera singulari eruditione cumulavit, sensum, & sententiam venerantes, non possumus non huiusmodi solutionem difficultati obnoxiam existimare, cum videamus ipsum ALEXANDRVM *in cap.* 1. *Tit. de Cleric. coniugat.* asserere in minoribus gradibus constitutos posse Matrimonium contrahere; Subdiaconum verò non posse. Et *in cap. Si quis Cleric. eodem tit.* statutum legamus ijs, qui in minoribus gradibus constituti sunt, licitum esse coniugium inire; Subdiaconum verò vxorem ducere nulla ratione concedi; ibi enim hæc leguntur: *Si quis Clericorum, infrà Subdiaconatum, acceperit vxores, ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas vxores districtione Ecclesiastica compellatis: Sed si in Subdiaconatu, & alijs superioribus Ordinibus vxores accepisse noscuntur, eos vxores dimittere, & pœnitentiam agere de commisso, per suspensionis, & excomunitionis Sententiam compellere procuretis.* In cuius expositione notat Glossa, quod Clericus coniugatus, in minoribus Ordinibus constitutus, debet vxorem retinere, & amittere Beneficium Ecclesiasticum. Item, Clericus in Sacris Ordinibus constitutus, contrahens, debet vxorem dimittere: quia non tenuit Matrimonium; & privandi sunt beneficijs suis, nisi cum eis dispensetur. Vndè GRATIANVS *in prædict. cap.* hæc notavit: *Matrimonium contractum per Clericum existentem in Sacris, non tenet, secus in minoribus: sed tunc cogitur dimittere beneficium.*

1799 Hùc præclarè facit CAN. APOSTOL. 27. vbi hæc leguntur: *In nuptijs autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus vt, si voluerint, vxores accipiant: sed Lectores Cantoresque tantummodò.* Et ad rem nostram aptiùs EVGENIVS II. *decret.* 2. *Præcipimus (inquit) observari, vt qui in Ordine Subdiaconatus, aut suprà, vxorem duxerint, aut concubinas habuerint, Officio Ecclesiastico, & Beneficio careant.*

His

1800 His accedit VI. SYNODUS *Can.6.* ibi: *Quoniã in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta vxore in Clerum promoventur, solos Lectores, & Cantores posse vxorem ducere; & nos hoc servantes decernimus, vt deinceps nulli pœnitùs Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui Ordinationem, contrahere liceat. Si autem hoc fuerit ausus facere, deponatur.* Hinc manifestè constat, quam antiquum sit in Ecclesia non posse Ministros, Sacris Mysterijs initiatos, adhuc Subdiaconos, post Ordinationem, Matrimonij iugum subire: cum multis ante Alexandrum annis vxores ducere Subdiaconis fuerit interdictum, tum Can. Apostol. 27. tum à VI. Synodo *anno* 685. celebrata, & ab Eugenio II. qui *anno* 824. floruit; ac tandem ab Vrbano II. *anno* 1088. ad Pontificatum assumpto; qui omnes Alexandrum III. *anno* 1159. Pontificem creatum, antecesserunt, vt ex BVLLARIO MAGNO patescit.

1801 Quarè prædicta Basilij Pontij solutione relicta, tutius videtur asserere, tàm *in dict. cap. qui Clerici, vel vovent;* quàm *in cap. Si autem Subdiaconus*, à Basilio relato, Matrimonium à Subdiacono contractum validum fuisse ex Romani Pontificis dispensatione, quam haud obscurè indicant illa eiusdem capitis verba: *Dissimulare poteris.* Nisi fortè dicere placeat cum ALANO, quem sequitur D. ANTONIVS AVGVSTINVS, Tarraconensis Antistes, *in Notis ad 1. Collect. in dict. cap.* 1. in ea specie prædictum Herbertum Subdiaconatus gradum non accepisse, eo quod sese illi Ordinationi nimis enormiter ingesserit. Vndè ipse Alexander fatetur, illam nullum Herberto honorem, dignitatemque attulisse; quibus Alexandri verbis vetus Scholiastes subiungit: *Nec caracterem*, vt ipse D. Antonius Augustinus asseverat. Quarè cum illa Ordinatio vacua extiterit, nihilmirum quod Subdiaconus ille Matrimonium inierit.

1802 Opponitur tandem. Idem Ordo est apud nos, ac apud Orientales: sed apud Orientales Sacer Ordo Matrimonium non impedit, vt innui videtur *in cap. Aliter* 31. *dist. & in cap. Placuit.* 32. *distinct.* ergo neque apud Occidentales Matrimonium impediet contrahendum, aut dirimet contractum.

1803 Respondetur, negando minorem; Sacer enim Ordo vbique Matrimonium impedit contrahendum, quamvis non vbique habeat Castitatis Votum annexum. Quæ quidem solutio innitur ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, qui *in Addition. ad 3. part. quæst. 53. art. 3. in corpore*, hæc docet: *Ordo Sacer de sui ratione habet ex quodam congruentia, quod Matrimonium impedire debeat, quia in Sacris Ordinibus constituti Sacra Vasa, & Sacramenta tractant, & ideò decens est, vt munditiam corporalem per Continentiam servent. Sed quod impediat Matrimonium ex Constitutione Ecclesiæ habet; tamen aliter apud Latinos, quàm apud Græcos, quia apud Græcos impedit Matrimonium contrahendum solum ex vi Ordinis, sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & vlteriùs ex Voto Continentię, quod est Ordinibus Sacris annexum. (Et paulo infrà:) Et ideò licet apud Gręcos, & alios Orientales, Sacer Ordo impediat Matrimonium cõtrahendum, non tamen Matrimonij priùs contracti vsum: possunt enim Matrimonio priùs contracto vti, quamvis non possint Matrimonium denuò contrahere: sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit Matrimonium, & Matrimonij vsum, nisi forte ignorante, aut contradicente vxore vir Ordinem Sacrum susceperit, quia ex hoc non potest ei aliquod præiudicium generari.*

1804 Sed estò admittamus Ordinem æquè in Orientali, ac in Occidentali Ecclesia Sacrum esse, & in vtraque ab initio Ecclesię habere Castitatis Votum annexum iuxta ea, quę Sacri Canones, & Concilia à nobis relata pręscribunt, ac tandem vbique Matrimonium impedire; ingens tamen discrimen hac in re inter vtramque Ecclesiam dignoscitur, vt ANGELICVS DOCTOR admonuit; in Græca enim, Sacer Ordo Matrimonium contrahendum impedit, contractum verò non dirimit; in Latina verò semper vtrumque pręstitit.

1805 Et quamvis præfata Doctrina prædicto argumento iustè satisfaciat; pro maiori tamen solutionis elucidatione omitti non potest ratio, quam affert DVRANDVS DE SANCTO PARTIO, Meldensis Episcopus, *in 4. Sentent. Distinct.* 37. hac scribens: *Ordo Sacer ex sui ratione habet congruentiam, & dispositive impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: Minister enim debet congruere Ministerio, ad quod ordinatur: Ergo constituti in Sacris non debent contrahere,*

here, quia Clerici in Sacris sunt Ministri Dei quoad confectionem, & dispensationem ministeriorum, sive rerum Ecclesiasticarum. Ad Ministerium autem Divinum dignè exequendum duo sunt necessaria: Vnum ex parte Corporis, scilicet puritas actionis, vt possint Divina mundè tractare, & ex parte Animæ libertas contemplationis, vt possint Spiritualibus intendere, vtrumque autem horum impedit Matrimonium; tollit enim puritatem, quia maculat corpus, & contemplationem animæ, quia occupat illam circa negotia sæcularia, propter quod tollit idoneitatem ad divinum Ministerium. Similiter ad ministerium Ecclesiarum sunt duo necessaria, scilicet diligentia in administrando, & cautela in observando: Matrimonium autem, impedit diligentiam, quia occupatus extra propria minùs curat, & minùs diligens est circa communia; impedit etiam cautelam, quia in privatos vsus vxoris, & filiorum frequenter bona pauperum expenderet. Et ideò congruit, quòd promoti in Sacris non possint Matrimonium contrahere. Et sic patet quod Sacer Ordo, ex sui ratione habeat congruentiam impediendi Matrimonium; & ita dispositivè impediat contrahendum, & dirimat contractum.*

1806 Hùc præclarè spectat Doctrina B. ALBERTI MAGNI *in 4. distinct. 37.* vbi inquirens: *Vtrum Sacer Ordo impediat Matrimonium vbique, & semper, vel localiter, & temporaliter?* Respondet: * Quod quantum est ex parte Continentiæ, est impedimentum vbique, & semper; sed quia congruitas ista non dicit nisi aptitudinem, & non necessitatem, sed potiùs causatur necessitas ab Ecclesię Statuto; ideò quantum ad necessitatem separandi Matrimonium, est illud locale, & temporale.* Hæc ille.

1807 Quòd egregiè confirmat Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. Placuit. 32. distinct.* vbi eruditè annotat: *Quòd Sacer Ordo ex Statuto Ecclesię habet completivè, quòd actu impediat Matrimonium. Ista Conclusio patet, quoniam præfatam congruentiam cognoscens Ecclesia, Spiritu Sancto docta, fecit Clericos, in Sacris constitutos, personas illegitimas ad Matrimonia contrahenda; &, si de facto contrahunt, dirimi debent tamquam nulla; vt habetur. *Extra. Qui Clerici, vel vovent. cap. Ex litterarum, & ex cap. præsenti.*

CAP. X.

DE SEPTIMO APOSTOLORVM Canone.

1808 QVintum Apostolorum Canonem hucusque fusiori calamo explicuimus, eiusque Doctrinam ab omni erroris impostura vindicavimus; nunc verò ad Septimum eorumdem Apostolorum Canonem propugnandum accingimur; quia non desunt, qui eum Apostolorum esse inficientur. Qua propter, vt prędicti Canonis puritas clariùs eluceat, & veritas manifestè appareat, priùs textum proferemus in medium, eumque postea elucidabimus, advertentes hunc Canonem esse ordine Septimum, iuxta GENTIANI HERVETI versionem, quam sequuntur PETRVS CRABBEVS, GREGORIVS HOLLANDRI, FRANCISCVS IOVERIVS, SVRIVS, NICOLINVS, & SEVERINVS BINIVS. Prædictus igitur Canon sic se habet.

CANON VII.

Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus Sacri Paschæ diem, ante Vernum Æquinoctium, cum Iudæis celebraverit, deponatur.

1809 DIONYSII EXIGVI versio idem continet; illum tamen non 7. sed 8. ordine ponit, dicens: * Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus Sanctum Paschæ diem, ante vernale Æquinoctium, cum Iudæis celebraverit, abijciatur.

1810 P. M. NATALIS ALEXANDER *Secul. 1. part. 2. Histor. Ecclesiast. Dissert. 17.* Septimum hunc Canonem tamquam verum Apostolorum fœtum non admittit; vna enim ex exceptionibus, quas 50. Apostolorum Canonibus apponit, est Doctrina in hoc Canone contenta; vt ostendunt illa ipsius Alexandri verba: * Idem probatur de Canone 7. quo constitutum est, ne Pascha cum Iudæis celebretur: Si quis Episcopus, &c. Certè si id ab Apostolis Lege lata sancitum esset, eam legem non ignorassent Sanctissimi Orientis Episcopi, qui à Victore, & Ecclesia Romana Occiden-

talique vniversa, dissentiebant in Sacratissimi Festi celebratione; nec suarum consuetudinem Ecclesiarum à S. Ioanne Apostolo, & Philippo item Apostolo derivatam adeò confidenter asseruissent. Incredibile namque est, viros Excellentissimos, ævo Apostolico proximos, incredibilis in rem Christianam zeli, & quidem huiusmodi, qui Martyrium plerique obierint, vel Canonem ab Apostolis constitutum, (si extitisset) ignorasse, vel cognitum neglexisse. Quid quod Victor, Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui Asiaticos ob morem, cuius retinentissimi erant, celebrandi cum Iudæis Paschatis, anathemate mulctare decreverat, nusquam adversus ipsos Canonem aliquem Apostolicum legitur protulisse; quod certè præstitisset, si Canonem præfatum Apostoli condidissent.*

1811 Nihilominùs censemus: prædictum Canonem sub nomine Apostolorum debere, vt talem, admitti, cum nihil contineat ob quod reijci debeat, aut tamquam rationi dissonus, aut de veritate suspectus; immò prędicti Canonis Sententia doctrinam præsefert Catholicam, Apostolicam; & quæ à Sanctis Apostolis statueretur, & tamquam regula, ac Apostolicus Canon proponeretur, dignissimam, vt sequentes rationes ostendunt.

§. I.

PASCHA DOMINICO DIE celebrandum luculentissimis Patrum, Pontificum, Conciliorum, Imperatorum, gravissimorumque Authorum testimonijs comprobatur.

1812 Primò: quia prędictus Canon meruit à Sanctis Ecclesiæ Patribus approbari. Quod, vt clariùs intelligatur, supponendum est in prædicto Canone duo includi: & quod non debeat Pascha eodem cum Iudæis die, *Luna* nempè 14. quacumque feria inciderit, etsi Dominicus non esset celebrari; & quod Ecclesia, vt à Iudaico ritu discederet, disposuerit, ac præceperit, vt die Dominico post *Lunam* 14. & non alio, celebraretur ob Sanctas, iustissimasque rationes, quibus ipsa adducta fuit, & nos infra subijciemus.

1813 Nostræ Assertioni patrocinatur S. IGNATIVS *Epist. ad Philippen.* sic scribens: * Si quis cum Iudæis celebrat Pascha, aut Symbola Festivitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, & Apostolos eius.* Vbi clarè constat prædictum Sanctum sensisse id ipsum, quod in eo Canone præscribitur de Paschate cum Iudæis non celebrando. Ipse Sanctus *in Epist. ad Magnesiam*, postquam determinavit Pascha non debere eodem cum Iudęis die celebrari, censet agi debere die Dominico in memoriam Resurrectionis: *Post Sabbatum (inquit) omnis Christi amator Dominicū celebret diem, diē Resurrectioni consecratum Dominicæ, reginam, & principem omnium dierum, quam expectans Propheta dicebat: *In finem pro octava*: in qua, & vita nostra exorta est, & per Christum mors devicta.*

1814 Suffragatur etiam S. IVSTINVS Martyr, etenim *in Orat. ad Anton. Pium*: *Solis (inquit) die communiter omnes conventum agimus. Quandoquidem is primus dies est, quo Deus tenebris, & materia (quàm priùs creaverit) versa Mundum effecit, & IESVS CHRISTVS, Servator noster, eo ipso die à mortuis resurrexit.* Pascha autem non more Iudaico, sed die tantum Dominico celebrandum docet S. IOANNES DAMASCENVS *Carmin. de Dominica Paschæ*; vbi sic exultabundus affatur: * Resurrectionis dies; splendescamus, ò Populi! Pascha Domini, Pascha. Nam ex morte ad vitam, & è terra in Cęlum Christus Deus nos traduxit, triumphum canētes, &c. *Cœli* (vt par est) *lætētur, & exultet terra*. Festum diē agat Mundus vniversus, tam visibilibus, quam invisibilibus. Christus enim qui sempiterna lætitia est, ad vitam redijt, &c. Hæc dies vocata Sancta: hæc vna Sabbatorum, Regina, & Dominica, Festorum Festum & celebritatum celebritas: in qua Christum in sæcula laudamus.*

1815 Consonat D. AVGVSTINVS *Epist. 119. ad Ianuarium, cap. 13.* * Dies Dominicus, non Iudæis, sed Christianis Resurrectione Domini declaratus est, & ex illo habere cœpit festivitatem suam.*

1816 Et *Sermon.* 154. loquens de Paschali Dominicæ Resurrectionis Festivitate, quam Ecclesia, vt à Iudaismo longè distet, Dominico die celebrandam decrevit: * Venerabilis (inquit) est hic dies, qui Dominicus dies, & dies primus, atque perfectus est, & dies clarus, in quo visa est prima lux, in quo transgressi sunt filij

Israel

Israel Mare Rubrum siccis pedibus, & in quo pluit Mannà filijs Israel in Deserto, & quo Dominus baptizatus est in Iordane, quo vinum de aqua in Canà Galileæ factum est, quo Dominus resurrexit à morte, quo intravit Dominus domus clausas, vbi erant Discipuli congregati, propter metum Iudęorum, in quo Spiritus Sanctus descendit in Apostolos, & in quo speramus Dominum nostrum IESVM CHRISTVM ad Iudicium venturum.*

1817 *Sermone* item 251. *de Tempore*: * Dominicum ergo diem Apostolici viri ideo Religiosa Solemnitate habendum sanxerunt; quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit: quique ideò Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus, vel Mundi illecebris abstinentes, tantum Divinis Cultibus serviamus; dantes scillicet diei huic honorem, & reverentiam, propter spem Resurrectionis nostræ, quam habemus in illa.*

1818 S. ISIDORVS Hispalensis *de Offic. Eccles. lib.1. cap. 31.* nostram Conclusionem solita sua eruditione illustrat, dicens: * Iam verò Paschale Sacramentum, quod nunc in Salvatoris nostri Mysterium manifestissimè celebratur, in Veteri Testamento figuraliter primùm gestum est, quandò Agno occiso Pascha celebravit populus Dei in Ægypto, cuius figura in veritate completa est in Christo, qui sicut ovis ad occisionem ductus est; cuius quidem diem Paschalis Resurrectionis, non solum pro eo celebramus, quod in eodem à mortuis resurrexit; sed etiam pro alijs Sacramentis, quæ per eundem significantur, &c. Quod Anniversarius dies Paschalis non ad eundem diem anni redit, sicut dies, quo creditur Dominus natus, hoc fit propter Dominicum diem, & Lunam. Manifestum est enim, quo die Dominus crucifixus sit, & in Sepulcro fuerit, & resurrexit.

1819 Adiuncta est enim (prosequitur) ipsorum dierum observatio per Nicænum Concilium vniverso Orbi Christiano, & persuasum, eo modo Pascha celebrari oportere, vt non solum Lunam Paschalem, sed & diem Dominicum, in quo resurrexit Dominus à mortuis, expectare debeamus. Inde est, quod ad eundem diem anni non revertitur Pascha. Nam Iudæi tantumdem mensem novorum, & Lunam observant. Diem autem addendum Patres nostri censuerunt, vt & nostra Festivitas à Iudæorum Festivitate distingueretur.* Quid pro nostra Assertione clarius?

1820 Venerabilis BEDA *de Ratione Temporum, cap. 6.* * Ferias habere Clerum primus Papa Sylvester edocuit: cui, soli Deo vacanti, numquam militiam, vel negotiationem liceat exercere mundanam. Et quidem diem, qua & lux principio facta est, & Christi Resurrectio est celebrata, Dominicum nuncupavit, quod illi nomen iam primis Ecclesiæ temporibus fuisse, testatur Ioannes, qui dicit *in Apocalypsi*: *Fui in Spiritu in Dominica die.** Quibus verbis manifestè supponit, Paschalem Resurrectionis Festivitatem in die Dominico post quartam decimam Lunam celebrari debere.

1821 S. THOMAS 1. 2. *quæst.* 103. *art. 3. ad* 4. expresè docet Paschalem celebritatem Dominico die agendam: * Sabbatum autem, quod significat primam creationem, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur nova creatura inchoata in Resurrectione Christi. Et similiter alijs Solẽnitatibus veteris Legis, novæ Solemnitates succedunt: quia beneficia illi populo exhibita significant beneficia nobis concessa per Christum. Vnde Festo Phase succedit Festum Passionis Christi, & Resurrectionis; Festo Pentecostès in quo fuit data Lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data Lex Spiritus vitæ, &c.*

1822 Secundò, probatur Assertio ex Romanis Pontificibus, qui eam nobis expresè tradiderunt. S. CLEMENS Romanus Resurrectionis Paschati, diem Dominicum post Æquinoctium assignat; siquidem, *lib. 5. Constit. Apost. cap. 16.* *Oportet (inquit) fratres, vt qui pretioso Christi Sanguine redempti estis, dies festos Paschæ accuratè, & omni diligentia post Æquinoctium celebretis.* Quo nam autem post Æquinoctium die celebrari debeat, docet ipse, *lib. 2. Constit. Apost. cap.* 59. his verbis: *Die Dominico, qui est dies Resurrectionis, studiosiùs Templum Domini adite, vt Deum celebretis.*

1823 Pascha autem, non Luna 14. cum Iudæis, sed Dominico die cum Romana Ecclesia celebrandum expresè præceperunt PIVS I. *Epist.* 1. *anno* 150. & VICTOR Pontifex *Epist.* 1. *anno* 186. vt infrà fusius expendemus.

1824 Hinc INNOCENTIVS I. *Epist.* 11. *ad Aurel. de ratione Paschali*: * Has, (inquit) litteras de ratione Paschali alteriùs

(dico futuri) anni, præscripsi: Nam cum ante diem vndecimum Kalendarum Aprilium penè Luna 16. colligatur (nam quippiam minus est:) itemque cum in ante diem quartum Kalendarū earumdē, veniat 23. existimavi 11. Kalendarum memoratarum die festa Paschalia celebranda: quoniam in 23. Luna, nullum Pascha vnquā ante hoc Pascha, factum esse cognoscimus.* Alludit hic Pontifex ad antiquam consuetudinem, qua omnes Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem recurrebant, vt Pontifex, tanquam vniversalis Ecclesia Caput, Paschatis celebrationi certum diem præfigeret, vt omnes vniformiter eodem die, absque vllo discrimine, Paschalia festa peragerent: prout innumeræ Paschalis testantur Epistolæ, quibus Fideles ad Apostolicam Sedem sollicitè recurrebant, ab ea, tanquam à Fidei oraculo tantæ solemnitatis diem accepturæ. Verum non Lunam modo, sed & Lunę diem à Pontifice designari exprimit ipse Innocentius *Epist. 1. ad Decent. Eugubin. cap. 4.* dicens: *Diem Dominicum ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri IESV CHRISTI, non solum in Pascha celebramus, verū etiam per singulos circulos Hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus.*

1825 Consonat S. GREGORIVS MAGNVS *Homil. 22. in Evangelia.* *Sicut in Sacro eloquio Sancta Sanctorum, vel Cantica Canticorum pro sui magnitudine dicuntur: ita Paschalis Festivitas rectè dici potest, Solemnitas Solemnitatum. Ex hac quippe Solemnitate exemplum nobis Resurrectionis datum est, spes Cœlestis patriæ aperta, & superni Regni facta iam præsumptibilis gloria.* Vt autem pleniùs cognoscatur, quo die celeberrimum istud Dominicæ Resurrectionis Pascha celebrari debeat, hoc præscripsit idem Sanctus *lib. 10. Epist. 3.* dicens: *Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo Orationibus insistendum: vt si quid negligentiùs per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.*

1826 Sed expressiùs rem istam aperuit VICTOR Papa *in Epist. ad Theophil. Alexandrin. Episcop.* vt habetur *in cap. Celebritatem Sancti Paschæ, de Consecrat. Dist. 3.* & *tom. 1. Concil. edition. Novis. in eiusdem Sancti vita.* Epistolę autem verba sic se habent: *Multa mihi gratulatio est, dilectissimi fratres, quod manifesto (sicut optamus) per gratiam Dei lumine Evangelicæ claritatis, & ab Ecclesia iam magna ex parte perniciosi erroris nocte depulsa, creditæ nobis dispensationis fructus crescit, & augmentatur in Domino. Celebritatem Sancti Paschæ die Dominica agi debere, & Prædecessores nostri (Pius I. & Eleutherius) & nos illud vobis eadem die celebrare, solemnitèr mandamus; quia non decet, vt membra à capite discrepent, ne contraria gerant. A quartadecima vero Luna primi mensis, vsque ad vigesimum primum eiusdem mensis diem, eadem celebretur Festivitas.*

1827 Et *in Epist. 3. ad Desideriam Viennens. Episcop.* *Sicut Sancta Fraternitas tua à Presbyteris, qui Apostolos in carne viderunt, erudita est, qui & Ecclesiam vsque ad tua tempora rexerunt, non decimaquarta Luna cum Iudæis, sed 15. vsque ad vigesimam primam, Pascha Catholica Ecclesia celebravit. Non enim iam vmbram, sed veritatem, quæ vmbra legis celebratur, quærit. Hanc doctrinam Petrus, & Paulus instituerunt, vt in azymis sinceritatis, & veritatis Pascha ageretur. Qui enim cum Iudæis Pascha agere volunt, quid nisi vmbram diligunt, vt agni carnes non in veritate, sed in vmbra figurante manducent? Nec audiunt Ioannem Baptistam clamantem: Ecce agnus Dei, ecce qui aufert peccata mundi. (Ioan. 1.)* (Et infrà:) *Collega Beatissime, Christi Ecclesiam non in vmbra, sed in veritate suprà solidam Petram fundatā doceamus, vt audiamus cū Apostolo Petro: Beatus es Simon filius Ioannis, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est. (Matth. 16.) Per tuam ergo fraternitatem Presbyteris Galliarum litterę mittantur, & observent Pascha non cum Iudæis negatoribus Christi, sed cum sequacibus Apostolorum, prædicantibus veritatem Christi.* De eadem Epistola consule BARONIVM *ad annum 198. num. 17.* & habetur loco suprà laudato.

1828 Pro eiusdem veritatis confirmatione idem VICTOR *ad Paracodem Episcopum*, hæc scribit: *Collega noster Dionysius dormiens, te nobis socium in Ecclesia Christi reliquit. Vides Frater Orientalem Ecclesiam, propter celebrationem Paschæ, ab Occidentali disiunctam esse. Placuit ergo nobis Apostolorum sectatoribus, vestræ vnanimitati scribere, vt (cum secundum quod scriptum est: Vetera

vetera

tera transierunt: ecce noua facta sunt omnia; non tenebras sequamur, sed lucem) vt aduertamus Prophetam: *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Propterea Frater, Collega in Domino, doce per Ecclesias commissas, à decima quinta Luna Pascha agendum, vt dicat nobis Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est Christus*: & *Fuistis tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Vnanimitas fraterna te in Domino salutat. Fratres, qui apud te Viennę versantur, pro nobis salutes. Vale.*

1829 Tertiò, pro eadem nostra Assertione, pręclarè faciunt aliquot Concilia expressè præcipientia, vt Pascha non quartadecima Luna cum Iudęis, sed prima post ipsam Dominica celebretur; vt videre est *apud Binium in Notis ad Concilia, in vltima editione Parisiensi, in Vita Victoris Papæ.*

1830 CONCILIVM ROMANVM. Hoc Concilium habitum est Romæ *anno Domini* 198. *Imperatoris Seueri IV.* Theophilus Cæsariensis Episcopus, per Victorem vocatus, huic interfuit. Victor Pontifex eidem pręfuit. Decretum est, Pascha non quartadecima Luna primi mensis; sed potiùs die Dominico pòst quartamdecimam Lunam, & Vernale Æquinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse. Eusebius *lib.* 5. *Eccles. Hist. cap.* 22. Liber Pontificalis *in Vita Victoris.*

1831 CONCILIVM PALESTINVM, eodem *anno Christi nati* 198. & Seueri Imperatoris, Authoritate Victoris Romani Pontificis Cæsareæ in Palęstina. Theophilus Cæsariensis Metropolitanus Episcopus hoc Concilium coegit, quo de tempore Paschatis celebrandi idem constitutum est, quod præcedenti, & sequentibus quibusdam aliarum Prouinciarum Concilijs; nimirum, nequaquam licere Christianis, decimaquarta die primi mensis, Pascha celebrare. EVSEBIVS *lib.* 5. *Ecclesiast. Hist. cap.* 22. Huius fragmentum planè aureum extat apud Bedam *de Æquinoctio Vernali*, estque inde huc translatum.

1832 Audiamus iam prædicti Concilij verba, quæ iuxta V. BEDAM, sic se habent: * Papa Victor, Romanæ Vrbis Episcopus, direxit Authoritatem ad Theophilum Cęsariensis, Palęstinæque Antistitem, vt quomodo Pascha recto iure à cunctis Catholicis celebraretur Ecclesijs, inibi fieret Ordinatio, vbi Dominus & Saluator mundi fuerat in carne versatus. Percepta itaque Authoritate prædictus Episcopus, non solum de sua Prouincia, sed etiam de diuersis Regionibus, omnes Episcopos euocauit, vbi cum illa multitudo Sacerdotum conuenit, tunc Theophilus Episcopus protulit Authoritatem ad se missam Victoris Papæ, & quid sibi operis fuisset iniunctum ostendit, &c. *In hoc ergo Concilio fusè pertractatum fuit, quonam die esset Pascha celebrandum: & definitum fuit, quod die Dominico post quartamdecimam Lunam celebrari deberet, vt videre est apud BEDAM, & BINIVM *locis supra laudatis.*

1833 CONCILIVM PONTICVM eodẽ tẽpore, & ob eamdẽ causam in Ponto, à Palma hoc Concilium Prouinciale celebratum est; & de Paschatis obseruatione, idem, quod præcedentia, definiuit. EVSEBIVS *prædicto loco*; etsi Acta eius Concilij non extent.

1834 CONCILIVM OSROÆNVM. De hoc, & quodam alio Concilio Achaico, tunc celebrato, ita EVSEBIVS *lib.* 5. *cap.* 22. (aut 23. *in editione Vallesiana*) Aliud porrò Ecclesiarum (Concilium intelligo) quę Osroęnam, & reliquas in eo loco Ciuitates incolebant: aliud separatim Bacchylli, Ecclesię Corinthiorum Episcopi, & alia denique aliorum propè infinitorum, qui vno consensu, iudicioque vno, eamdem de illius Festi (Paschatis nimirum) obseruatione, tulere Sententiam; neque horum quidquam extat.

1835 CONCILIVM GALLICVM *sub Irenæo, Lugdunensi Episcopo*, tempore Victoris Papæ, & Seueri Imperatoris pro controuersia de die Paschatis *anno Domini* 198. ex Eusebio *lib.* 5. *cap.* 23. In Prouincijs Asiæ quæstio non minima exoritur, velut ex antiqua eorum obseruatione descendens, quod quartadecima Luna putarent omnimodo genere Pascha obseruandum, quandò scilicet Iudæis Pascha agnus præcipitur immolari, veluti necessariò confirmantes, quacumque die septimanæ quartadecima Luna venisset, solui debere ieiunium, cum talis consuetudo in multis prorsùs alijs, vmquam obseruata fuisset, Ecclesijs. Ob quam causam Conuentus Episcoporum, & Concilia per singulas quasque Prouincias conuocantur: prorogatisque ad se inuicem Epistolis de singulis qui-

quibusque locis vnum omnes Ecclesiasticum Dogma confirmant, ne liceat aliquo modo, nisi in die Dominica, in qua Dominus surrexit à mortuis, Dominicum Paschæ celebrare Mysterium;& in hac sola solvendum esse Paschę ieiunium. Extat denique, vsque ad hodiernum diem, Concilij apud Cæsaream Palestinæ habiti Decretum, in quo primus est Theophilus ipsius Cęsareæ Episcopus, & Narcisus Hierosolymorum Sacerdos.

1836 ARELATENSE I. *sub Silvestro, anno* 314. *Can*.1. * De observatione Paschæ Domini, vt vno die, & tempore per omnem Orbem observetur; & iuxta consuetudinem, litteras ad omnes, tu dirigas.*

1837 ROMANVM *sub eodem Silvestro, anno* 320. expressius quęstionem diimit *Cap*. 2. vbi hæc habentur: * Omnibus Episcopis, & Presbyteris pręceptum est. Paschæ observantiam custodire a Luna quartadecima, vsque ad vigesimam primam, ita vt Dominicus conducet. Et dixerunt Episcopi: Placet.*

1838 Iis consonat MAGNI NICÆNI CONCILII I. *anno* 330. celebrati, Decisio de Paschatis celebratione, vt constat in Actis à Ioanne Scholastico olim collectis de Paschate; ibi enim sancitum fuit, vt Pascha ab omnibus totius Ecclesiæ, non Iudaico, sed Romano more vniformiter celebraretur: * Sic autem acta sunt (inquit) quæ omnibus placuerunt, qui in Sancta Synodo convenerant, temporibus pij in Deum, & Magni Imperatoris Constantini, qui non solum Episcopos, superius descriptos, in vnum congregavit, vt nostræ genti pacem faciat, sed & ipse in eorum cætu præsens conquirit, quæ Ecclesiæ Catholicę conducunt. Quia igitur postquam excussum, & extensum est, oportere ab vniversis, qui sub Cœlo sunt, vno modo agitari Pascha, inventæ sunt tres partes Orbis, quæ Pascha concorditer agunt, vt Romani, &c. Vna verò Orientis dubitat, & discrepat. Visum est, vt sublata omni quæstione, ac controversia, sic etiam agant, fratres, qui in Oriente sunt, vt Romani,& Alexandrini, & cæteri omnes, vt omnes vno die Pascha celebrent. Et subscripserunt omnes Orientales, qui ab alijs discrepabant.*

1839 Pro eiusdem veritatis confirmatione, haud parùm facit *Can*. ANTIOCHENI CONCILII, vbi, iuxta Dionysij Exigui versionem, hæc leguntur: * Omnes, qui ausi fuerint dissolvere Definitionem Sancti, & Magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum sub præsentia Piissimi & Venerandi Principis Constantini, de salutifera Solemnitate Sacratissimi Paschæ excommunicandos, & de Ecclesia pellendos esse censemus; si tamen contentiosiùs adversus ea, quæ benè sunt decreta, perstiterint. Et hæc quidem de laicis dicta sint. Siquis autem eorum, qui præesse noscuntur Ecclesiæ, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus post hanc definitionem tentaverit ad subversionem populorum, Ecclesiarumque perturbationem, seorsum colligere, & cum Iudæis Pascha celebrare, Sancta Synodus hunc alienum iam hinc ab Ecclesia iudicavit. Quod non solum sibi, sed & plurimis causa corruptionis, & perturbationis extiterit, &c.*

1840 SYNODVS LAODICENSIS *Can*.29. * Non oportet (inquit) Christianos iudaizare, & in Sabbato otiari: sed ipsos eo die operari, diem autem Dominicum præferentes otiari, si modo possint, vt Christianos.*

1841 Lectu quoque dignissima est *Synodica* NICÆNI CONCILII *Epist. ad Alexandrinam Ecclesiam*, quam refert Theodoretus *lib*. 1. *Hist. Ecclesiast. cap*.11. vbi hæc habentur: * Quod autem ad omnium consensum de Sacratissimo Festo Paschatis celebrando attinet; scitote quod vestris precibus controversia de ea re suscepta, prudentèr, & commodè sedata est, ita vt omnes Fratres, qui Orientem incolunt, quique Iudæorum consuetudinem antè in eo Festo observando imitari solent, iam Romanos nos,& omnes vos, qui eumdem, morem, quem nos in illo recolendo, à primis temporibus tenuistis, sint consentientibus animis in eodem celebrando deinceps secuturi.*

1842 Eidem veritati egregiè suffragatur CONCILIVM TOLETANVM X. siquidem *Cap*.1. ita decernunt Patres: * De Celebritate Festivitatis Dominicæ matris, cum nihil Fidei synceritas per diversitatem adversum incurrat, & vnitatem Catholicę regulæ varietas nulla decerpat, est tamen quod nisi temporum vnitate servetur, & dissidium indiscissæ vnitati parturiat, & Sacramentorum vnitate constare non valeat. Hinc est enim quod Paschale Festum vno die celebramus, & tempore, ne in Iudaicum decidamus errorem.*

Quar-

1843 Quartò probatur: quia eamdem veritatem Christiani Imperatores suis Rescriptis confirmarunt, præcipuè CONSTANTINVS MAGNVS, qui *in Epist. ad Ecclesias de Actis Nicenæ Synodi apud Eusebium lib. 3. Vitæ Constantini, cap.* 17. hæc scribit: *Cum de Sanctissimo Festo Paschatis disceptaretur, communi omnium sententia videbatur rectum esse, vt omnes vbique vno, eodemque die illud celebrarent. Quid enim præstabiliùs, quidvè augustiùs esse poterat, quàm vt hoc Festum, per quod spem immortalitatis nobis ostentatam habemus, vno modo, & ratione apud omnes integrè, syncerèque observaretur? An primò quidem omnium indignum planè videbatur, vt ritus ex consuetudine imitantes Iudæorum, illud Festum sanctissimum ageremus? In nostra enim situm est potestate, vt illorum more reiecto, veriore, ac magis syncero instituto, huius Festi celebrationem ad posterorum seculorum memoriam propagemus.*

1844 Quintò, quia pro hac eadem Assertione stant gravissimi Authores, tàm Græci, quàm Latini, singularis Fidei, atque opinionis; vt MICHAEL GLYCAS qui *part.* 4. *Annal.* sic scribit: *Decretum est in Synodo Nicæna, vt Paschatis Festum ita celebretur, quemadmodum hodie mos obtinet: nã antea, die Mensis Lunaris quartadecima, Pascha celebrabatur, quomodo, quicumque Festum hoc celebrant, eos Sanctum, & vniversale Concilium *Can.* 7. Quartodecimanos, & Quartanos appellat: non enim die Dominico Pascha celebrabant, sed vbi decimusquartus Lunaris dies appetijsset, quo nimirum die Luna plena esset. Et quidem ita Festum hoc celebrãt, vt in eo ieiunarent, ac Privilegijs vterẽtur.*

1845 GREGORIVS CODINVS: *de Offic. Palatij Constantinopolitani*, *Cum autem (inquit) Imperator, quotannis quinquies cibum in triclinio sumat, astantibus omnibus Principibus indutis pallas, & tunicas honoratas suas, nẽpè die Festo Natalium Christi, Luminum die, item die Palmarum, die magno Dominico Paschatis, & die Sancti Spiritus.*

1846 Nec dissentit TERTVLLIANVS *de Coron. Milit. cap.* 3. *Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel geniculis adorare: eadem immunitate à die Paschæ, ad Pentecostem, vsque gaudemus.*

1847 ALCVINVS *de Divin. Offic. cap.* 3. *de Octava Domini*: *In hac Octava die circumcisus est. Iste dies octavus omnem plenitudinem in se obtinet, & est perfectus numerus: ipse est enim dies Dominicus, & dies Resurrectionis Domini; vndè verò initium sumpserit, liber Leviticus pandit: *Dies* (inquit) *octavus erit celeberrimus, atque sanctissimus.*

1848 RABBANVS MAVRVS *lib.* 2. *Instit. cap.* 42. *Dominicum diem (inquit) Apostoli ideò religiosa solemnitate sanxerunt, quia in eo Redemptor noster à mortuis resurrexit, quique ideò Dominicus appellatur, vt in eo terrenis operibus, vel à Mundi illecebris abstinentes, tantum Divinis Cultibus serviamus, dantes scilicet diei huic honorem, & reverentiam propter spem Resurrectionis nostræ, quam habuimus in illo.* Hæc desumpsit ex S. Isidoro Hispalensi *de Offic. Eccles. lib.* 1. *cap.* 24. idem eisdem verbis tradente.

1846 Nec silentio prætereundus Cardinalis TVRRECREMATA, qui *in cap. Nosse. de Consecrat. dist.* 3. *Conclusio (inquit) huius capitis est, quod Pascha semper celebrandum est die Dominica. (Et infrà:) Respondeo dicendum, quod antiquitùs Ecclesia celebrabat Pascha cum Iudæis Luna quartadecima primi mensis, quocumque die occurreret; quem ritum Sancti Patres in Synodo prohibuerunt, constituentes Lunam Paschalem, & mensem inquirere, sed etiam, & diem Resurrectionis Dominicæ observari. Et ideò extenderunt Pascha à quartadecima Luna vsque ad vigesimam primam, vt dicitur cap. sequenti; vt sic, & dies Dominicus non omitteretur, & in die Dominica Resurrectionis Pascha celebraretur. Die Dominica ergo institutum est à Patribus, vt Pascha Domini celebraretur die Dominica.* Quod probat ibi. Vide eumdem *in cap. Celebritatem*, sequenti, vbi ex professo docet, quod Pascha semper die Dominico celebrandum sit, à quartadecima Luna Aprilis, vsque ad vigesimam primam inclusivè, secundum GRATIANVM: *A quartadecima verò Luna (inquit) idest, post quartamdecimam Lunationis diem, primi mensis, idest Aprilis, qui est primùs mensis secundum Hebræos. Vbi nota, quod Pascha semper debet esse in Lunatione Aprilis; quoniam *Exod.* 12. præcepit Dominus, quod mensis ille primùs haberetur, & agnus quartadecima die immolaretur; & ita Iudæi, vt dicit Augustinus, habent fixum Paschalem terminum, scilicet in quar-

quartadecima Luna. Nos in sequenti Dominica die celebramus Pascha, vt nostra Festivitas à Iudæorum discrepet Festivitate.* Vidè alia multa ibi *in expositione Textus*, quæ ad rem nostram faciunt, & *in Expositione, cap. Pascha, & cap. Phase, eadem dist.*

1850 Cardinalis BARONIVS *anno 159. num.* 1. eruditè nostram Assertionem confirmat ita scribens: *Christi anno 159. Pius agens in Pontificatu annum secundum Decretum edidit de celebrando Paschate die Dominico; quod tradit Eusebius *in Chronico*.*

1851 Et *ad annum 325. num. 102.* *Terminatis verò (ait) illis in Synodo (Nicæna) quæ ad Arium, & Arianam hæresim spectare videbantur, quæstio illa, cuius quoque causa Concilium præcipuè coactũ diximus, de tempore Paschatis celebrandi reliqua erat. Vetus hæc controversia fuit iam, vt narratum est *secundo Annal. Tom.* Polycarpi tempore in Asia agitata, sub Victore autem Romano Pontifice, celebrato in Palestina Concilio, definita. At quoniam eius sectatores Traditionem de ea re Apostolicam prætexebant, hac de causa factum est, vt licet quam plurimi resipuerint, ingens tamen adhuc multitudo in eadẽ perstaret Sentẽtia, sicque in schismate infœliciter permanerent. Erant hi ex Provincia Syrię Christiani, qui in his, quæ ad tempus spectant, more Iudeorum die quartædecimæ Lunæ Sanctum Pascha celebrarent, non autem die Dominico post dictam Lunam, vt cęteræ omnes Ecclesiæ agerent.*

1852 Et infrà *eod. num.* *Quamobrẽ cõtroversia illa apertissimè cognita, & declarata, qui hactenus à cęteris divisi erãt diverso ritu Paschatis celebrandi, spontè ad Catholicę Ecclesię consortium redierunt, qui & pro Ecclesia adversus Arianam hęresim magnis animis pugnavere. Testatur hæc de ijs S. Athanasius de Synodo Ariminensi, cum ait: Syri in aliorum Sententiam traducti sunt, & Arianam hæresim decreverunt pro Antichristi præcursatrice habendam esse; & scriptis contra eam editis sua placita promulgarunt.* Ex his Baronij verbis manifestè infertur, ritum eorum, qui Pascha Luna quartadecima Iudęorum more celebrabant, communi Ecclesię sensui fuisse oppositum; ideoque huiusmodi ritus sectatores schismatici dicebantur; qui tandem resipuerunt, & ad Catholicę Ecclesiæ consortium redierunt; quo factum est vt tota Ecclesia Paschalem Solemnitatem prima post quartamdecimam Lunam Dominica, contra Iudæorum errorem oppositum, pertinaciter observantium, vniformiter celebret.

1853 D. BARTHOLOMÆVS CARRANZA, Toletanus Antistes, *in summa Concilior.* agens de Victore Papa, hæc, de Paschatis celebratione, tradit: *Eusebius *lib. 5. Ecclesiast. Histor. cap. 21. & 23.* & infrà scribit, quanta fuerit controversia inter Episcopos, & alios Fideles de celebritate Paschæ, tempore huius Victoris Papæ, quibusdam volentibus quartadecima Luna Pascha Domini celebrandum, quacumque die septimanæ Luna quartadecima venisset, quandò Iudæis agnus pręcipitur immolari, & tunc solvi debere ieiunium: Alijs verò volentibus, ne aliquandò, nisi in die Dominica quando Dominus surrexit à mortuis Dominicum Paschæ celebretur Mysterium, & in hac sola solvendum esse Paschæ ieiunium. Et ob huiusmodi causam congregata sunt Concilia nonnulla Provincialia.*

1854 Nec silentio prętereundus ALFONSVS CIACCONIVS, vir haud mediocris in Ecclesiastica Historia fidei, Authoritatisque: Agit enim fusè de statu controversiæ circa Paschę celebrationem *in Victore Papa*, hæc, inter alia, scribens: *Plerique Asiani Episcopi, quorum Princeps tunc Polycrates Ephesius erat, ex vetusta traditione, quæ ad sua vsque tempora processerat, moti, asseverabant, quacumque hebdomadis die, quartadecima Luna mensis Martij post vernum Æquinoctium, incidisset, tunc solvendum esse ieiunium Quadragesimale, & die sequenti Pascha celebrandum, eodem inquam die, quo Iudæis Pascha immolare pręcipitur, cum talis consuetudo in nullis prorsus Occidentis, & plerisque etiam Orientis Ecclesijs minimè observaretur, quæ die Dominico, proximo quartædecimæ Lunæ ex Apostolica Traditione, celebrabant. Victor igitur discordantes compositurus Theophilum Cæsariensem Episcopum, Matheseos peritum, Concilioque collecto Episcoporum aliquot, & Presbyterorum, ac Diaconorum Romanę Ecclesiæ, Cyclum Paschalem primùs instituit, & publicavit, Decretoque sanxit, non quartadecima Luna, vt Hebræi, sed proximò die Dominico sequenti Resurrectionem Christi celebrandam, ieiuniumque Quadragesimale Sabbato eamdem

dem

dem proximè Dominicam diem antecedente, solvendum. Iussu prætereà Victoris plurima alia per Orbem Christianum Comitia coacta. Primum in Ponto, cui Palmas; secundum in Gallijs, cui Irenęus; tertium Corinthi, in Achaia, cui Bacchylus, Corinthiorum Episcopus; quartum apud Osroenam; quintum Cæsareæ Palestinæ, cuius Episcopus Theophilus, & Narcisus Hierosolymorum, Cassius Tyri, & Clarius Ptolemaidis præfuerunt; qui in vnam tandem sententiam consensere, Pascha non aliter, quàm die Dominico celebrandum, &c.* Vide ibi plura, haud leviter ad rem nostram conducentia.

§. II.

PROPONVNTVR RATIONES, quibus adducta fuit Ecclesia ad statuendum, vt Pascha Dominica die celebraretur.

1855 QVamvis plurima Sanctorum Patrum testimonia, Summorum Pontificum Decreta, Concilliorum Statuta, Orthodoxorum Imperatorum Rescripta, Doctorumque, & antiquitate, & eruditione insignium Authoritates *superiori* §. adduxerimus, quibus manifestè convincitur, septimi Apostolorum Canonis sententiam, suprema totius Ecclesiæ, & creditu dignissima Approbatione fulciri; nihilominus nè alicui videatur, rem adeò gravem fuisse ab Ecclesia non suadente ratione statutam, aliquas *in hoc* §. proponemus, quibus manifestè innotescat, æquissimè à Summis Pontificibus, ceu Supremis Ecclesiæ Capitibus, tùm per se, tùm per Sacra Concilia decisum fuisse, ac definitum, Sanctum Resurrectionis Domini Pascha, non die quartędecimæ Lunę, sed tantummodò Dominica, prędictam Lunam subsequenti, esse ab omnibus celebrandum.

1856 Vna è præcipuis rationibus, quibus inducta fuit Ecclesia, vt id stabili lege sanciret, fuit Traditio innixa Doctrinæ Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, vt eleganter probat EVSEBIVS, Cęsariensis Antistes, qui *lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap.* 25. loquens de Decreto, quod Patres Palestini Concilij, Authoritate Apostolica celebrati, condiderunt, sic scribit: *Episcopi, quos modo percensuimus Narcisus, & Theophilus, & vnà cum illis Cassius, Ecclesiæ Tyri Episcopus, & Clarus, qui Ptolemaidis rexit Ecclesiam, quique cum istis in Palestina in vnum convenerant, simulatque in Decreto suo, de Paschatis Traditione, ex Apostolorum Successione gradatim ad eos deducta, per multa disseruerunt, & in extrema parte eiusdem, hæc prætereà, his fere verbis, adiungunt, &c.* Prædicto autem Decreto statutum fuit, Pascha, non quartadecima Luna cum Iudęis, sed prima post ipsam Dominica, celebrandum, vt ex ipsius Eusebij, & aliorum Authoritate probavimus suprà, cum de prædicto loqueremur Concilio. Vnde manifestè patescit, prædicti Concilij Definitionem Apostolicæ Traditioni inniti.

1857 Eamdem Traditionem egregiè confirmat SOCRATES, qui quamvis Novatianus, ac per consequens vna cum Iudæis, & Quartadecimanis de hac re sentiens, nihilominus, nè contra veritatem historię peccaret, apertè confessus est *lib. 5. cap.* 21. Romanorum, Occidentalisque Ecclesiæ consuetudinem, Pascha Dominico die celebrandi, ab Apostolica Traditione manare: *Sanè quidem qui Romam, & alias partes Occidentis incolunt, Petrum, & Paulum Apostolos consuetudinem (celebrandi Pascha die Dominico) quam illi tenent, ipsis reliquisse, affirmant.*

1858 Præclarum etiam huius veritatis testimonium nobis suppeditat mirus ille eventus, qui inter Accessum Novatianum Episcopum, & Constantinum Imperatorem accidisse narratur. Cum enim Imperator à prædicto Episcopo ad se accito quæsivisset, quid ipse de Nicæni Concilij Definitione, qua statutum fuerat, vt Pascha vniformiter in tota Ecclesia die Dominico post quartamdecimam Lunam celebraretur, sentiret? ACCESSVS, estò Novatianus, hoc illi responsum dedit: *Nihil novi, ò Imperator, Concilium decrevit, statuitque: nam antiquitùs, à primis Ecclesiæ iactis fundamentis, & ab Apostolorum temporibus, eamdem Fidei Decisionem derivatam fuisse, & idem tempus Festi Paschatis celebrandi observatum accepi.*

1859 Id ipsum constat S. LEONIS MAGNI testimonio *in Epist. ad Proterium, Patriarcham Alexandrinum*, qua respondet ipsiùs Epistolæ ad Sedem Apostolicam directæ, in hac autem Epistola

quam citat V. BEDA *lib. de Ration. Tempor. cap.* 42. testatur S. Leo, Ecclesiam Romanam à D. Petro accepisse disciplinam celebrandi Pascha, Dominica quartamdecimam Lunam proximè sequenti, Divumque Maurum, D. Petri Discipulum, eamdem illam celebrandi Paschatis Doctrinam, Alexandrinæ Ecclesiæ tradidisse: *Lætificaverunt me (inquit) litteræ Dilectionis tuæ, quas frater, & Coepiscopus noster Nectarius, pio apportavit officio. Oportebat enim, vt ab Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule, talia scripta ad Sedem Apostolicam mitterentur, quę ostenderent, Magisterio Beatissimi Petri Apostoli hoc, ab initio, per B. Marcum eius Discipulum didicisse Ægyptios, quòd constat credidisse Romanos.* Ex quibus manifestè infertur, esse Apostolicam Traditionem, & S. Petri, Marcique Doctrinam, Pascha, non Luna quartadecima cum Iudæis, sed Dominica immediatè post ipsam sequenti, celebrandum.

1860 Pro eiusdem veritatis confirmatione, haud mediocriter facit CEOLFRIDI, Abbatis Monasterij SS. Apostolorum Petri, & Pauli, in Anglia, *Epistola ad Naitanum, Pictonum Regem* directa, in qua manifestè probatur, Ritum celebrandi Pascha, quem Romana observat Ecclesia, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Traditionem esse, ac Doctrinam; sic enim *in ea* legitur: *Tres sunt ergo regulæ sacris inditę litteris, quibus Paschę celebrandi tempus nobis præfinitum, humana licet authoritate mutari: è quibus duæ in lege Moysis divinitùs statutæ; tertia In Evangelio per effectum Dominicę Passionis, & Resurrectionis adiuncta est. Præcipit enim lex, vt Pascha primo mense anni, & tertia eiusdem anni septimana, id est, à quintadecima die, vsque ad vigesimam primam, fieri deberet. Additumque est per institutionem Apostolicam ex Evangelio, vt in ipsa tertia septimana, diem Dominicam expectare, atque in ea, temporis Paschalis initium tenere debeamus. Quàm videlicet regulam triformem si quis ritè custodierit, nusquam in annotatione Festi Paschalis errabit.*

1861 Et infrà: *Postquam verò Pascha nostrum immolatus est Christus, diemque nobis Dominicam, quæ apud antiquos vna, vel prima Sabbati, sive Sabbatorum vocatur, gaudio suę Resurrectionis fecit esse solemnem; ità hanc nunc Apostolica Traditio festis Paschalibus inseruit, vt nihil omninò, tempore Paschæ legalis, præocupandum, nihil minuendum esse decerneret; quin potiùs statuit, vt expectaretur iuxta præceptum legis idem primùs anni mensis, expectaretur quartadecima dies illius, expectaretur vespera eiusdem; & cum hæc dies in Sabbatum fortè incideret, tolleret vnusquisque agnum per familias, & domos suas, & immolaret eum ad vesperam: Id est præpararent omnes Ecclesiæ per Orbem, quæ vnam Catholicam faciunt, Panem, & Vinum in Mysterium Carnis, & Sanguinis Agni immaculati, qui abstulit peccata Mundi, præcedente congrua Lectionum, Orationum, & Ceremoniarum Paschalium solemnitate, offerrent hæc Domino in spem futuræ Redemptionis.*

1862 Et infrà: *Si ergo fieri posset, vt semper in diem quintamdecimam primi mensis, id est in Lunam quartamdecimam Dominica dies incurreret, vno semper, eodemque tempore cum antiquo Dei populo, quamquàm Sacramentorum genere discreto, sicut vna, eademque Fide, Pascha celebrare possemus. Quia verò dies septimanę non æquali cum Luna tramite procurrit, decrevit Apostolica Traditio, quę per B. Petrum Romę prędicata, & per Marcum Evangelistam, Interpretem ipsiùs, Alexandrię confirmata est, vt adveniente primo mense, adveniente in eo vespera diei quartædecimæ, expectetur etiam dies Dominica, à quintadecima vsque ad vigesimam primam diem eiusdem mensis. In quacumque enim harum inventa fuerit, meritò in ea Pascha celebrabitur.*

1863 Et infrà: *Hic autem, quem vobis sequendum monstramus, computus Paschæ, decennovennali circulo continetur, qui dudum, hoc est, ipsis Apostolorum temporibus observari in Ecclesia cœpit, maximè Romæ, & Ægypti.* Refertur hæc Ceolfridi Abbatis Epistola à Ven. BEDA *lib. 5. Histor. Eccles. Gentis Anglor. cap.* 22.

1864 Hinc BARONIVS *ad annum* 159. *num.* 1. hæc habet: *Verum licet ipse Pius, Author dicatur Ecclesiasticę Sanctionis, tamen quod iam antea ab Apostolis esset traditum, ipse tantum ad corrigendas iudaizantes Ecclesias, quę hactenùs, Iudæorum more, quartadecima Luna Pascha agere solerent, voluit Decreto firmasse.* Et infrà *num.* 4. *Pius igitur, ne ob alter-*

can-

tantium studia convelleretur, quæ ab Apostolis de celebrando Paschate die Dominico, Traditio in Ecclesia statuta esset, eam Decreto edito stabiliendam curavit.*

1865 Consonat SPONDANVS *ad eundem annum, num.* 1. sic, inter alia, scribens: *Pariterque Victoris Papæ tempore, qui de his egerunt Sanctissimi Patres, non nisi ex Apostolica Traditione id sibi vendicasse, docet Eusebius. Quinimmò & Ignatius, qui Dominum in carne vidit, & cum Apostolis diù versatus est, ac Sedem Antiochenam, quàm Petrus fundarat, & Paulus docuerat, administravit, nec alia docuit, aut scripsit, quàm quæ ab eis accepisset, non solum ait (*Epist. ad Magnes. sup. cit.*) diem Dominicam celebrandam esse vt reginam, ac principem dierũ, Resurrectioni Domini consecratam; sed & contestatus est. (*Epist. ad Philip.*) Si quis cum Iudæis celebraret Pascha; participem esse eorum, qui occidissent Dominum, & Apostolos eius.*

1866 Et SEVERINVS BINIVS *in Not. ad Concil. General., tom.* 1. *in Vita Victoris Papæ I.* *Die (inquit) Dominico post Vernale Æquinoctium, Pascha celebrandum esse, multis Concilis desuper habitis, iuxta Apostolorum Traditionem, decrevit; ac contrarium sentientes Asiaticos Episcopos Anathemati subiecit. *Idem tradit *in Notis ad Can.* 7. *Apostol.*

1867 Verum cum hucusque satis superque ostenderimus, vnam è præcipuis rationibus, quibus permoti fuere Pontifices ad statuendum, vt Pascha, non Luna quartadecima, sed Dominica ipsam subsequenti ageretur, fuisse Traditionem ab Apostolis derivatam, doctrinamque Apostolorũ Petri, & Pauli Romanę Ecclesiæ relictam, ad alia iam eiusdem celebritatis motiva progrediamur.

1868 Secunda igitur huiusmodi Solemnitatis Dominica die peragendæ ratio est, vt tradit Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. Nosse. de Consecrat. dist.* 3. *Ne Ecclesia videatur iudaizare, & figuris Iudaicis adhærere, & in temporibus, & annis confidere.* Eamdem rationem affert Cardinalis BELLARMINVS *loco supra laudato, cap.* 12. his verbis: *Ne concurramus cum Iudæis, Christi interfectoribus.* Pro cuius rationis munimine, adducenda censuimus iam suprà relata S. Ignatij verba, qui *Epist.* 8. *ad Philippen.* *Siquis (inquit) cum Iudæis Pascha celebrat, aut Symbola eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, & Apostolos eius.*

1869 Quam rationem eleganter confirmat Imperator CONSTANTINVS *in Epist. ad omnes Ecclesias*, quàm refert EVSEBIVS *lib.* 3. *de vita Constantini, cap.* 17. vbi hęc legũtur: *Nihil nobis cum inimicissima Iudaorum natione commune sit: à Servatore nostro aliam viam accepimus, &c. Vnam, collectam, minimèque dissitam Ecclesiam suam esse voluit; eius partes, quamquam locis abiunctę sunt, vno Spiritu, quod est cœleste Numen, incalescit, &c. Quàm minimè decens est, alios indulgere conviviorum delicijs, alios otij dies eosdem ieiunijs addicere.* Et de eodem Imperatore refert, quod postquam præcepit, vt Pascha vno modo integrè, sincereque observaretur, ait: *Ac primò quidem omnium indignum planè videbatur, vt ritum, & consuetudinem imitati Iudæorum, illud Festum sanctissimum ageremus.*

1870 Et iuxta THEODORETVM *lib.* 1. *Ecclesiast. Histor. cap.* 18. & EVSEBIVM *de vita Constantini, loco supra citato* vna ex rationibus, quas Constantinus affert, ob quas Nicęni Patres Pascha, per vniversam Ecclesiam, die Dominico proximè post Lunam quartamdecimam sequenti, celebrandum decreverunt, est: *Quia indignum planè videbatur, vt Sacratissimum illud Festum Iudæorum ritum, & consuetudinem imitati ageremus: qui quidem, quoniam suas manus detestabili scelere polluerunt, cæco animarum errore irretiti meritò tenentur. In nostra enim situm est potestate, vt illorum more reiecto, veriore, ac magis syncero Instituto (quod quidem, vsque à prima Passionis die hactenus recolimus) huius Festi celebrationem, ad posterorum sæculorum memoriam propagemus.*

1871 Tertia ratio, propter quam Ecclesia, Dominico die Pascha celebrari præcepit, fuit, vt ait idem TVRRECREMATA: *Quia tali die resurrexit Dominus.* Hæcque eadem, alias inter pręcipuas, Palestini Concilij Patres permovit, vt id ipsum inviolabili Decreto sancirent, prout refert Ven. BEDA *lib. de Æquinoct. Vern. ad Vvichredam Presbyter.* *Primò itaque (inquit) probarunt, primam Mundi diem fuisse Dominicam, quia *requievit Deus*

die septima ab omni opere suo, quem diem Sabbatum appellavit. Cum ergo novissimum diem designet Sabbatum; quis, inquiunt, potest esse primus, nisi Dominicus dies? Secundò probatunt, primum Mundi tempus esse Vernum; quia scriptum est: *Germinet terra herbam fœni secundum genus suum, & lignum pomiferum ferens fructum suum.* Hoc autem Verno tempore contingit. Tertiò constituerunt, Mundum conditum esse in Æquinoctio, *octavo Kalendas Aprilis*: scriptum est enim: *Quia fecit Deus lucem; & vocavit lucem diem. Et fecit tenebras*, & *vocavit tenebras noctem*; & *divisit inter lucem, & tenebras æquas partes.* Quartò sanxerunt, conditum fuisse Mundum in plenilunio; quia scriptum est: *Et fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento Cœli, vt luceant super terram: luminare maius in inchoationem diei, luminare minus in inchoationem noctis.* Quod esse non poterat, nisi in plenilunio.

1872 Quintò similiter statuerunt, Pascha celebrandum esse die Dominico, quia innumeris benedictionibus sanctificatus est hic dies. Prima namque huius diei benedictio est, dispulsio tenebrarum, & creatio lucis: secunda, liberatio populi de terra Ægypti, & transitus per mare Rubrum, quo Christianorum liberatio per Baptismum, adumbrata est: tertia, cœlestis cibi, Mannæ scilicet, ea die in castra Israelitarum illapsus: quarta, preceptum à Moyse, populo datum, his verbis: *Sit vobis obseruatus dies primus, & novissimus*: quinta, quia *in Psalmo* 117. de Resurrectione Domini dicitur: *Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea*: Sexta, quia Christi Domini Resurrectione consecrata est.* His rationibus Palæstini Concilij Patres adducti, statuerunt, Pascha celebrandum esse Dominica die, proximè sequenti Lunam quartamdecimam primi mensis, post Æquinoctium Vernum effulgentem.

1873 Quarta ratio, quæ Ecclesiam induxit, vt Pascha Dominico die celebrandum statueret, fuit, hoc declinare inconveniens, ne si illud in Luna quartadecima ageretur, ex vna parte exultaremus ob memoriam Resurrectionis Dominicæ, cuius est signum Pascha, quod celebramus; ex alia verò lugeremus, cum Luna quartadecima primi mensis potiùs sit mortis, quàm Resurrectionis Dominicæ signum, vt rectè expendit CONSTANTINVS Imperator *apud Theodoretum, loco suprà citato*: *Quia maximum nefas est, vt in tanto, & tam solemni Religionis nostræ Festo regnet dissensio: & indecorum est, vt eisdem diebus, alij, ieiunijs vaccent; alij, agitent convivia: ac post dies Paschatis alij in festis, & animorum remissione versentur; alij, præscriptis ieiunijs se dedant, cum vnum libertatis nostræ diem Festum, hoc est Sanctissimæ Passionis, Servator noster nobis tradiderit, vnamque Ecclesiam Catholicam esse voluerit: cuius quidem membra tametsi in multa, & varia loca dispersa sint, tamen in vno Spiritu, hoc est in Divina voluntate, & nutu coalescunt.*

1874 Huc vocandus S. AMBROSIVS *Epist.* 83. cuius hæc sunt verba: *Si inciderit, sicut futurum est proximè, quartadecima Luna mensis primi, die Dominica, quia neque die Dominica ieiunare debemus, neque tertiadecima Luna die Sabbati incidenti ieiunium solvere (quod maximè die Passionis est exhibendum) in alteram hebdomadam celebritas Paschæ est differenda.* Hinc Ven. BEDA *lib. de Ration. Tempor. cap.* 57. *Convenit itaque (inquit) diligenter advertere, vt quoties quartadecima Luna in Dominicum incurrit diem, in sequentem septimanam, Paschalem diem potiùs differamus, duplici hoc modo: ne terciadecima Luna inventa in Sabbati die, solvamus ieiunium, quod consequens non est, quod nec Lex ipsa præcipit: deinde, ne in Dominica die Luna quartadecima constituta, ieiunare cogamur, indecentem rem, illicitamque facientes: hoc enim Manicheorum secte consuetudo possedit.* Vndè & D. AMBROSIVS *Epist. citata*: *Lex Pasche nobis servanda est, vt non quartamdecimam observemus in die Resurrectionis, sed in die magis Passionis, aut certè alijs proximis superioribus diebus, quia Resurrectionis celebritas, die Dominica celebratur.*

1875 Quinta ratio, que Ecclesiam, ad prędictum Decretũ condendũ, impulit, fuit, quia cum ipsa vna sit, rationi congruum erat vt præcipua eius Solemnitas, quale est Resurrectionis Dominicę Pascha, vno die ab omnibus vniformiter agretur, provt testatur S. ATHANASIVS *in Epist. de Synodis Arimini, & Seleuciæ*. Inter alias enim rationes, quibus Nicænum Concilium motum fuisse asseverat, ad statuendum, vt Pas-

Paschalis Solemnitas, non Luna quartadecima cum Iudæis, sed Dominica ipsam sequenti, ageretur, hanc assignat: * Vt vniversus Orbis in Concilium coiret, vt eodem die vbique Festum celebraretur.* Cui consonat S. EPIPHANIVS *Heres.* 70. quæ est Audianorum, hæc, inter alia, scribens: * Sanè illud fatendum nobis est, duo quædam maxima per religiosissimum, ac beatæ memoriæ Constantinum, à Deo esse pręstita: quorum primum fuit, vt Ario profligato, vera omnibus Fides, ac sincera prædicaretur: alterum fuit, celebrandi Paschatis, ad stabiliendum nostrum omnium concordiam, emendata ratio. Iam pridem enim, à primis vsque temporibus, variæ in Ecclesia de hac Solemnitate controversiæ, ac dissensiones extiterunt, quæ quotannis risum, ac ludibrium afferebant. Quamobrem qui tunc ad Nicęnam vndique Synodum confluxerunt, re accuratè cognita, communi ab omnibus concordia, atque ex idonea temporum computatione, & calculo, celebrandum esse statuerunt.*

1876 Eamdem rationem eleganter confirmat CONSTANTINVS Imperator *apud Theodoretum, vbi suprà, in Epist. ad Eccles.* ita scribens: * Ipse etiam in me recepi vestram sapientiam facilè assensuram, vt quod in Vrbe Roma, in Italia, in tota Africa, in Ægypto, Hispania, Gallia, & Britannia, in Lybia, & vniversa Græcia, in Diœcesi Asiatica, & Pontica, in Cilicia deniquè, vna, & consentiẽte sententia conservatur; hoc à vobis quoque, lubentibus animis, approbaretur, illud sedulò reputantibus, non solum in locis, quæ modo citavi, maiorum Ecclesiarum numerum existere, sed etiam Sanctissimum Institutum esse, vt omnes communi consilio id ratum cupiant, quod accurata, & recta ratio postulare videtur, quodque nihil cum Iudęorum periurio habeat commercij.* Et concludit adducens Decretum, quo Nicæna Synodus statuit, vt Pascha, non Luna quartadecima cum Iudæis, sed die Dominica sequenti in tota Ecclesia vniformiter celebraretur: *Quę cum ita se habeant, lubentes hoc Decrétum, tamquam donum Dei, & mandatum revera cœlitus demissum, amplexamini. Nam quicquid in Sanctis Episcoporum Concilijs decernitur, id vniversum divinæ voluntati debet attribui.*

1877 Nec omitti potest quod præclarè ad hanc rem scripsit EVSEBIVS *lib.* 5. *cap.* 22. loquens de prædicta Paschatis celebratione: *Concilia, & Conventus Episcoporum in vnum cogebantur, & omnes vna Sententia Decretum Ecclesiasticum, nempè vt non alio die aliquando, quàm Dominico, Mysterium Domini Resurrectionis à mortuis celebraretur, & vt in hoc solo ieiuniorum, quæ circiter Pascha fieri solent, finem faceremus, per litteras ad omnes Ecclesias scriptas, ratum faciebant.*

1878 Et *cap.* 23. postquam retulit Asiaticorum consuetudinem, celebrandi Pascha Luna quartadecima, sic prosequitur: *Cum tamen reliquæ Orbis Ecclesiæ alio more vterentur, qui, ex Apostolorum Traditione profectus, etiam nunc servatur, vt scilicet non alio, quàm Resurrectionis Dominicæ die, ieiunium solvi liceat.*

1879 Ex dictis manifestè patescit septimi Apostolorum Canonis sententiam egregiè commendari, tùm suprema Pontificum, Conciliorum, & Patrum Authoritate, tùm Apostolica Traditione, ac tandem ratione, innixa Doctrinæ Sanctorum, & Authorum, qui singulari eruditione ostendunt summum ius, ęquitatem, & Zelum, quo prædictus Canon ab Apostolis conditus est; nihilque in eo contineri, quod à Fide, & ratione abhorreat: immò ipsius Canonis Doctrinam, tamquam ab Apostolis conditam legi, & velut regulam, normam, & Apostolicum Canonem, cum Catholicę Apostolicę, & Vniversalis Ecclesiæ plausum, approbationemque meruerit.

1880 Nec obstat ratio, quam ex Natali Alexandro, initio superioris §. proposuimus: Primo, quia ea vnicè innititur argumento negativo, Orientales nempè Patres, & Episcopos, nullam prædicti Canonis mentionem fecisse, cũ de Paschatis celebratione, cum Victore Papa dissererent; at quàm debilis, infirma, ac imbecillis sit negativi argumenti species, ostendimus in hac ipsa Apologetica, de Apostolorum Canonibus, controversia fol. 454. num. 1145 & varijs doctrinis probavimus, quarum pro se aliquas ipse Alexander adducit, apertè affirmans, & tamquam certum asseverans nullius ponderis esse argumentum negativum, vt videre licet supra num. 1144.

1881 Secundò, quia prædictos Asiaticos Episcopos, qui Pascha iudaico more ob-

observabant, nullam de prædicto Canone mentionem fecisse, non probat, prædictum Canonem non esse verè Apostolis adscribendum; siquidem necesse non erat, vt prædicti Episcopi pro sua consuetudine præfatum Canonem adducerent; cum illa consuetudo fundaretur in Apostolica Traditione, & Doctrina, quam S. Ioannes, *qui suprà pectus Domini in cœna recubuit*, ipsis reliquerat; quæque ab alijs Sanctis, qui in Asia floruerant, ad illud vsque tempus, fuerat observata; quæ quidem Traditio ipsis efficacius argumentum erat, ac sufficiens ad illam consuetudinem retinendam; cum multoties Ecclesia, soli Apostolicę Traditioni innixa, multa Fidei Dogmata docuerit, ac firmiter tenenda statuerit. Vndè cum prædicti Asiatici Episcopi Apostolicam Traditionem pro se, vt ipsi credebant, haberent, nulla eis erat necessitas ad Septimum Apostolorum Canonem recurrendi, cuius fortè notitia primis illis sæculis adeò certa non erat, ac illa, quæ nostro ævo resplenduit.

1882 Tertiò, quia quid interest, illos Asiæ Patres, & Episcopos nullam de prædicto Canone mentionem fecisse, si alij Episcopi æquali, & nullatenus inferiori Authoritate fulgentes, expresè illius meminere? Siquidem S. IGNATIVS, Vir Apostolico Zelo exęstuans, & in illa Orientis parte Episcopus, qui Apostolorum tempore floruit, prædicti Canonis meminit, eamdemque Sententiam in illo contentam pro se adducit, eaque vtitur, vt ostendimus suprà in primo argumento, quod pro Canone isto proposuimus.

1883 Nec solus S. Ignatius, sed & celebriores Asiæ, totiusque Orientalis Ecclesiæ Patres, & Episcopi, 85. Apostolorum Canones vnanimi consensu admiserunt: vndè & septimum hunc Canonem eodem modo amplexati sunt, plenamque de illo notitiam habuerunt, & constat ex Collectione titulorũ facta à Ioanne Scholastico, provt notat CHRISTOPHORVS IVSTELLVS *in Præfat, ad tom. 2. Bibliotb. Iuris Canon.* & ipse IOANNES, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, ex Ordine Scholasticorum, *in Præfat.* hæc scribit: *Sancti Domini Discipuli, & Apostoli, Octuagintaquinque Canones, Clementis opera ediderunt.* Insuper TRVLLANA SYNODVS, Constantinopoli celebrata, & SEPTIMA OECVMENICA, in Oriente etiam habita *Act.* 1. Canones Apostolorum 85. admittunt. Insuper S. IOANNES DAMASCENVS, Patriarcha THARASIVS, ALEXIVS ARISTINVS, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus *in Epitome Canonum*, & Patriarcha PHOTIVS, omnes Orientales, & antiquitatis notitia, eruditioneque celebres, attestantur, omnes 85. Canones fuisse in Orientali Ecclesia receptos, vt probavimus hoc *lib. 2. cap. 7. num.* 1026. Quibus adddi potest Imperator IVSTINIANVS *in Constitutione ad Epiphanium, Patriarcham Constantinopolitanum*, cui prædictorum Canonum observantiam commendat, his verbis: *Sacri illi Canones diligenter observentur, quos numquam satis laudati, adorationeque digni, & qui ipsum Filium Dei cõspexerunt, illique ministrarunt, Apostoli, nobis reliquerunt, & Sancti Patres custodierunt, & interpretati sunt.* Hic autem loqui Imperatorem de 85. Apostolorum Canonibus, quos nunc habemus, rectè probat Magister Natalis Alexander *Dissert. de Canon. Apost. sæc. 1. par. 2.* Quibus addere possumus Zonaram, Balsamonem, & alios Iuris Ecclesiastici Græcos Interpretes, magnæ apud Antiquos Fidei, & Authoritatis, refferre 85. Apostolorum Canones tamquam in Orientali Ecclesia admissos, & vniversali approbatione susceptos.

1884 Quartò: estò demus Asiaticos Episcopos, immò & Orientales omnes, nullam de prædicto Canone mentionem fecisse; hoc non sufficit, vt illum ab Apostolicorum Canonum nnmero reijciamus: illi enim iustis potuere adduci rationibus (quas modo investigare non interest) vt præfatum Canonem omitterent. Nobis autem vt illum verè Apostolicum esse credamus, sufficit, Patres, & Episcopos Romanæ Ecclesiæ, quæ etiam inter Apostolicas Primatum tenet, de prædicto Canone meminisse: hoc autem ita esse, certissimum est; siquidem ex 85. Apostolorum Canonibus primos 50. semper fuisse in Romana Ecclesia susceptos testantur Eminentissimi Cardinales TVRRECREMATA, BARONIVS, BELLARMINVS, & HVMBERTVS, Apostolicus Leonis IX. Legatus, DIONYSIVS EXIGVVS, ANASTASIVS Bibliothecarius, alijque plures, quos suprà *nu.* 1031. & deinceps, retulimus. Et quod maximũ est STEPHANVS IV. *in Concilio Lateranensi, anno* 789. *Act.* 4. nõ modo de prædictis 50. Apostolorum Canonibus mentionem fecit, sed eos etiam Syno-

nodaliter approbavit, vt suprà *num.* 1037. retulimus. Cum autem septimus iste Apostolorum Canon, in 50. illis includatur, hinc manifestè patescit, quod estò Orientalis Ecclesiæ Patres de illo non meminissent, eo, quod de prædicto Canone certitudinem plenam non haberent, nobis tamen satis, superque est, eum in pleno Oecumenico, & Generali Concilio esse à Catholica Romana Ecclesia, non commemoratum modò, sed etiam inter illos 50. singulari acceptatione susceptum; vt eum verè Apostolicum esse arbitremur, & vt talem firmiter propugnemus.

1885 Quintò: quia hanc eamdem in specie prædicti septimi Canonis sententiam, non modo commemorant, sed & sua Approbatione confirmant, ex Sanctis Patribus, IGNATIVS, IVSTINVS Martyr, IOANNES DAMASCENVS, AVGVSTINVS, ISIDORVS Hispalensis, V. BEDA, & D. THOMAS. Ex Summis Pontificibus, CLEMENS ROMANVS, PIVS I. INNOCENTIVS I. & S. GREGORIVS MAGNVS. Ex Concilijs, ROMANVM *anno Domini* 198. *sub Victore*, PALÆSTINVM, & PONTICVM *eodem anno celebrata*, OSROENVM, & ACHAICVM *apud Eusebium*. GALLICANVM *sub Irenæo, Lugdunensi Episcopo*, ARELATENSE I. *sub Sylvestro I.* NICÆNVM I. ANTIOCHENVM *anno* 341. LAODICENSE *anno* 3[illegible]0. & TOLETANVM X. *anno* 659.

1886 Approbata tamdèm est eiusdem Canonis sententia ab Imperatore CONSTANTINO, alijsque pluribus, præclarisque Authoribus, tàm Græcis, quàm Latinis, quorum verba suprà retulimus. Vndè estò prædicti Canonis notitiam aliqui Asiatici Episcopi omiserint; attamen cum de illo expressam mentionem faciant Sancti, Pontifices, Concilia, & Patres, qui in prædictis Concilijs, Sanctitatis, & Doctrinę splendoribus coruscarunt; cumque insuper, septimus istè Canon, ab Orientali Ecclesia, inter 85. & à Romana, inter 50. admitti, ac approbari meruerit, hinc nihil in eo ampliùs desiderari posse videtur, vt ipse, omni hæsitatione submota, inter Apostolicos Canones connumeretur.

1887 Nec obstat, Victorem Papam nullam de prędicto Canone, in celebri illa cum Asiaticis controversia, mentionem fecisse; cum enim ipsi, Apostolica suffragaretur Traditio, & Doctrina, quam Sancti Apostoli Petrus, & Paulus, Romanæ Ecclesiæ tradiderant, de Paschate cum Iudæis *Luna* 14. non celebrando, quæ est ipsamet Sententia in septimo Apostolorum Canone contenta, cùmque istud esset efficacissimum veritatis argumentum, nulla erat Victori Papæ necessitas adducendi prædictum Canonem, sub nomine Apostolorum, illiusque verbis vtendi, cum non ignoraret Pontifex prædictorum Canonum Collectionem *sub nomine S. Clementis* alicui esse dubitationi obnoxiam, cum illam GELASIVS Papa, *trecentis post Victorem Pontificem annis*, in dubium revocarit. Vnde cum posset Pontifex Victor argumento adeò solido, quale est à Traditione desumptum, inniti, & expressa esset Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Doctrina, id ipsum pręscribentium, nihil mirum quod prædictum Canonem non citarit: siquidem præfatus Canon poterat aliquam exceptionem subire; secus Sententia, & Doctrina in ipso contenta, cum sit ea ipsa, quam Ecclesia semper docuit, & tamquam Apostolicam disciplinam, ipsi à Divis Petro, & Paulo traditam perpetuò retinuit, ac diligenter servavit.

CAP. XI.

DE 21. ET 22. APOSTOLORVM Canone Dissertatio.

1888 NOn desunt, qui propter rationes in argumentorum solutionibus enodandas, prędictos duos Canones verè Apostolorum esse inficientur. Ad pleniorem tamen huius Controversiæ elucidationem, adducendus priùs videtur vtriusque Canonis textus, qui, iuxta Dionysij Exigui interpretationem, sic se habet.

1889 CANON 21. *Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione, eius sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, efficiatur Episcopus.*

1890 CANON 22. *Siquis abscindit semetipsum, id est, siquis amputat sibi virilia, non fiat Clericus, quia suus homicida est (hoc est, sui ipsius) & Dei conditionis inimicus.*

Pro

1891 Pro clariori quæstionis intelligentia, & vtriusque Canonis elucidatione (omissis Eunuchorum, Spadonum, Castratorum, & eviratorum differentijs, quas referunt, & exponunt PANZIROLA *lib. 2. variar. cap.* 275. BALSAMON *in Can.* 24. *Apost.* D. EMMANVEL GONZALEZ *cap. ex p. 1. de Corp. Vitiat.* PAVLVS ZACCHIAS *lib. 2. quæst. Medico legal. tit. 3. q. 7.* nec non THEOPHILVS RAYNAVDVS *tom. 14. tract. de Triplici Eunuch. in Prolus.*) prænotandum est, Eunuchos alios esse natos, alios vero factos.

1892 Et licet pauci cum hac deformitate, & defectu nascantur, vt rectè notavit D. AVGVSTINVS *in quæst. Veter. & Novi Testam. quæst.* 116. sunt tamen aliqui, vt fuit Dorotheus, Antiochiæ Episcopus, de quo EVSEBIVS *lib. 7. cap.* 32. hæc habet. * Dorotheum, Primatu Anthiochenæ Ecclesiæ insignitum, cognovimus: erat autem natura Eunuchus, ita ex ipsa nativitate comparatus. *

1893 Eunuchi facti dicuntur, qui ab hominibus evirati sunt, varijs ex causis, vt causa medelæ, aut in pœnā delicti admissi, iuxta ea quæ tradit D. EMMANVEL GONZALEZ *in cap. Significasti. de Homicid.* aut causa mercimonij, seu negotiationis, vel Castitatis conservandæ causa; de quibus postea fusiori calamo pertractabimus.

1894 His ergo suppositis, pro Cōclusione statuimus: PRÆDICTOS DVOS CANONES, SVB APOSTOLORVM NOMINE, PRO LEGITIMIS, ET AVTHENTICIS HABENDOS. Hanc Assertionem præclarè illustrat Eminentissimus Cardinalis BARONIVS *loco citato suprà fol.* 429. *n.* 121. Loquens enim de Apostolorum Canonibus: * Quis, inquit, nō recipiat vt authenticos, quos à Pātribus, & Sanctis Synodis noverit esse in firmam Authoritatē receptos; atque vnà cum alijs, Sacris Canonibus simul intextos? * Et ipse Cardinalis, vt ostendimus *fol.* 434. *num.* 1049. censet, Canones, quos Concilia, & Ecclesia approbant, quales sunt hi, qui Apostolorum nomine circumferuntur, debere, vt legitimos, & authenticos haberi. Innititur hæc Doctrina communi Patrum consensui, & Ecclesiæ praxi; Ecclesia enim inter Scripturę Sacræ libros semper vt authēticos habuit, non modo Protocanonicos, quos legitimos esse, numquam fuit dubitatum; sed etiam Deuterocanonicos, de quorum Authoritate quondam aliqua extitit dubitatio, qui tamen assidua Sanctorum Patrum, Ecclesiasticorumque Authorum indagatione ostendente, eos à Sanctis Concilijs, & Patribus, vt legitimos, & divinos citari, suscipi, & haberi meruerunt, & à Romanis Pontificibus tamquam authenticos declarari, & ab Ecclesia, vt tales admitti.

1895 In prędictis autem duobus Apostolorum Canonibus, nempe 21. & 22. idipsum reperiri, manifestè patescit ex his, quę supra latè probavimus: vterque enim includitur in illis 50. Apostolorum Canonibus, quos Romana Ecclesia approbavit, & in Lateranensi Concilio admisit; vterque pariter continetur in illis 85. quos Orientalis Ecclesia, vt authenticos, sub nomine Apostolorum, semper admisit. Cum ergo vterque iste Canon vniversalem Ecclesiæ Approbationem, tàm in Oriente, quàm in Occidente meruerit, debemus, omni dubitatione semota, vtrumque tamquam authenticum habere: in omnibus enim Ecclesiasticis controversijs, conformis Patrum, & Græcorum, & Latinorum sensus, ac Approbatio, fuit semper regula, & norma, qua omnia dubia, & dissidia, vniversis Christi Fidelibus vniversali Patrum, & Ecclesiæ Approbationi assentientibus conquieverunt; & quisquis à communi Romanæ Ecclesię sensu, & Sententia discedit, malè semper audit: quarè nullo iam iure poterit aliquis de vtriusque prædicti Canonis Sententia, & Authoritate dubitare. Nihilominùs tamen, nè res adeò gravis, fundamento destituta videatur, eamdem prædictorum Canonum doctrinam, Authoritate, & ratione firmabimus.

§. I.

CANONIS 21. ET 22. DOCTRINA, subsequentium Sacrorum Canonum Authoritate fulcitur.

1896 VTriusque prædicti Canonis sententia in Pontificio Iure reperitur expressa; nam si de Eunuchis natis, vel non propria voluntate factis loquamur, est pro hac Doctrina expressus DECRETI TEXTVS 55. *Dist. Cap. siquis à Medicis* 7. desumptus ex NICÆNO CONCILIO *Can.* 1. vbi hæc haben-

habentur: *Siquis à Medicis propter languorem defectus est, aut à Barbaris excissus, hic in Clero permaneat. (Et infrà:) Sic eos, quos aut Barbari, aut homines castraverunt, si inveniuntur aliàs dignissimi, tales ad Clerum suscipit regula.*

1897 Et *cap.8. eiusdem dist.* *Eunuchus, si per insidias hominum factus est, vel in persecutione sunt eius amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, fiat Episcopus.* Quod quidē *cap. ex Canone Apostolorum* 21. desumpsit GRATIANVS.

1898 Eadem Sententia habetur *cap.9. eiusdem Dist.* ibi: *Siquis pro ęgritudine naturalia à Medicis secta habuerit, similiter qui à Barbaris, aut dominis suis fuerint castrati, & moribus digni fuerint visi, hoc Canone admisit ad Clericatus officium promoveri.* Ex his manifestè patescit, eamdem 21. Apostolorum Canonis Sententiam in prędictis Decreti, in tota Ecclesia vniversali approbatione suscepti capitibus contineri.

1899 Hæc de 21. Apostolorum Canonis commendatione. Quoad 22. verò, eos nempè, qui se voluntate, non necessitate coacti castraverunt, non posse Sacris initiari Mysterijs continetur expresse *in cap. Siquis à Medicis* 55. *Dist.* vbi hæc leguntur: *Siquis autem se ipsum sanus abscidit, hunc & in Clerico constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum decere talium promoveri.*

1900 Pro eadem prædicti Canonis Sententia facit TEXTVS *in cap. Maritum 33. dist.* desumpto iuxta Gratianum, *ex S. Gregorio Papa*, vbi sic habetur: *Clericum non ordinandum eum, qui se ipsum, quolibet corporis sui membro, indignatione aliqua, vel iusto, vel iniusto timore superatus, truncaverit.*

1901 Quod & confirmant Patres CONCILII TOLETANI IV. *Cap.* 18. ex quo desumptum est *cap. Qui in aliquo, final.* 51. *dist.* vbi à Sacerdotio removentur: *Qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam se admisisse, confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, vel qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscūtur, qui se ipsos absciderūt, aut naturali defectu membrorum, & excissione aliquid minus habere noscuntur, &c. (Et infrà:) Siquis autem deinceps, contra prędicta vetita Canonum, ad gradum Sacerdotij indignus aspirare contenderit, cum Ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit.*

1902 Id ipsum statuit *cap. Siquis abscidit.* 55. *dist.* quod desumpsit GRATIANVS *ex Can.* 22. *&* 23. *Apost. in eo enim cap.* dicitur: *Siquis abscidit semetipsum, id est, siquis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui est homicida, & Dei conditionis inimicus. Siquis cum Clericus fuerit, absciderit semetipsum omnino damnetur, quia sui est homicida.*

1903 Et *cap. Hi qui se, eadem dist.* desumptum ex CONCILIO ARELATENSI II. *cap.* 7. vbi hæc statuuntur: *Hi, qui se carnali vitio repugnare nescientes, abscindunt, ad Clerum pervenire non possunt.*

1904 Et *cap. Siquis pro ægritudine*, desumptum ex MARTINO, Bracarensi Episcopo *in Epist. Synodi Græce, cap.* 21. vbi sic decernitur: *Siquis autem sanus, non per disciplinam religionis, & abstinentiæ, sed per abscissionem plasmati à Deo corporis, existimans posse à se carnales concupiscentias amputare, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod Clericatus officium; quod si iam ante fuerit promotus ad Clerum, prohibitus à suo Ministerio deponatur.*

1905 Eamdem Sententiam tradit Decretum CLEMENTIS III. *in Epist. ad Varien. Episcop.* ex qua desumptum est *cap. Ex parte, tit.* 20. *de Corp. Vitiat.* vbi fit expressa mentio de Nicæni Concilij Sententia, Canoni 21. & 22. Apostolorum consona, vbi sic habetur: *Sanè cum secundum Statuta Nicæni Concilij, illi ad Clericatus ordinem prohibeantur accedere, & si etiam in Clero fuerint, cessare debeant, qui se ipsos sani absciderint, vel affectaverint, vt ab alijs abscindantur; non credimus ei impedimentum afferre, quominùs possit provehi, qui in cunabulis sectus fuit; quia non videtur hoc eo tempore affectasse, quo iudicium animi non habebat; præsertim cum in Canonibus Apostolorum sit manifestè sancitum, quod Eunuchus, si per insidias hominum factus, vel ita natus sit, aut etiam in persecutione sint ei amputata virilia, & dignus est, possit in Episcopum promoveri.* Quid clariùs ad nostram comprobandam Assertionem?

1906 Nihilominùs vt appareat, eumdem Pontificem in ea perstitisse Sententia, videri potest *cap. significavit, eadem dist.*

dist. desumptum ex Rescripto ad Ravennatensem Archiepiscopum, vbi sic loquitur: *Significavit nobis R. Archipresbyter S. Stephani, quod B. Presbyter (credens se obsequium pręstare Deo) fecit sibi virilia amputari. (Et infrà:) Quo circa mandamus, quatenus si iam dictum Presbyterum, aliàs Deo dignum inveneris, ei Sacerdotale Officium absque Altaris Ministerio, Authoritate nostra fretus, & tua, prout videris expedire, concedas.* Vbi GLOSSA *verbo: Sacerdotale Officium*, ait: *Sicut baptizare, pœnitentiam dare, & alia Officia prętér Officium Missæ, & alia similia, quę solis Sacerdotibus sunt concessa.*

1907 Nec parùm pro hac eadem rè facit S. LEO IX. sentiens esse contra Sacros Canones, præcipuè Nicæni Concilij, Eunuchos ad Sacrum Ordinem, Sacramque dignitatē promoveri; quæ eadem est Sententia in 22. Apostolorum Canone contenta; etenim *in Epist. ad Michaelem Serulanum, & Leonem Acridanum*, *cap.* 23. sic scribit: *Absit autem, vt velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanæ Ecclesię contigisse, vt Eunuchos contra primum Sancti Nicæni Cōcilij Capitulum, passim promovendo, fœminam in Sede Pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abominabile scelus, detestabileque facinus, etsi enormitas ipsius, vel horror, fraternaque benevolentia, non permittit nos credere; considerata tamen iniuria vestra erga Sacrorum censuram Canonum, quia Eunuchos, & aliqua parte corporis imminutos, non solum ad Clericatum, sed ad Pontificatum etiam indifferenter, & solemniter adhuc promovetis, fieri potuisse pensamus.*

1908 Totam Doctrinam istam mirificè confirmat vtrumque Apostolorum Canonem exprefsè comprehendens CONSTANTINOPOLITANA SYNODVS, quæ dicta est, & prima, & secunda, *Cap.* 8. vbi sic habetur: *Divinus, & Sacer Sanctorum Apostolorum Canon eos, qui se ipsos castrant, esse sui homicidas, iudicat: & si sint quidem Sacerdotes, deponit; si autem non sint, ne ad Sacerdotium promoveantur, prohibet: ex eo apertè statuens, quod si is, qui se ipsum exsecat, sui est homicida, qui alium exsecat, est omninò homicida, meritò autē statuerit quipiam, eum quoque in opificium contumeliosum videri. Quamobrem decrevit Sancta Synodus, vt siquis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus castrare aliquem convictus fuerit, vel manu propria, vel suo iussu, is depositioni subijciatur; si autem laicus, segregetur; prętérquam si morbus, qui alicui accidit, ad eum exsecandum, qui castratus est, coegerit. Quemadmodum enim Nicænæ primæ Synodi Canon eos, qui morbo exsecti sunt, non punit propter morbum: sic & nos, nec Sacerdotes, qui ægrotos castrari mandant, condemnamus: nec laicos, qui proprijs manibus ad castrationem vtuntur, reprehendimus. Hoc enim morbi esse medelam, non autem creaturæ insidias fieri, vel opificium iniuria affici, existimamus.*

1909 Ex huc usque dictis manifestè innotescit Canonem 21. & 22. Apostolorum, Sententiamque in eis contentam approbari meruisse, non modò à NICÆNO CONCILIO in Oriente, sed etiam à TOLETANO IV. in Occidente, & ARELATENSI, alioque Concilio in Græcia iuxta MARTINVM BRACARENSEM; & quod magis est, à Summis Pontificibus S. GREGORIO MAGNO, CLEMENTE III. & S. LEONE IX. Hæc satis, superque erant pro vtriusque Canonis commēdatione, & vt sub nomine Apostolorū ambò tamquam legitimi, & authentici, ab omnibus susciperentur. Nihilomiuùs tamen, quia Summi Pontifices, Concilia, & Ecclesia tamquam solidæ basi, ac firmissimæ columnę, Sanctorum Patrum Doctrinæ semper innituntur, qui suis, inclytisque virtutibus promeruerunt, vt à Spiritu Sancto specialiter illustrarentur, & Ecclesiasticæ Doctrinæ Magistri constituerentur; non erit abs re, expendere, quodnam sit Sanctorum Patrum de prædictis duobus Apostolorum Canonibus Iudicium.

§. II.

QVID DE PRÆDICTIS duobus Apostolorum Canonibus Sancti Patres censuerint.

1910 Vigesimus secundus Apostolorum Canon, in quo pręcipua difficultas consistit, excludit à Presbyteratu, cæterisque Sacris Ordinibus Eunuchos, qui se ipsos voluntate, non necessitate, evirarunt. Quàm iustum, quàmque rationi consonum sit istud Apostolotum

rum Decretum, manifestè ostendit vniversus, ac frequens Sapientissimorum, Sanctorumque Patrum Senatus, qui vnanimi consensu testantur, Eunuchos indignos esse, qui ad Sacrum Ecclesię Ministerium suscipiantur. S. GREGORIVS NAZIANZENVS cum plures sui temporis Eunuchi, Arianę, vel Macedonianę hæreseos labe inficerentur, suosque errores acerrimè tuerentur, in eos invehitur in omnibus ferè suis Orationibus, & pręcipuè *Oratione* 31. vbi eos impios, & impuros appellat. * Quid (inquit) impietatem vestram effecistis, quid omnes in vitium præcipites ferimini, vt deinceps idem sit, aut Eunuchum, aut impium vocari? Tandèm aliquando viris vos adiungite, virilem effectum aliquem habete, Gynęcea fugite, ne ad nominis turpitudinem, prædicationis turpitudo accedat.*

1911 Et *Orat.* 20. *in laudem D. Basilij* refert de Imperatore Valente, Ariano, aliquos misisse Eunuchos, vt S. Basilium in illam perniciosissimam sectam inducerent, quod Sanctus, tantam impietatem execrans, debito dolore expendit: *Mittebantur (inquit) illi ex gynęceo: illi, inquam, inter fœminas viri, & inter viros fœminæ, nec virile quidquam præter impietatem habentes; qui cum naturali morbo libidini operam dare nequeant, quod vnum possunt, lingua scortantur.*

1912 Consonat S. CYPRIANVS *in Epist. ad Donatum*, vbi eruditè expendit damna, quæ ex huiusmodi exectione suboriuntur, quantaque vituperatione dignos efficiat castratio, non modo Sacros Ecclesię Ministros, sed etiam laicos: *Mirum (inquit) quanta labes, quæ probrorum fomenta, quę alimenta vitiorum, histrionijs gestibus inquinari videre contra ius, & fœdus nascendi, patientiam incestę turpitudinis elaboratam? Evirantur mares, omnis honor & vigor sexus, enervati corporis dedecore emollitur: plusque illi placet, quisquis virum in fœminam magis fregerit. In laudem crescit ex crimine, & eo peritior, quo turpior, iudicatur.*

1613 S. EPIPHANIVS agens contra Valesios, qui illud Christi oraculum: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum Cœlorum*, perperam intelligentes, & se ipsos, & hospites suos castrabant, vt inquit Sanctus AVGVSTINVS *hæresi* 37. hoc modo existimantes Deo se debere servire; contra hos, inquam, aliosque exectos scribit EPIPHANIVS *Hæresi* 58. ingentem fuisse eorum vesaniam, & ab hominibus esse reprobatos, castrationemque nefarium opus appellat.

1914 S. BASILIVS *lib. de vera Virginit. sub fin.* * Abscisionē cōtra naturæ iura authore Sathana, & olim apud Æthnicos, & postea apud Christianos, falsa honesti specie inductam esse, graviter expostulat. *

1915 S. CYRILLVS *apud Suidam, verbo, Spadon.* eleganter probat, quam indigni, Sacerdotij, & cuiuslibet alteriùs Ecclesiastici Ministerij honore reddantur, qui se ipsos sua sponte castrarunt; idque ob ingentem infamiæ notam, quam huiusmodi execti subeunt, & quia apud omnes malè semper audiere: * Quamobrem (inquit) profectò convenientissimè & Lex, & Oratio Evangelica, & optima vita, & religiosa Respublica hos vehementer abominatur, vt Deo invisos, & impuros. Isti enim execrabilem vitam amplexi, & honestæ, ac castæ vitæ antepo-nentes, quantum in ipsis est, Vrbes delent, & seminalem naturæ rationem corrumpentes, & corrupti; & vigens viri robur, & ætatem, & virilem faciem, & generosam vitam atrociter absumunt. Denique (vt rem totā paucis expediam) iuvenilis ætatis robore, & vigore apertè corrupto, miseros, & ridiculos efficiunt homines eo scelere captos, qui profectò effusa fuga sunt fugiendi, & meritò detestandi, vt animarum interfectores, & corporum corruptores nefarij, naturæque adulteratores. * Videndus etiam *lib.* 14. *de Adorat.*

1916 Lectu dignissimus est S. AVGVSTINVS *Tom.* 4. *in Quæst. Veteris, & Novi Testamenti, quæst.* 114. vbi hæc habet: * Lex nostra, quos stultos vocant, Antistites, & Ministros idoneos, sine crimine, Sanctos, & irreprehensibiles pręcipit ordinari: E contra autem Paganorum traditio, Antistites, & Ministros idoneos sibi esse non putat posse, nisi ex viris transfigurentur in fœminas, vt licenter, & publicè muliebria patiantur, & discussis in aqua inhonestè criminibus, mollem quassatamque vocem, & turpem emittant. Quod si publicè facerent, ab omni populo lapidarentur, &c. Ecce quibus Ministris, sive Magistris, Pagani prudentię sibi nomen ascifcunt, cùm non solum non prudētię sit, sed etiā criminis. Obscęna enim

& probrosa diligere, funestum est. Illud autem quale est, quod in speleo oculis illuduntur? Ne enim horreant, turpiter dehonestari se, oculis illic velantur.* Si Sanctus Augustinus horrificum duxit, rerum Sacrarum Ministros Eunuchismo foedari adhuc inter Paganos, quo potiori iure horrendum existimaret id inter Catholicos evenire? Et hinc colligi potest quàm iustam, quamque rationi consentaneam iudicasset Augustinus, 22. Apostolorum Canonis Sententiam, Eunuchos, Sacros Ministros fieri prohibentis.

1917 Tandem S. BASILIVS *ad Simplicium*, *cap.* 87. egregiè probat quam indignì sint Eunuchi, vt ad Sacrum Ministerium promoveantur, dicens: * Si verò testibus opus est, non sistentur servi, neque ignominiosum illud, ac perniciosum Eunuchorum genus, hoc inquam, nec foemineum, nec masculinum, insaniens, invidiosum, & zelotypum, &, quod amplius dicendum est, cum ipsa statim generatione ferro damnatum.*

1918 Vndè si Eunuchos S. BASILIVS abominabiles vocat: * Ignominiosum illud, ac perniciosum Eunuchorum genus.* Si illos S. GREGORIVS NAZIANZENVS * impios, & in vitium praecipites * dicit; & S. CYPRIANVS * probrorum fomenta, & vitiorum alimenta * appellat; & ideò iuxtà S. CIRILLVM * Lex Evangelica, Religiosaque Republica hos vehementer abominatur, vt Deo invisos, & impuros, meritò detestando, vt animarum interfectores, & corporum corruptores.* Et huiusmodi castrationem S. EPIPHANIVS * nefarium opus* existimat; & S. BASILIVS * contra naturae iura, authore Sathana* vocat; ex his certè indecoris titulis, ac nominibus, quibus S. Patres Eunuchos appellant, manifestè innotescit, quàm indignos Sacro Ordine illos existimarint, & quàm iustis momentis adducti fuerint Sancti Apostoli, ad praedictum 22. Canonem condendum, quo illos à Sacro Ordine, & Ministerio excluderent.

1919 Pro nostrae Assertionis confirmatione sufficiebat certè praedicta ratio, tot Sanctorum Patrum innixa Doctrinae; at quia haec res gravissima est, vt appareat quam iustis titulis adductus fuerit Sacrorum Apostolorum Zelus ad praedictum Canonem stabiliendum, alias proponemus rationes, id ipsum non inefficaciter probantes.

1920 Secunda ergo ratio, qua manifestè probatur, praedictum Canonem non nisi aequissimo iure fuisse statutum, est: quia Ecclesiam, primosque illius Ministros, Sanctos nempè Apostolos, valdè decebat, ac illorum proprium erat, sua Doctrina Fideles à perniciosa Gentilitatis Ritu segregare: inter Gentiles autem valdè vsitatam fuisse castrationem, vel Eunuchismum Ministrorum, qui Deorum Templis inserviebant, manifestè constat ex his, quae gravissimi Authores litterarijs monumentis consecrarunt; Sacerdotes nempè Cybeles, sive matris Deorum, Gallicè *Corybantes* dictos, inter nefandas libidines (quas damnans describit D. AVGVSTINVS *lib.* 7. *de Civitate Dei*, *cap.* 26. & APVLEIVS refert *lib.* 8. *Milesiar.*) sua membra amputare, seseque voluntariè castrare.

1921 Egregium huius veritatis testimonium nobis suppeditat antiquus, & celebris Medicus ARCTAVS, relatus à Mercuriali *lib.* 3. *variar.* c. 15. ibi: *Sunt (inquit) qui membra sibi ipsis amputant, tamquam Dijs proprijs ea repetentibus, gratam rem pia cogitatione facturi: atqui insania huiusmodi in opinione dumtaxat collocatur: excitantur verò tibia, animaeve oblectatione, aut temulentia, aut adstantium exhortationibus, vt maneat huiusmodi furor à Deorum afflatu. Quod si incolumes desistant, bono, & pacato animo sunt.* Vndè MARTIALIS *lib.* 3. *Epigram.* 63. *Gallum* appellat, castratum more istorum Sacerdotum:

Amisit testes, iam mihi Gallus erit.

1922 Idem observarunt Sacerdotes Dianae, vt referunt STRABO *lib.* 14. & S. HIERONYMVS *lib.* 1. *advers. Iovin.* ibi: * Hierophantes Atheniẽsium (inquit) vsque hodie cicutae sorbitione castrari, & postquam in Pontificatum fuerint electi, viros esse desinere.* Idem de Bellonę Sacerdotibus tradit FARNABIVS *ad Senecam in Mede. Act.* 1. *ver.* 82. *pag.* 100. Id autem ideò illi diligentissimè pręstabant, vt sic puriores permanerent, ac casti, tamquam Ministri, qui Deabus illis, estò falsis, in proprio illarum Templo inserviebant; sed in hoc apertè decipiebantur, quia carnis stimulos non devitant, qui execti sunt; vt docet EPITECTVS *apud Arrianum lib.* 2. *cap.* 20. de quo latiùs agemus infrà.

1923 Pro vberiori Gentilici Ritus, Castrationem in Templi Ministris exigẽtis, notitia, legendus est D. AVGVSTINVS

lib.

lib. 7. de Civit. Dei, cap. 26. vbi sic Ministrorum Cybelis petulantiam execratur: * De mollibus eidem Deorum Matri contra omnem virorum, mulierumque verecundiam consecratis, qui vsque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu fœmineo, per plateas, vicosque Carthaginis, etiam à populis, vnde turpiter viverent, exigebant, nihil Varro dicere voluit, nec vspiam me legisse commemini. Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. Vicit Matris Magnæ omnes Deos Filius, non numinis magnitudine, sed criminis: hoc dedecus, tot Iovis ipsius, & tanta stupra non vincunt; ille inter fœmines corruptelas vno Ganymede Cœlum infamavit; illa, tot mollibus professis, & publicis, & inquinavit Terram, & Cœlo fecit iniuriam. (Et infrà) At ista Magna Deorum Mater etiam Romanis templis Castratos intulit, atque istam sævitiam, moremque servavit, credita vires adiuvare Romanorum, exsecãdo virilia virorum.* Hactenus Augustinus.

1924 Verùm non modo sub D. Augustini tempore, sed posterioribus etiam sæculis, Gentilitas hunc Eunuchismi Ritum in Templi Ministris, & in aulis Regijs servavit, vt testatur NICOLAVS TRIGAVTIVS *de Regno Chinæ, cap. 9.* sic scribens: * Aliud immanitatis genus in Borealibus Provincijs in infantes masculos exercent, quos castrant quam plurimi, vt inter regios famulos annumerari queant; nam præter hos, alij Regi non famulantur, nec à Consilijs sunt, nec cum eo colloquuntur, quinimmò tota ferè Regni administratio in horum semivirorum manibus versatur. Ex ijs porrò, intra Palatij Regij fines, ad decem millia numerantur, omnes ferè plebei, tenues, illiterati, & in perpetua servitute educati, hebetes denique sunt, & stolidi, nec minùs impotentes, ac inepti ad rem quamlibet gravem animo concipiendam, nedum perficiendam.*

1925 Hinc cum execrabilis castrationis consuetudo, non modo in politicis, & prophanis, sed etiam in Sacris, & Ministris, qui vt suis falsis Dijs sacrati habebantur, adeò inter Gentiles viguerit, æquissimum erat, Sanctos Apostolos, qui Evãgelium, Christianæque Religionis Doctrinam nobis erant tradituri, regulam quoque, & Apostolicum Canonem tradere (qualis est 22. de quo loquimur) quo vt Ecclesiasticam Legem impiæ Gentilismi castrationi oppositam statuerent; eos, qui Æthnicos imitantes, suâ sponte sese castraverint, vel sese castrari permiserint, à sacro, & Ecclesiastico Ministerio eliminandos decernerent.

1926 Tertia ratio innititur communi Ecclesiæ consuetudini, quæ semper curavit non modo Gentilicos Ritus, sed & Hæreses omnes penitùs extirpare suis Constitutionibus, & Canonibus sollicitè attendens, Fideles ab omni illo, quod Hæresim sapere posset, procul arcere: in Eunuchorum autem castratione aliquas irrepsisse Hæreses certissimum est; Eunomianis enim Hæreticis mos fuit viros emasculare, ob cuius criminis impietatem modò data, modò adempta est faciendi testamẽti facultas *l. Eunomianis. C. Theodos. de Hæreticis.* ARCADIVS latè ipsos vexavit. *l. 23. & 38. eod. tit.* & THEODOSIVS *in l. 7. C. Theod. Ne Sanctum Baptisma iteretur.* Cardinalis BARONIVS *tom. 4. Annal. anno Christi 395. num. 6. & 396. num. 10.*

1927 Sectam aliam Eunuchorum Hæreticorum fuisse refert S. EPIPHANIVS *Heres. 58.* cuius fuisse Authorem Origenem insinuat EVSEBIVS, & docet Cardinalis BARONIVS *anno 230. num. 5.*

1928 S. IOANNES CHRISOSTOMVS *in cap. 5. ad Galat.* sese castrantes, Manichæos reputat, dicens: * Se ipsos evirantes Dei Opificium accusare, & & à Manichæis stant; nam illi quidem aiunt corpus insidiosum esse, & malæ materiæ: hi vero, factis suis crudelibus illis opinionibus præbent ansam, dum membrum amputant, velut insidians, & inimicum.* Favent hi quoque se castrantes Valesianis Hæreticis, dicentibus: neminem posse salvari, nisi se ipsum castraverit propter Regnum Cœlorum, seipsum scilicet abscindẽdo: vt referunt S. EPIPHANIVS *Hæres. 58.* & S. AVGVSTINVS *lib. de Hæresib. cap. 37.* Deindè etiam isti Sacrum Evangelium, Æthnicorum irrisioni exponunt, vt docet S. HIERONYMVS *Epist. 59.* dicens: * Facessat omnis cavillatio Iudæorum, & risui præbere se cesset, aperiens semiviris Regna Cœlorum; cum pudicitia non indebilitate sit Corporis, sed in animi voluntate.* Cum igitur Sacratissimi Apostoli, Divino Spiritu illustrati, has, aliasque Hæreses Ec-

Ecclesiæ bono perniciosissimas prævide-rent, æquissimum erat vt Ecclesiasticam Legem, Regulam, ac Canonem constituerent, qui Fidelibus esset instar Cynosuræ, cuius fulgentissima luce, hos, aliosque similes declinarent errores. Quare summa Providentia constitutus fuit 22. Apostolorum Canon, prædictis hęresibus, alijsque similibus penitùs oppositus, vtpotè à Sacris eliminans Eunuchos, & se castrantes.

1929 Quarta ratio fundatur in perpetua prohibitione, qua tàm divinis, quàm humanis legibus, interdictum est hominibus se ipsos emasculare. Si Deuteronomium consulimus, inveniemus Eunuchis inhibitum fuisse Ecclesiam ingredi; etenim *cap. 23.* hæc præcipit Deus: *Nō intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & absciso veretro Ecclesiam Domini*; in cuius expositione notat eruditus Magister THOMAS MALVENDA, Ord. Præd. * Hoc versu duo genera spadonum explicari, alterum, quod fractos, contusos, seu læsos testiculos habet: alterum, quod penitùs exectos, & abscissos. Tertium genus Spadonum quibus excissum est veretrum, id est, qui non valet effundere vrinam, & semen ex virili parte. Hos autem excludi ab Ecclesia Dei, quidam annotant, quod eiusmodi homines ignavi, & fracto animo esse ferè soleant: Ego existimo propter eorum pravitatem, nequitiam, libidinem, crudelitatem, quibus omnibus Historijs traducuntur. Alexander Imperator apud Lampridium, *tertium genus hominum* Eunuchos esse dicebat, nec videndum, nec in vsu habendum à viris, sed vix à fœminis nobilibus.*

1930 Insuper *Sapientiæ 3. vers. 14.* hæc leguntur: *Et Spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, neque cogitavit adversus Dominum nequissima.* In cuius expositione S. EPIPHANIVS *hæres.* 58. & ANASTASIVS NICENVS *quæst. 79. in Scriptur.* hæc habent: * Id est, qui non admisit id Zelus, vt eviraret semet, neque tale facinus perpetrandum, adversus Dominum, hoc est, nec ipsius opus turpi illa truncatione fœdandum, animo adorsus est.*

1931 Nec solùm Eunuchismum aversabatur Lex Moysis in hominibus, verumetiam in animalibus, quę offerenda erant Deo, vt constat *Levit. 22.* illis verbis: *Omne animal, quod vel contritis, vel truncis, vel sectis, ablatisque testiculis est, nō offeretis Domino.* Et inter alia mala, quę Ezechiæ Regi comminatur Dominus apud Isaiam, *cap. 39.* vnum est, illius filios in Aula Regis Babylonis Eunuchos futuros; ait enim: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & de filijs tuis, qui egredientur ex te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babylonis.* Sic exponunt Sancti Patres illud eiusdem Prophetæ, *cap. 56.* ibi: *Hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius*, vt de Eunuchis naturalibus loquatur. Consule Sacros Expositores in hæc loca, & ab illis pleniorem huius rei notitiam accipies, evidentioremque, ac æquiorem huius prohibitionis rationem agnosces.

1932 Quantum autem abominati fuerint Imperatores huiusmodi castrationem, clarè agnosci potest ex prohibitionibus, quibus eam interdicunt, & pœnis, quas suis Legibus statuerunt in eos, qui sese propria voluntate castrarunt, aut membra absciderunt. Iure enim Cæsareo illi Lege Cornelia de Sicarijs tenebātur, *l. 3. § idem, ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Vbi Adriani Rescriptum proponitur, quo statuitur, eos, qui hoc crimine arguuntur Lege Cornelia teneri; quod & proposuit DOMITIANVS Imperator, teste SVETONIO, & XIPHILINO *in eodem*, & APVLEIO *de Asino Aureo*, cui gratulatur MARTIALIS *lib. 6. Epigram. 2.* dum inquit:

* Lusus erat Sacræ Connubia fallere tedæ;
Lusus & immeritos execuisse viros.
Utraque tu prohibes, Cæsar, Populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
Nec spado iam, nec mœchus erit, te Præside, quisquam:
At prius (ò mores!) & spado mœchus erat.*

Et *lib. 9. Epigram. 7.*

* Immaturæ dabant infandas corpora pœnas:
Non tulit Ausonius talia monstra Pater.
Idem, qui teneris nuper succurrit Ephæbis,
Ne faceret steriles sæva libido viros.*

1933 CONSTANTINVS Imperator Eunuchos fieri omnimodè prohibuit, *l. 1. C. de Eunuchis*; vbi plura CVIACIVS, & D. FRANCISCVS DE AMAYA, Salmantinæ Academiæ Insignis Professor Primarius, BRISSONIVS *lib. 2. Select. cap. fin.* Adde Novellam IVSTINIANI 142. Novellam LEONIS 60. EVAGRIVM *lib. 4. cap. 22.* etiam qui di-

giti partem sibi abscindebant, vt sic militiæ inutiles redderentur, extra ordinem puniebantur *l. 4. C. Theodos. de Tyronib. l. 1. eod. C. de Filijs Milit. l. 4. §. 12. ff. de re militari.* Eos *Murcos* Romani apellabant. AMMIANVS MARCELINVS *lib.* 15. vbi notavit VALLESIVS *pag.* 56. de his INNOCENTIVS I. *Epist. ad Iulium*, ita scribit: *In his Clericos scripsisti, quos constituas non habere aliquos Murcos.* Idem notarunt GOTHOFREDVS *in dict. l. 4. §. Eum.* 12. IACOBVS eius filius *in l. 5. C. Theodos. de Tyron.* CVIACIVS *lib.* 15. *observat. cap. fin.* *Apollicis* truncatione eos Itali *Poltrones* dicebant; vt ex D. FRANCISCO de AMAYA *lib. 1. Opuscul. pag.* 94. probarunt MEVRSIVS *in Exercit. Critic. pag. 2. cap. 2. & pag.* 67. CVIACIVS *dict. lib.* 15. *observat. cap.* 40. SAVARVS *ad Sidon. lib. 1. Epist.* 2. D. LAVRENTIVS RAMIREZ *in Notis ad Luithprand. in Chronic. pag.* 315.

1934 Theodosius Imperator, vt refert SVIDAS, Eunuchis omnia officia, sua Constitutione prohibuit; idemque præstitit Alexander Imperator teste LAMPRIDIO, *num.* 23. his verbis: *Eunuchos de Ministerio suo abiecit. Et cum Heliogabalus mancipium Eunuchorum fuisset, ad certum numerum eos redegit; nec quidquam in Palatio curare voluit, nisi balnea fœminarum, cum plerosque Eunuchos rationibus, & procurationibus præposuisset Heliogabalus; ac illis, & veteres sustulit dignitates.* Et infrà *num.* 66. *Eunuchos neque in Consilijs, neque in Ministerijs habuit, qui soli Principes perdunt, dum eos more gentium, aut Regum Persarum volunt vivere; quia populo amicissimum Principem semovent, qui internuntij sint.* Et postea subdit, Imperatorem Constantinum eos à se ablegavisse, & cum intellexisset eos pestem esse Reipublicæ, domesticis necessitatibus mancipasse.

1935 IVVENALIS *Satyr.* 2. *vers.* 110. de Romanorum sceleribus agens, inter eos, nec pudorem in verbis inveniri, sicut apud turpes Gallos Cybeles Sacerdotes (qui erant Eunuchi) sic ait:

*Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ
Hic turpis Cybeles, & fracta voce loquendi.
Libertas*

Sic etiam suspecta maximè fuit Titi Imperatoris libido, vt scribit SVETONIVS *in Tito, cap.* 7. propter Exoletorum, & Spadonum gregem.

1936 Alexander verò Imperator, Optimus Princeps, vt ait LAMPRIDIVS *in eo, num.* 34. Eunuchos, quos Heliogabalus in turpibus consilijs habebat, donavit amicis: quæ lues cum ita serperet, tantumque invaluisset portentosa illa libido, Imperator Domitianus, iure *Pudicus Princeps* à Martiali hanc ob causam dictus, castrari mares vetuit; ita docent SVETONIVS *in eo, cap.* 7. XIPHILINVS, EVSEBIVS, & CASSIODORVS *in Chronic.* & AMMIANVS MARCELLINVS *lib.* 18. *num.* 8. quò respexisse videtur MARTIALIS *dict. lib.* 6. *Epigram.* 2. & *lib.* 9. *Epigram.* 7. & 9.

1937 Extat etiam ADRIANI Constitutio *in l. 4. §. idem, ad l. Cornel. de Sicarijs.* vbi cum Adrianus ait: *Constitutum est, ne Spadones fierent.* Referendum est ad Domitiani Edictum, vt rectè adnotavit, ibi Gothofredus. Postea vero Edicto illo in desuetudinem abeunte, Adrianus Imperator novas constituit pœnas cavens, ne servum, aut liberum, invitum, sinentemvè, castrare aliquis auderet. Quod si adversus hoc edictum fieret, Medico, qui exciderit, capitalis sententia fuit imposita: item ipsi, qui se sponte excidendũ præbuerit; ei verò qui servũ castrandũ tradiderit pœna quoq; inponitur, *l. Is qui. 6. ff. eod.* Quod posterioribus sæculis CONSTANTINVS Magnus Imperator renovavit *in l. 1. & 2. de Eunuchis*, pœna capitis in eos statuta. Quod etiam fecerunt IVSTINIANVS, & LEO Imperatores; ille *Novel.* 142. de his, qui Eunuchos faciunt, hic vero *Novel.* 70. *de pœna castratorum.* ALPHONSVS tandem Castellæ Rex *l. 3. tit. 8. Partit.* 7. eamdem pœnam transcripsit, vt observant CVIACIVS *ad Tit. C. de Eunuchis.* BRISSONIVS *lib. 2. select. cap.* 21. D. LAVRENTIVS RAMIREZ *ad Martial. lib. 2. Epigram.* 60. Et PETRVS PLAZA *de delict. lib. 1. cap.* 24.

1938 Nec minoribus pœnis IVS CANONICVM voluntariam castrationem coercet, in illo enim Eunuchi à Sacris Ordinibus removentur, vt constat, non modò ex 22. *Apostolorum Canone*, sed etiam *ex cap. Siquis à Medicis, 55. dist. & Can. 1. Niceni Concilij. cap. Maritum. 33. dist. & Can. 18. Concilij Toletani, cap. Qui in aliquo, finali, 51. dist. cap. Siquis abscidit.*

dit. 55. dist. cap. Qui se , cap. Siquis pro ægritudine eadem dist. & ex Summis Pontificibus CLEMENTE III. S. GREGORIO MAGNO, & S. LEONE IX. nec non ex CONSTANTINOPOLITANA SYNODO, quæ dicta est prima, & secunda, & ex CONCILIO ARELATENSI, alijsque plurimis, quorum verba suprà retulimus.

1939 Cum ergo tot, tantisque pœnis interdicta sit castratio, tàm Lege Divina, quàm Cæsarea, & Canonica; hinc rectè colligitur, quàm optimo iure Apostoli hunc 22. Canonem idipsum inhibentem condiderint. Hinc Ecclesia, Supræmique, ac Potentissimi Principes communi Reipublicæ bono, tàm in Sacris, quàm in Politicis convenientissimum duxerunt, prædictam prohibitionem in suo semper vigore persistere.

1940 Quinta iustificationis ratio ex eo desumitur, quod castratio communi Reipublicę, tàm Civilis, quàm Ecclesiasticæ bono, & conservationi sit opposita, ac contraria; ideòque rectissimè asseruit S. CYRILLVS suprà laudatus, Eunuchos esse Reipublicæ perniciem, & destructionem, quia, quantum est ex se, generationem, & multiplicationem humanam impossibilem sua castratione efficiunt. *Isti enim (inquit Sanctus) execrabilem vitam amplexi, & honestę, ac castæ vitæ anteponentes, quantum in ipsis est, Vrbes delent, & seminalem naturæ rationem corrumpentes, & corrupti.* Ideò etiam Romani Eunuchos gravissimo prosequebantur odio, Reipublicæ multiplicationi invigilantes, & proli, sobolique procreandæ maximum semper studium impendentes, quòd non solùm *LL. Iulia, & Papia* introductū est (de quibus ex SVETONIO *in Augusto, cap.* 34. DIONE *lib.* 56. TERTVLLIANO *in Apologet.* & TACITO *lib.* 3. *Annal.* tradunt multa IVSTVS LYPSIVS *lib.* 2. *variar. lect. cap.* 1. *& in Notis ad Tacit. Schol.* 45. vbi etiam DORLEANS, PAMELIVS *in Notis ad Tertul. vbi sup. cap.* 4. *num.* 52. DVARENVS *lib.* 7. *Disput. cap.* 40. EPISCOPVS COVARRVVIAS 8. *Coment. cap.* 1. ROSINVS *lib.* 8. *Antiquit. cap.* 16. BALDVINVS *ad l. Iuliam, & Papiam,* AMESCVA *de Potestate in se ipsum, lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. *& seqq.* quos consultò omittendos censuimus) verum, & ab Alexandro Magno factitatum, refert IVSTINVS *lib.* 12. *Histor.* & à primo Vrbis exordio receptum esse consuetudine.

1941 Ita testatur AVGVSTVS *apud Dionem, lib.* 56. *Hist. in Oratione contra Cælibes, pro Lege Iulia, & Papia ferenda:* * Ita ab initio, cum Romanorum esset perquam exiguus numerus, nuptijs studentes, liberosque procreantes, non virtute modò, sed multitudine hominum omnes mortales superavimus. (Et infrà:) Considerate verò, an non summam iram iure Romulus Author noster conceptutus sit, & qui cum eo fuerunt, si expendant, se alienas virgines rapuisse, se bello prolem quæsisse: enimverò Patres nostri, & bellum contra Sabinos pro nuptijs gesserunt.* Sic etiam Camillus, & Posthumius, qui ad senectutem Cælibes venerant, æra pœnæ nomine in Ærarium deferre iusserūt, quod mariti, & patris nomine vacui vixissent, vt tradit VALERIVS Maximus *lib.* 2. *cap.* 4. *in princip.* vbi rationem reddens, hæc ad rem nostram aptissima, scribit: * Natura vobis quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit; parentesque vos alendo nepotum nutriendorum debito alligaverunt. Ite igitur, & nodosam solvite stipitem, vtilem posteritati numerosę.*

1942 Ex his manifestè deprehenditur, quanto odio Romani Eunuchismum habuerint, eo quod iste generationem impediat, & procreationem, qua pręcipuè innititur publica Reipublicæ salus, & conservatio, *l.* 1. *ff. de solut. Matrim. l. cum ratio. §. si plures, de bon. damn. l. hoc modo* 64. *in fin. ff. de cond. & demonst.* quia cum per castrationem instrumenta generationis sibi auferrent, neque ad Matrimonium apti, neque ad procreationem sufficientes reputabantur, iuxta illud CLAVDIANI *in Eutrop. lib.* 1. *vers.* 50.

* ——————————— Vno sub isto
Eripit officium Patris, nomenque Mariti.*

Vndè steriles dicebantur Eunuchi, MARTIALIS *lib.* 3. *Epigram.* 91. de Cybeles Sacerdotibus agens, qui castrati erant, vt diximus suprà.

* Hos steriles fecere viri.*

Et *lib.* 9. *Epigram.* 9.

* Ne faceret steriles sæva libido viros.*

Et ATYS à Gallis excissus, debilitatem suam his verbis deflet, & conquæritur,

tur, apud *Catullum in Aty*:

* Ego mei pars, ego vir sterilis ero?*

Sed elegantius CLAVDIANVS, *lib.* 1. *de Eutropio*:

* ——— Aut quæ connubia prolem?
Aut frugem laturus ager? Quid fertile terris?
Quid plenum, sterili potuit sub Consule nasci,
Eunuchi si iura dabunt?*

Hinc VARRO *apud Nonium, in l. Mævia*, & verbo *Eunuchare*, non illepidè dixit: * Siquis Patriam maiorem Parentem extinguit, in eo est culpa: hoc facit pro sua parte, qui se eunuchat.* Et COLVMELLA *lib.* 3. *de re rust. cap.* 12. (& ex eo refert ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib.* 1. *Dier. Genial. cap.* 10.) surculos, qui nihil attulerunt fructus, *Spadones* vocat, id est, steriles. Sic etiam S. BASILIVS, vbi suprà, Eunuchos vocat. * Genus cum ipsa generatione ferro damnatum.* Quod elegantèr confirmat Imperator LEO *Novella* 60. *de Pœna castratorum*, his verbis: * Atque à naturæ mutilatione abstineri æquum sit, quamobrem non ita faciant homines, sed tamquam vtilitatem quamdam istiusmodi adversus generandi vim insidias reputantes, membra, quæ homini nascendi causam suppeditant, lancinent, & creaturam aliam, quam qualis Conditoris Sapientiæ placuerit, in Mundum introducere contendant.*

1943 Sexta ratio, quæ prædictum Canonem æquissimè conditum esse ostendit, est, quia Eunuchus, qui sciens, & volens, non quidem ęgritudinis causa, sed omninò spontaneè se castrari permittit, est tamquam sui ipsius inimicus, & homicida censendus; tùm, quia nemo est Dominus membrorum suorum, *l. liber homo, ff. ad l. Aquiliam*, & talis abscisio, occisio partialis est illius membri; & sicut nemini licet se occidere, Iure Divino, & Naturali vetante; ita nec se mutilare: tùm etiam, quia in Lege Gratiæ virilia sibi amputantes, tamquam sui ipsius homicidæ, à Clericatus adeptione repelluntur, vt dicitur *in cap.* 4. 55. *Dist.* * Siquis abscidit semetipsum, id est, siquis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus; quia sui est homicida, & Dei conditionis inimicus. Siquis cum Clericus fuerit, abscinderet semetipsum, omninò damnetur, quia sui est homicida.* Videndum etiam *cap. Siquis pro ægritudine.* 55. *Dist. cap. ex parte* 5. *extra de corp. vitiat.*

1944 Et ratio est, quia quemadmodum homicida ad Sacros Ordines ascendere non valet *cap.* 4. *cum sequent.* 50. *Dist. cap. fin. de Temp. Ordin. cap. sicut dignum*, §. *fin. per tot. extra de homicid. l.* 12. *tit.* 7. *partit.* 1. POENITENTIALE ROMANVM *Tit.* 1. *cap.* 16. RABBANVS *lib.* 1. *Pœnit. cap.* 15. CONCILIVM TVRONENSE I. *cap.* 7. BRACARENSE II. *cap.* 78. & TOLETANVM II. *cap.* 6. Ita & qui membrum abscidit, & mutilavit, *cap. in Archiepiscopatu. de Raptor. Clement. Si furiosus, de homicid.* quia in membri abscisione demitur pars vitæ, vt ait BALDVS *in l. Reos, num.* 4. *C. de accusation.* SOTO *in* 4. *Sent. Dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 3. *conclus.* 4. SVAREZ *Tom.* 5. *Disp.* 44. *Sec.* 2. *num.* 3. & 4.

1945 Hùc prçclarè facit tùm illud D. IOANNIS CHRYSOSTOMI, *Homil.* 63. *in Matthæum.* * Qui se abscindit, quæ homicidarum sunt, præsumit, pręcipuè maius delictum videtur cum se castraverit, quia maiori periculo mortis se obijcit.* Tùm illud IVSTINIANI Imperatoris *Novella* 142. de his, qui Eunuchos faciunt. * Quia nec sic quidem à tam impià actione temperatur, sed in tantam multitudinem ob flagitij genus excurrit, vt sæpenumero à multis vix pauci evadant incolumes: vsque adeò, vt quidam ex ijs, qui servati fuerunt, deposuerint, è nonaginta, ægrè tres servatos esse.* Adijcit & alias rationes BALDVS *in l.* 1. *C. de Eunuchis*, & *in dict. l. Reos*, quas recenset AMESCVA *de Potestate in se ipsum, lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 11. & *seqq.* FARINACIVS *de delictis, Tom.* 4. *quæst.* 128. *num.* 32.

1946 Hinc fit prædictos Eunuchos ita irregularitate innodari, vt nec possint absque dispensatione ad Sacros Ordines promoveri, nec iam promoti in eis ministrare, quia creationis, & naturæ inimici existunt; vt elegantèr expendunt LEO Imperator *Novella* 60. & ABVLENSIS *in Matth. tom.* 5. *cap.* 19. *quæst.* 91. Vndè ex hucusque dictis manifestè apparet, Apostolos iustissima, æquissimaque ratione fuisse permotos ad hunc 22. Canonem stabiliendum, quo Eunuchus à Sacris Ordinibus excluderetur, *quia suus homicida est, hoc est, sui ipsius, & Dei conditionis inimicus.*

1947 Septima ratio prædicti Canonis æquitatem commendans, est, quia Eunuchi

Ffff

nuchi gravem Deo, & naturæ iniuriam, huiusmodi abscisione irrogare cernuntur, vt præclarè testatur S. AMBROSIVS *lib. 5. in Examer. cap. 3. sub finem*, his verbis: * Tollis homini quod natus est, & virum de viro exuis, abscissaque corporis parte, sexum negas; spadonem efficis, vt quod negavit natura in hominibus, impleret audacia.*

1948 Quod elegantèr confirmat expositio DIONYSII EXIGVI, antiquitate, Authoritate, ac eruditione præclari; siquidem ad illa verba 22. Apostolorum Canonis: *Sui homicida, & Dei conditionis inimicus*, iuxta eius, vel GENTIANI HERVETI versionē, sic legitur: *Dei Opificij hostis.* Hùc spectat illud Sancti IOANNIS CHRYSOSTOMI *in cap. 5. Epist. ad Galat.* ibi: * Vbi nūc sunt (inquit) qui se ipsos audent evirare, simul & Apostolicam imprecationem sibi accersentes, & Dei opificium accusantes?*

1949 Insupèr si mulieres faciem fucantes, & depingentes, Deo vim inferre dicuntur, multò magis Dei opificium mutilantes: vt patet ex TERTVLLIANO *de cult. fœmin. cap.* 5. sic eloquente: * Diabolus huiusmodi ingenia nobis consignavit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret: quod nascitur, opus Dei est: ergo quod fingitur, Diaboli negotium est.* Hùc respexisse videtur S. CYPRIANVS, cum inquit: * Fœminæ manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt, nescientes, quia Dei opus est omne, quod nascitur: Diaboli quodcumque mutatur.* Et S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Homil. 4. in Epist. ad Timoth.* * Quid autem consummato à Deo opificio admovere præsumis? Non tibi sufficit Divina formatio? An verò velut excellentior Opifex Divinum opificium corrigere impia moliris audacia?*

1950 Quantam verò iniuriam irrogent Deo, qui se vltrò emasculant, eleganter expendit præclarus ille Scriptor Græcus IOANNES ZONARAS; siquidem *in huius 22. Canonis expositione*: *Dei (inquit) contrariatur Opificio: nam cum Deus ipsos in virorum naturam formarit, in alteram prodigiosam naturam prorsus ab ipsis alienam sese transformant; ita neque viri sunt, neque enim, quæ sunt marium præstare possunt, quoniam procreare non possunt hominem; neque mulieres, non enim habent pariendi naturam.* Hinc rectissimè APVLEIVS *lib. 9. Milesiar. detestationem pro exectione* vsurpavit. Cui suffragatur & PLINIVS, qui *lib. 11. cap. 49.* sine testibus factos detestabiles vocat; & rectè quidem, quid enim detestabilius, quā homines velle perfectissima Dei opera suo Eunuchismo corrigere? Deus enim, vt inquit SACER TEXTVS in Protoparentum creatione, *Gen. 1. Masculum, & fœminam creavit eos*; non quod primi parentes Hermaphroditi fuerint, vt PLATO *in Sympos.* somniavit, & insanè de Adamo dixit Gallus Novator, sed quod Deus vtrumque sexum produxerit, in Adamo, masculinum; in Eva, fœmineum, prout ad naturalem, & congruam humani generis propagationem, & multiplicationem necessariò desiderabatur: at velle Divinæ huic dispositioni tertium quoddam genus superaddere, quod nec sit vir, nec mulier, est Divinam Creationem offendere, & humanam naturam fœdare, ac monstruosam efficere, vt rectissimè annotavit LACTANTIVS vbi *lib. 1. cap. 21.* de Eunucho loquens, hæc habet: *Nec vir, nec mulier est.* Cui consonat S. EPIPHANIVS *in Hæresi Vallesiar.* S. GREGORIVS NAZIANZENVS *in Sancti Athanasij laudatione*, & PRVDENTIVS *in Romano.* At MENANDER graphicè, ac concinnè fœdam Eunuchi monstruositatem hisce verbis descripsit: * Eunuchus alia fera invita. Quia nec mas, nec fœmina.* Idem tradunt ARTHEMIDORVS *lib. 2. cap.* 14. Et VALERIVS MAXIMVS *lib. 6. cap. 7.* & ALEXANDER SEVERVS, qui *apud Lampridium*, Eunuchos *tertium hominum genus appellat.* Quibus adstipulatur MAMERTINVS *in Paneg. Iulian.* sic de Spadonibus loquens: *Quos, quasi à consortio humani generis extorres, ab vtroque sexu, aut naturæ origo, aut clades corporis separavit.*

1951 Octava ratio, cui innixi fuerunt Apostoli ad Sacrorum Ministrorum castrationem prædicto Canone inhibendam, fundatur in iniuria, quam castratio irrogat altissimæ Providentię, qua Deus vt Author naturæ, humani generis conservationi consuluit, Matrimonium ad illius multiplicationem instituens; cui quidem dispositioni directè opponitur Eunuchismus.

1952 Pro clariori tamen huius rationis

his elucidatione prænotandum est, varios fuisse Hæreticorum errores circa Matrimonij Institutionem. Illud enim à Deo institutum denegantes, in errorum barathrum inciderunt. Simonis Magi Sectatores arbitrantes Nuptias non esse Dei opus, illas penitùs reijciunt, vt testatur S. CLEMENS Romanus *lib.6.Constit. Apostolic. cap.8.*

1953 Saturninus, Hæreticus, nubere, & generare à Satana esse asseverat, vt refert S. IRENÆVS *lib.1.cap.12.*

1954 Gnostici, à Carpocrate orti, vxores communes habent, & liberorum generationi adversantur; vt tradunt CLEMENS Alexandrinus *lib. 3. Stromat.* S. EPIPHANIVS, & THEODORETVS *de illorum Hæresi.* Severus, Hæretica labe infectus, fœminam à Satana factam, eosque, qui cum fœmina concuberent, Satanæ opus adimplere fabulatur; atque ea de causa Nuptias dissuadebat, apud NICETAM *lib.4.Orthod.Fid. Hæres.17.*

1955 Hydroparastatæ Hæretici, Matrimonium *Scortationem* appellant, & legitimam maris, & fœminæ coniunctionem, *diabolicam* nominant, vt narrat THEODORETVS *lib.1.Hæreticar. Fabular.*

1956 Tatianus, à quo Encratitæ Hæretici nuncupantur, Nuptias, tamquam à Satana inventas reijcit, vt docent S. IRENÆVS, S. EPIPHANIVS, & THEODORETVS *de Tatiano.*

1957 Adamiani, Adami nuditatem, quæ fuit ante peccatum, imitantes, Nuptijs adversantur, quia Adam nec prius quam peccasset, nec prius quam esset de Paradiso dimissus, vxorem cognovit. Vnde credunt Nuptias futuras non fuisse, si nemo peccasset, vt refert D. AVGVSTINVS *ad Quodvultdeum, Hær.31.*

1958 Marcion, Matrimonium, vt malum, & impudicitiæ negotium reprobat, vt tradunt TERTVLLIANVS *lib.1.contra Marcion.* CLEMENS Alexandrinus *lib.3.Strom.* & S. HIERONYMVS *contra Iovinian.*

1959 Origeniani, vt scribit S. EPIPHANIVS *Hæres.63.* Nuptias condemnant, nec cessat apud eos libido.

1960 Manichæi, vt docent idem S. EPIPHANIVS, S. AVGVSTINVS, & THEODORETVS *de illorum Hæres.* Nuptijs adversantur.

1961 Eustachius ita Nuptias reprobavit, vt diceret, nullum eorum, qui Matrimonio copulantur, in Deo sperare; vt videre est apud CONCILIVM GANGRENSE, & SOCRATEM *lib.2.cap.33.*

1962 Tandem Priscillianistæ, referente S. LEONE *Epist.17.cap.7.* Nuptias, atque nascentium procreationem perhorrescunt.

1963 Horum Hæreticorum errores amplectuntur alij, tàm antiqui, quàm moderni, vt Durandus de Valachia *apud Nicolaum Eymericum, part. 2. quæst. 11.* & Hæretici, Apostolici nuncupati, vt refert SANCTVS BERNARDVS *Serm. 66. in Cant.* Illos etiam sequuntur novi Manichæi apud EYMERICVM *part. 2. quæst. 13.* & Albigenses, qui eo tenentur errore, vt Matrimonium malum esse asseverent; vt refert S. ANTONINVS *part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.* Nec ab istis discedunt Erasmus Roterodamus *ad cap.7.1. ad Corinth.* Lutherus *de Captivit. Babylon. cap. de Matrim.* Thomas Muncerus apud BVLINGERVM *lib. 1. de Anabatistis.* Ioannes Calvinus *lib.4. Instit.cap.19. §.24.* cæterique eorum sequaces, quorum alij Matrimonium malum esse affirmant; alij vero diabolicam inventionem appellant; sicque illud nec licitum, nec Sacramentum, nec à Deo institutum admittunt.

§. III.

MATRIMONIVM ESSE à Deo institutum, ex Patrum Sententia probatur.

1964 PRædictis Hæreticorum deliramentis, execrabilibus sanè, ac nefandis, Sancti Patres, celebrioresque Ecclesiæ Doctores sese omni tempore opposuerunt, duo vt certissima, nullique obnoxia dubitationi, viriliter propugnantes. Primò, Matrimonium fuisse ab ipso supremo rerum omnium Conditore institutum. Secũdò, illud fuisse ad licitam humani generis multiplicationẽ inductum. Quoad primum asserimus: MATRIMONIVM ANTE ADAMI LAPSVM FVISSE IN PARADISO A DEO, VT AVTHORE NATVRÆ INSTITVTVM. Constat hæc Assertio *ex cap. Vnic. de Voto. in 6.* eamque communiter tradunt Sancti Patres, Sacrarumque litterarum Expositores, tàm Græci, quàm Latini *ad cap.*

2. *Genes.* Matrimonium ex Divina Institutione provenire vnanimi consensu tuentes. Quod vt clariùs innotescat, illorum verba, nostræ suffragantia Conclusioni, audiamus.

1965 S. IRENÆVS *lib.1. cap.30.* contra Saturninum, & Marcionem Hæreticos, hæc scribit: * Vt exempli gratia dicamur à Saturnino, & Marcione, qui vocantur continentes, abstinentiam à nuptijs annuntiari, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & obliquè accusantes eum, &c.*

1966 CLEMENS ALEXANDRINVS *lib.3. Strom.* in Hæreticos, Matrimonio detrahentes, sic invehitur: * Si peccatum est Matrimonium, quod ex Lege est, nescio quomodo quis dicet, se Deum nosse, dicens Dei iussum esse peccatum. Quod si Lex Sancta est, sanctum est Matrimonium: Sacramentum ergo hoc ad Christum, & Ecclesiam docuit Apostolus.*

1967 S. ATHANASIVS *Serm. contra omnes Hæreticos*, rectè probat, Matrimonium esse ab ipso Deo institutum; in hæreticum siquidem, qui oppositum sentiens, Virginitatem miris encomijs efferebat, Matrimonium verò iniuriosis, ac contumeliosis verbis deprimebat, sic insurgit: * Verba faciamus ad infelicem Milvium arbitrantem, se extollere Virginitatem, & Coniugium infamare posse; cum Deus in Paradisum Evam ad Adam deducat, ibique loquatur Adam: *Ea de causa relinquet homo patrem, & matrem, & conglutinabitur ei, & erunt in carne vna.* Cæterum iste, vetus Testamentum non recipit. Quid ergo? Numquid auscultas, in Evangelio Dominum in Canà ad nuptias vocatum, easque benedixisse, & ex aqua vinum fecisse? Et rursus alibi Iudæis dicentibus, sibi Moysem concessisse libellum repudij, Christum respondere: *Quod Deus coniunxit, homo non separet?* Quomodo potest ramus consistere, si non subsistit radix? Quomodo virgo esse potuerit, si non habeat patrem, & matrem?*

1968 Et *in Epist. ad Annum Monachum*, hæc habet: * Qualem ergo vsum, precor, nominas legitimum? ne illum, quem permisit Deus, cum crescere, & multiplicari, & terram replere iussit? quem & ipse Apostolus probavit, cum honorabiles Nuptias, lectumque impollutum appellavit? An vagum illum, & effusum, furtim, & libidinosè perceptum?*

1969 S. GREGORIVS NYSSENVS *lib. de Virginit. cap.8.* estò Virginitatem magnopere depredicet, non ideò Matrimonium contemnit, quod Dei Approbationem, Benedictionemque promeruit: * Nemo ex his, quæ diximus (inquit) in opinionem veniat, nos Matrimonij improbare Institutionem: non enim ignari sumus, neque illud à Benedictione Dei fuisse alienum. (Et infrà:) Nos verò de Matrimonio ita sentimus, oportere nos rerum Divinarum studium, curamque, huic Matrimonij officio anteferre, neque tamen eum despicere, qui temperatè illo, ac moderatè vti potest, qualis Patriarcha Isaac fuit, qui non florescente ætate, vt affectioni coniugium serviret, sed exhausta iam adolescentia, ob Dei in semine Benedictionem, Rebeccam in Matrimonium duxit.*

1970 S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *in Psalm. 43.* Deum Authorem Matrimonij, his asserit verbis: * Qui Dei opus tanta effecit ignominia, quid tandem patietur? & maximè quando hæc facit, qui habet vxorem. Ne mihi dixeris naturæ cupiditatē: propterea enim permissum fuit Matrimonium, ne vltra proprios terminos progredereris. Vide enim quanto dignus eris supplicio: nam Deus tuæ quieti, & honori prospexit, vt & naturæ rabiem per vxorem compesceres, & hæc absque vllo periculo faceres, & ab omni turpidine, & dedecore libereris.*

1971 Nec minori suffragio nostrum corroborat Assertum THEODORETVS *in Epitome Divin. Decret.* * Sufficiat (inquit) vel sexus differentia ad ostendendum causam opificij: eius enim gratia (scilicet Matrimonij) formavit mulierem vniversorum effector. Quamobrem eam etiam adiutricem vocavit. *Faciamus* enim (inquit) *Adæ adiutorium secundum ipsum. Genes.* 2. Non solùm autem formavit, sed etiam viro coniunxit, vt vult Lex, quę nunc in vsu civili versatur, & ad virum deduxit, & ipse fuit & Paranymphus, & Pronubus: ipse veluti quoddam donum Matrimonio hanc Benedictionē obtulit, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini ipsi, &c.* Si autem malum esset Matrimonium (vt dicunt Hæretici) non id Dominus Deus à principio constituisset. (Et paulò infrà:) Ipse autem Dominus non solùm non prohibuit Matrimonium, sed etiam in Nuptijs con-

convivatus est & vinum absque vlla Agricultura productum, donū Nuptijs obtulit. Adeò autem Legem Matrimonij confirmavit, vt etiam eum, qui vellet solvere Matrimonium, præterquam propter fornicationem, alia Lege vetuerit, &c.*

1972 S. IOANNES DAMASCENVS *lib.4.Fid.Orthod. cap. 25.* Matrimonium à Deo Benedictionem obtinuisse docet, his verbis: * Nec verò hæc nobis eò dicuntur, vt Matrimonium sugillemus, absit. Nec enim nos fugit Dominum præsentia sua Nuptias benedixisse, atque alium quemdam his verbis vsum: *Honorabile enim connubium, & torus immaculatus.**

1973 Nec minùs nostræ, de Divina Matrimonij Institutione, Assertioni suffragatur LEO Imperator *Constit. 26.* ibi: * Magnum sanè, excellensque donum à Deo Creatore ad mortales promanavit Matrimonium, &c.*

1974 Nec omittendus in huius confirmationem THEOPHILACTVS, qui *ad cap.5. Epist. ad Ephes.* ita scribit: * Non simpliciter, ac temerè multum, sedulòque laborat Paulus pro Coniugij firmitate; sed quia Deus etiam à principio huius eximiam curam gessit: Adamo enim sororem suam, immò potius filiam, & quid dico? carnem ipsius copulavit. Deindè multiplicato genere, latiùs Matrimonium extendit, vt nè dilectionem ad solos cognatos contraheret.*

1975 In eamdem subscribit Sententiam EVTHYMIVS *in Panoplia. Part. 2. Tit.22.* * Messaliani (inquiens) Nuptias dissolvunt, quamvis Dominus dicat: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et in Canà Galileæ præsentia sua Nuptias honoravit, & B. Apostolus dicat: *Venerabiles nuptiæ, & torus immaculatus.* Et hi apertè tum Christo, tum Apostolis adversantur, qui Nuptias maledictis afficiunt, & detestantur.*

1976 Nobis etiam haud leviter suffragatur NICETAS CHONIATES *lib. 4. Hæres. 17.* sic scribens: * Severianus, quia vinum, & Nuptias execratur, indignum se prodit, qui vmquam in lucem productus sit, & qui Calicem Domini sumat: vtraque enim Christus benedixit, Nuptias quidem in præsentia, vinum autem ex aqua novo, & inaudito miraculo factum.*

1977 Nec omitti potest inter Grecos Patres IEREMIAS, Constantinopolitanus *in Respons. 1. cap. 7.* vbi Matrimonium inter septem Sacramenta, quæ à Christo Domino instituta veneratur Ecclesia, enumerat, illud ab vniversi Opifice Deo, in ipso Mundi exordio, sancitum fuisse, hisce verbis affirmans: * Idcòque Coniugio benedicit ipse (scilicet Deus) ne benedictionis expers sit principium, velut primitiæ vitæ nostræ. (Et infrà:) Coniugium initio ab vniversitatis Opifice Deo sancitum est: qui Evæ copulavit Adamum. Sed & Dominus in Evangelijs partim illud miraculo honorat, partim Mosaycam Legem in specie reprehendit, quæ, libello repudij dato, divortium concedebat. Ait non sic ab initio fuisse, sed propter duritiam cordis accipientium Legem, hoc permissum fuisse. Addit: *Quos Deus iunxit, homo nè separet.* Sed & Apostolus: *Honorabile coniugium, & cubile immaculatum* pronunciat; id que Mysterium vocat, his verbis: *Mysterium hoc magnum est*, nempe ad Christum & Ecclesiam. Sic ergo Mysterium hoc, tùm ab antiquo institutum est, tùm in Novo Testamento confirmatum est, vt diximus.* Hucusque Græci Patres.

1978 Sed non minori expressione pro Divina Matrimonij Institutione Patres Latini stetere. Quos inter S.MARTIALIS, Lemovicensis Antistes *in Epist. ad Tholosan. cap. 9.* sic nostrum Assertum corroborat: *Nec ideo tamen prohibemus nubere legitimo connubio, cum & hoc Coniugium honestum sit, & constitutum à Deo, ab initio Mundi.* Quid clariùs? Et infrà: *In tantum enim Dominus, & Magister meus IESVS CHRISTVS legitimum, & immaculatum torum connubij aprobavit, eis, qui ex sanctificatione & honore Castitatis nubere volunt, vt ad quasdam Nuptias invitatus (*Ioan.2.*) eas præsentia suæ Maiestatis sanctificaverit, & miraculo magnificè stupendo lætificaverit.*

1979 TERTVLLIANVS *lib. 2. ad Vxor. cap. 9.* * Vndè (inquit) sufficiam ad enarrandam felicitatem eius Matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater ratò habet? (Et infrà) pro laude Matrimonij (sic prosequitur:) Quale iugum Fidelium duorum vnius spei, vnius voti, vnius disciplinæ, eiusdem servitutis? His Deus pacem suam mittit.

Vbi

Vbi duo, ibi & ipse; vbi & ipse, ibi malum non est.*

1980 De Matrimonij verò Sacramento sic discurrit *De Monogam. cap. 5.* * Christus vnam habens Ecclesiam Sponsam, secundum Adæ, & Evæ figuram, quam Apostolus in illud magnum Sacramentum interpretatur in Christum, & Ecclesiam competisse. (Et *cap. 11.*) Vt igitur in Domino nubas, secundum Legem, & Apostolum, qualis es id Matrimonium postulans, quod eis, à quibus postulas, non licet habere, ab Episcopo Monogamo, à Presbyteris, & Diaconis eiusdem Sacramenti.*

1981 Et *lib. de Anima, cap. 21.* * Si quia prophetavit magnum illud Sacramentum in Christum, & Ecclesiam: *Hoc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea*: vocabitur mulier. *Propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* (Et *cap. 27.*) Concubitum libido, non conditio fœdavit: excessus, non status est impudicus. Siquidem benedictus status apud Deum: *Crescite, & multiplicamini.* Excessus verò maledictus, adulteria, & stupra, & lupanaria.*

1982 S. CYPRIANVS *serm. de Nativit. Christ.* * Etsi bona sunt (inquit) & à Deo instituta Coniugia, melior est tamen Continentia, & Virginitas excellentior, quam non cogit necessitas, aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium.*

1983 LACTANTIVS FIRMIANVS *in Epitome Divinar. Institut. cap. 8.* * Sed sicut fœmina castitatis vinculis obligata est, ne aliud concupiscat, ita vir eadem lege teneatur: quia Deus, & viro vxorem vnius corporis compage solidavit; ideo præcepit non dimitti vxorem, nisi crimine adulterij devictam, & numquam coniugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resolvatur.*

1984 Huc optimè facit S. AMBROSIVS *de Abraham Patriar. lib. 1. cap. 7.* sic scribens: * Nulli liceat scire mulierem præter vxorem, ideoque Coniugij tibi datum est ius, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas. Vinctus es vxori? noli quærere solutionem: quia non licet tibi vxore vivente vxorem ducere: nam & aliam quærere cum habeas tuam, crimen est adulterij. (Et infra:) Ideòque cum prætenderet Abimelech, quod vxorem alienam esse ignoraverit, quam sororem esse vir ipse suam dixerat, respondit ei Dominus: *Et ego cognovi, quoniam purò corde fecisti hoc, & peperci tibi, vt non peccares in me. Propter hoc non sum passus te tangere illam.* Cognoscimus velut præsulem, custodemque Coniugij esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui. Et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius Legẽ violet, Gratiam solvat; & quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.*

1985 Id etiam ipsum, Matrimoniumque Sacramentum esse à Deo institutum docet idem Sanctus *lib. 6. in Lucam, cap. 8.* sic scribens: * Nec putet aliquis offendiculum esse pietatis, vbi mandatum legis impletur. Si enim *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, rectè Sacramẽtum hoc in Christo servatur, & in Ecclesia.*

1986 Et *in cap. 5. Epist. ad Ephes.* * Mysteriũ hoc magnũ est, Mysterij Sacramentum grande, in vnitate viri, & fœminæ esse significat. Nec hoc prodit, sed aliam causam, quę non discordet à memorato Mysterio, flagitat, quam scit ad profectum humani generis pertinere, hoc est Ecclesiæ, & Salvatoris; vt sicut relictis parentibus homo vxori suę adhæret; ita & relicto omni errore, Ecclesiæ adhęreat, & subijciatur capiti suo, quod est Christus.*

1987 Ex dictis manifestè apparet, quantum à Catholicæ veritatis tramite devient hæretici, qui censent Matrimonium, nec esse ex Divina Institutione, nec Divinum Sacramentum, sed peccatum, & malum: nihil enim malum est, nisi contra Legem sit; id vero quod Divinę Legi consonum est, & conforme, malum esse nequit; ideoque nec tale potest esse Connubium, cum Legi, Divinęq; Institutioni cõsentaneũ esse asserant, cum supradictis Patribus, etiam subsequentes.

1988 S. PHILASTRIVS *lib. de Hæresib. cap. de Nuptiar. legitim. contemptorib.* * Quidam (inquit) sunt Hæretici, qui cum audiunt dixisse David: *In iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea*; æstimant, ita dixisse Prophetam, quod ius Nuptiarum legitimum, iniquitatem esse dixerit, atque peccatum, cum ante dicatur in Genesis libro: *Nascimini, & multiplicamini & replete terram.* Et: *Honorandæ nuptiæ, &c.**

1989 S. HIERONYMVS *in cap. 19. Matth.*

Matth. ad illa verba: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: * Deus (inquit) coniunxit vnam faciendo carnem viri, & fœminæ: hanc homo non potest separare, nisi forsitàn solus Deus. Homo separat, quandò propter desiderium secundæ vxoris primam dimittit: Deus separat, qui & coniunxerat, quandò ex consensu propter servitutem Dei (eò quod tempus in arcto sit) sic habemus vxores, quasi non habentes.*

1990 Et *contra Iovinian.* non modò nostram Assertionem perquisam eruditè confirmat, sed etiam elegantèr refutat aliquos errores, cęcutientium in hac Matrimonij materia, Marcionistarum, Manichæorum, Tatianorum, aliorumque hęreticorum, quos suprà retulimus; quorum aliqui Virginitatem taliter evehere voluerunt, vt Matrimonium tamquam malum vituperarent: alij vero è contra ita Matrimonium extollere contendebant, vt Virginitati detrahere non erubescerent: *Quę res (inquit Hieronymus) mihi aliquam suspicionem intelligentiæ dedit, velle eum ita Nuptias prædicare, vt Virginitati detrahat. Quando enim minora maioribus coæquantur, inferioris comparatio, superioris iniuriā est. Neque verò nos Marcionis, & Manichęi Dogma sectantes, Nuptijs detrahimus, nec Tatiani Principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum sputcum putamus: qui non solum Nuptias, sed cibos quoque, quos Deus creavit ad vtendum, damnat, & reprobat. Scimus in domo magna non solum vasa esse aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & super fundamentum Christi, quod Paulus Architectus posuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos; alios è contra fęnum, ligna, stipulam. Non ignoramus *honorabiles Nuptias, & torum immaculatū*. Legimus primam Dei Sententiam: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Sed ita, Nuptias recipimus, vt Virginitatem, quę de Nuptijs nascitur, præferamus.*

1991 S. CHROMATIVS, Aquileiensis Antistes, *ad cap. 5. Matth.* nostrum Assertum hisce confirmat verbis: * Christus iubet Matrimonij castum Coniugium indissolubili lege servari, ostendens Coniugij legem à se penitùs institutam. Ipse enim ait: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; quo dicto, & pravam Iudæorum licentiam, & stultam, ac miserabilem Manichæorum præsumptionem, qui negant à Deo esse Coniugia, huius Sententiæ pronunciatione damnavit, dicens: *excepta causa fornicationis* vxorem non licere dimitti: apertè demonstrans, eum contra Dei agere voluntatem, qui Matrimonium à Deo iunctum illicita divortij separatione temerare præsumpserit.*

1992 S. GAVDENTIVS, Brixiensis Episcopus, *Tract. 1. de Lect. Evangel.* qui est *ordine* 8. Matrimonium à Deo esse institutum, ita contra Manichæos evincit: * Ideò Nuptiarum celebritatem non aspernatur Christus, vt eumdem se esse testetur Deum, qui de limo terræ figuraverit ab initio virum, & fœminam, ijsdemque licentiam tribuerit coniugalem, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & implete terram.* Quod Manichæis perditis adeò displicet Constitutum: quibus ego ob immunditiam suam puto non vtique rem nuptialem displicere, sed Legem, quæ non multas fœminas vni viro, nec vnam fœminam multis viris; sed etiam vnam fœminam vni viro coniungit. Nolunt enim vivere ipsi execrabiles Manichæi iuxta Apostoli Pauli Doctrinam: *Vt vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum maritum.* (1. *ad Corinth.* 7.) Benedixit ergo, quod constituerat à primordio, legitimum Christus Coniugium, dum pergere ad Nuptias non renuit invitatus.*

1993 Haud levitèr nobis suffragatur D. AVGVSTINVS, Hæreticos Matrimonium impugnantes, ac despicientes, non semel refellens, præcipuè *lib. 1. de Nupt. & concupisc. cap.* 10. hæc, inter alia, scribens: * Quoddam Sacramentum Nuptiarum commendatur Fidelibus coniugatis: vndè dicit Apostolus (*ad Colossen.* 3.) *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Huius proculdubiò Sacramenti res est, vt mas & fęmina connubio copulati, quamdiù vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, vt vivens cum vivente in æternū nullo divortio separetur. Cuius Sacramenti tanta observatio est in Civitate Dei nostri, in Monte Sancto eius, hoc est in Ecclesia Christi, &c.*

1994 Et *cap.* 21. *Respondebit (inquit) Connubij Sacramentum: De me ante peccatum dictum est in Paradiso: *Re-*

lin-

linquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. (*Genes.* 2.) Quod magnum Sacramentum dicit Apostolus: *In Christo, & in Ecclesia* (1. *ad Corinth.* 7.) Quod ergo est in Christo, & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris, atque vxoribus minimum; sed tamen Coniunctionis inseparabilis Sacramentum.*

1995 Et *lib.* 1. *de Fide, & Oper. cap.* 7. ita in eumdem scopum collimat: *In Ecclesia, Nuptiarum non modò vinculum, verumetiam Sacramentum ita commendatur, vt non liceat viro vxorem alteri tradere: quod in Republica tunc Romana non solum minimè culpabiliter, verumetiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur.*

1996 Nec licet hic Sancti Pontificis INNOCENTII I. verba præterire, qui *Epist.* 9. ita Sententiam nostram illustrat: * Benè constituto Matrimonio inter Fortunium, & Vrsam, captivitatis incursus fecerat nævum, nisi Sancta Religionis Statuta providerent. Cum enim in captivitate prædicta Vrsa mulier teneretur, aliud Cõiugium cum Restituta Fortunius memoratus inijsse cognoscitur. Sed favore Domini Vrsa reversa nos adijt, & nullo diffitente vxorem se memorati esse perdocuit. Qua de re, Domine fili, meritò illustris, statuimus, Fide Catholica suffragante, illud esse Coniugium, quod primitus erat gratia Divina fundatum: Conventumque secundę mulieris, priore superstite, nec divortio eiecta, nullo pacto esse legitimum.*

1997 Sed aptiùs ad rem nostram *Epist.* 22. vbi contra Hæreticos Matrimonio detrahentes, illud ex Divina Institutione promanasse, ac perconsequens malum non esse, docet his verbis: * Vxorem ducere, crimen est, an non crimen? Si crimen est: ergo (præfata venia dixerim) erit Author in culpa, qui vt crimina committerent in Paradiso, cum ipse eos iungeret, benedixit. Si verò non est crimen, quia quod Deus iunxit, nefas est crimen appellare; & Salomon addidit: *Etenim à Deo præparatur vir, & vxor* (*Proverb.* 19.) Quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod Authore Deo legitur consummatum? Nuptiarum ergo copula, quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum.*

1998 Haúd leviter nobis suffragatur S. MAXIMVS TAVRINENSIS *Homil.* 1. *de Epiphan. Dom.* * Vadit ad Nuptias (inquit) Dei Filius, vt quas dudum Potestate constituit, nunc præsentia suæ Benedictionis sanctificet.*

1999 S. Pontifex LEO I. *Epist.* 92. *ad Inquisition. Rustici, cap.* 4. * Non omnis mulier (inquit) iuncta viro vxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuas sunt legitima, & inter æquales, multò priùs hoc ipsum Domino constituente, quàm initium Romani Iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud est concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propterquod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit *ex Genesi*, vbi dicitur Abrahę: *Eijce ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Genes.* 22. & *ad Galat.* 4.) Vndè cum societas Nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt pręter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur Nuptiale non fuisse Ministerium.*

2000 S. EVCHERIVS, Lugdunensis Episcopus, *Dom.* 2. *post Epiphan. Dom.* in Hæreticorum contra Nuptias errorem, sic invehitur: * Hoc tertio die Dominus ad Nuptias venire dignatus est, vt errores eorum destrueret, qui Nuptijs contradicunt. Non enim abijcit Deus coniugatos, & si Virgines, & continentes mulieres sint. Bonæ Nuptiæ, quibus Mater IESV interesse dignatur: Bonæ Nuptiæ, ad quas IESVS invitatur, & Discipuli eius.*

2001 Eamdem Divinam Matrimonij Institutionem mirificè probat FAVSTVS, Regiensis Episcopus, *lib.* 1. *de liber. Arbit.* vbi hæc scribit * Non damno Nuptias: Ordinatio Nuptialis ex Benedictione cœpit. Interim Nuptiarum munus adhuc in Paradiso à Creatore concessum, & earum vsus extra Paradisum sumpsit exordium.*

2002 S. FVLGENTIVS *lib. de Fide ad Petrum, cap.* 3. expressè nobis suffragatur: * Coniugium quoque (inquit) in primis hominibus Deus instituit, & benedixit. Propterquod Apostolus ait: *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.**

Nec

2003 Nec minus apertè, Divinam Matrimonij Institutionem ostendit *Epist. 2. ad Galam. cap. 5.* hæc scribens: * Sancta quidem sunt Christianorum Cõiugia, quia & coniugalis ibi castitas custoditur in corpore, & puritas Fidei servatur in corde. Nam & Apostolica dicit Authoritas: *Honorabile connubium in omnibus, &c.* Non est ergo Connubium ex colluvione peccati, sed ex Institutione Dei, & in eo, quod sibi coniuges invicem carnis debitum reddunt, in quantũ id modestè faciunt, Christi pręcepta custodiũt: quia nulatenùs à coniugali Charitate, & Castitate discedunt.*

2004 Quod & confirmat *Epist. ad Probam. cap. 9.* * Scimus ergo (inquit) Nuptias non esse peccatum, sed Dei opus, & Dei donum: quas ipse Dominus connexuit Fidei vinculo. (Et infrà:) Fatemur ergo à Deo esse Nuptiarum Fidem, Coniugum Charitatem, naturę fœcunditatem.*

2005 Nostræ Sententiæ sua Regia Authoritate THEODORICVS Rex *Epist. 11.* hiscè clarissimis verbis patrocinatur: * Inter cætera (inquit) humani generis pondera, coniugalis affectus curam sibi præcipuam vendicavit: non immeritò, quia in honore esse meretur, vnde reparatio posteritatis acquiritur. Ideò Iura, vel Divina, vel Publica, nexum Coniugij tanta cautela præcipiunt custodiri.* Et *apud Cassiodorum lib. 2. Epist. 10.* *Non dissimulari potest, salva communione, qua vivitur, vt sollicitatores publicos habeat genialis loci reverenda societas, & illud humani generis procreabile Sacramentum scelerata temeritate profanetur.*

2006 Contra Hæreticos, qui Matrimonium malum esse censent, & Dæmonis opus existimant, elegantèr scripsit IVNILIVS, Africanus Antistes, *in Genesim*: ibi enim, hæc habet: * Porrò de homine facto, hoc necessario iterare curavit, dicens: *Benedixitque illi Deus*; & ait: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*: si quis honorabili Coniugio peccatum inesse, torumque fœditati, & fornicationi putaret esse comparandum, &c. Si Benedictione Dei crescit, & multiplicatur genus humanum; quanta sunt maledictione digni, qui prohibent nubere, & dispositionem Cęlestis Decreti, quasi à Diabolo compertam, damnant! Non ergo damnandæ sunt Nuptiæ, quæ ad propagationem generis humani, terramque replendam, supernæ gratia Benedictionis instituit.*

2007 S. GREGORIVS Magnus *in Psal. 4. Pœnitent.* expendens illa verba: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, probat, Matrimonium malum non esse, cum à Deo institutum sit: * Non ideò homines (ait) in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit coniugibus commisceri. Hoc enim opus castum non habet culpam in coniuge; quia nuptiale fœdus non exorbitat à Fide; Deus enim copulam maritalem instituit, quando masculum, & fœminam in principio creavit. *Gen. 1.* *

2008 S. ISIDORVS, Hispalensis, *de Ecclesiast. Offic. lib. 2. cap. 19.* ostendit Matrimonium esse Sacramentum à Deo institutum, hæc, inter alia, scribens: * Sacramentum autem ideò inter coniugatos dictum est; quia vt non potest Ecclesia dividi à Christo, ita nec vxor à viro. Quod ergo *in Christo, & in Ecclesia*, hoc in singulis quibusque viris, & vxoribus coniunctionis inseparabile Sacramentum est. Vnde & Apostolus: *Præcipio* (inquit) *non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. 1. ad Corinth. 7.* *

2009 Matrimonium autem à Deo approbari rectè suadet CONCILIVM TOLETANVM XII. *cap.* 8. vbi Sanctissimi illi Patres sic loquuntur: * Præceptum Domini est, vt *excepta causa fornicationis*, vxor à viro dimitti non debeat: & ideò quicumque, citra culpam criminis supradicti, vxorem suam quacumque occasione dimiserit, tamdiù ab Ecclesiastica Communione privatus, & à cœtu omnium Christianorum maneat alienus, quamdiù societatem relictæ coniugis sinceritèr amplectatur, & foveat.*

2010 Imperator CAROLVS Magnus *lib. 6. Legum, cap. 299.* * Notum sit omnibus (inquit) quod Coniugium à Deo sit constitutũ; & non appetendum causa luxuriæ, sed procreationis filiorũ; & quod bonorũ cõiugatorum vita per Iob sit designata.*

2011 HAYMO, Halberstadensis Episcopus, *ad Evang. Dom. 3. post Pentecost.* eamdem Sententiam amplectitur, dicens: * Coniugium est res licita, quia à Domino concessum est; sicut scriptum est: *Erunt duo in carne vna.* Et Apost. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* *

2012 S. PETRVS DAMIANI, S.R.E. Cardinal. *Sermon. 1. de Dedicat.* agens de Nuptiarum Sacramento, hæc habet: * *Hoc magnum est*: (ait Apostolus) & Dominus in Evangelio: *Propter hoc relin-*

linquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quid enim magis vnum, quam illi quibus est vna caro, vna mensa, vnus torus, hæreditas vna? *Honorabile coniugium* (dicit Vas electionis) *torus immaculatus.* Hoc destruuntur incęstuosa Coniugia, & legitimorum hæredum digna progenies propagatur.*

2013 RODVLPHVS ARDENS, antiquitate conspicuus, *Domin.2.post Epiphan.* impugnans Hæreticos, qui Matrimonium malum esse arbitrantur, rectè probat, Matrimonium Divina Institutione inductum; sic enim ait: * Non damnabiles sunt Nuptiæ, vt quidam hæretici prædicaverunt, vt ait Apostolus: *Honorabile coniugium in omnibus, & torus immaculatus.* Quantæ enim honestatis sit Cōiugium ostendit eius Institutor, tempus, locus definitio, & bona eius, meritum personarum, & ipsius Domini præsentia. Quis enim constituit Coniugium? Dominus Deus, qui nihil nisi bonum instituit. Et quando? Ante peccatum. Bonum igitur est, & fuit, quod ante peccatum fuit. Vbi? In Paradiso, vbi Dominus de latere viri dormientis sumptam costam operatus est in mulierem, quam viro coniunxit. Quid est Coniugium? Legitima coniunctio maris, & fœminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens. Si igitur Coniugium legitimum est, vtique bonum est. Quæ sunt bona Coniugij? Tria, scilicet, Fides, Sacramentum, & Proles. (Et infrà:) Sacramentum est, quoniam est Sacræ rei signum. Sicut enim mulier de latere viri est formata, & ei coniuncta: ita Christus per Sanguinem, & aquam de latere suo fluentem, formatam Ecclesiam sibi Sponsam coniunxit, quæ sibi filios spirituales per Baptismum gignit. (Et infrà:) Pręsentia etiam Christi Nuptias commendat, qui, vt præsens Evangelium testatur, sua præsentia Nuptias honoravit, & miraculo decoravit.*

2014 Pręclarus ille Carnotensis Episcopus IVO, Divinam Matrimonij Institutionem eruditè ostendit, *Epist.*180. hæc scribens: * Ex his, & similibus intelligi, & probari potest, quia si alligatus non esses vxori, posses deliberare: sed postquam ex pari consensu alligatus es vxori, non debes quærere solutionem. Ita enim ab ipsa Mundi creatione naturale, & inviolabile manet Coniugij Sacramentum: vt nec pręvaricatio originalis illud abstulerit, nec Diluvij Sententia crimina diluens immutaverit. Quod ergo Divina Sententia sanxit, & immutabile fieri voluit, non debet humano interdicto disiungi. (Et infrà:) Sicut Sacramentum Ordinationis, quamvis ab Ordinatoribus Ordinationem illicitè vsurpantibus, semel acceptum manet in Ordinatis: sic Sacramentum Coniugij, quamvis ab inobedientibus Presbyteris impositum, manet in coniugatis; quia virtutem Sacramentorum cassare non possunt prava merita vsurpatorum.* Et *Epist.* 220. contra Hęreticos oppositum sentientes, Matrimonium in Sacramentorum numero ponit.

2015 S. GREGORIVS VII. *lib.* 1. *Epist.*48. Matrimonium, & Sacramentum esse, & à Deo institutum affirmat; sic enim oppositum arbitrantes alloquitur: * Intelligentes errorem vestrum, de periculo valdè timemus: quoniam Sacramenta consortij coniugalis Divinis sancita Pręceptis, & Legibus, inter vos malignis fœdari studijs audivimus. Scriptum quippè est de coniugali vinculo: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et veritas omninò prohibet, ne vir vxorem suam, nisi fortè *causa fornicationis*, relinquat.*

2016 PETRVS LOMBARDVS, Sententiarum Magister, *lib.* 4. *Dist.* 26. *Cum alia (inquit) Sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium sumpserint, Matrimonij Sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum à Domino. Non tamen ad remedium, sed ad officium. Refert enim Scriptura *Genes.* 2. in Adamo misso sopôre, atque vna de costis eius sumpta, & exinde muliere formata, virum in spiritu intelligentem ad quem vsum mulier facta esset, post exstasim propheticè dixisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homò patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.**

2017 Et infrà: * Quod verò ante peccatum institutum fuerit Coniugium ad officium, post peccatum verò ad remedium concessum, Augustinus testatur, dicens: Fuerunt nonnulli Hæretici Nuptias detestantes, qui *Tatiani* appellati sunt. Hi Nuptias omninò damnant, ac pares fornicationibus, alijsque corruptionibus faciunt; nec recipiunt in suorum numero, Coniugio vtentem marem, vel fœminam. Quòd autem res bona sit Coniugium, non

modò

modò ex eo probatur, quod Dominus legitur Connubium instituisse inter primos parentes: sed etiam quod in Cana Galilęę Nuptijs interfuit Christus, easque miraculo commendavit, aqua in vinum conversa: qui etiam posteà, virum dimittere vxorem prohibuit, nisi *causa fornicationis*. Constat ergo rem bonam esse Matrimonium; alioquin non esset Sacramentum. Cùm ergo Coniugium Sacramentum sit, & Sacramentum signum est Sacræ rei, scilicet coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, sicut ait Apostolus *ad Ephes.5.&c.**

2018 Celebris ille in Scholis Doctor, Sanctorum Magister ALEXANDER ALENSIS *part.3.quæst.27.Mem.4.art.3.§.1.* solita sua eruditione evincit, Matrimonium, & Sacramenti, & Divinæ Institutionis honore condecorari: * Coniunctio (inquit) maris, & fœminæ naturalis est; sed quod illa coniunctio significet inseparabilitatem, vel coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, & animæ sanctæ ad Deum, hoc habet à Divina Institutione: vel dicendum, quod in omni Sacramento sunt tria, scilicet, similitudo, significatio, & sanctificatio. Similitudinem ergo habet Matrimonium ex prima conditione: significationem, ex informatione: sanctificationem verò, ex Redemptione. Ex quo enim creatus est homo, & fœmina, fuit naturale, quod coniungerentur, sed quod per hoc significaretur coniunctio animæ ad Deum, vel Christi ad Ecclesiam, vel Humanitatis, & Divinitatis in Christo, istud fuit ab Institutione Divina. Quid autem sit sanctificatio, hoc est gratia in Matrimonio, seu in coniunctis per Matrimonium, hoc est per Passionem Christi, quæ sanctificat omnia Sacramenta, & per ipsum habent omnia Sacramenta virtutem ad sanctificandum Matrimonium.*

2019 In eamdem Sententiam conspirat ANGELICVS DOCTOR *in Additionib.ad 3.part.quæst.42.art.2.in corp.* vbi & Matrimonium esse Sacramentum, & divinitùs institutum, probat ex illo *ad Ephes.5.Sacramentum hoc magnum est*: & vtrumque ratione convincit: primum quidem, quia Sacramentum importat aliquod remedium Sanctitatis, homini contra peccatum exhibitum per sensibilia signa: vndè cum hoc inveniatur in Matrimonio, hinc inter Sacramenta computatur. Secundum verò ostendit *art.3.* vbi inquirit: An Matrimonium conferat gratiam? & affirmativè respondet, quòd sic probat: * Augustinus dicit, quod Matrimonium est ęgrotis in remedium; sed non est in remedium, nisi in quantum aliquam efficaciam habet: ergo habet aliquid efficacię ad reprimendam concupiscentiam; sed concupiscentia non reprimitur nisi per gratiam: ergo in ipso confertur gratia.* Hæc Sanctus Thomas, qui ibidem aliquas refert opiniones, quarum prima asserit, Matrimonium non esse causam gratiæ, sed solummodò signum, & hanc eruditè refellit. Secunda dicit, conferri in Matrimonio gratiam in ordine ad recessum à malo, qua excusatur actus à peccato, qui sine Matrimonio peccatum esset; & hanc etiam elegantèr impugnat. Tertia tandêm tuetur, Matrimonium in quantum in Fide Christi contrahitur, habere, vt conferat gratiam adiuvantem ad illa operanda, quę in Matrimonio requiruntur.

2020 Hanc autem approbat Angelicus Magister, hac ratione, ad rem nostram aptissima: * Quia vbicumque datur divinitùs aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo convenienter vti possit facultate illa: sicut patet, quod omnibus potentijs Animæ respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Vndè cum in Matrimonio detur homini, ex Divina Institutione, facultas vtendi sua vxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id convenientêr facere non possit: sicut etiam de Potestate Ordinis suprà dictum est: & sic ista gratia data, est vltima res contenta in hoc Sacramento.*

2022 S. BONAVENTVRA *Tract.6. Breviloquij, cap.13.* contra Hæreticos, Matrimonium Sacramentum esse inficiantes, hæc scribit: * De Sacramento Matrimonij (inquit) hæc in summa tenenda sunt; quod Matrimonium est legitima coniunctio maris, & fœminę individuam vitæ consuetudinem retinens. Hęc autem coniunctio non solùm fuit post peccatum, verumetiam ante peccatum; sed priùs fuit institutum Sacramentum Coniugij in officium: deindè autem non solùm in officium, verumetiam in remedium contra libidinis morbum; priùs significabat coniunctionem Dei, & Animæ, nunc autem pręter hoc significat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, & duarum naturarum in vnitate personæ.*

2023 Eidem sententię subscribit Subtilis

illis Doctor SCOTUS *lib.* 4. *Sentent. dist.* 26. *quæst.* 1. dicens: * Tenet Ecclesia Sacramentum Matrimonij esse septimum inter Ecclesiæ Sacramenta: & de Sacramentis Ecclesiæ non est aliter sentiendum, quam sentit Ecclesia Romana.*

2023 HUGO DE PRATO FLORIDO, Vir magnæ eruditionis, Scoto coætaneus, *Serm.* 18. tradit, Matrimonium Sacramentum esse necessitatis, in hunc modum: * Sicut enim Baptismus est Sacramentum necessarium ad salutem; sic Matrimonium necessarium vniverso, licet non alicui homini sit necessarium; quia sine ipso Mundus deficeret. Et ideò in Veteri Testamento erat in præcepto *Genes.* 1. *Crescite, & multiplicamini.* Ex quo manifestè patet, quòd bonum est: quia impossibile est, esse malum, illud, sine quo Mundus esse non potest, & quod Deus præcipit fieri.*

2024 DURANDUS DE S. PORTIANO, Meldensis Episcopus, *lib.* 4. *Sentent. dist.* 26. *quæst.* 3. præfatas contra Matrimonium Hæreses impugnans, hæc, inter alia, scribit: * Duo ponenda sunt in Matrimonio, nec opposita eorum possunt teneri, vel asseri sine periculo hæreseos. Primum est, quod Matrimonium est licitum. Ideò Tatiani, Marciani, & cæteri, qui Nuptijs detrahunt, censentur Hæretici. Secundum est, quod Matrimonium est Sacramentum, eo modo, quo sacræ rei signum dicitur Sacramentum, & dicere oppositum, similiter est Hæreticum. Matrimonium enim initiatum inter coniuges per consensum animorum, signat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ per Fidem, & Charitatem: Matrimonium verò consummatum significat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ per conformitatem naturæ assumptæ, & sic est Sacramentum.*

2025 LUDOLPHUS SAXO, Carthusiensis, *lib. de vita Christi part.* 1. *cap.* 25. * Dominus (inquit) sua corporali præsentia Nuptias quas instituit, tamquam licitas, & honestas honorare, & commendare voluit; nè eas hæretici despicere, & damnare præsumerent.*

2026 Sub idem tempus THOMAS ARGENTINENSIS, *lib.* 4. *dist.* 26. *q.* 1. *art.* 1. contra Hæreticos negantes, Matrimonium esse Sacramentũ verum, inquit, *Quia Sacramentum est sacræ rei signum. Sed Matrimonium non solum est signum gratiæ, sicut etiam cætera Sacramenta: verumetiam est signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ sunt res sacratissimæ.* Vide alia apud ipsum *loco laudato.*

2027 IOANNES BROMIARDUS, Ord. Prædic. *in Summa Prædicantium, Tom.* 2. *cap.* 5. *de Matrim.* illius excellentiam, & Divinam Institutionem, his verbis commendat: * Dignitas (inquit) istius Sacramenti ex hoc ostenditur, quod inter omnia Sacramenta fuit prius, & in solemniori loco, idest in Paradiso, à Deo institutum. Ex hoc patet, quod vltra alia Sacramenta loci, & prioritatis habet preeminentiam: quæ duo proculdubio ipsum Deum multum charum reddunt, quando recta intentione contrahitur, & mundè custoditur.*

2028 CONCILIUM FLORENTINUM hanc veritatem contra Hæreticos illam negantes definivit, *in litteris vnionis de Sacramentis*, sic loquens; *Septimum est (inquiunt Patres Œcumenici Concilij) Sacramentum Matrimonij quod est signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est, &c.* Causa efficiens Matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonij. Primum, proles suscipienda, & educanda ad Cultum Dei. Secundum est Fides, quam vnus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas Matrimonij, propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi, & Ecclesiæ.*

2029 Finem tandem huic controversiæ de Divina Sacramenti Matrimonij Institutione imponamus verbis B. IOANNIS CAPISTRANI, qui hoc *anno* 1690. à SS. D. N. ALEXANDRO VIII. in Sãctorũ numerum relatus est; hic enim *in tract. de Papæ, & Concilij Autoritat.* hæc habet: *Christus instituit Matrimonij Sacramentum, non solum quandò præsentialiter interfuit Nuptijs in Canâ Galilææ; sed expressiùs cum dixit: *Quod Deus coniunxit, homo nõ separet.** Quod cõsonat ANGELICO PRÆCEPTORI 3. *part. quæst.* 62. vbi probat, omnia Sacramenta esse ex Christi Institutione, & habere efficaciam conferendi gratiam ex Passione Christi. Vnde *art.* 5. *in corp.* * Manifestum est (inquit) quod Sacramenta Ecclesiæ specialiter

liter

liter habent virtutem ex Passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem Sacramentorum; in cuius signum de latere Christi, pendentis in Cruce, fluxerunt Aqua, & Sanguis, quorum vnum, pertinet ad Baptismum; aliud, ad Eucharistiam, quæ sunt potissima Sacramenta.*

2030 Et *art.6. in Corpore*, hanc Doctrinam his verbis confirmat: *Sic ergo manifestum est, quod à Passione Christi, quæ est causa humanæ iustificationis, convenienter derivatur virtus iustificativa, ad Sacramenta Novæ Legis, non autem ad Sacramenta Veteris Legis.*

2031 Sed clariùs *q.65.art.1.* docet omnia Novæ Legis Sacramenta esse divinitùs instituta; quia, vt asserit ipse, Matrimonium vnum est è septem Novæ Legis Sacramentis, quorum numerum sic eleganter probat: *Sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad Cultum Dei secundum Religionem Christianæ vitæ, & etiam in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo convenienter ponuntur septem Sacramenta.* Convenientiam autem horum septem Sacramentorum, inter quæ Matrimonium connumeratur, latè ibi demonstrat. Prędicta verò Sacramenta esse ex Institutione Divina ostendit *quæst. 64. art. 2.* hac eleganti ratione: *Ille instituit aliquid, qui dat ei robur, & virtutem: sicut patet de Institutoribus Legum. Sed virtus Sacramenti est à solo Deo, vt patet ex prædictis: ergo solus Deus potest instituere Sacramenta. (Et infra *in corp. art.*) Vnde relinquitur quod virtus Sacramenti sit ab eo, qui instituit Sacramentum. Cum igitur virtus Sacramenti sit à solo Deo, consequens est, quod solus Deus sit Sacramentorum institutor.* Quare cum ex ipsius Angelici Præceptoris Doctrina probaverimus, Matrimonium esse vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis; clarè ex illius sententia deducitur esse divinitùs institutum.

2032 Quomodo autem omnia Novæ Legis Sacramenta divinitùs sint instituta, explicat *art. 3. sequen.* vbi inquirit: An Christus secundùm quod homo, habuerit Potestatem operandi interiorem effectum Sacramentorũ? Cui quæsito, eruditissimè, aptissimèq; ad rem nostrã respondet: *Dicendum, quod interiorem Sacramentorum effectum operatur Christus; secundum quod est Deus, & secundum quod est Homo: aliter tamen, & aliter: nam secundum quod est Deus operatur in Sacramentis per Authoritatem; secundum autem quod est Homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritoriè, & efficienter, sed instrumentaliter. (Et infrà:) Et ideò sicut Christus in quantum Deus, habet Potestatem Authoritatis in Sacramentis; ita in quantum Homo, habet Potestatem Ministerij principalis, sivè Potestatem excellentiæ, quæ quidem consistit in quatuor. Primò quidem, in hoc quod meritum, & virtus Passionis eius operatur in Sacramentis, vt suprà dictum est. Et quia virtus Passionis copulatur nobis per Fidem, secundum illud *Roman. 3. Quem posuit Deus propitiatorem per Fidem in sanguine ipsius.* Quam Fidem per invocationem nominis Christi protestamur. Ideò secundò ad Potestatem excellentiæ, quam Christus habet in Sacramentis, pertinet, quod in eius nomine Sacramenta sanctificantur: & quia ex eius institutione Sacramenta virtutem obtinent, indè est quod tertiò ad excellentiam Potestatis Christi pertinent, quod ipse qui dedit virtutem Sacramentis, potuit instituere Sacramenta, &c.* Vndè manifestè convincitur, omnia Novæ Legis Sacramenta, ac perconsequens Matrimonium, esse ex Divina Institutione, iuxta relatam ANGELICI PRÆCEPTORIS, aliorumque Sanctorum Doctrinam, quam prædictis Hæreticorum erroribus, suprà latè opposuimus.

§. IV.

MATRIMONIVM EX SVI Institutione ordinatum esse à Deo ad licitam humani generis propagationem, luculentissimis Sanctorum Patrum testimonijs roboratur.

2033 Divina Matrimonij Institutione satis, superque hucvsque comprobata, ostendendam aggredimur secundam propositionem, quam initio huius dubij proposuimus, scilicet: MATRIMONIVM EX SVI INSTITVTIONE ORDINATVM ESSE AD LICITAM HVMANI GENERIS PROCREATIONEM, AC MVLTIPLICATIONEM. Hanc Assertionem ele-

eleganter probat illud S. IVSTINI Martyris *in Orat. ad Antoninum Pium Imperatorem*, cui sic, inter alia, affatur: *Aut vtimur Coniugio propter sobolem, aut abstinentes, in perpetua abstinentia degimus.*

2034 Sed clariùs S. THEOPHILVS, Episcopus Antiochenus, *ad Autolycum, lib. 3.* vbi sui temporis errores impugnans, quibus concubitus extra Matrimonium habitus, licitus adstruebatur, hæc scribit: *Etenim quod ad impium adulterij, & scortationis vitium attinet, pulchrè illi circa Philosophiam errarunt, & inter se consenserunt. Et primus Plato statim *in primo libro*, qui *de Republica* inscribitur, quodammodo Lege sanciri vult, vt omnium vxores sint communes, sequutus exemplum Iovis, & Cretensium Legislatorem, vt sub hoc prætextu frequentior, & abundantior proveniret soboles, & vt tristitia affecti ob communem vxorum concubitum, consolationem aliquam inde caperent. Epicurus, vt satis evidentèr impietatem doceret, suadet incæstos concubitus, videlicet, vt quis cum matre, & sorore coëat, quamvis eo tempore extiterint Leges, quæ hanc impietatem prohibebant. Nam etiam Salomon Legem tulit, quæ iubet ex Matrimonio, vt liberi legitimè nascantur, legitimo, prævenire volens, ne liberi ex scortatione, aut ex adulterio exoriantur.*

2035 S. IRENÆVS, *lib. 1. cap. 30.* errores, qui suo tempore circumferebantur, refellens, nostram Assertionem, his verbis confirmat: *Vt exempli gratia dicamur à Saturnino, & Marcione, qui vocantur continentes, abstinentiam à Nuptijs annunciaverunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & obliquè accusantes eum, qui & masculum, & fœminam ad generationem hominum fecit.*

2036 AMPHILOCHIVS, Iconij Episcopus, haud vulgaris eruditionis Author, *Homil. in Purificat. Dei Genitricis*: *Nuptiæ (inquit) honoratæ sunt, & quovis terreno dono superiores, fœcundæ arboris similitudinem præseferentes: est enim Coniugium ipsum tamquam planta quædam pulcherrima, ex qua Virginitas ipsa nascitur, & rationalia, animataque germina producuntur. Est, inquam, Coniugium Benedictio illa, qua Mundus crevit, & generis instauratio facta est: per ipsum enim natura humana repatata fuit, quam cum Dominus suscepisset, Divinam renovavit. Tale denique Coniugium est, vt vniversum genus humanum contineat, & cum illo versetur, ita vt liberi possint dicere: *Ecce ego & pueri mei, quos dedisti mihi Deus.**

2037 THEODORETVS, *in Epitome Divin. Decret. cap. de Matrim.* confutans Hæresim malè de Matrimonio existimantium, rectè probat, licitam humani generis multiplicationem, cum præcipuum Matrimonij Authorem Deum ipsum agnoscamus. *Operæpretium autem existimo, Matrimonij quoque Leges persequi, & eorum, qui illud accusant, audaciam refellere. Eius enim gratia formavit mulierem vniversorum effector. (Et infrà:) Ipse veluti quoddam donum Matrimonio hanc Benedictionem obtulit, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & implete terram, & dominamini ipsi, &c.* Si autem malum esset Matrimonium, non id Dominus Deus à principio constituisset: non liberorum susceptionem Benedictionem vocasset, &c.* Ex quibus verbis manifestè infertur, solam illam hominum procreationem, ac multiplicationem, quæ medio Matrimonio fit, licitam esse; cum sola ista Dei Benedictionem, Approbationemque meruerit, sicque multiplicationem, extrà Matrimonium factam, tamquam illicitam reprobandam esse.

2038 Imperator IVSTINIANVS *Authent. 22. de Nuptijs*: *Si Matrimonium (inquit) sic honestum est, vt humano generi videatur immortalitatem artificiosè introducere, & ex filiorum procreatione renovata genera manent, iugiter Dei Clementia, quantum est possibile nostræ immortalitatem donat naturæ, rectè nobis studium est de Nuptijs.* Et *Novella 140.* *Nihil in rebus mortalium perindè venerandum est, atque Matrimonium: quippè ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat: quod Regiones, & Civitates frequentes reddat: vnde denique optimè Reipublicæ coagmentatio fiat.*

2039 Hûc etiam facit LEONIS Imperatoris, cognomento Philosophi *Constitutio 26.* vbi hęc habentur: *Magnum sanè, excellensque donum à Deo Creatore ad mortales promanavit Matrimonium. Non enim modò naturæ mortis ingluvei obnoxiæ opem fert, humanoque generi perpetuitatem elargitur, id dum ab illa depas-

depascitur, non omninò deperire sinens: verumetiam per liberorum procreationem permagna alioqui hominum vitæ præstat.*

2040 Hucúsque licitam humani generis multiplicationem, quę Sancto operāte Matrimonio efficitur, contra Hæreticos malam illam, illicitamque arbitrantes, ex Græcis Patribus probavimus. Iam nunc Latinos eiusdem veritatis producamus Patronos, idipsum Authoritate sua confirmantes.

2041 S. MARTIALIS, *in Epist. ad Tholosan. cap. 9.* hæc pro Assertione nostra scribit: * Nec ideò tamen prohibemus nubere legitimo Connubio, cum & hoc Coniugium honestum sit, & constitutum à Deo, ab initio Mundi, in multiplicationem humani generis, &c.*

2042 Eamdem Sententiam tenet D. AVGVSTINVS *multis in locis*; præcipuè *lib. 1. de Nuptijs, & Concupis. cap. 3.* vbi de Matrimonij inseparabilitate sermonem instituens licitam multiplicationem, quæ per illud efficitur, his verbis commendat: * Cuius Sacramenti tanta observatio est in Civitate Dei nostri, in Monte Sancto eius, hoc est in Ecclesia Christi, quibuscumque Fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt filiorum procreandorum causa, vel nubant fœminę, vel ducant vxores. Nec sterilem coniugem facit relinquere, vt alia fœcunda ducatur.*

2043 Et *cap. 24.* hæc, inter alia, pro eadem licita multiplicatione scribit: *Generationis itaque causa fieri Nuptias, Apostolus ita testis est: *Volo* (inquit) *iuniores nubere.* Et quasi ei diceretur: vt quid? continuò subiecit: filios procreare, matres familias esse. Ad Fidem autem Castitatis illud pertinet: *Vxor non habet Potestatem corporis sui, sed Vir. Similiter & vir non habet Potestatem corporis sui, sed mulier.* Ad Sacramenti Sanctitatem illud: *Vxorem à viro non discedere; quod si discesserit manere nuptā, aut viro suo reconciliari: & vir vxorem non dimittat.* Hæc omnia bona sunt, propter quę Nuptiæ bonæ sunt, Proles, Fides, Sacramentum.*

2044 Probata iam, non leviter, & perfunctoriè, sed vberi Sanctorum Patrum Doctrina, ac præclaris insignium virorum Sententijs, Nobilitate, & Dignitate Matrimonij, idque non pravum, aut reprobandum esse, vt falsò confingunt Hæretici, sed bonum, ac Sanctum; immò alterum ex Ecclesię Sacramentis, & propagationis humanæ fulciendæ causa à Deo fuisse institutum, nunc eodem Authoritatis momento superest stabiliendum, perpendendumque, quàm iustè damnanda sit improba Eunuchorum exectio, vtpotè directè tendens in oppositum Divinæ Matrimonij Institutioni; quod non latuit Summum Ecclesię Antistitem SIXTVM V. qui, cum ipsius ævo invaluissent Eunuchorum Matrimonia, libidini potiùs, quam humani generis propagationi studentium, eiusmodi abusum Apostolico Zelo præscidit, contracta ab illis Matrimonia irrita declarans, talique laborantes defectu inhabiles ad contrahendum decernens, vt constat *ex eius Constit. ad Episcop. Novarien. Sedis Apostol. in Regnis Hispaniar. Nuntium*, directa, *sub dat. apud S. Marcum*, *anno* 1587. *Pontificatus sui anno* 3. vbi §. 1. hæc habentur: * Nos igitur attendentes, quod secundum Canonicas sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturę sunt, & impotentes, ijdem minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur; quodque prædicti Eunuchi, aut Spadones, quas tamquam vxores habere non possunt, easdem habere vt sorores nolunt, quia experientia docet, tam ipsos dum se potentes ad coëundum iactant, quàm mulieres, quę eis nubunt, non vt castè vivant, sed vt carnaliter invicē coniungātur, proba, & libidinosa intentione sub prætextu, & figura Matrimonij turpes huiusmodi commixtiones affectare, & cum peccati, & scandali occasionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandæ.*

2045 Et infrà, his, alijsque rationibus, haud ineleganter perpensis, præcipit eidem Nuntio Apostolico: * Vt Coniugia per dictos, & alios quoscumque Eunuchos, & Spadones, vtroque teste carentes, cum quibusvis mulieribus defectum prædictum, sive ignorantibus, sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad Matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles, Authoritate nostra declares.* Cum igitur inhabilitatem hanc, & impotentiam sibi volutariè procurent, qui sua se spontè abscindunt, hinc apparet, quàm sit exosa Deo exectio ista, vtpotè Matrimonij, humanęque generationis votum directè violare, ac improbare intendens.

2046 Idem sensit Assyriæ REX; & quàm

quàm perniciosa Reipublicæ esset Eunuchorum eviratio, non obscurè expressit, cum deprehensa Combabi exectione, sic in eum exclamavit, *teste Luciano, de Dea Syria*: * O Combabe, cur magnum hoc malum perpetrasti? Cur autem te ipsum indigno adeò facinore, solus virorum deformasti? Non ita prorsus hæc laudo, ò infelix! qui talia quidem sustinuisti, qualia vtinam neque te pati, neque me aspicere vmquam contigisset.*

2047 De eadem hominum insania, tamquam humanæ conservationi adversa condolet S. AMBROSIVS, *lib. de Morib. Brachman.* cum Alexandro agens: * Audimus (inquit) quod a masculis vestris partem quamdam corporis amputatis, in muliebrèmque sexum convertere gestiatis, & quod sit apud vos talis homo, qui neque generare vt vir, neque parere possit, vt mulier, & qui in suum tantum dedecus, & in suam vivat iniuriam. Quis talem humani generis prævaricationem, & tam miserabilem casum etiam cogitando non doleat?*

2048 Nec præterire fas est elegantissima S. CYPRIANI verba, *in Epist. ad Donat.* dum ait: * Morum quanta labes! quæ probrorum fomenta! quę alimenta vitiorum, histrionijs gestibus inquinari, videre contra ius, & fœdus nascendi patientiam incastæ turpitudinis elaboratam! Evirantur mares, omnis honor, & vigor sexus, enervati corporis dedecore emollitur, plusque illic placet quisquis virum in fœminam magis fregerit; in laudem crescit ex crimine, & eò peritior, quò turpior, iudicatur.*

2049 S. CYRILLVS, non minori Zelo exitiosum Eunuchorum abusum emẽdare contendit, eos gravibus dignos pœnis censens, & à Sacris ablegans, eo quod Ordinem naturæ pervertere intendant, Matrimonioque, ac humani generis propagationi bellum indixerint. * A Sacris Septis (inquit) & à Templis longè discedant; cum enim turpissimo animo, præclarum & Divinum opus in malum, & odiosum, ac detestandum decretum mutarint, & invertèrint, & spiritualem castrationem interdictæ actioni servire coëgerint, digni sunt, qui non solum ex Legum suffragio pœnas luant, sed etiam ex Angelico, & Apostolico mandato in exteriores tenebras penitùs abigantur: de talibus enim dicit Moyses: *Fractus, & exectus*, cui scilicet testes sunt contusi, aut resecti, & avulsi, *non ingredientur in Templum Domini.** Quò etiam respicit S. ISIDORI PELVSIOTÆ quærela, qui *Epist.* 150. quod adscriberentur in Clerum Spadones, effœminati, & servi, sic eluget: * Papè quot manibus Divinum Sacrarium contaminatur!*

2050 Comprobatur vlteriùs hęc Eunuchorum aversatio, ex ea, quam semper sibi apud Sanctos Patres promeruerunt fœminæ, quæ vel conceptum fœtum suffocant, vel nè concipiant, remedia sterilitatem conciliantia quærunt; & viri eiusmodi pharmaca, seu potiùs venena, illis subministrantes: de cuius vitij exprobratione plurima, tùm apud Ecclesiasticos Scriptores, tùm apud prophanos, extant testimonia, ex quibus aliqua seligemus.

2051 D. AVGVSTINVS *lib. 1. de Nuptijs, cap.* 15. sic eiusmodi exitiosum crimen sugillat: * Qui propagationi prolis obsistunt, sive voto malo, sive opere malo, quamvis vocentur coniuges, non sunt; neque vllam Nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem, quando eò vsque progrediuntur, vt exponant filios, qui nascuntur invitis; oderunt enim nutrire, vel habere, quos gignere metuebant: Itaque cum in suos sævit, quos nolens genuit, tenebrosa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpido manifesta crudelitate convincitur. Aliquando eò vsque pervenit hęc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerint, conceptos fœdus aliquando intra viscera extinguat, ac fundat, volendo suam prolem priùs interire, quàm vivere; aut si in vtero iam vivebat, occidit, antequàm nascatur.*

2052 In eumdem scopum tendit IVVENALIS, *Satyra 6.* dicens:

* Sed iacet aurato vix vlla puerpera lecto;
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit.*

2053 Eo respicit CLEMENTIS ALEXANDRINI sententia qui *lib. 2. Pedagog. cap.* 10. * Secundum naturam (inquit) nobis vita vniversa processerit, si ab initio cupiditates convincamus, & hominum genus, quod ex Divina Providentia nascitur, improbis, & maliciosis machinationibus non interficiamus. Eæ enim

sub

ub prætextu fornicationis vtentes medicamentis, quæ omninò, & exitium attrahunt, simul cum fœtu omnem humanitatem consumunt.*

2054 S. IOANNES CHRYSOSTHOMVS iustissimo Zelo invehitur in quendam libidini frena laxantem, qua, vt liberiús frueretur, fœminis quibus abvtebatur, flagitia flagitijs cumulans, sterilitatem procurabat, eis ope, & consilio prçmaturam nondum conceptæ prolis spem extinguere iniungens: * Quid feminas vbi arvum ipsum, fructum corrumpere studet, vbi multa sunt partum excludentia, vbi ante generationem cędes? Scortum enim non permittis, vt scortum tantummodò maneat, sed & homicidium patrare facis. Vides quommodò ex ebritate fit scortatio, & ex scortatione adulteriũ, ex adulterio cædes, immò cęde etiam peius quid? Neque enim habeo, quo flagitium istud enorme exprimam: nam non solum, quod natum est occidit, sed & ne nascatur prohibet. Quid ergo & donum Dei ignominia afficis? Quid illius legibus repugnas, & quod execrandum est, vel vt laudabile persequeris, generationisque promptuarium facis, promptuarium occisionis, & mulierem, quæ ad puerorum generationem data est, ad necis artificium instruis? Licet enim res ista muliebri agatur audacia, causa tamen tibi imputabitur.*

2055 Nec minùs apertè TERTVLLIANVS, nondum Fide lapsus *lib. de exhort. ad Castit. cap. 12. & Apologet. cap. 9.* pro purganda calumnia, quam Christianis Æthnici imponebant, illis cruentam infantium occisionem falsò ad scribentes, acriter Gentiles redarguit, veriùs in ipsos retorquens filiorum homicidium, quos, priusquam nascerentur, proprij sanguinis prodigi, immò futuræ vitæ insidiantes, in ipso vivendi aditu, crudeles occidebant, scribit enim: * Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum in vtero, dum adhuc Sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet: homicidij festinatio est, prohibere nasci. Nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus, & fructus omnis iam in semine est.*

2056 MINVTIVS FELIX Tertulliani coætaneus *in Octavio num. 53.* eamdem calumniam infanticidij Christianis iniquè impacti, refellens, sic dissertè eloquitur: *Illud iam vellem convenire, qui initiari nos dicit, aut credit de cæde infantis, & sanguine. Putas posse fieri, vt tam molle, tam parvulum corpus, fata vulnerum capiat? Vt quisquam illum rudem sanguinem, novelli, & vix dum hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Vos enim video, procreatos filios nunc feris, & avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant; & parricidium faciant, antequam pariant. Et hæc vtique de Deorum vestrorum disciplina descendunt.*

2057 Ex quibus apertè deprehenditur, quam execrandum facinus sit, vel viris generandi facultatem, vel fœminis partus fęcunditatem impedire, & sterilitatem procurare, cum hoc crimen apud Gentiles infidelitatis tenebris involutos, non autem apud Christianos Evangelica Luce illustratos viguerit, & eodem rationis momento apparet, abscissionem, quæ homines Matrimonio, ac generationi inhabiles reddit, maximè eiusdem Sacramenti Voto, ac propagationis humanę communi bono, inquem finem à Deo institutum est, iniuriosum esse.

2058 Nec silentio prætereunda sunt D. HIERONYMI verba, quibus eleganter corripit fœminas simulatè Virgines, sed verè huius criminis, de quo loquimur effusi, scilicet, proprij Sanguinis reas: * Piget dicere, inquit, quot quotidiè Virgines ruant, quantas de suo gremio mater perdat Ecclesia, superque Sydera inimicus superbus ponat Thronum suum, quot petras excavet, & habitet coluber inforaminibus earum. Videas plerasque, viduas antequam nuptas, infelicem conscientiam mentita tantum veste protegere: quas nisi tumor vteri, & infantum prodiderit vagitus, sanctas, & castas esse gloriantur, & erecta cervice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ verò sterilitatem prębibunt, & nec dum sati hominis homicidium faciunt.*

2059 Sed expressiùs AVGVSTINVS, *Serm. 244, de tempore* adversus hoc execrabile facinus invehitur, dicens: *Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut iam natos occidat: quia quęcumque fecerit hoc,

ante Christi Tribunal, sciat se illic eorum causam, quos occiderit, esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere. Mulier autem quæcumque fecerit hoc, per quod iam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.* Si ergo, ex Sententia D. Augustini, fœminæ suæ fęcunditati obsistentes, tot homicidiorum reę postulari possent, quod filiorum matres dicerentur, nisi pravis medicaminibus, aut sterilitatem advocassent, aut fętum nasciturum avertissent, patet eodem iure censendos esse eos, qui sui corporis voluntaria abscisione omnem generandi spem sibi adimunt, gnatorum orbitatem procurantes, & tot esse homicidiorum Authores, quot filios gignere possent, nisi Eunuchi facti essent; quod Reipublicæ quam perniciosum sit, piæ Sanctorum Patrum mentes satis condolent, & conqueruntur, & vberibus lacrymis ab omnibus deflendum, dignique sunt, qui talia committunt, vt severa animadversione plectantur.

2060 Productæ à nobis rationes (quas fusiùs aliquantò proposuimus, tùm ob rei gravitatem, tùm quia à debellandis huiusmodi tàm insanis erroribus, vix temperare possumus Catholici, præcipuè quibus pro nostro munere incumbit, purgatam omni Fidei, & morum, labe Doctrinam tradere, ac solidas veritates edocere) satis superque demonstrant, quàm iustè à S. Apostolis *in Can.22.* exosa fuerit, voluntaria Eunuchorum exsectio, & quam æquè illis ad Sacra Ministeria aditus præclusus, cum huiusmodi emasculatio, & Deo, & naturæ iniuriosa censeatur. Superest tamen, pro maiori quæstionis elucidatione, aliquibus argumentis obviare, quę supra traditam veritatem oppugnare videntur.

§. V.

SOLVVNTVR ARGVMENTA quæ adversus 21. & 22. SS. Apostolorum Canonem aliquod dubium excitare possunt.

2061 CVm 21. Apostolorum Canon Eunuchos ad Sacra, & Ecclesiastica munera recipiat, videtur obstare, quod apud Romanos servatum fuisse testatur GELLIUS, vt à Sacris omninò arcerentur, sicut refert ALEX. AB ALEX. *lib.16. dier. Genial. cap.14.* & quod ob illum defectum, Metello denegatum fuerit Sacerdotium, vt tradunt Seneca *in ipso*, & STUKKIUS *de Sacrif. Gent.* nec solum à Sacerdotio, sed ab omnibus honoribus, & Dignitatibus removebantur Eunuchi apud Gentiles, vt supra diximus: cum igitur indigni semper habiti sint inter Æthnicos honoribus, multo æquius apud Christianos propudiosus iste semivirorum status, præcipuè in Ecclesiæ cunabulis, vbi defecata morum debuit statui disciplina, à dignitatibus omninò arcendus erat, nè illarum splendorem macularet: ac per consequens non videtur à Sanctorum Apostolorum Zelo fluxisse Cōstitutio, quæ ita dignos habet eos, vt etiam ad Episcopales infulas admittat.

2062 Huic tamen difficultati respondemus, supponentes, vt iam præmisimus, Eunuchos alios esse natos, alios verò factos: quæ quidem Eunuchorum distinctio innititur illis CHRISTI verbis, *apud Matthæum, cap. 19. Sunt enim Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt; & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus.* Undè, si loquamur de Eunuchis, qui nati sunt, vel qui ab hominibus, non quidem propria voluntate, sed violentèr, & per insidias tales facti sunt, verum quidem est, eos Civilibus legibus indignos iudicari, qui ad honores, & Dignitates, tàm Sacras, quàm Politicas promoveantur; quia in huiusmodi Eunuchis generalitèr haud bonos effectus Leges agnoscebant, vt scribit LAMPRIDIUS *in vita Alexandri*: * Hùc accedit (inquit) quod Eunuchos, neque in fide, neque in ministerijs habuit.* Et MAMERTINUS *in Panegyr. ad Iulian. Apost.* Eunuchos quasi à consortio humani generis extorres, ab vtroque sexu, aut naturæ origo, aut clades corporis separavit. Undè IMPERATORES acriter in Eunomianos exarserunt, *in l.17. C. Theodos. de Hæreticis.*

2063 Verùm estò Civili lege hæc ita se habuerint, numquam tamen Canonico iure Eunuchi, de quibus loquitur 21. Apostolorum Canon, ij nempè, qui tales nati sunt, vel per insidias, aut in infirmitate, & non propria voluntate facti, ab Ecclesiastico Ministerio eliminati sunt, vt ex prædicto Apostolorum Canone 21. constat;

stat; cui suffragatur TEXTVS *in cap. Siquis à Medicis.* 55. *Dist.* & *cap. Eunuchus. eadem Dist.* & *cap. Siquis pro ægritudine. eadem Dist.* in quibus eadem 21. Apostolorum Canonis Sententia dictos Eunuchos ad Ecclesiasticas Dignitates, & honores, etiam Episcopatus, admittentis, apertissimè continetur.

2064 Secundò contra 22. Apostolorum Canonem maior difficultas assurgit: Nullo enim Canone prohiberi potest, quod Diuino Iure permittitur: non ergo prædicto Canone prohiberi potuit, Eunuchos Sacris Ordinibus initiari, cum castratio ita sit Euangelica Lege permissa, vt laude potiùs, quam vituperio digni censeantur, qui se propter Cœlorum Regnum absciderunt, iuxta illud *Matth.* 19. vbi CHRISTVS triplicem Eunuchorum assignat differentiam; primam eorum, *qui de matris vtero sic nati sunt*; secundam illorum, *qui facti sunt ab hominibus*; tertiam verò eorum, *qui se ipsos castrauerunt propter Regnum Cœlorum.*

2065 Vt huic argumento respondeamus supponendum est, quod iam antea diximus, Eunuchos scilicet, alios esse natos, alios verò factos. De his, qui tales nati sunt, non loquitur 22. iste Apostolorum Canon, sed tantùm 21. de quo iam suprà egimus. Horum verò, qui ab hominibus facti sunt, duplex est differentia: alij enim facti sunt Eunuchi, non quidem voluntate, sed necessitate, vt in infirmitate, vel hominum insidijs, aut in persecutione, vel alia simili causa, & necessitate impellente; & de his non loquimur, cum in hoc 22. Canone non comprehendatur, sed tantùm in 21. & de istis intelligi potest illud *Matth.* 29. *Sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus.* Alij verò sunt, qui nulla necessitate, aut infirmitate coacti, sed sani, suaque sponte se ipsos absciderunt; & de his præsens procedit quæstio; de illis namque loquitur 22. Apostolorum Canon, vt patet ex illis verbis: * Siquis absciderit semetipsum, &c. non fiat Clericus.* Et de istis, qui violenta manu se abscindunt, vel castrari permittunt, non loquitur Euangelicus Textus, nec Author aliquis quantæcumque Authoritatis dabitur, qui huiusmodi Eunuchos in Euangelio commendatos doceat, aut admissos, cum istorum exectio, Diuina, Humana, Politica, Cæsareaque Lege sit prohibita, omnique execratione damnata. Contra istos igitur, Sacratissimi Apostoli prædictum Canonem condiderunt, quo huiusmodi Eunuchos à Sacris Ordinibus arcerent: idemque statuitur *in cap. Siquis à Medicis.* 55. *Dist.* desumpto *ex Canone* 1. *Nicænæ Synodi.* & *cap. Maritum.* 33. *Dist.* desumpto *ex S. Gregorio Papa*; & *in Concilio Toletano IV. cap.* 18. ex quo desumptum est, *cap. Qui in aliquo fin.* 51. *Dist.* & *in cap. Siquis abscindit.* 55. *Dist.* & *in cap. Hi qui se. eadem Dist.* desumpto *ex Concilio Arelatensi II.* ac tandem *in cap. Siquis pro ægritudine. eadem Dist.* quibus consonant CLEMENS III. & SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA, quæ dicta est *prima, vel secunda, Can.* 8.

2066 Et certè quàm indigni Sacro Ordine sint, se ipsos euirantes, aut violentèr abscindentes, apertè ostendunt S. GREGORIUS NAZIANZENUS, S. CYPRIANUS, S. EPIPHANIUS, S. BASILIUS, S. CYRILLUS, S. AUGUSTINUS, alijque, quorum verba suprà retulimus in prima ratione, qua hunc 22. Canonem æquissimè conditum fuisse ostendimus.

2067 Tertiò contra eumdem Canonem opponitur: quosdam fuisse Eunuchos, tùm litteris, tùm armis, immò & omni genere laudis præstantissimos, ita vt magno in honore fuerint apud Antiquos, Imperatorumque gratiam, ac supremos honorum, Fideique gradus promeruerint. Sic apud Imperatorem Constantium gratia, & fauore plurimum valuerunt, vt ex AMMIANO MARCELLINO, *lib.* 14. *Histor.* & D. ATHANASIO *in Epist. ad Solitar.* his docemur verbis: * Eodem, & cæteros Spadones prouocat; plerique enim apud Constantium, vel potiùs omnes Eunuchi sunt, omniaque apud illum possunt, & sine illis nihil rerum ibi agitur. (Et paulò infrà:) Lex vetuit Eunuchos in Concilium Ecclesiasticum assumi, atque illi nunc Ecclesiasticorum iudiciorum Principes reputantur, & quod ipsis videtur, Constantius iudicat. Quis ista narranti fidem habuerit? Spadones, quibus domorum gubernacula vix creduntur, illos nunc Ecclesijs dominari.*

2068 Quod & confirmat S. GREGORIUS NAZIANZENUS *de Laudib. Heronis*, ita scribens: * Ii prætere-

rea, qui nec virorum, nec mulierum censendi sunt, quorum magna erat apud eum (Constantium) Authoritas, & potentia.* Cuius causam tradunt BARONIUS *Tom. 3. Annal. ad annum 337. Christi num.* 10. & RUFFINUS *lib. 1. Histor. cap.* 11. Eunuchorum scilicet opera, Constantini obitum, vsque ad Constantij adventum fuisse silentio suppressum, vt ita meliùs suum confirmaret contra fratres Imperium. Cum ergo Imperator Constantius se Eunuchis, qui in aula sui Patris degebant, huius beneficij debitorem agnosceret, Eunuchos magno studio, & favore semper est prosequutus, illosque multis Privilegijs, honoribusque donavit.

2069 Nec mirum videri debet, Imperatores tam egregiè fuisse Eunuchis patrocinatos, cum Eunuchorum aliqui, & litteris, & armis praeclarè floruerint, vti Favorinus, qui sub Adriano Imperatore praestantissimus Philosophus fuit, vt scribit SPARTIANUS *in Adriano, num.* 15. cuius est nobilis *apud Aulum Gellium* mentio: Narses etiam fuit celebris Dux, cuius res gestae litterarijs monumentis commendantur: Valerianus quoque Spado natus, fortissimus bellator fuit, apud AMMIANUM *lib. 27. num. 22.*

2070 Tantò in honore, & aestimatione fuerunt priscis illis temporibus Eunuchi, vt illorum curae Principum educatio, ac magisterium committeretur; vt tradit PLATO *lib. 3. de legib.* Filiorum Themistoclis Pedagogus fuit Sysinus, teste HERODOTO *lib.* 8. Tales etiam fuerunt B. Eugeniae, SS. Prothaeus, & Hyacinthus, teste VSUARDO 11. *Septembr.* Ea fuit Principibus, de Eunuchorum fidelitate, existimatio, vt illis secretiores ianuas crederent, suarumque personarum custodiam committerent. Ita fecisse Cyrum Persarum Regem, testatur XENOPHON *lib. 7. Cyrop.* Pharao *Gen. 39.* & 40. Assuerus *Esther* 1. & Occhus, Persarum Rex, *apud* DIODORUM SICULUM, *lib. 6.* idem praestiterunt. Iulianus etiam Imperator Eucherum, eximiae fidelitatis Eunuchum, cui omni ex latere peritia parem, neque legisse, neque audivisse scribit.

2071 Fuerunt insuper Eunuchi praecipui Principum Consiliarij, quique eorum faciem videbant. *Esther.* 1. & 2. & tradit AMMIANUS *lib. 16.* Vndè HERODOTUS *in Vrania*, scribit, apud omnes Nationes barbaras, Eunuchos maximo in pretio habitos esse: * Nam pueros (inquit) quos forma praeditos coemerant, eos castrabant, ductosque aut Sardis, aut Ephesum magna pecunia venumdabant. Apud Barbaros enim pretiosiores Eunuchi sunt, quam qui non sunt castrati, in omni genere fidei gratia, atque, vt alios permultos, &c.* Cui congruit VLPIANUS *in l.* 27. §. *Et si puerum* 18. *ff. ad l. Aquiliam.* tradens, per castrationem effectum fuisse puerum pretiosiorem. Quod confirmare videtur IUSTINIANUS *l. vlt. in fine principij, C. Communia de legatis, & l.* 1. §. *Ne autem quantitas*, 2. *C. De communi servo manumisso.* vbi in eligendis servis legatis, & pretijs eorum constituendis, Eunuchi caeteris servis pluris aestimantur.

2072 Horum ministeria erant matronarum custodia, vt tradit AMMIANUS *lib.* 16. his verbis: *Eunuchi fieri semper acidi, carentes necessitudinibus, caeteris acerrimi sunt matronarum custodes.* Idem observat ALCIATUS *in l. Spadonum*, 128. *de verb. signif.* PETRUS GREGORIUS *lib. 7. Syntagm. cap. 2. num.* 20. & ita vocatos Eunuchos ait S. EPIPHANIUS *lib. 2. contra Haereses*, quod benevoli essent, & fidem didicerint servare maritis. Praefecti etiam fuerunt balneis mulierum lautiorum; LAMPRIDIUS *in Alexandro.* Monilia servabant dominarum, vestes, gemmas, stratum muniebant, crinesque pectere, & delicatorum vultus, motis hinc indè volucrum pretiosarum plumis, ventilare solebant: eleganter CLAUDIANUS *lib. 1. vers.* 105. de Eunucho Eutropio, ait:

*Pectebat Dominae crines, & saepe lavanti
Nudus in argento limpham gestabat alumnae.
Et cum se rapido fessam proiecerat aestu,
Patricius roseis Pavonum ventilat alis.*

Et infrà, *vers.* 416.

*Praefecti sed adhuc gemmis, vestique dabantur
Custodes, Sacroque adhibere silentia somno
Militia Eunuchi numquam progressa cubile.
——— Secreta monilia servent,
Ornatus curent Tyrios.*

Indè PLINIUS *lib. 13. cap.* 4. scribit, apud Persas regnavisse Eunuchos, quia apud Reges plurimum habuerunt Authoritatis. Et TACITUS *lib. 6. Annal.* ait: non despectum nomen Eunuchorum apud Barbaros, vltroque potentiam habuisse.

2073 Cum ergo Eunuchi adeò celebres

bres extiterint, tùm litteris, tùm armis, necnon fidelitate, ac Principum confidentia, à quibus præcipuis honoribus decorari promeruerunt, hinc rectè infertur, illos non adeò fuisse vituperio dignos, vt suprà, dum probaremus Assertionem, expendebamus.

2074 Huic argumento respondemus: verum quidem esse, Eunuchos sub Imperatore Constantio, qui Imperium illorum opera obtinuit, alijsque Imperatoribus, & Principibus, qui illorum pulchritudine, sive calliditate pellicebantur, magno in honore fuisse, ac æstimatione: sub alijs tamen religiosioribus Imperatoribus, qui illorum vitia, depravatosque mores agnoverunt, nullo in pretio sunt habiti, penitusquè despecti; vt sub Imperatore Constantino, qui *l.1.C.de Eunuchis*, Eunuchos fieri omnimodè prohibuit; & Theodosio, qui, teste SUIDA, illos omnibus officijs sua Constitutione interdixit; necnon sub Alexandro, qui, referente LAMPRIDIO, vilem de illis opinionē cōcepit: immò Imperator DOMITIANVS, Pudicus Princeps, castrari mares vetuit, vt tradit cum alijs SVETONIVS: tandem Adrianus Imperator pœnas ab Imperatore Domitiano in castratos latas adauxit; quorum Principum Edicta, & Constitutiones innovavit postea CONSTANTINVS MAGNVS *l. 1. & 2. C. de Eunuchis*, capitali pœna superaddita his, qui huiusmodi Constitutiones ausi fuerint violare; quod confirmarunt Imperatores IVSTINIANUS, & LEO, *vt suprà ratione* 4. probavimus.

2075 Nec soli Imperatores, verum & præclariores Ecclesiæ Patres dictam exectionem, & Eunuchismum execrati sunt, vt SS. GREGORIUS NAZIANZENUS, CYPRIANVS, EPIPHANIUS, CYRILLUS, AUGUSTINUS, alijque plures, quos brevitatis gratia omittimus, quorumque verba suprà duximus: vndè corruit argumentum, quo Eunuchismus extollebatur, honorque ipsi antiquitùs delatus commendabatur. Hęc autem omnia clariùs ex subsequentis argumenti solutione innotescent.

2076 Opponitur 4. Estò Eunuchi fuerint à plurimis Imperatoribus vituperio affecti, eorumque exectio gravissimis pœnis in Politicis, & Civilibus prohibita; in Ecclesiasticis tamen, ac Sacris, eos summis honoribus conspicimus insignitos; siquidem singularis apud Deum, & homines æstimationis gradus obtinuerunt, cum multi illorum eximia Sanctitate floruerint, illosque nunc Sacro cultu colat Ecclesia. In Evangelica igitur Lege non eo vituperio, eaque pœna afficiendi sunt Eunuchi, vt debeant à Sacris Ordinibus arceri, quemadmodum 22. Apostolorum Canone decernitur.

2077 Huic argumento respondemus: duplicem esse Eunuchorum differentiam, alij namque sunt, qui exsectionem vertunt in vitium; de his loquitur SANCTUS HIERONYMUS *apud D. Thomam, in Catena Aurea*, dum dicit: *Alij sunt Eunuchi, qui ab hominibus fiunt, quos aut Pharisæi faciunt, aut propter Idolorum cultum emolliuntur in fœminas, vel persuasione hæretica simulant Castitatem, vt mentiantur Religionis veritatem: sed nullus eorum consequitur Regnum Cœlorum.* Huiusmodi autem Eunuchos, tàm Christiani Imperatores in Politicis, quàm Ecclesia in Sacris, perpetuò redarguunt, indignosque iudicant, qui ad Politicos, & Ecclesiasticos promoveantur honores. Hìnc apud Hebræos Eunuchi infames reputabantur, vtpotè steriles, ineptique ad propagationem seminis Israël, vt constat *Luc.* 1. & explicat S. HIERONYMUS *ad cap.* 56. *Isaiæ*, vbi Gentilis Populus Eunuchus dicitur, id est, sterilis pietatis, & Religionis; quæ est etiam concors, & communis Sanctorum Patrum Sententia, ad illa prædicti Capitis verba: *Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum.*

2078 Romanis etiam adeò horrifica fuit abscisio, vt exsectorum occursum ominosum reputarent, & inauspicatum, quasi mali aliquid portendentem, vt scribit CLAUDIANUS *lib. de Eutrop. cap. fin.*

*——————— Cum pallida nudis
Ossibus horrorem Domini præberet imago
Decolor, & macies occursu læderet omnes
Aut pueris latura metus, aut tædia mensis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen.*

Quod confirmat LUCIANUS *in Eunucho*, sic scribens: *Immò hoc hominum genus non solùm ab eiusmodi contubernio secludi oportere, verum ab ipsis etiam Sacris, & ab omnibus publicis Cętibus eijci, ostendens inauspicatum quoddam, & occursu infaustum spectaculum fore, siquis manè domo egressus, vel videat istiusmodi quidpiam.* Idipsum notant BRODÆVS *lib.* 4. *Miscellan. cap.* 1. BARTH *in Claudian. dict. lib.* &

DEMP-

DEMPSTERVS *in Paralip. ad Rosin. lib.3.cap.8.*

2079 Quanto verò opprobrio affecti fuerint apud Antiquos huiusmodi Eunuchi, apertè innotescit ex his, quæ scripsit VLPIANUS *in l.3. §. Alio. ver. qui hominem, ff. ad l. Cornel. de Sicarijs*, dum Lege Cornelia prohiberi ait, nequis hominem, libidinis causa, castrare audeat; cuius etiam prohibitionis meminit PAULUS *lib.5. Sent. Tit.23.§.7.*

2080 Eò devenit illorum temporum turpitudo, adeòque in fœminis excrevit libido, vt servos, vel alios pueros pulchriores, castrare procurarent (Semiramidem imitatę Babylonis Reginam, quæ prima iniuriam hanc humanæ naturæ inferre est ausa) vt partus metu reiecto, liberiùs infames peragerent concubitus; quòd MARTIALIS mordet *lib.6. Epigram.62. & lib.9. Epigram.7.* cuius verba hic honestas silentio compressit.

2081 De his loquitur S. GREGORIUS NAZIANZENVS, suprà laudatus, dum ait: * Quid omnes in vitium precipites ferimini, vt deinceps idem sit, aut Eunuchum, aut impium vocari? * S. EPIPHANIVS, ingentem fuisse eorum vęsaniam docet, & castrationem *nefarium opus* appellat. S. quoque BASILIVS *ad Simplician.* ait: *Ignominiosum illud, ac perniciosum Eunuchorum genus.* De his ergo Eunuchis, qui abscisionem in vitium vertunt, seseque tamquam turpitudinis monstra gerunt, asserimus, eos omni tempore improbatos fuisse, non solum in Politicis, sed etiam in Sacris, vt latè probavimus suprà.

2082 Secundum Eunuchorum genus est illorum, qui sive tales nati sint, sive violenter facti, castrationem tamen suam in virtutem vertunt. Hos autem, si post castrationem, sive necessariam, sive violentiam, castè, ac virtuosè vixerint, non inficiamur posse omnium virtutum splendore, & dotibus ornari, multosque fuisse in Ecclesia huiusmodi Eunuchos, qui litteris, ac virtute enituerint. Præclarum nobis huius veritatis testimonium suppeditat SACER TEXTVS, *Actor.* 8. vbi fit mentio de illo Eunucho, super omnes gazas Candacis Æthiopum Reginæ, constituto; hunc enim fuisse Eunuchum non solum officio, vt multi alij, sed & corporis defectu, censent S. IRENÆVS, S. CYRILLVS, S. HIERONYMVS, S. AVGVSTINVS, & TERTVLLIANVS, quos refert, & sequitur LORINVS *ad dict. cap.8. Actor.*

2083 S. PETRUS CRYSOLOGUS *Serm.56.* agens de spiritualibus abortivis, & de Eunuchis, qui necessitatem in virtutem vertunt, atque post exectionem castè, & sanctè vivunt, expendensque, quàm digni Divinis beneficijs efficiantur, sic de Eunucho isto Æthiope loquitur: *Eunuchus generatur in via, vt quem castraverat humana temeritas ad hominis servitutem, & intra Regis aulam invita Castitas collocarat, voluntaria Castitas, & votiva ad Cœlestis Aulę gloriam, ad ęterni Regis promoveret, & transferret obsequium. Beatus iste, cui datum est, vt Palatij infulas non amitteret, sed mutaret.*

2084 De Evangelio per eum disseminato, & mortem pro Christo, ac miraculis, consule BARONIVM *ad annum Christi 35.* Multis autem clarum miraculis, prædicationem Evangelij Martyrio coronasse, testis est DOROTHÆVS *in Sinopsi.*

2085 De Sanctis Calocero, & Partheno vxoris Decij Eunuchis, idem habent TABVLÆ ECCLESIASTICÆ 19. *Maij*; sicut & de Sanctis Neręo, & Achilleo Flaviæ Domitillæ domesticis 12. *Maij*. Et de Sanctis Protheo, & Hyacintho, S. Eugeniæ Eunuchis, 11. *Septembris*. S. Hesychium, & Socios fuisse Eunuchos, testatur EVSEBIVS. S. Indes Eunuchus annotatur *in Ecclesiasticis Tabulis* 28. *Decembris*; & apud NICEPHORVM *lib.7. cap.6.* Neapoli in Ede Sacra. S. Patritiæ neptis Constantini Magni, legitur Inscriptio, & Epitaphium, marmori hiscę verbis insculptum:

* Hic duo Eunuchi, & nutrix Aglaya quiescit,
Patritiæ, fœlix terque, quaterque cohors.*

2086 Corpora horum Sanctorum Eunuchorum incorrupta, & integra refert CAROLVS AB EVGENIO *in Neapoli Sacra*, cum de Templo S. Patritię Theodori Eunuchi miraculum narratur *cap. 173. Prati Spiritual.* similiter *cap. 184.* fit mentio de Abbate Ioanne, Eunucho singularis Charitatis etiam in bruta. *Cap.* etiam 40. præmissa erat insignis vita Cosmæ Eunuchi. S. Trigius Presbyter, S. Chrisostomo coniunctissimus, fuit Eunuchus, teste SOZOMENO *lib.8. cap.24.* & NICEPHORO *lib.13.cap.21.* S. Ignatius

tius Patriarcha Constantinopolitanus, Photij sagittarum scopus, Eunuchus fuit: sic pariter Methodius Constantinopolitanus per visionem à S. Petro Eunuchus factus, vt refert ZONARAS *in Michaele Theophili filio.* Fuit etiam Eunuchus Macedonius (alius ab Hæresiarcha) Antistes Constantinopolitanus, vt scribit NICEPHORVS *lib. 16. cap. 26.* Pariter S. Germanus Constantinopolitanus, Eunuchus fuit, mandante Constantino Augusto, qui eius patrem suspectum factum letho dederat.

2087 S. Melitus Sardensis, in eandem Eunuchorum seriem referendus est, vt insinuat EVSEBIUS *lib. 5. Hist. cap. 27.* nec non Dorothæus Præsul Antiochenus. De Sanctis Ioanne, & Paulo Constantij Aulicis, non levibus coniecturis idem firmat LAURENTIUS PIGNORIUS *lib. de Servis, pag. mihi* 185. De Eunucho admirandæ Sanctitatis, & conversationis meminit LEONTIUS *in Actis S. Ioannis Eleemosynarij.* De Sanctis Confessoribus Christianis, iussu Imperatoris, ante relegationem in metallum exectis meminit EUSEBIUS *lib. 8. Histor. cap.* 17. Propheta ESDRAS *lib. 2. cap. 2.* de se ipso dicit: *Quod erat Eunuchus Regis.* De Sanctis Daniele Propheta, eiusque socijs, ex Hebreorum Traditione idem affirmat S. HIERONYMVS *lib. 1. in Iovinian.* nec semel alibi.

2088 Hinc præfato argumento respondemus, quod si loquamur de Eunuchis, qui Eunuchismo vtebantur, vt licentiùs viverent, seseque vitio, ac turpitudini simulatè traderent, asserimus, eos non nisi improbitate famosos, nullaque laude, sed vituperio potiùs dignos, nulloque tempore aliquem illorum fuisse, qui insignis, ac illustris fuerit iudicatus; ideòque illorum abscissio adeò fuit Sanctis Patribus exosa, & à præclarioribus Principibus Politicis, & Ecclesiasticis prohibita: at si loquamur de Eunuchis, qui post suam castrationem ab omni vitio alieni, castè, & virtuosè degerunt; concedimus inter istos aliquos fuisse Virtute, & litteris preclarissimos, quique in Ecclesia singularis honoris gradus meruerint, adeò vt multos illorum tamquam Illustres Sanctos, ac Gloriosos Martyres, & Confessores Sancta veneretur Ecclesia.

2089 Arguitur quintò. Non potest aliquo Canone prohiberi actio, quæ meruit à Christo in Evangelio commendari, ac Cœlorum Regno digna censeri: huiusmodi autem esse castrationem, patet ex his, quæ dixit CHRISTUS *Matth. 19.* vt *in 2. Argumento* retulimus; siquidem S. HIERONYMVS relatus à D. THOMA *in Catena Aurea*, illa Christi verba exponens, asserit, triplex Eunuchorum genus à Christo Domino illis verbis designari, additque: * Sed nullus eorum consequitur Regnum Cœlorum, nisi qui se propter Christum castraverunt.* Ergo saltèm castratio, quę fit propter Christum, laudabilis erit, cum excellentius pręmium, quale est Cœlorum Regnum, promereatur; sicque nec vituperio, nec pœna, aut Ecclesiastici honoris prohibitione 22. Apostolorum Canone statuta, digna erit iudicanda,

2090 Respondemus prædicta Evangelij verba: *Qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum*, dupliciter posse intelligi; nempè, vel de castratione carnali, vel spirituali. Hùc spectat expositio S. HIERONYMI in hunc Textum, qui docet, triplex Eunuchorum genus hic à Christo designari, & vt eorum differentias distinguat, hæc scribit: * Triplex ergo genus Eunuchorum posuit; quorum duo sunt carnales, & tertij spirituales.* Ex sinistra prędictorum verborum Christi intelligentia errarunt aliqui, qui dæmonis fraudibus circunventi intellexerunt, se non posse Evangelicam Legem implere, nec Continentiam, & Castitatem illis verbis significatam consequi, nisi carnaliter se abscinderent, & castrarent. In huius erroris scopulum impegerunt Valesiani Hęretici, qui teste PRATEOLO *ad annum Christi* 198. de Valesiorum errore asserebat: * Neminem posse salvari, nisi se ipsum scilicet abscindendo,* vt refert S. EPIPHANIVS *Hæres.* 58. sentiebant enim ad satisfaciendum verbis Christi, probantis castrationem *propter Regnum Cœlorum*, & vt possent puri perstare, & à concupiscentiæ stimulis liberari, debere se, suosque sequaces castrare, & si isti nolebant, eos ad exectionem violentia adhibita impellebant.

2091 Sic testatur BARONIVS *ad annum* 230. *num.* 5. dicens: * Prodijt enim posteà secta *Eunuchorum* dicta, quæ omnes, quos reciperent, vt semetipsos castrarent, adigerent; quod si facere detrectassent, ipsi eos alligatos vinculis exse-

cabant,

cabant, ad litteram, implendum putantes, quod dixisset Dominus: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum.** Idemque tradit Episcopus SPONDANVS *ad eumdem annum* 3. *Porrò (inquit) semel malè præsumptus error transijt in hæresim, prodijt (teste Epiphanio *Hæres.*58. & Augustino *Hæres.*77.) enim postea secta Valesiorum, à Valesio Arabe diffamata, eademque *Eunuchorum* dicta, quæ omnes, quos reciperet, vt semetipsos castrarent adigebat: quod si facere detrectassent, alij eos vinculis alligatos execabant, putantes implendum esse ad litteram quod dixisset Dominus: esse Eunuchos, *qui se ipsos castrarent propter Regnum Cœlorum.**

2092 Contra sinistram hanc verborum Christi intelligentiam, pro viribus insurrexerunt aliqui Sancti, præcipuè S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *in cap.* 5. *Epist. ad Galat.* ad illud: *Vtinam abscindantur, qui nos conturbant*, dicens: * Vbi sunt nunc, qui se ipsos audent evitare, simul & Apostolicam imprecationem sibi accersentes, & Dei opificium accusantes, & à Manichæis stantes? Nam illi quidem aiunt corpus insidiosum esse, malaque materiæ; hi verò factis suis crudelibus illis opinionibus præbent ansam, dum membrum amputant, velut insidians inimicum. Itaque multò magis oportebat excæcare oculos: per oculos enim in animam descendit concupiscentia. Verùm nec oculus, nec vllum aliud membrum est in culpa, sed sola prava animi inductio. Quod si non sustines, cur non linguam ob blasphemias? cur non & manus ob rapinas? cur non & pedes ad malitiam currentes? denique cur non totum resecas corpus? Nam & aures delinitæ tibia, frequenter effœminaverunt animam; & nares accepto suavi odore imposuerunt menti, & ad voluptatem lympharunt. Itaque circumcidamus omnia, & oculos, & manus, & aures. Verùm hęc extremę sunt impietatis, & Satanici consilij. Tantum oporteret corrigere inconditum mentis impetum; isti verò sua resecant membra. Ita malus Dæmon, perindè quasi erraverit Opifex, persuasit vt instrumenta perderent, semper gaudens cædibus.* Vbi manifestè apparet diabolicum esse consilium, impietatemque, ac errorem penitùs execrandum, iuxtà prædicti Sancti Sententiam, velle ad conservandam Castitatem, & carnis lasciviam coërcendam, materiali castratione vti.

2093 Hùc etiam præclarè facit, quod idem Sanctus scribit, *Homil.*64. *in Matth.* explicans Christi Consilium de triplici Eunuchorum ordine; ibi enim, sic loquitur: * Non sic amputatio membri, quæmadmodum rationis frænum: immò verò sola ratio huiusmodi fluctus comprimit, & in tranquillitatis portum animum reducit. Idcircò igitur illos recensuit, vt hos vehementiùs exhortaretur: nisi enim hùc tenderet, ad quid aliorum fecisset Eunuchorum mentionem? Quandò autem dicit: *qui se ipsos castraverunt*; non de abscissione membrorum dicit, sed pravæ cogitationis interemptionem intelligit. Nam qui membrum incidit, maledictioni subiectus est, vt Paulus ait: *Vtinam abscindantur, qui nos conturbant.* Neque iniuria, nam cum homicidæ opus id esse videtur, & Dei creationi apertè detrahit; Manichæorum ora recludit, & eamdem qui hoc agit iniquitatem committit, quàm qui apud gentes mutilantur. Membrorum enim incisio Diabolicæ fraudis, ac inventionis opus à principio fuit, vt operi Divino detraheretur, vt rationale animal læderetur, vt non voluntati, sed membrorum naturæ vniversa re attributa, largas sibi ad peccandum homines portas reserarent, tamquam rationem non essent reddituri, ac ita dupliciter læderentur, tùm quia membris suis carerent, tùm quia voluntatis ad bona inclinatio reprimeretur. Quæ omnia ex lege Diaboli sunt, quia ad ea, quæ dicta sunt, via quadam progrediens perniciosum illud fatalis rerum necessitatis Dogma introduxit. Ita vndique datam nobis libertatem divinitùs, vitia naturalia esse suadens, evellere conatur: multaque alia hinc pestifera Dogmata occultius seminat. Talia quippè sunt Diaboli perniciosa venena: quarè oro, atque obsecro, fugiatis talem iniquitatem.*

2094 Idipsum, ante Chrysostomum docuerat S. BASILIVS, qui *in lib. de vera Virginit.* aptissimè ad rem nostram discurrit, diabolicum figmentum, atque inventum, asserens, carnalem castrationem reprimendis lascivientis carnis motibus adhibitam. * Si putant (inquit) abscisionem genitalium aliquid ad pudicitiam, atque innocentiam animæ conferre posse, eruant & oculos plurima præter rationem salutis intuentes; præscindant simul & manus, & pedes,

pedes, & aures penitùs obstruant, ne quid horum peccati instrumentum fiat. At id quidem stultum, atque irrationabile est, & insaniæ, furorísque plenissimum, peccati causam non aliter auferri posse, arbitrari, nisi vndiquè circumcidantur membra omnia, ea ratione, qua diximus, truncique in morem omninò inutile iaceat corpus; quandò sic etiam ex præcedentibus imaginibus delusa mens peccet. Pœnitentes itaque corpus ita manere, vt affectum est, membra omnia castissimè rationi moderanda (iuxta quod superiùs diximus) ac regenda tradamus, bonumque opus nostrum, non necessitatis, sed voluntatis munus faciamus.*

2095 Eleganter prosequitur idem argumentum S. AMBROSIUS *in fine libri de Viduis*, vbi postquam loquutus fuerat de Eunuchis natis, & mox ab ortu factis, dicit non esse in eis magnam Continentiæ gratiam; quia voluntas facit, non infirmitas, continentem: * In istis (inquit) nulla culpa, quia facti ignorantia.* Loquens tamen de his, qui Castitatis amore, se ipsos materiali cultro absciderunt, violentaque manu spontè sua se castrarunt, aliter quàm de primis discurrit, dicens: * Non eadem causa eorum, qui in se ipsos ferro vtuntur, sunt enim qui virtutis loco ponunt ferro culpam compescere, de quibus etsi nostram nolumus proferre Sententiam, quamvis sint Statuta maiorum, considerent tamen nè quis id ad professionem infirmitatis trahat, non ad firmitatis gloriam. Ergo nemo militet, nè aliquando vincatur; nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat; nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum. Sed quid prodest carnem abscindere, cum etiam culpa sit in ipso aspectu? Nam & qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mæchatus est eam in corde suo, & quę similiter virum in concupiscentia viderit, adulteratur. Castos ergo, non infirmos esse, nos convenit: pudicos oculos habere, non debiles. Nemo igitur, vt plerique arbitrantur, se debet abscindere, sed magis vincere: victores enim recipit Ecclesia, non victos. Et quid argumentis opus, cum quæstio sit Apostolici forma præscripti? Sic enim habet: *Vtinam & abscindantur, qui volunt vos circumcidi.* Cur enim coronæ occasione, & virtutis vsus præcipitur homini, qui ad laudem natus est, ad victoriam præparatus est, qui ipse priùs virtute animi castrare se possit? Sunt enim Spadones, *qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum, &c.* Et ideò prẹmijs virtutem provocavit, non infirmitatem vinculis alligavit.* Hæc S. Ambrosius.

2096 Quàm inefficax medium sit corporalis abscisio ad Castitatem servandam, comprimendosque carnis impetus, *quæ concupiscit adversus spiritum*, rectè expendit S. BASILIUS probans, exectos vehementioribus stimulis vrgeri; *lib.* enim *de vera Virginit.* duplicem Eunuchismum factitium distinguit: alium, quo tota virilitas excinditur, quali nunc Turcæ vtuntur, vt maiorem de suis Eunuchis securitatē habeant, prout refert SCALIGER *Exercit.* 104. alium verò, quo soli dydimi auferuntur. De primis negat Sanctus, impudicitię flamma liberari; immò asserit eos, * quamvis corpore nihil possint, tamen animo, desiderioque iugiter in cęno, porcorum more convolvi, & post abscisionem esse impudicitiores servos voluptatis, qui liberi metu nè deprehendantur, petulantiam licenter fędis actibus, & amplexibus exsatiant, vt possunt, non vt volunt, lascivientes.*

2097 De posterioribus ait: * Eos acriùs, atque ardentiùs inflammari libidine, & impatientissimè ferri ad complexum, & cum obstructis per excisionem superioribus meatibus, non possint humorem in lumbis inflammatum emittere, non allevientur per complexum, vt hi, quibus vasa sunt integra, & expedita, & emissione concupiscentiæ flagrantis remittunt ardorem; sed pruritu assiduo stimulati aguntur in rabiem, nec desistunt, donec fatigatio cassos conatus disturbet.* Quod duplici sui temporis exemplo confirmat. Alterum est de fassa ingenuè Virgine Sacra spurcum Eunuchum totum toti affusum, cum non haberet, quo æstum concupiscentiæ sedaret, ardentem rabiem morsibus, ac infixis dentibus indicasse. Quod & annuit AVSONIVS *Epigram.* 106.

2098 Nec prętereundus in horum confirmationem S. CYRILLUS *apud Suidam verb. Spado*, apertè enim tradit Sanctus: * Non solum spadones, & qui testes aliquandò habuerunt, quibus fœdo operi incumberent, lascivire immodicè, & impudentèr, ac insatiabilitèr luxuriari solitos; sed etiam illos, quibus virilia prorsùs sunt amputata, & qui sunt exsecti; quemlibet

admodum & illi, qui á primo ortu parribus hisce sunt privati. (Heu extremam absurditatem, & amentiam!) manibus, & digitis corrumpere mulieres, & istam impij facinoris fœditatem adeò furiosè perpetrare; & hoc significans ille Sapiens dixit: *Beatus est Eunuchus, qui manu flagitium non exercuit: & beata Virgo, quæ cubile non novit in delicto, &c.* Audiant igitur hæc illi, qui puros, & temperatos istos frustrà putant, neque credant mendacio, & fictæ puritati, ac temperantiæ simulatæ. Ab impuro enim quid purificabitur? Et à mendaci quid veri manabit?*

2099 Ex his, quæ hucusque Sanctorum Patrum testimonijs probavimus, manifestè convincitur, quanto errore capti fuerint Valesiani, alijque eorum sequaces, qui diabolicis circumventi fraudibus existimarunt, vnicum medium ad Evangelicam Castitatem obtinendam, esse violentam castrationem, itaque homines à carnis incentivis penitùs liberari; cum oppositum evidenter convincant Sancti, quos suprà laudavimus, alijque brevitatis causa omissi.

2010 Hinc etiam apertè patescit, quàm parum sit Eunuchorum Castitati fidendum, ob ea, quæ testes omni exceptione maiores narrant. Audiamus CASSIANVM *Collat.*12. *cap.*10. & D. AVGVSTINVM *lib. 6. in Iulian. cap.*14. * Concupiscere, viventis sentientisque naturæ est: ita non desit concupiscentia, quam Spadonum quoque Castitas frænet: minùs quidem laboriosa, quia vbi materiam, de qua operetur, non invenit, minus adversus eam libido consurgit: est tamen, pudicèque comprimitur, ne concumbendi, quamvis irritus ipse conatus, in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Valentiniani Junioris Eunuchum gladio novimus vltore punitum, meretricis confessione convinctum. Neque enim in Libro Ecclesiastico adhiberetur indè similitudo, atque diceretur: *Videns oculis, & ingemiscens, quasi Spado complectens Virginem, & suspirans;* nisi & ipsi moverentur cōcupiscentiæ carnalis affectibus, licet destituti carnis effectibus.*

2101 Vndè cum Eunuchorum Castitas exterior solum sit, ac apparens, & in eis ob privationem, quæ appetitum naturaliter excitat, ac inflammat, vehementiores sint inordinati lasciviæ motus, vt evidenter comprobant Sanctorum Authoritates suprà adductæ, hinc manifestè colligitur, quàm inefficax remedium sit materialis abscisio ad Eunuchos puros, castosque servandos, quàmque periculosum mulierum cum illis commercium, ac familiaritas, quantòque naufragio obnoxium fœminarum custodiam illorum Fidei committere.

2102 Id eleganter probat S. NILVS *apud S. Damascenum, lib. 2. Parallel. cap.*34. sic scribens: * Ab vxore tua Spadonum strepitum remove; quamvis enim Spado, infrà, geminos testes exectos habere videatur: at suprà tamen geminos in facie oculos habet libidinosè obtuentes, ac mala testimonia secum trahentes.*

2103 Consonat S. HIERONYMUS *Epist.*8. *ad Demetriad.* his verbis illam exhortans: * Eunuchorum tibi, & puellarum, ac servulorum mores magis eligantur, quàm vultuum elegantia, quia in omni sexu, & ætate, & truncatorum corporum violenta pudicitia, animi considerandi sunt, qui amputari nisi Christi timore non possunt.* Et *lib.*1. *contra Iovinian.* præclarè ostendit, quantò discrimini exposita sit mulierum honestas falsæ Eunuchorum securitati innixa; asserit enim, sub Eunuchorum nomine adulteros delitescere.

2104 Sed expressiùs S. BASILIUS, qui de Eunucho loquens, cui fœminę cuiusdam custodia fuerat commissa, refert illum à fidelitate defecisse, additque *lib. de Virginit. ad fin.* quàm periculosa sit Eunuchorum castimonia, quàmque vitari digna illorum familiaris cum fœminis cohabitatio, nisi virtute sint præditi; cuius quidem rei pulchram hanc rationem subiungit: * Masculina corpora, licet illa Eunuchorum sint, cautè vitanda sunt Virgini. Sic enim ille licet Eunuchus, vir tamen per naturam est. Sicut enim cornutus bos, etsi illi præciduntur cornua, non tamen sublatis cornibus, equus efficitur, sed absint licet cornua, bos tamen est: ita & masculus abscisis genitalibus omnibus, ea tamen mutilatione sua, mulier effectus non est, sed masculus (vt est à natura conditus) permanet: ac sicuti bos rescisis cornibus, sic quoque furore cornupetit, cervicem quippè incurvans, & caput ad feriendi impetum formans, gaudet intentare minas, ac sæpiùs ea parte capitis ferit, qua cornibus antea fuerat armatus, satisfacitque furori per actus imaginem; (ita enim afficitur correptus iræ impetu, non vt casso feriens vulnere, sed vt priùs ictu cornuum scindens,

ac

ac dividens:) ita & masculus, quamvis abscissus genitalia, vitiosa tamen concupiscentia masculus est. Quô circa & ipse se ad actum fęditatis similiter formans, amorem spirat, incredibilemque vesaniam: immô & ad coitum fervens, etiam si ea parte non violet, fœminæ turbulentus incumbens, ipse tamen, ac si corruperit, satisfeceritque cupidini, ita sceleris imagine affectus est; eam veró ad peccatum vehementiùs irritans, totum quidem corrumpit animum, corpusque ad corruptionis actum inclementer instigat.*

2105 Hinc ARNOBIUS magnæ antiquitatis, nec minoris eruditionis Author, irridens consilium, quod Æthnicorum Dij inijsse feruntur, vt libidinis æstus minueretur in Atyde, cui præscripta fuit emasculatio, sic scribit *lib.* 5. *Æstuatum est in Concilijs Deorum, quibusnam modis posset intractabilis illa feritas edomari; & cum via nulla superesset, ad opem concursum est vnicam, vt mero madidaretur, & virilibus spoliaretur abscissis. Quasi verô affecti corporalibus his damnis fiant languidioris audaciæ. & non quotidiê videamus eos, qui sibi demesuerint has partes, maioris petulantię fieri, atque omnibus postpositis pudoris, & verecundiæ fręnis, in obscœnam prorumpere vilitatem, flagitiorum confessione vulgata.* Si ergo Eunuchi, experientia teste, Sanctisque Patribus docentibus, vementioribus aduruntur passionibus, ac veluti effrænes velociùs in lasciviam ruunt, apertè vtique dignoscitur quanto discrimini exposita sit fœminarum Castitas illarum fidei commissa, maximè cum tot audiamus exempla, quibus edocemur multarum Castitatem subijsse naufragium ob præcipitem Eunuchorum lasciviam, vehementioresque stimulos, quibus eos exectio ad libidinem exagitat. Quibus manifestê convincitur contra Valesiorum errorem, erroneumque Æthnicorum Deorum consilium, castrationem non esse medium vnicum, immô nec vtile, sed potiùs perniciosissimum ad compescendos concupiscentiæ motus, puritatemque, & Castitatem Evangelicam conservandam.

2106 Cûm ergo hucusque satis superque probaverimus, Evangelio consonum non esse, sed potiùs à vera illius, Sanctorumque Patrum intelligentia procul abesse, quod ad observandum Christi Consilium illis D. Matthæi verbis contentum, necessaria sit violenta castratio, quantumque à veritate devient Valesij intelligentes, neminem posse salvari, neque Cœlorum Regnum consequi, nisi se corporaliter castraverit, vt suprà explicuimus; tantummodô nunc superest, prædicta Christi apud Matthæum de Eunuchis, *qui se propter Regnum Cœlorum castraverunt*, verba declarare, ipsorumque sensum legitimum eruere.

§. VI.

QVID SANCTI PATRES, SACRIque Expositores ad illa Christi verba Matth. 19. de Eunuchorum castratione sentiant?

2107 Dicimus ergo castrationem, quam ab hominibus pro Evangelica Castitate servanda exigit Christus, non esse carnalem, & corporalem, vt ex ijs, quæ luculentissimis Sanctorum Patrum, gravissimorumque interpretum testimonijs, hucusque latè firmavimus, apertissimè innotescit; sed spiritualem. Quare illa Christi verba *Matth.* 19. de spirituali castratione intelligenda sunt, vt Sancti Patres, celebrioresque Sacrarum litterarum Interpretes tradidere.

2108 Itaque Christus illis verbis tria Eunuchorum genera designavit. Primum, eorum, *qui nati sunt*: Secundum, eorum, *qui facti sunt ab hominibus*: Tertium, verò, eorum, *qui se ipsos propter Regnum Cœlorum castraverunt.* Cum autem iam de duobus primis egerimus; nunc de posteriori pertractandum nobis est. Et quamvis in omibus exigat Christus pretiosum Castitatis monile iuxta B. ALBERTUM MAGNUM: *Ordinatio est Castitatis ex dicto orta discipulorum.*, primosque appellat ipse Albertus castos ex necessitate impotentiæ naturalis, & secundos ex necessitate impotentię casualis; nihilominus tamen tertios vocat castos ex Virtute honestatis, id est, non necessitate, sed voluntate: *Primi (inquit) habent actum Castitatis, & figuram membrorum, sed non potentiam: secundi, nec figuram membrorum habent, nec potentiam, nec actum generationis; tertij autem, figuram membrorum, & potentiam generationis, sed non voluntatem, nec actum.* Quia estô libertate polleant, qua possint, & Matrimonium inire, & nullis Continentiæ legibus adstringi; nihilominus propter Cęlorum Regnum, propter Christum, & Casti-

stitatis amore vltrò sese prædicta potentia, & libertatis exercitio abdicarunt, vt Castitatem, & Continentiam, quam in Evangelio prædicto Christus consulit, perfectissimè observarent; & hæc est propriè castratio, non necessaria, sed voluntaria, non corporalis, sed spiritualis.

2109 Alberto consonat præclarissimus illius Discipulus S. THOMAS, dùm prædicta Evangelij verba sic exponit: * *Qui castraverunt se ipsos*, continuæ Castitati se dederunt; & hoc, *propter Regnum Cœlorum*. Aliquando enim membrum per actum intelligitur, vt suprà: *Si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum*, &c. Sic hic membra genitalia, pro actu accipiuntur: vndè ille se castrat, qui Castitati se dedicat.*

2110 Nec ab hac intelligentia discedit S. HIERONYMUS, siquidem *apud D. Thomam in Catena Aurea*, hæc scribit: * Triplex ergo genus Eunuchorum posuit (*Christus*) quorum duo sunt carnales, tertij spirituales.* Ad duo priora sentit S. Doctor pertinere eos, qui corporaliter castrati sunt; vt qui de vtero matris sic nascuntur, vel quos captivitas facit, aut delitiæ matronales. De tertio verô asserit: Tertij sunt, *qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum*.* Hosque spirituales appellat ad distinctionem eorum, qui corporaliter castrantur. In quo verô spiritualis ista castratio consistit? Profectò in eo, quod cum penes ipsos sit, posse Matrimonio vti, quasi abscindunt hanc voluntatem, istaque castratione spirituali propter Christum, & Cœlorum Regnum, spontè volunt Veneris contagia vitare, vitamque celibem ducere. Quod manifestè innuunt illa Hieronymi verba: * Tertij sunt, *qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum*: & qui cum possint esse viri, propter Christum Eunuchi sunt. Istis promittitur præmium: superioribus autem, quibus necessitas castimonia est, non voluntas, nihil omninò debetur.*

2111 Et *lib. 1. contra Iovinian.* asserit: * Eos castrare se ipsos, qui Templum se Deo purissimum, & holocaustum acceptissimum offerunt.* Vbi non solum celibatum, sed celibatum Deo devotum, sacratumque castrationem appellat.

2112 Huic spirituali castrationi egregiè patrocinatur S. HILARIUS *apud D. Thomam in Catena Aurea*, dùm prædictum textum elucidans, hæc habet: * In vno enim eorum posuit (*Christus*) naturam, scilicet in eo, *qui nascitur*: in altero necessitatem, scilicet in eo, *qui factus est*: in tertio voluntatem, qui scilicet spe Regni Cœlestis talis esse decrevit.*

2113 Suffragatur etiam S. IOANNES CHRYSOSTOMUS castrationem in corporalem, & spiritualem dividens, asserensque: à Christo non primam, sed secundam exposci; ad illa namque Domini verba: *qui se castraverunt*; sic scribit: * Non membrorũ dicit abscisionem, sed malarum cogitationum interemptionem.* Prima est corporalis, secunda spiritualis; prima prohibita est, & maledictioni subiecta: * Maledictioni enim obnoxius est (prosequitur Sanctus) qui membrum abscidit: etenim, quæ homicidarum sunt, talis præsumit.* Secunda bona est, & Benedictionibus cumulata; in ea enim cogitationes, & tentationes contra Puritatem, & Castitatem insurgentes anima conatur abscindere, hancque desiderat Christus, eamque Benedictionibus replet, ac illi, qui eam perseveranter servaverit, Cœlorum Regnum promittit.

2114 Itaque verbum illud *castraverunt* duo significat. Primò nostri arbitrij esse cum Dei gratia nos castrare voluntariè, & spiritualiter, id est castos, & celibes efficere, idq; perpetuo Voto firmare, & servare: hoc enim significat vox *Eunuchi*, & vox *castraverunt*, scilicet impotentiam moralem ad generandum; alioqui enim dixisset: *Sunt qui se castrant*, vel *castrare nituntur*; sed iam dicit, *castraverunt*; id est potentiam sibi abstulerunt, seque quasi execuerunt, & inhabiles ad generandum effecerunt, scilicet, per Votum Continentiæ.

2115 In hoc sensu verbum illud exponit CORNELIUS A LAPIDE *ad dict. cap. 19. Matth.* & Cardinalis BELLARMINUS *lib. 2. de Monach. cap. 23.* vbi hæc habet: * Alterum testimonium pro Voto Continentiæ est *Matth. 19.* vbi Dominus quosdam esse dicit Eunuchos, *qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum*; & addit cohortationem: *Qui potest capere capiat.* Ipsa enim Eunuchorum appellatio perspicuè indicat Votum. (Et infrà:) Cum ergo dixerit, *qui se castraverunt*; significat eos vnica actione voluntaria amputasse sibi omnem voluntatem contrahendi nuptias.*

2116 Secundò, verbum illud significat,

cat, Continentiam hanc in continente non fieri sine ingenti carnis lucta, & dolore, perindè, ac si ipsi genitalia abscinderentur, vt optimè docet S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Orat. 31.*

2117 Castrationem hanc voluntariam per Continentiæ Votum præclarè confirmat S. EPIPHANIVS dum *Hæres.* 58. quæ est Valesiorum, hæc habet: *Quinam hi fuerint, *qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum*, quàm generosi Apostoli, ac Monasticam vitam degentes, & deinceps Virgines? (En infrà:) Post ipsos verò (Apostolos) quot millia in Mundo solitariam vitam agentes, & à Monasterijs, & Virgineis Conventibus, huius certaminis gloriam abstulerunt?* Hæc ille; quibus manifestè denotat, castrare se *propter Regnum Cœlorum*, esse id ipsum, quod Monachi, Sacræque Virgines per Votum Continentiæ, Virginitatis, vel Religionis efficiunt.

2118 Quod & confirmat S. FVLGENTIVS *lib. de Fide ad Petrum, cap. 3.* dicens: * Quisquis se ipsum castraverit *propter Regnum Cœlorum*, & in corde suo Continentiam Deo voverit, &c.* Vbi illud, &c, ad explicationem pertinere non dubium.

2119 Illustrantur hęc ampliùs expositione D. AVGVSTINI *lib. de Sancta Virginit. cap. 23.* sic exclamantis: *Quid veraciùs, quid lucidiùs dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, Virtus & Sapientia Dei dicit, eos qui pio proposito ab vxore ducenda se continuerint, castrare se *propter Regnum Cœlorum*, & contrà humana vanitas impia temeritate contendit, eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodò necessitatem molestiarum coniugalium devitare, in Regno Cęlorum amplius quidquam cęteris amplius nihil habere.*

2120 Et *cap. 36.* cum Deo loquens, laudansque Sanctorum, Sanctarumque multitudinem, qui se Deo Virginitatis Voto dedicarunt, optimè probat, castrationem spiritualem Continentię Voto peractam: *Quod non iussisti, sed tantummodò volentibus arripiendum proposuisti, dicens: *Qui potest capere capiat*, arripuerunt, voverunt, & propter Regnum Cœlorum se ipsos, non quia minatus es, sed quia hortatus es, castraverunt.*

2121 Hùc conspirant omnes Authores, qui eos, qui Castitatem ex Voto servant, Eunuchos vocant, illosque castrari dicunt; quorum vnus est ATHENAGORAS *in Apolog. pro Christian.* vbi professionem Virginitatis *Eunuchismum* appellat; alius verò S. HIERONYMVS, qui *in Epist. ad Eustoch. de Custod. Virginit.* hæc, de sua Monastica Professione, scribit: *Cum propter Cœlorum me regna, castrassem.* Scribens etiam *ad Heliodorum*, qui à sæcularibus castris ad Monasticam Vitam transfugerat, sic illum alloquitur: *Cum derelicta militia, te castrasti, propter Regnum Cœlorum, quid aliud quàm perfectiorem sequutus es vitam? *

2122 Spiritualem istam *propter Regnum Cœlorum*, Castrationem, Continentiæ, Religionisque Voto inclusam mirificè describit Author ille Antiquitate, Pietate, ac Religione celebris PETRVS BLESSENSIS *Epist. 55. ad Adeliciam*, ex captatrice Connubij Monialem, cui priùs eorum, qui Matrimonio copulantur, ærumnas, ac miserias eleganter exponit; postea verò non minùs pręclarè subdit: * O quantò beatior est eorum conditio, *qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum*, quorum laus est in Evangelio, quibus dulcior est Amor Christi, quam numerositas filiorum! Audi quid dicat de talibus Isaias: *Non dicat* (inquit) *Eunuchus: Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus*. Eos vocat Eunuchos, tàm Propheticus, quàm Evangelicus sermo, qui se pro Amore Christi Voto Continentiæ adstrinxerunt. Olim dictum est: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Et: *Maledictus qui non reliquerit semen super terram.* Ideò filia Iepte tamquam maledicto Legis obnoxia, exortem posteritatis suæ pudicitiam deplorabat. Verumtamen ex quo venit Dominus Legis, Legem adimplens, nō solvens: *ex quo vox turturis audita est*, & Preco pudicitię Paulus consilium de Virginitate dedit; *impleverunt nuptiæ terram, & pudicitia Paradisum.**

2123 Hucùsque de castratione spirituali egimus, de qua loquuti sumus cum D. HIERONYMO, castrationem in spiritualem, & corpoream dividente; asseruimusque, Eunuchos spirituales illos dici, qui se Continentię, Religionis, vel Virginitatis Voto adstrinxerunt; sicque se propter Christum, & Cœlorum Regnum spontè castrarunt; quod multis Sanctorum Patrum,

trum, graviorumque Sacri textus Interpretum Authoritatibus roboravimus. Pro maiori tamen nostræ Assertionis elucidatione, silentio prætereundum non est, spiritualium Eunuchorum duplex esse genus: alij enim sunt, qui se ipsos voluntate propria, Continentię Voto castrarunt, provt hucusque probavimus, & isti sunt ab hominibus facti; alij verò sunt spirituales Eunnchi, speciali Dei dono, & gratia tales effecti; quorum exempla non pauca nobis Historiæ suppeditant.

2124 Ita Abbati Sereno contigisse, refert CASSIANUS *Collat.* 7. *cap.* 1. cui Angelus scisso per visum vtero, incentivum fœdorum motuum avulsit. Idem præstitit beneficium Cononi Presbytero S. Ioannes Baptista apud MOSCHUM *cap.* 3. *Limonarij*, *seu Prati spiritual.* S. Methodium postea Constantinopolitanum Patriarcham interpellatus ab eo in carnem rebellantem S. Petrus, tabefactis, incensisque dexteræ suæ contactu dormientis genitalibus, iussit deinceps securum esse de carnis subactione, vt narrat *ex Curopalate* Cardinalis BARONIUS *ad annum* 843.

2125 Eliam Rectorem trecentarum Virginum, cum eam curam defugeret, Angeli eunucharunt, teste PALLADIO *cap.* 35. *Lausiac.* Nec prætereundum hìc quod de S. Equitio scribit S. GREGORIUS MAGNUS *lib.* 1. *Dialog. cap.* 4. Vehementissimis carnis stimulis agitabatur Equitius, cumque ferventissimas, ac frequentissimas preces ad Deum funderet, vt ab assidua illa molestia, fœdaque oppugnatione liberaretur; * ab Angelo eunuchizari se vidit, * & ab eo tempore, speciali Dei gratia, ita se ab omni lascivientis carnis motu liberum sensit, ac si sensum in corpore non haberet.

2126 Bernardum Cisterciensis Familiæ Monachum (vt refert CÆSARIUS ARELATENSIS) postadmodum longam carnis rebellantis molestiam de regressu ad sæculum cogitantem, Prior Clarevallensis ægrè ad vnam noctem in Cœnobio retentum, vt Dei sustineret auxilium hortatus est; & ecce consequenti nocte vir horrenda specie in carnificis effigie ad dormientem accedens arrepta eius genitalia abscidit, canique adstanti voranda obiecit. Evigilans Bernardus existimavit se esse physicé eunuchizatum; & ita erat (inquit Cæsarius) tametsi non cultro materiali, sed gratia spirituali, cuius interventu, à carnis petulantia deinceps ad mortem vsque, vixit immunis.

2127 Coronidem imponat mirus ille ANGELICI PRÆCEPTORIS eventus, quem communiter referunt, qui miras illius virtutes litterarijs monumentis consecrarunt. Audiamus ROMANUM BREVIARIUM *ex Decreto S. Concilij Tridentini* restitutum, B. Pij V. iussu editum, & Clementis VIII. Vrbanique VIII. Authoritate recognitum, *in* 4. *Festi ipsius lectione*, vbi, inter alia, hæc habet: * Neapolim studiorum causa missus, iam adolescens Fratrum Prædicatorum Ordinē suscepit; sed matre, ac fratribus id indignè ferētibus, Lutetiā Parisiorū mittitur; quē fratres in itinere per vim raptū, in Arcem Castri S. Ioannis perducunt, vbi variê exagitatus, vt sāctum propositū mutaret, mulierem etiam, quæ ad labefactandam eius Constantiam introducta fuerat, titione fugavit. Mox beatus iuvenis, flexis genibus, ante signum Crucis orans, ibique somno correptus, per quietem sentire visus est, sibi ab Angelis constringi lumbos, quo ex tempore, omni postea libidinis sensu caruit. *

2128 Cum latè iam hucusque de Eunuchis egerimus, qui se abscisione corporali emascularunt, & de illis etiam, qui se spirituali castratione per Continentiæ, Religionis, vel Virginitatis Votum ab hominibus facta castrarunt, nec non de spiritualibus Eunuchis, qui speciali dono, & gratia à Deo castrati fuerunt, quorum suprà exempla retulimus; modò animadvertendum est, in hac castratione spirituali penitùs esse improbandam Cassiani sententiam, qui estô vir aliàs pietate, & eruditione celebris, in aliquibus tamen (quæ in Romana Operum ipsius impressione notantur) deceptus est, vt refert Cardinalis BELLARMINUS *de Scriptor Ecclesiast. pag. mihi* 200.

2129 Itaque CASSIANUS *Collat.* 22. *cap.* 6. egregios, & laudabiles vocat Eunuchos *ab Isaia cap.* 56. descriptos, non illos quidem, qui se spirituali cultro, Continentiæ nempè, vel Castitatis Voto, *propter Cælorum Regnum castrarunt*; sed solum illos verè Eunuchos iudicat, qui ad eum devenerunt perfectionis gradum, vt nullis carnis incentivis vrgeantur, nullis libidinum stimulis agitentur: Vndè caput illud sic concludit: * Illi egregij, atque admirabiles reputantur Eunuchi, non qui metuunt,

sed

sed quibus non licet fornicari, nec impudicitiæ reprimunt fręna, sed qui ipsam quoque minimam mentis titillationem, & tenuissima libidinis incitamenta vicerunt, & eo vsque extenuarunt illum carnis (vt ita dixerim) sensum, vt non solum ex commixtione eius nulla oblectatione, sed nec exigua quidem titillatione tangantur.* Hæc est iuxta Cassianum in genere Continentiæ summa perfectio, quam *collat.* 12. *cap.* 11. hisce descripserat verbis: * Cum caro non concupiscit adversus spiritum, & invicem pace firmissima fœderati habitant fratres in vnum, corpus scilicet & anima, & stupefacto post colluctationem fœmoris nervo ad Israelis meritum, & terrenum Paradisum perpetua cordis directione conscenditur.*

2130 Cæterum quàm aliena sit à vero, ac legitimo spirituali Eunuchismo, quem Christus in Evangelio exigit, hæc Cassiani Doctrina, constat ex his, quæ hucusque diximus, & Sanctorum Patrum, Sacrorumque Interpretum Doctrina firmavimus, præcipuè quia hæc Cassiani sententia adhærere videtur Apathiæ errori, quem S. HIERONYMUS *in Epist. ad Ctesiphont.* ANTIOCHUS *Homil.* 79. & S. IOANNES CLIMACVS eruditè reprobarunt. Et quidem istam Cassiani sententiam procul à sana Doctrina abesse, ipsa suadet ratio: nemo enim inficiari potest, Sanctos Apostolos ad summum spiritualis, & Evangelicæ perfectionis apicem devenisse tamquam *primitias spiritus habentes.* Fuerunt autem Apostoli in Evangelica Lege primi spirituales Eunuchi, quos vt tales agnoscit S. EPIPHANIVS *Hæres.* 15. quæ est Valesiorum, Divũque Paulum, castratum appellat TERTVLLIANVS *lib. de Monogam. cap.* 3. *&* *cap.* 1. omnibus Christianis perfectis idem attribuit nomen. Nihilominus dubitari nequit, D. Paulum vehementissimis carnis stimulis fuisse agitatum, & ardentissimis libidinum facibus inflammatum, iuxta illa ipsius Apostoli verba: *Datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Spiritualis ergo castratio, qua D. Paulus, sicut & cęteri Apostoli, fruebatur, Evangelicæque perfectionis summa non stat in illa spirituali castratione, quam describit Cassianus, vt caro adversus spiritum non concupiscat; aliàs multi præclarissimi Sancti, ac præcipuè præstantissimi illi eremi Cultores, qui se perpetuę Castitatis, & Religionis Voto *propter Cœlorum Regnum castrarunt*, ad Evangelicam Continentiam, & eam, quam CHRISTUS exigit, perfectionem minimè devenissent; cum multi illorum, qui supremum Sanctitatis fastigium attigerunt, huiusmodi stimulis non caruerint, iuxta illud: *Caro concupiscit adversus spiritum*; immò plurimum laboris contulerint, vt in hoc assiduo certamine carnem spiritui subiugarent; quo victricem, ac gloriosam de illa palmam reportarunt. Cuius rei exempla passim ipsorum Vitas legentibus occurrent.

2131 S. GREGORIUS NAZIANZENUS Vir planè Sanctissimus, iam in vltima positus senectute, carnem adhuc spiritui rebellem, illumque libidinum stimulis vrgentem deflebat, vt constat ex ipsius *Oratione de S. Basilio ad finem, & aliis in locis.* Alij similiter Sanctissimi viri toto suæ vitæ tempore assiduum cum carne certamen habuerunt, Oratione, maceratione, assiduoque Ieiunio, tamquam potentissimis armis vtentes, quibus rebellem carnem edomarent, spirituique subijcerent, nè suis incentivis sese superbiùs efferret, sublimiusque extolleret; sed semper ipsi spiritus dominaretur: quô meliùs possent, ac expeditiùs sese à corpore avocare, Divinarumque rerum contemplatione ad Cœlestia rapi, iuxta illud quod de virtute, efficaciaque Ieiunij carnem spiritui subiugantis ECCLESIA Deum alloquẽs, canit: * Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.*

2132 Quare cum de vera intelligentia, qua Sancti Patres illa Christi verba de Eunuchis, istorumque castratione *propter Regnum Cœlorum* loquentis accipiũt, ac exponunt, hucusque egerimus; erroresque ex sinistra prædicti Textus expositione subortos fusiori calamo impugnaverimus, superest adhuc, vt quintum solvamus argumentum num. 2089. propositum, quod probare contendebat, Eunuchorum abscissionem nec vituperio, nec prohibitione dignam, cum saltem illa, quæ *propter Cœlorũ Regnũ* fit, approbetur à CHRISTO, & in Evangelio, & tamquam Cœlesti Regno digna suadeatur.

2133 Respondentes igitur argumento, dicimus, nos non inficiari castrationem *propter Regnum Cœlorum* factam, quam in Evangelio proponit CHRISTUS, tamquam

quam laude dignam; sed tantummodò negare, ad obtinendum Cœlorum Regnum, fruendúque Castitate, quam CHRISTUS ab Eunuchis exposcit, necessariam esse corpoream abscisionem, vt Valesiani, alijque istiusmodi Hæresiarchæ diabolica circumventi fraude erroneè contendebant; negamus insuper corpoream exscisionem vtilem esse, aliquidvè conducere ad observandum Evangelicum Domini Consilium, cum ea violenta sit, omnique, tàm Divina, quàm Humana Lege prohibita; Deo, naturæque exosa; humani generis conservationi contraria, & à Sanctis Patribus, meliorisque notę Authoribus, quos præcedenti §. retulimus, gravissimis verbis improbata. Pro conclusione ergo statuimus, castrationem *propter Regnum Cœlorum*, quam CHRISTUS in Evangelio consulit, & commendat, non esse corporalem, sed spiritualem, prout suprà explicuimus, latéque probavimus Authoritatibus Sanctorum Patrum, qui eximia pietate, eruditione, ac Christianæ Religionis Zelo, maximaque Sacrarum Scripturarum intelligentia floruerunt, vt HILARIUS, HIERONYMUS, AUGUSTINUS, IOANNES CHRYSOSTOMUS, EPIPHANIUS, FULGENTIUS, THOMAS AQUINAS, & ALBERTUS MAGNUS, in quem sensum conspirant etiam ATHENAGORAS, PETRUS BLESSENSIS, & BELLARMINUS, quorum suprà dedimus verba; quod & confirmant plures alij æquali gravitate, eruditioneque conspicui, quos hic adducere possemus; missos tamen, nè Lectori molesti simus, facimus.

§. VII.

ALIIS ARGUMENTIS EXHIBETUR solutio.

2134 Arguitur 6. Leontius, S. Athanasij coævus, Evangelium ad litteram implevit, se ipsum corporaliter abscindens; quòd & duo alij Monachi Ægypti eremum incolentes pariter præstitere, qui tamen Sacris Ordinibus initiati fuerunt; Leontius autem non solum ad Presbyteratus, sed & ad Supremam Antiocheni Primatus Dignitatem evectus est. In primis ergo nascentis Ecclesiæ cunabulis, nec corporalis abscisio Sacrum Ordinem impediebat, nec Apostolicus (de quo loquimur) Canon observabatur, ac perconsequens nec extabat.

2135 Huic argumento respondemus 1. verum quidem esse, quod de Leontio, illisque duobus Ægyptijs Monachis refertur, corporaliter nempè se ipsos abscidisse: asserimus tamen illos, eo ipso in Evangelium peccasse: Eunuchorum enim *propter Regnū Cœlorū* castratio, de qua CHRISTVS *in Evangelio* loquitur iuxta Sanctos Patres, gravioresque Sacrarum Litterarum Interpretes suprà laudatos, non corporalis est, sed tantum spiritualis; vndè prædicti Monachi, sicut & Leontius à legitima Evangelij intelligentia errarunt, seseque omni Divinæ, Humanæ, Civili, Canonicæque Legi corporalem abscisionem veluti malam, ac perniciosam prohibenti, opposuerunt: ideóque asserimus eos contra Leges id prohibentes operatos fuisse, quę temporibus illis in suo conservabantur vigore, maximèque florescebant, vt rectè annotavit BARONIUS *anno* 220. *num.* 4. dicens: * Erat autem facinus illud non Divina tantum Lege, sed etiam humano Iure vetitum: quamobrem (vt aliàs dictum est) Alexandriæ itidem Iustinus Martyr *Oratione ad Antonium Pium* accidisse refert, vt adolescens quidam Christianus, quo careret omni carnis irrationali motu, obtulerit libellum Felici Præfecto Augustali, vt Medico id facere detrectanti timore pœnæ, licentiam impertiret. (Et infrà *num.* 5.) Vigebant tunc antiquæ Ecclesiasticæ Regulę in hunc modum scriptæ: *Canon Apostol.* 21. *&* 22. *Qui sibi virilia amputaverit, Clericus non efficiatur: sui enim homicida est, & inimicus creationis Dei.* (Rursum:) *Si quis cum Clericus esset, virilia sibi ipsi amputaverit, deponatur: homicida enim sui ipsius est.* Sed & Lege Moysi *Deuteronom.* 32. cautum erat, ne intraret Eunuchus in Ecclesiam Dei. Porrò error semel malè præsumptus transijt in hæresim: prodijt enim postea hęresis *Eunuchorum* dicta. (Epiphanius *Hæres.* 58.)* Quare ex Leontij, illorumque Monachorum castratione nihil contra nos infertur, tantumque deducitur, illos contra Evangelium, Divinamque Deuteronomij Legem, ac prædictos duos Apostolorum Canones, quorum observantia tunc temporis iuxta Baronium vigebat, miserrimè erravisse.

2136 Respondemus 2. prædictam Leontij, sicut & duorum Monachorum castrationem

tionem approbatam non fuisse, sed potiùs vituperio à Sanctissimis Viris prosequutam. Quamvis autem Leontius, de facto Sacris Ordinibus fuerit initiatus, sed non de iure; nec enim Sacris merebatur initiari Mysterijs, qui Canonica Lege ab illis eliminabatur, ita vt etiam laica communione censeretur indignus, iuxta S. ATHANASIUM sic de Leontio posteà Antiocheno Episcopo scribentem: * Inter eos (scilicet Arianos) Leontius ille castratus, quem nec sub laici quidem specie ad Communionem admitti oportuit, eo quod se ipsum abscidit, vt liberè cum Eustolio dormiret, revera quidem muliere, quam ille Virginem prædicaret.* Vndè propter prædictam abscisionem fuisse Leontium à Presbyteratu, & ea, quam obtinuerat, Dignitate deturbatum tradit SOCRATES *lib.2. cap.* 11. his verbis: * Is cum Presbyter esset, Dignitate privatus est; quia cum muliere *Eustolio* nomine, degens, & turpem suspicionem velare volens, genitalia sibimet noscitur exscidisse.* Quod etiam testatur THEODORETUS *lib.2.cap.*24. dùm de ipso ab Arianis Antiochenæ Ecclesiæ Pręfecto, sic scribit: * Antiochiæ verò post Stephanum, Ecclesiæ Primatum suscepit Leontius, quem contra Nicæni Concilij Decreta adeptus est: nam sua ipse sibi manu genitalia exsecuerat.*

2137 Sed nec omitti potest quod de ipso Leontio scribit S. ATHANASIUS *Epist. ad Solitar.* * Putabat enim se adhibita exsectione incontinentiæ suspicionem detersurum, non obstante contubernio; attamen infamiam non abolevit, sed cumulavit truculentia in se ipsum; vndè gradu motus est.* Idem testatur Sanctus *in fine libri de fuga sua.*

2138 Quantùm verò vigeret illis temporibus Irregularitas, & Canonica, Apostolicaque prohibitio contra Eunuchos; qui se spontè abscinderent; quàmque rationi, & æquitati consona existimaretur, rectè expendit S. CYRILLVS *apud Suidam, verbo, Spadon,* vbi enarratis Eunuchorum turpitudinibus, hæc, iam suprà ad aliam rem adducta, subiungit: * A Sacris Septis, & à Templis longè discedant: cum enim turpissimo, & pessimo animo, pręclarum, & Divinum opus in malum, & odiosum, ac detestandum decretum mutarint, & inverterint: & spiritualem castrationem interdictæ actioni servire coëgerint, digni sunt, qui non solum ex Legum suffragio, pœnas luant, sed etiam ex Angelico, & Apostolico mandato, in exteriores tenebras penitùs abigantur. De talibus enim dixit Moyses: *Fractus, & exsectus, cui scilicet testes sunt contusi, aut resecti, & avulsi, non ingrediantur in Templum Domini.**

2139 Cum hucusque de Leontij Irregularitate loquuti fuerimus, quia præcipuus fuit, qui Evangelium sinistrè voluit interpretari, vt corporali abscisione suam cælaret lasciviam, pro pleniori prædicti argumenti satisfactione, operæpretium duximus, aliquid etiam addere de duobus illis Ægyptijs Monachis, qui Leontium imitantes, se ipsos spontè castrarunt, non quidem vt sese libidinibus involverent, vt Leontius; sed vt Castitatis legem perfectiùs implerent, perperam intelligentes, Evangelico oraculo consonum esse id, quod Leontius, tantæ Authoritatis Vir, in se ipsum fuerat executus. At quàm graviter improbata fuerit horum exsectio, estò ab animo simplici, candidóque pectore profecta, rei probavit eventus: siquidem illi tamquam Sacrorum Canonum violatores Censionis Sacræ fulmine perculsi sunt, vt patet ex VITIS PATRUM *lib.5. libel.* 15. *num.* 88. vbi de duobus Monachis, qui CHRISTI Oraculum sinistrè intelligentes, se *propter Cælorū Regnū castrarunt*, hæc scribuntur: * Excommunicati autem ab Archiepiscopo Alexandrino Theophilo, indignati adierunt Archiepiscopum Ierosolymitanum, qui & ipse excommunicatione illos perculit. Nec aliter factum est à Patriarcha Antiocheno, quem postea adierunt. Sperantes autem Romanum Pontificem fore erga eos mitiorem, ipsum quoque adiuerunt; & suggerentes, quæ fecerant alij Antistites, dixerunt: Venimus ad te, *quia tu es Caput omnium.* Ipse autem excommunicavit eos. Et conturbati, ac tot Antistitum collusionem causati, statuerunt adire S. Epiphanium, tamquam qui personam hominum non esset accepturus; sed is priùsquàm ingrederentur Civitatem, misit, qui illos aditu prohiberent; quippè iure excommunicatos. Vndè revertentes ad cor, meruerunt à S. Epiphanio suscipi, & exolvi à contractis nexibus.*

2140 Septimò arguitur. Multò ante Leontium, relatosque Monachos Origenes corporali castrationi fundamentum præstitit

tit haud vulgare. Fuit Origenes inter celebriores, doctioresque illorum temporum viros, Doctrina præstantissimus, adeò vt S. GREGORIVS, Neocæsariensis Episcopus, *Thaumaturgus* nuncupatus, ipsi *Panegyricum* dixerit; cumque S. ATHANASIVS *Fidei suæ locupletissimum testem* appellarit; & S. HIERONYMVS *in quæst. Hebraic.* hæc de illo scripserit: *De Adamantio autem sileo; cuius nomen, si parva licet componere magnis, meo nomini invidiosus est. (Et infrà:) Vellem cum invidia nominis eius habere etiam scientiam Scripturarum (*Et Epist. 65.*) Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit.* Ac tandem DYDIMVS eum *secūdum post Apostolos Ecclesiarū Magistrum* appellare non erubuerit. Cum ergo Origenes adeò Sacrarum Scripturarum intelligentia floruerit, vt ex prędictis Sanctis patescit, eiusque nomen, ac eruditionis fama, dissitas totius Orbis pervaserit regiones; nihilominùs *anno* 208. vt notat NATALIS ALEXANDER *sec. 3. p. 2.* se realiter emasculavit, quia illa Evāgelij verba ad litteram de Eunuchis corporaliter castratis intellexit, eaque non nisi corporali exectione impleri posse existimavit: Ergo illa Origenis tempestate nondum prædictus Apostolorum Canon prodierat, cum credibile non sit, virum adeò doctum, ac eruditum tam nefarium scelus fuisse aggressum, si Apostolico Canone sub excommunicationis, vel depositionis pęna prohibitum novisset.

2141 Quod autem Origenes verè se ob prædictam causam corporaliter castraverit testatur EVSEBIVS *lib. 6. cap. 7.* his verbis prædicti facti historiam contexens: *Per idem tempus Origenes dum scholę Alexandrinæ, quam diximus, præerat, facinus quoddam admisit, quod quidem licet ex animo rudi, & iuvenili videtur esse profectum, Fidei tamen, & Castimoniæ specimen maximè dabat. Istam enim Evangelij sententiam *Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum*, aliquantò (vt fert ætas adolescentiæ) simplicius interpretatus, partim quod Salvatoris vocem se penitùs implere oportere putavit, partim quod cum ætate valdè adolescens esset, & non cum viris modo, sed cum mulieribus etiam sermones de rebus Divinis, & Cœlestibus conferret, omnem turpis calumniæ, & obtrectationis ansam infidelibus prorsus adimere voluit, dictā SALVATORIS sentētiam ex occulto (facinus namque maximam partem necessariorum suorum cælare cogitat) exequi re ipsa aggressus est. Cæterùm tale facinus ab eo quantumvis cupiente, occultari non poterat. Quo circa Demetrius, qui ibidem rexit Ecclesiam, de eo post certior factus, tametsi hoc audax eius facinus vehementer admiratus est, tamen incredibilem animi propensionem, & ingenuitatem fidei amplexatus, eum illicò confidere, & bono animo esse iubet, & maiore cura, ac studio in munus Fidei principia instituendi incumbere hortatur, impellitque. Ac tùm quidem Demetrius eo animo fuit, atque sententia.*

2142 Vndè cum Origenes; Vir adeò celebris, ac omnigena Sacrarum litterarum eruditione conspicuus, se ipsum sincero animo, & vt CHRISTI *in Evāgelio* Cōsilium exequeretur, corporaliter Castitatis amore castraverit, hinc haud inefficaciter deducitur corporalem castrationem nec esse Evangelio contrariam, nec alicui Apostolorum Canoni opositam; haùd enim facile credi potest, Virum adeò Doctrina, eruditioneque celebrem, ac tam eximijs laudum preconijs à Sanctis Patribus commendatum, expressè fuisse contra aliquem Apostolorum Canonem operatum, si aliquis esset, qui corporalem castrationem apertè prohiberet, prout illam adductus, propugnatusque à nobis hucusque 22. prohibet.

2143 Respondemus, in Origene duo esse consideranda, quibus, ad comprobandam corporalem abscissionem, vtitur argumentum; præclaram scilicet illius eruditionem, & corporalem ipsius abscissionem, ex quorum primò, infert argumentum, licitum esse secundum. Quoad primum ergo, cui nimis fidunt, qui corporalem castrationem exemplo Origenis, Doctrina celeberrimi, propugnant; illum quidem haùd vulgariter eruditum fuisse fatemur; sapientior tamen fuit illo primus Angelus, qui quò Hierarchià superior, eò fuit scientià ac sapientià nobilior; quo tamen non obstāte, inter Cęlestes Spiritus primus fuit, qui in errorum, ac tenebrarum barathrum miserrimè incidit, iuxta illud: *Videbam Sathan tamquam fulgur de Cœlo cadentem*; atque non modicam Cęlestium Spirituum partem secum traxit. Quis inter homines Salomone sapientior, quem & Sa-

Sacræ litteræ, & Sancti Patres laudibus cumulant, & extollunt, cum & Sacer Scriptor extiterit, & Divino Spiritu fuerit afflatus? Nihilominùs tamen quia altissima illa sapientia, qua Deus illum ditaverat, abusus fuit, in gravissimorum errorum scopulos impegit: vndè mirum videri non debet, quod estò Origenem Doctrina, ac scientia celeberrimum prędicemus, asseramus etiam, illum pro humana fragilitate non modo decipi potuisse, sed & de facto in multos, ac execrabiles errores incidisse: & quamvis multi admirabilem illius sapientiam errorum fęcibus coinquinari ægrè ferentes, illum à prædictis erroribus vindicare conentur, vt inter Antiquos EVSEBIUS CÆSARIENSIS, vnà cum PAMPHILO Martyre, vt quibusdam placet, RUFFINUS, Aquileiensis Presbyter, Author ANONYMUS *apud Photium in Biblioth. Cod.* 117. & inter recentiores IOANNES PICVS, Mirandulanus Comes, IACOBVS MERLINVS, Theologus, & Pęnitentiarius Parisiensis *in Operum Origenis editione*, ipsius labore, ac studio vulgata, GENEBRARDVS, Parisiensis etiam Theologus, deinde Aquarum Sextiarum Episcopus, STEPHANUS BINETUS, & PETRVS HALOXIVS, Societatis IESV Professores, quorum posterior, quatuor libros pro Origenis defensione elaboravit, atque in lucem edidit; quibus suffragatur eruditus vir DANIEL HUETIUS *lib.* 2. Quamvis ergo præfati Authores plurimum laboris contulerint, vt Origenis Doctrinam, ab omni errore liberam ostenderent, ac immunem; vt tamen appareat eos inanem operam insumpsisse, cribroque aquam haurire contendisse, aliqua proferemus testimonia, quibus manifestè patescat Origenem, estò non in omnibus, in multis tamen, proculdubiò à recto Catholicæ veritatis tramite deviasse. Quod nè liberè à nobis dictum videatur, iam Sanctos Patres audiamus.

§. VIII.

QUID SANCTI PATRES DE Origenis Doctrina senserint.

2144 S. HIERONYMUS *lib.* 2. *Apolog. advers. Ruffin. cap.* 5. loquens de Epistola quam Origenes suis amicis Alexandriæ degentibus scripserat, hæc habet: * Qua in Epistola tota Demetrium Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum lacerabat, & in totius Orbis Episcopos, & Clericos invehebatur, & frustrà ab Ecclesijs excommunicatum esse se dicebat.*

2145 Qualem de Origenis Doctrina existimationem habuerit S. PETRVS, Alexandrinus Episcopus, & Martyr, patet ex his, quæ scripsit *in Mystagogia*, quam fecit ad Ecclesiam, cum Martyrio proximus esset, vbi fideles hortatur, vt Origenis Doctrinam, tamquàm Ecclesiæ exitiosam diligenter vitent, soliciteque fugiant: *Propterea (inquit) obsecro, vigilate; afflictionem enim rursum adituri estis. Scitis quot subierit pericula, qui me enutrivit, pater meus, & Episcopus Theonas, ab his, qui in idola insanirent; in cuius ego Sedem successi, vtinam etiam in mores. Scitis, vt Magnus se gesserit Dionysius, qui se è locis in loca abdebat, cum insuper Sabellius affligeret. Quid porrò dicam Heraclam, & Demetrium beatos Episcopos, quales tentationes sustinuerunt *ab insano Origene*, cum ipse dissidia in Ecclesia sereret, quæ ad hanc vsque diem ei turbas excitant? *

2146 IUSTINIANVS Imperator *in Tract. advers. errores Origenis ad Mennam*; adducto hoc S. Petri Alexandrini testimonio, haud obscurè exprimit, quam de perniciosa Origenis Doctrina opinionem concepisset, hęc ex illo testimonio deducens: *An potest aliquis benè sentientium ijs adversari, quæ in Origenem dicta sunt à Sancto Martyre, & Episcopo Alexandriæ, Petro, qui egregium pro Christo certamen suscipiens, non solum Origenem, sceleratamque eius Doctrinam abdicavit, sed etiam testificatur Sanctos, qui ante ipsum fuerant, Patres, multas sustinuisse tentationes ab illius dementia?*

2147 Celebris ille THEOPHILVS, Alexandrinus Antistes, quem S. HIERONYMUS *lib.* 3. *Apolog. advers. Ruffin. Virum Apostolicæ sapientiæ* vocat, *varijs in Synodis* Origenem, eiusque sequaces Anathematizavit, doctrinamque ipsius proscripsit, vt constat ex illius *Epist. ad S. Epiphan.* quę est 67. inter Hieronymianas, vbi hæc leguntur: *Dominus, qui loquutus est ad Prophetam: *Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, eradicare, & suffodere, & disperdere, &*

rursum ædificare, ac plantare; singulis temporibus eamdem Ecclesiæ suæ largitur gratiam, vt integrum corpus conservetur, & in nullo Hæreticorum Dogmatum venena prævaleant. Quod quidem nunc videmus expletum. Nam Ecclesiæ Christi, quæ non *habet maculam, neque rugam*, egredientes de cavernis suis Origenis colubros, Evangelico ense truncavit. (Et infrà:) Dignationis tuæ est, quæ in huiusmodi certaminibus, sæpè ante nos pugnavit, positos in prælio consolari, & congregare totius Insulæ Episcopos, ac Synodicas Litteras, tàm ad nos, quàm ad Constantinopolitanæ Urbis Episcopum, & si quos alios putaveris mittere, vt consensu omnium, & ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur.*

2148 Nec silentio prætereundum, quod de Origene affirmat S. METHODIUS, Tyri Episcopus, Theophilo adhuc antiquior, qui Diocletiani temporibus floruit, illum nempè in Resurrectionis articulo graviter errasse. Ita testatur *in Oratione de Resurrectione*, quam adversus illius errores conscripsit, cuius fragmentum S. EPIPHANIUS Panario suo inseruit *Hæres.* 64. cuiusque excerpta repræsentat PHOTIUS *in Biblioth. Cod.* 234. * Origenes (inquit S. Methodius) vult non eamdem carnem cum anima coniunctum iri, sed qualem nunc singulorum formam, secundum speciem, corpus carni imprimit, talem, sed in alio corpore spirituali impressam resurrecturam, vt vnusquisque rursum idem videatur secundum formam, & hanc esse promissam nobis resurrectionem.* Quem quidem Origenis errorem ingenti sanè Zelo, ac efficacia improbat, ac refellit *S. Methodius in Oratione prædicta*.

2149 S. CYRILLUS ALEXANDRINUS Origenis errores validè execratur, vt constat ex illius *Epistola ad Monachos in Phua degentes*, in qua perstringens eos, qui corporum resurrectionem inficiabantur, quos inter, haud ignobilem locum Origenes tenebat, hæc habet: * Aiunt igitur esse apud vos, qui negent humanorum corporum resurrectionem, quę pars confessionis nostræ est, quam fecimus, salutare adeuntes Baptisma. Fidem enim profitentes adiungimus, credere nos, & *carnis resurrectionem*. Si hoc tollimus, nec credimus Christum resurrexisse à mortuis, vt nos sibi conresuscitaret, claudicantem habemus Fidem, ac à via regia deflectentes, pravum iter sequimur. Huiusmodi autem improba opinio ab Origenis dementia est; quem & Patres nostri vt veri depravatorem abdicaverunt, & anathematizaverunt. Non enim sensit vt Christianus, sed Paganorum sequutus ineptias, & nugas, in errorem incidit. Hinc autem ei contigit morbi principium: asseverat animas ante corpora esse, & à sanctimonia abductas fuisse in cupiditates, ac nequitiam, desciviss eque à Deo, à quo hanc ob causam damnatæ sunt, & corpori obstrictæ, suntque in carne tamquam in carcere.*

2150 S. EPIPHANIUS *in Epist. ad Ioann. Ierosolymit.* inter Hieronymianas 60. Origenis errores eleganter refellit, & in eos tamquam perniciosissimas hæreses, depravataque Dogmata insurgit, hæc, inter alia, scribens: * Quis Origenem dicentem patiatur, quod animæ Angeli fuerint in Cœlis, & postquam peccaverint in supernis, deiectas esse in istum Mundum, & quasi in tumulos, & sepulchra, sic in corpora ista relegatas, pœnas antiquorum luere peccatorum, & corpora credentium non Templa Christi esse, sed carceres damnatorum?*

2151 Et infrà: * Illud quoque, quod asserere nititur, doleam nè, an rideam, nescio. Doctor Egregius Origenes audet docere, Diabolum id rursum futurum esse, quod fuerat, & ad eamdem rediturum Dignitatem, & conscensurum Regna Cœlorum.*

2152 Et inferiùs: * Quis autem patienter ferat, Origenem lubricis argumentationibus resurrectionem carnis huius negantem; sicut declarat manifestissimè in Volumine explanationum primi Psalmi, & in multis alijs locis.*

2153 Relatisque varijs ipsius Origenis erroribus, graviter dolens, plurimos fratrum, qui ad maximum Sacerdotij gradum pervenerant, eius suasionibus deceptos, hæc subiungit: * Inimica, & odio digna Origenis verba sunt, & Deo repugnantia, & Sanctis eius; & non ista sola, quæ dixi, sed & alia innumerabilia; neque enim nunc mihi propositum est adversus omnia Origenis Dogmata disputare. Nihil mihi subripuit Origenes, nec in mea generatione fuit, nec propter aliquas res Mundi, & hæreditatem, odium adversus illum, pugnasque suscepi; sed vt simpliciter fatear, doleo, & valdè doleo, videns pluri-

plurimos fratrum, & eorum præcipuè, qui professionem habent non minimam, & in gradum quoque Sacerdotij maximum pervenerunt, eius persuasionibus deceptos, & perversissima Doctrina, cibos factos esse Diaboli.*

2154 Et infrà loquens cum Ioanne Patriarcha Ierosolymitano, illum hortatur, vt Origenis Doctrinam tamquam manifestam hæresim vitet; sic enim scribit: * Te autem, frater, liberet Deus, & Sanctum Populum Christi, qui tibi creditus est, & omnes fratres, qui tecum sunt, & maximè Ruffinum Presbyterum ab hæresi Origenis, & ab alijs hæresibus, & perditione earum. Si enim propter vnum verbum, aut duo, quę contraria Fidei sunt, multæ hæreses abiectæ ab Ecclesia: quantò magis hic inter Hæreticos habebitur, qui tantas perversitates, & tam mala Dogmata contra Fidem adinvenit, deniquè & Ecclesiæ hostis extitit?*

2155 Tandem suam Epistolam hac admonitione absolvit: * Palladium verò Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc misericordia Dei indiget, cave, quia Origenis hæresim prędicat, & docet: ne forte aliquos de Populo tibi credito ad perversitatem sui inducat erroris.* Hùc etiam facit EPISTOLA, quam idem Sanctus D. Hieronymo scripsit, quæ est 73. inter Hieronymianas.

2156 Videatur insupèr S. EPIPHANIUS *in Panario, Hæres. 64.* vbi præcipuis Origenis erroribus relatis, ac reiectis, sic de illo scribit: * Qui cum adversus superiores omnes hæreses disputasse, ac singulas evertisse visus sit, posteà tamen suam & ipse hæresim, & quidem haud vulgarem, in Orbem terrarum evomuit.*

2157 Ex hûcusque dictis manifestè patescit, quàm vnanimi consensu Sancti Patres Origenis Doctrinam, erroresque damnarint. Sufficiebant quidem ista, vt ex illius castratione nihil contra nostrum inferretur Assertum; nihilominùs tamen vt Origenis propugnatores clariùs agnoscant, quanto cum fundamento Sancti Patres sese perniciosissimę illius Doctrinę opposuerint, Ecclesiæ de Origenis Doctrina Iudicium sequenti §. proponemus.

§. IX.

QUALE DE ORIGENIS Doctrina, eiusque erroribus Ecclesia, Conciliorumque Patres Iudicium tulerint.

2158 VT Origenis Doctrinam pluribus erroribus commaculari non dubitetur, audiatur SYNODICA Episcoporum Ægypti, totiusque Alexandrini Patriarchatus EPISTOLA, cuius fragmentum extat *in Iustiniani Imperatoris Tractatu ad Mennam, Constantinopolitanum Patriarcham* directo, in hæc verba: * Hìc ergo, de quo agitur, Origenes, veluti *abominationis desolatio* in medio veræ Ecclesiæ extitit, ac Presbyter ordinatus à Canonica ab vna verà manu Dignitatem Presbyteri nudam, & solam habuit, quemadmodum & Apostolatus honorem habuit fur, ac proditor Iudas. Is enim cum cœpisset blasphemas Homilias habere, Heraclas beatæ memoriæ tunc Episcopus, vt studiosus veritatis Arator, ac Vinitor Ecclesiastici agri, eum è medio pulchrę, ac letæ segetis evulsit, quod revera è malo zizania esset.*

2159 Et paulò infrà: * Quare hic è Cœlo in terram decidens, tamquam fulgur, sicut & eius Pater Diabolus, multæ atrocisque iracundiæ contra veritatem spirans, in Palęstinam Regionem navigavit, moratusque in Cæsariensium Metropoli, cum personam, quam sibi induerat, deposuisset, seque aperuisset veluti piscis, qui *Sepia* apud quosdam appellatur, significans quod sibi voluptati erat, ac tenebricosum, atque atrum vitæ venenum evomens, illis scriptis expressit, & sicuti *Caupo* iudaicus, boni specie, ac simulatione dulci amarum miscuit. Quid enim iste pravè moliens, atque insaniens dicit? Erat, inquit, anima ante corpus, & pręexistebat in Cœlis: eamque, cum ibi peccasset, in custodiam immersit Deus, id est, in corpus demisit, ad purgationem, inquit, in castigationem admissorum in Cœlis criminum. Hinc primum impijssimus protinùs fabulatur, veritatemque oppugnare studet.*

2160 Animadversionem etiam sibi conciliat censura, quam Origenis Doctrinę Summus Pontifex ANASTASIUS inussit, vt videre est *in Epistola*, quam

ad

ad Ioannem Ierosolymitanum scripsit, vbi loquens de versione, qua Græcos Origenis libros, Latinos fecerat Ruffinus, hęc scribit. * Hac igitur mente concepi, quod, qui Vrbis nostræ Populis de translata Origenis lectione patefecit, quamdam puris mentibus velut nebulam excitans iniectam, Fidem Apostolorum, maiorum Traditione firmatam, velut devijs anfractibus illum voluisse dissolvere. Dicere hoc loco libet, quid agat in Romanam linguam ista translatio. Approbo, si accusat Authorem, & execrandum factum populis prodit, vt iustis tandem odijs teneatur, quem iamdudum fama constrinxerat. Si verò Interpres tantorum malorum erroribus consensum pręstat, & legenda impia Dogmata prodit in populos; nihil aliud sui opera laboris extraxit, nisi vt propriæ velut mentis arbitrio, hanc, quæ sola, & quę prima apud Catholicos Christianos vera Fides iam ab Apostolis exinde vsque ad tempus præsens tenetur, inopinatæ titulo Assertionis everteret.

2161 Absit hæc (prosequitur) ab Ecclesia Romana nequaquam Catholica disciplina. Numquam profectò eveniet, vt aliqua hoc admittamus ratione, quod iure meritòque damnamus. Quapropter in toto Orbe Christi, Dei nostri, diffusa providentia probare dignabitur, accipere nos omninò non posse, quæ Ecclesiam maculent, probatos mores evertant, aures circumstantium vulnerent, iurgia, iras, dissensionesque disponant. Quare nosce qualem Epistolam ad fratrem, & Coëpiscopum nostrum Venerium diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmiserit; sibique hanc conscientiam fecerim, quod non superflua laborem formidine, neque vano timore solliciter: mihi certè cura non deerit, Evangelij Fidem circa meos custodire populos, partesque populi mei per quæque spatia diversa terrarum diffusas, quantum possim litteris convenire: nê qua prophanę interpretationis origo subrepat, quæ devotas mentes immissa sibi caligine labefactare conetur. Illud quoque quod evenisse gaudeo, tacere non potui, Beatissimorum Principum manasse responsa, quibus vnusquisque Deo serviens, ab Origenis lectione revocetur: damnandumque Sententia Principum, quem lectio rerum prophana prodiderit.* Hæc ille.

2162 Húc egregiè facit Iudicium, quod de Origenis Doctrina multis ante V. Synodum annis, tulit IUSTINIANUS Imperator *in Epistola*, seu *Tractatu*, *quem Mennæ Patriarchæ scripsit*; quod quidem Imperatoris Iudicium eô videtur notatu dignius, quò maiori Authoritatis munimine prædicta Epistola exornata conspicitur; fuit enim instante, & dictante Pelagio, Romanæ Ecclesiæ Diacono, & Apocrisiario scripta, & posteà à Vigilio Papa approbata; continet autem hæc Epistola novem in Origenis Doctrinam anathemata, eumque his ad calcem verbis anathematizat: * Anathema Origeni, qui & Adamãtius, qui hæc exposuit, vnà cũ nefaria, atque execrabili, scelestaq; eius Doctrina, & cuivis qui ea sentiat, aut defendat, aut vllo modo prorsus quocumque tempore tueri præsumat.*

2163 At non solùm Romanus Pontifex Vigilius, sed Orientales etiam Patriarchæ, prædictum Iustiniani Imperatoris Edictum approbarunt, ipsique subscribentes suum fecerunt, vt constat ex ijs, quę LIBERATVS, Carthaginensis Archidiaconus, *in Breviario*, *cap*. 23. hisce verbis enarrat: * Sed redeunte Pelagio Constantinopolim, Monachi quidam ab Ierosolymis, per quos Pelagius in Gazam transitum habuit, venerunt ad eum in comitatu, portantes Capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur, ipsaque Capitula talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens se de talibus causis Iudicium ferre. Iubente eo dictata est in Origenem, & illa Capitula anathematis damnatio; quam subscribentes vnà cum Menna Archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deindè directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoylo Alexandrino, Euphemio Antiocheno, & Petro Ierosolymitano. Quibus eam accipientibus, Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus.*

2164 Nec solus Liberatus, sed & CASSIODORUS etiam meminit condemnationis, qua Vigilius Pontifex Origenis errores proscripsit; siquidem *lib*. 1. *Divin*. *Instit*. *cap*. 1. de Origene loquens: * Hunc (inquit) licet tot Patrum impugnet Authoritas, præsenti tamen tempore, & à Vigilio Beatissimo Papa denuò constat esse damnatum.*

2165 Quæ omnia eleganter comprehendit V. OECVMENICA SYNODVS *anno* 553. iussu Vigilij Pontificis cele-

celebrata, cum enim Origenistæ Censionis Sacræ fulmine percussi, nê transversum quidem vnguem à suis erroribus discederent, sed potiùs illorum hæresis in illis Orientis partibus sęviùs in dies grassaretur; Vigilius Pontifex, vt exiliens illa perversissimi, ac Ecclesiæ perniciosissimi Dogmatis scintilla, antequam in flammam adolesceret, comprimeretur, ac penitùs extingueretur, pro suo Apostolico Zelo, ac Pastorali sollicitudine iussit, vt vbi præcipuum vigebat damnum, efficaciùs ibi adhiberetur remedium, & Constantinopoli, præcipua Orientis Sede, de nova illa Doctrina, & de ijs, qui eam pertinaci, obstinatoque animo sequebantur, nec Apostolicis Decretis prædictos errores condemnantibus obtemperabant, denuò Iudicium, ac Sententia ferretur; ideòque prædictam iussit congregari Synodum, quæ suscepta Iustiniani Imperatoris Epistola, qua Religiosissimus Princeps, Origenis, istiusque Sententiæ condemnationem pro suo in Ecclesia Zelo exposcebat, & suscepto pariter Edicto, quod ipse Imperator contra prædictam Doctrinam promulgarat, & anteà, *anno* nempè 538. Vigilio Pontifici miserat, vbi Anathema, quo Origenem, istiusque Doctrinam, & sequaces prædictus Pontifex percusserat, continebatur, ad novam illorum errorem damnationem processit, vt testatur EVAGRIUS *lib.* 4. *Histor. Ecclesiast. cap.* 37. ea, quæ in V. Synodo circa trium Capitulorum condemnationem evenerunt, hisce verbis enarrans: * Postquam autem libelli ab Eulogio, Conone Syriaco, & Pancratio Monachis, contra Dogmata Origenis Adamantij, & eos, qui eius impietatem, & errorem sequebantur, oblati essent, percontatur Iustinianus à Concilio congregato, quid de his statueret? Adiungit etiam eodem libelli vnius exemplar, quin etiam litteras Vigilij de eisdem rebus præscriptas. Ex quibus animadverti potest, quemadmodum elaboratum fuerit ab Origene, vt simplicem Apostolicorum Dogmatum Doctrinam, Gentilium, & Manichæorum Zizanijs infarciret. Itaque vbi contra Origenem, & eos, qui in eodem cum illo errore versati sunt, clamores editi fuere, relatio missa est ad Iustinianum, cuius pars aliqua his verbis continebatur ::: Qui animum Nobilitatis antiquæ participem tenes, Imperator Christianissime. (Et paulò infrà:) Fugimus igitur, fugimus istam Doctrinam. Nam voces eorum, qui sunt ab Ecclesia alieni non agnoscimus: immò verò siquis talis sit, eum vt furem, & latronem vinculis Anathematis firmè constrictum extra Ecclesiæ mœnia eijcimus.*

2166 Ac post, adiungunt ista: *Actorum nostrorum vim ex eorum lectione facilè intelliges; his adiunxere Capitula, quę Patroni Dogmatum Origenis didicerant, quæ non eorum solum consensum, verumetiam dissensionem, atque adeò multiplicem errorem perspicuè declararunt. Quorum quintum Caput fuit blasphemiarum, quę ex persona nonnullorum Monachorũ, novum Monasterium incolentium proferebantur, quod ita se habet: Theodorus, qui Alcuydas dicitur, Episcopus Cæsareæ dixit: Si iam Apostoli, & Martyres, qui miracula edunt, in tanto honore sint, quæ tandem erit illis restitutio, vltima carnis resurrectione, nisi pares, & ęquales Christo efficiantur? Recensebantur porrò ab illis, qui has res studiosè admodum collegerunt, complures Dydimi, Evagrij, Theodori, aliæ blasphemiæ.* Hæc ille.

2167 Insupèr Origenem, eiusque errores fuisse in V. Synodo condemnatos, ac Anathemati subiectos, multi, Gravissimique Authores Græciæ testantur; vt ALEXANDRINI CHRONICI AUTHOR, GREGORIUS SYNCELLUS, THEOPHANES, PHOTIUS *in libello de synodis*, NILUS RHODIUS, & ANONYMI DUO, qui de Synodis etiam scripserunt, quos *in antiqua Iuris Canonici Bibliotheca* refert HENRICVS IVSTELLVS; quibus addi possunt ZONARAS, GLYCAS, ZEDRENVS, qui & Iustiniani Epistolam ad Synodum repræsentat, in qua à prędicti Concilij Patribus Origenis, istiusque sequacium condemnationem efflagitat, NICEPHORVS etiam, qui *lib.* 17. *Histor. Ecclesiast.* Anathematismos in Originem à Synodo vibratos recenset, & CYRILLVS, Monachus, Iustiniano Imperatori coætaneus *in Vita Euthymij, cap.* 105. & *in Vita Sabæ, cap. vit.*

2168 Quod eleganter confirmat VI. OECVMENICA SYNODVS *Act.* 18. vbi profitetur se in omnibus conformari Sanctæ V. Synodo, quæ congregata est adversus Theodorum Mopsuestanum, Origenem, Dydimum, & Evagrium.

2169 LEO etiam II. Pontifex Maximus, qui VI. Synodi Acta confirmavit, Origenem, istius sequaces, aliosque plures Hæ-

Hæreticos Anathematizavit *in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem*, quæ *in VI. Synodi appendice* habetur, in ea enim sic scribit: * Anathematizamus præterea, atque execramur omnes Hæreses, omnesque earum Authores, atque fautores, qui adversus Apostolicam, & Orthodoxam Fidem, Diabolicis decepti fallacijs fallitatis errores in Ecclesiam conati sunt introducere; id est, Arium, Sabellium, Macedonium, Apollinarem, Eunomium, Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Timotheum, Severum, Themistium, Origenem, qui est Adamantius, Dydimum, & Evagrium:: Quę Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia de Cathologo fidelium Patrum, vtpotè zizania de Area Dominicæ Ecclesiæ, gehennæ supplicio abdicanda, per ventilabrum divinæ discretionis abiecit.*

2170 Tandem Origenem fuisse in V. Synodo condemnatum manifestè testatur VII. OECUMENICA SYNODUS *Act.*1. his verbis: *Sanctæ Venerabilis V. Synodi, quæ Constantinopolim congregata est, communi, & vniversali submissi sunt Anathemati Origenes, & Theodorus Mopsuestiæ, & ea quæ ab Evagrio, & Dydimo dicta sunt, de eo videlicet quod ante substantiam fuisse perhibebant, & quod de restitutione in statum pristinum fatebantur, consentientibus, & præsentibus quatuor Patriarchis.* Idem habet *Act.3. & 7.* in Professione fidei, vbi post Anathema in alios Hæreticos intortum, hæc addit: *Cum quibus, & Origenis, & Evagrij, & Dydimi fabulas Anathematizamus, sicut, & Constantinopoli congregatum V. Concilium egisse dignoscitur.*

2171 Nec his opponitur, Origenem fuisse à S. GREGORIO NEOCÆSARIENSI præclarissimè commendatum; cum enim, prædictus Gregorius illius discipulus extiterit, nihil mirum quod ipse id quod in illius doctrina bonum repererat, discipuli amore laudaverit; Origenes enim estô in multis, non tamen in omnibus, à veritatis tramite deviavit.

2172 Pariter non obstat Origenis Doctrinam multis laudum pręconijs à D. HIERONYMO extolli, eumdemque Origenem à S. ATHANASIO maximè celebrari, qui contra Arium illius Authoritatem adduxit; ijs enim eleganter satisfacit Hieronymus; dum respondens instantiæ, qua ei objiciebatur Origenem, à se modò laudatum, modò verò fuisse vituperatum, asserit, se Origenem in ijs, quę laudanda erant meritò commendasse, in ijs verò, quæ vituperio digna videbantur, æquissimè improbasse. Et nè Hieronymianæ eloquentię venustati, ac splendori aliquid detrahatur, audiamus illius verba *in Apologia adversus Ruffinum, lib.3. cap.7.* vbi sic eum alloquitur: * Audi ergo, vir sapientissime, & Romanę Dialecticæ Caput, non esse vitij hominem vnum laudare in alijs, & in alijs accusare; sed eamdem rem, & probare, & improbare. Ponam exemplum, vt quod non intelligis, prudens mecum lector intelligat. In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresim: in Origene miramur scientiam Scripturarum; & tamen Dogmatum non recipimus falsitatem: in Dydimo verò, & memoriam prædicamus, & super Trinitate, Fidei puritatem; sed in cęteris, quæ Origeni malè credidit, nos ab eo retrahimus: Magistrorum enim non vitia imitanda sunt, sed virtutes. Grammaticum quidam Afrum habuit Romę virum eruditissimum, & in eo se æmulum præceptoris putavit, si stridorem linguæ eius, & vitia tantum oris exprimeret.*

2173 Ipse Sanctus *Epist.65. ad Pammachium, & Occeanum*, objicientibus sibi quod Origenem in tam perniciosos errores prolapsum commendaverit, sic eruditè respondet: *Objiciunt mihi quarè Origenem aliquandò laudaverim. Ni fallor duo loca sunt, in quibus eum laudavi, *Præfatiuncula ad Damasum in Homilias Cantici Canticorum, & Prologus in librum Hebraicorum nominum.* Quid ibi de Dogmatibus Ecclesiæ dicitur? Quid de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto? Quid de Carnis Resurrectione? Quid de Animæ statu, atque Substantia? Simplex interpretatio, atque Doctrina simplici voce laudata est. Nihil ibi de Fide, nihil de Dogmatibus comprehensum est: Moralis tantum tractatur locus: & allegorię nubilum serena expositionè discutitur. Laudavi Interpretem, non Dogmatistem; ingenium, non Fidem; Philosophum, non Apostolum. Quod si volunt, super Origene meum scire iudicium; legant in Ecclesiastem commentarios; replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina, & intelligent me semper eius Dogmatibus contraisse.*

(Et

2174 (Et infrà:) *Vult aliquis laudare Origenem? Laudet, vt laudo. Magnus vir ab infantia, & verè Martyris filius. Alexandriæ Ecclesiasticam Scholam tenuit succedens eruditissimo viro Clementi Presbytero; voluptates in tantum fugit, vt Zelo Dei, sed tamen non secundum scientiam, ferro truncaret genitalia. Calcavit avaritiam, Scripturas memoriter tenuit, & in studio explanationis earum diebus exsudavit, & noctibus. Mille, & eo amplius tractatus in Ecclesia loquutus est. Edidit innumerabiles prætereaCommentarios, quos ipse appellat *Tomos*, & quos nunc prætereo, ne videar operum eius indicem texere. Quis nostrum potest tanta legere quanta illè conscripsit? Quis ardentem in Scripturis animum non miretur? Quod si quis Iudas Zelotes opposuerit nobis errores eius, audiat liberè: interdum magnus dormitat Homerus; verum operi longo fas est obrepere somnum. Non imitemur eius vitia, cuius virtutes non possumus sequi. Erraverunt in Fide alij, tàm Græci, quàm Latini: quorum non necesse est proferre nomina, ne videamur eum non sui merito, sed aliorum errore defendere. Hoc non est, inquies, excusare Origenem, sed accusare cęteros. Pulchrè si eum errasse non dicerem; si in Fidei pravitate saltem Apostolum Paulum, vel Angelum de Cœlo audiendum crederem. Nunc verò cum simpliciter errorem eius fatear, sic legam vt cęteros, quia sic erravit, vt cæteri.*

2175 Hinc manifestè convincitur quã inefficax sit septimum argumentum, quo probari contendebatur Origenis Castrationem nulli Apostolorum Canoni opponi, cum credibile non sit virum adeò doctum, ac celebrem in illum defectum incidisse, si aliquis esset Apostolorum Canon, qui huiusmodi exectionem sub Excõmunicationis, vel depositionis pœna prohiberet; qua arguendi forma vtitur quidã notę eruditionis Author, qui *Sæcul.1. Dissert.* 17. de Origenis facto loquens: * Non esset aggresus (inquit) adolescens pijssimus, & eruditissimus, qui Scholæ Alexandrinę Ecclesiæ iam præerat (teste EVSEBIO *lib. 6. cap.7.*) si id Canone Apostolico sub Excommunicationis, vel depositionis pœna prohibitum novisset. * Sed non possumus non mirari Origeni tantam Pietatem, tantumque Zelum à prædicto Authore adscribi vt neutiquam se abscidisset, si id Apostolico Canone prohibitum novisset; cum tota illa pietas, & eruditio sufficiens non fuit nè contra Divinum Evangelij Canonem, contra Catholicam Fidem, Sanctissimamque Religionem operaretur, & impiè de Patre, Filio, & Spiritu Sancto loqueretur; eoque impietatis devenerit, vt cum Gloriosissimi Martyris filius existeret, oblata tamen moriendi pro Christo occasione, Martyrium subire exhorrescens Christum summo Fidelium scandalo negarit, & Æthnicorum Idolis libarit.

2176 Quod estò creditu difficile videatur, gravissimi testantur Authores, vt S. EPIPHANIUS, qui *Hæres.64.* expressè fatetur, Origenem, vt Martyrium effugeret, Christum negasse, & Gentilium Idolis immolasse LEONTIUS BYZANTINUS *lib.6. de Sectis, Act.*10. NEMESIUS, Philosophus Christianus, & Episcopus Emisenus *lib. de Natura Hominis, cap.*30. Idque ipsum de Origenis lapsu prodiderunt NICETAS *lib.*4. *Thesaur. Orthodox. Fidei, Hæres.* 31. ANASTASIVS Bibliothecarius *in Histor. ad annum Christ.*244. NICEPHORVS *lib.5. Histor. Ecclesiast. cap.* 32. ZONARAS *lib.2. Histor.* GLYCAS *part.3. Annal.* Et quod magis est IUSTINIANUS Imperator *adversus Origenis errores* à V. Synodo approbatus, aliam ab ea, quæ in septimo argumento infertur, consequentiam deducit: siquidem ex erroribus, quos anteà retulerat, infert mirum non esse illum in Fide, & vera Christi Confessione defecisse: * In Fidei ergo petra nullomodo stabilitus; sed huiusmodi, atque his multo atrociores blasphemias impius Origenes cum edidisset, nihil mirum est, eum in ipso Martyrij articulo Christum abnegasse, cultamque à Paganis Deorum multitudinem, quam ipse inducit, adorasse*

2177 Qui tam impiè Idola coluit, tamque atroces blasphemas contra Catholicã Fidem evomuit, indignissimus planè est, vt *Pijssimus*, & *Eruditissimus* appelletur; & contra Apostolorum Canonem salvetur immunis, qui contra Divinum Fidei Canonem se impijssimè gessit. Pro cuius veritatis confirmatione, memoratu dignissimum est quod scribit S. HIERONYMUS *in Epist. 65. ad Pammachium, & Oceanum Origenistas*, qui D. Hieronymum inconstantiæ, & levitatis incusabant, quod Origenem modò laude, modò vituperio affecisset, quibus respondet:

idet: se illius errores numquam probasse, quamvis ingenium laudaverit. Et illius erroribus in compendium redactis, sic prædictos Origenistas alloquitur: *Confitemini & vos, in quibusdam errare Origenem: dicite eum malè sensisse de Filio, peius de Spiritu Sancto: animarum de Cœlo ruinas impiè protulisse: Resurrectionem carnis verbo tantum confiteri, cæterum Assertione destruere: & post multa sæcula, atque vnam omnium restitutionem, idipsum fore Gabrielem, quod Diabolum; Paulum, quod Caypham; Virgines, quod prostibulas, &c.*

2178 Et *lib. 2. Apolog. adversus Ruffinum*, *cap. 3.* errorum Origenis summam conficit, contra ipsum Ruffinum illius propugnatorem, ac operum traductorem, quem sic affatur: *Dic ergo quare Origenis mala in Latinum verteris; vt Authorem mali proderes, an vt laudares? Si prodis, in Præfatione cur laudas? Si laudas, Hæreticus approbaris::: Probo ergo inter multa Origenis mala, hæc maximè Hæretica, Dei Filium, Creaturam; Spiritum Sanctum, Ministrum; Mundos innumerabiles, æternis sibi sæculis succedentes: Angelos versos in Animas hominum: Animam Salvatoris fuisse antequam nasceretur ex MARIA, & hanc esse, quæ *cum in forma Dei esset*, non est rapinam arbitrata æqualem se esse Deo; sed se exinanivit, formam servi accipiens: resurrectionem nostrorum corporum sic futuram, vt eadem membra non habeant; quia cessantibus membrorum officijs, superflua membra reddantur: ipsaque corpora tenuia, & specialiter paulatim evanescere, & in auram tenuem, atque in nihilum dissipari: in restitutione hominum, quando Indulgentia principalis venerit, Cherubim, & Seraphim, Thronos, Principatus, Dominationes, Potestates, Virtutes, Archangelos, Angelos, Diabolum, Dæmones, Animas omnium hominum, tàm Christianorum, quàm Iudæorum, & Gentilium vnius conditionis, & mensuræ fore: cumque ad formam, & libram æquitatis pervenerint, & rationabiles creaturas, omni corporum fæce deposita, novus de Mundi exilio populi revertentis monstraverit exercitus; tunc rursus ex alio principio fieri Mundum alium, & alia corpora, quibus labentes de Cœlo animæ vestiantur, vt verendum nobis sit, ne, qui nunc viri sumus, postea nascamur in fœminas, & quæ hodie virgo, tunc prostibulum sit. Hæc in Origenis libris ego Hæretica doceo: tu ostende in quo eius opere, his contraria legeris.*

2179 D. Hieronymo consonat S. AUGUSTINVS *lib. de Hæresib. cap. 43.* vbi varijs Origenis erroribus ex S. Epiphanio relatis, hæc addit: *Sunt & alia huius Origenis Dogmata, quæ Catholica Ecclesia omninò non recipit; in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari, maximè de purgatione, & liberatione; at rursus post longum tempus ad eadem mala revolatione rationalis vniversæ creaturæ. Quis enim Catholicus Christianus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quã dicit purgationem malorum, id est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitijs, & facinoribus, & sacrilegijs, atque impietatibus quamlibet maximis finierunt; ipsum etiam postremò Diabolum, atque Angelos eius, quamvis post longissima tempora purgatos, atque liberatos, Regno Dei, lucique restitui; & rursus post longissima tempora, omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuò relabi, & reverti, & has vices alternãtes beatitudinũ, & miseriarũ rationalis creaturæ sẽper fuisse, semper fore? De qua vanissima impietate adversus Philosophos à quibus didicit, Origenes *in libris de Civitate Dei*, diligentissimè disputavi.*

2180 S. BERNARDVS *Sermon. de quibusdam Origenis verbis*, quibus illum forsan hyperbolicè loquutum esse, dixit, hæc asserit: *Quamvis evidentissimè illum contra Fidem nonnulla scripsisse, Sãctorum Patrũ tradat Authoritas, atque ideò magna cum circunspectione monet esse legendũ.*

2181 Ex dictis manifestè colligitur nos liberè, & absque vllo scrupulo, ac involucro asserere posse, Origenem quantumvis eruditum, in sua exectione in Apostolorum Canonem deliquisse, ac in illum directè fuisse operatum; etenim si iuxta gravissimos Authores, præclarissimosque Sanctos à nobis suprà adductos, ipse estò eruditissimus, ac eximia Scripturarum intelligentia præditus, superbus tamen, ac arrogans, suaque eruditione elatus Divinæ Legis Canonem tot, tantisque erroribus, ac impijs in Deum, Divosque blasphemijs perfregit, ac nova, pernitiosaque Dogmata contra Ecclesiam, Catholicam Religionẽ, sanamque Divinarũ Scripturarũ intelligentiam effudit, quin illius errores à S. Hieronymo, Divique Augustino relati, aliqua

po-

possint excusatione purgari; quid mirum quod 22. Apostolorum Canonem sinistra intelligentia violarit? Quisnam iste Sanctus tanta eruditione, & virtute conspicuus, vt in illius propugnatione, & excusatione tantum laboris conferamus; cum illius erroribus nullum excusationis velamen apud aliquem ex celebrioribus, & doctioribus Ecclesiæ Patribus prętendatur.

2182 Hæc de Origenis Doctrina; nunc ad illius exectionem procedamus; & quamvis ex ijs, quæ modò diximus, satis, superque prædicto argumento fuerit satisfactum; vt tamen ea, quę suprà promisimus, exequamur, pro pleniori argumenti solutione asserimus, Origenis castrationem nulla posse ratione purgari; quamvis enim EVSEBIVS *lib.* 5. *Ecclesiast. Histor.* eum ab omni culpa, & crimine conetur eximere: * Quod cum docendi Officio apud Alexandriam præesset, sibi virilia execuerit, existimans secundum historiam, & litteram esse intelligendum Dominicum verbum *Matth.* 19. *sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum Dei.** Hęc tamen intelligentia, sive sinistra prędicti textus interpretatio nullatenùs potest Origeni suffragari, cum vnanimi, ac expresso Sanctorum Patrum sensui directè adversetur, vt suprà probavimus; & totius naturalis, & politicæ rationis normæ manifestè repugnet. Et quamvis id iam octo rationibus gravissimo Authoritatum pondere roboratis, latè suprà probaverimus; nihilominùs pro maiori veritatis muminime, asserimus: nulla ex causa, etiam ob conservandam Castitatem, licuisse Origeni se corporaliter castrare. Primò: quia nemini vmquam licuit, nec licet, etiam religionis causa, erga se ipsum manus violentas injicere ad occissionē, aut membrorū mutilationem, vt optimè probat Episcopus COVARUVIAS *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 8. & *lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 11. & confirmatur *ex cap. Non licet* 23. *quæst.* 5. & omnium latissimè tradit ANDREAS TIRAQUELLUS *in Tract. de Nobilit. cap.* 31. *num.* 475. & *num.* 520. Hùc pręclarè facit illud ARISTOTELIS *lib.* 3. *Ethic. cap.* 7. *Mortem sibi consciscere ob fugiendam paupertatem, vel mœrorem, aliudvè huius generis, non fortis est hominis, sed potius timidi.* Quod & confirmant IVRISCONSVLTI *in l. Qui rei*, §. *Si autem distinguendum*, *ff. de bonis eorum, qui sibi mortem consciverunt*, *l. Si quis filio*, §. *Eius qui*, *ff. de in officios. test.* vbi compertum est illicitum esse quemquam in se ipsum manus injicere violentas, esto id Religionis, Castitatis, vel cuiuslibet alterius virtutis prætextu fiat; cum sit gravis, & supina ignorantia existimare se per eos actus ita violentos obsequium præstare Deo, & Religioni, cuius legi, & præceptis non modò non obsequitur, sed potiùs ea manifestè transgreditur.

2183 Secundò: principaliùs probatur prædictam abscissionem esse inter gravissima scelera connumerandam; quia Civiles Leges homicidij pœna puniendum censent eum, qui alteri virilia amputaverit *l.* 3. §. *Qui hominem*; & *l.* 4. §. *idem Divus*, *ff. de Sicarijs*, *l.* 1. & 2. *C. De Eunuchis*, *l.* 13. *tit.* 8. *part.* 7. eamdemque pœnam statuunt ei, qui se castrandum præbuerit, aut consensum huic abscissioni præstiterit *dict. l.* 4. *ad fin.* Non igitur potuit, nec potest abcissionis actus etiam Castitatis, aut Religionis causa licitus fieri, cum tam manifestis legibus prohibeatur.

2184 Tertiò: id luculentiùs probatur ex *cap. Si quis absciderit* 55. *dist.* vbi qui sibi virilia absciderit, sui ipsius homicida decernitur, saltem ea ratione, quod maximum ei periculum mortis immineat, quod & asseverat IUSTINIANUS Imperator *Novel.* 142. *tit. De his, qui Eunuchos faciunt.* Actus ergo se castrandi, etiam Religionis causa, vt licitus haberi non potest.

2185 Quartò: quia ad veram, & propriam Castitatis speciem minimè pertinet, se ipsum emasculare; immò, etsi ea causa fiat, improbandum censet II. ARELATENSIS Concilij Authoritas *Can.* 7. & expressè traditur *cap. Hi, qui se* 55. *dist.* vbi vt ignari, & carnis tentationi obsistere nescientes, reprehenduntur, qui se ipsos emascularint.

2186 Quintò: quia huiusmodi abscissio adeò Evangelicæ veritati repugnat, vt vitio potiùs, quàm virtuti tribuatur, vt latè suprà probavimus, & manifestè innuunt D. AUGUSTINUS *lib. de Sancta Virginit. cap.* 23. & 24. & S. BASILIUS MAGNUS *lib. de Virginit.* qui cæteris fusiùs huius Evangelij verba exponit, & inter alia, quæ ad nostræ conclusionis confirmationem præclarè scripsit, Evangelicam castrationem mysticam esse, hisce verbis affirmat: * Qui verò non intellexerunt hoc, *vt sunt Eunuchi, qui se ipsos castra-*

derunt propter Regnum Cœlorum, absurdè se ipsos mutilarunt, ipso facto petulantiam suam eminus accusantes. Qui enim carnalis amoris instrumentum, vt nê, dum præsens est, operetur, abiecerunt, manifestos se ipsos faciunt, quod gliscunt quidem ad coitum: verùm cum se ipsos exarmarunt, non quod non velint, sed quod non possint, Virginitatem agunt. At Divina Lex non actionem, sed cognitionem iudicat.* Hactenùs ille. Quibus verbis manifestè ostenditur, nec naturali, nec Divina Lege vmquàm licuisse quemquam se ipsum mutilare, etiam Castitatis causa. Vndè vlteriùs deducitur iustissimè Sacris institutum esse Canonibus, & Apostolicis, vt ij, qui se absciderint à Sacris repellerentur Ordinibus.

2187 Ex omnibus, quæ hùcusque tot Sanctorum Patrum, tamque illustrium Virorum Authoritatibus elucidavimus, manifestê convincitur, corporalem castrationem, Evangelicæ veritati, iuxta Sanctorum Patrum sensum, penitùs repugnare; tamquàm inutilissimum medium ad preciosum Castitatis monile servandum. Nihilominùs estò ad id nihil huiusmodi corporalis exectio conferat, ac conducat; tamen nè Castitatis amatores remedijs ad importunos carnis stimulos, pravosque concupiscentię motus reprimendos, ac validè coërcendos destituantur, non possumus non eis salubriter consulere, ad potentissimum hunc hostem domesticum debellandum, nulla esse validiora arma, quam ea, quibus vsi fuerant Sanctissimi Viri, qui Divino Spiritu illustrati victricem, ac gloriosissimam de isto domestico inimico palmam reportavere. Hi ergo nos suo exemplo docuere, quomodo, & importunissimum istum hostem vincere, & pretiosissimum Castitatis monile servare possimus. Et quamvis multa sint arma, quibus Sancti Patres turpissimo hosti strenuè obstiterunt, pręcipua tantummodò proponemus.

§. X.

PROPONVNTVR REMEDIA A SS. Patribus, pro conservanda Castitate, exhibita.

2188 SEx vtilissima tradit Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMUS citatus à S. BERNARDINO SENENSI *Tom. 3. Fer. 6. post Pentecost. Serm. 5. art. 3.* * Sex (inquit) sunt, quę incorruptam servant Castitatem, scilicet, sobrietas, operatio, asperitas cultus, inhibitio sensuum, veritas sermonis cum honestate, evitatio opportunitatis, & personę, loci, & temporis.*

2189 Prædictorum tam illustrium Sanctorum lumine ducti, sex præfata servandæ Castitatis remedia, aliquibus aliorum Patrum Sententijs suscipimus roboranda.

2190 Primum itaque remedium, quod nobis pro conservanda Castitate exhibet S. CHRYSOSTOMUS, est *Sobrietas* manifestè innuens, potus, cibique parcitatem multum, ad Castitatem servandam conferre; ideòque S. PETRUS *1. sua Epistola, cap. 5. Sobrij* (inquit) *estote, & vigilate*, quibus verbis apertè significat curam, & vigilantiam, qua sobrietatem, parsimoniam, ieiunium, & abstinentiam amplexuri sumus, si Castitatem puram, ac illibatam servari velimus.

2191 Et meritò quidem; quia, vt inquit S. IOANNES CLIMACUS *in Scala Paradisi, Gradu* 14. * Ieiunio suavitas gulæ coërcetur, flamma carnis extinguitur, cogitationes malæ exscinduntùr, insomnia tolluntur.*

2192 Hinc S. IOANNES CHRYSOSTOMUS *Serm. 8. de Ieiun.* parsimoniam, ac Ieiunium, magnum tuendæ Castitatis præsidium appellat: * Est quidem Ieiunium vitiorum mors, vita virtutum: est Ieiunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ: est Ieiunium robur mentis, vigor animorum: est Ieiunium Castitatis munus, pudicitiæ propugnaculum, Civitas Sanctitatis: est Ieiunium schola meritorum, Ecclesiasticę vitæ viaticum salutare.*

2193 At D. HIERONYMUS *lib. 2. contra Iovinian. cap. fin.* Ieiunium non modò Castitati, sed & cæteris virtutibus opitulari affirmat; exponens enim illa D. PAULI verba *1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, hæc habet: * Vas Electionis Paulus, dum castigat corpus suum, & in servitutem redigit, nê alijs prædicans, ipse reprobus inveniatur, non ob solam, vt quidam imperiti putant, hoc facit Castitatem, non enim huic tantummodò, sed omnibus omninò Virtutibus abstinentia opitulatur.*

2194 S. AMBROSIUS *lib. de Elia, & ieiunio, cap. 3.* Abstinentiam hisce verbis

bis commendat: * Fundamentum est Castitatis.* Quod & confirmat S. IOANNES CLIMACUS *loco supra laudato*, dicens: * Lata, & spatiosa via est Veneris, quæ ad interitum luxuriȩ deducit, & multi sunt, qui intrant per eam: quam angusta, & arcta est via Abstinentiæ, quæ ducit ad viam Castitatis, & pauci sunt qui intrant per eam.*

2195 S. CYPRIANUS *Serm. de Ieiunio, & Tentat.* * Omnem (inquit) carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ expoliat, & exarmat Ieiunium, extraordinarios motus in cippo claudit, & arctat, & appetitus vagos distringit, & ligat.*

2196 Sed omitti non potest quod scribit S. BERNARDINUS SENENSIS *in Serm. de die Ciner.* agens enim de mirabilibus Ieiunij, & abstinentiæ fructibus, quorum vnus est conservatio Castitatis, hæc habet: *Quamdiù Eva in Paradiso abstinuit, virgo permansit.* Quod iam anteà dixerat S. AUGUSTINUS *Serm. 25. ad Fratres.* * Eva quamdiù abstinuit, virgo fuit, & in Paradiso permansit; sed dùm Ieiunium violavit, in miseriam corruit, libidinis corruptionem persensit, de Paradiso expulsa fuit.* Hùc spectat illud D. AMBROSIJ *Serm. de Fer. 2. post Domin. 2. Quadrag.* * Adam Evam, non nisi intemperantia provocante, cognovit, quamdiù autem mansit in illis intemerata parcitas, mansit & impolluta Virginitas.* Vndè S. AUGUSTINUS *Serm. 65. de Temp.* * Adam (inquit) quamdiù ieiunavit, in Paradiso fuit; vbi verò comedit, eiectus est de Paradiso, & qui in Paradiso virgo fuerat, eiectus de Paradiso cognovit vxorem, semper enim iuncta est saturitati lascivia.*

2197 Admirationem ingerit quod Sancta Vidua Judith, cum pulcherrima esset, ei enim *Deus contulit splendorem, Iudith* 10. & per medium Assyriorum exercitum, vbi dominabatur luxuries, transiret, Castitatem illibatam servavit, in tanto periculo constituta; sed admirationem meritò deponimus, cum *Iudith.* 8. legimus: *Habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ.* Vbi rectè notavit Doctissimus LYRA, eam hisce se armis munijsse: * Ad repressionem concupiscentiæ carnalis; parcitas enim victus, & asperitas vestitus sunt custodes Castitatis.*

2198 Si causam inquiramus, ob quam Deus Sanctissimam istam Viduam, in tanto discrimine constitutam, ab omni impudicitiæ macula servaverit immunem, nec illam coinquinari permiserit, vt dicitur *Iudith* 13. inveniemus profectô fuisse, non solum Angelum, cui Deus eius custodiam commiserat, sed Ieiunium, & sobrietatem, vt censet S. AMBROSIUS adductus *in Glossa*, dicensque de illa: * Quod fuerit quotidianis roborata Ieiunijs.* Hinc S. BONAVENTURA *de Profect. Relig. lib. 2. cap.* 52. expendens, quantum temperantia, & sobrietas conferant Castitati: * Castitas (inquit) est sobrietatis filia, & nutritur ab ea: sicut è contrario luxuria nutritur à ventris ingluvie.*

2199 Hûc præclarè facit exemplum, quod *in Silva Histor. lib. 9. Tit. 6. Ex.* 1. de quodam iuvene refertur, qui omnes iuvenculæ cuidam pro viribus parabat insidias, vt ipsam in suam libidinem faceret consentire. Hæc autem post multas repulsas sollicitationes, se libenter in eius libidinem consensuram esse dixit, dummodò se facturum esse polliceretur, quidquid ab illo peteret. Qui cum se omnibus eius iussis promptè parere velle, promisisset, eumdem conclavi cuidam domus suæ integro triduo sine cibo, & potu inclusit: quo elapso, postquam mensam opiparis instruxisset edulijs, eidèm foras educto dixit: Ecce tibi lautam præparatam mensam, & ecce lectum: iam tibi quod placitum fuerit, eligere licet. Iuvenis autem, qui se fame moriturum credebat, nullos iam ampliùs carnis sentiens stimulos, prandio potiùs famem sedare, quam in lecto cum puella lascivire maluit. Huic proindè prudens virgo dixit: Quotiescumque te mala carnis concupiscentia infestet, desine manducare, & bibere desine. Hisque dictis iuvenem confusum, & emendatum relinquens, ab eo discessit.

2200 Egregiè ad hanc rem expendit S. BONAVENTURA *vbi suprà*, quam apta sit, ac idonea Castitati servandæ sobrietas, sic enim scribit: * Qui castus esse desiderat, studeat sobrietati; quia sine ea, non diù Castitas est secura, & cum proficiente proficit, & cum decrescente decrescit.*

2201 Quod elegantèr confirmat TERTULLIANUS *lib. ad Marc.* expedientissimum, ad carnis triumphum reportandum, docens esse medium sobrietatem, lo-

quens

quens enim de Luctatoribus * Athletæ (inquit) segregantur in strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vaccent: continentur à luxuria, à cibis lectioribus, à potu iocundiore, coguntur, cruciantur, fatigantur; quantò plus in exercitatione laboraverint, tantò plus de victoria sperant.*

2202 Magnum etiam servandæ Castitatis documentum Virginibus exhibet S. BASILIVS *lib. de vera Virginit.* sic illas ad sobrietatem exhortans: * Ante omnia adversus gustum virgo tota intentione pugnabit, fontes voluptatum, ventris & impudicitię fomitum inde manantiū, à principio, Castitatis studio, & amore siccabit; nè dùm virginitatem servare proponit, gustui se immoderatè prostituens, Castitatem suam alia fruendi voluptate sensim, dum nescit, amittat.*

2203 S. Basilius *item loco supra laudato*, virginibus suadet, vt ad virginitatis candorem purum, illibatumque servandum, sese sobrietate communiant: vndè sic virginem instruit: * Gustum ad suavia, & dulcia semper inhiantem ratione frænabit, & ad ea, quę sunt necessariò sumenda moderabitur.*

2204 Vndè S. LAURENTIUS IUSTINIANUS *de Sobriet. cap. 1.* gulam Sobrietati, ac parcimoniæ oppositam: * Procellam corporis, naufragium Castitatis,* optimo iure appellavit; nam vt rectè expendebat S. NILUS: * Pudicitiam parit temperantia: gula autem mater est impudicitiæ.*

2205 D. HIERONYMUS æquê impossibile iudicat Castitatem absque Sobrietate servari, ac flammarum incendia stuppa, vel oleo extingui: * Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, hic se ignis impetum stuppa compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur. Quid necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus, & appendicibus suis Continentia, & Parcitate Fidem sui facere non potest?*

2206 Quantùm Castitatis conservationi conducat Sobrietas, rectè declarat S. IOANNES CHRYSOSTOMVS dùm *Homil. 1. in Psalm.* 50. * Castitas (inquit) sine comitibus suis, Ieiunio videlicet, & temperantia, citò flaccescit, quod si his quasi adminiculis roborata fuerit, perfacilè coronabitur.*

2207 Nemo negabit Eliam mira floruisse Castimonia, cum illibatam virginitatim servarit. Nemo pariter inficiabitur S. Ioannem Baptistam pręclara Castitate vernasse, cum à Deo virginitatis dono egregiè fuerit decoratus. Sed quid mirum? Si ille adeò fuit parcimonia & frugalitate laudabilis, vt modico pane subcinericio victitans, & paululum aquæ bibens, absque alio cibo quadraginta diebus ieiunus manserit: hic autem adeò tenui victu contentus, vt de illo dicat CHRISTVS ipsius parcimoniam commendans *Matth. 11. Venit Ioannes non manducans, neque bibens.*

2208 Igneus luxurię ardor adeò est Castitatis edacissimus, vt æquê sit impossibile, eum sine parcimonia extinguere, ac ardentes flammarum rogos iniecto oleo edomare. Præclarè S. IOANNES CLIMACVS *grad.* 15. * Qui satur ventre benè saginato, vult spiritum luxuriæ vincere, prorsus facit quod is, qui incendium conatur oleo extinguere.* Hæc de primo.

2209 Secundum servandę Castitatis medium à S. IOANNE CHRYSOSTOMO propositum est *Operatio*. Quod eleganter confirmat primum, præcipuumque Evangelicæ Castitatis exemplar CHRISTVS DOMINVS *Ioann. 9.* vbi præoccupans, nè quis eum otiositatis argueret: *Me* (inquit) *oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari.* Adeò autem necessaria est Castitati servandæ operatio, vt otiositas illi opposita, lubrica sit ad libidinem via, proclivisque ad lasciviam lapsus, vt rectè expendit Cardinalis HVGO *vbi suprà*, iuxta quem, otiositas est via ad luxuriam. * Quod Sodomitarum exemplo manifestè ostenditur *Ezech. 16.* vbi Propheta inter alias effrænis illorum lasciviæ causas ostium recenset: *Hæc fuit* (inquit) *iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiorum eius.* Ideòque *Ecclesi. 33.* dicitur: *Mitte servum in operationem, ne vaccet: multam enim malitiam docuit otiositas.*

2210 Præclarum huius veritatis documentum nobis exhibuit maxima post Christum Dominum puritas, Sacratissima nempè Virgo MARIA, quæ optimê sciens, quantum servandæ Castitati conferret operatio, otio numquam indulsit, vt testatur S. VINCENTIUS FERRARIUS *in Serm.*

Serm. de Nativit. B. Virg. vbi inter alia: *Virgo (inquit) numquam fuit otiosa, immò erat semper occupata in Sanctis operibus; Surgebat in media nocte, & orabat, deinde filabat, & texebat.* Et DIONYSIUS CARTHVSIANUS *Serm. 2. de Concept. B. Mariæ*; postquam expendit, quantum sese B. Virgo Orationi, contemplationique tradebat, ne aliquandò eam ab omni labore vacuam iudicaremus, subdit: *Nihilominùs labori manuum insistebat, panem otiosa non commedens, pauperibus quoque pro posse liberalitêr succurrebat, implens, quod *Proverb. vlt.* de ea Salomon, ait: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.**

2211 S. ISIDORVS HISPALENSIS *lib. 3. Sent. cap. 20.* Dei servos hortatur, vt otium vitent, ne manifesto periculo suam exponant Castitatem: *Dei servum (inquit) sine intermissione legere, orare, operari oportet, nè forte mentem otio deditam spiritus fornicationis subripiat: cędit enim labori voluptas, animum autem vacantem citò præoccupat. Contuere Salomonem per otium multis fornicationibus involutum.*

2212 Quod eruditê confirmat S. LAVRENTIUS IUSTINIANVS *lib. de Grad. Perfect. cap. 9.* sic scribens: *Sicut aqua, quæ caret decursu, & iacet in foveis, putrescit, & humano vsui aliena efficitur; ita & corpus otij tabe confectum, concupiscentiarum, & voluptatum carnalium parit, & nutrit insaniam.* Et *de ligno Vitæ, cap. 5.* *Otiositas (inquit) mater est concupiscentiarum; ipsa est quæ virum pudicum fortissimè præcipitat in omnem reatum lasciviæ, facit suffocari virtutem, nutriri libidinem.*

2213 Hùc spectat illud OVIDIJ *lib. 1. Amor.*

*Quæritur Ægistus quare sit factus adulter:
In promptu ratio est; desidiosus erat*.

Illud etiam S. AMBROSIJ, qui exponens verba illa *Proverb. 31.* de Muliere Forti: *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum*; sic legit *in Commentar. ad hunc locum*: *Accincta fortiter lumbum suum, firmavit brachia sua ad opus; Accingit lumbos, vt nihil superfluum calcet, dum festinat in opus, vt Castitatem custodiat.*

2214 S. BERNARDINUS SENENSIS *Tom. 4. Serm. 20. de Luxuria*, vt nos erudiat modum declinandi libidinem, tamquàm efficacissimum antidotum, otij declinationem proponit: quod confirmat illo D. HIERONYMI Consilio *ad Rusticum* scribentis: *Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Vnde Apostolus cũ dixisset (*1. ad Timoth. 4.*) *Exemplũ esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in Fide, in castitate*; statim subdit: *Dum venio attende lectioni.*

2215 S. BONAVENTURA *Opusc. de Pugna spirit. cap. 2.* inter alia conservandæ Castitatis remedia, hoc affert: *Opus manuum, instabiles cordis pervagationes coercens.* Et *lib. de Profect. Relig. cap. 39.* his, qui carnis tentationes vincere, & Castitatem servare cupiunt, salubriter suadet, vt otium tamquàm perniciosam pestem sollicitê fugiant, quia occupatus ab vno dæmone impugnatur, otiosus autem ab innumeris dæmonibus vastatur, quia quot cogitationes, & desideria mala in corde versat, tot inimicorum iaculis patet. Idem Sanctus laudat S. BERNARDVM *in quodam serm. ad Fratres de Monte Dei*, sic loquentem: *Omnium tentationum, & malarum cogitationum sentina est otium. Sicut per rimam sentinæ aqua latenter intrat, & crescit, donec navis mergatur: ita ex otio cogitationes, & concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens, in peccato periclitetur.*

2216 Tertium servandę Castitatis remedium à D. IOANNE CHRYSOSTOMO adductum est *Asperitas cultus*, quę stat in pretiosarum, ac nitentium vestium incuria, declinationeque omnium illarum rerum, quæ ad elegantiam, profanitatemque pertineant. Quod nobis innuere voluit CHRISTVS cum *Matth. 6.* inquit: *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis: neque corpori vestro, quid induamini*; quęlibet enim profana, ac inhonesta vestium concinnitas, nimiusque cultus, gravissimum est contra Castitatem indicium; vt Moabitarum mulierum testatur historia, quæ vt filios Israel ad exercendam secum libidinem pertraherent, sese ornaverunt. Vt ergo gravissimum istud, & Castitati perniciosissimum damnum vitetur, D. PAVLUS *1. ad Timoth. 2.* docet ornatum, quem Mulieres debent in vestitu servare. *Volo* (inquit) *mulieres esse*

esse in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornãtes se, & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.

2217 Præclarè in hanc rem TERTVLLIANVS *de Cult. Fœmin. cap.* 11. mulieres elegãti, atque omni ex parte composito, profanoque ornatu excultas, ita alloquitur: * Quæ autem vobis causa est structiùs prodeundi, cum remotæ sitis ab his, quæ ad aliud indigent? Nam nec Templa circuitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies Gentilium nostis. Propter ipsum enim conventum, & mutuum videre, & videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut vt luxuria negotietur, aut gloria insolescat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica: aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut Sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur: quodvis horum gravitatis, & Sanctitatis negotium, & cui opus non sit habitu extraordinario, & composito, & soluto.*

2218 Et infrà *cap.* 12. * Quantò autem blasphemabile est, si quæ Sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ, aut expictę? Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas si quæ Leges à matronis, & matronalibus decoramentis coërcebant, iam certè sęculi improbitas quotidiè insurgens, honestissimis quibusque fœminis, vsque ad errorem dignoscendi coæquavit: quamquàm lenocinia formæ numquàm non prostituto corpori coniuncta, & debita, etiam Scripturę suggerunt. Illa Civitas valida, quæ super septem montes, & plurimas aquas præsidet, quum prostitutæ à Domino appellationem meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est? Sed & certè in purpura, cum coccino, & auro, & lapide pretioso, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta, & prostituta describi. Thamar illa; quia se expinxerat, & ornaverat, idcircò Iudæ suspicioni visa est, quæstui sedere, adeò, quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente, & fecit, vt quæstuariam, & voluit, & compellavit, & pactus est. Vndè addiscimus, adversus congressus etiam, & suspiciones etiàm impudicas, providendum omni modo esse.* Hæc ille.

2219 S. CYPRIANUS acriter coarguit istius ornatus abusum, quô mulieres, vt intentos ad se hominum oculos, animosque alliciant, sese diligentiùs instruunt, ac sumptuosiùs comunt. * Cæterum (inquit) si te sumptuosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuventutis allicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspiranti fomenta succendas, & si non pereas, alios tamen perdas, & venenum videntibus prebeas, excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica.*

2220 O quantum in hoc ornatu periculum imminet Castitati! Optimè Sanctus EPHREN *Tract. 1. de Castit.* * O Castitas, cui abominationi sunt delitię, venustas corporis, & ornatus vestium! * Ideòque Apostolus de vidua in delicijs vivente aptissimè dixit: *Quæ in delicijs est, vivens mortua est. 1. ad Timoth. 5.*

2221 Hìc adnotare libet cum S. BONAVENTVRA *in vita S. Francisci, cap.* 5. quantum Dęmoni vestis concinnitas arrideat, quantoque ipsum dolore, ac mœstitia asperitas cultus afficiat: * Experientia certa (inquit Bonaventura) didicerat (*FRANCISCVS*) Dęmones asperitate terreri, deliciosis autem, & mollibus vestibus ad tentationem fortiùs animari. Vndè cum nocte quadam, propter infirmitatem capitis, præter solitum cervical de pluma positum haberet, Dæmon in illud ingressus, ipsum vsque ad tertiam matutinam infestavit.*

2222 Quàm benè id noverat Sanctus IOANNES BAPTISTA, cum in eremum secessit, ibique asperrimam victu, vestituque vitam duxit, vt suam Castitatem puram, illibatamque servaret! Aptissimè ad hanc rem GVERRICVS Abbas, S. Bernardi discipulus, expendit illa SALVATORIS verba, quibus de Ioanne Baptista loquens: *Ecce* (inquit) *qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* * Volens nimirum (scribit Guerricus) intelligi, quia qui sectantur delicias carnis, Regno huius sæculi militant, non Regno Dei. Heu quam terribilem sententiam Cœlitùs audivi contra mollitiem illius magnæ, & purpuratæ meretricis! *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

2224 Hùc etiam egregiè facit illud S. IOANNIS CHRYSOSTOMI *apud D. Thomam in Catena Aurea*, ad illa CHRISTI verba *Lucæ* 7. *Quid existis in desertum*

tum videre? Hominem mollibus vestitum? .* Mollis vestis (inquit Chrysostomus) dissolvit rigidam animam: facto corpore molliore, necesse est & animam percipere læsionem.*

2224 Certè quàm perniciosus sit iste mulierum cultus ipsas incautè aspicientibus, quantumquè in illo tàm virorum, quàm mulierum Castitas periclitetur, mirificè expendunt Sancti Patres, quorum Authoritates *hoc 2. Libro Apologetico* latè retulimus *num.*138. *& seqq.* ideòque ab illis modò supersedendum censuimus.

2225 Vt ergo tremendam illam, terribilemque fugiamus Sententiam; & tot, tamquè animæ perniciosa vitemus damna, ipsamque puram tueamur, & castam; summopere nobis curandum est, vt corpus aspero sanctæ mortificationis vestitu, contra blanda libidinum fomenta, ignitaque tentationum iacula, communiamus, quemadmodum Propheta suo nos hortatur exemplo, *Psal.*72. *Castigatio mea in matutinis.* Et *Psalm.* 34. *Induebar cilicio.* Vndè S. PETRVS 2.*sua Epist. cap.* 1. vt Fideles ad continenter, castèque vivendum hortetur, ipsis mortificationem commendat: *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, &c.* In cuius expositione ANGELICVS DOCTOR 2.2.*quæst.*151. huius nominis *Castitas* originem explicans: * Nomen (inquit) Castitatis sumitur ex hoc, quod per rationem concupiscentia castigatur, quę ad modum pueri est refrænanda.*

2226 Eruditè ad hanc rem expendit S. GREGORIVS Papa illa Christi verba *Lucæ* 12. *Sint lumbi vestri præcincti*; dicens: * Lumbos autem præcingimus, cum carnis luxuriam per Continentiam coarctamus.*

2227 Et S. HIERONYMUS *Tom.*4. *lib.*4. *in Ezechiel. cap.* 16. exponens illa verba: *Calceavi te ianthino, & cinxi te bysso*: *Hac bysso (inquit) accinguntur renes, quoties pinguia libidinis incentiva renuanda sunt. (Et paulò infrà:) Dominus ad Apostolos loquitur: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*; nisi enim strinxeritis fluētia lumborum rheumata, lucernas in manibus habere non possumus. (Et posteà subdit:) Qua zona mortificante lumbos, Elias quoque, & Ioannes Baptista accinguntur, de quibus & pœnitens flebiliter ingemiscit, dicens: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. Psalm.*37.*

2228 Insignis Cartusiensis Ordinis Patriarcha S. BRUNO, vt securiorem filiorum suorum redderet Castitatem, ipsis in suis Constitutionibus præscripsit, vt nudam carnem perpetuo cilicio accingerent, eamque hoc mortificationis genere contra libidinis motus communirent; cuius quidem præcepti vtilitatem mirificè expendit *Serm.* 5. *de Confessione*; ad illa enim verba: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*, hęc habet: *Non possunt alij esse lucernę ardentes, nisi illi qui lumbos pręcinctos habent; nisi enim ignis inferior extinguatur, superior lucere non potest. Inferior ignis luxuria est; superior verò quis alius, nisi gratia Spiritus Sancti? Lucernę autem Christi sunt, qui nisi Continentiam, & Castitatem habuerint, non lumen, & claritatem, sed tenebras ministrant, & cæcitatem.*

2229 In Veteri Testamento præceperat Dominus, Sacerdotalem vestem, quę appellabatur *Ephod*, neque ex serico, neque ex lana, sed tantum ex lino fieri; idque non propter eius candorem, sed vt per ipsum Sacerdotibus, cæterisque, qui ratione sui status, perpetuæ Castitatis Voto adstringuntur, denotaret, ad illius conservationem necessariam esse corporis macerationem, è qua Continentia, vitæque puritas, & incorruptio, tamquā è purissimo, abundantissimoque fonte dimanat. Hinc V. BEDA ad illa verba 1. *Reg.* 2. *Puer accinctus Ephod Lineo*: *Lineum (inquit) Ephod, quod de terra procreatum, longo iam exercitio suum pervenit ad decorem, candidissimam castæ carnis mortificationem designat.*

2230 GLOSSA etiam eadem explicans verba, hæc, ad rem nostram aptissima, scribit: *In lino igitur Castitas intelligitur, quia caro nostra de immundo concepta semine, sine multa corporis, & spiritus afflictione, ad munditiæ honestatem nequaquam perducitur.*

2231 Mirificè discurrit S. THOMAS A VILLANOVA, gloriosus huius Metropolis Antistes, vnum è pręcipuis, maiorisque efficaciæ remedijs contra lasciviæ venenum, esse carnis mortificationem; siquidem *in Dom.* 4. *post. Pasch.* Lasciviam cum vipera conferens: * Vipera (inquit) venenosa est, prona semper ad malum, ab adolescentia sua non potest benè inclinari.*

ri.* Videamus ergo nunc, quodnam remedium nobis contra hoc damnum proponat: *Fræno, censura, flagello opus est ad illam. Vnde Apostolus: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: nam scio quod non habitat in me* (hoc est, in carne mea) *bonum*; caro enim legi Dei non est subiecta; neque enim potest, semper enim parata concupiscere adversus Spiritum, profundit venenum, & repugnat legi mentis nostræ.*

2232 Nec omitti potest quod scribit BOLLANDUS *die 10. Februa. cap. 4. de* B. Guilielmo de Oliva, Presbytero, Eremita: *Cum enim à dæmonibus, in specie speciosarum mulierum ipsi apparentibus, perque gestus, verba, actus, repræsentationes obscœnas ad concupiscentiam instigare conantibus, infestaretur, vt Castitatem, tanto discrimini expositam, tueri posset, ad commune afflictorum asylum confugit, Orationem nempè, in qua hanc illi Deus indidit mentem, vt ad reportandum gloriosum de carne triumphum, Castitatemque contra pravos lasciviæ motus conservandam, carnis mortificatione tamquam vtilissimo medio vteretur, quod eo rigore executus est, vt in alveum cuiusdam rivuli ibidem defluentis subintrans, sese lubens proiecerit, vt ita castigatione carnis assumpta, motus illicitos extinguere posset. Hyemali tempore hoc ipsum pluries fecit, ita vt frigoris asperitate, & pondere glaciei pressus, frigidus, & rigidus rediret ad Templum.*

2233 Hùc spectat illud *Ioan. 12. Qui odit animam suam in hoc mundo* (hoc est, qui corpus suum animatum, in hac vita castigat, flagellisque cruentat) *in vitam æternam custodit eam.* Vnde S. ANSELMVS: *Felices (inquit) qui oderunt custodiendo, ne perderent amando.* Facit similiter illud PAULI. 2. *ad Corinth.* 4. nos instruentis modum, quo CHRISTVM imitantes, carnem domare possimus: *Mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes.* Vnde idem Paulus *ad Philippen.* 1. *Magnificabitur* (inquit) *Christus in corpore meo*; id est, in austeritatibus meis corporalibus, vt explicat D. THOMAS.

2234 Quartum custodiendæ Castitatis remedium à D. IOANNE CHRYSOSTOMO exhibitum est: *Inhibitio sensuum*; sive, *Custodia sensuum*, vt explicat Cardinalis HUGO; hoc est, vt sensus ab omni illo, quod Castitati potest officere, diligenter custodiamus. Hùc præclarè facit illud *Proverb. 4. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Et illud *Isaiæ 33. Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum: Iste in excelsis habitabit.* *Hoc (inquit Hugo) lacerat spina curiositatis videndi vana, vel audiendi nova, quæ est via ad Luxuriam.*

2235 Quod egregiè confirmatur Dinæ, Iacobi filiæ, exemplo, quæ egressa vt videret mulieres Regionis illius, corrupta est à Sichen filio Emor, *Genes. 34.* Vndè *Eccles. 26. In extollentia oculorum fornicatio mulieris, & in tenebris suis agnoscetur.* Hinc iure optimo inquit IEREMIAS *cap. 9. Docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suam planctum: quia ascendit mors per fenestras: mors per fenestras ingressa est domos vestras, disperdere parvulos de foris, & iuvenes de plateis.*

2236 Præclarum huius veritatis documentum nobis suppeditat S. LAURENTIUS IUSTINIANUS, qui vti in virtutum Schola versatissimus, censet ibi magnum imminere Castitati periculum, vbi diligens sensuum custodia non habetur: * Incentivum (inquit) libidinis, violatio Castitatis est, sensuum curiositas; quoniam discedente mente à fonte vitæ, à lumine veritatis, à delectatione spirituali, quam in se invenire poterat, fornicatur in pulchritudine, & amore creaturarum.*

2237 Hùc egregiè facit, quod refertur *in vita S. Auxentij*, qui probè noscens, quàm vtilis Castitati servandæ sit sensuum custodia, se ipsum, aliosque omnes ad hanc spiritualem luctam hortabatur; dicebat enim:. * Est magnum certamen Temperantiæ, quoniam magna quoque est eius Corona; sed quò est maior labor, eò est etiam maior merces. Si ergo eam non tradideritis tempori, & segnitiæ in vestris membris, frustrà laborabit voluptas fores obsidens. Statuite rationes vestras, custodes huius thesauri in sensibus mandata Christi semper ferentes ad Virginitatis, & Temperantiæ sanctificationem, ne fortè persuadeant animo tamquam ianitori, & aperta Virginitate clanculum

nobis vestram eripiant.* *Apud Bollandum* 14. *Februar.*

2238 Sensuum custodiæ, & Castitatis conservationi valdè cõducunt *Recessus, & Solitudo.* Hinc *Cant.* 4. Cœlestis Sponsus loquens cum Anima Sancta, Sponsa sibi charissima, ipsam semel, & iterum *Hortum conclusum* appellat: *Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus*; quia animæ puritas eò securiùs servabitur, quò magis anima in solitudinem recesserit, seseque ab omni illo, quod sensibus potest officere, diligentiùs subtraxerit.

2239 Hoc elegantèr expendit S. BONAVENTURA *in Diæta salutis*, sic prædictum textum elucidans: * Castitas debet habere clausuram studiosam, nam dicitur: *Hortus conclusus soror mea Sponsa.** Idem Seraphicus Doctor optimè observavit, quod: * Sicut in hortum conclusum nemo potest ingredi nisi ab alto: sic in homine casto, qui habet clausuram Continentiæ, nullum desiderium debet intrare, nisi Cœleste tantum.* Securissimè enim communitur Castitas, si anima omnes sensus occludat exteriùs, eosque soli Deo patefaciat interiùs. Vndè non immeritò dicebat DOMINUS *Oseæ* 2. loquens de Anima Sancta: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Ita namque fit anima amœnissimum Dei Viridarium, & Paradisus terrestris, Virtutum floribus vernans, candidissimisque Virginitatis Lilijs fragrans, vti de Salomonis horto rectissimè notavit ADRICOMIUS sic scribens: * Hortus erat in Suburbanis Ierusalem, muris vndique septus, & obfirmatus, atque sicut Paradisus arborum, fruticum, herbarum, aromatum, florum, fructuumque vbertate amœnus.* Sed elegantiùs S. GREGORIUS MAGNUS *in* 3. *Reg.* 4. * *Hortus* quidem, quia eximiæ Virtute Castitatis floridus; *conclusus* autem, quia per Continentiam munitus.*

2240 Securissimè etiam conservabitur Castitas, si anima media Oratione, quæ securissimus est Castitatis portus, sensus suos ab omni exteriori, quod possit illius puritatem fœdare, diligenter avocet, ac avertat. Id nos docere videtur S. GREGORIUS NYSSENUS, dùm *Orat.* 1. *de Orat. Domin.* hęc habet: * Meritò Oratio pudicitiæ præsidium, atque tutamen est, Oratio Virginitatis sigillum est.*

2241 Quod etiam optimè expendit S. ISIDORUS *lib.* 2. *Sent. cap.* 40. quod de Continentia inscribitur, vbi nobis suadet, cum Castitas sit donum Dei, nobis vtique necesse esse ad Orationem confugere, vt tam pretiosum donum obtineamus: * A Deo (inquit) datur Continentia; sed *petite*, inquit, *& accipietis.* Tunc autem tribuitur, quandò Deus gemitu interno pulsatur.*

2242 Quintum servandæ Castitatis remedium est, iuxta CHYSOSTOMUM *Raritas Sermonis cum honestate.* Hoc manifestè innuit SACER TEXTUS *Eccles.* 22. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, &c.* In cuius expositione Cardinalis HUGO hæc habet: * Hoc disrumpit loquacitas, quę via est ad luxuriam; vt patet in muliere illa, de qua dicitur *Proverb.* 5. *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, &c.* In hunc scopum collimat D. PAULUS 1. *ad Corinth.* 15. dùm scribit: *Nolite seduci: corrumpunt enim bonos mores colloquia mala* (vel confabulationes pessimæ.) ideò dicitur *Eccles.* 28. *Ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.*

2243 Quantùm afferat honestati nocumentum inhonesta locutio, manifestè innuit ECCLESIASTICUS *cap.* 5. vbi tale nobis exhibet consilium: *Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam.* In cuius expositione, magnus ille Sacrarum Litterarum Interpres, S. Eutherij filius SALONIUS, Vienensis Episcopus hæc scribit: * Quomodò dat homo os suum, vt peccare faciat carnem suam? Quandò loquitur verba libidinosa, quibus caro incitatur ad peccandum.*

2244 Vt hoc præcaveamus damnum, consulit nobis D. AVGVSTINUS ingentem curam, qua linguam coërcere debemus, vt non nisi honesta loquamur, *Serm.* 115. *de Temp.* sic scribens: * Quod bonum est, & honestum loqui studeant, nè fortè turpia proferendo, de lingua sua, vndè debuerant Deum laudare, indè vulnera sibi videantur infligere.*

2245 Quàm læthale sit istud inhonestæ linguæ venenum, colligi potest ex HABACUC *cap.* 3. vbi enim nostra Vulgata legit: *Ante faciem eius ibit mors*, Septuaginta legunt: *Ibit sermo.* Quo spectat illud *Hierem.* 9. *Ascendit mors*

per fenestras, &c. Quod enim fenestræ non solum sint oculi, sed etiam verba ab impuro ore prolata, testatur S. AMBROSIVS *lib. 2. de Virginit.* sic prædicta verba exponens: * *Introibit mors per fenestram*, hoc est per Evæ ostium; ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter.*

2246 At quidem quàm vtile, immò & necessarium sit Castitatis tutamini, & custodiæ prædictum S. IOANNIS CHRYSOSTOMI documentum, rectè explicat, mirificèque expendit S. LAURENTIUS IUSTINIANUS *de ligno vitæ, cap. 5.* dicens: * Sit raritas sermonis cum honestate. Alliga, ò homo, qui continentiam custodire moliris], sermonem tuum, nè lasciviat, nè luxurietur, & in turpiloquio peccata sibi colligat; citò lutum colligit animus superfluitate verborum. (Et paulò infrà:) Ingreditur mors impudicitiæ per ostium tuum, si turpiter loquaris.*

2249 Quàm deflenda sit ruina, quam infert puritati turpis, obscœnaque lingua, elegantissimè docet idem Sanctus, *lib. de spirit. & Animæ interit.* vbi de spirituali animę morte sic loquitur: *Vitium hoc (scilicet turpiloquium) adeò est detestabile, vt nedum illud perpetrare, verum etiam de ipso particulariter loqui, verecundum sit, atque deforme. Quis non erubescat propalare obscœnas contrectationes, colloquia impudicissima, insatiabilem voluptatem, & cœtera delicta luxuriæ, per quę polluitur tellus, elementa contremiscunt, denigrantur sydera, cœlum clamoribus repletur, & in ipsa humana specie subvertitur, quidquid decoris est, quidquid honestatis, quidquid rationis, quidquid meriti, quidquid religionis inservit gratia, acquisivitque virtus.* Ideo APOSTOLUS PAULUS *ad Timotheum* scribens, ipsum hortatur, vt turpiloquium, tamquam perniciosissimum, diligentèr fugiat: *Profanitatem, & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.*

2252 In hanc eamdem rem S. AMBROSIUS *lib. 1. de Offic. cap. 18.* nobis ante oculos proponit documentum, quod nobis exhibuit Castissimus IOSEPH, hæc scribens: * IOSEPH, nè incongrua suę audiret verecundiæ, veste fugit relicta: quoniam quem delectat audire, alium loqui provocat.*

2248 Id pręclarè nos docuit S. EPHREN, *ad Proverb. Sicut oculis obest fumus: ita turpis sermo nocet animæ.* Sed non inefficaciùs S. AMBROSIUS *lib. 1. de Offic. cap. 42.* vbi hæc habet: * Grave malum, vt aliquis ore suo condemnetur; Etenim si pro otioso verbo vnusquisque rationem reddere debet, quantò magis pro verbo impuritatis, & turpitudinis?*

2247 Concinnè ad hanc rem ipse S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *in Psal. 15.* * Non aberrabit quispiam, si etiam eorum, qui obscœna verba loquuntur, ora, *sepulchra* appellaverit.* Sicut enim è sepulchris intolerabilis erumpit fœtor: ita ex impuro ore, obscœnisque verbis, tam pestifer odor exoritur, vt sufficiat animam spirituali vita exuere, ipsamque in infernum detrudere.

2250 Rectè ostendit D. AUGUSTINUS, *serm. 215. de Tempor.* quàm dignum sit vitari gravissimum istud nocumentum, quod ex turpi procedit ore: * Videte (inquit) fratres charissimi, si iustum est, vt ex ore Christianorum, vbi Corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum, quasi venenum diaboli proferatur.*

2251 Apostolorum docemur exemplo, quanta curandum nobis sit sollicitudine, quavis funesta luce diligentiùs vitare exitiosissimum istud periculum, quod nobis imminet, si mortiferum obscœnorum verborum venenum attentis auribus ebibamus, vt eruditè docet S. EPHREN *de ligno malo*, vbi hæc habet: *Cur Apostoli dæmonem, à quo laudabantur, audire renuerunt? Nonnè ideò, nè castæ eorum aures impuris vocibus contaminarentur?*

2253 Tandèm vt linguam ab omni obscœno verbo diligenter custodiamus, nihilque Castitati incongruum loquamur, ac tandem innumerabilia damna, quæ ex turpiloquio dimanant, sollicitè vitemus, audiamus D. BONAVENTURAM *Serm. 11. de Pentecost.* vbi explicans illa Christi ad Apostolos verba *Matth. 10. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; hæc habet: * Quoties ergo vtilia, & ędificatoria loquimur, Spiritus Patris Cœlestis est in nobis; in eis autem, qui scurrilia, ac carnalia verba loquuntur, pater infernalis spiritus loquitur.*

Sex-

2254 Sextum, & vltimum conservandæ Castitatis remedium à D. IOANNE CHRYSOSTOMO propositum, est: *Evitatio opportunitatis peccandi*; id est, *loci, temporis, & personæ*. Hoc nobis innuere voluit APOSTOLVS 1. *ad Timoth.*5. sic scribens: *Adolescentiores viduas devita*. Debemus ergo occasionem, in qua periclitari Castitas possit, diligenter fugere; quia vt apertissimè adnotavit Cardinalis HVGO: *Opportunitas via est ad luxuriam.* Quod & suo nos edocuit Thamar, Davidis filia, quæ corrupta est ab Ammon fratre suo, quia sola cum solo in thalamo mansit (2.*Reg.*13.) ideóque dictum fuit Lot, *Genes.*19. *Salva animam tuam: Noli respicere retro post tergum tuum, neque stes in omni circa Regione*. Quibus verbis admonebatur, vt fugeret occasionem, in qua posset illius honestas periclitari.

2255 Idipsum nos elegantèr docet S. HIERONYMUS *lib.*4. *Epist.* 47. suadens, vt quidquid nobis afferre potest Castitatis iacturam, diligenter vitemus: *Cur (inquit) in ea versaris domo, in qua necesse habes, aut perire, aut vincere? Quis iuxta viperam securus dormit, quæ si non percutiat, certè sollicitat?*

2256 Quàm nociva sit honestati *occasio*, manifestè ostendit præclarum illud documentum, quod magnus ille EREMI CULTOR, in occasionibus vitandis versatissimus, suis discipulis præbuit, quos, vt refertur *in Prat. Spirit. cap.*119. hisce verbis admonebat: * Filioli, sal ex aqua est, & si appropinquaverit aquæ, continuò solvitur, & deficit; Ita vir ex muliere est, vndè si familiari nimis conversatione se miscuerint, facilè in alterius laqueos trahuntur.*

2257 S. LAVRENTIVS IVSTINIANVS *de Ligno Vitæ cap.*5. docet, nullo efficaciori, ac potentiori remedio Castitatem servari, quàm *evitatione opportunitatis peccandi, personæ*, scilicet, *loci, & temporis*; quod ita confirmat; *Ante ignem, namquè consistens (etiam si frigidus sit) aliquandò dissolvitur; sæpè familiaritas implicavit, sæpè occasionem peccandi dedit; & quos voluptas non potuit in primordio, assiduitas postea superavit.*

2258 Eadem disciplina de vitando *occasionis* periculo pro Castitate servanda nos erudit S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Tom.*2. *Homil.* 2. *de Anna*, hæc scribens: * Nihil adeò contendendum, & curandum est, quàm vt iuvenes casti sint, & pudici; hæc enim maximè perturbatio illi ætati molestiam exhibet, & quod in lucernis agimus, hoc & erga liberos observemus. Certè sępenumero ancillam admonemus, quæ lucernam accendit, ne se in eum locum transferat, in quo stipula, aut fœnum fuerit, aut aliquid eiusmodi; nè fortè nobis inscijs excidat scintilla, quę materiam illam corripiens, totam domum incendat::: Eamdem quoque sollicitudinem erga liberos impendamus, ne vultus eorum illuc traducamus, vbi lasciviæ sunt famulæ, vbi luxuriosæ puellæ, vbi petulantes ancillæ; sed iubeamus illis, ac denunciemus, vt neque in conspectum, neque in sermonis congressum cum iuvenibus veniant, nè qua inde scintilla excidens totam puerili animam incendat, & irreparabilem illi calamitatem importet.*

2259 Quànto in discrimine versetur honestas, quę viam omnem, qua periculum ipsi imminet, negligit obsepire, eleganter tradit S. BONAVENTVRA *de modo confitendi, cap.* 14. adducta D. HIERONIMI Authoritate. Expendens enim miserandam illam, & ab omnibus deplorandam, Protoparentum ruinam, cum omnes in Adam animæ pulchritudinem peccati macula inquinaverimus, ac fœlicissimum illud innocentiæ statum amiserimus iuxta illud Apostoli: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt: ad Rom.* 5. Quamvis autem, vt idem notat Apostolus: *Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit*: Nihilominùs si primigenię illius transgressionis, & totius humani generis infelicitatis occasionem investigemus, inveniemus profectò hanc à muliere exordium habuisse, quæ cum prohibitę arboris fructum à serpente accepisset, illumque viro dedisset, suis posteris, terrestris pariter, ac Cælestis Paradisi ianuas interclusit. Hanc, inquam, lamentabilem deflens ruinam SERAPHICVS DOCTOR, vna cum D. HIERONYMO, sic exclamat: *Si mulier potuit vincere eum, qui iam erat in Paradiso, non est mirum, si eos impediat, qui nondum ad Paradisum pervenerunt.*

2260 Magnum est Castitatis præsidium,

dium, oculos à mulieribus, quæ propriæ non sint, penitùs avertere, quod qui non præstant, haùd contemnendo periculo suam Castitatem exponunt. Perpulchrè ad hanc rem S. IOANNES CHRYSOSTOMUS *in Psalm.* 5. expendit, neminem, estò Sanctissimum, debere suæ virtuti confidere, ne inter illos recenseatur stultos, qui ex assiduo fœminarum intuitu, nullum sibi discrimen imminere credunt: *Dicunt enim: Spectantes quidem sumus, sed sine detrimento.* Hos convincit Sanctus Davidis exemplo, qui estò Sanctissimus, Bethsabèe tamen visa, luxuriç flammis exarsit, inque libidinum cçno volutatus est: * Quid (inquit) audio? David læsus est, & tu non læderis? Ille læsus est, & tuæ virtuti confidere queam?*

2261 D. AVGVSTINVS eumdem hùnc Davidis casum corde voluens, miratur eos, qui assiduis circumdati occasionibus, in quibus Castitas periclitari potest, non contremiscunt, nec vllo de sua fragilitate timore concutiuntur; illosque admonet, eum, qui occasionem non fugerit, certò certiùs periturum: * De longe enim vidit David illam, in qua captus est: mulier longe, libido propè. Inhonesta familiaritas fugienda est; quia sine vlla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò labitur in ruinam. *

2262 Idem S. Doctor æquè miratur, ac condolet eos, qui extranearum mulierum familiaritati suam securj Castitatem fidunt, quales sunt Eunuchi, quibus tanta fiducia ac securitate extranearum mulierum custodia committitur. Contra vtrosque ergo sic insurgit Sanctus *Serm.* 250. *de Temp.* * Sed fortè negligens, quisque, & minùs de anima sua sollicitus respondet, & dicit: Ecce ego, & familiaritatem habeo mulierum extranearum, & tamen Castitatis ornamenta custodio.* Cui tam inefficaci, ac parùm subsistenti rationi, sic respondet Sanctus: * Infelix est, & nimium periculosa ista præsumptio: multi enim dùm se putabant vincere, victi sunt.* Idem & de Eunuchis dicimus; quantumvis suam Castitatem securam prçdicent, qui sese in alienarum mulierum familiaritatem ingerunt: siquidem innumerabiles sunt, quorum honestas in huiusmodi occasionibus naufragium subijt, vt testantur Sancti Patres, quorum verba suprà retulimus, dùm varijs rationibus 22. hunc Apostolorum Canonem, æquissimè conditum demonstraremus.

1263 Húc egregiè facit quod scripsit vir ille Doctrina, & spiritu celebris HVGO DE S. VICTORE *lib.* 1. *Miscellan. cap.* 98. * Noli ire ad colloquium mulieris, ne sis separatus à Regno Dei; & ne velis dicere: loquor cum muliere, & mundus sum.* Facit etiam illud D. CYPRIANI *de sign. Cleric. cap.* 9. * Lubrica est illa spes, quç inter fomenta peccati salvari se sperat.*

2264 Hinc REGIVS CYTHARÆDVS fragilitatem suam probè agnoscens, Deum, vt se ab omni incontinentiæ periculo liberaret, humilibus precibus exorabat: *Viam iniquitatis amove à me. Psalm.* 118. In cuius expositione AGELLIVS citat Origenem dicentem: * Non ait: me amove à via iniquitatis, sed illam à me.* Quia, vt ait S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, optimè agnoscebat magnam suam fragilitatem, improbamque naturam, ad peccandum lubricam, & ad malum pronam. Ideòque *in eodem Psalmo*, damnum istud gravissimum salubri remedio declinans, aiebat: *Ab omni via malæ prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.* Ac vt LORINVS legit: *Ab omni via declivi, & præcipiti*, & vt Aquila vertit: *Constrinxi pedes meos.*

2265 Qui ergo ad Davidis exemplum, occasiones, in quibus suæ Castitati periculum imminet, diligenter non declinaverit, eisque omnem aditum intercluserit, Castimoniæ conservationem moraliter reputet impossibilem; quia, vt ait S. CYPRIANVS *de Sig. Cleric. cap.* 9. * Impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere: quod Salomon non negat, dicens: *Quis alligabit in sinu suo ignem, & non comburetur?**

2266 Pro maiori huius veritatis elucidatione, nullam nempè haberi posse securitatem de Castitate, quam circunstant concupiscentiæ scintillæ, quas lascivæ, cum extraneis fœminis familiaritatis, & consuetudinis occasiones emittunt; notatu dignissimum est, quod de quibusdam Orientalibus lapidibus scribit S.R.E.C. PETRVS DAMIANI *lib.* 2. *Epist.* 18. dicens: * In quodam monte Orientis, Lapides sunt igniferi, qui masculus, & fœmina nuncupantur, & dicuntur *Pyroboli*, qui nimirum cum à se invicem procul sunt, non accenduntur; si verò fœmina appropinquaverit masculo, protinùs ex eis ignis egreditur, ita vt omnia, quæ circa montem sunt,

sunt, flammis vaporantibus exurantur: Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, vt si consummi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus, nè de conspecta forma flamma prosiliat, quæ in nobis non montis, sed mentis fruteta pervadat.*

2267 Quantum vitari debeat perdendæ Castitatis occasio, præcipuè si proxima dignoscatur, rectè expendit Eminentissimus HUGO Cardinalis ad illum textum *Ecclesiastici 25. Commorari Leoni, & Draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam*; & ad hanc ipsam rem affert ipse Cardinalis illud *Num. 31. Filij Israel fugiunt Og Regem Basan, nec aliquos nuntios misserunt.* Quod & confirmat testimonio D. HIERONYMI opportunè ad hanc rem sic loquentis: * Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse est quotidie, aut perire, aut vincere? Quis vmquam mortalium iuxta viperam securus somnum capit?*

2268 Præclarum declinandæ occasionis documentum, ad animæ puritatem securé servandam, nobis præbuit S. IOANNES BAPTISTA, vt ostendit ECCLESIA *in huius Sancti Hymno*, illius puritatem sic commendans:

* O nimis fœlix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris.*

2269 At qua via, quovè medio ad illius nivei pudoris fœlicitatem ascendit? ECCLESIAM audiamus hæc de illo canentem:

*Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti.*

Si Ioannes à teneris vnguiculis fugiens sæculi occasiones, in quibus innocentiæ illius puritas, vel leviter poterat commaculari, in solitudinem secessit; quid mirum, quod suam puritatem illibatam servarit? cum ad candidum puritatis florem, purum, immarcessibilemque servandum, nullum sit occasionis declinatione efficaciùs remedium.

2270 Hinc S. HIERONYMUS *Epist. 4. ad Rusticum Monachum*, ipsum admonet de solerti cautione, qua se gerere debet in conspiciendis mulieribus, etiam proprijs, ob ingens periculum, quod subire solet puritas, nisi diligenti, vigilantique cura præmuniatur. * Matrem (inquit) ita vide, ne per illam aliam videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Ioannes Baptista Sanctam Matrem habuit, Pontificisque filius erat, & tamen nec Matris affectu, nec Patris opibus vincebatur, vt in domo parentum, cum periculo viveret Castitatis.*

2271 Præclarus huius Doctrinæ Sectator fuit S. ANDREAS CORSINUS, Fessulanus Episcopus, & fulgentissimum Carmelitani Ordinis Sydus, qui ab ineunte ætate, vt ab omni periculo securam suam redderet Castitatem, mulierum colloquia, ac conspectus ea vigilantia, solertique cura declinavit, vt sibi adhuc à matris, sororumque conspectu timeret; ideòque quando eum cogebat necessitas, matrem, sororesque alloquendi, ne oculos quidem audebat attollere: apud BOLLANDUM *30. Ianuarij, cap. 5.* *In sua iuventute ita verecundabatur loqui cum propria matre, & sororibus suis, tamquam si extranei essent, consortia fugiebat, atque colloquia mulierum, & si ex necessitate loquebatur, semper oculos fixos tenebat ad terram. Tanta fuit eius pudicitia, vt dum Parisijs erat in studio, ab alijs studentibus vocabatur Andreas, *cæcus, mutus, & surdus*; & hoc quia omnes sensus ab impudicitijs refrænabat.*

2272 Nec dubium, quin iste Sanctus versatissimus esset in D. Augustini operibus, qui adeò sibi à mulierum colloquia cavebat, vt existimaret propinquarum adhuc familiaritatem esse penitùs declinandam, vt de illo canit ECCLESIA *in 8. Lectione illius festi.* * Fœminarum, & in eis sororis, & fratris filiæ contubernium, familiaritatemque vitarit, quippè, qui diceret: etsi propinquæ mulieres suspectæ non essent, tamen quæ ad eas ventitarent, posse suspicionem efficere.*

2273 Quod luculentiùs tradit ipse AUGUSTINUS *Tom. 10. Serm. 2. de Domin. 25. post Pentecost.* vbi hæc, inter alia, scribit: * Non solum ab extranearum mulierum familiaritate, sed etiam ancillarum nostrarum, vel quarumcumque vicinarum, aut filiæ, aut alumnæ, aut ancillæ vniuscuiusque familiaritatem, vel secretam collocutionem vitare contendet (aliquis) quia quantô earum vilior conditio, tanto facilior ruina est; de familiaritate enim talium Salomon nos admonet, dicens: *Numquid alligabit quis ignem in sinu suo, & vestiméta eius non ardebunt? Aut*

ambu-

*ambulabit quis super prunas, & non comburentur plantæ eius.**

2274 Quanta diligentia, ac sollicitudine vitari debeat *occasio*, vt illius declinatione Castitas securissimè conservetur, mirificè nos docet S. BONAVENTVRA *de Gradib. virt. cap.* 14. his verbis: *Maximè adiuvatur Castitas, si homo vitat locum suspectum, magis, si vitat homines suspectos, multò ampliùs, si vitat familiaritates suspectas, & ea, quæ provocant familiaritates suspectas: vt sunt dulces litteræ, dulces salutationes, dulces respectus, dulcia verba, & blanda, & crebra munuscula.*

2275 Et quamvìs hæc familiaritas sit cum personis spiritualibus, non ideò periculum depellit, nec suspicionem expurgat. Præclarè S. BONAVENTVRA *de modo confitendi*, *cap.* 14. *Quoniam spiritualibus loquor, propter quos ista scribo, noverint ipsi, quod licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, & damnosa, ipsis tamen magis perniciosa, quandò conversantur cum persona, quæ spiritualis videtur. Nam quamvis horum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum. Quę quidem familiaritas, quantò plus crescit, tantò plus infirmatur principale motivum, & vtriusque puritas maculatur. Non tamen de hoc statim perpendunt, quia sagittarius ille à principio non mittit sagittas venenatas, sed solum aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes. Ad tantum tamen in brevi perveniunt, vt iam non velut Angeli, sicut incæperant, se ipsos alloquantur, & videant, sed tamquàm carne vestitos, se mutuo intueantur, & saucient mentem quibusdam commendationibus, ac verbis blanditorijs, & adulatorijs, quæ videntur ex prima devotione procedere. Deindè vnus incipit alterius appetere præsentiam corporalem, &c.*

2276 Id ipsum præclarè confirmat magnus ille dolor, quo prędictum Sanctum huiusmodi spirituales familiaritates angebant: ac diligens illa sollicitudo, qua eas penitùs extinguere conabatur, siquidem, vt SERAPHICÆ RELIGIONIS ANNALES referunt *in Capitulo Generali* vehementer institit, vt Religiosi Monialium curam reijcerent, quò prędicta pericula declinarent: *Aliam adiecit Bonaventura petitionem, vt probaretur Decretum Capituli Generalis de reijcienda Monialium cura, liberarenturque Fratres à tam molestis, & periculosis Sororum obsequis.* Apud VVADING *ad annum* 263. *num.* 17.

2277 Prædicta puritatis, ac Religiosę honestatis pericula probè agnoscens ISAAC Monachus, nos diligenter hortatur *lib. de Mundi contempt. in fine*, vt à Monialium conversatione nobis caveamus haud secus quam ab igneo laqueo Diaboli.

2278 Nec obstat si dicas nos nimis Religiosos videri, dùm de bonis, ac Sanctis Viris malam opinionem concipimus, ac ostendere nitimur in familiari eorum colloquio, eo quod multum potest vtilitatis hauriri, aliquod posse reperiri periculum. Non, inquam, obstat; nos enim nec de intentionibus Iudicium ferre, nec hanc quæstionem conamur dirimere, sed solum asserimus debere nos in dubijs saniorem sequi Sententiam, qualis est Sanctorum, ac Apostolicorum Virorum, qui vtpotè in animabus per securiorem tramitem dirigendis, versatissimi, ac Divino lumine illustrati, nobis vt fulgentissimam Cynosuram, ac securissimam nostrarum actionum normam, solidiores amplectendas proposuerunt, suoque exemplo tradiderunt, ac vt nostris animabus sedulò consulentes, salubriora consilia præbuerunt, quibus incontinentiæ pericula vitarentur; videmus autem, inter alia conservandę Castitatis remedia illud à Sanctissimis Patribus esse propositum, diligenter nempè mulierum familiaritatem declinandam; in hoc enim scopulo multi, estò sanctissimi, miserum naufragium fecere, vt suprà tradidimus. Cuius quidem rei elegantem rationem inveniemus in venerabili, ac B. IORDANE, dignissimo Prędicatorum Ordinis Generali, qui, vt *in eius Vita*, *cap.* 23. refertur, graviter coarguens quandam actionem, quæ ei non tam honesta, ac par erat, videbatur, virum nempè, ac mulierem, amicitiæ ergò dextras coniunxisse; non acquievit attestantibus, tàm virum, quàm mulierem honestis moribus insigniri, ac inculpata vita commendari, sed probè noscens, vel minimam suspicionem à bonis diligenter vitandam, prudentissimè abiecit: *Pluvia bona est, & terra bona, & tamen ex earum commixtione, fit lutum, quo fędantur cæteræ res: sic & ma-

nus

nus viri, licet bona fuerit, similiter, & mulieris, ex commistione tamen illarum, nonnumquam cogitatio, vel affectio mala consurgit.*

2279 Venerabilis HUMBERTUS, insignis etiam Dominicani Ordinis Generalis, in virorum, fœminarumque, sub Sanctitatis, ac Spiritualitatis specie familiaritates acerrimè invehebatur; explicans igitur N. P. S. AVGVSTINI Regulam, *cap.* 18. reddit rationem, cur mulieres spirituali vitæ debitæ, vti sunt Moniales, speciali erga viros spirituales, & perfectos affectione propendant, hæc habet: * Inter continentes verò sunt quædam, sub habitu, & specie Sanctitatis, & ideò cum non debeant habere familiaritatem cum hominibus mundanis, faciliùs effundunt suas tentationes in viros Sanctos, cum quibus frequentiùs conversantur.*

2280 In cuius confirmationem omitti non potest, quod scripsit *lib.2.cap.30. num.* 44. præclarus ille Præsul, vir planè Spiritu, & prædicatione Apostolicus, ac insignis D. THOMÆ condiscipulus THOMAS CANTIPRATENSIS, Susentinus Antistes, qui explicans 18. *Regulæ N. P. S. Augustini caput* (quam Prædicatorum Ordo profitetur) vbi dicitur: *Appetit, & appetitur concupiscentia fœminarum.* In eius expositione hæc subdit: * Vide quàm exitiabilis dolus est, quod quidam magis tentantur de his personis, quæ speciem in Habitu, & Religione prætendunt, quàm de his, quę sæculo se dederunt; & mulieres similitèr, quæ numquam de viris sæcularibus tentabantur, eas Diabolus & mens perversa in Sanctos & Religiosos, vel viros Ecclesiasticos stimulat.*

2281 Et *in eodem cap. num. 48.* vt prædictum abusum coarguat, vtitur D. AUGUSTINI Authoritate *lib. de Cohabit. Cleric. & mulier.* hæc, ad rem nostram, subiungens: * Si fortè in longo tuæ ætatis vsu, & retroacta Castitate confidis, audias quid dicat sanctissimus, & verissimus Augustinus: cum mulieribus, inquit, sermo brevis, asper, & rigidus semper habendus est; nec ideò minùs vitandæ, quia bonę indolis, & honestę videntur, sed quantò religiosiores, tantò magis alliciunt, & sub specie religionis viget plurimùm viscus libidinis. Crede mihi, vt Episcopus loquor, cedros Libani, greges arietum reperi sub hac peste corruisse, de quorum vita non magis suspicabar, quàm de Hieronymi, vel Ambrosij turpitudine impudica.*

2282 Huc spectat illud S. AMBROSII, *in Psal.* 118. *Octon.* 15. * Samson captus est per vxorem: numquid tu fortior? Salomon captus est in vxore: numquid tu sapientior? Ille, cuius Sapientia totis celebratur sæculis, factus est insipiens; quia nimiùm amavit vxorem.*

2283 Ex dictis manifestissimè agnosci potest, quàm periculosa sit Castitas, quam familiaritatis, & consuetudinis virorum, ac mulierum circumstat *occasio*; estô insigni polleant Sanctitate; in tanto enim periculo, nec Davidis sanctitas, nec Sãsonis fortitudo, nec Salomonis sapientia Castitatẽ purã, illibatamque servarunt: vnicum ergo remedium est *occasionem* declinare, vt castimonia ab imminentibus periculis liberetur, vt Sancti Patres hortantur. Nihilominùs inquirendum modò est, quodnam sit efficaciùs remedium ad vitandas tentationes, quibus assiduæ Castitas oppugnatur? Respondemus, nullum esse efficaciùs, quàm solertem *periculi declinationem* præcipitemque *fugam*.

2284 Hoc nobis suadet B. Apostolus IACOBVS *Epist. suæ cap.* 4. dicens: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Et D. PETRVS *in* 1. *Epist. cap.* 5. nos hortatur, vt potenti Castitatis inimico fortiter obsistamus: *Cui resistite fortes in fide.* Quo tamen pacto hosti reluctaturi simus docet, ac explicat Apostolus PAVLVS 1. *ad Corinth.* 6. dicens, hanc resistentiam non nisi fuga compleri: *Fugite fornicationem*; quæ fortiùs honestatem oppugnat. Vbi ergo periclitatur Castitas, vt præclaram, victricemque ab hoste impuro palmam reportemus, fugam tamquàm tutius securiusque medium arripiamus. Ita nos monet EVSEBIVS *in Epist. ad S. Damas. Pap. de morte S. Hieron.* * In isto tam gravi prælio (carnis nimirum) nullus potest vincere, nisi fugiat.*

2285 Cui consonat ANGELICVS DOCTOR 2.2. *quæst.* 5. *art.* 1. *ad* 4. hæc scribens: * Peccatum semper est fugiendum, sed impugnatio peccati, quandòque est vincenda fugiendo, quandoquè resistendo; fugiendo quidem, quandoquidem continua cogitatio auget peccati incentivum, vt est luxuria.* Cuius quidem rei hanc elegantem rationem tradit Mag. DIDACVS STELLA *in cap. 5. Lucæ*: * Quia non est bonum cominùs pugnare cum illo hoste, qui ex propinquitate sumit vires;

talis enim est luxuria: corpus enim nostrum, quod prius erat pro nobis, contra nos hostis efficitur.*

2286 Præclaram nobis huius Doctrinę confirmationem suppeditat D. AVGVSTINVS *Serm. 250. de Temp.* vbi Apostoli innixus Authoritate, censet, in pręlio Castitatis securius medium ad gloriosum referendum triumphum esse *fugam.* *Quod autem (inquit) libidinem fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus evidenter ostendit, qui cum omnibus vitijs prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit: *resistite*, sed *fugite fornicationem*: ac si contra reliqua vitia, Deo adiuvante, debemus in præsenti resistere, libidinem verò fugiendo superare. Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam; nec tibi verecundum sit fugere, si Castitatis palmam desideras obtinere.*

2287 S. BERNARDINVS SENENSIS, cuius tota vita assiduum fuit cum impurissimo inimico certamen, quem adeò gloriosè Subegit, vt Virginei candoris florem semper amœnum, fragrantemque servarit, *fugam* tamquàm vnum ex efficacissimis remedijs ad luxuriam vincendam nobis proponit *Tom. 4. Serm. 20. de luxuria*, vbi hæc, inter alia, scribit: *Generaliter tene, quod hoc vitium non vincitur, nisi fugiendo: * Quod tribus istis efficacissimis, suoque Spiritu dignis, rationibus convincit * Primò, quod luxuria ignis est, homo verò fœnum, & stuppa: nulla securitas est fœno, vel stuppæ iuxta ignem esse.* Hoc suadet *ex cap. 21. Eccles.* vbi peccator stuppæ nomine donatur. *Stuppa collecta synagoga peccantium: & consummatio illorum flamma ignis.* Secunda ratio est: * Quia peccatum luxuriæ est valdè immundum: vndè sicut non est bonum luctari cum homine involuto in cœno; quia licet non vinceret, tamen inquinaret; sic non est securum luctari cum peccato isto; nam vix potest esse, quod homo non coinquinetur, iuxta illud *Eccles. 13. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Tertiam rationem desumit à fuga, quæ quidem ratio eadem est ac illa, quam paulò antea adduximus, qua etiam vtitur Mag. DIDACVS STELLA, qui eam à S. BERNARDINO desumpsit: * Quia non est bonum luctari cum hoste, qui sumit vires de propè. Tale est corpus nostrum; quod priùs erat nobis pacificum, convertitur in hostem.*

2288 Idipsum nobis suadet insignis Ecclesię Doctor S. AMBROSIVS, qui expendens, quanto dolore angebatur castissimus IOSEPH, cum videret suam Puritatem assiduè opugnatam à turpi fœminæ lasciviæ flammis supra modum exardescente (ita vt de illa dicat Sacer Textus: *Per singulos dies molesta erat adolescenti.*) asserit, IOSEPH nullum securiùs reperisse remedium, quàm *fugam*, vt turpissimum illud declinaret peccatum, iuxta illud Spiritus Sancti consilium: *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* De hac igitur historia sermonens instituens Ambrosius *lib. de Ioseph cap. 5.* * Fugit (inquit) peccati labem, & quasi culpę contagium iustus horrescit.*

2289 Hinc S. ANSELMUS exponens illa D. Pauli verba *1. ad Corinth. 6. Fugite fornicationem*, aptissimè adnotavit, ad prædictum hostem repellendum, nulla esse efficaciora arma, quàm *fugam*: vndè sic prædictum textum elucidat: * Non dico, pugnate adversus eam, sed *fugite* illam; quia cum alijs vitijs potest expectari conflictus; hæc fugienda est, quia non aliter meliùs vinci potest.*

2290 His consonat ORIGENES *Homil. 29. in Matth.* explicans illa CHRISTI verba: *Orate vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato*; quibus verbis estò videatur CHRISTUS DOMINUS *fugam* improbasse, eam tamen laudabilem ostendit Origenes, quod vt probet, adducit prędicta Apostoli verba: *Fugite fornicationem*; in quorum expositione hæc habet: * Fugit autem fornicationem, qui omnem occasionem irritantem, & provocantem ad fornicandum evitat.* HUGO Cardinalis *in eiusdem textus expositione*, arguit à minori ad maius, reddens rationem, ob quam incontinentię peccatum, magis quàm alia, fugere debeamus. * Quia cum omnia peccata fugienda sint, cum non maculent nisi animam, multò magis fornicatio, quæ maculat corpus, & animam. Ecce fugiendo cavenda est fornicatio, iuxta illud *Eclesiast. 21. Quasi à facie colubri fuge peccata.*

2291 Hæc omnia magis elucidabuntur, si attendamus Prophetam Eliam, qui petulantibus, ac effręnatis furibundi, sacrilegique Regis Achab immanitatibus, sese

sese viriliter, & absque vlla prorsus formidine opposuit, ac quadringentos contra ipsum præ rabie insanientes Pseudoprophetas occidit; ab impia tamen Jezabel fugisse, & ab illius furore, ac rabie in desertis delituisse, vt dicitur *3. Reg. 19. Ambulavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Si huius discriminis rationem quæramus, eam nobis suppeditat S. AMBROSIUS *de Fuga sæc. cap. 6.* dicens: * Nimirum fugiebat sæcularem illecebram, & conversationis maculosæ contagionem.*

2292 Hûc etiam facit illud S. FULGENTIJ, qui explicans illa CHRISTI verba *Lucæ 12. Sint lubi vestri præcincti;* hæc habet: * Omnis Christianus præcinctos habeat lumbos, & fugiat libidinem.*

2293 Tandem *fugam* aptissimam esse ad incontinentiæ periculum arcendum, obscœnumque procul abigendum hostem, eruditè docet D. AUGUSTINUS *de Cing. Cleric.* hæc, inter alia, scribens: * Gravem inimicum sortita est Castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso fræno, longius fugiendum.*

§. XI.

QUIBUS REMEDIIS INTERNA animæ puritas securissimè conservetur.

2294 EGimus hucusque de castratione spirituali, quam iuxta D. HIERONYMUM, aliosque Patres exigit CHRISTUS *in Evangelio* ab Eunuchis *qui se propter Cœlorum Regnum castraverunt*, eamque ex ANGELICI PRÆCEPTORIS, aliorumque Sanctorum Doctrina ostendimus in perfecta Castitate consistere. At cum integra, perfectaque Castitas corpore integretur, & anima; cum hucusque de Castitate, quam Evangelici Eunuchi debent corpore conservare, latè egerimus, remediaque ipsius conservationi aptissima à S. IOANNE CHRYSOSTOMO, AUGUSTINO, alijsque proposita adduxerimus, recta Doctrinæ methodus expostulat, vt modò de animæ Puritate, & Castitate, quæ ad perfectam Spiritualis, & Evangelicæ castrationis integritatem desideratur, breviter tractemus.

2295 Ad integram, perfectamque Castitatem, non sufficere corporis integritatem, sed & mentis etiam Puritatem ... derari, eruditè docet S. BONAVENTURA *in Diæta Salutis, Tit. 4. de Consil. Evangel. cap. 4.* vbi notat, Sponsam non modò hortum conclusum, sed & fontem signatum à Divino Sponso vocari; in cuius expositione mirè discurrit, dicens: * Quod horto alicui feris vndique referto minimè sufficiat, quod muris clausis, aut sepibus validissimis cinctus sit, quia hoc plus noceret, quam prodesset: ita quandò bestiales motus libidinis strepunt in mente, parùm, aut nihil valet clausura castitatis in carne; & ideò sponsa dicitur non solum *hortus conclusus*, sed *fons signatus*; *hortus conclusus*, propter Castitatem carnis; *fons signatus*, propter puritatem mentis.*

2296 Pro eiusdem rei confirmatione idem Sanctus *tom. 7. lib. 1. de Perfect. Relig.* eruditè docet modum, quo animæ puritas servatur illæsa, compressis nempè primis libidinum incentivis, quæ animæ interiùs officere possunt: * Interius, inquit, debet reprimere cogitationes pravas, & affectiones carnales; quia isti sunt domestici hominis inimici, quorum fraude Urbs mentis inimicis traditur, si non benè caveatur. Nulla exterior munitio sufficit ad custodiendum Urbis claustra, vbi domestici perfidi fuerint, ita nulla custodia forinseca Castitatem conservat, sine custodia interna cogitationum, & affectionum.*

2297 Hinc S. EPHREN, vt tantum damnum præcaveret, nos sapienter admonuit, vt pro perfectę Castitatis custodia diligenter curemus latentes internorum hostium laqueos effugere, eorumque fallacijs fortiter obsistere. Expendens igitur illud *Ecclesi. 26. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* * Attende (inquit) tibi ipsi; nè per negligentiam piratas illius maligni intromittas. Intelligitis, qui sint illi piratæ maligni istius & homicidæ? Cogitationes sordidæ, atque morosæ, concupiscentię pravæ.*

2298 Vt ergo domesticos hosce hostes, qui interiorem animæ arcem, & interioris illius puritatis castrum assiduè expugnare conantur, securiùs superemus, vigilantiori solertia debemus priori illorum irruptioni, atque incursui viriliter reluctari; quemadmodum hortatur BERNARDUS *de interiori domo cap. 38.* dicens: * Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delecta-

tionem affici, toties pone ante mentis oculos, quomodò CHRISTUS in Cruce crucifixus est pro te.* Singulaque Passionis Domini Nostri supplicia sigillatim enumerans, nobis suadet, vt in illius Cōtēplatione studiosé versemur; hæc enim, vt idem asseverat Sanctus, est velut validissimus clypeus, quo obscœni hostis propulsantur incursus. * Sufficere potest hęc cogitatio (aiebat idem Bernardus) ad excludendas omnes illicitas cogitationes.*

2299 Ad hanc pervigilem sollicitudinem diligenter cavendi, nè interni Castitatis inimici, impuræ nempè cogitationes, vel momento quidem in anima commorentur, sed citocitiùs excutiantur, adhortatur idem Sanctus *ibi cap.39.* dicens: *Spiritus Sanctus suggerit bona, & dulcia; spiritus malus mala, & amara, vana inutilia, & immunda; & ideò quacumque hora mala cogitatio cor tuum tangit, non consentias illi, nec sinas eam in corde tuo manere, sed illicò repelle; in initio cogitationis iniquæ resiste, & fugiet à te.* Vt autem agnoscamus quàm salubre sit hoc documentum, nobis proponit idem SERAPHICUS DOCTOR grave damnum, quod proculdubio suboriretur, si primo turpis cogitationis non obsisteremus incursui; hæc enim subdit: * Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem; sicut vipera à filijs suis in vtero positis lacerata perimitur, ita nos cogitationes nostræ intra nos nutritæ occidunt.*

2300 Nè ergo in tanto prælio deficiamus, sua nos exhortatione excitat, & confirmat S. EPHREN *Tom.2. cap.3. de pugna carnis*; qui ingentem illorum lamentatur stultitiam, qui cum impium, ac truculentum hostem, obscœnas nempè cogitationes, in interiori suæ domus habeant commorantem, ei sua inertia, ac desidia vires addunt, animosque ministrant. Vt ergo inhonesto, ac lascivo hosti resistere haud timeamus, sic nos suis verbis confirmat: * Si carnis pugna in te insurrexerit, ne verearis, neque succumbas turpibus cogitationibus; nè tuum adversus te inimicum insolentiorem reddas.*

2301 Et quidem primo lascivientis naturæ incursui non segniter, & ignavè, sed diligenter, ac strenuè reluctandum docet S. NILUS *de oct. vitios. castigat.* dicens: * Quoties libidinis illęcebra seorsim in te impetum fecerit, confestim fuge, ac coram Deo te proijce clamans: Fili Dei adiuva me; neque ob eam rem minus excrucieris; non enim id à nobis exigitur; vt affectus ex animis nostris evellamus, sed vt adversus eos pugnemus.*

2302 Quantę vtilitatis sit istud consilium resistendi in ipso pręlij initio obscęnis cogitationibus, quæ internam animæ puritatem commaculare conantur, rectè expendit S. BONAVENTURA *de Perfect. Relig. cap.36.* sic commonens: * Si hostibus vitiorum fideliter resisteremus, quandò nos impugnare incipiunt, non solum non vinceremur ab illis vlla vice, sed etiam ita debilitarentur, quòd posteà rariús auderent nos impetere, & si impeterent, faciliè vincerentur, donec penitùs deleantur, quod vix auderent resurgere; sed tepidè reluctando, damus eis vires, & ausum, sæpiùs, & acriùs nos decipiens impugnandi.*

2303 Ad perfectam autem Castitatem non sufficere, eam corpore conservare, sed necesse quoque esse internam animę puritatem sollicitè communire, interioremque concupiscentiam, vndè externa corporis erumpit impuritas, diligentèr frænare, egregiè testatur S. IOANNES CHRYSOSTOMUS *Tom.1. Homil.56. de Pœnitent.* metaphora à Medico desumpta: quemadmodum enim iste, vt morbum medicamine pellat, illius causam appositis remedijs compescere, illiusque radicem potentibus pharmacis penitùs extirpare contendit: sic in spiritualibus, vt pestifero lasciviæ morbo occurramus, debemus interiorem concupiscentiam, quæ exterioris libidinis radix est, & origo, arctissimis frænis coërcere. Explicans itaque illud Evangelij: *Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam*; alludens ad Medicum, qui de semetipso dixit: *Non est opus valentibus Medico, sed malè habentibus*; ait: * Non modò morbum, sed & morbi radicem evellit: radix enim adulterij concupiscentia impudica; quare non modò plectit adulterium, sed & concupiscentiam adulterij matrem; sic & Medici faciunt; non ad morbos instant solum, sed ad causas etiam tollendas.* Ideò S. JOB, vt se omnium affectionum exhiberet victorem: *Pepigi* (inquit) *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Quibus verbis edocemur intercludendam esse internam turpitudinis causam,

vt

vt melius propulsetur effectus.

2304 Quod luculenter illustrat Sanctus GREGORIUS Papa *lib.21. Moral. cap. 21.* illud inter antiquam, novamque Legem discrimen assignans, quod in illa, turpes cogitationes, & illicita desideria non ita apertè, ac in ista, prohibebantur. Vndè Sanctissimus Job, Divino illustratus Spiritu, agnoscensque quod Salvator in Nova Lege præcepturus erat, idipsum opere implevit, executorique mandavit. * Sciebat nimirum (inquit Gregorius) luxuriam esse in corde refrænandam; sciebat per Spiritus Sancti donum, quod Redemptor noster veniens Legis præcepta transcenderet, & ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis aboleret: per Moysem, luxuria perpetrata, per Authorem Mundi, luxuria cogitata damnatur.* Incarnata namque Sapiētia veniens in hunc Mundum protestata fuerat, dicens: *Scriptum est: Non adulterabis.* (*Matth.* 5.) *Ego autem dico vobis, quoniam qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*

2305 Consonat item S. GREGORIUS Papa *lib.* 21. *Moral. cap.* 2. ad illa enim verba *Apocalyp.* 1. *Vidi similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea*; censet Mysterium magnum adumbrari, quod sic exponit: * *Zona aurea* super mammillas succinctus, quia Testamenti Novi munditia, etiam cordis luxuriam frænat.*

2306 Idem Sanctus explicans illud 1. *Petri* 1. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, &c.* optimè probat, ad perfectam Castitatem servandam necesse esse, non modò corporis, sed etiam animæ lasciviam penitùs coërcere: * Lumbos carnis succingere, est luxuriam ab effectu refrenare: lumbos verò mentis succingere, est hanc etiam à cogitatione restringere.* Ideò S. ISIDORUS *lib.2. Sent. cap.* 39. considerans corporis impuritatem ab animę immunditia, & turpitudine dimanare, censet, infestam lasciviæ luem in suo initio, ac origine, in ipso nempè animæ interiori compescendam, vt corporis puritas illibata persistat; sic enim scribit: * Antequam perficiatur adulterium in opere, iam adulterium extat in cogitatione; ex corde enim primò fornicationes sunt auferendę, & non prorumpent in opere. Hinc est, quod Isaias (qui per anthonomasiam Propheta vocatur Evangelicus) postquam Evangelicæ Legis præ dixit successus, ita moneat: *Accingite lumbos vestros super vbera* (*Isaiæ* 32.) hoc est, in corde libidines resecate, quę ad lumbos pertinent; nam cor super vbera est, non in lumbis.*

2307 Quantùm internæ Castitatis conservationi conducat sedulò adhibere remedium, vbi præcipuum turpium cogitationum dignoscitur esse damnum, ipsisque in ipso prælij initio viriliter obsistere, eruditè docet S. IOANNES DAMASCENUS *de Spirit. fornicat. lib.* 3. *cap.* 13. vbi materiam istam tractans ex professo, hæc habet: * Quapropter illius præcepti iugiter meminisse debemus: *Omni custodia serva cor tuum*; & secundum Dei principale mandatum sollicitè serpentis observare noxium caput, id est malarum cogitationum principia, quibus serpere in animas nostras diabolus tentat; nec sinamus per negligentiam intrare in cor nostrum reliquum eius corpus, id est, oblectationis assensum. * Quòd confirmat ex illo Davidis, *Psalm.* 50. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, quem locum ita dilucidat: * Emergentes peccatores terræ nostræ, id est sensus carnales, in matutinis sui ortus nos oportet extinguere, & dum adhuc parvuli sunt, allidere filios Babylonis ad petram.*

2308 Et *lib.* 5. *cap.* 3. censet, præcipuam nostram sollicitudinem eo collimare debere, vt pręsentaneum adhibeatur remedium gravissimo isti damno; vndè primum nostræ, vel vitæ, vel mortis sumitur initium, nisi illi oportuno tempore occurramus, inque ipsis quasi incunabulis suffocemus. * Principaliter (inquit) vitij huius (scilicet libidinis) correctio de cordis perfectione descendit, ex quo etiam huius morbi virus Domini voce prodire signatur. De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, adulteria, &c. Illud ergo est primitùs expiandum, vndè fons vitæ, & mortis manare agnoscitur. Vndè Salomon monet: *Omni custodia serva cor tuum.**

2309 Quantùm internæ animæ puritati officiat, primo turpium cogitationum ipsam oppugnantium incursui minus sollicitè reluctari, elegantèr expendit S. EPHREN *Tom.* 3. *de Timore Dei*, hæc, inter alia, scribens: * Spiritui fornicationis resiste, & planè non patiaris te abripi cogitatione huiusmodi; nam à scintilla ignis augetur pruna, & à cogitatione improba multiplicabuntur concupiscentiæ pra-

væ.

væ. Excute memoriam eorum magis quàm gravem odorem cęni, atque cloacæ.

2310 Hùc præclarè facit illud D. AUGUSTINI *Tom. 10. Dom. 25. post Trinit. serm. 21.* * Quomodo enim si aliquis carbones ignis apprehendat, si eos citò proiecerit, nihil nocebunt; si autem diutiùs tenere voluerit, sine vulnere eos iactare non poterit: ita & ille qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde suscipiens magnas moras in suis cogitationibus habere permiserit. *

2311 Ex his, alijsque Sanctorum Patrum Authoritatibus, quas suprà retulimus, manifestè deducitur, quàm nostri muneris sit, ad eam perfectam Castitatem servandam, quam Christus Dominus exigit in Eunuchis, *qui se propter Cœlorum Regnum castraverunt*, quæ non modo corporis, sed & animę etiam puritatem complectitur, damnis, quæ exteriorem, ac interiorem animæ candorem possunt commaculare, diligenter occurrere, solliciteque mederi, quemadmodum hortantur Sancti Patres supra relati; alioquin in immane libidinum barathrum ruemus. At si primum huius nostri damni caput in ipso initio protinùs abscindamus, si impuris cogitationibus in ipsis belli primordijs fortiter reluctemur, easque confestim comprimamus; non modò spiritualem, & Evangelicam castrationem securissimè obtinebimus, sed & summam nobis fœlicitatem, æternumque bravium securissimè polliceri poterimus, iuxta illud *Psalm. 136. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram*; quod ita DAMASCENUS exponit: * Operępretium est itaque, Babylonis parvulos, hoc est turpes cogitationes, quę nos primum adoriuntur, ad petram, hoc est ad Christum allidere, atque obterere.*

2312 Quod & confirmat D. HIERONYMUS *Epist. 22. ad Eustoch.* ita scribens: * Non sinas cogitationes crescere: nihil in te Babylonicum adolescat: dum parvus est hostis, interfice.* Impossibile est in sensu hominis non irruere medullarum calorem; ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare Sordida, statim interficit cogitatus.

2313 Cum hùcusque 21. & 22. Apostolorum Canonem ęquissimè ab Apostolis conditos ostenderimus, omnesque tenebras, quibus vtriusque æquitas, ac veritas ab aliquibus offunditur, Sanctorum Patrum Doctrina, ac testimonijs discusserimus, recta Doctrinæ methodus exposcebat, vt de 46. & 47. Canone, Baptismum ab Hæreticis collatum improbante, ageremus, cum non desint Authores, qui firmiter teneant, prędictos Canones, ob Doctrinam in illis contentam, ab Apostolicorum Canonum numero reijciendos, sed quia hac de re nobis agendum est ex professo, cum de Stephano Papa pertractabimus, ideò ad eum locum lectorem transmittimus. Quarè nunc solum de Apostolorum Canone, vel 49. iuxta HERVETUM, vel 50. iuxta DIONYSIUM EXIGUUM agemus.

CAP. XII.

DE 49. APOSTOLORUM Canone.

2314 PRO pleniori præsentis controversiæ elucidatione, afferemus priùs prædicti Canonis textum, iuxta GENTIANI HERVETI versionem, quæ sic se habet: * Si quis Episcopus, vel Presbyter non trina vnius Mysterij Baptismata perfecerit, sed vnum Baptismum, qui datur in mortem Domini, deponatur. Non enim dixit Dominus: *In mortem meam baptizate*: sed: *Ambulantes docete omnes gentes baptizantes ipsos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.**

2315 DIONYSIUS EXIGUUS prædictum Canonem, non 49. sed 50. loco enumerat, & quamvis idem sit in substantia, illius tamen è Græco in Latinum versionis verba proferemus in medium: * Si quis Episcopus, aut Presbyter non trinam mersionem vnius Mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur: non enim dixit nobis DOMINUS: *In morte mea baptizate*, sed: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.** Hoc ergo supposito sit.

AN

§. I.

AN 49. APOSTOLORUM CANON sit inter legitimos, & authenticos connumerandus.

2316 PRo Conclusione statuimus: PRÆDICTUM 49. CANONEM QUO TRINA IN BAPTISMATE IMMERSIO PRÆSCRIBITUR, ESSE INTER LEGITIMOS, ET AVTHENTICOS APOSTOLORVM CANONES RECENSENDVM, ET VT TALEM AB OMNIBVS SVSCIPIENDVM. Primò, quia 85. Canones, sub Apostolorum nomine, à D. CLEMENTE collecti, omni quidem tempore, vt tales à tota Orientali Ecclesia singulari veneratione suscepti sunt, ac vnanimi consensu approbati, vt eorum testatur Collectio à IOANNE SCHOLASTICO facta, quemadmodum notat CHRISTOPHORUS JUSTELLUS *in Præfat. ad Tom. 2. Bibliothec. Iuris Canon.* Et ipse Ioannes, Antiochenæ Ecclesię Presbyter, hæc *in Præfat.* scribit: * Sancti Domini Discipuli, & Apostoli, octuagintaquinque Canones, Clementis opera ediderunt. * Et post prædictam Collationem admissi fuerunt præfati 85. Canones à TRULLANÆ SYNODI Patribus *Can.* 2. eosdemque, vti veros Apostolorum Canones, omnes Orientalis Ecclesiæ Episcopi venerati sunt, vt testatur S. IOANNES DAMASCENVS *lib.* 4. *de Fide Ortho.* Cui consonat VI. OECUMENICA SYNODVS *Act.* 1. nosque latè suprà probavimus *fol.* 430. *num.* 1027. *&* 1028. & latiùs *num.* 1030. alijs probatissimis Authoribus confirmavimus. Cum ergo 49. Canon trinam immersionem præscribens vnus sit è 85. in Orientali Ecclesia approbatis, rectè deducitur eum esse inter legitimos Apostolorum Canones recensendum, & vt talem ab omnibus venerandum.

2317 Insuper è prædictis 85. priores 50. fuisse à Latina, Romanaque Ecclesia, vt legitimos, & authenticos Apostolorum Canones susceptos, celebriores testantur Historici, & maioris Fidei, & æstimationis Authores à nobis supra à *num.* 1031. *& sequent.* relati, vt Eminentissimi Cardinales TVRRECREMATA, & BELLARMINVS, &, quod magis est, Sanctissimi Pontifices ZEPHERINVS, LEO, & STEPHANVS IV. qui in Lateranen. Synodo *Act.* 4. hæc statuit: * Non ampliùs suscipiantur Apostolorum Canonum Canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta Capita, quæ suscipit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Cum ergo noster de Trina immersione Canon, sit, vel 49. iuxta Gentiani Herveti traductionem, vel 50. iuxta Dionisij Exigui versionem; manifestè dignoscitur, eum esse vnum ex ijs, quos sub nomine Apostolorum, vt legitimos, & authenticos melioris notæ Authores suscipiunt, Summi Pontifices approbant, & vtraque, tàm Græca, quàm Latina veneratur Ecclesia.

2318 Secũdò; quia quãvis prędictus Canõ non esset inter Apostolicos, tàm in Oriente, quàm in Occidente, vniversali acceptione susceptus, nulla est alicuius ponderis ratio ad illum ab Apostolicorum Canonum numero excludendum; sententia enim, & doctrina in ipso contenta valdè Catholica est, & Apostolica, ac planè dignissima vt ab Apostolis stabiliretur, & nobis tamquam securissima regula proponeretur; prædicta enim de trina immersione doctrina adeò sana est, ac secura, vt Summis Pontificibus, Sacris Conciliorum Canonibus, ac celebrioribus Ecclesię Patribus, & Authoribus vniversali plausu suscepta fuerit, & approbata, vt ex dicendis manifestè constabit.

2319 S. GREGORIVS MAGNVS, *lib.* 1. *Epist.* 41. ad S. Leandrum Hispalensem Episcopum directa, vt habetur *de Consecrat. distinct.* 4. *cap. De Trina*, hæc scribit: * De Trina mersione Baptismatis nihil responderi veriùs potest, quàm quod ipsi sensistis; quia in vna Fide nihil officit Sanctę Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertiò mergimus, triduanæ Sepulturæ Sacramenta signamus, vt dùm tertiò infans ab aquis educitur, Resurrectio triduani temporis exprimatur.*

2320 Et *lib. de Sacrament. de Baptis. Infant.* * Deinde, inquit, baptizat eum Sacerdos sub Trina mersione, tantum Sanctam Trinitatem semel invocans, ita dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris*, & mergat semel, *& Filij*, & mergat iterum, *& Spiritus Sancti*, & mergat tertio.*

2321 GELASIVS PAPA Gaudentio Episcopo scribens, vt habetur *in cap. Multi, eadem dist.* * Multi, inquit, sunt, qui in nomine solummodo Christi, vna etiam

etiam mersione asserunt baptizare, Evangelicum verò præceptum, ipso Deo, & Domino Salvatore nostro IESU CHRISTO tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, Trina etiam mersione Sanctum Baptisma vnicuique tribuere, dicente Domino Discipulis suis: *Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.**

2322 ADRIANVS I. *in Epitome Canonum, num.* 50. hoc decretum promulgavit: * Si quis Episcopus, vel Presbyter, non per trinam mersionem baptizaverit, deponatur.* Quæ quidem sententia ex hoc nostro Apostolorum Canone videtur desumpta, vt refert Pater GREGORIVS DE RIBES *in Epitome Conciliorum.*

2323 Subscribit VIGILIUS Papa *Epist.* 1. *cap.* 2. *De renascentium trina mersione, de Baptismo quoque solemniter adimplendo, similiter quid Apostolica vel sanxerit, vel observarit Authoritas in subiectis tua Charitas evidenter agnoscat.*

2324 Id ipsum docet Pontifex LEO I. *Epist.* 4. *cap.* 3. hæc, inter alia, scribens: *Sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis, &c.*

2325 Quod & comprobat TEXTUS *in cap. Si quis Præsbyter, de consecrat dist.* 4. quod desumpsit GRATIANUS ex hoc nostro 50. Apostolorum Canone, cuius verba, quia eadem sunt, ac ea, quę supra retulimus, hic ommitenda censuimus. At GLOSSA prædicti canonis occasionem, his verbis declarat: *Quidam in Baptismo semel tantum hominem immergebant, & dicebant: *Baptizo te in mortem Domini.* Dicitur quod tales debent deponi: quia formam non consequuntur.*

2326 Consonat TEXTUS *in cap. Eodem modo, de consecrat. dist.* 4. desumpto ex D. HIERONYMO *in Epist. ad Ephes. lib.* 2. *cap.* 4. * Eodem modo, & in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Baptizamur, & ter mergimus, vt Trinitatis vnum appareat Sacramentum, & non Baptizamur in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed in vno nomine, quod intelligitur Deus. (Et infrà:) Potest vnum Baptisma, & ita dici, quod licet ter Baptizemur per Mysterium Trinitatis, tamen vnum Baptisma reputetur.* Vbi GLOSSA: * Ter baptizemur, id est, ter immergimus in Baptismo, & ita tres mersiones sunt vnum Sacramentum, sicut plures voces vnum nomen.* argum. *Extra de Regul. Iuris cap. Homines.*

2327 Hûc egregiè facit *Cap. Postquam. de Consecrat. Distinct.* 4. ex Divo AUGUSTINO *Homil.* 3. desumptum, vbi hæc habet Augustinus: * Postquam vos credere promisistis tertiò capita vestra in Sacro Fonte demersimus, qui ordo Baptismatis duplici Mysterij significatione celebratur. Rectè enim tertiò mersi estis, qui accepistis Baptismum in nomine IESV CHRISTI, qui die tertia resurrexit à mortuis, illa enim tertiò repetita demersio, typũ Dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in Baptismo, & cum Christo resurrexistis in Fide, vt peccatis abluti in Sanctitate virtutum CHRISTVM imitando vivatis.*

2328 His Sanctissimis Summorum Pontificum de trina mersione Decretis consonant Sacratissima Concilia, pręcipuè TOLETANUM IV. *Gothorum tempore*, celebratum *cap.* 5. vbi hæc leguntur: * De Baptismi Sacramento, propter quod in Hispanijs quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & vnitas Fidei scindi videtur. Nam dum partes diversæ in baptizandis aliqua contrario modo agunt, alij alios non baptizatos esse contendunt. Proindè quid à nobis in hac Sacramenti diversitate faciendũ sit, Apostolicæ Sedis informemur pręceptis, non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatæ ergo memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, &c. efflagitante Leandro Episcopo de hac Hispaniæ diversitate quid potiùs esset sequendum, inter cętera rescribens ei sic ait: De trina verò mersione, &c. (vt habetur *in cap. de trina, suprà relato*) Quapropter quia de vtroque Sacramento quod fit in Sancto Baptismo à tanto viro reddita est ratio, quod vtrumque rectum, vtrumque irreprehensibile in Sancta Dei Ecclesia habeatur.*

2329 Quam obsequentes fuerint non modò Hispani, sed etiam Germani Apostolicæ Sedis Decretis in hoc de trina, vel vnica immersione dissidio, manifestè innotescit ex ijs, quę sub S. Gregorio Magno acciderunt; cum enim in quibusdam Orbis partibus ingens esset de hac re suborta contentio, alijs trinam, alijs verò vnicam in Baptismate immersionem adeò tenaciter pro-

propugnantibus, vt non defuerint, qui hanc opinionum varietatem schisma crederent, eaque vnitatem Fidei scindi existimarent; tota hęc tempestas sedata est Apostolico Zelo S. GREGORIJ MAGNI hanc litem dirimentis, vt satis apertè patescit *ex cap. 5. Vvormatiensis Concilij, in causa Ecclesiasticæ disciplinæ anno Domini 868. sub Adriano Papa II. & Ludovico Imperatore II.* celebrati, vbi eadem ferè habentur, quæ in Toletano Concilio supra citato leguntur: * Cum quidam Sacerdotes, inquit, qui in quibusdam partibus terrę, trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & vnitas Fidei scindi videtur. Namdum partes diversę, & quasi contrario modo agunt, alij alios non baptizatos esse contendunt. Proinde quod nobis in Sacramenti diversitate finiendum sit, Apostolicę Sedis informemur, non nostram, sed Paternam Institutionem sequentes. Beatæ igitur memoriæ S. Gregorius, Romanæ Ecclesiæ Pontifex, efflagitante Sanctissimo Leandro Episcopo, de hac diversitate quid potiùs esset sequendum, inter cætera rescribens, sic ait: De trina verò mersione Baptismatis nihil responderi veriùs potest, quam quod ipsi sensistis: quia in vna Fide non officit Sanctę Ecclesię consuetudo diversa. Nos autem quod tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus, vt dum tertiò ab aquis infans educitur, Resurrectio triduani temporis exprimatur.*

2330 CONCILIUM CASSELANUM *in Hybernia sub Alexandro III. anno 1171.* celebratum *Can. 1.* * Pueri (inquit) ad Ecclesiam deferantur, & ibi baptizentur in aqua munda, sub trina mersione *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & hoc à Sacerdotibus fiat, nisi metu mortis impediente, ab alio, & aliàs oportuerit fieri, & tunc à quolibet fiat, sine exceptione sexus, & Ordinis.*

2331 Tandêm RAVENNATENSE II. *in partibus Italiæ sub Clemente V.* habitum, hæc statuit: *Forma Baptismi hæc est: *Petre, vel MARIA, Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, sub trina aspersione, vel immersione, nihilo interposito, vel detracto: quæ forma ab omnibus baptizantibus irrefragabiliter observetur, & nè de ipsius ignorantia quis valeat excusari, ter in anno, scilicet in die Epiphaniæ Domini, vel eius Octava; in die Resurrectionis, & in die Pentecostes, per Episcopos, vel per se, vel alios in Ecclesijs Cathedralibus, per Archipresbyterum in Baptismalibus, & per Rectores in Parochialibus in Missarum Solemnijs, vel Prædicationibus publicè, & districtè præcipimus divulgari.*

2332 Ea est receptissima Apostolicæ Sedis, Summorumque Pontificum, qui D. Petri Cathedram moderantur, consuetudo, vt in suis resolutionibus, Decretis, & diffinitionibus, pro maiori istarum securitate venerandæ Sanctorum Patrum Doctrinæ, tamquam solidissimo fundamento semper innitantur. Vt autem meliùs innotescat prædictorum Pontificum, & Conciliorum de trina immersione Iudicium, Sanctissimis Patribus, qui præclara sua eruditione, & Doctrina Ecclesiam Dei mirificè illustrarunt, consonum esse, ac conforme, quid isti dicant, audiamus.

§. II.

QVODNAM FVERIT SANCTORUM Patrum de trina immersione Iudicium.

2333 VT quæ dicenda sunt faciliori calamo percurramus, prænotandum duximus, non defuisse Hæreticos, qui sese Sanctissimis Christi, Apostolorum, Sacrorumque Canonum de trina in Baptismate immersione statutis impudentèr apponerent, vnam tantummodò immersionem in mortem Domini adhibentes. Horum antesignanus fuit Eunomius, secta Arianus, apud Cyzicum Hellesponti Metropolim Episcopus, de quo loquitur VII. CONSTANTINOPOLITANÆ SYNODI Canon, dicens: *Eunomiani in vnam demersionem baptizantur.* Quod, & confirmat SOZOMENVS *lib. 6. cap. 26.* his verbis: * Quidam memorant Eunomium primùm ausum esse, asserere Divinum Baptismatis lavacrum vnica immersione debere peragi. (Et infrà:) Dicunt hi, qui tradunt Theophronium Cappadocem, & Eutychium istius sectæ fautores, cum se ab Eunomio divisissent, nonnulla cum alijs Eunomij decretis, tùm in Sacro Baptismate novare cępisse, non in Trinitatem, sed in Christi mortem esse Baptizandum asserentes, Eunomium autem hac in re nihil novasse.*

2334 Idem testatur THEODORE-

TUS *in 4. Hæretic. Fabul. lib.* hæc scribens: *Eunomius Sancti Baptismatis Legem olim à Domino, & Apostolis traditam evertit, & contrariam apertè sanxit dicens: non oportere ter illum immergere, qui baptizatur; nec invocare Trinitatem; sed semel baptizare in Christi mortem.*

2335 Consonat ANASTASIUS, Bibliothecarius Apostolicus, dum *in sua Ecclesiast. Histor.* *Impius (inquit) Eunomius præsumpsit in vna mersione Baptismum celebrare, non in Trinitate, sed in in morte Christi oportere baptizari, dicens; & eos, qui in Trinitate baptizati erant, rebaptizabat.* Idque ipsum eisdem ferè verbis scripsit THEOPHANES.

2336 Quod & tradidit etiam S. EPIPHANIVS *lib. 76. cap. 6.* hæc asseverans: *Eunomius eos, qui baptizati iam fuerunt, iterum baptizat, non modo qui à Catholicis, aut ab alijs hæresibus, sed eos etiam, qui ab ipsismet Arianis deficiunt.*

2337 In hunc ergo tam perniciosum errorem Apostolicæ Summorum Pontificum, Sacrorum Canonum, Sacratiorumque Conciliorum Doctrinę directè oppositum, SS. Patres, tam in Oriente, quam in Occidente acritèr insurrexerunt, vt hoc §. demonstrabimus.

2338 Primas teneat S. CLEMENS ROMANVS, *Can. Si quis Episcopus 49.* à quo desumptus est Apostolorum Canon, quem in huius controversiæ initio retulimus.

2339 S. DIONYSIUS AREOPAGITA, *lib. Ecclesiast. Hierarch. cap. 2.* *Ille (inquit) quidem, à Sacerdotibus se tenentibus, in aquam ducitur ad Pontificis manum. Pontifex autem supernè adstans cum rursus per aquas sub Pontificis manu Sacerdotes eius, qui initiantur inclamaverint nomen, ter illum Pontifex mergit, & trina illius immersione, & emersione, tres Beatitudinis Divinæ Personas inclamans.*

2340 CONSTANTINVS IMPERATOR *in Privileg. Roman. Eccles.* hæc de se ipso, cum Sacro fonte lustratus est, enarrat: *Benedictioni spontè illic me terna immersione vnda salutis purificavit.*

2341 S. ATHANASIUS *quæst. 124.* *Quod infantem ter in aquam mergimus, & ter educimus, mortem, & triduanam Christi Resurrectionem significamus.*

2342 S. CYRILLUS IEROSOLYMITANVS *Catheches. 2.* hæc commemorat: *Postea deducebamini ad Sanctum Divini Baptismatis lavacrum; & tunc vnusquisque interrogabatur: an crederet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & confessi estis salutarem Confessionem, & mersi ter in aquam, rursus emersistis, atque ita per hæc Symbola, triduanam CHRISTI significastis Sepulturam. Nam, & Salvator noster tribus diebus, & tribus noctibus fuit in visceribus terræ.*

2343 S. BASILIUS MAGNUS, *lib. de Spirit. Sanct. cap. 15.* de trina in Baptismate immersione meminit, dicens: *Tribus igitur immersionibus, ac totidem invocationibus magnum Baptismatis Mysterium peragitur, vt & mortis figura adumbretur, & per traditionem Divinæ cogitationis animus repurgetur eorum, qui baptizantur.*

2344 S. GREGORIVS NYSSENVS *Orat. Catechet.* non modo de trina immersione, sed de arcana etiam illius significatione eruditè pertractat dicens: *Descendamus autem in aquam, & quod in eam homo ter dimissus sit, alterum continet Mysterium. Sicut CHRISTVS postquam sub terra positus, tertio die reversus est ad vitam, ita etiam, qui secundum naturam corporis est illi coniunctus, ad idem, quod ab ipso rectè gestum est intuens, ad vitæ, inquam, finem, pro terra aqua ei infusa in tribus ambitibus imitatus est triduanam gratiam Resurrectionis.*

2345 Et *Orat. de Sancto Baptismo* sic trinam immersionem mysticè exponit: *Nos Baptismata assumentes ad imitationem Domini, & Doctoris, & Præceptoris nostri, in terra quidem non sepelimur, sed ad terrę cognatum elementum, aquam, venientes, in illa, sicut Salvator in terra, nos abscondimus; idque cum ter simul faciamus, triduo peractam nobis Resurrectionis gratiam effingimus, eaque facimus non silentio Mysterium assumentes, sed trium Sanctarum Hypostaseon, in quas credimus, in quas etiam speramus, ex quibus nobis contingit, vt & nunc simus, & rursum futuri simus, nominibus super nos pronunciatis.*

2349 S. IOANNES CHRYSOSTOMUS trinæ immersioni egregiè patrocinatur *Homil. de Fide in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*, hæc scribens. *Omnibus Mysterijs veluti sigillum imponens Dominus, in tribus mersionibus aquæ vnum Baptisma Discipulis

suis

suis tradidit, dicens: *Euntes docete Evangelium, &c.**

2347 Et *Homil. 24. in Ioann.* * In aqua (inquit) tamquàm in Sepulchro caput immergentibus, vetus homo sepelitur, & submergitur, deindè nobis emergentibus, novus resurgit indè: vt facilè nobis est immergi, & emersos respirare; ita Deo veterem sepelire hominem, & novum induere. Prętereà ter istud fit, vt hinc Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Virtutem hæc omnia implere intelligas.*

2348 GERMANUS, Patriarcha Constantinopolitanus, qui Leoni Isaurico Imperatori, cuius temporibus floruit, contra Sacras Imagines acerrimè sævienti, egregio Religionis Zelo restitit, *in Theoria* hæc scribit: * Nam per immersionem in aqua, & emersionē, triplicēque mundationē, triduanam sepulturam, & Resurrectionem ipsius Christi repræsentamus, & confitemur.*

2349 S. IOANNES DAMASCENUS *de Fide Orthod. lib. 4. cap. 10.* trinam in Baptismate immersionem præclarè testatur, illiusque mysticam significationem his verbis exponit: *Baptismus mortis CHRISTI figuram præfert: Baptismus siquidem per triplicem immersionem tres dies, quibus Dominus tumulo conditus iacuit, significat.*

2350 Et *Epist. de Trisagio.* *Enimverò (inquit) si quis ex nobis sciscitetur, quid sit causæ, quamobrem cum alicui Baptismum exhibemus, ter eum mergimus? quidnam aliud respondebimus, quàm quod ob vnamquamque personam eum immergimus? Nam alioqui novies immergendus esset. Id quod fieri non potest. Eaque etiam ratione ad vnamquamque immersionem nomen eius è tribus Personis pronuntiamus.*

2351 THEOPHYLACTUS *ad cap. 3. Ioann.* hæc habet: * Symbola sepulturæ, & Resurrectionis in aqua illa perficiuntur. Tres mersiones, triduanæ sepulturæ symbola sunt: deindè regreditur homo, sicut Dominus fulgidior, & clarior, incorruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem submersit.*

2352 SIMEON METAPHRASTES *de rebus gestis, & consummatione sancti Cornelij* præclarum de trina immersione testimonium his concisis verbis exhibuit: * Vas è Cœlo (inquit) ter dimissum significabat ternam in Baptismo demersionem.*

2353 IOANNES ZONARAS præclaræ inter Grecos eruditionis Author, qui Apostolorum Canones eleganter interpretatus est, *in* 50. Apostolorum Canonis expositione hæc habet: * Hic Canon tria Baptismata, tres immersiones intelligit, in vno Mysterio, scilicet in vno Baptismate: sic vt ad vnamquamque immersionem baptizans addat vnum Sanctæ Trinitatis Nomen. Nam semel cum, qui baptizatur, in sacrum lavacrum demergere, & in mortem Domini dumtaxat vnam celebrare immersionem, scælestum, ac nefarium est: atque sic baptizans Ordine movetur.*

2354 THEODORUS BALSAMON *in eiusdem* 50. *Canonis elucidatione* trinæ immersioni luculenter patrocinatur, sic discurrens: * Statuit hic Canon per tres immersiones peragi oportere Mysterium Sacri Baptismatis, scilicet *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, semel autem baptizare propter vnitatem Deitatis, & Trinitatē Personarū: vel propter mortem CHRISTI in Cruce, & eius triduanam Resurrectionem. Dicit enim Apostolus: *In morte eius baptizati sumus*: Baptismata autem hic pro immersione accipienda sunt. Eum quidem certè, qui per vnam immersionem in mortem Domini baptizat, Canon dicit deponendum, vt qui prętèr Domini Doctrinam faciat, & apertè impius sit.*

2355 NICÆTAS CHONIATES *lib. 4. Orthod. Fid. cap. 22.* de trina immersione agens, hæc habet: * Exempli gratia proferam, quæ in Baptismatis regeneratione fiunt. Ibi enim, qui Redemptionis aqua lustrantur, verè sepeliuntur, verèque resurgunt. Eo enim quod ter aqua lustramur, vna cū Christo sepelimur, denuòque cum Christo ijsdem lustrationibus resurgimus, ab illa veteri mortalitate liberati, quam ex Adami lapsu contraxeramus.*

2356 THEODVLVS, Cœlesyriæ Presbyter, *in cap. 6, Epist. ad Roman.* hæc inter alia scribit: * Nam tres obitus, & ortus; hoc est, triplex illa tinctura, mortem, & Resurrectionem significat.*

2357 NICOLAVS CABASILAS, Thessalonicensis Antistes, vt testatur BELLARMINVS *in Exposit. Lithurg. cap. 5.* hæc, inter alia, de trina immersione tradit: * Et quid hoc est? Imitari eius mortem; & quomodo? Cum corpus in aqua, tamquam in sepulchro abscondimus, & hoc ter ostendimus,

dimus, tamquam iam mortis, & sepulchri nos socios acceperit, nova sua vita dignatur.*

2358 SEVERVS ALEXANDRINVS *de Ritib. Baptis.* sic effatur: * Et dimittit eum Sacerdos in Baptisterium, respiciens ad Orientem, dexteramque suam capiti eius, qui baptizatur, imponit, & sinistra sua ter attollit ex aquis, à fronte, à tergo & altero laterum eius, atque in hunc modum ait: Baptizetur N. *in nomine Patris, Amen: & Filij, Amen: & Spiritus Sancti ad vitam sæculorum.* Tunc educit eum è medio aquarum, & dat eum Susceptori suo.*

2359 IEREMIAS, Patriarcha Constantinopolitanus, *in Respons. 2. cap. 4.* trinæ immersioni mirificè suffragatur, quam sic exponit: * Certè qui non est regeneratus aqua, & Spiritu, non potest vitam ingredi, & morimur mortem illius, vt pari Resurrectione resurgamus, & Regni hæredes fiamus, tripliciter coronati, quando Trinitas accinitur, tribus immersionibus non trina infusione vtentes. Baptizabant enim veteres, non manibus suis aquam baptizando aspergentes, sed trina immersione hoc Evangelij sequentes: *Ascēdit ex aqua.* Ergo ante descenderat. Ecce immersio, non aspersio.*

2360 Christiani in Æthiopia hunc Ritū in Baptismate servant. *Sacerdos eos suscipit, & ter mergit, dicens: *Ego baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.**

2361 Idem de trina in Baptismate immersione *Ritus observatur à Fidelibus in Moschovia teste IOANNE FABRO *de Moschovit. Relig.* hæc asserente: *Prælectis itaque Orationibus, atque Exorcismis, cum puer fortioribus naturæ viribus apparet, ter totus mergitur: alioqui aqua tingitur. Conspersio enim minus sufficiens esse iudicatur.* Hęc Græci Patres, nunc quid Latini censeant videamus.*

2362 Trinam immersionem in Baptismate diligentissimè observandam non minus expresè Latini Patres tradiderunt. Agmen ducat S. AMBROSIVS, qui *lib. 2. de Sacrament. cap. 7.* trinam immersionem, eiusque observantiam rectè explicat, dicens: * Interrogatus es: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* Dixisti: *Credo*, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: *Credis in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & in Crucē eius?* Dixisti: *Credo*, & mersisti: Et ideo CHRISTO es consepultus. Qui enim consepelitur, cum CHRISTO resurget. Tertio interrogatus es: *Credis in Spiritum Sanctum?* Dixisti: *Credo*, & tertio mersisti, vt multiplicē lapsum superioris ætatis absolveret trina Confessio.*

2363 S. AVGVSTINVS trinę immersioni manifestè opitulatur, siquidem non modo de illa meminit *in cap. Postquam, de Consecrat. ex illius Homil. 4.* desumpto; sed etiam illam *varijs in locis* sua Authoritate confirmat; etenim *Homil. 91. de Tempore* hæc habet: * Quandò in salutari lavacro tertiò Christiani merguntur, tunc Ægyptij, id est, originalia peccata, vel actualia crimina, quasi rubro mari sepeliuntur.*

2364 Et *Sermon. 201. de Tempore.* * Mysterium (inquit) Trinitatis in Sacramento Baptismatis demonstratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, vt novus surgere mereatur.*

2365 Nec dissentit S. PETRVS CHRYSOLOGVS, siquidem *serm. 103.* hæc ait: * *Consepulti sumus cum illo per mortem.* Audiant Fideles, quemadmodum triduana Domini Sepultura trina demersione figuratur in Baptismo: & resurrexisse cum Christo, & si nec dum corpore, vitæ iam novitate congaudeant.*

2666 S. LEO MAGNVS *Epist. 4. cap. 3.* * Sepulturam (inquit) triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis ad instar est de sepulchro.*

2367 S. CÆSARIVS, Arelatensis Episcopus, *Homil. 3. de Pascha*, hæc, inter alia, scribit: * Ecce mala innumera, antiquis, & recentibus impressa vulneribus, perpetuis gehennæ ignibus extirpanda, terna submersione purgantur.*

2368 PASCHASIVS DIACONVS, S.R.E. Cardinalis, singulari Sanctitate, & Doctrina conspicuus *lib. 2. de Spir. Sanct. cap. 5.* trinam immersionē in hunc modū exponit: *Sicut CHRISTVS triduana morte sepulchro conditus fuit: ita nos inter aquæ elementum, idest inter cognatæ creaturæ sub trina submersione depositi, dum descendimus, sepelimur; dum emergimus, suscitamur.*

2369 S. ISIDORVS, Hispalensis Episcopus, *lib. de viris illustribus, cap. 26.* * Ioannes (inquit) Capadox, antiquorum Patrum Sententias de trina immersione collegit.*

AL-

2371 ALCVINUS *de Offic. Eccles. ca.19. de Sabbatho Sācto S. Paschæ*, eidem de trina immersione sententiæ subscribit: * Deindè Sanctę Trinitatis trina submersione baptizatur, & rectê homo, qui ad imaginem Sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem Sanctæ Trinitatis ad eandem renovatur imaginem: & qui tertio gradu peccati, hoc est consensu, cecidit in mortem, tertiò elevatur de fonte, vt per gratiam surgat ad vitam.*

2371 HAYMO *ad cap. 14. Epist. ad Roman.* trinam immersionem his verbis confirmat: * Quia bonis operibus abundat, postea correptus à Domino abundavit altiori sensu, ter illos mergendo.*

2372 UVALAFRIDVS STRABO, Augiæ Abbas, *de Rebus Ecclesiast. cap. 26.* de trina immersione differens, hæc scribit: * Alij trinam immersionem volunt, in similitudinem triduanæ Sepulturæ, vt *in Canonibus Apostolorum* statutum habetur, & Romanorum consuetudo observat. Alij vnam propter Divinitatis vnitatem contendunt: vnde in Cōcilio Toletano plenissimè habetur, quod B. Gregorius interroganti super hæc Leandro, inter cætera, idem responderit: Quia in vna Fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa.*

2373 RABBANUS MAVRVS, *de Instit. Cleric. lib. 1. cap. 28.* hæc tradit: *Post hæc consecratur fons, & ad ipsum Baptismum Cathecumenus accedit, & sic in nomine Sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur. Et rectê homo, qui ad imaginem Sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem Sanctæ Trinitatis ad eandem revocatur imaginem: & qui tertio gradu peccati, id est consensu, concidit in mortem, tertiò elevatus de fonte per gratiam resurgit ad vitam.*

2374 PASCHASIUS RATHBERTUS *de Corp. & Sanguin. Dom. cap. 15.* trinam immersionem commemorat, dicens: *Quando *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti* ter mergimur in fonte, tunc vtique baptizamur, non in virtute illius, & Potestate, qui hæc dicit, sed in virtute CHRISTI, qui hoc præcepit.*

2375 SMARAGDUS, Monasterij S. Michaëlis ad Mossam Abbas, *in cap. 4. Epist. ad Ephes.* * In Patrem, & Filium (inquit) & Spiritum Sanctum baptizamur, & ter mergimur, vt Trinitas vnum appareat Sacramentum.*

2376 S. FULBERTUS, Carnotensis Antistes, *in Epist. ad Deodatum*, trinam immersionem exponit, sic scribens: * Sicut Dominus Noster IESUS CHRISTVS tribus diebus, & tribus noctibus corporaliter sub terrę sepulchro conditus fuisse, describitur: ita homo sub cognato terræ elemento, trina vice demersus operitur; ac sic vitalis imitatione Mysterij, dum demergitur, sepelitur; dum educitur, suscitatur.*

2377 RADVLPHVS ARDENS *in die S. Trinit.* ità de trina immersione loquitur: * Sacramentum exteriùs, id est, exterior ablutio ab exterioribus sordibus, fit ex aqua, quando scilicet homo ter in ea mergitur, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Purificatio verò interior à peccatis, fit à Spiritu Sancto.*

2378 S. ANSELMVS, Cantuariensis Archiepiscopus, *ad cap. 6. Epist. ad Rom.* * Quemadmodum, inquit, ipse (CHRISTVS) fuit sepultus corpore: sic peccatum nostrum lateat, & sepeliatur in sepulchro aquæ. Sicut ipse tribus diebus in sepulchro iacuit: sic nos tribus vicibus sepulturæ Sacramenta signamus: & dum tertiò ab aquis educitur, Resurrectio triduani temporis exprimitur.*

2389 IVO, Carnotensis Episcopus, Pietate, & Doctrina clarus, *Serm. de Sacram. Neophyt.* sic loquitur: * Sub responsione trinæ interrogationis, trina immersione Cathecumenus à sordibus vetustatis abluitur, & novum hominem indutus, triduanæ Domini sepulturę consepelitur.*

2380 HONORIVS AVGVSTODVNENSIS *Serm. de Cæna Dom.* *Triduo (inquit) Domino consepelimur, cum ter vndis immersi, quasi terra operimur.*

2381 HVGO DE S. VICTORE *de Sacram. Fidei lib. 2. part. 6. cap. 11.* hæc habet: * Sub hac Fidei responsione, trina immersione à sordibus vetustatis abluitur, & novum hominem indutus, triduanæ Domini sepulturę consepelitur.*

2382 MAGISTER SENTENTIARVM *lib. 4. Dist. 3.* de Baptismi mersione hęc scribit: * Secundum hoc, licet, non modô ter, sed etiam semel tantum immergere. Ibi tamen semel tantum immergere licet, vbi consuetudo Ecclesiæ talis existit. Si quis verô id facere incipiat, vbi consuetudo talis non est, vel semel tantu mergendum esse asserat, reprehensibilem se constituit.*

JA-

2383 JACOBUS A VITRIACO, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Tusculanus, *in Serm. de Oct. Epiphan.* * Quoniam in Fide (inquit) Trinitatis fit Baptismus, triplex fit in aqua submersio, in qua etiam triduana CHRISTI Sepultura exprimitur.*

2384 ANGELICUS PRÆCEPTOR trinæ immersioni manifestè favet, dum *in Symb. Apost. cap.* 13. * Sicut CHRISTUS (inquit) fuit tribus diebus in sepulchro, ita in Baptismo fit trina mersio in aquam.* Et *3. part. quæst. 66. art.* 8. idipsum latiùs tradit verbis infrà adducendis.

2385 Subtilis Doctor IOANNES SCOTUS *in Report. sup. 4. Sent. Dist. 3. quæst.* 4. sic eruditè discurrit: * De necessitate Ministri est ter immergere, nisi causa rationabili excusante, quia illud est rationabile, quod sit & trina; tamen propter hoc, quod per Baptismum consepulti sumus CHRISTO, & CHRISTUS triduum fuit in Sepulchro. Excusari potest Minister à trina immersione, vt si minister sit impotens, & sit vnus magnus rusticus, qui debet baptizari, quem nec posset immergere, nec elevare, nec etiam oportet, quod perfundatur aqua, vt si ibi sit ita modicum de aqua, vt fortè non posset pes eius ablui, vel etiam si tempus sit ita frigidum, & puer ita debilis, quod si semel immergeretur, fortè moreretur. Et tunc, vel est pars principalior abluenda, vel potest fieri aqua tepida, vel quovis alio modo videbitur, rationabiliter expedire. Istis tamen casibus cessantibus, ter immergendus est baptizandus.*

2386 THOMAS UVALDENSIS, *Tom. 3. tit. 5. cap.* 1. trinę immersionis Ritum sic describit: *Sic itaque ad Orientem facie versa Sacerdos baptizandum mergit, perficiens trina immersione Mysterium. Nam sicut sepultura eius fuit triduana, velatio eius super superficie terræ; ita ter sub vndis tegitur baptizandus.*

2387 IOANNES GERSON, Parisiensis Cancellarius, *in Summa Theolog. lib. 4. de Sacram. Baptis.* hæc scribit: * Quoties puer debet immergi? Secundum consuetudinem Ecclesiæ, vel semel propter vnitatem Divinæ Essentiæ, vel ter propter Trinitatem Personarum.*

2388 Ex his manifestè patescit vnanimis Sanctorum, Ecclesięque tam Græcæ, quàm Latinæ Patrum consensus, trinam in Baptismate immersionem summa vniformitate approbantium, & 49. Apostolorum Canonis Sententiam, qua ipsa statuitur, vnanimiter confirmantium. Et quamvis pro prædicti Canonis, illiusque Doctrinæ confirmatione nulla adduci possit maioris pōderis Authoritas, quàm vniformis Summorum Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, Illustriumque Ecclesię Doctorum consensus, qui trinam in Baptismate immersionem, contra Eunomij, illiusque sequacium errorem, quem supra retulimus, singulari vniformitate approbant, & confirmant; nihilominùs videndum modò est, quonam fundamento prædicti Pontifices, Concilia, Sancti, Patres, & Doctores innixi fuerint ad eam, tam firmitêr stabiliendam, tantaque religione servandam.

§. III.

TRINAM IN BAPTISMATE immersionem Apostolica Traditione inniti demonstratur.

2389 OMissis varijs rationibus, quibus Concilia, & Patres potuerunt adduci, vt trinam in Baptismate immersionem stabilirent; cum vnum è præcipuis fundamentis, quibus ad Fidei Dogmata stabilienda, & Ecclesiasticos Ritus confirmandos Ecclesia, & Patres vtuntur, sit Apostolica Traditio, pro conclusione statuimus: TRINÆ IMMERSIONIS IN BAPTISMATE RITUM VNIVERSALITER TAM IN ORIENTE, QUAM IN OCCIDENTE SERVATUM APOSTOLICA TRADITIONE MANASSE.

2390 Huiusmodi Ritus Antiquitatem luculentêr testatur TERTVLLIANVS, censens, trinam immersionem â CHRISTO, & Apostolis suum initium duxisse; *in lib.* namque *adversus Praxeam, cap. 26.* ita de CHRISTO loquitur: * Et post Resurrectionem, spondens missurum se Discipulis promissionem Patris, & novissimê mandans, vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in vnum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur.* Et *de Corona Milit. cap.* 3. antiquas recensens Traditiones: * Dehinc (inquit) ter mergitamur.*

2391 Huic Sententiæ patrocinatur egregiè S. BASILIUS MAGNUS *lib. de*

de Spir. Sanct. cap. 1. vbi sic loquitur: * Tribus igitur immersionibus, ac totidem invocationibus magnum Baptismatis Mysterium peragitur, vt & mortis figura adumbretur, & per traditionem Divinæ cognitionis animus repurgetur eorum, qui baptizantur. * Et *cap. 27.* * Iam ter immergi hominem, vndè est traditum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptismo, veluti renunciare Satanæ, & Angelis eius, ex qua Scriptura habemus? Nonnè ex privata, & arcana hac Traditione? Nonnè ex Doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos, & otiosos submovet, servarunt?*

2392 Suffragatur etiam S. HIERONYMUS *in Dialog. adversus Luciferian. cap. 4.* sic disserens: * An nescis etiam Ecclesiarum esse morem, vt baptizatis posteà manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis vbi scriptum sit? in Actis Apostolorum. Etiam si Scripturæ Authoritas non subesset, totius Orbis in hac parte consensus, instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesijs observantur, Authoritatem sibi scriptæ Legis vsurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.*

2393 Trinam immersionem, non modò ab Apostolis, sed ab ipso etiam CHRITO originem duxisse, haud obscurè tradit S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *Homil. de Fide in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*, his verbis: * Omnibus Mysterijs veluti sigillum imponens Dominus, in tribus mersionibus aquæ, vnum Baptisma suis Discipulis tradidit, dicens: *Euntes docete, &c.**

2394 THEODORETVS *lib. 4. Hæret. Fabul.* referens Eunomij trinæ immersioni contradicentis errorem, Apostolicam Traditionem probat dicens: * Eunomius Sancti Baptismatis Legem, olim à Domino, & Apostolis traditam, evertit, & contrariam apertè sanxit, dicens: non oportere ter illum immergere, qui baptizatur. *

2395 Theodoreto consonat HERMIAS SOZOMENVS, *lib. 6. cap. 26.* sic scribens: * Quidam memorant Eunomium primùm ausum esse asserere, Divinum Baptismatis lavacrum vnica immersione debere peragi; sicque Traditionem ab Apostolorum temporibus ad hoc vsque tempus observatam violasse.*

2396 Magnus ille Vir, Pietate, & Doctrina celebris, IVO, Carnotensis Episcopus, *in Serm. de Sacram. Dedicat.* trinam immersionem in D. Pauli Doctrina fundatam esse, existimat; sic enim loquitur: * His documentis instructi accessistis ad aquam, & fonte salutis abluti estis, vbi secundum Apostolum per trinam immersionem CHRISTO consepulti estis.*

2397 Mirificè nostram Assertionem illustrat GREGORIUS MAGNUS, Constantinopolitanus Patriarcha, Vir (teste BELLARMINO *de Scriptor. Eccles.*) Sanctitate, & Miraculis celebris, qui Concilio Florentino adfuit, & litterariam Rempublicam haud modicæ venustavit; is enim *in Responsione ad Marcum, Ephesinorum Episcopum*, hæc habet: * Esse necessariam trinam immersionem, nempè ad significandam triduanam Domini Sepulturam, ita sanè traditum est; & Ritualia Latinorum ita observandum docent.*

2398 Ex dictis manifestè dignoscitur, quàm certa sit nostra Conclusio, quà statuimus, trinam in Baptismate immersionem Apostolicæ Traditioni inniti; cum eam celeberrimi Sancti, & Antiquissimi Authores, suprà laudati, stabilitam haud leviter reddant. Nec Antiqui modò, verum, & recentiores idipsum sua confirmant Authoritate, vti eruditus IOANNES DARTIS in Parisiensi Academia celebris Canonici Iuris Professor, qui *de Consecrat. Dist. 4. pag. mihi.* 508. *col. 2. litt. C.* sic scribit: * Quod ad primum attinet, certum est *cap. 1. de Baptismo*, præscribi trinam mersionem; & *Can. 82.* dicitur, trinam immersionem esse de præcepto Evangelico. Prædicti Canonis hęc sunt verba: Evangelicum verò præceptum ipso Deo, & Domino Salvatore, nostro IESV CHRISTO tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione Sanctum Baptisma vnicuique tribuere, dicente DOMINO Discipulis suis: *Ite, baptizate omnes gentes, &c.**

2399 Et quoniam pro nostra Assertione prædictum Canonum Professorem, Natione Gallum laudavimus, rationi consonum erit, vt eruditum etiam alium Sacrorum Canonum Interpretem Natione Hispanum, & in celeberrima, nec satis vmquam laudata Salmanticensium Vniversitate emeritum Pontificij Iuris Professo-

fessorem pro eadem Conclusione adducamus, Sapientissimum nempè D. EMMANUELEM GONZALEZ TELLEZ, qui *in 3. Decretal. Tit. 62. de Baptis. ad cap. Siquis 1. quod est Alexandri III. vers. Siquis puerum ter in aqua immerserit*, hęc adnotat: * Trina immersio, cum invocatione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, in principio Ecclesię celebris est, à Sanctis Patribus recepta fuit ad Fidem Sanctę, & individuę Trinitatis Vnitatem, & Distinctionem stabiliendam. (Et infrà:) Immò ex Traditione Apostolorum diù id in Ecclesia servatum fuisse, videlicet, vt qui ad Fidei Sacramentum accederent, ter in aqua mergerentur. (Et infrà:) Immò & ex CHRISTI præcepto trinam mersionem provenire, docuerunt PELAGIUS *in dict. cap. Multi*. Et S. IOANNES CHRYSOSTOMUS *Homil. de Fide in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*.*

2400 Consonat alius Eruditissimus, & in Neopolitana Vniversitate Primàrius Professor P.M.Fr. DOMINICUS GRAVINA, egregius hæreticę pravitatis Debellator; siquidem *in suis Rescript. Apostol. in Tract. de Sacris Tradit. §. 9.* de trina immersione agens, hæc scribit: * Trina immersione antiquitùs vtebatur (ad imprimendum mentibus Fidelium vnum Deum in tribus personis distinctis) ex Traditione, vt patet *in Can. 50. Apost.* TERTULLIANUS *contra Praxeam, cap. 26.* & *de Corona Milit.* ATHANASIUS *quæst. 125.* NYSSENUS *Cathec. mai. cap. 35.* AMBROSIUS *2. de Sacram. cap. 7.* HIERONYMUS *ad vers. Luciferian.* CHRYSOSTOMVS *Homil. 24. in Ioann.* GREGORIVS *lib. 1. Epist. 41.* S. THOMAS *3. par. quæst. 66. art. 8.**

2401 Doctissimus P. CHRISTIANUS LUPUS, Ecclesiastica eruditione præclarus, trinæ immersionis Ritum ex Apostolica Traditione manare eleganter tradit *Tom. 3. in Notis Concil.* præcipuè *in Dissert. de Sancti Leonis IX. Actis, fol. mihi* 855. vbi, de hac re disserens, hæc habet: * Nec solummodò vnicam, sed omninò trinam immersionem omnis vsitavit Antiquitas. (Et *fol. 856.*) Innumera (inquit) sunt, & Græcorum, & Latinorum Patrum de hoc Ritu testimonia. Ideòque ipsum esse institutum Apostolicum, non est dubitandum.*

2402 Nec ab hac Sententia discedit apprimè eruditus PETRUS ARCUDIUS *de Concordia Ecclesiæ Orient. & Occident.* etenim *lib. 1. cap. 8. fol.* mihi 20. trinę immersionis Ritum sic, inter alia, ex Apostolica Traditione convincit: * Nam in primis Romanæ Ecclesię antiquum vsum trinę immersionis, semper in hanc vsque diem tenuit, & modò diligentêr observat, vt patet ex ipso Romanæ Ecclesiæ Rituali, ex cuius norma Parochi sic informantur: Tunc Sacerdos accipiat puerum diligenter, & baptizet eum sub trina immersione, Sanctissimam Trinitatem semel invocans, vel effundendo aquam super caput pueri, secundum consuetudinem loci illius, dicendo: *Petre, Ego te baptizo in nomine Patris* ✠ & semel immergat, *& Filij* ✠ & secundò immergat, *& Spiritus Sancti. Amen.* ✠ & tertiò immergat. Vndè non est mirum si etiam Matthęus Blastrius, qui, vbicumque occasio sese offert, Latinos carpere solet, in hac re minimè eos reprehenderit, quod optimè sciret, eos non omittere trinam immersionem.* Hæc ille.

2403 Accedat tandèm Antiquitatis, & Traditionis trinæ immersionis testis locupletissimus, Illustrissimusque Episcopus IGNATIUS FIUME, fulgentissimum Prædicatoris Ordinis Sydus, qui hanc salutarem Doctrinam ab ipsis nostrę Religionis inimicis, nempè Centuriatoribus, desumpsit; siquidem inter varios Ritus, quos in Sacro Baptismate servatos recenset *fol. 46. num.* 147. hæc tradit: * Ac ipsi superstitiosi Centuriatores, qui retinaculis Antiquitatis, & Pietatis non patiuntur adstringi, *Centur. 4. col.* 415. trinam immersionem baptizati ex Antiquitate agnoscunt, dum dicunt: Posteà ter in aqua mergebatur, aut saltêm perfundebatur, & recitabatur formula CHRISTI: *Baptizo te, &c.* Similitèr post immersionem, Vnctionem cognoscunt, subdentes: Mersionem, seu ablutionem illam sequebatur vnctio, & manus impositio, quem Ritum Cyprianus non sine errore (immò religiosè) necessarium facit. Et posteà: Erat phrasis apud Basilium, levare è Sacro Fonte, & iterum: Baptismi ablutionem sequebatur olei inunctio, deindè candida vestis, sive Stola. Hac trina immersione (inquit Illustrissimus Fiume) Antiquitas vtebatur, ad imprimendum mentibus Fidelium vnum Deum in tribus diversis Personis. Et habetur *in Can. 50. Apost.* & *apud Tertullianum, Athanasium, Nyssenum, Ambro-*

brosium, *Hieronymum*, *Chrysostomum*, *Gregorium*; *& Sanctum Thomam.**

2404 Et *num.* 149. * Vnctionis (inquit) post trinam immersionem meminerunt Dionysius *de Ecclesiast. Hierarch.* Tertullianus, *de Corona Milit.* Iustinus, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Optatus Milevitanus, & Augustinus.* quorum loca citat ibidem.

2405 Ex hucusque dictis manifestè innotescit, quàm optimo iure Sanctissimi Apostoli prædictum 49. vel 50. Canonem condiderint; cum illius Doctrina generaliter à Summis Pontificibus, à Sanctissimis Viris, à Sacratissimis Concilijs, ac tandem ipsa Apostolica Traditione meruerit approbari; hincque etiam patescit, quantum à Catholicę veritatis tramite deviarint, quantisque inscitiæ tenebris fuerint obvoluti Eunomiani, qui Doctrinam trinæ immersioni oppositam tradiderunt, & contra Sententiam prædicto Canone præscriptam operati sunt. Et quamvis ex dictis adeò stabilita maneat nostra Conclusio, vt nihil ei superaddi posse videatur, nihilominùs pro maiori illius elucidatione, aliquibus argumentis, quæ contra illam fieri possunt, sequenti §. satisfaciemus.

§. IV.

OPPOSITA ARGVMENTA solvuntur.

2406 Arguitur 1. Nihil est in Ecclesia observatu dignius illo, quod constat esse Apostolicam Traditionem, vnanimi Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum consensu, & Authoritate firmatam; sicut nihil est, quod magis censuram promereatur, quàm Traditioni oppositum operari, vt testatur antiquissima GANGRENSIS SYNODVS *cap.* 6. sic decernens: * Siquis extra Ecclesiam privatim Populos congregans contemnat Ecclesiasticas Censiones, & aliter, & quæ sunt Ecclesiæ noluerit vsurpare, Anathema sit.* Hinc III. ARELATENSIS SYNODVS hoc statuit: *Qui Ecclesiasticam Traditionem non receperit, Communione privetur.*

2407 NICOLAVS Papa 12. *Distinct.* *cap.* 5. * Ridiculum est (inquit) & satis abominabile dedecus, vt Traditiones, quas Antiquitus à Patribus suscipimus infringi patiamur.* [illegible] *quæst.* 1. *cap.* [illegible] Statuta Patrum [illegible] tare, nec huius [illegible] thoritas; apud nos [illegible] dicibus vivit Antiquitas, [illegible] trum sanxere reverentiam.* [illegible] Papa *Epist.* 91. Mauritaniç [illegible] dè commendat, vt Apostolicæ C[illegible] tiones inviolabilitèr observentur, [illegible] aliquid in contrarium fieri patiantur. * [illegible] omne (inquit) studium devotionis [illegible] mes, Divinis, & Apostolicis Constitutionibus pareatis; & in nullo patiamini Canonum Decreta violari.*

2408 S. AMBROSIVS 3. *de Fide*, *cap.* 7. hortatur: * Servemus igitur præcepta maiorum, nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus.* Et S. HIERONYMVS, *Dialogo contra Luciferanos, cap.* 4. *de Traditionibus*, loquens, sic eas commendat: * Etiam si Scripturæ Authoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar pręcepti obtineret.*

2409 S. GREGORIVS Papa Maiorum Statuta adeò studiosè servavit, atque ita de hac observantia gloriabatur, vt in hæc verba tanto Pontifice digna prorumperet: * Si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse iure comprobarer.*

2410 Igitur cum latè hucusquè probaverimus, trinæ immersionis in Baptismate Ritum veneranda Summorum Pontificum, Conciliorum, Sanctorum, & celebriorum Ecclesiæ Patrum Authoritate commēdari, & in specie Apostolica Traditione multis sæculis continuata, & vniversalitèr in Ecclesia recepta fulciri, hinc apertè deducitur eum, qui à trinæ immersionis Ritu discesserit, dignissimum esse censura, quam Summi Pontifices, Sanctique Patres audacibus Traditionis Apostolicę violatoribus infligunt.

2411 Atqui Romana, Latinaque Ecclesia ab hoc trinæ immersionis ritu discessit, vnica tantum in Baptismate vtens, vt constat ex IEREMIA Patriarcha, qui *cap.* 2. *suæ Censuræ*, Latinos vnica immersione vtentes coarguit, dicens: * Nos quidem sub trina immersione baptizamus, Latini verò non rectè sub vna baptizant.* Et certè Latinos, non trina, sed vnica immersione baptizasse, non modo prædictus Patriarcha Græcus testatur, sed etiam manifestè constat

stat *ex Epistola*, quam S. GREGORIVS MAGNVS S. Leandro scripsit, cuius verba infrà adducentur.

2412 Et hæc fuit vna è rationibus, ob quas nolebant Græci Latinæ Ecclesiæ vniri, intelligentes Latinos non esse ritè baptizatos, quod non servarent in Baptismate trinam immersionem, in Ecclesia Apostolica Traditione statutam, vt patet ex his, quę scribit SYLVESTER SGUROPULVS, *in Histor. Concil. Florent. lib. & cap. 9.* de Gregorio Hieromonacho, Alexandrinæ Ecclesiæ Primicerio, ac Philothei Patriarchę ad Florentinam Synodum Vicario, atque Legato, dicens: * Ante triduum cum Petro quodam Calabrico in disputationem incidens de Baptismi Sacramento, Latinos Christianæ Religioni per regenerationis lavacrum non ritè initiatos arguebat, quod multis Sanctorum Patrum testimonijs comprobavit, qui Baptismum delinearũt, quibus nempè Ritibus in eodem singula administrentur.*

2413 Idem etiam GREGORIVS *ex eisdem Capitibus* affirmat, nos nec legitimè, nec validè baptizatos, & Sguropulus confirmat, constanterque asseverat, nos Latinos non ritè Sacro Baptismi fonte ablutos; ideoque nobiscum tentandam non fuisse vnionem. Fundamentum, cui innitebantur Græci, erat VII. Constantinopolitanę Synodi Canon, qui Eunomianos vnam mersionem vsitantes, baptizatos non reputans, iubet rebaptizari. * Eunomianos, qui in vnam demersionem baptizantur, vt Gręcos admittimus, & baptizamus.* In cuius expositione THEODORVS BALSAMON hæc habet: * Nota ex pręsenti Canone, quod omnes, qui in vnam demersionem baptizantur, rursum rebaptizentur.* Quibus verbis proculdubio Latinos notat.

2414 Hinc ZOZOMENVS *lib. 7. Histor. cap. 26.* existimat Eunomium propter vnicam in Baptismo immersionem, Apostolicam Traditionem violasse, idemque censet THEODORETVS *lib. 7. cap. 17.* loquens de Eunomij errore, de quo hæc scribit: * Eunomius Sancti Baptismatis legẽ, olim à Domino, & Apostolis traditam evertit.* Idque quia vnica immersione vtebatur; ideoque ANASTASIVS, Bibliothecarius, de Eunomio iure optimo dixit: * Impius Eunomius præsumpsit in vnica mersione Baptismum celebrare.* Idemque S. THEOPHANES affirmavit.

2415 Si ergo Latina Ecclesia Baptismi formam, & trinæ immersionis Ritum mutavit, vna tantummodò immersione, in quo Eunomius, istiusque sequaces errarunt, haud facile erit, Latinos ab Eunomianorum suspicione vindicare, aut ad minus, extra omnem culpam ponere; cum certum videatur ex dictis, eos ab Apostolorum Canone, & Apostolica Traditione deviasse.

2416 Quod haùd leviter confirmatur ex his, quæ refert IV. TOLETANVM CONCILIVM de Hispanis, quorum alij trina immersione; alij verò vna tantum in Baptismate vtebantur: * De Baptismi Sacramento (inquiunt Patres) propter quod in Hispanijs, quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt. (Vt autem innotescat quantum in hac re periculum subierint, aut labendi in schisma, aut deficiendi in fide, sic prosequitur Concilium) à nonnullis schisma esse conspicitur, & vnitas Fidei scindi videtur. Namdum Patres diverso, & quasi contrario modo agunt alij alios non baptizatos esse contendunt.*

2417 Sed expressiùs adhuc, ac maiori invectiva in Hispanorum de vna immersione, vt existimat, errorem calamum strinxit ALCVINVS FLACCVS *in Epist. 69. ad Clerum Lugdunensis Ecclesiæ directa*, vbi sic in Hispanos invehitur: * Novas Hispanici erroris sectas tota vobis cavete intentione, Sanctorum Patrum in finem sequimini vestigia, & vniversali Ecclesiæ sanctissima vos adiungite vnanimitate.* Affirmat enim Tyrannorum tunc Hæreticorum procreatricem esse Hispaniam; & relatis varijs erroribus, quibus Arianorum tempore agnoscebatur referta, hæc subdit: * Tertia nobis de Hispania contra vniversalem Sanctæ Dei Ecclesiæ consuetudinem de Baptismo quæstio delata est. Affirmant quidam sub invocatione Sanctæ Trinitatis vnam esse immersionem agendam: * Quem quidem errorem non modò Sanctis Ecclesię Patribus, sed & ipsis etiam Sanctissimis Apostolis adversari, adductis varijs Sanctorum authoritatibus, ostendit *Epist. sequenti*, vbi pro Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis Authoritate mirificè loquitur, dicens: * Nemo Catholicus contra Ecclesiæ Authoritatem, nemo sobrius contra rationalem consuetudinem, nemo fidelis contra pietatis intelligentiam certare audeat. Et ne schismaticus inveniatur, & non Catholicus, sequatur probatissimam Romanæ Ecclesiæ Authoritatem: vt vnde Catholicę

Fi-

Fidei initia accepimus, inde exemplaria salutis nostrę semper habeamus, ne membra à capite separentur suo, ne Claviger Regni Cœlestis abijciat, quos à suis deviasse intelligit Doctrinis.*

2418 Pręclara certè verba, ac planè dignissima, quę non ad Lugdunensem Clerum, sed ad Gallicanum dirigerentur, quādo in Parisiensi Convētu de quatuor illis Propositionibus, quæ Gallicanę Nationi, fœcūdissimæ illustrium virorum procreatrici, tantum dedecus pepererunt, actum est. Haud dubium, quin si Gallicanus Clerus huius Viri in tota Gallia celeberrimi doctrinæ adhęsisset, eamque fuisset (vt par erat) sequutus, neutiquam Propositiones illas edidisset, quę tantum scandalum Christiano Orbi attulerunt, & eò maius, quò magis Galli omni tempore gloriati sunt, se Christianissimos, & Sanctę Apostolicę Sedis obsequentissimos, istiusque Authoritatem in vrgentioribus casibus validiori contentione porpugnasse. Sed hæc missa faciamus, & ad institutam orationem vertamus proram; sic enim prosequitur: * Epistolam verò, quam à B. Gregorio de simpla mersione dicunt esse conscriptam, in Epistolari suo libro, qui de Roma nobis allatus est, non invenimus: Alias verò omnes perspeximus in eo libro, quem ad Occidentalium partium Ecclesias Pontifices, vel Reges scripserat. Ideò dubij sumus an illius sit, an ab aliquo huius sectæ Authore, sub eius nomine, scripta sit.*

2419 Ipse item *Epist.* 81. *ad Paulinum Aquileiæ Patriarcham* iterum in Hispanos ob vnicam mersionem facit, sic enim scribit: * Numquid antiquus serpens de dumis Hispanici iuris, & de speluncis venenatæ perfidię contritum, non Herculea, sed Evangelica Clava caput relevare conatur, & prioribus nequitię poculis, nova maledictionis toxica immiscere. Sed & frigidissimus Aquilo ventus, alio de latere solidum Ecclesiæ impellens parietem, Sacri Baptismatis Catholicæ consuetudinis regulam immutare nitens, & sub invocatione S. Trinitatis vnam asserentes mersionem fieri debere, triduanamque nostri Salvatoris Sepulturam in Baptismo imitari negligentes; cum APOSTOLVS dicat: *Consepulti estis cum Christo in Baptismo.* Alij verò trinam volentes facere mersionem, & sub vnaquaque mersione invocationem Sanctę Trinitatis, ac per hoc totas tres personas ter nominare studentes, dum ipsa Veritas præcipiat: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quid opus est tertiò replicare quod semel dictum sufficit?* Ex quibus manifestè patet, quàm malè audiat Latinos, ac pręcipuè Hispanos, quod vnica immersione contra Apostolicam Traditionem vsi fuerint, cum ob id tamquam Sectarij, nè dicam Eunomiani à gravissimis Authoribus redarguntur.

2420 Huic argumento respondemus nullius fuisse erroris, sed prudentissimi potiùs Consilij, tàm Latinos, quàm Hispanos vnica in Baptismate immersione vti, eosque æquissimis adductos rationibus, vt à trinæ immersionis Ritu tunc temporis abstinerent, nec eos in hac re, aut à Sanctorum Patrum mente, aut ab Ecclesiæ sensu deviasse; sed ei potiùs subscripsisse, & quod in Romana Ecclesia summa omnium approbatione, & consensu aliquando vsitatum est, præstitisse. Ne autem hæc liberè, & sine fundamento dicta videantur, præcipuis argumenti difficultatibus, quæ ad tres reducuntur, respondebimus. Prima est: An aliquando operari possimus contra ea, quæ ex Apostolica Traditione servantur? Secunda: An Latini sint reprehensioni obnoxij, quod multis in locis vnica fuerint immersione vsi? Tertia: An Hispani in materia Fidei sint nota, & censura digni, quod trina immersione relicta vnam tantummodò in suo Baptismate adhibuerint?

§. V.

AN ALIQVANDO OPERARI possimus contra ea, quæ ex Apostolica Traditione servantur.

2421 AT pro clariori huius difficultatis elucidatione pręmittenda est Sancti BERNARDI Doctrina, *lib. de Dispensat. & Precep. paulò post initium*; iuxta quam, ea, quæ à Prælatis præcipiuntur, partim sunt voluntaria, partim necessaria: Voluntaria sunt, quæ ab homine, vel Prælato particulari inventa sunt. Necessaria, quæ divinitùs instituta sunt. Huius generis videtur ea, de quibus loquitur CLVNIACENSIS ABBAS, qui D. Bernardi tempore floruit, dum *lib.* 3. *Epist.* 8. hęc habet; * Non solum Divina Mandata intelli-

telligimus, quæ Deus ante Incarnationem, & postea per Apostolos servanda tradidit; sed etiam illa, quę Apostoli, vel Apo stolici Viri, ex suggestione Spiritus San cti, servanda Ecclesiæ tradiderunt.*

2422 Vndè meritò dixit Sanctus Bernardus *vbi supra*, duplicia esse Statuta, alia, nulli obnoxia mutationi; obnoxia alia; distinguit enim Statutum in incommutabile, inviolabile, & stabile: * Incommutabile (inquit) quod Divina est, & æterna ratione firmatum, vt nulla ex causa valeat immutari, nec ab ipso Deo (vt Præceptum dilectionis Dei, &c.) Inviolabile, quod à Deo etiam traditum, & promulgatum, non nisi à Deo, qui tradidit, mutari potest, nec humanam dispensationem admittunt, sed solus Deus potest dispensare (vt cum Hebræis Ægyptios expoliare iussit, & Oseam fornicariæ commisceri.) Stabile autem est, quod per Ecclesiam Institutum est, propter Potestatem Mysteriorum Dei.* (Tales sunt Romanus Pontifex respectu Ecclesiæ, vel Concilium Generale à Romano Pontifice approbatum.) Quod confirmari potest ratione ex ipso Sancto desumpta: Quia Statuta Ecclesiæ facta sunt, non quia aliter vivere non liceret, sed quod ita magis expediret, nec ad alium finem, quàm ad lucrum, & custodiam Charitatis. Quandiù ergo Charitati militant, immobilia sunt, mutarique omninò, nec ab ipsis quidem Præpositis, sine offensione possunt. At si contra contraria aliquando Charitati obsistere videntur, his dumtaxat, quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est, iustissimum est, vt ea, quæ pro Charitate inventa fuerunt, vel omittantur, vel intermittantur, vel fortè in alium tempus commodiùs dimittantur. Meritò ergo de facto Ecclesiastica Disciplina, vetusta Præcepta mutavit, ac instituit, nunc hæc, nunc istis contraria mandavit pro loco, & tempore, & moribus, omnibus, ex omnibus, serviente Charitate deserviens.

2423 At si loquamur de rebus ad Fidem spectantibus, cum istæ ad inviolabilia Pręcepta reducantur, non cadit supra illas mutatio. Similiter Decreta Fidei per Ecclesiam facta, cum nihil aliud sint, quàm explicationes Articulorum Fidei, vel declarationes eorum, quæ sub Fide continentur, nequeunt pariter immutari.

2424 Huc egregiè facit S. LEONIS Papæ Doctrina, *in Epist. 92. ad Rustic. Narbonen.* dicentis: * Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ, aut pro consideratione ętatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, vt in his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec Præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum.*

2425 Consonat illud INNOCENTIJ III. *in Lateranensi Concilio* (vt habetur *in cap. Non debet. de Consanguin. & Affin.*) sic loquentis: * Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum Statuta quoque varientur humana, præsertim cum vrgens necessitas, vel evidens vtilitas, id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in Veteri Testamento statuerat, quædam etiam mutavit in Novo.*

2426 Si Deus infinita sua Sapientia aliqua in Veteri Testamento Divina Lege sanctissimè Statuta, æquitatis exposcente ratione, mutavit in Novo, cum Evangelicam Legem sancivit: quid mirum, si ea, quæ Apostolica Traditione sunt constituta, possint iustis de causis, quales sunt, quæ à S. Leone Papa, S. Bernardo, & Innocentio III. afferuntur, aliquam variationem, mutationemque subire? Hæc clariùs innotescent, si attendamus *Actor.* 15. hanc Legem esse sancitam: *Vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato*: quę quidem Apostolica Sanctio per multa tempora duravit in Ecclesia; nihilominùs nunc iam abolita est, & antiquata.

2427 Et 1. *ad Corinth.* 11. expressa Lege præscribitur, vt mulier in Ecclesia velato capite incedat propter Angelos. Vndè TERTULLIANUS *de Corona Milit. cap.* 4. * Apud Iudæos tam solemnè est fœminis eorum velamen capitis, vt indè noscantur. Quero Legem: Apostolum differo. * Alludens ad dictum locum Pauli. Indè CLEMENS *lib.* 2. *Constit. Apostol. cap.* 61. non recipit mulieres ad Domini Corpus, nisi vt eas decet, cum timore, & pudore, & velato capite. Et CLEMENS ALEXANDRINUS *lib.* 2. *Pedagog.* fœminam vbique, præterquam domi; tectam esse debere contendit. Prędictam tamen, estò Sanctissimam consuetudinem, non perpetuò observatam cerni-

nimus in Ecclesia: etsi enim in Hispaniæ Regnis apprimè nuncusque custodiatur; non tamen in Germaniæ, Galliæ, & Italię partibus communis eius observantia tenet.

2428 De multis alijs consuetudinibus, & Ecclesiasticis Traditionibus constat, estò sanctissimas, pro temporum, & occasionum varietate rationabilibus de causis in Ecclesia Dei esse immutatas: vt videre est in illis, quas TERTULLIANUS *lib. de Corona Milit.* refert, dicens: * Indè suscepti (scilicet ex Baptismi fonte) lactis, & mellis concordiam prægustamus, exque ea die, lavacro quotidiano per totam Hebdomadam abstinemus.* Vndè *lib. 1. contra Marcion. cap. 14.* * Sed ille quidem (inquit) vsque nunc, nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quos suos vnguit; nec mellis, & lactis societatem, qua suos infantat.*

2429 Prædictæ Traditionis, & consuetudinis meminit S. HIERONYMUS *ad illa Isaiæ verba, cap. 15. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac*; ita scribens: * Provocat nos Isaias non solum, vt vinum emamus, sed & lac, quod significat innocentiam parvulorum, qui mos, ac typus in Occidentis Ecclesijs hodie vsque servatur, vt renatis in CHRISTO vinum, lacque tribuatur.*

2430 Idipsum venustè concinit PAULINUS, dicens:

* Indè parens sactò ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu,
Circumdatque rudes sestis Altaribus igacs
Pura salutiferis imbuit ora cibis.*

Hanc tamen consuetudinem in Ecclesia non perdurasse clariùs est, quàm vt probatione indigeat.

2431 Antelucanis temporibus Eucharistiam convenientibus in vnum Christianis accipi solitam, dissertè tradit TERTULLIANUS *de Corona Milit.* * Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, (idest, cœnæ tempore; vti exponit PAMELIVS) & omnibus mandatum à Domino, nos etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus:* ieiuni videlicet ante omnem cibum: Sublatus autem modò est mos iste, sive Traditio conveniendi in Ecclesiam ad cætus antelucanos.

2432 Domum deferri solitam Eucharistiam, testis est idemmet Tertullianus *lib. 2. ad Vxorem*, ita de muliere Gentili nupta loquens: * Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes; & si scierit panem, non illum esse credit, qui dicitur: * innuens profectò, domi etiam sumi solitam Eucharistiam. Quod etiam S. HIERONYMVS *contra Iovinian.* scripsit, dicens: *Quare non ingrediuntur Ecclesias?

2433 MARTYROLOGIUM ROMANUM, *ad diem 15. Augusti*, de S. Tharsicio hæc habet: * Romæ via Appia S. Tharsicij Acolyti, quem Pagani cum invenissent Corporis Christi Sacramenta portantem, cœperunt disquirere, quid gereret, &c.* Ad quæ verba Cardinalis BARONIVS *in Notis ad dictum Martyrolog.* * Non est (inquit) quod mireris, cum audies Acolytum Christi corporis Sacramenta portantem: olim etenim ingruentibus in Christianos persecutionibus, laicis etiam domum ferre Eucharistiam certis diebus sumendam permissum erat. Id habes ex TERTVLLIANO *lib. 1. ad Vxor.* CYPRIANO *lib. de Lapsis*, CLEMENTE ALEXANDRINO *lib. 1. Stromat.* atque alijs.*

2434 Quod vero maximam ingerit admirationem, est, prædictam Traditionem, & consuetudinem, non modo persecutionis tempore viguisse, sed etiam cum Ecclesia summa tranquillitate frueretur, perseverasse, vt patet ex GREGORIO NAZIANZENO *orat. in Laudem Gorgoniæ*, HIERONYMO *in Apolog. pro libris advers. Iovinian. ad Pammach.* asserente: * Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet;* & ex AMBROSII *Orat. in funer. frat. Satyr.* Et ante istos S. BASILIUS hanc attestatur consuetudinem; scribens enim *ad Cæsariam Patritiam*, de perceptione Sacramenti, hæc habet: * Tempore persecutionis cogi quempiam absente Sacerdote, aut Ministro, Communionem sua manu sumere, minimè absurdum esse, supervacaneum est ostendere; cum eius rei etiam longa consuetudo rebus ipsis fidem faciat. Nam omnes, qui per solitudinem monasticam vitam agunt, vbi non adest Sacerdos, cum domi Communionem habeant, per se ipsos accipiunt. In Alexandria verò, & Ægypto vnusquisque etiam ex laicis vt plurimum habet domi suæ Communionem, & cum vult, per se ipsum communicat. Nam cum Sacerdos semel sacrificium absolverit, ac impertierit, is qui accepit illud,

vt

vt totum simul quotidie participans ab eo, qui dedit, meritò participet, & debet credere se suscipere. Etenim in Ecclesia Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam cum omni libertate is, qui suscipit, ac ita ori admovet manu propria. Idem igitur est potestate, sive vnã particulam quis à Sacerdote accipiat, sive multas particulas simul.* Hanc Epistolam è Bibliotheca Cardinalis Sirleti acceptam ANTONIVS AGELLIVS, Græcarũ facultatũ eruditione egregiè excultus, in Latinũ trãstulit, quæ etiam habetur *in Cuthberto Tõstalio, lib. de Verit. Corp. & Sãg. Dom.* Græcè Latinèque edita. Eamdem citatam, & ex ea fragmentum recitatum, ab ANASTASIO, Nicæno Episcopo, *in libris quæstionum* habes.

2435 * Ex hac Basiliana Epistola (inquit PETRVS ARCVDIVS) in primis habemus, Eucharistiam populo in manus tradi solitam. Deinde populum eam ad longum tempus asservasse, & frequentèr per se ipsum eam participasse.*

2436 In cuius confirmationem S. GREGORIUS, hac de re, sic cecinit:

*Nonne manus horrent, recipis cum mystica Sacra,
Forma dolenda, quibus plexa fuit mulier?*

Audiendus etiam est S. AMBROSIVS, ita Theodosium alloquens: * Quomodo huiusmodi manibus recipies Sanctum Domini Corpus? Et S. IOANNES CHRYSOSTOMVS: * Non tantum (inquit) tangis, sed etiam comedis, & eo accepto domum redis.* Et *homil. 9. ad Popul. Antioch.* quæ est Catechesis ad illuminandos: * Cogita quid manu capias, nec vmquam illum verberare audeas, nec tanto decorata munere, plagæ crimen dedecores. Cogita, quid manu capias, & ipsam ab omni avaritia, & rapina liberam conserva. Reputa, quod non tantum manu capias, verum & ori admoveas, & linguam custodi à contumeliosis mundam, & turpibus verbis. Etenim perniciosum est, tam tremendis ministrantem Mysterijs linguam, & sanguine tali purpuratam, & factam auream, gladium ad convitia, & contumelias, & scurrilitatem transferre. (Et paulò infrà:) Sed rursum animadvertens, quod post manum, & linguam, cor suscipit tremendum illud Mysterium, nè vmquam in proximum confuas dolum.*

2437 S. AUGUSTINUS *in lib. 50. homil. cap. 26.* * Quanta (inquit) sollicitudine observamus, quando nobis Corpus CHRISTI ministratur, vt nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat: tanta sollicitudine observemus, ne Verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid, aut cogitamus, aut loquimur de corde nostro pereat.*

2438 S. CYRILLUS IEROSOLYMITANVS *Catech. 5. Mystagog.* sic hortatur: * Accedens igitur ad Communionem, non expansis manuum volis accede, neque disiunctis digitis; sed sinistram, sedem efficias dexteræ, quæ Regem susceptura est; & concava manu suscipe Corpus CHRISTI, subijciens verbum, Amen.*

2439 Notatu etiam dignum iudicamus, quod hanc in rem scribunt ZOZOMENVS *lib. 8. Histor. cap. 5.* & NICEPHORVS *lib. 13. cap. 7.* de quadam fœmina hæretica Macedoniana, quę cum suam cælare vellet hæresim, seque Catholicam simulare, accepit in manibus (Chrysostomo Sacris operante) Panem Eucharistiæ, tamquam paulò post illud manducatura; sed clam dedit illum ancillæ, & ab ea sumpsit panem prophanum, quem domo adferri iusserat, vt illum palàm comederet, loco Eucharistiæ; sed is panis continuò in lapidem est conversus. Ex quibus manifestè constat, viguisse quondam inter Catholicos Traditionem, & consuetudinem accipiendi proprijs manibus Eucharistiam; eademque consuetudine comparatum, vt qui vellent, eam non solùm domi, sed etiam in Templo palàm comederent: quæ quidem Antiquæ Traditiones, Ecclesiasticæque consuetudines, vel per dissuetudinem, vel propter gravia incommoda, experimento comprobata, communiter sublatæ sunt, atque extinctę, iustis causis Pontifices moventibus, ad vsus huiusmodi abolendos. Estò enim prædictæ consuetudines bonæ essent, & sanctæ, ac à Pijssimis, & Sanctissimis Viris vsitatæ; quia tamen cursu temporis, varijs inconvenientibus obnoxias esse innotuit, Fideles Apostolica Sede approbante, ab illis estò Pijs, & Sanctis taliter abstinuere, vt penitùs videantur extinctę.

2440 Idem patet de consuetudine, qua antiquitùs fœminæ Eucharistiam in linteolis accipiebant, vt refert AUGUSTINUS *Serm. 152. de Temp.* his verbis: * Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi Corpus CHRISTI accipiant; sic corpus castum, ac cor mundum exhibeant, vt cum bona cõsciẽtia CHRISTI Sacramenta suscipiant.* Et *in eodem*

Serm.

Serm. * Omnes viri (inquit) quando communicare desiderant, lavant manus suas; & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi Corpus CHRISTI accipiant:* Quapropter ob eam causam illud ipsum linteamen *Dominicale* dicebatur; de quo in CONCILIO ANTISIODORENSI *cap.*42. hæc leguntur: * Vt vnaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat; quod si non habuerit, vsque in alium diem Dominicum non communicet.* Hinc est, quod & superiùs *Can.*36. hæc habet: * Non liceat mulieri nuda manu Eucharistiam sumere.* Et *Can.*38. * Non liceat mulieri manum suam ad pallas Dominicas mittere.* Vndè patet, permissum fuisse viris, neutiquam tamen mulieribus, nuda manu Eucharistiam accipere.

2441 TRULLANÆ tamen SYNODI Patres, attentis gravissimis incommodis, quæ ex huiusmodi consuetudine suboriebantur, Canonem ediderunt, quo vascula argentea, vel aurea, vel linteamina ad CHRISTI Corpus suscipiendum parari prohibuerunt; cuius quidem prohibitionis talem subiungunt rationem: * Quia manus hominis creata à Deo non est ignobilior, immò nobilior illis.*

2442 Plurima alia harum Ecclesiasticarum Traditionum exempla adduci possent, à quibus tamen brevitatis gratia supersedemus. Qui videre ea velit, PRATVM SPIRITVALE adeat, aliosque Authores de eadem re pereruditè agentes. Silentio tamen non est prætereundum, quod cum prædictę Ecclesiasticæ Traditiones vsque ad Imperatorum Zenonis, Anastasij, & Justini tempora perdurassent, Hormisda Pontifice Ecclesiam gubernante, celebrata fuit in Hispania CÆSARAUSTANA SYNODUS in qua huiusmodi consuetudo, his verbis sublata est: * Eucharistię gratiam, siquis probatur, acceptam non consumpsisse in Ecclesia: Anathema sit in perpetuum.*

2443 Vt autem ad rem nostram propriùs accedamus, non desunt veridicæ Historiæ de Traditionibus, & consuetudinibus in hac eadem Baptismi materia inter Catholicos vsitatissimis, quę estò ab Ecclesia, tamquàm bonę, ac sanctæ meruerint approbari, temporis tamen decursu, varia sunt, ac penitùs extinctæ. Primò enim, antè Magni Constantini tempora, in Primitiva Ecclesia, non in Templis, sed vbicumque conveniens reperiebatur aqua, ministrabatur Baptismus: multi in maris littore lustrali perfundebantur aqua, alij salutaribus fluviorum immergebantur vndis, quidam tandem in ipsis fontibus à nativo scelere mundabantur. Quæ quidem consuetudo per multa sæcula viguit, vt tradunt Authores Antiquitate conspicui. Sic TERTULLIANUS *de Baptizantibus Apostolis lib. de Baptismo, cap.*4. * Nulla (inquit) distinctio est mari, quis, an stagno, flumine, an fonte, lacu, an alveo diluatur: nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Jordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit, nisi & ille, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus salutis, aut minus retulit.* Consonat S. JUSTINUS Martyr *in Apolog.*2. *de Baptizandis*, hæc scribens: * Eo adducuntur à nobis, vbi est aqua:* quibus verbis mare, lacum, flumen, & fontem complexus est.

2444 Id ipsum clariùs & expressiùs traditur *in libro Pontificali*, vbi de S. Victore Papa, hæc scribuntur: * Hic constituit, vt necessitate faciente, vbicumque inventus fuisset quicumque hominum ex Gentibus veniens, sive in flumine, sive in mari, sive in fonte, sive in stagno baptizaretur, tantum Christianæ credulitatis Confessione declarata, integer efficeretur Christianus.*

2445 Et quamvis aliqui de Baptismate communibus in locis ministrato subdubitarint; ijs tamen manifestè opponitur Ecclesiæ prisca consuetudo baptizandi in locis publicis, & communibus, maris nempe littoribus, fluviorum ripis, ac limite fontium, vt plurima Martyrum antiqua Acta, exemplaque testantur. De S. enim Gregorio Armenorum Apostolo affirmat AUTHENTICA eius VITA; & confirmat IN PRIMA INVECTIVA, ISSAC, eiusdem gentis Patriarcha, centum viginti milia baptizasse in Euphrate.

2446 Et certè priscis illis temporibus multi Christianorum Regum, ac Principum in Iordane Baptizari vehementer exoptarunt, vt de Constantino, & Basilio Magno omnibus est manifestum. Et *in Prato spirit.* S. SOPHRONIUS Patriarcha affirmat: Ierosolymitanum Episcopum habuisse in Iordane singularem baptizandis illus advenis præfectum Clerum.

2447 Verum etsi prædicta consuetudo baptizandi in communibus fontium, ac fluviorum locis aliquibus sæculis perduraverit: postquam tamen Ecclesia, Catholicaque

eaque Religio, opera Magni Constantini, ab Infidelium libera à tyrannide, vniversalem pacem adepta est, potestatemque obtinuit liberè construendi Templa, eaque Christo, Deiparæ, cæterisque Divis consecrandi, cessavit communis illa consuetudo, Ecclesiasticaque Traditio in fluminibus baptizandi, erectaque sunt de novo Baptisteria communia instar Templorum, quæ eadem veneratione, eodemque cultu, ac Sacra loca habebantur, adeò vt & ipsi Gentiles singulari ea veneratione prosequerētur, nec absque maximo terrore aliqualiter violare auderent; vt patet *ex Epistola ad Leonem Imperatorem* data, vbi TIMOTHEI ÆLVRI, qui S. Patriarcham Protherium illic præsumpsit occidere, facinus indè exaggerat Orthodoxa Egypti Synodus; quæ quidem Epistola post Chalcedonensem Synodum reperitur.

2448 Hæc autem Baptisteria varijs donabantur nominibus; dicebantur enim *Cōcha, Fons, Balneum, & Piscina*; quorum formam S. CYRILLUS, Ierosolymitanus Antistes, *in Catech. Mystagog.* his verbis describit: * Ingressi estis in Porticum, domus Baptisterij.* Et de novo Baptisterio sub titulo S. Ioannis apud Alexandriam hæc habet Sanctus Martyr THEOPHANES: * Hoc anno S. Ioannis nomine quadra figura constructum est opus Alexandriæ, & Baptismo lustrādis adiunctum Ædificium.*

2449 Licet autem Tyri Metropolis multis, iisque magnificentissimis insigniretur Basilicis, vnicum tantum Baptisterium habebat, vt constat ex Agapeti Pontificis litteris ad Constātinopolitanam Synodum, teste EPIPHANIO eiusdem Civitatis Episcopo. Quæ quidem consuetudo in multis Italiæ Civitatibus adhuc florescit; ibi enim non in Parochijs, sed in sola Cathedrali Basilica Baptisterium reperitur; idemque observatum fuisse Ierosolymis testatur S. SOPHRONIUS *in Prat. Spirit. cap. 165.*

2450 Baptisterium autem fuisse instar balnei, & piscinæ testatur PALLADIVS, Ierosolymitanus Antistes *in Dialogo, cum Theodoro, Romanorum Diacono*, vbi agens de degradati, atque eiecti S. Ioannis Chrysostomi Clero, affirmat eum ab Ecclesia, & Baptisterio interdictum, atque exclusum in Constantino balneo baptizasse. Huiusmodi autem Baptismalis Fontis, & Balnei formam optimè describit S. ISIDORVS, Hispalensis Episcopus, *lib. 19. Origin. cap. 4.* dicens: * Fons in delubris est, locus regeneratorum, in quo septem gradus in Spiritus Sancti Mysterio formantur. Tres in descensu, & tres in ascensu. Septimus verò is est, qui est quartus similis Filio hominis extinguens fornacem ignis, stabilis ad stabilimentum pedum fundamentum aquæ, in quo plenitudo Divinitatis habitat corporalitèr.* Idem asserit S. HIERONYMVS *in Epist. de Septem Grad. ad Rustic. Narbon. Episc.*

2451 Hanc eamdem Baptismalis Fontis, & Balnei formam affirmant extitisse apud Latinos AVTHOR *libri de Ecclesiast. Offic. apud Alcuinum Flaccum*, & *in Animæ Gemma.* HONORIUS AVGVSTODVNESIS.

2452 His ergo, de Baptisterijs, eorumque forma prælibatis, videndus modo est communis baptizandi ritus, quem primitiva Ecclesia servavit; hunc autem fuisse, baptizandos tam viros, quàm mulieres, totalitèr nudos baptismalem aquam ingredi, communis est Antiquorum, tàm Græcorum, quàm Latinorum consensus. Sic S. DIONYSIUS *de Ecclesiast. Ierar.* de baptizante Episcopo hæc scribit: * Episcopus exuit eum, expoliatque per Ministros. (Et iterum:) Cum plenè vestes Ministri detraxerunt, tunc Sacerdotes Sacrum Unctionis oleum afferunt.*

2453 ELIAS verò Cretensis clarius, id explicat *in Comment. ad Orat. 4. Gregorij Nazianzeni*, dicens: * In divino nostro ortu, quemadmodum sacerrimus Dionysius inquit, ad Sacerdotem adducitur hic, qui spiritali regeneratione donandus est; ipse autem & pedes eius adhibita Ministrorum opera caliceis nudat, & vniversum corpus detegit :::: Episcopus eum, qui ascendit, quasi superiori vita exuit, ad extremos vsque habitus expoliat.*

2454 S. CYRILLUS *in Mystagog. Catech. ad Neophyt.* rectè expendit, quantum Mysterium præseferat prædicta in Baptismo nuditas, additque, omnes ad Christi imitationem sic baptizari debere. * Statim (inquit) vt ingressi estis, vestem exuistis; quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus suis imago fuit. Atque ita exuti eratis nudi, imitantes, & in hoc eum, qui in Cruce nudatus fuerat, CHRISTVM. Qua ille nuditate Principatus, & Potestates huius sæculi expoliavit, & magna confidentia in ligno de illis triumphavit.* Et *in Catech. 17. communi:* * Qui mer-

mergitur (inquit) in aquas, & baptizatur, vndiquè ab aquis circumdatur.*

2455 Hùc vacandus S. EPIPHANIUS *in Anchor. cap.* 117. censens, hanc Novi Testamenti in Baptismo nuditatem, adumbratam in Lege Veteri fuisse, cum Deus primùm in Moyse calceamenta solvit, tùm in Prophetis exteriorem tunicam exuit, cum Ieremiæ nihil præter campestre reliquit, in Ioanne porrò omnia Mundi vestimenta reijciens, cilicio, & Cameli pilis induit; postremò in ipso Salvatore, ipsiusque Discipulis, Mundi cultum omnem, & habitum deposuit, ac post aquarum expiationem, ignis, & Spiritus vestibus cœlitùs induit. Et postquam asseruit in Prophetis fuisse prænuntiatum Baptismum, eiusque prophetiam in CHRISTO, & Discipulis adimpletam, asserit, & Dominum, & eius Discipulos, dum baptizabantur, fuisse totos, sine campestri, nudos.

2456 S. IOANNES DAMASCENUS *Orat. advers. Imperat. Constant.* de CHRISTI Baptismo, eiusque forma, ac modo loquens, clarè tradit, Dominum in Jordane stetisse nudum. Et S. EPIPHANIUS *vbi supra, cap.* 118. de Baptismo agens: * Aqua (inquit) cum invocatione Sancta, non vnum dumtaxat hominis membrum occupat, sed integrum prorsus repurgat, circumdat, ac malis omnibus exolvit.*

2457 De S. Basilij Baptismo Antiquissimus vitæ illius SCRIPTOR hæc tradit: * Basilius vestes exuit, & cum eis plenè deponit veterem hominem. Sed demùm descendit in aquam.* Vbi vox *plenè* plenam designat sine campestri nuditatem.

2458 S. IOANNES CHRYSOSTOMUS Innocentio Pontifici scribens, meritòque conquerens de iniuria, qua ab Arianis Episcopali Sede fuerat deturbatus, hæc, inter alia, dicit: * Mulieres, quæ per illud tempus se exuerant, vt baptizarentur, metu gravis istius incursus, nudæ aufugerunt. Neque enim concedebatur, vt se velarent, sicut mulieres honestas decet.* Vti S. ATANASIUS, ita & S. CHRYSOSTOMUS fuit, in nocturno Paschalis Baptismatis tempore, invasus.

2459 In huius rei confirmationem STEPHANUS PRESBYTER *in Constantinopolitana Agapeti Pontificis Synodo, cap.* 3. hęc adversus Petrum, Apamensem Episcopum, suum secundæ Syriæ Metropolitam, deposuit: * Cum essemus in Baptisterio Neophitarum, sine tunicis, & calceamentis existentium, &c.*

2460 In hanc rem omitti non potest singularis ille eventus, qui *in S. Sophronij Prato Spirit.* refertur de Conone apud Jordanem Presbytero, de quo hæc narrat ABBAS ANASTASIUS: *Cum essem in Monasterio Penthucata, Presbyter, quidam erat ad Baptismi Ministerium, Conon nomine, genere Alexandrinus, quem pro vitæ meritò iusserant, vt baptizaret accedentes. Ipse igitur Sancto Chrismate vngebat, & baptizabat eos, qui ad hoc veniebant. Quoties ergo mulierem inungebat, scandalizabatur, atque ideò à Monasterio abscedere volebat. Cum autem ea cogitatione pulsabatur, assistebat S. Ioannes Baptista, dicens: Tolera, & persevera, & ego te de de hoc bello liberabo. Quadam verò die venit puella ex Perside, vt baptizaretur, quæ adeò speciosa erat, ac tantæ pulchritudinis, vt non posset Presbyter eam nudam Sancto Oleo vngere. Cum sic verò puella illic mansisset per duos dies, audiens hoc Archiepiscopus Petrus obstupuit de sene vehementer, voluitque ad hoc opus delegare Diaconissam; sed non fecit, ne contra Canones fecisse videretur. Conon verò Presbyter, sumpta melote sua recessit, dicens: Iam non amplùs in hoc loco manebo. Cum ergo exijsset ad colles, ecce S. Ioannes Baptista obvius illi factus est, & tranquilla voce affatus est illum, dicens: Revertere ad Monasterium tuum, & hoc te bello liberabo. Abbas verò Conon ait illi cum indignatione: Verè non revertar: ecce enim iam toties pollicitus es mihi istud, nec fecisti. Tum S. Ioannes eum sedere fecit, amotisque vestimentis eius, signavit eum ter signo Crucis sub vmbilico, dixitque ei: Crede mihi Presbyter Conon, volebam te ob hanc pugnam mercede donari: sed quia non vis, ecce abstuli à te hoc bellum; mercede autem huius operis carebis. Reversus Presbyter in Cœnobium, vbi baptizare consueverat, in crastinum vnctam puellam baptizavit, neque penitùs animadvertit eam esse natura mulierem; implevit autem & alios annos duodecim in baptizandi Ministerio tanta tranquillitate animi, & corporis, vt nullum vltrà sentiret carnis motum, neque mulierem natura videret.* Vbi manifestè patescit antiquissima consuetudo, & Traditio, iuxta quam omnes vtriusque

sexus totaliter nudi baptizabantur. Aliud nuditatis in Baptismate exemplum videri potest *in eodem Prat. Spirit.* quod refert ABBAS PALLADIUS.

2461 PETRUS ABITABOLIS, Apostolicus Missionarius, de Hyberorum, & Cholchorum ritibus scribens *ad Vrbanum VIII. Pont. Max.* inter alia, hæc habet: * Baptismi Sacramentum hoc modo conferunt: exuitur vestibus infans, & totus diligentér abluitur.*

2462 Hic autem nuditatis in baptizandis Ritus, non solum apud Græcos, sed etiam apud Latinos invaluit, vt testatur ANTIQUISSIMA PICTURA *apud Lateranensem Basilicam*, in qua S. Silvester Imperatorem Constantinum Magnum lustrali perfundit aqua, quem pictura totalitér nudum exhibet. Quod quidem memorabile facinus commemorat etiam Magnus ille Historiographus SIMEON METAPHRASTES *in Vita S. Silvestri*, hęc scribens: * Cum Imperator letus probrum carnis suæ (idest lepram) subiecisset oculis, & vnctus fuisset Sancto Chrismate, ingressus est piscinam.*

2463 Nec desunt in Latina Ecclesia alia illustria exempla prædictum Ritum, ac Traditionem egregiè confirmantia, vt manifestè innuit D. AMBROSIUS *lib. de Spirit. S. cap. 6.* sic elegantèr loquens: * In illo aquarum sepelimur elemento, vt renovati per Spiritum, resurgamus. In aqua enim est imago mortis, vt per aquam moriatur corpus peccati, quę quasi quodam tumulo corpus includit.* Et adducens illud *Ioan. Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis*: * Aqua (inquit) est testis sepulturæ.* Apertè significans, quemadmodum totum denati hominis corpus sepulchro conditur; sic totum ipsius baptizandi corpus penitùs nudum baptismali fonte submergendum.

2464 Ambrosio consonat S. AUGUSTINUS dum *Tract. 56. in Ioan.* explicans illa Christi verba: *Qui lotus est, non opus est, nisi vt pedes lavet*, hæc habet: * Quid putatis, nisi quia homo in Sancto Baptismate totus abluitur, non præter pedes, sed totus omninò?*

2465 Prædictæ nuditatis in Baptismate Ritum eruditè exponit FACUNDUS, Hermianensis Episcopus, *in Epist. ad Iustinian. Imperat.* data *lib. 4. cap. 4.* sic loquens: * Sed & ipsam tanti Mysterij, quæso, consideres actionem. Quemadmodum lavacro regenerationis abluendi in conspectu Dei, & Sanctorum Angelorum stemus, occultum dedecoris, Ecclesia teste, damnantes: nihil ibi obtectum, nihil absconditum fuit. Expoliato denique corpore magnum illud Fidei percepimus, & servare spopondimus Sacramentum: & non sola voce, verumetiam totius habitu corporis, profitemur exuisse nos veterem hominem cum actibus suis.*

2466 Lectu etiam dignissimum est, quod in hanc rem scribit ANDREAS, S. Michaelis Bambergensis Abbas, loquens de S. Otthone Bambergensi Episcopo, ac de Ritu, quo prædictus Sanctus, Pomeranos ad Christum conversos, baptizabat: * Cum ad stadium (inquit) Cathechismi turbæ venirent, sermone, qui talibus competeret, Episcopus eos omnes alloquens, sexumque à sexu dextrorsum, & sinistrorsum statuens, catechizatos oleo pervnxit: deindè ad Baptisteria digredi mandat. Igitur ad introitum cortinæ venientes, singuli cum Patrinis suis tantum intrabant, statimque vestem, qua fuit amictus is, qui baptizandus erat, & Cereum illo in aquam descendente, Patrini suscipiebant, & ante faciem suam illum tenentes, expectabant donec eum redderent de aqua exeunti. Sacerdos verò, qui ad cappam stabat, cum audisset potius quàm vidisset, quod aliquis esset in aqua, velo paululum amoto, trina immersione Capitis, illius Mysterij Sacramentum perfecit, vnctum liquore Chrismatis in vertice, & Alba imposita, reductoque velo de aqua iussit exire baptizatum, Patrinis veste, quam tenebant, illum cooperientibus, atque deducentibus. Hic modus hæc species, hic ordo nobis fuit baptizandi viros, ac mulieres, & pueros adultos, quia à Sacerdotibus in aquam lavari non poterant.*

2467 Id præclarè confirmat insignis ille vir, Ecclesiastica eruditione conspicuus, HUGO DE S. VICTORE dum *Tract. 5. cap. 7.* loquens de insigni illo privilegio, ingentique fœlicitate, qua baptizatus fruitur, cum Baptismi virtute ab omni prorsus culpa liber maneat, & immunis, asserit, inter alia, fœlicitatem istam premium esse nuditatis, ac erubescentiæ, quam ob illam in Baptismate subit: * Si opponitur (inquit) quod nullum peccatum sit impunitum; dicimus, quod ipsa contritio, mors quoque, ipsa etiam erubescentia, quam patitur dum nudus baptizatur, non relinquunt peccatum impunitum.*

S. IOAN-

2468 S. IOANNES CHRYSOSTOMUS explicans illum APOSTOLI locum *ad Colos. 2. In quo & circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi vnà cum ipso sepulti in Baptismo*; (vbi S. AMBROSIUS illa verba: *in Expoliatione corporis carnis*; pro nuditate accipit;) ipse *Homil. 6.* apertiùs nobis suffragatur, ita scribens: * Abrenuntiamus tibi Satana; & tibi nomen damus, & in tuorum militum numerum adscribimur CHRISTE. Hæc omnia sunt pactum conventum. Illic servus agit cum domino; hic amicus cũ amico. Advenit decus, & hic nuditas, & illic nuditas; sed illic quidẽ, cum peccasset, nudatus fuit, quoniam peccavit, hic autem nudatur, vt liberetur: exuit tũc ille gloriam, quam aliquando habuit, nunc exuit veterem hominem.*

2469 Aliud testimonium ad id ipsum roborandum desumi potest ex vita S. Marcelli, in qua Apronianus vir ad omnes dolos, & fallacias eruditus, post prioris vitæ pœnitentiam, à Sisinio Diacono nudus baptizatus est, vt refert LAURENTIUS SVRIUS *ex his, quæ sunt à Notarijs Romanæ Ecclesiæ conscripta*: * Eadem hora allata est aqua, & catechizavit eum, & benedixit fontem, & deposuit eum nudum in peluim.*

2470 Simile exemplum refert idem Surius *in vita S. Laurentij Archilevitæ* dicens: * Dum Lucillus, non paterna gloria. quàm sua virtute clarior, ante Baptismi susceptionem, omni vestium genere exutus fuit. Et cum expoliasset eum, fudit super caput eius, dicens: Credis in Deum Patrem Omnipotentem, Lucille?*

2471 Antiquam hanc Ecclesię consuetudinem egregiè testatur S. ZENON, Veronensis Ecclesiæ Infulis, & Martyrij laurea decoratus, qui cum multis alijs in locis eam asseveret, luculentiùs tradit *Invitat. 2. ad Fontem*, sic gloriabundus exhortans: * Gaudete, in fontem quidem nudi demergitis; sed ętherea veste vestiti, mox candidati, indè surgitis; quam qui non polluerit, Regna Cœlestia possidebit.*

2472 Nec omitti potest S. AMBROSIUS, antiquorum Rituum Propugnator acerrimus, qui *Serm. 10.* prædictum nuditatis in Baptismate Ritum, sua Authoritate commendat, dum sic in avaros invehitur: * Ideò nudi in sæculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum, vt nudi quoque, & expediti ad Cœli ianuam properemus; quàm autem incongruum, & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, dives intrare velit in Cœlum?*

2473 Hùc prçclarè facit pictura, quę extat in S. AUGUSTINI Ecclesia, propè Ambrosianam Basilicam Mediolani; ibi enim dum ipsiusmet Sancti, & Adeodati, ac Alipij Baptismus exprimitur, Ars, Ecclesiæ consuetudinem secuta, eos mortalium oculis nudos subijcit.

2474 NICEPHORUS CALLISTUS *lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 37.* refert Hebræum puerum, qui natandi gratia ad mare perrexerat, à socijs nudum Christianæ Militię tessera fuisse insignitum. * Christianorum pueris Hebræus puer familiaris erat; & cum eis ad mare colentibus, natandi incessisset cupiditas, consequutus est eos Iudæus; hunc, per ludum, pueri nudum baptizaverunt.*

2475 Verùm estò prædictus Baptismus per ludum peractus sit, seriò tamen ministratus fuit ille Eunuchi, qui vt habetur *Actor. 8.* cum Christianæ Fidei initiaretur Mysterijs, omni veste exutus est; prout infert IOANNES GAGNÆIUS ex illis verbis: *Descenderunt vterque in aquam*; sic scribens: * Ideò non erubuit coram familia nudari, qui peccata sua coram Deo non erubescebat propalari; & descendens in aquam baptizatus est.*

2476 Tandèm huic difficultati coronidem imponat mira illa S. ANSELMI Doctrina *in cap. 3. Matth.* vbi adducens varias rationes Baptismatis CHRISTI, istiusque nuditatis, hęc ad rem nostram aptissima, subdit: * Plures causę sunt, quare CHRISTUS ad Baptismum accessit; primò vt exemplo nos invitaret, nè quis fortè ab inferiori baptizari, vel in conspectu hominum denudari erubesceret. (Et infrà:) Vocatur ergo consummatio iustitiæ; ad quam Dominus volens homines invitare, nè ab inferiori dedignentur baptizari, vel in conspectu hominum denudari, ideò vult exemplo docere, quid alios oporteat facere, vt nullus post eum erubescat.*

2477 De omnimoda in Baptismate nuditate ideò fusiori calamo pertractavimus, eamque tot antiquitatis exemplis, totque maioris fidei testibus confirmavimus, vt apertè patescat eam esse Apostolicā Traditionem, à CHRISTI, Divique Ioannis Baptisma-

tismate derivatam, & à Ritu, quo S. Philippus Eunuchum illum *Actor.* 8: de quo modo locuti sumus, lustrali aqua perfudit, & à modo, quo Apostoli & baptizati sunt, & alios baptizarunt, desumptum; adeò vt non maiori fundamento possit trina in Baptismate immersio, quàm omnimoda in ipso nuditas, Apostolica Traditio iudicari; atqui Ecclesia ita ab hoc Ritu vniversalitèr discessit, vt vsus iste, ac consuetudo baptizandi penitùs nudos viros, fœminas, pueros & adultos multis retró sæculis obolevetit, vt ipsa facti evidentia demonstrat: ergo quamvis trinæ immersionis in Baptismate Ritum ab Apostolica Traditione dimanasse fateamur, rectè asserere possumus, ipsum fuisse mutationi obnoxium. Vndè nihil mirûm, quod Latina Ecclesia, præcipuè in Hispaniarum Regnis, ob causas æquitati, maiori que Mysteriorum Fidei, quæ in Sancto Baptismate includuntur, cultui, venerationiquè consonas, trinam immersionem omittens, vnica baptizarit.

2478 Nec his opponitur ZOZIMI Papæ Authoritas, initio argumenti proposita, sic asserentis: * Contra Statuta Patrum addere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis potest Authoritas: * Nec aliæ similes in eumdem scopum collimantes; quia, vt cum S. BERNARDO prænotavimus, duplicia sunt Statuta; alia immutabilia, mutabilia alia; quæ ad Fidem, & Ius Divinum spectant, nec ab hominibus possunt mutari, nec à Prælatis, aut Ecclesia dispensari; ideòque dicitur in Decretis: * Prima salus est rectam Fidei Regulam custodire, & à Cõstitutis Patrum non deviare; * vt BONIFACIVS 2. *Epist. ad Bulgar.* & HORMISDAS Papa *Epist. ad Episcop. Hispan.* Hinc S. URBANVS Papa *in cap. sunt quidam 25. quæst.* 1. hæc habet: * Vbi verò apertè Dominus, vel eius Apostoli, & eos sequentes Sancti Patres sententialitèr aliquid definierunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prædictum est, vsque ad animam, & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. *

2479 At si loquamur de moribus, ac Statutis, quæ non sunt de Iure Divino, vel Naturali, vel Decreta Fidei, sed solum ad mores, vel Ecclesiasticam pertinent disciplinam, & ad bonum Ecclesiæ regimen, Fideliumque instructionem spectant, estò ex Apostolica Institutione proveniant, dispensabilia sunt, & iustis de causis mutabilia. Præclarè ANGELICUS DOCTOR *in* 4. *Sent. Dist.* 21. *q.* 3. *art.* 3. vbi tradit indispensabilia esse, dicens: * Quæ sunt de Iure Naturali, & necessitate Sacramentorum, & Fidei. Sed in alijs, quæ sunt de Institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eamdem Potestatem statuendi, & destruendi, quam tunc habuit, potest per eum, qui Primatum in Ecclesia tenet, dispensari.* Cum igitur trina in Baptismate immersio, nec sit Catholica Fide statuta, nec ad Sacramenti essentiam, necessitatemvè pertineat, vt infrà ex D. Thoma, & alijs probabimus: hinc legitima consequentia deducitur, eam, estò ex Apostolica Institutione proveniat, posse iustis de causis mutari, & Sacramentum Baptismi trina, vel vnica mersione peragi.

2480 His ergo pro prima quæstione diligentèr discussis, ac statuto iam Apostolicam Traditionem, sicque & trinam immersionem posse in Ecclesia ab his, qui in ea legitimam obtinent Authoritatem, iustis de causis variari, vt confirmant multa variarum Apostolicarum, Traditionumque exẽpla, quę iustis de causis Apostolica Sede approbante mutatę fuere (vt ex his, quę cum S. GREGORIO, & ANGELICO PRÆCEPTORE diximus, innotescit) ad secundam quæstionem properemus.

§. VI.

AN LATINA ECCLESIA POTVERIT trinam in Baptismate mersionem variare, & vnica vti.

2481 PRO Conclusione statuimus: ECCLESIAM LATINAM LICITE, NEC SINE VRGENTISSIMO FUNDAMENTO, A TRINÆ IMMERSIONIS VSU RECESISSE. Hæc Conclusio, estò ex dictis manifestè pateat, luculentiùs adhuc ex dicendis innotescet. Nec obstat, si dicas: Eunomianos fuisse Hæreticos renuntiatos, quòd vnica immersione in Baptismate vterentur; sicque & Latinos, qui vnicam immersionem in Baptismate adhibuerunt, prædicto CONSTANTINOPOLITANI CONCILIJ Decreto in Eunomianos lato, comprehendi.

2482 Non, inquam, obstat; negamus enim

enim Eunomianos ideò fuisse Hæreticos declaratos, quia vnica immersione vtebantur, sed quia in Fide Trinitatis errabant, vnicam immersionem ideò adhibentes, quia erroneè asserebant, non in invocatione Trinitatis, sed solum in mortem CHRISTI baptizandum, contra illud CHRISTI *in Evangelio* Præceptum: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Innititur hæc solutio 49. Apostolorum Canoni, quem propugnamus, & præclarè S. EPIPHANIJ Doctrinæ, qui censet, propterà Eunomium vnicam immersionem exhibuisse, quia sicut in Divinis non datur nisi vna natura, & vnicam tantum Divinam agnoscebat Personam; Filium enim, & Spiritum Sanctum, non Divinas, sed creatas Personas adstruebat, ideò vnica tantum immersione baptizabat, vt expresse tradit Sanctus *lib.3. Hæres. 56. circa finem*, dicens: * In nomine Dei increati, & in nomine Filij creati, & in nomine Spiritus vim sanctificandi habentis, atque à creato Filio creati. Quocirca, & sequaces Eunomij appellabantur Anomœi, quod dicerent Filium, & Spiritum Sanctum, nullam similitudinem secundum essentiam habere ad Patrem.* Hactenùs ille.

2483 D. Epiphanio consonat THEODORETUS *lib. 4. Hæret. Fabular.* hæc, inter alia, scribens:* Eunomius Sancti Baptismatis Legem, olim à Domino, & Apostolis traditam, evertit, & apertè contrariam sanxit dicens, non oportere ter illum immergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem. *

2484 Hinc ANASTASIVS, Apostolicus Bibliothecarius, *in sua Ecclesiast. Histor. fol. 36.* hæc de Eunomio scripsit:* Impius Eunomius præsumpsit in vna mersione Baptismum celebrare, non in Trinitate, sed in morte Christi oportere baptizari, dicens. Et eos, qui in Trinitate baptizati erant, rebaptizabat.* Idque ipsum eisdem ferè verbis testatur S. THEOPHANES MARTYR.

2485 Quod preclarè confirmat S. GREGORIJ MAGNI Decretum, quod & Cataphrygas hæreticos, & illorum Baptismum nullum esse declaravit; quia isti, sicut Eunomius, & in Trinitatis Fide errabant, & in nomine Trinitatis minimè baptizabant. Vndè *lib. 9. Epist. 61. ad Episcopos Hyberos*, hæc, inter alia, scribit: *Hi verò hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Cataphrygæ, qui Spiritum Sanctum, perverso sensu, esse quemdam pravum hominem Montanum credunt, cum ad Sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptismo non fuit, quod in errore positi in Sanctæ Trinitatis nomine minimè susceperunt.* Hac de causa S. HIERONYMVS eos non adiungit illis, quos *in Dialogo contra Lucciferian* ait à Romana Ecclesia non rebaptizari.

2586 Pro maiori huius veritatis munimine, omitti non potest ratio, quàm offert D. THOMAS, ob quam Cataphrygæ ex Nicæni Concilij Pręcepto rebaptizati sunt; siquidem *3.part. quæst. 66. art. 9. ad 3.* adducit prędicti Concilij Decretum, quod sic se habet: * Siquis confugerit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis, & Cataphrygis, rebaptizari eos omninò debere.* Cumque ex hoc Decreto aliqui inferre vellent, eadem ratione alios Hæreticos esse rebaptizandos, negat Sanctus hanc consequentiam, & hanc discriminis rationem assignat; quia nempè Baptismus aliorum Hęreticorum, qui consueta Ecclesiæ forma baptizant, validus est; neutiquam verò Paulianistarum, & Cataphrygarum, eo quod isti in Trinitatis invocatione non baptizent. *Ad 3. (inquit) dicendum, quod Pauliaui, & Cataphrigæ non baptizabant in nomine Trinitatis. Vndè Gregorius dicit scribens Quirino Episcopo: Hi Hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizant, sicut sunt Bonosiani, & Cataphrygæ (qui scilicet idem sentiebant cum Paulianis: quia & illi Christum Deum non credunt, existimantes ipsum scilicet esse purum hominem; & isti scilicet Cataphrygæ, Spiritum, scilicet perverso sensu esse purum hominem, Montanum scilicet, credunt,) tales cum ad Sanctam Ecclesiam veniunt, baptizētur: Baptisma non fuit, quod in errore positi, Sanctę Trinitatis nomine minimè perceperunt. Sed sicut in Regulis Ecclesiasticis dicitur: Si qui apud illos Hęreticos baptizati sunt, qui in Sanctæ Trinitatis Confessione baptizabant, & veniunt ad Catholicam Fidem, recipiantur, vt baptizati.* Hactenùs ille.

2487 Huc egregiè facit Decretum ALEXANDRI III. vltra Trinitatis invocationem, baptizantis personam ex primi requirentis, cuius verba refert ANGE-

GELICVS DOCTOR *eadem quaest. art. 5. ad 2.* quæ sic se habent: * Si quis puerum ter in aqua immerserit *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen*; & non dixerit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen*, non est puer baptizatus. *

2488 Hùc etiam spectat quod PELAGIUS Papa *Gaudentio Episcopo* scripsit, declarans, nullum esse Baptismum illorum, qui sub invocatione Trinitatis Personarum, baptizati non fuerint; ideòque venientes ad Ecclesiam denuò esse baptizandos; cuius quidem Epistolæ meminit ANGELICVS DOCTOR *eadem quaest. art. 6.* dicens: * Pelagius Papa scribit Gaudentio Episcopo: Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorati dicuntur, se, solummodò, in nomine Domini baptizatos fuisse, confitentur, sine cuiuscumque dubitationis ambiguo, eos ad Fidem Catholicam venientes, in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.*

2489 Cuius quidem rei miram profectò rationem reddit ANGELICUS PRÆCEPTOR *eadem quaest. art. 1.* vbi docet, Baptismum esse Fidei Sacramentum, vbi primò Catholicam Fidem profitemur; cumque hęc Fidei Protestatio fieri non possit, quin Trinitatis Mysterium profiteamur: hìnc necesse est, vt in Baptismo trium Divinarum Personarum Mysterium exprimamus. Vndê *ad 1.* hæc habet: * Per Baptismum homo inchoat novam vitam Iustitię, & illuminationem, quæ pertinet specialiter ad Fidem, per quam homo spiritualem vitam accepit, secundum illud *Habacuc 2. Iustus ex Fide vivit.* Baptismus autem est quędam Fidei Protestatio, vndê dicitur Fidei Sacramentum.*

2490 Supposito ergo quod Baptismus sit Fidei Sacramentum, duplicem affert rationem, ob quam debeat in ipso exprimi trium Divinarum Personarum Fides. Prima, quia sine Trinitatis invocatione nullius efficaciæ, aut valoris esset Baptismus: vndè *art. 6. in corp.* hæc scribit: * Dicendum, quod sicut suprà dictum est, Sacramenta habent efficaciam ab institutione CHRISTI. Et ideò si prætermittatur aliquid eorum, quę CHRISTUS instituit, circa aliquod Sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam Sacramentis non alligavit. CHRISTVS autem instituit Sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideò quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi.*

2491 Secunda ratio, ob quam Personarum Trinitas exprimi debet in Baptismo, est, quia Trinitas est illius principalis causa efficiens. Innititur hæc ratio eiusdem Sancti Doctrinæ, qui *art. 5.* explicans illa CHRISTI verba *Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; hæc habet: * Dicendum, quod Baptismus per suam formam consecratur, secundum illud *Ephes. 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et Augustinus dicit *in lib. de vnico Baptismo*, quod Baptismus verbis Evangelicis consecratur. Et ideò oportet, quod in forma Baptismi exprimatur causa Baptismi: est autem eius duplex causa, vna quidem principalis, à qua virtutem habet, quæ est Sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet Minister, qui tradit exteriùs Sacramentum; & ideò oportet in forma Baptismi de vtraque fieri mentionem; Minister autem tangitur, cum dicitur: *Ego te baptizo*: causa autem principalis, cum dicitur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vndè hæc est forma conveniens Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.**

2492 Idipsum elegantèr confirmat B. ALBERTUS MAGNUS, dùm *in 4. Sent, Dist. 3. art. 2.* respondens *ad quaestiunc. 1.* in qua quęrebatur: An cum dicitur in forma: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; pronomen, *Ego*, sit de essentia formæ? hæc habet: * Aliud est forma secundum Statutum Ecclesiæ, & aliud secundum Institutionem Divinam. Secundum Statutum Ecclesiæ existens de forma, si violetur, & servetur Institutio Divina, peccat baptizans, & Ecclesia potest severiter agere in ipsum; sed baptizatus non est rebaptizandus. (Et infrà:) Sed iudicio omnium Invocatio Trinitatis est etiam de forma secundum Institutionem Divinam;* sicque hac in illa deficiente nullum redditur Sacramentum.

2493 Tandèm, pro maiori prædictæ veritatis elucidatione, omitti non potest ZACHARIÆ Pōtificis Decretum, quo nullus adstruitur Baptismus, & tamquam non Christia-

Christianus habetur, qui absque expressa Trinitatis Invocatione fuerit baptizatus, vt docetur *de Consecrat. Dist.4. cap. in Synodo.* scribẽs enim prędictus ZACHARIAS *Bonifacio Episcopo*, hæc habet: * Firmissimè præceptum est in Synodo Anglorum, vt quicumque sine Invocatione Trinitatis mersus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet; quod omninò verum est. Quod si mersus in fonte Baptismi quis fuerit sine Invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* fuerit baptizatus.*

2494 Ex dictis manifestè convincitur, Eunomianorum errorem in Constantinopolitana Synodo damnatum, sicut & Cataphrygarum, Paulianistarum, aliorumque similium hæresim non in eo stetisse, quod vnica immersione baptizarent, sed quod negarent, sub Invocatione Trinitatis fore baptizandum; cum enim tres Divinas Personas non admitterent, sed vnam solummodò agnoscerent, ideò vna tantummodò immersione baptizandum esse dicebant, vt latè suprà probavimus, quod hæresim esse ab Ecclesia damnatam, minimè dubitatur. At numquam invenietur Ecclesiam damnavisse, aut erroneum reputasse, vnica immersione cum Trinitatis Personarum Invocatione baptizare, cum nec detur Concilium aliquod, nec alicuius Summi Pontificis Decretum id improbans, nec Author Catholicus, qui de prędicto baptizandi Ritu alicuius momenti ratione ductus, tale quid asserat, sed oppositum potiùs afirmet, cum huiusmodi consuetudo vniversalem Ecclesiæ approbationem meruerit; Ecclesia enim, quæ errare non potest, vt Fidei Dogmate docemur, non modò prædictum vnicæ immersionis Ritum permisit, & toleravit; sed etiam Apostolico Decreto expresè sancivit, vt in aliquibus Latinæ Ecclesiæ partibus Fideles à trinę immersionis Ritu discederent, & licitè vnica in Baptismate, sub expressa tamen Trinitatis Invocatione vterentur, vt pleniùs innotescet ex sequenti §. in quo tertiam difficultatem discutiemus.



§. VII.

AN REPREHENSIBILES SINT Hispani, quod trinæ immersionis ritum mutarint in vnam.

2495 PRo pleniori præsentis quæstionis enodatione, supponenda est historia, ob quam scilicet causam Hispani trinam immersionem in vnam matarunt, quę sic se habuit. Estò ab Apostolorum temporibus primus fuerit Eunomius, qui trinę immersionis Ritum, ad illa vsque tempora Apostolica Traditione statutum, in Baptismate mutavit vna tantummodo vtens; nihilominùs in Hispaniarum Ecclesijs varia fuerunt super hoc Ritu suborta dissidia: in hoc enim Regno trina in Baptismate immersio, iuxta communem vniversalis Ecclesiæ Ritum, semper perstitit vsque ad Gothorum tempora, qui vtpote Arianorum erroribus infecti Apostolica Traditione, & trinę immersionis Ritu abutentes, ei venenatum suum errorem inserverunt, trinam immersionem adhibentes, vt triplicem naturam Divinam impiè, blasphemèque profiterentur. Hinc Catholici Hispani, vt suam in Fide de vnica essentia, & natura Divina in tribus Divinis Personis indivisibili, Constantiam manifestiùs ostenderent, volentes à tam aperto Arij, Gothorumque illius sequacium errrore deviare, vnica in Baptismate immersione, cum expressa tamen Trinitatis Invocatione vsi sunt; Gothis nihilominùs in trina immersione perseverantibus.

2496 Perstitit autem hæc divisio vsque ad tempus Recaredi Regis, quem Deus S. Hermenegildi, ipsius fratris, ac Martyris gloriosissimi meritis, Evangelica luce illustravit, & in Ecclesiæ sinum admisit S. Leander Hispalensis Antistes, qui tamquam acerrimus Fidei propugnator vehementèr optavit, enixèque à Rege contendit, vt Gothi à trina immersione, vtpote iam tunc Arianismi suspecta, scandalosa, & piorum oculorum ofensiva, discederent; obstiterunt nihilominùs Gothi asserentes, eam non esse Arianorum commentum, sed Apostolicum Canonem à Romana etiam Ecclesia semper observatum, ac religiosè retentum. Hispani ergo, ne in re adeo gravi, & ad animarum salutem valdè spectanti (cum Baptismus sit pri-

primus salutis fons, & origo) à veritatis tramite deviarent, ad securius Asylum, & Orthodoxarum veritatum oraculum, Romanum nempè Pontificem S. GREGORIVM MAGNVM sanctitate, & doctrina præclarum confugerunt, qui *Epist. 41. lib. 1. Epistol.* sic eis rescripsit: * De trina mersione Baptismi nihil responderi verius potest, quam quod ipsi sensistis; quia in vna Fide nihil officit Sanctę Ecclesiæ diversa consuetudo.* Manifestè docens, legitimum esse Baptismum sive trina, sive vnica immersione perficiatur, dummodò in Fide de Trinitatis Mysterio non erretur. Et quia Gothi, qui in Hispania Ariana hæresi infecti degebant, trina immersione abutebantur, vt illa Divinæ Naturę divisionem designarent, ideò eis iussit Pontifex, nè trina, sed vna immersione in posterum vterentur: vndè sic prosequitur: * Sed si nunc vsque ab Hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo.*

2497 Sed neque his acquiescentes Gothi, Hispaniam incolentes, in suo trinę immersionis Ritu adhuc nihilominus perstiterunt; è contra verò Catholici Hispani, vt ab Arianis discederent, vnica immersione à S. LEANDRO approbata, & à S. GREGORIO confirmata baptizarunt; cumque diù in Hispania huiusmodi schisma, diversusque perseverasset Ritus, vt huiusmodi dissentio penitùs extingueretur necesse fuit congregare Concilium, sicut de facto habitum est Toleti, quod fuit TOLETANUM IV. *sub Honorio I. Papa, anno 3. Pontificatus eius, regnante Lisenando Rege*, celebratumque est ab omnibus Hispaniæ, & Gallecię Episcopis *Æra* 685. teste D. BARTHOLOMÆO DE CARRANZA, Toletano Antiste *in Summa Concilior.* qui summatim referens quintum de Baptismi Sacramento Canonem, sic scribit: * In isto Canone docetur, quod in vsu Baptismi teneatur modus ille, quem Gregorius I. consultus à Leandro Episcopo Hispano definivit, scilicet, vt sive trina, sive simpla mersione fuerit infans baptizatus, censeatur baptizatus; quia in illa trina mersione triduanæ sepulturæ Sacramenta significamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, Resurrectio triduani temporis exprimitur, etiam & Trinitas designatur: in simpla verò mersione vnitas substantiæ in Trinitate datur intelligi. Nè tamen hæreticis videamur consentire, qui tertiò mergunt, dum eorum morem servamus, cautum est, nè in Hispania fiat Baptismus, nisi in vna mersione.*

2498 Hac igitur de vnica immersione apud Hispanos historia supposita. Modò videndum est, an Hispani reprehensibiles sint, vel in Fide defecerint, quod trinam immersionem reliquerint, & vnicam in Baptismate adhibuerint; & an sectoriorum promereantur censuram, tamquam ij, qui contra communem Ecclesię, & Sanctorum Patrum sensum operati sunt, quemadmodum eos notat ALCVINVS FLACCVS, vt patet ex illius verbis, quę in argumento retulimus, desumptis *ex Epist. 69.* in qua *ad Lugdunenses* scribens, sic illos alloquitur: * Novas Hispanici erroris sectas tota vobis cavete intentione; Sanctorum Patrum in finem sequimini vestigia, & vniversali Ecclesiæ Sanctissima vos adiungite vnanimitate. Tertia nobis de Hispania contra vniversalem Sanctæ Dei Ecclesię consuetudinem de Baptismo quæstio dilata est. Affirmant quidam, sub invocatione Sanctæ Trinitatis, vnam esse mersionem agendam, &c.* vt suprà retulimus. Quibus manifestè ostendit, quàm malam de Hispanis opinionem imbiberit, quòd vnicam immersionem sub Trinitatis invocatione adhibuerint.

2499 Inficiari certè non potest, Alcuinum Flaccum fuisse virum præclara eruditione, Doctrinaque insignitum, cum meruerit, & Carolo Magno Magister præfici, & S. Martini Turonensis Abbas creari, vt ex multis antiquis Historijs innotescit. Illum etiam præclarè commendat AUTHOR VITÆ CAROLI MAGNI, Monachus Sangallensis, *lib. 1. cap. 2.* sic de Alcuino loquens: * Albinus (idem ac Alcuinus) in omni latitudine Scripturarum suprà cæteros modernorum temporum exercitatus, vt puta discipulus Doctissimi Bedæ peritissimi post S. Gregorium Tractatoris.* De eodem Alcuino fit præclara mentio *in Brevi Chronico Turonensi*, his verbis: * *Anno 799.* Carolus Rex instituit Canonicos in Ecclesia B. Martini, Authoritate Adriani Papæ, eique Alcuinum Magistrum suum præfecit, qui paulòpost obijt *anno* 304. postquam immunitates suæ Ecclesiæ Rex Carolus confirmasset.* Præclaris etiam lau-

laudum prçconijs à sapientissimis Viris effertur. Sic ab AMALARIO, *Doctissimus totius Regionis* prædicatur: à S. ODILONE CLUNIACENSI, *iustus, peritus, facundissimus*, *magnus* appellatur. Eumque, cum adhuc viveret, *opere, & sermone potētē*, THEODULPHUS, Aurelianensis Episcopus, *lib.3. Carm.1.* promulgavit.

2500 Verùm non modò Doctrina, vt ex prædictis Authoribus vidimus, sed Pietate etiam, & manifestissimis Sanctitatis indicijs effulsit, adeò, vt RABBANUS MAURUS *in Martyrologio* scripserit: * Quartodecimo Kalendas Junij, Depositio Domini Alcuini.* Et *in Epist. Commentarijs in libros Regum* prçfixa: * Beatæ memoriæ Albinum Magistrum,* appellet. In Chronico Turonensi Abbreviato *ad annum 794. & 796.* Sanctus dicitur; ab HINCMARO *lib. de non trina Deitate*, Sanctus, & venerandus prædicatur; & ab ARDONE *in Vita S. Benedicti Annianensis Abbatis*, Sapientia præclarus, Sanctitate meritò venerabilis commendatur.

2501 At estò Alcuinus à prædictis Authoribus, & Martyrologijs Vir singularis Sanctitatis, & Doctrinæ proponatur; nihilominùs asserimus, illius Authoritatem insufficiētem esse ad tam acrem Censuram Hispanis imponendam, dum eos sectarios dicit, ac sine fundamento asseverat, in vnicę immersionis Ritu, communi Ecclesiæ sensui opponi, cum nulla detur Authoritas, qua prædictus vnicæ immersionis sub invocatione Trinitatis Ritus, aut erroris, aut hæresis convincatur, nullumque afferat Concilium *in prædicta Epistola* Alcuinus, nec Ecclesiæ Definitionem contra prædictam Hispanorum consuetudinem, nec Pontificem aliquem, qui præfatam vnicam immersionem reprobarit. Et quidem non modò Alcuini tempore, sed nec subsequentibus sęculis vmquam invenietur prędictum Hispanorum Ritum esse ab Ecclesia reprobatum, sicque indigni censendi sunt Hispani Censura, qua illos ob vnicam immersionem notat Alcuinus, vt ex sequentibus rationibus innotescet.

(✠)(§)(§)(§)(✠)(§)(§)(§)(✠)
(✠)(§)(✠)(§)(✠)
(§)(✠)(§)

§. VIII.

VNICA IMMERSIO, QVA Hispani sub Trinitatis Invocatione in Baptismate vtuntur, ab omni Censura in materia Fidei est prorsus immunis, atque ab omni errore libera.

2502 PRimò: quia nemo Romanæ Ecclesiæ sensui adhęrens, & Apostolicæ Sedis Cynosuram sequens, potest in errorum scopulos impingere; Apostolicæ etenim Sedi promissum est insigne illud in rebus Fidei, & morum non errandi Privilegium, vt ex Scriptura, Concilijs, Patribus, maiorisque in Ecclesia existimationis Sanctis, toto primo libro probavimus; adeò vt ad tutissimum in rebus Fidei, & morum tramitem tenendum, securissimumque in Ecclesiasticis controversijs asylum inveniendum, nec in schismata, erroresvè incidendum, nihil possit aptiùs excogitari, quàm Ecclesiæ Romanæ sensum, & Sententiam firmitèr amplecti, vt rectè notavit idem ALCUINUS FLACCUS *prædicta Epist.69.* sic loquens: * Nemo Catholicus contra Ecclesiæ Authoritatem, nemo sobrius contra rationalem consuetudinem, nemo fidelis contra Pietatis intelligentiam certare audeat, & nè schismaticus inveniatur, & non Catholicus, sequatur probabilissimam Romanæ Ecclesię Authoritatem, vt vndè Catholicæ Fidei initia accepimus, indè exemplaria salutis nostræ semper habeamus.*

2503 Atqui Hispaniarum Ecclesiæ, dum à trinæ immersionis Ritu discesserunt, & vnicam in Baptismate adhibuerunt, Romanę Ecclesiæ sensum, & Sententiam sequutæ sunt, vt constat *ex cap. de Trina 30. de Consec. Dist. 4.* & *ex Concilio Toletano IV. Can.5.* ac tandèm ex apertissimis S. GREGORIJ MAGNI verbis, qui S. Leandro ipsum consulenti de vnica immersione, qua Hispani ob iustissimas, & Fidei bono congruentissimas causas vtebantur, hæc rescripsit: * De trina immersione Baptismatis nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in vna Fide nihil officit Sanctę Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertiò mergimus triduanæ Sepulturæ Sacramenta signamus, vt dum-

tertiò infans ab aquis educitur Resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod siquis fortè etiam pro Summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquas mergere: quia dum in tribus subsistentijs vna substantia est, reprehensibile esse nullatenùs potest, infantem in aquam vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in vna potest Diuinitatis singularitas designari, sed si nunc usque ab Hæreticis infans tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo, nè dum mersiones numerant, Diuinitatem diuidant, dùmque quod faciebant faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur.* Hactenùs ille.

2504 Ex quibus manifestè innotescit Hispanos, in vnicæ immersionis Ritu, à mente, & sensu Romanæ Ecclesiæ, Summique Pontificis, qui ex Cathedra definivit, Baptismum sub vnica immersione licitum esse, Catholicæque Doctrinæ consonum, quapropter & ipsis præcepit, vt prædictum Ritum tenerent, nullatenùs discessisse, sed ei potiùs humilitèr subscripsisse; sicque illos non reprehensibiles, sed laudandos potiùs videri, cum Apostolicæ Sedis præscripto paruerint, quæ, vt idem censet Alcuinus, est prima norma, ac Regula, qua dirigi debent Catholici, nè in errorum barathrum prolabantur.

2505 Nec obstat, si dicas, prædictam Epistolam esse suspectæ fidei, cum de illa dubitet ALCUINUS *Epist. 70.* hæc scribens: * Epistolam verò, quam à B. Gregorio de simpla mersione dicunt esse conscriptam, in Epistolari suo libro, qui de Roma nobis allatus est, non invenimus. Aliàs verò omnes perspeximus in eo libro, quas ad Occidentalium partium Ecclesias, Pontifices, vel Reges scripserat. Ideò dubij sumus, an illius sit, an ab aliquo huius sectæ Authore, sub eius nomine, scripta sit.*

2506 Quàm infirmi roboris sit huiusmodi argumentum, ex eo manifestè dignoscitur, quod sit purè negativum, cuius inefficaciam haud semel hoc eodem libro ostendimus. Nec mirum quod in B. Gregorij Epistolari libro, quem Roma Gallias allatum legerat Alcuinus, hæc inter alias Sancti Pontificis non inveniretur Epistolas: primò, quia certum non est, vel ad minus non constat, omnes S. Gregorij Epistolas in prædicto libro fuisse conscriptas: secundò, quia prædicti libri transcriptor facilè potuit prædictam Epistolam omittere, quia rem continebat non ad Gallos, sed ad Hispanos pertinentem, ideòque eam, quia Gallis non necessariam iudicavit, vel incuria, vel molestia præterivit.

2507 Et certè prædictam Epistolam legitimam esse, manifestè convincitur; estò enim Author libri Epistolarum, quem Alcuinus vidit, illam præterierit, eam tamen non omisit alius non inferioris Doctrinæ Author, GRATIANUS scilicet, qui *ex ea cap. 30. de Consecrat. Dist.* 4. efformavit. Et quamvis Decretum eruditissimos Correctores habuerit, Viros summa Authoritate, eruditioneque præditos, vtpotè huic operi ab Apostolica Sede præfectos, vt quidquid in Decreto emendandum videretur, ad vnguem castigarent, ac perpolirent; ipsi tamen in hoc Canone ex prædicta Epistola desumpto, nihil nota, animadversionevè dignum repererunt, nec præfatam Epistolam S. Gregorij legitimam non esse, annotarunt; quod illam genuinam esse, ac legitimum tanti Pontificis fętum, haud levitèr ostendit.

2508 Verùm estò pro prædictæ Epistolæ certitudine nihil horum subsisteret, de ea tamen dubitari non patitur TOLETANUM CONCILIUM IV. ab omnibus Hispaniæ, & Gallœciæ Episcopis celebratum, cui præfuit Sanctus Isidorus, Hispalensis Antistes, extatque *in Novissima Conciliorum editione Parisiensi Tom. 5.* cuius hęc sunt verba: * De Baptismi autem Sacramento, propter quod in Hispanijs quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonullis schisma esse conspicitur, & vnitas Fidei scindi videtur. Nam dum partes diversæ in baptizandis quasi contrario modo agunt, alij alios non baptizatos esse contendunt. Proindè quid à nobis Sacramenti diversitate faciendum sit Apostolicæ Sedis informemur Præceptis, non nostram sed Paternam instructionem sequentes. Beatæ ergo memoriæ Gregorius, Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solum partes Italię illustravit, sed & longè existentes Ecclesias sua Doctrina perdocuit, efflagitante Leandro Episcopo de hac Hispanię diversitate, quid potiùs esset sequendum,

dum, inter cætera scribens ei, sic ait: De trina verò mersione, &c.* Refertque S. GREGORIJ verba suprà sæpiùs iterata.

2509 Quibus relatis, sic prosequitur Concilium: * Quapropter quia de vtroque Sacramento quod fit in Sancto Baptismo, à tanto viro reddita est ratio, quod vtrumque rectum, vtrumque irreprehensibile in Sancta Dei Ecclesia habeatur: propter vitandum autem schismaris scandalum, vel hæretici Dogmatis vsum, simplam teneamus Baptismi mersionem, nè videantur apud nos qui tertiò mergant, hæreticorum approbare Assertionem, dum sequuntur & morem.* Addit etiam Concilium rationes congruas, cur vna mersio fieri possit: * Quia nimirum vnica mersio, & emersio significant vnam ad infernum CHRISTI Descensionem, & Resurrectionem: item Vnitatem Divinitatis. Dum tamen additur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; Trinitas Personarum exprimitur. Figuræ quoque Baptismi hanc Vnitatem patefaciunt. Nam Populus Dei per mare rubrum, quod Baptismum significat, semel transijt, præcedente Sanctissima Trinitate in igne, Columba, & Nube. Idem Populus Dei cum Arca ad terram Promissionis properans, fluenta Jordanis semel traiecit.*

2510 Idipsum testatur VVALAFRIDUS STRABO *de Reb. Ecclesiast. cap. 26.* sic scribens: * Alij trinam immersionem volunt in similitudinem triduanæ Sepulturę. Alij vnam propter Divinitatis Vnitatem contendunt, vt in Concilio Toletano plenissimè habetur: vbi etiam commemoratur, quod B. Gregorius interroganti super hoc Leandro, inter cætera ita responderit: Quia in vna Fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa, &c.*

2511 Nec desunt alij locupletissimi testes, omni exceptione maiores, qui prędictam Epistolam à B. Gregorio conscriptam affirment; vt S. ISIDORUS HISPALENSIS, qui *lib. de Viris Illustr. cap. 40.* de S. Gregorio Magno hæc habet: * Scripsit etiam & quasdam Epistolas ad prædictum Leandrum, è quibus vna in eisdem libris Job titulo Prefationis annectitur: altera eloquitur de mersione Baptismatis, in qua inter cætera ita scriptum est: Reprehensibile, inquit, esse nullatenùs potest, infantem in Baptismate mergere, vel semel, vel ter, &c.*

2512 B. ALBERTUS MAGNUS *in 4. Sent. Dist. 3. de Baptismo*, refert textum Magistri Sententiarum, sic loquentis: * De immersione verò si quæritur, quomodo fieri debeat, respondemus, vel semel, vel ter pro vario more Ecclesię. Vndè B. Gregorius *Epist. 41. ad Leandrum*, de trina immersione Baptismi nihil veriús responderi potest, quam quod vos ipsi sensistis, &c.*

2513 Sed de hac B. Gregorij Epistola clariùs loquitur ANGELICUS DOCTOR *3. part. quæst. 66. art. 8.* vbi hæc habet: * Sed contra est; quod Gregorius dicit, scribens Leandro Episcopo: Reprehensibile esse nullatenùs potest, infantem in Baptismo, vel tertiò, vel semel immergere.* Et *in corp. art.* meminit de Concilio Toletano, & vnica immersione in ipso decreta, approbatque causam, quæ ad eam decernendam prædicti Concilij Patres permoti sunt; cuius verba infrà adducemus.

2514 Cardinalis BARONIUS *in Martyrologio die 27. Februarij*, loquens de S. Leandro, tradit illum fuisse B. Gregorio arctissimo amicitiæ nodo coniunctum. * S. Gregorius de eo sæpius, vt qui vsus est eo familiarissimè ante etiam quam Pontifex esset, prout declarat *in Præfat. Moral.* De eodem insuper *lib. 3. Dialog. cap. 31.** Et loquens de Epistola, quam B. Gregorius S. Leandro scripsit, hæc subdit: * Extant præterea eius Epistolæ ad eum scriptæ *in Registro lib. 1. Epist. 41.** (de qua Alcuinus dubitat, nosque loquimur.)

2515 Eiusdem etiam Epistolæ mentionem facit Cardinalis BELLARMINUS *de Sacrament. Baptism. lib. 1. cap. 26.* hæc scribens: * Observandum est autem Arianos abuti cœpisse hac cæremonia (scilicet trina mersione) vt Gregorius scribit *lib. 1. Epist. 41. ad Leandrum.** Meminit etiam de Toletano Concilio, subdens: * Quare tunc Gregorio visum est, vt in Hispania vna mersione fieret; & idem paulò post confirmavit Concilium Toletanum IV. *cap. 5.**

2516 De hac etiam D. Gregorij ad Leandrum Epistola meminit PETRUS ARCUDIUS *de Baptism. cap. 9.* dicens: * Ariani (vt testatur Gregorius Magnus

lib.1. Epist.41. ad Leandrum) ad significandas tres naturas trium Personarum, trina mersione abuti cœperunt. Vndè Gregorius, &c.* At CHRISTIANVS LVPVS, singularis Ecclesiasticæ eruditionis Vir *Tom.3. Dissert. de S. Leonis 9. Actis, in calumnia. 12. contra Latinos* satisfaciens calumniç, quam ob vnicam immersionem Hispanis adscribit Alcuinus, præcipuè dum B. Gregorij Magni Epistolam, prædictæ vnicæ immersioni patrocinantem, in spuriç, supposititicque suspicionem devocat, hæc pro re nostra aptissima, scribit: * Interim B. etiam Alcuinus, dum Magni Gregorij ad istum litteras devocat, in spuriæ suppositionis suspicionem, graviter excedit; ipsas enim laudat, non solum IV. Toletana Synodus, sed etiam Illustrium Virorum Cathalogo oculatus ipsarum testis S. Isidorus: Gregorius Papa scripsit quasdam Epistolas ad Leandrum Episcopum, è quibus vna eloquitur de emersione Baptismatis, & adducit ipsius capitalia verba. Plura eiusdem, quem *Excellentissimum Doctorem* vocat, Pontificis scripta laudat, *in suo etiam Cathalogo* S. Ildephonsus, Toletanus Archiepiscopus, & addit: Exceptis Opusculis, de quibus Isidorus mentionem facit, & in publicata per Lucam Dacherium Epistola ad ipsum Magnum Gregorium scribit suprà laudatus Carthaginensis Episcopus Lucianus: *Scripsit Leandro Episcopo de trina tinctione.* Quo circa (concludit Lupus) de legitimis istius Epistolæ natalibus non est dubitandum.*

2517 Nec pro maiori huius veritatis munimine omitti potest quod scribit ALEXANDER NATALIS *Sæc. 8. art.7.* de B. Alcuino, & S. Paulino Aquileiensi, ægrè ferens suspectæ fidei censuram, qua prędictam D. Gregorij ad S. Leandrum Epistolam notat Alcuinus, sic enim scribit: * Non probandum, quod *Epist. 69. & 70.* scribit Alcuinus contra simplicem immersionem, ab Hispanis in Baptismo vsurpatam, quibus immeritò vitio vertit, quod Responso S. Gregorij, & Toletanæ Synodi IV. Doctrinę constanter adhęrerent. Epistolam verò S. Gregorij ad Leandrum ea de re datam, quę est 41. *lib.1.* perperam abiudicat Sancto Pontifici mutili Codicis, Roma allati, lectione deceptus. Et refellitur testimonijs S. Isidori *lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap. 27.* Concilij Toletani IV. *Can.6.* & Ioannis Diaconi *in Vita Sancti Gregorij Magni lib.1. cap.42.**

2518 Eamdē S. Gregorij *ad S. Leandrū Epist.* pro trina, vel vna mersione licitè in Baptismate adhibenda adducit IODOCVS COCCIUS *Tom. 2. Thesaur. Fidei, lib. 5. art.16.* prout ibi videri licet.

2519 Ex his tantæ Fidei, Authoritatisque testimonijs manifestè convincitur, prædictam D. Gregorij ad S. Leandrum Epistolam, qua prædictus Pontifex Ritum baptizandi sub vnica immersione approbat, legitimam, & genuinam esse. Vndè apertè colligitur, haûd leviter deceptum fuisse Alcuinum dum prædictam S. Gregorij Epistolam suppositītiam dixit, Ritumque ab Ecclesia approbatum improbavit, ac Hispanis in his, in quibus ipsi Apostolico Romanę Ecclesię Præcepto obsequentissimi fuere, sectariorum notam inussit: si enim in hoc sectarij fuissent Hispani, eamdem proculdubio notam subijssent omnia Christiani Orbis regna, quæ Apostolicæ Sedis præceptis famulantur.

2520 Secundò probatur, quia quamvis Hispani à trinæ immersionis Ritu Apostolica Traditione, & consuetudine vniversaliter in Ecclesia recepto, discesserint, non ideo in materia Fidei nota aliqua digni effecti sunt; multæ quippè in Baptismi Ritibus Traditiones, & consuetudines vniversalitèr fuerunt in Ecclesia receptæ, à quibus tamen Fideles, absque Fidei præiudicio discessisse noscuntur, vt in prima huius argumenti difficultate probavimus, alijsque Traditionibus, quia ad rem nostram præclarè faciunt, nunc confirmandum aggredimur.

2521 Primò: Apostolorum tempore nullus erat Baptismo præfixus dies, vt patet in ipsis nascentis Ecclesiæ primordijs, pręcipuè cum S. PHILIPPVS Eunuchum Candacis Æthiopum Reginæ, de quo *Actor. 8.* lustrali perfudit aqua: vbi enim aquam in itinere invenit, illico baptizavit: *Et iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* PAULVS etiam *Actor.9.* illicò, ac singulari Dei beneficio, ac Providentia, corpore, & mente illuminatus, & à superbiæ è quo deturbatus, suos cognovit errores, ab Anania salutaribus vndis immersus est: *Et confestim* (inquit SACER TEXTVS) *ceciderunt ab oculis eius tamquam squamæ, &*

& visum recepit, & surgens baptizatus est. Similitèr *Actor. 16.* refertur Lidiam Purpurariam, simulatque Apostolica D. Pauli doctrina illuminata fuit, sacro fuisse fonte lustratam. *Cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo. Cum autem baptizata esset, & domus eius, deprecata est dicens: Si iudicastis me Fidelem Domino esse, introite in Domū meam, & manete.* Ex his ergo, quæ Apostolorum tempore evenerunt, manifestê dignoscitur, nullum tempus, nullumque diem fuisse tunc Baptismo præfixum; sed eum ministratum fuisse vbicumque occasio, & oportunitas exposcebant.

2522 Quod præclarê testatur S.AMBROSIVS, qui *in cap. 4. Epist. ad Ephes.* quasi hanc consuetudinem explicaret, hęc scribit: * Postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt cōstitutę, & Officia ordinata, aliter cūposita res est, quàm cęperat. Primū enim omnes baptizabant, quibuscūque diebus, vel temporibus fuisset occasio: neque enim Philippus tempus quæsivit, aut diem, quo Eunuchum baptizaret, nequè ieiunium interposuit; neque Paulus, & Silas tempus distulerunt, quo optionem carceris baptizarent cum omnibus eius; neque Petrus Diaconos habuit, aut diem quæsivit, quando Cornelium cum omni domo eius baptizavit.* Ex hac D.Ambrosij Authoritate apertè colligitur, primis illis Christianæ Religionis sæculis, ab Apostolorum temporibus, hanc consuetudinem, & Traditionem invaluisse, vt quotiescumquę, & vbicumque sese offerret occasio, administraretur Baptismus, quin aliquis illi pręscriberetur dies.

2523 Nihilominus tamen ab hac Apostolica Traditione discessit Ecclesia rectiùs arbitrans ob iustas, & gravissimas causas, certum aliquem diem constituere, quo, & non alio, solemnitèr administraretur Baptismus, vt ex Summis Pontificibus, Patribus, & Concilijs manifestè patescit. Sic VICTOR Pontifex *Epist. 2. ad Theophilum, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum*, præcipit, vt in Dominica Paschatis solemniter celebretur Baptismus: * Celebritatem (inquit) Sancti Paschę, die Dominica agi debere, & Prædecessores nostri iam statuerunt, & nos illud vobis eadem celebrari solemniter mandamus. A quartadecima verò luna primi mensis, vsque ad vigesimum primum eiusdem mensis diem, eadem celebretur Festivitas. Eodem verò Baptismus celebrandus est Catholicus.*

2524 Hanc eamdem Sanctissimam dispositionem pręclarè testatur TERTULLIANUS dum *lib. de Baptis. cap. 19.* postquam varias Cæremonias, antiquosque de Baptismatis tempore Ritus recensuit, hæc subdit: * Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat, cum & Passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est.*

2525 SYRICIVS autem Pontifex vehementèr exoptans, vt Sanctissimus iste in Ecclesia stabiliretur Ritus, gravitèr increpat eos, qui non ita solemni Paschatis die, sed vel Nativitatis, vel Epiphaniæ, aut in Apostolorum, Martyrum, &c. natalitijs baptizabant; vt patet *ex ipsius Epist. 1. ad Himer. Tarroconen. cap. 2.* vbi hæc, inter alia, scribit: * Sequitur de diversis baptizandorum temporibus, prout vnicuique libitum fuerit improbabilis, & emendanda confusio, quæ à nostris Consacerdotibus, non ratione Authoritatis alicuius, sed sola temeritate præsumitur, vt passim, ac liberê Natalitijs CHRISTI, seu Apparitionis, necnon & Apostolorum, seu Martyrum Festivitatibus innumerę plebes Baptismi Sacramentum consequantur; cum hoc sibi Privilegium, & apud nos, & apud omnes Ecclesias Dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat; quibus *solis* per annum *diebus* ad Fidem confluentibus, generalia Baptismatis tradi convenit Sacramenta, his dumtaxat electis, qui ante Quadragesimam, vel eo amplius dies nomen dederint.*

2526 Sanctissimę huius dispositionis rationem reddit S. BASILIVS *lib. de Exhort. ad Baptis.* vbi Baptismum procrastinantes ita alloquitur: * Quod tempus Baptismo magis cognatum est, quàm Paschatis dies? quòd ea lux Resurrectionis monumentum quoddam existat. Baptismi namque ad Resurrectionem facultas, arraboque est Resurrectionis. Ergo gratiam in die Resurrectionis accipiamus.*

2527 De hac eadem consuetudine meminit S. AMBROSIUS *lib. de Elia, & Ieiun. cap. 10.* vbi agens de Ieiunio, Quadragesimale Paschatis, & Mysterij Baptismatis diem præcedenti: * Quadraginta (inquit) totis præter Sabbatum ieiunatur diebus. Hoc Ieiunium Domini Pas-

Pascha concludit. Venit iam dies Resurrectionis, baptizantur electi.* Et *serm.61. de Pentecost.* populum ad spirituale gaudium, religiosamque alacritatem adhortans, huius lętitiæ causam his verbis reddit: * Lætemur in hac sacra die, sicut in Pascha lætati sumus; est enim in vtraque similis, eademque solemnitas; in Pascha enim, omnes gentes baptizari solēt; in Pentecoste, Apostoli baptizati sunt, &c.* Et *Tract. de Exhor. ad Virgin.* huius consuetudinis adeo expressè meminit, vt nihil luculentiùs desiderari possit. * Venit (inquit) Paschæ dies, in toto Orbe Baptismi Sacramenta celebrantur.*

1528 Eumdem hunc Sacri Baptismi in solemni Paschatis die celebrandi morem expressè commemorat S. HIERONYMUS *Epist.61.* & expressiùs adhuc S. AUGUSTINUS, qui *lib.22. de Civit. Dei, cap.8.* mirabilem refert eventum de quadam nobili Matrona, quæ in Baptisterio à gravissimo morbo miraculosè sanata est. Iam eius verba audiamus: *In eadē Carthagine Innocentia, Religiosissima fœmina de Primarijs ipsius Civitatis, in mammilla cancrum habebat. Admonetur in somnis appropinquante Pascha, vt in parte fœminarum observanti ad Baptisterium, quęcumque illi baptizata primitùs occurrisset, eumdem locum signo CHRISTI signaret: fecit, & confestim sanitas sequuta est.*

2529 Verùm non modò verbis, sed opere etiam, sanctam hanc baptizandi in solemni Paschatis die consuetudinem ipse Augustinus confirmavit; nam vt refert eius Discipulus POSSIDONIUS *in eius Vita*, Augustinus post suam Conversionem, in solemni Paschatis die, lustrali perfusus est aqua: * Proficiendi (inquit) in Religione eidem amoris ardor tantus innatus est, vt propinquantibus diebus Sanctis Paschæ salutis aquam perciperet.*

2530 Neque præfatam consuetudinem silentiò præterivit S. LEO Papa I. *Epist. 4. ad Siciliæ Episcop.* quibus scripsit graviter arguens, quod in illo Regno Sacri Baptismatis, non in Paschate, sed in Epiphania celebrandi Ritus irrepserit: * Cum mihi, de Charitatis vestrę actibus fraterna affectione sollicito, certis indicijs innotuerit, vos in eo, quod inter Sacramenta Ecclesię principale est, ab Apostolicæ Institutionis consuetudine discrepare, ita vt Baptismi Sacramentum numerosiùs in die Epiphanię, quàm Paschali tempore celebretis, miror vos, vel Prædecessores vestros tam irrationabilem novitatem vsurpare voluisse, vt confuso temporis vtriusque Mysterio, nullam esse differentiam crederetis inter diem, quo adoratus est CHRISTUS à Magis, & diem, quo resurrexit à mortuis.*

2531 Idem Sanctissimus Pontifex in Campaniæ, Samnij, & Piceni Episcopos Apostolico Zelo actus, ipsis depositionis pœnam indixit, quod omissa Ecclesiæ consuetudine, Sanctum Baptismatis Sacramentum in Paschate celebrandi, illud, in Apostolorum, & Martyrum Natalibus ab Ecclesia non designatis, administrarent: vndè sic eos alloquitur: * Magna indignatione commoveor, & multo dolore contristor, quòd quosdam è vobis ita comperi esse Apostolicæ Traditionis oblitos & studio sui erroris intentos, vt præter Paschæ Festum, cui sola Pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humanæ infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati arbitrij libertate, ius Baptismatis vindicare, & in Natalibus Martyrum, quorum finis aliter honorandus est, quàm dies Dominicæ Resurrectionis, regenerationis celebrare Mysteria. Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum, qui hæc faciunt, protestamur, vt ab hac præsumptione cessetur; & summam hanc, potissimamque Dei gratiam, non nisi in Paschali Festivitate, & Pentecostes die desiderantibus, & credentibus conferatis.* Hactenùs ille. Cuius vestigijs PASCHASIUS Episcopus insistens, *Epist. ad eumdem Leonem*, quæ habetur *Tom.1. Concilior. General.* quæ est 62. ipsius, eamdem consuetudinem insigni miraculo declarat.

2532 Pro hac eadem consuetudine notatu dignus est GERVNDENSIS CONCILII *Canon* 4. prohibens, ne quis, nisi in Paschatis, & Pentecostes diebus ab Ecclesia statutis, baptizetur: * De Cathecumenis (inquit) baptizandis id statutum est, vt in Paschæ solemnitate, vel Pentecostes, quantò maioris celebritatis celebritas maior est, tantò magis ad baptizandum veniant: cæteris solemnitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari, quibus quocumque tempore Baptismum convenit non negari.*

2533 Hùc præclarè facit, quod scribit

bit S. GREGORIVS TVRONENSIS, *lib.5.Histor.Francor.cap.11.* cum de Iudæis, ab Avito Episcopo baptizatis sermonem instituens, ipsorum Fidei Christianæ amplectendæ studium, & Beati Pontificis animum divina suavitate liquescentem, his gravissimis laudibus ornat: * Illi autem diù æstuantes, atque dubitantes, tertia die, vt credo, obtentu Pontificis coniuncti in vnum, ad eũ mandata remittunt, dicentes: credimus IESVM Filium Dei vivi, nobis Prophetarum vocibus repromissum; & ideo petimus, vt abluamur Baptismo, ne in hoc delicto permaneamus. Gavisus autem nuntio Pontifex, nocte Sacra Pentecostes vigilijs celebratis ad Baptisterium foras muraneum egressus est; ibique omnis multitudo coram eo prostrata, Baptismum flagitavit.*

2534 Idem Sanctus *lib. 6. cap. 27.* Chilpericum Regem commemorat, cum Parisios ad Paschalem solemnitatem celebrandam adijsset, sollicitè curasse, vt suus filius in sacra illa solemnitate lustralibus perfunderetur vndis, vt in vitam renasceretur æternam: * Chilpericus Rex pridiè quam Pascha celebraretur, Parisios adijt, & vt maledicto, quod in pactione sua, & fratrum suorum conscriptum erat, vt nullus eorum Parisios sine alterius voluntate ingrederetur, carere posset, reliquijs Sanctorum multorum pręcedentibus, Vrbem ingressus est: diesque Paschę cum multa iucunditate tenuit, filiumque suum Baptismo tradidit, quem Ragnemodus, ipsius Vrbis Sacerdos, de lavacro Sacro suscepit, ipsumque *Theodoricum* vocitari præcepit.*

2535 Nec pro hac eadem consuetudine omitti potest, quod scribit PALLADIUS *in vita S. Ioannis Chrysostomi*, vbi diras Hæreticorum afflictiones recensens, hęc habet: * Ioannis nempè Presbyteri, quibus Dei aderat timor, in publico lavacro, quod *Constantinum* appellatur, coactis Populis, vigilias inchoarunt, partim Divina eloquia legentes, partim eos, qui instructi erant in Fide, baptizantes, vt est moris in Pascha.*

2536 Adeò autem in Vniversali Ecclesia prædictus mos invaluerat, vt ANTISIODORENSE CONCILIUM Baptismum alio, quàm Paschatis die, ministrari, gravissimis pœnis prohibuerit; siquidem *cap.* 18. sic constitutum habetur: * Non licet, absque Paschæ solemnitate, vllo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos *Grabbatarios* vocant; quod siquis in alio pago, contumacia faciente, post interdictum hoc infantes suos ad Baptismum detulerit, in Ecclesias nostras non recipiatur: & quicumque Presbyter, ipsos extra nostrum permissum, recipere præsumpserit, tribus mensibus à Communione Ecclesiæ sequestratus sit.*

2537 Quod confirmat TOLETANUM CONCILIUM XII. *cap.* 2. sic statuens: * Licet initio Quadragesimæ, baptizandi generalitèr claudatur Mysterium; tamen, sicut Ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, necesse est, vt ostia Baptisterij in eodem die Pontificali manu annulo assignata claudantur, & vsque in Cœnæ Domini Solemnitatem nullatenus reserentur, ob id videlicet, vt per signaculum Pontificum (excepto gravissimæ necessitatis obventu) in his diebus monstretur, per totum Orbem non licere fieri Baptismum, & sanctificationem. Iterum Episcopali ad eum observatione reserata signetur, Dominicę patere Mysterium Resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus homini; vt quia per Baptismum consepultus est in morte CHRISTI, resurgat cum eo in gloria Dei.*

2538 Id ipsum clarius illustrat GREGORII II. Decretum, quo districtè præcipitur, vt non nisi in Paschatis, & Pentecostes Solemnitate administretur Baptismus; *Epist. enim 3. ad Vniversum Turingiæ Clerum, & plebem* expressè tradit, se Bonifacio Episcopo iniunxisse, nè in alio tempore præter Paschatis, & Pentecostes solemnitatem celebrandi Baptismi facultatem sibi vendicaret. * Fratrem iam (inquit) & Coepiscopum nostrum Bonifacium vobis ordinavimus Sacerdotem; cui dedimus in mandatis, nè vmquam Ordinationes præsumat illicitas; Sacrosancti autem Baptismi Sacramentum, non nisi in Paschali Festivitate, & Pentecostes noveris esse præbendum.*

2539 Sed nec silentio præteri potest solemnis Baptismus, qui Romæ celebratus traditur, cum Pipinum, Caroli Magni filium, ADRIANUS Pontifex proprijs manibus baptizavit, vt *ex Rheginone Prumiensi habetur in Chronico ad annum* 781. his verbis: * Carolus, iter pergens celebravit Pascha Romæ, & ibi baptizatus est filius eius Pipinus ab Adriano Papa,

Papa, qui & ipse eum de Sacro fonte suscepit.*

2540 Eumdem Ritum apertè tradit PARISIENSE CONCILIUM II. vbi sapienter cautum habetur, nè quis Baptismi, vel Confirmationis Sacramentum alio, quàm Paschatis, aut Pentecostes tempore celebrare presumat; sic enim habet: * Sicut autem duobus temporibus, Paschate videlicet, & Pentecoste Baptismus, sic etiam Traditio Sancti Spiritus per impositionem manuum, Fidelibus tradatur, exceptis videlicet, vt dictum est, infirmis, & morte periclitantibus, quibus sicut Baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter Donum Sancti Spiritus est tradendum.*

2541 Luculentissimum huius Ritus, & Apostolicæ Traditionis testimonium nobis suppeditat præclarus ille Moguntinus Antistes, RABBANVS MAVRVS, antiquitate celebris, qui *lib. 2. de Instit. Cleric. cap. 32.* latè demonstrat, estò CHRISTVS salutis nostræ Author, Apparitionis die baptizatus fuerit, in Paschate tamen, vel Pentecoste Baptismum ritè celebrari; & quamvis multas huiusmodi Ritus congruentias afferat, hic tamen eas tantummodò adducemus, quæ antiquæ huius Ritus consuetudini, & Apostolicæ Traditioni magis videntur congruere; sic scribit: * Illud tamen sciendum, quod licet ea die Baptismus CHRISTI à Ioanne fieri credatur; vniversale tamen Baptisma celebrari in ea, Canonica contradicit Authoritas. Paschæ ergo tempus tantummodò, & Pentecostes ad hoc ab Apostolis, & Apostolicis Viris Decretum, Romana custodit Ecclesia; quę videlicet duo tempora ad hoc oportuna esse, CHRISTI Domini Nostri à mortuis Resurrectio, & Spiritus Sancti super Primitivam Ecclesiam declarat Adventus.*

2542 Et *cap. 38.* agens de Sabbato Sancto Paschæ, pro hac eadem antiquissima Ecclesię consuetudine affert S. LEONIS Papæ Authoritatem, sic scribens: * Quicumque autem scire desiderat, quanta Authoritate, & ratione Baptismus istius temporis nobis commendatur, legat Decreta S. Leonis Papę, & inveniet.*

2543 Quod confirmat MOGUNTINUM CONCILIUM, cui pręfuit ipse Rabbanus, nam *cap. 3.* Baptismi tempus ostendens, de solo Paschate, & Pentecoste mentionem facit; & *cap. 5.* hæc habet: * Hęc duo tempora, id est, Pascha, & Pentecostes, ad baptizandum à Romano Pontifice legitima sunt præfixa.*

2544 Tandèm silentio pręteriri non potest TRIBURIENSIS SYNODUS *cap. 12.* vbi hęc leguntur: * Sacrosanctum Baptismi Mysterium sciant omnes in CHRISTO regenerandi, non nisi præfixis, & legitimis in anno celebrari temporibus, cum hoc sibi Privilegium (vt *in Epist. Syricij Papæ* legitur, *cap. 2.*) & apud nos, & apud omnes Ecclesias specialiter cum Pentecoste sua, Dominicum Pascha defendat; in quo (vt legitur *in Epist. Leonis Papæ, cap. 9.*) orta est virtus muneris, & species actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimum valet quod ipse Dominus IESUS CHRISTUS postquam resurrexit à mortuis Discipulis suis formam, & Potestatem tradidit baptizandi, dicens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* De quo vtique ante Passionem potuisset eos instruere, nisi proprię voluisset demonstrare regenerationis gratiam ex sua Resurrectione cœpisse. Additur sanè huic observantię, etiam Pentecostes, ex Adventu Sancti Spiritus, Sacra solemnitas, quę de Paschalis Festi pendet articulo.*

2545 Verùm estò ex tot Authoritatibus manifestè innotescat antiqua illa Ecclesię consuetudo, & Apostolica Traditio Sacrum Baptismi Sacramentum solummodò in præfixis, ac constitutis Resurrectionis, & Pentecostes diebus solemniter celebrandi, quæ quidem consuetudo vsque ad Caroli Magni, Ludovici Pij, istiusque filij Lotharij, tempora inviolabiliter in vniversali Ecclesia observata permansit, vt patet ex prædictorum Principum Legibus ab Ansegiso collectis; quod & multi, ijque Gravissimi Scriptores, vt ALBINVS, sive ALCVINVS FLACCVS, VVALAFRIDVS STRABO, RABBANVS MAVRVS, & CONCILIJ TRIBVRIENSIS PATRES locis suprà adductis manifestè testantur; at post prædictos Authores vix aliquis invenietur, qui de Baptismi in Paschate, aut Pentecoste celebrandi Ritu mentionem faciat, quod non leviter suadet, prædictum morem, & Traditionem estò Apostolicam ab illis temporibus iam aboleri, oblitterarique cœpisse, sicut ipsa experientia

tia

tia docet, multis retrò sæculis contrarium à Fidelibus observari, redeunte Ecclesia ad pristinum illum morem, quovis anni tempore, & die liberè baptizandi; quin Baptismo nunc aliquis præscribatur dies, nisi ille, quem vel necessitas, vel oportunitas exposcit.

2546 Quæ quidem consuetudinis immutatio non sine gravi, vrgentique fundamento in Ecclesia videtur inducta: vna siquidem è præcipuis causis, quibus perpensis Ecclesia antiquam illam consuetudinem, ac Traditionem Baptismo duos illos Paschatis, & Pentecostes dies præscribendi, reliquit, & ad antiquiorem ministrandi quolibet die Baptismi libertatem rediјt, fuit ingens æternæ salutis periculum, quod plerique subibant: multi enim, dùm tempus Baptismo præfixum prestolabantur, sine illo cogebantur obire, vt testatur celebris ille Antiquitatis Scriptor SOCRATES *lib.1. cap. 21.* sic scribens: * Aliam prætereà consuetudinem in Thessalia esse cognovi, nimirum, vt diebus Festi Paschatis duntaxat baptizent; ob quam causam omnes, paucis admodum exceptis, absque Baptismate moriuntur.*

2547 Cui consonat NICEPHORVS CALLISTVS *lib.12. Histor. Ecclesiast. cap.24.* his verbis: * Alius item in Thessalia mos fuit, vt Paschalibus tantum diebus Baptismus peragеretur, qua propter multi etiam eo Sacramento non initiati decesserunt.*

2548 Hinc S. BASILIVS, vt homines à tanto periculo liberaret, *lib. de Exhort. ad Baptis.* in longius differentes salutis suæ Mysterium sic invehitur: * Quando Christianus eris? Quando te nostrum esse cognoscemus? Anno superiore hunc diem præstolabare; nunc iterum futurum expectas? Vide nè longiorem tibi vitam pollicendo, spe decidas. Nescis quid crastina sit adventurum.*

2549 Expresśiùs tamen id confirmat Vir ille Sacrarum litterarum notitia celeberrimus, RUPERTUS, Tuitiensis Abbas, dùm *lib.4. de Divin. Offic. cap.* 18. hæc scribit: * Postquam Christianitas crevit, quia periculosum erat, tantam multitudinem differre, propter occasiones mortis, visum est Sanctæ Ecclesię, passim indulgentia baptizandi concessa, immò oblata, cuncta antevenire pericula.*

2550 Ex ijs ergo, quæ prædicti Authores tradunt, & ipsa experientia ostendit, manifestè convincitur, Ecclesiam ab antiqua illa consuetudine, & Apostolica Traditione baptizandi in præfixis Resurrectionis, vel Pentecostes diebus, vniversaliter discessisse, vel ob eam, quam suprà invenimus, causam, nè scilicet homines dùm tempus Baptismo designatum præstolarentur, æternæ salutis periculum subirent; vel ob alia iusta, sanctaque momenta, quæ discutere, & examinare nostri non est, sed factum, & consuetudinem, quam vt sanctam, ac bonam Ecclesia approbat, totusque Christianus Orbis communiter suscipit, humiliter venerari. Vndè vlteriùs infertur, consuetudinem quantumvis antiquam, Ecclesiasticam, bonam, ac sanctam, immò & Apostolicam Traditionem posse ab Ecclesia, iustis suadentibus causis, variari, & vel in totum, vel in partem abrogari, prout ipsa Fidelium vtilitati, & recto Christiani Orbis regimini magis congruere iudicarit; quod ex sequentibus ampliùs innotescet.

2551 Secundò, magnum nobis ad hanc adstruendam Doctrinam, fundamentum suppeditat antiqua Traditio, & Ecclesiastica consuetudo, qua Confirmationis Sacramentum, immediatè post susceptum Baptismum conferebatur, vt testatur S. CLEMENS ROMANUS, Apostolorum coætaneus, qui *Epist.4.* tradens modum vitæ rectè instituendæ, atque æternę felicitatis adipiscendæ, Confirmationis Sacramentum cum Baptismo copulat, & annectit, dicens: * Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci Deo, & demùm consignari ab Episcopo: cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformis Spiritus gratia ab Episcopo, vt memoratum est, confirmatus, &c.*

2552 Quod confirmat S. DIONYSIUS *de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. de Baptis.* & *cap.4.* vbi sacram Chrismatis Vnctionem baptizatis ad pleniorem gratiæ infusionem statim conferri his verbis asserit: * Quin etiam ei, qui Sanctissimo regenerationis Mysterio initiatur, Divini Spiritus adventum consummans vngenti datur perfusio.*

2553 Idem non obscurè habetur apud S. JUSTINUM Martyrem *in lib. Respons. ad quasdam Christianas quæstiones, quæst. 137.* Quibus consonat TERTUL-

LIANUS, qui *lib. de Baptis. cap.* 8. Baptismi ceremonias referens censet, baptizatis immediatè post susceptum regenerationis lavacrum, Confirmationem conferri: * De hinc (inquit) manus imponitur per Benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* Et *lib. de Praescript. adversus Haeret. cap.* 36. * Aqua signat, Spiritu Sancto vestit.* Et *cap.* 40. * Signat illic in fronte milites suos.* Tandèm *de Resurrect. Carn. cap.* 8. * Caro (inquit) signatur, vt & anima muniatur. Caro, manus Impositione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur.* Quibus in locis Tertullianum fuisse de Sacramento Confirmationis loquutum, eleganter docet PAMMELIVS illius Interpres eruditissimus.

2554 VRBANUS I. Pontifex, *Epist. Decretal. ad vnivers. Christian.* mentionem facit de Confirmationis Sacramento, immediatè post Baptismum ministrato, & Fideles ad hanc consuetudinem hortatur, vt Christianę perfectionis complementum accipiant, dicens: * Omnes enim Fideles per manus Impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, vt plenè Christiani inveniantur; quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur. De Spiritu Sancto accipimus, vt efficiamur spirituales: quia animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.*

2555 S. CYPRIANUS *Epist.* 73. *Iubaian.* baptizatos Chrismatis Sacramento consummari, ac perfici tradit, sic loquens: * Quod etiam nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, ac per nostram Orationem, ac manus Impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.*

2556 Vt haec, aliaeque similes Authoritates intelligantur, supponendum est, antiquitùs Confirmationis Sacramentum passim *manus Impositionem* vocari; vt optimè notavit HUGO DE S. VICTORE *Par.* 7. *cap.* 2. his verbis: * Manus Impositio, quae vsitato nomine *Confirmatio* vocatur, qua Christianus Vnctione Chrismatis per Impositionem manus in fronte signatur, solis Episcopis, Apostolorum Vicarijs, debetur.*

2557 Quod confirmat CONCILIUM ARAUSICANUM I. *Can.* 1. & expressit INNOCENTIVS *in cap. vnico, §. Per frontis. de Sacra Vnct.* ibi: * Per frontis Chrismationem manus Impositio designatur, quae alio nomine dicitur *Confirmatio*; quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur & robur.*

2558 Certè manus Impositionem aliquando pro Confirmationis Sacramento accipi, testantur CONCILIUM ILLIBERITANUM *Can.* 38. & MATISCONENSE II. *Can.* 3. & *ex D. Clemente Papa, Vrbano, & alijs* probat BASILIUS PONTIUS *de Confirmatione, cap.* 1.

2559 Confirmationem autē immediatè post Baptismum olim dari solitam, eleganter confirmat Decretalis MELCHIADIS Papę *Epist. ad vnivers. Hispan. Episcop.* vbi traditur, duo haec, Baptismi, & Confirmationis Sacramenta ita esse inter se coniuncta, vt aliud sine alio non debeat administrari: * Ita (inquit Pontifex) coniuncta sunt hęc duo Sacramenta, adinvicem, nisi morte praeveniente, nullatenùs possint segregari, aut vnum sine alio ritè perfici non possit. (Et infrà:) Sed quia diximus, quia manus Impositio, & Confirmatio ad Baptismi perfectionem pertinet, & qui iam regeneratus in CHRISTO est, confirmare aliquid possit, fortè cogitat sibi aliquis: quid mihi prodest post Mysterium Baptismatis Mysterium Confirmationis, &c?*

2560 S. HIERONYMVS *adversus Luciferian.* pro Ecclesiae Ritibus strenuè disputans, luculentissimum praedictae consuetudinis testimonium his verbis exhibuit: * An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis posteà manus imponatur? (Et infrà:) Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiae consuetudinem, vt ad eos qui longè in minoribus Vrbis per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad Invocationem Sancti Spiritus manus impositurus excurrat.* Idem tradunt S. AVGUSTINVS *lib. de Ecclesiast. Dogmat.* THEODORETVS *ad cap.* 1. *Canticor.* & PRIMASIVS *in cap.* 3. *Epist. ad Hebr.* vbi hęc, inter alia, scribit: * Donum Spiritus Sancti datur in Baptismo per impositionem manus Episcoporum, quae omnia gratis à Deo dantur.*

2561 Hùc facit illud LEODICENSIS CONCILIJ *Can.* 48. * Oportet bap-

baptizatos, post Baptismum Chrismatis quoque cœlestis, & Regni futuri participes fieri.* Nec omitti potest quod in S. Auxibij Solensis Archiepiscopi refert SIMEON METAPHRASTES, S. nempè Marcum Evãgelicæ scriptionis gloria illustrem, ipsi Auxibio postquam eum salutaribus immerserat vndis, Confirmationis Sacramẽtum administrasse. *Postquam ipse fuit baptizatus, imponens ei manus, dedit Spiritum Sanctum, &c.*

2562 *In Vita S. Stephani Papæ* apud SIMEONEM METAPHRASTEM legimus multos, qui persecutionis metu delitescebant, fuisse à B. Pontifice, immediatè post Baptismum susceptum, per Confirmationis Sacramentum roboratos in Fide, & Divina Eucharistiæ alimonia cibatos. *Cum igitur ad illam Cryptam convenissent, inventi sunt illic tam mares, quàm fœminę centum & octo, quos illo ipso die Pontifex in nomine Domini Nostri IESU CHRISTI Sanctissimo Baptismate, & alijs Divinis Mysterijs consecravit, & vt illis placatum, & propitium Deum redderet, Sacrificium obtulit; sicque omnes, Sacramentorum participes facti sunt.*

2563 Apud SURIUM etiam habetur Secundiani, Marcelliani, & Veriani vita, in qua Sixtus Pontifex nonnullis à B. Timotheo vitali fonte lustratis, Confirmationis Sacramentum dedit. In cuius confirmationem facit *Epist.* CORNELIJ *ad Fabianum*, quam refert EVSEBIUS CÆSARIENSIS *lib. 6. Histor. Ecclesiast. cap. 55.* de quo videri potest Edictum ipsius *ad Silverium Papam.*

2564 Nec silentio præteriri potest Clodovei Regis exemplum, quem S. Remigius à falso idolorum cultu ad Religionis nostræ veritatem Divina virtute traduxit, atque è perfidiæ tenebris in lucem sempiternam vindicavit, eique simul Baptismi, & Confirmationis Sacramentum contulit, vt refert HINCMARVS, Remensis Antistes, his verbis: *Et susceptus ab ipso Episcopo, & ipso fonte, perunctus est Sacro Chrismate, cum signo Sanctæ Crucis Domini.*

2565 At non adultis modò, sed & parvulis etiam, Confirmationem immediatè post Baptismum olim fuisse collatam, clarè tradit D. AVGVSTINVS *lib. de Ecclesiast. Dogmat.* vbi de administrandi Baptismatis Ritu differens, hæc scribit: *Si verò parvuli sunt, vel hebetes, qui Doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui illos offerunt, iuxta morem baptizandi; & sic manus Impositione, & Chrismate communiti, Eucharistiæ Mysterijs admittantur.*

2566 Lectu dignissimum est RITUALE ROMANVM ANTIQVVM *in Sabbato Sancto*, vbi de Baptismi Cęremonijs multa traduntur; loquens enim de Paschatis die, hęc habet: *Pontifex aggreditur à Fonte in Sacrarium, habens ibi compositam sedem, vt in Ecclesia, vbi voluerit, sedeat in ea, & cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos. (Et paulò infrà:) Pontifex verò veniens ad infantes, tenente Achidiacono Chrisma, det Orationem super eos cum Invocatione septiformis gratiæ Spiritus Sancti; Oratione expleta, interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrismate, faciat Crucem in frontibus singulorum ita dicendo: *Confirmo, &c.**

2567 Hæc autem Confirmationis immediatè post Baptismum administrandæ consuetudo, adeò antiqua fuit, vt optimo Iure possit Apostolica censeri Traditio, cum eam ab Apostolorum temporibus suum duxisse originem, haud leviter *ex Sacris Litteris* colligatur. Siquidem Apostoli, vt habetur *Actor.* 8. Samariæ incolis ad Fidem conversis, ac Sacro Baptismatis fonte renatis, Petrum, & Ioannem miserunt, vt per Confirmationis Sacramentum Spiritum Sanctum reciperent, quò amplius roborarentur in Fide. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cum descendissent oraverunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum Sanctum.*

2568 Similiter Apostolus PAVLVS *Actor.* 28. cum Ephesi multos à Ioanne baptizatos reperisset, vt Spiritus Sanctus in eorum cordibus infunderetur, salutari illos CHRISTI Baptismate initiavit, & Sacramento Confirmationis instruxit: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini IESV. Cumque imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.*

2569 Per hanc autem manuum Impositionem

Impositionem, non Baptismum, sed Confirmationem intelligi rectè explicat S. CYPRIANVS *Epist. 73. ad Iubaian.* cuius verba suprà retulimus. Quod & ipsa ratio manifestè demonstrat; prædictam enim manuum Impositionem post Baptismum fieri, ex ipsis Scripturæ verbis deprehenditur: cumque Baptismus iterari non possit, hìnc ea non ad Baptismum, sed potiùs ad Confirmationem spectabat. Indè ORIGENES *lib. 1. Periarch.* de Baptismo, & Confirmatione loquens, hæc habet: * Per Impositionem manuum Apostolorum post Baptismum gratia, & revelatio Sancti Spiritus tradebatur.*

2570 Quod elegantèr confirmat INNOCENTIVS I. dum *Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ, cap.* 5. illos coarguit, quod pueros, aut infantes, aut adultos iterata ablutione lustrarent, innuens Apostolos post Baptismum solam Confirmationem per manuum Impositionem contulisse. * Baptizatos (inquit) ritè ab Evangelista Philippo Petrus, & Ioannes sola manus Impositione consummant. *Illos verò, quos Apostolus Paulus Ioannis Baptismate baptizatos reperit, interrogavit: an Spiritum Sanctum accepissent? Fatentibus, se ne illud quidem nomen audisse, iussit eos baptizari.*

2571 Consonat Venerabilis BEDA dum *in cap. 16. Act. Apost.* de Confirmatione post Baptismum collata exponit Apostolum, sic scribens: * Dixitque ad eos: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes?* hoc est si post Baptisma manus Impositionem, qua Spiritus Sanctus dari solet, accepistis?

2572 Nec dissentit S. ISIDORVS, Hispalensis Antistes, dum *lib. de Rebus Ecclesiast. cap. 26.* de Chrismatis Vnctione disserens, hæc scribit: * Post Baptismum per Episcopos datur Spiritus Sanctus cum manuum Impositione. Hoc *in Actibus Apostolorum* fecisse meminimus Apostolos.*

2573 Verùm estò ex hucusque dictis manifestè appareat, manuum Impositionem post Baptismum aliud esse non potuisse quàm Confirmationis Sacramentum, vt ex HUGONE DE S. VICTORE, alijsque probavimus; nihilominùs tamen, quia aliorum locorum intelligentia ab ista dependet, omitti non potest S. AMBROSIJ Authoritas, qui explicans illud D. Pauli *ad Hebræos cap. 6. Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei ad Deum, Baptismatum Doctrinæ, impositionis quoque manuum*: hæc habet: * *Impositionis manuum*, per quam Spiritus Sanctus accipi posse creditur: quod post Baptismum ad Confirmationem vnitatis in Ecclesia CHRISTI à Pontificibus fieri solet.*

2574 Ambrosio consonat HAYMO, Halberstatensis Antistes, dum in prædicti loci expositione, hęc adnotat: * Impositionem manuum appellat *Confirmationem*, per quam plenissimè creditur accipiendus Spiritus Sanctus, quod post Baptismum ad Confirmationem vnitatis in Ecclesia à Pontificibus fieri solet.* S. etiam ANSELMUS: * Iterum (inquit) iacientes fundamentum Impositionis manuum Episcoporum in Confirmationem Neophytorum.*

2575 Tandèm celebris ille Author Antiquitate conspicuus VVALAFRIDVS STRABO hanc intelligentiam, prædictamque consuetudinem haud inelegantèr confirmat *lib. de Reb. Ecclesiast. cap. 26.* vbi de Chrismatis Vnctione agens hæc, inter alia, scribit: * Addiderunt alij Chrismatis Vnctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine, nemo, qui dubitet; cum primis temporibus impositione manuum Baptismus confirmari soleret, quod in Samaria fecisse legitur Petrum, & Ioannem.*

2576 Ex hucusque dictis gravissimorum Scriptorum, Sanctorumque Patrum Authoritate roboratis manifestè colligitur, Ritum illum vtrumque Sacramentum Baptismi, & Confirmationis simul conferendi antiquissimum fuisse, iamque Apostolorum temporibus viguisse; quod optimè adnotavit Eruditissimus Magister Fr. IOANNES MARTINEZ DE PRADO, in Florentina Complutensium Academia Primarius Theologiæ Professor, *Tom. 1. de Sacrament. dub.* 8. de hac consuetudine sic loquens *num.* 7. * Pueri in Primitiva Ecclesia statim post Baptismum confirmabantur; quod constat ex INNOCENTIO I. *Epist. ad Decent. cap. 3.* & ex GREGORIO I. *lib. 3. Epist. 9. apud Gratianum, cap. Siquis. de Consecrat. Dist. 4.** Et relatis plurimis Patribus subiungit: * Quæ consuetudo ob Apostolis incepit, duravitque per multa sæcu-

sæcula.* Vndè Cardinalis IACOBUS VITRIACVS *in Historia Occidentali cap. 37.* ait: *Hoc Confirmationis Sacramentum quidam ita coniungunt Baptismo, vt statim velint ipsum post Baptismum debere conferri, quoniam per hoc confirmatur Fides, quæ in Baptismo suscipitur; quæ consuetudo satis approbanda est, vbi haberi potest copia, seu præsentia maioris Sacerdotis.*

2577 At estò antiquissima illa Confirmationis immediatè post Baptismum administrandæ consuetudo generaliter fuerit in vniversali Ecclesia statuta, & tamquam Apostolica Traditio priscis illis temporibus diligentissimè observata, posterioribus tamen sæculis ita in desuetudinem abijt, vt penitus agnoscatur abolita, præcipuè in Occidente, vbi est Canonica Lege statutum, Confirmationis Sacramentum nemini esse ante septennium conferendum, vt constat ex LAODICENSI CONCILIO *sub Ioanne Episcopo* celebrato, & à *Nicolao Papa* approbato, vbi sancitum est, nequis ante septennium confirmetur: idque ipsum statutum fuit in COLONIENSI CONCILIO *sub Paulo III. part. 7. cap. 9.* MEDIOLANENSI I. *de Confirmat. part. 2.* & in ARCHIEPISCOPALI BONONIENSI *per Cardinalem Paleottum, part. 3.* ac tandèm in CAMERACENSI SYNODO. Et quamvis prædicta Concilia contrariam illam, antiquamque Confirmationis immediatè post Baptismum administrandæ consuetudinem non improbent; nihilominùs tamen Ritum istum post septennium confirmandi tamquam quid congruentius stabilierunt.

2578 In quorum confirmationem haùd prætereundum censuimus quod Sanctissimus Pontifex PIUS V. *in suo Catechismo* apponi iussit *part. 2. cap. 3. num. 14.* vbi hæc leguntur: *Illud observandum est: omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minùs tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis vsum habuerint. Quarè si duodecimus annus non expectandus videatur: vsque ad septennium certè hoc Sacramentum differre maximè convenit. Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed vt eius virtute optimè instructi, & parati inveniremur, cum nobis pro CHRISTI Fide pugnandum esset. Ad quod lanè pugnæ genus pueros, qui adhuc vsu rationis carent, nemo aptos esse iudicarit.* Hęc ibi. Vnde sicut prædicta Apostolica Traditio cursu temporis iustis de causis mutata est; sic trinæ immersionis Ritus, estò Apostolica Traditione statutus, potuit ab Ecclesia iustis de causis absque vllo Fidei præiudicio in vnam mutari.

2579 Tertiò probatur: quia nihil est, quod clarius Catholici animi specimen prębeat, quàm in actionibus suis ab omni errore, & Hæresi deviare, operationesque suas eò dirigere, vt cuiusvis erroris, estò levissimi, nęvus ab illis procul eliminetur; quod adeo certum est, vt supervacanea videatur huiusmodi propositionis probatio: alioquin Catholici, dum ab erroribus discedunt, provt Divino Iure tenentur, culpabiles efficerentur in Fide; quod adeò impium est dictu, vt vel sola cogitatione spiritus perhorrescat: atqui Hispanorum mens, dum à trinę immersionis Ritu discesserunt, vnam tantummodò adhibentes, fuit à Gothorum Arianorum errore deviare, qui trinæ immersionis, qua baptizabant, sensum adulterantes, Divinam naturam in tribus Personis distinctam huiusmodi immersione confitebantur: ergo Catholici Hispani, qui vt hunc impium errorem sceleratamque Hæresim detestarentur, vnica immersione sub Trinitatis invocatione baptizarunt, nulli culpæ, nullique reprehensioni in materia Fidei fuerunt obnoxij, sed potius summis præconijs celebrandi ob ferventissimum Zelum, quo Summi Pontificis S. GREGORIJ Rescripto humiliter paruerunt, ipsis præcipienti, vnica immersione in Baptismate vti, vt sic errorem, quo Ariani trinæ immersionis Ritum corruperant, penitùs declinarent; vt ostendunt illa Summi Pontificis verba: *Sed si nuncusque ab hęreticis infans tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo, nè dum mersiones numerant, Divinitatem dividant.* Concilium etiam TOLETANUM IV. *cap. 5.* id ipsum confirmat, his verbis: *Propter vitandum autem schismatis scandalum, vel Hæretici Dogmatis vsum, simplam teneamus Baptismi mersionem: nè videantur apud vos qui tertiò mergant, Hæreticorum approbare assertionem dum sequuntur & morem.*

2580 Hac eadem Doctrina vtitur CANON 35. *de Consecrat. dist. 4.* vt hinc discamus trinam immersionem estò

prout

prout ea antiquitùs vtebatur Ecclesia, irreprehensibilis esset, potuisse tamen iustis de causis omitti, ac penitùs aboleri; solet namque Ecclesia quod bonum est omittere, quando illud ab hęreticis vitiatum agnoscit; vt sic Christiano Orbi inotescat Ecclesiam, vti veritatis columnam, velle suos Fideles ab omni errore semotos in Fidei puritate servare.

2581 Communio sub vtraque specie adeò antiqua fuit in Ecclesia, vt à CHRISTO, & Apostolis originem duxerit, vt patet ex D. PAVLO *ad Corinth. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio Sanguinis CHRISTI est? Et panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis CHRISTI est?* Ex hoc enim alijsque similibus locis, Communionem populi Christiani sub vtraque specie inferunt, & probant celebriores Ecclesiæ Patres, vti S. CLEMENS ROMANVS *lib. 8. Constit. cap. 13. 14.* S. DIONYSIVS *de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3.* S. IVSTINVS Martyr *in Apologet. 2.* S. IGNATIVS *Epist. 6.* quæ est *ad Philippens.* vbi de hac re loquens, hęc scribit: *Vna est Caro Domini, & vnus ipsius Sanguis, qui pro nobis effusus est; nam vnus etiam Panis omnibus comminutus est, & vnum Poculum cunctis distributum.*

2582 Eamdem consuetudinem tradunt S. CYPRIANVS *de Lapſ.* S. AMBROSIVS *lib. 9. Historiæ Tripartitæ cap. 30.* & S. CYRILLUS IEROSOLYMITANVS *Catech. 5. Mistag.* sic loquens: *Suscipe Corpus CHRISTI statim subijciens: Amen. Tùm verò post Cōmunionem Corporis CHRISTI accede & ad Calicem Sanguinis.*

2583 Et certè antiquam hanc consuetudinem, qua Populus Christianus CHRISTVM sub specie etiam vini solebat suscipere, luculenter testatur S. LAVRENTIJ historia; siquidem S. AMBROSIVS *lib. 1. Officior. cap. 14.* Laurentium Diaconum hæc ad Sixtum Pontificem loquentem inducit: *Experire certè vtrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.*

2584 Similitèr S. IOANNES CHYSOSTOMVS *Homil. 83. in Matth.* suum Diaconum, Calicem distribuentem, his alloquitur verbis: *Sanguis eius ex manibus requiretur vestris. (Et infrà:) Nunc cum non aquę, sed Sanguinis, & Spiritus Fons commissus tibi sit; cum nonullos videas accedere, qui fœdiora peccata ipsa terra, & luto habeant, non indignaris, neque coërces? Et quænam tibi venia danda?*

2585 Verùm estò hæc consuetudo bona esset, ac sancta, & à CHRISTO, Apostolisque inducta, ac tandêm à Sanctis Patribus religiosissimè observata, non defuere Hæretici, qui eam suæ malitiæ veneno infecerunt, volentes Christiano Populo suadere, Communionem sub vtraque specie esse de necessitate salutis, Romanamque Ecclesiam errare, dum laicis Communionem sub vtraque specie denegabat; vt latè de hac re disserens, probat Eminentissimus Cardinalis CAIETANVS *in 3. part. quæst. 80. art. 12.* & novissimè Eruditissimus M. MARTINEZ DE PRADO *de Euchar. st. in Comment. eiusdem quæst.* paritèrque PETRVS ARCVDIVS *de sacrament. Eucharist. lib. 3. cap. 50.* vbi hæc, inter alia, scribit: *Verùm posteriores Græcorum, rem vertetunt in hæresim; quippe nonnulli eorum ex verbis Salvatoris malè intellectis ad vtramque speciem sumendam nos obligari temerè opinantur. Sic Ieremias, Constantinopolitanus Patriarcha, in Epilogo suæ Censuræ assentitur hęreticis, & vnà cum illis inter abusus (vt ille falsò existimat) Ecclesiæ Romanæ hunc primum annumerat, non præbere vtramque speciem.*

2586 Hunc autem fuisse antiquum Hęreticorum errorem, iniustamque querimoniam illorum, qui Romanam calumniantur Ecclesiam, quod laicis Communionem sub vtraque specie prohibuerit, manifestè innotescit ex his, quæ scribit non solum Cardinalis CAIETANVS *quæst. 1. de Commun. sub vtraq. specie*, quæ habetur *3. part. in fine, quæst. 30.* vbi huius erroris radicem, in Nestorianos, Pelagianosque reducit, eumdemque errorem antiquis Græcis attribuit ALPHONSVS A CASTRO *advers. hæres.* verbo, *Eucharistia. Hæres. vlt.* quod estò Vazquetio displiceat, illud tamen exploratum habemus, Petrum Dresdensem, & Iacobellum Missuensem Vvicclephistas, *circa annum Domini* 1400. huius erroris Authores extitisse, eumque in Pragam invexisse, vt testatur ÆNEAS SYLVIVS *in Hist. Bohem. cap. 35. & Epist. 130.* Deinceps verò Lutherum in Bohemorum erro-

errorem iuratum apud Germanos, eumdem iam putrem suscitasse, perspicuum est; contra quem ROFFENSIS *art.16.* CLICTOVEUS *lib. 1. de Forma Missæ, cap.28.* Cardinalis CAIETANVS supra laudatus, & noster SOTO *in 4. sent. dist. 12. quæst. 1. art. 12.* insurrexerunt, eumque egregiè oppugnarunt. Lutherum secuti sunt Brenzius, Kemnitius, Hermannus, & Calvinus, contra quos eruditè vt solent, invehuntur Cardinalis BELLARMINVS *Tom. 2. lib.4. de Sacrament. Eucharist. cap. 20.* JODOCUS COCCIUS *in Thesaur. Fidei, lib. 6.* alijque Catholici Authores.

2587 Summi ergo Pontifices, quorum pręcipua cura, & assidua sollicitudo eo collimat, vt Hæreses penitus extirpentur, & Fideles in Fidei puritate immaculati persistant, videntes vsum Communionis sub vtraque specie, estò bonum, ac sanctum, & à CHRISTO, atque ab Apostolis traditum, ac in primitiva Ecclesia frequentissimè iteratum, tot erroribus contaminari, id ægrè molestèque ferentes, sui muneris esse duxerunt, sollicitè procurare, vt de hac re in CONSTANTIENSI CONCILIO ageretur, quod & re ipsa factum est; nam in prædicto Cõcilio *sess. 13.* & prædictus error damnatus fuit, & Fidelibus inviolabili lege præscriptum, vt populus sub vnica specie communicaret. Concilij verba audiamus: * Licet in Primitiva Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur à Fidelibus sub vtraque specie, postea à conficientibus sub vtraque, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur: cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum CHRISTI Corpus, & Sanguinem, tam sub specie panis, quam sub specie vini veracitèr contineri. Unde cum huiusmodi consuetudo ab Ecclesia, & Sanctis Patribus rationabilitèr introducta, & diutissimè observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate, pro libito mutare.*

2588 Quod quidem Constantiensis Concilij Decretum confirmarunt postea BASILEENSE *ses.30.* & TRIDENTINUM *Ses. 21.* vbi damnatum fuit prædicti erroris fundamentum, quo præfati Hæretici contendebant, Communionem sub vtraque specie esse de præcepto Divino, & de necessitate salutis. Contra hos enim Hæreticos, eorumque fundamentum, sic decernit Tridentinum *Can. 1.* * Siquis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, & singulos CHRISTI Fideles vtramque speciem Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, Anathema sit.* Et quoniam prædicti Hæretici impia sua audacia contendebant, non adfuisse Ecclesiæ sufficiens fundamentum ad Communionem sub vtraque specie prohibendam, ideò Tridentinum, Constantiensis Decretum confirmans *Can. 2.* his verbis sancivit: * Siquis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis de causis adductam fuisse, vt laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse; Anathema sit.*

2589 Et quamvis de æquissima prædictorum Canonum dispositione multi egerint, variasque rationes congesserint, quibus manifestè ostendunt ea, quæ in prædictis Canonibus continentur æquissimè fuisse statuta, omitti tamen non possunt tres illę elegantissimæ rationes, quas pro hac eadem re affert D. THOMAS *Opusc. de Sacram. Altar. lib. 4. cap. 29.* quarum prima est ad probandum quod populus non debet accipere Sanguinem sub specie vini, sicut Sacerdos; quia ipse non est vas congruum huius Sanguinis contentivum; vndè hæc habet Sanctus: *Solis Sacerdotibus conceditur, tamquam vasis Domini, ad hoc specialiter consecratis, & Sacra Religione constrictis, virtutum pulchritudine excellẽtiùs pręornatis, &c.* Secunda ratio est: vitandi periculum effusionis propter multitudinem, quæ se circa altare comprimit. Hinc est, quod Dominus in Cęna Apostolis paucis, & suis Sacerdotibus non solum Corpus in specie Panis, sed & Sanguinem in specie vini dedit.

2590 At quod nobis luculentiùs favet est tertia ratio, quam ipse Sanctus adducit dum adstruit, non debere populum Communionem sub vtraque specie recipere, vt Fideles longiùs abessent ab erroris periculo, in quem plures pro sua simplicitate facilè inciderent: *Tertia (inquit) ratio est ad præcavendum erroris periculum. Si enim populus rudis acciperet Sanguinem sub specie vini, vix crederet, illum non esse sub specie Panis, cum tamẽ veraciter sit sub vtraque specie.* Quod probat ANGELICUS PRÆCEPTOR præclarè ibi, alijsque multis in locis.

De

2591 De hac re ex professò egit Cardinalis TURRECREMATA, cui in Basileensi, & Constantiensi Concilio demandata est cura Bohemorum errorem acriter impugnandi; hic enim postquam Hæreticorum argumenta proposuit *in cap. Comperimus de Consecrat. dist.* 2. variasque rationes attulit, quibus manifestè ostendit Ecclesiam æquissimis adductam fuisse rationibus ad Communionem sub vtraque specie laicis prohibendam, hæc subdit: *Nona causa est evitatio erroris, qui apud Bohemos ortus est nostris diebus, videlicet, ne crederetur hoc Sacramentum sub vtraque specie, de necessitate ab omnibus Fidelibus fore sumendum. Arbitrati nempè sunt proinde veteres Patres nostri, quod si hic error in populo Christiano oriretur, vt Orthodoxæ Fidei habens extinctionem, quam in taliter errantium animas efficeret, in maximam huius honoratissimi, & Angelis, & Sanctis omnibus colendissimi Sacramenti irreverentiam, & iniuriam processurus esset. Sicut de facto magistra rerum experientia edocuit apud eorum Ecclesias, quorum corda huius erroris caligo possedit, in quibus Sanguis CHRISTI omni adoratu dignissimus sæpissimè fusus, & calcatus pedibus fuisse dicitur in speciebus eius. Insuper tanta alteratio, vel corruptio, sordesque inventæ sæpenumero sunt, vt earum abominationes ob dignissimum Sacramentum omni suavitate repletum, & florentissimum, nimis venerandum, & Fidelibus amabile Convivium, penitus insumptibile redderetur; quamobrem providentissimè, & vt veraciter creditur, ipsius Spiritus Sancti, qui rector Ecclesiæ est, Consilio actum est, vt consuetudo communicandi populum sub vna specie, scilicet panis, introduceretur in Ecclesia.* Hactenus ille.

2592 De hoc eodem prædictæ prohibitionis motivo meminit S. BONAVENTURA *in* 4. *Sent. Dist.* 11. vbi probat causam, ob quam Populus non sub vtraque specie, sed tantum sub vna communicat, fuisse vt erroris periculum vitaretur. *Fideles (inquit) accipiunt perfectum Sacramentum sub vna specie, qui ad efficaciam recipiunt: sed quantum ad significantiam sufficit, quod Ecclesia facit in eorum præsentia, nec oportet quod ipsi recipiāt propter periculum erroris: quia non crederent simplices, se in altera tantum specie totum CHRISTVM recipere.*

2593 Consonat RICHARDVS DE MEDIAVILLA *in* 4. *Sent. Dist.* 11. *quæst.* 6. sic scribens: *Communiter non debet hoc Sacramentum dari Populo sub vtraque specie propter periculum effusionis Sanguinis, & etiam, secundum aliquos, propter periculum erroris, nè scilicet cōmunis Populus crederet CHRISTVM non esse totum sub vtraque specie.*

2594 Idem sensit RICHARDVS NORTINGAMVS, qui *ad cap.* 11. 1. *ad Corinth.* *Triplex causa (inquit) potest assignari, quare Sanguis non est tradendus Fidelibus sub specie vini. (Et duobus primis omissis, tertia, ac præcipua est:) Ne ab infidelibus credatur, non esse Corpus CHRISTI sub vtraque specie. Ideò sub vna specie tantum traditur Fidelibus.*

2595 Pro maiori huiusce rei confirmatione, lectu dignum est, quod scribit Cardinalis RAGVSINVS, Ordinis Prædicatorum, & Basileensis Episcopus, *in Oratione habita ad Synodum Basileensem*, vbi inter alias huiusce prohibitionis causas, iustissimaque motiva: *Tertium (inquit) propter vitare errores, vt videlicet Populus communis, qui tantum iudicat secundum sensum, credat CHRISTVM non esse totum sub vna specie, sicut multi Hæreticorum, vt Nestorius, & Pelagius, & eos sequentes astruxerunt; Nestorius enim sic sub vtraque specie ministravit existimans, quod sub specie Panis esset tantummodo Corpus CHRISTI sine Sanguine, & sub specie vini Sanguis sine Corpore. Pelagius verò, & ipsius sequaces dictis SALVATORIS innitentes: Nisi manducaveritis carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: dederunt laicis sub vtraque specie, & etiam parvulis statim post Baptismum, & si speciem Panis Sacramentalem non possent sumere, dicebant, quod debebant conterj cum Sanguine, & sic infundi in ora puerorum. Datur ergo non conficientibus sub vna specie, vt evitentur prædicti errores.*

2596 Eumdem errorem Nestorio attribuit AVTHOR TRACTATVS, *de Bohemorum vocatione ad Basileensem Synodum, & eorum ibidem Actis*, vbi probat, Communionem sub specie vini lai-

laicis ad vitandum Nestorij, aliorumque similium errorem fuisse prohibitam; sic enim scribit: * Præterea dicunt Doctores, quod consuetudo communicandi Populum, sub specie Panis tantum ab Ecclesia, & Sanctis Patribus fuit rationabiliter introducta propter rationabiles causas, specialiter propter periculum erroris. Fuit enim error Nestorij credentis, quod sub specie Panis sit sola Caro CHRISTI, & sub specie Vini solus Sanguis CHRISTI. Vt igitur huic errori obviaretur, & magis imprimeretur Fidelium mentibus, quod sub qualibet specie est totus CHRISTVS, dum non solum verbo, sed etiam ipso signo indicaretur, visum fuit, vtile esse sub vnica tantum specie ministrari: efficaciùs enim imprimitur, quando cum Doctrina verbali, sensuale aliud signum concurrit.* Quod confirmat eruditissimus Cardinalis STANISLAUS HOSSIVS *in Dialogo de vtriusque speciei Communione*, & cum ipso PATRICOVIENSIS SYNODUS *in Catholicæ Fidei Confessione*, vbi additur, errorem hunc fuisse causam, ex qua Sacri Calicis vsum Populo subtraxerit EPHESINA SYNODUS.

2597 In eumdem scopum collimat Cardinalis BELLARMINVS *de Sacrament. Eucharist. lib.4. cap.* 28. vbi agens de iustis causis, quibus permota fuit Ecclesia, ad Communionem sub vna tantum specie præcipiendam, secundam his verbis ponit: * Secundò, movit Ecclesiam ad hunc vsum stabiliendum, & lege firmandum, quod videret ab Hæreticis, & ex errore oppugnari; nam primus, qui cœpit oppugnare vsum receptum Communionis sub vna specie, fuit Petrus Dresensis, vt initio docuimus ex Ænea Sylvio: ille autem infectus erat lepra Vualdensium, & proindè Sacramentarius. Sacramentarij autem non credunt concomitantiam Sanguinis cum corpore, in specie Panis. (Et infrà concludit:) Cum igitur Ecclesia certa Fide teneret, in qualibet specie totum esse CHRISTUM, & vsum eiusdem Ecclesiæ non posse esse erroneum, meritò ob huius gravissimi erroris detestationem, non permisit abrogari consuetudinem vnius speciei.*

2598 Et quoniam prædictorum Cardinalium hac de re Iudicium protulimus, non erit abs re videre, quid de huiusmodi prohibitione senserit Eminentissimus Cardinalis PETRUS A TARANTASIA, fulgentissimum Prædicatorum Ordinis Sidus, qui postquam Lugdunensi Concilio adfuit, ob Doctrinę, & Pietatis excellentiam, ac ferventissimum Christianæ Religionis Zelum, ad Sacrum, & Supremum Pontificatus apicem evectus fuit; hic ergo *in 4. Sent. Dist.* 11. *art.* 5. inquirit: An Eucharistia debeat sub vtraque specie Populo dari? Et inter alias rationes, quibus probat Communionem sub specie Vini non debere Populo ministrari, has duas proponit. Primò: quia * omne, quod periculosum est, circa Sacramenta cavendum est; sed tradi Populo sub specie Vini Sanguinem, est periculosum propter effusionem: ergo non est faciendum. Secundò: non est danda occasio erroris simplicibus; sed si sub vtraque specie traderetur, putarent non esse sub vnaquaque specie totum CHRISTUM: ergo hoc non est faciendum.*

2599 Ex dictis colligitur, quanto fundamento Communionem sub vtraque specie, estò primis sæculis à CHRISTO, & Apostolis emanatam, & vti Apostolicam Traditionem multo tempore observatam, Ecclesia laicis prohibuerit; nullum enim est vrgentius motivum, nec magis Ecclesiæ proprium, illiusque Prælatorum, Summorum Pontificum, in quibus semper elucet hæc vigilantissima sollicitudo conservandi CHRISTI Sponsam omninò puram, & ab omni macula penitùs immunem, iuxta illud: *Et macula non est in te*, quam Fideles istius filios à cuiusvis hæreseos nęvo puros, ac tutos servare, ac ab eis cuiusvis erroris periculum penitùs propulsare; cumque Communionem sub vtraque specie quibusdam erroribus impia Hęreticorum pravitas deturparit; hinc Ecclesia, summo sanè consilio, laicis Communionem sub vtraque specie prohibuit.

2600 Pro maiori huius Doctrinæ elucidatione, prętereundum non est celebre illud, Græcam inter, & Latinam Ecclesiam, dissidium, ac diù exagitata contentio: An CHRISTI Corpus confici debeat in azymo, vel fermentato? Ex illius enim notitia haud leviter nostra stabilietur Assertio. Pro quo notandum est 1. Ecclesiam Romanam iuxta Ritum, quem à CHRISTO, & Sacratissimis Apostolis accepit, ac inviolabiliter servavit, semper in azymo consecrasse; Græcam verò in fermentato, cum hoc tamen

discrimine, quod Latini de Consecratione in fermentato numquam malè senserint, nec huiusmodi Græcæ Ecclesiæ Ritum ęgrè vmquam tulerint; secus verò Græci, inter quos multi fuerunt, qui miserè errarunt, existimantes Consecrationem in azymo, qua Latina Ecclesia vtitur, Evangelio opponi, vt testatur INNOCENTIUS III. *lib.* 4. *de Altar. Minister. cap.* 4. *in fine*, sic scribens: * Ecclesia Romana ab ipsis Beatis Apostolis Petro, & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos custodit, huius Sacrificij Ritum (consecrandi in azymo) accepit, quem hactenùs inviolabili cultu servavit. Græci verò postquam Tunicam Domini inconsutilem diviserunt, vt perpetuæ divisionis scandalum interponerent, Sacrificij Ritum mutavere, quos Leo IX. *per Epistolam ad Imperatorem Constantinopolitanum directam* super varijs confutavit hæresibus, qui Latinos *Azymitas* vocabant, cum ipsi veriùs *Fermentarij* nuncupentur.* Hæc ibi.

2601 Notandum est secundo *circa annum Domini* 1053. Michaëlem Cerularium, Patriarcham Constantinopolitanum, dogmatizare cæpisse, panem azymum non esse materiam sufficientem Consecrationis; in quo quidem errore Recentiores Græci hodiè permanent, vt novissimè docet ipsorum Patriarcha IEREMIAS *in Censura Confessionis Lutheranæ*, *cap.* 10. At Latini sic retinemus panis azymi Ritum, vt fermentatum esse materiam sufficientem nullatenus inficiemur; nisi fortè Armeni id olim negarint, prout aliqui colligunt ex NICEPHORO *lib. Histor. cap.* 53.

2602 His ergo prælibatis, asserimus: Romanam Ecclesiam gravissimo fundamēto inniti, ad panis Cōsecrationem semper in azymo conficiēdam, cum hæc sit Evāgelica Doctrina, luculentissimo trium Evangelistarū testimonio suffulta; sicque celebrarint Apostoli, qui hunc consecrandi Ritum illi tradiderunt, vt expressè docet ANGELICVS PRÆCEPTOR *in* 4. *Sent. Dist.* 11. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 3. his verbis: *Prima die azymorū nihil fermentatū esse debebat in domibus Iudæorū, vt patet *Exod.* 12. Sed Dominus confecit prima die azymorum, vt patet *Matth.* 26. *Marci* 14. *& Lucæ* 22. Ergo ipse confecit de azymo. Ergo & nos debemus de azymo conficere.*

2603 *Et infra*: * Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in hoc videtur esse diversitas inter Græcos, & Latinos: Græci enim de fermentato, Latini de azymo conficiunt. Causa autem huiusmodi diversitatis est; quia DOMINVS in azymo confecit, vt ex tribus Evangelistis habetur manifestè, & ita in Primitiva Ecclesia Apostoli celebrabant, quem morem Romana Ecclesia ab Apostolis, qui ipsam fundaverunt, accepit, vt Innocētius III. dicit.*

2604 Verumtamen estò Consecratio in azymo sit Apostolica Traditio, Doctrinaque à tribus Evangelistis vnanimitèr expressa; quia tamen Ebionitæ purissimo Ecclesię tritico zizania superseminare voluerunt, asserentes legalia vnà cum Evangelio ab omnibus esse servanda; Ecclesia vt hunc declinaret errorem, nevè hæretici, in re adeò gravi, ac sacra, ansam arriperent impiè blatterandi, Catholicos in azymo consecrantes ipsis adhærere, atque in hoc errore subscribere, æquissimè pręcepit, vt Catholici in fermentato consecrarent; quod & executioni mandatum fuit eo solummodo tempore, quo prædicta hæresis grassabatur, vt tradit ANGELICUS PRÆCEPTOR *loco supra citato*, vbi rem hanc ita prosequitur: * Sed postea, vt dicit Leo Papa IX. (*citatus ab Innocentio eodem cap. in fine*) imminente hæresi Ebionitarum, qui dicebant, simul cum Evangelio legalia observanda, Sancti Patres, ne eis consentire viderentur, voluerunt ad tempus, instinctu Spiritus Sancti, ex fermentato confici Sacramentum; postea, cessante illa hæresi, Ecclesia Romana ad pristinum morem redijt.*

2605 Ex his, quę in hac tertia ratione adduximus, manifestè liquet, Cōmunionem sub vtraque specie, estò fuerit Apostolica Traditio, aliquibus sæculis in Ecclesia observata, tamquam ab ipsius CHRISTI, & Apostolorum exemplo emanata, prudenti sanè consilio ab Ecclesia fuisse prohibitam, ad declinandos errores, quibus eam hęretici pro sua impietate polluerant, illam omnibus Fidelibus ad salutem necessariam blatterantes, alijsque similibus erroribus impiè fędantes. Similitèr estò Consecratio in azymo, fuerit non modo Apostolica Traditio, sed & Evangelica Doctrina, trium Evangelistarum testimonio roborata, nihilominùs tamen Ecclesia ad evitandam Ebionitarum errorem, Fidelesque ab huiusmodi hæresi avertendos, æquissimè iuxta ANGELICUM DO-

DOCTOREM, Consecrationem in azymo Latinis ad tempus prohibuit, ipsisque in fermentato consecrare præcepit: ergo estò admittamus & tamquam certum statuamus, trinā in Baptismo immersionē esse Sāctorum Doctrinā, Traditionēque Apostolicam, nihilominùs tamen Hispani ad evitādū errorē, quo Ariani trina immersione baptizabāt, Vnitatem essentiæ, Naturæque Divinæ negantes, eamque in tribus Divinis Personis discriminantes, æquissimis adducti fuere causis ad Baptismum non trina, sed vna tantum immersione, sub Invocatione tamen Trinitatis, administrandum; eademque iustissima, æquissimaque ratione permota fuit Ecclesia, ad prædictam Hispanorum consuetudinem approbandam, & S. GREGORIUS, qui D. Petri Cathedram moderabatur, ad illam pręcipiendam, ac tandem TOLETANUM CONCILIUM executioni mandandam.

2606 Vndè manifestè deducitur, quàm immeritò sectariorum notam Hispanis inusserit Alcuinus, quod ab Apostolica trinæ immersionis Traditione discesserint: posset enim animadvertere, huiusmodi argumentum non modò contra Hispanos militare, sed & contra Catholicam Ecclesiam procedere, quæ præfatam Hispanorum consuetudinem approbavit, immò & prescripsit; & contra vniversalem consuetudinem, qua multoties ipsa Ecclesia ab aliquibus Traditionibus, estò Apostolicis, quæ sine Fidei præiudicio mutari poterant, iustis de causis discessit.

2607 Solet similiter (vt confirmemus prędicta) Ecclesia Fideles ita ab Hæreticis propositionibus, & doctrinis segregare, vt nec in modo quidem loquendi cum Hæreticis conveniant; vt ex D. HIERONYMI Doctrina præclarè tradit ANGELICUS PRÆCEPTOR *3. part. quæst. 16. art. 8. in corp.* his verbis: * Sicut Hieronymus dicit, ex verbis in ordinatè prolatis incurritur hęresis. Vndè cum Hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur.* Hinc ibidem inquirit Sanctus Doctor: An hæc propositio sit vera: *CHRISTVS est creatura?* Et estò, attenta naturę proprietate, posset absolutè admitti (quia sicut est proprium Divinæ naturæ esse increatam, & Deum, propter quod CHRISTUS increatus dici potest, & Deus; sic etiam cum naturæ humanæ proprium sit, esse creatam, si sola humana CHRISTI spectaretur Natura, videbatur vtique, dici posse creaturam;) nihilominùs censet Sanctus, dici non posse, *CRISTVM esse creaturam*, sequutus in hoc D. AMBROSIJ sententiam, qui *lib. de Trinit.* hæc habet: *Numquid dicto factus est CHRISTVS? Numquid mandato creatus est CHRISTVS? (Quasi dicat: Non. Vndè subdit:) Quomodo autem creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturæ simplicis est, non coniunctæ. Ergo hæc non est concedenda: *CHRISTVS est creatura.**

2608 Ratio autem, cui innititur ANGELICUS MAGISTER, est non solum prędictorum Sanctorum Doctrinam sequi, sed etiam Arianorum errorem declinare; vndè hęc subdit: *Ariani autem hęretici CHRISTVM dixerunt esse creaturam, & minorem Patre, non solum ratione naturæ, sed etiam ratione Divinæ Personæ: & ideò non est absolutè dicendum, quod *CHRISTVS sit creatura*, vel *minor Patre*; sed cum determinatione, scilicet *secundum humanam naturam*.* Quod latiús prosequitur Sanctus ibi.

2609 Nec obstat quod omnes proprietates humanæ naturæ, sicut & Divinæ possunt aliqualiter dici de CHRISTO. Vndè & DAMASCENUS dicit *in 3. lib.* quod CHRISTUS, qui Deus est, & Homo, dicitur & creabilis, & increabilis; partibilis, & impartibilis. Huic enim difficultati satisfacit ANGELICUS DOCTOR *ibi ad 2.* admittens prædicta S. Damasceni verba, eaque sic exponens: * Sed tamen illa, quæ dubitationem habent circa alterutram naturam, non sunt dicenda absque determinatione. Vndè & ipse posteà alibi subdit: Ipsa vna hypostasis, scilicet CHRISTI, & increata est Deitate, & creata est Humanitate. Sicut & è converso, non esset dicendum sine determinatione: *CHRISTVS est incorporeus*, vel *impassibilis*; ad evitandum errorem Manichęi, qui posuiit CHRISTUM verum Corpus non habuisse, nec verè passum esse: sed dicendum est cum determinatione, quod CHRISTVS secundum Deitatem est incorporeus, & impassibilis.*

2610 Vndè colligitur, hanc propositionem: *CHRISTVS est creatura*; estò Catholica sit, si secundum naturam intelligatur humanam; sicut & hæc alia:

CHRISTVS est passibilis: absolutè, & absque limitatione, nec proferri posse, nec admitti, vt Arij, & Manichæorum error vitetur.

2611 Inquirit etiam ANGELICUS DOCTOR *loco supracitato, artic.9.* An hęc sit vera: *Iste homo*, demonstrato CHRISTO, *incœpit esse?* Et quamvis videatur D. AUGUSTINUS hanc propositionem amplecti, dum *in Ioann. Tract.105. à med. Tom.9.* hæc scribit: *Priusquam Mundus esset, nec nos eramus, nec ipse Mediator Dei, & hominum homo IESUS CHRISTUS:* Sed illud, quod non semper fuit, incepit esse: ergo ille homo, demonstrato CHRISTO, incepit esse. Nihilominùs resolvit Sanctus, prædictam pfopositionem, nec dici posse, nec debere; quia, vt inquit D. PAULUS *ad Hebr. vlt. IESVS CHRISTVS heri, & hodie: ipse & in sæcula.* Quod duabus rationibus *in corp.* confirmat *Primò, quia hæc locutio est simpliciter falsa, secundum Sententiam Catholicæ Fidei: quia ponimus in CHRISTO vnum suppositum, & vnam hypostasim, sicut & vnam Personam. Secundum hoc enim oportet, quod in hoc, quod dicitur: Iste homo, demonstrato CHRISTO, designetur suppositum æternum, cuius ęternitati repugnat incipere esse: vndè hæc est falsa: *Hic homo incœpit esse.**

2612 At secunda ratio, quam affert Sanctus, luculentiùs nobis suffragatur; censet enim prædictam propositionem, quantumvis falsa non esset, sed vera, ob Arij errorem, nullatenùs posse absolutè, & sine limitatione proferri. *Secundò, quia etiam si esset vera, non tamen esset ea vtendum absque determinatione ad evitandum hæresim Arij; quia sicut Personæ Filij Dei attribuit, quod esset creatura, & quod esset minor Patre, ita attribuit ei quod esse incœperit, dicens, quod erat, quando non erat.*

2613 Et vt ad rem nostram propriùs accedamus, & in hac eadem de Baptismo materia manifestum exemplum adhibeamus, operæpretium duximus afferre quæstionem, quam ipse Sanctus ex professo pertractat *eadem 3. part. quæst. 66. art.5.* inquirens: An conveniens sit forma Baptismi: *Ego te baptizo, &c?* Et quamvis resolvit, convenientem esse, iuxtà illud Evangelij: *Euntes docete omnes gentes*, quod & hac ratione confirmat: quia in Baptismo istius causa exprimi debet: cumque principalis Baptismi causa sit tota Trinitas; instrumentalis, ipse Baptizans: *Ideò (inquit) oportet in forma Baptismi de vtroque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: *Ego te Baptizo*: causa autem principalis, cum dicitur: *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* (Quare sic concludit Sanctus:) Vndè hæc est conveniens forma Baptismi: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.** Et quamvis hinc argumentum efficax videatur desumi contra Ecclesiam Gręcam, in qua instrumentalis causa, ipse nempè Baptizans illis verbis: *Ego te Baptizo*; non exprimitur, sed solum in tertia persona dicitur: *Baptizetur servus CHRISTI*; quo Greci à communi Ecclesiæ vsu discedunt; nihilominùs tamen ipse ANGELICUS DOCTOR eos ab omni errore, & crimine purgat, quia ideò id pręstiterunt, vt ab illo antiquo errore illorum, qui sibi Baptismi virtutem abrogabant, penitùs discederent. Illius verba audiamus ibidem *ad 1.* vbi hęc, inter alia, scribit: *Græci autem non attribuunt actum Baptismi Ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi, Baptizantibus attribuebant dicentes: *Ego sum Pauli, & ego Cephæ.* Et ideò dicunt: *Baptizetur servus CHRISTI, talis, in nomine Patris, &c.* Et quia exprimitur actus exercitus per Ministrum cum Invocatione Trinitatis, verum perficitur Sacramentum. Quod autem additur, *Ego*, in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis.* Hæc D. THOMAS.

2614 Tandem ommitti non potest quod ipse tradit *ar.8. eiusdem quæst.* vbi in specie de trina, & vnica immersione agit; & quamvis tam trinæ, quam vnius immersionis vsum, dummodò sit cum expressa Trinitatis Invocatione, licitum, & irreprehensibilem iudicet; nihilominùs quia non defuerunt schismatici, & hęretici, qui trinæ immersionis Ritum adulterarunt, rebaptizationem licitam esse hinc erroneè deducentes; ideò asserit ęquissimo Iure fuisse statutum vnica immersione baptizare, vt Fideles ab hoc errore procul distarent. Vndè *in corp.* hęc, inter alia, tradit: *Postmodum verò inolevit quorumdam schismaticorum, & Hęreticorum error, homines rebaptizantium, sicut de

Do-

Donatistis Augustinus narrat *super Ioannem*; & ideò in detestationem erroris eorum fuit statutum in Concilio Toletano, quod fieret vna sola immersio; vbi legitur: Propter vitandum schismatis scandalum, vel hęretici Dogmatis vsum, simplam teneamus Baptismi mersionem: sed cessante tali causa communiter obseruatur in Baptismo trina immersio.*

2615 Ex tot luculentissimis Doctrinarum exemplis, quas Ecclesia non modò approbavit, sed & multoties sequuta est, vt Apostolicum suum Zelum ostenderet, quo Fideles in Fidei puritate conservare, atque ab omni errore semotos tueri conatur, manifestè liquet, ipsam à licito, bono, ac sancto, vti Communione sub vtraque specie, Consecratione in azymo, alijsque similibus, à nobis suprà relatis, multoties discessisse, vt errores, quibus Hæretici huiusmodi Ritus vitiarant, penitùs evitaret. Cum ergo certum sit Arianos in trina immersione errasse, vt ex S. LEANDRO, & D. HIERONYMO probavimus; & similiter schismaticos, & Hæreticos in hoc ipso à Catholica veritate deviasse, rebaptizationem licitam esse blatterantes, vt ex D. THOMA ostendimus: hinc manifestè deducitur, vnicæ immersionis in Baptismate Ritum, eo fine inductum, vt prædicti errores à Christiano Orbe expellerentur, non esse Doctrinam reprehensioni obnoxiam, sed potiùs plausu dignissimam, simulque Hispanorum hac in re Zelum summis esse pręconijs commendandum, cum idipsum multoties fuerit ab Ecclesia in similibus casibus vniversaliter vsitatum. Vndè manifestè patescit, Alcuinum estò virum aliàs celebrem, censuræ tamen fuisse limites prætergressum, cum Hispanos erroris notavit in ijs, quæ ipsos communi Ecclesiæ vsui, à Sanctis Patribus generaliter approbato adhærentes, summo certè consilio, & prudentia fecisse perspicuum est.

2616 Tandèm vt magis appareat, & convincatur, Hispanos in vnicæ immersionis Ritu ab omni prorsus errore extitisse immunes, nostri muneris esse duximus id ex sufficienti divisione præcipuorum graduum, & capitum, quibus potest aliquis in Fide deficere, breviter demonstrare. Hæresis ergo sic communiter definitur: *Opinio, vel Assertio falsa, sive falsum Dogma Catholicæ Veritati contrarium in eo, qui Christianam Fidem professus est.* Quod confirmat magnus Ecclesiæ Doctor AVGVSTINVS *contra Faustum*, sic scribens: *Hæresis est, quæ diversa opinatur ab his, quæ Catholica credit Ecclesia.* Cui consonat D. HIERONYMUS *in cap. inter Hæresim, 24. quæst. 3.* vbi inter hęresim, & schisma differentiam assignans asserit: quod hæresis perversum Dogma habet; id est falsum, & perniciosum in Doctrina Religionis Christianæ.

2617 Supposito ergo quod hæresis sit Assertio Catholicæ Veritati contraria, vt ex prædictis Sanctis, & communi Doctorum sensu patescit; nunc Catholicarum veritatum differentiam videamus. Primus igitur Catholicarum veritatum gradus est earum, quę in Sacræ Scripturæ Canone Veteris, aut Novi Testamenti in propria verborum forma continentur. Vndè S. AVGVSTINVS *lib. de vnic. Baptis.* vt habetur *in cap. Quis nesciat, dist. 9.* ait: * Quis nesciat Sanctam Scripturam Canonicam, tàm Veteris, quàm Novi Testamenti certis terminis contineri, eamque posteris omnium Episcoporum litteris ita præponi, vt de illa omninò dubitari, vel disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quidquid in ea scriptum constiterit? * Cum ergo primus Catholicarum veritatum gradus sit earum, quæ in Sacrę Scripturæ Canone continentur; asserimus, vnicam in Baptismate immersionem non esse oppositam his, quæ in Sacris Litteris continentur expressa; quia quamvis Baptismi forma, quam CHRISTVS Discipulis præscripsit, expresè contineatur *Matth. vlt.* vbi eis dixit: ***Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti***; at neque in prędicto textu, neque in aliquo alio exprimitur, aut expresè traditur baptizandi Ritus, aut modus sub vnica, vel trina immersione. Et quamvis communis baptizandi Ritus sit per immersionem, vt docet D. THOMAS *3. part. quæst. 66. art. 5.* potest etiam Baptismus, vt tradit ipse Sanctus *ibi* licitè absque vlla immersione peragi, per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud *Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam*: sicut B. LAVRENTIVS legitur baptizasse; & hoc præcipuè propter necessitatem, vel quia est magna multitudo baptizandorum, vt

vt patet *Actor.*8.& 4. vbi dicitur, quod crediderunt vna die tria millia, & alia quinque millia: quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquę, vel propter debilitatem Ministri, qui non potest sustentare baptizandum; vel propter debilitatem baptizandi, cui potest imminere periculum ex immersione; & ideò dicendum est, quod immersio non est de necessitate Baptismi.* At si trina in Baptismate immersio in Scriptura, & Evangelio expresse contineretur, neutiquam primi Evangelij præcones, Sanctissimi Apostoli, contrarium operati essent per solam aspersionem, absque vlla immersione, baptizantes, vt fecisse legitur *Act.*2.& 4. Quare si Baptismum quem illi administrabant, & Ritum, quo in illius administratione vtebantur, legitimum, Evangelicum, ac Scripturæ minimè oppositum (vt par est) credere debemus, dicendum vtique & Baptismum, quem Hispani sub vnica immersione peragebant, Catholicum esse, & nullatenùs Scripturæ Sacræ adversari.

2618 Secundus Catholicarum Veritatum gradus est earum, quæ ab Ecclesia vniversali in Concilijs plenarijs à Summo Pontifice congregatis, & confirmatis tamquam ad Fidem Christianę Religionis pertinentia, definita sunt, licet expresse in Canone Scripturæ Sacræ non inveniantur. Et ratio huius est manifesta: nam vt S. GREGORIUS *in cap. Sicut. Dist.*15. ait: * Sicut Sancti Evangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor.* Quoniam, vt idem S. Gregorius dicit, *in Tract. de Cathol. Verit.* * Sicut Deus veritas est, ita & ea, quæ Apostolica Ecclesia de eo docuit, vera sunt. Vndè meritò dicitur *Proverb.*1. *Ne dimittas legem matris tuæ.* Glossa: *id est Ecclesiæ.* Notanter autem dictum est, *quæ Apostolica Ecclesia docuit*, scilicet Definitione iudiciali, esse credenda.

2619 Quod autem vnica in Baptismate immersio sub Invocatione Trinitatis nulli Definitioni ab Ecclesia in Concilijs emanata adversetur, certissimum est; nullum enim est alicuius Concilij Decretum, quod tale exprimat, aut Hispanos, quod vnica immersione sub Trinitatis Invocatione vsi fuerint, condemnet, aut eos hac baptizandi consuetudine in Ritu, aut Fide errasse, declaret; immò oppositum apertè patescit, siquidem Ritum baptizandi sub vnica mersione, invocata tamen personarum Trinitate, licitum esse, TOLETANUM CONCILIUM IV. declaravit. Et quamvis prædictum Concilium solum fuerit Provinciale, huiusmodi tamen Decretum Infallibilitate gaudere, iure optimo adstrui potest; tùm, quia à S. GREGORIO Papa approbatum est; tùm, quia statuit observandam esse vnicam immersionem, quemadmodum eam licitam esse S. GREGORIUS Papa *a S. Leandro*, consultus, definierat. Quare prædictum Conciliare Decretum, non tàm fuit Definitio, quàm executio Doctrinæ, quam prædictus Pontifex in materia Fidei (cum schismatis periculum immineret) ex Cathedra definiendo, tradiderat.

2620 Provincialium autem Conciliorum Decreta, in rebus ad Fidem spectantibus, Infallibili Authoritate gaudere, si ab Apostolica Sede meruerint approbari, certissimum est, vt demonstrant multæ hæresum, Hæreticorumque condemnationes, quæ à Provincialibus Concilijs emanarunt: Priscillianus enim à *Concilio Toletano I.* Elvidius à *Concilio Tollensi*. Pelagius à *Milevitano*, & *Carthaginensi Provincialibus Concilijs* damnati sunt; quamvis Pelagium *in Ephesina* etiam *Synodo* damnatum tradat GREGORIUS *in cap. Fraternitas. de Hæret.* & si hæc Sententia hodie *apud Ephesinum Concilium* non extet. Præterea quoscumque huiusmodi Concilia damnarunt, Ecclesia, quę in Fide errare non potest, semper explosit. VII. etiam SYNODUS *Act.* 3. cum Theodorus Concilia Generalia recepisset, statim subdit: * Locales Synodos non adversamur, sed magis amamus, amplectimur, & recipimus. Earum etiam divinitùs inspiratas Canonicas Constitutiones, Correctiones, & Legislationes, summa observantia colimus.* Hanc autem Theodori, & Orientalium Epistolam ipsa VII. Synodus approbavit. Et VIII. SYNODUS *Sess.vlt. Can.*1. pęclarè in hanc rem hęc scribit: * Regulas, quæ Ecclesiæ Sanctæ tàm à Sanctis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum Vniversalibus, necnon à Localibus Concilijs traditæ sunt, servare, ac custodire profitemur; sed & omnes, qui Christiano censentur vocabulo, damnationibus, & iustificationibus, quæ per illas prolatæ sunt, canonicè subijci decernimus.* Hactenùs VIII. Synodus, Cuius

Cuius verba, quamvis de omnibus Provincialibus Concilijs, à Summis Pontificibus approbatis, intelligenda sint, præcipuè tamen de illis, quę resolvunt, & decernunt in sua Provincia executioni mandandum id, quod præscriptum, decisum, & definitum fuit à Summis Pontificibus, quorum Definitionem adhuc extra Concilium Infallibilis esse Authoritatis, ex Concilijs, & Patribus latè *toto lib.* 1. probavimus. Vndè illa TOLETANI CONCILIJ, vnicam in Baptismate immersionem statuentis, determinatio, vt Arianorum errori, trina sua immersione Divinam Naturam in tribus Personis dividentium, occurreretur, tamquam Definitio in materia Fidei, priùs ab Apostolica Sede emanata, fuit Decretum Infallibili Authoritate pollens, & in Hispaniarum Regnis, in quibus ob grassantes Arianorum hæreses, Hispaniamque ea tempestate infestantes, Fidei periculum imminebat, ab omnibus de necessitate Fidei observandum.

2621 Nec obstat, si dicas: vnicam in Baptismate immersionem fuisse in Eunomianis à CONSTANTINOPOLITANA SYNODO condemnatam; non, inquam, obstat; quia, vt §. *antecedenti* latè probavimus, Eunomiani non ideò condemnati sunt, quia vnica immersione baptizabant; sed quia, contra CHRISTI Præceptum in Evangelio: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* nolebant sub Trinitatis Invocatione baptizare.

2622 Tertius Catholicarum Veritatum gradus est eorum, quæ in materia Fidei, Apostolicæ Sedis Iudicio definitæ sunt, quæ licet in Sacræ Scripturæ Canone non reperiantur, sunt tamen inter Catholicas Veritates computandę, quia vt ex Scriptura, Concilijs, Patribus, multiplicique rationum pondere *in superiori libro* fusè, ac manifestè ostendimus, Apostolicę Sedis Iudicium, etiam extra Concilium, in ijs, quæ Fidei sunt, Infallibilis Authoritatis existit, minimèque errare potest, iuxtà illud *Lucæ* 22. *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat Fides tua.* Quod egregiè confirmare videtur S. AUGUSTINUS *in cap. In Canonicis.* 19. *Dist.* vbi inter Canonicas Scripturas computandas ponit Epistolas, quas Apostolica Sedes dignata est admittere, alijque ab ea accipere meruerunt. AGATHO etiam Papa *in cap. Sic. ead. Dist.* ait: * Sic omnes Apostolicæ Sedis Sanctiones accipiendæ sunt, tamquam ipsius Divina Voce Petri firmatæ.* In idem collimat Sanctus HIERONYMUS *in cap. Hæc est Fides.* 24. *quæst.* 1. sic scribens: * Si hæc nostra Confessio Apostolatus tui Iudicio approbatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, & malevolum, vel non esse Catholicum, sed Hęreticum comprobabit.*

2523 Cum igitur Doctrina, quæ ab Apostolica Sede, ex Cathedra loquente, in rebus Fidei, & morum, in Apostolicis Rescriptis emanat, Catholica existat, videamus nunc, cuinam Apostolico Rescripto apponatur vnica in Baptismate immersio, qua sub Invocatione Trinitatis vtebātur, & vtuntur Hispani: vt enim huiusmodi Ritus hęreseos labe inficeretur, vt supponit Alcuinus, necessè erat, vt Catholicis veritatibus, & Catholicæ Sāctę Sedis Doctrinę adversaretur: atqui nullum invenietur alicuius Pontificis Rescriptum, qui ex Cathedra loquens, nec illis, nec posterioribus sæculis Hispanos in materia Fidei increparit, quod vnica in Baptismate immersione vterentur: ergo inverisimilis redditur calumnia, quam ipsis adscribit Alcuinus; præcipuè si consideretur, Summos Pontifices, estò omni tempore diligentissimè curaverint D. Petri Navim, ipsorum vigilantiæ commissam, ab inquieto, & procelloso errorum mari tueri, & ab immani Hæresum scopulo liberam conservare; singulari tamen Zelo in illorum extirpationem incubuisse, qui Sanctum Baptismi Sacramentum impio suo ore commaculabant; vt patet in Arianis, Eunomianis, Priscillianistis, Sabellianis, & Cataphrygis, qui omnes, in Baptismi forma, eiusque Fide errarunt; cum enim alij Personarum Trinitatem in naturas realiter distinctas dividerent; alij verò, Personarum distinctionem negarent, vnam tantummodò Divinam Personam confitentes; ideò illi trina, isti vna immersione, Trinitate non invocata, baptizabant. Summi ergo Pontifices huiusmodi hæresum extirpationi tanta sollicitudine invigilarunt, vt alij eas acritèr arguentes, increpantes, & reprehendentes multa, variaque exhortatoria Decreta Provincijs, Regibus, Regnis, Sanctissimisque Prælatis miserint, eos vehementèr hortantes, vt summa cura, vigilantique Zelo ab agro Dominico evellerent zizania, & pestem, quę tot erroribus Fideles infi-

inficiant, penitùs extinguerent: alij verò prædictos errores damnantes, censionis Sacrę fulmina in protervos, ac pertinaces intorserint, nec ijs acquiescentes, Concilia, tàm Nationalia, quàm OEcumenica congregati præceperint, vt hęreses prædictas prorsùs extirparent. Quis ergo credet prędictos Summos Pontifices, qui pro suo Apostolico Zelo præfatas hæreses in varijs Christiani Orbis Regnis grassantes, etiam in ijs, quæ ad Sanctum Baptismi Sacramentum pertinebant, tanta sollicitudine, ac vigilantia penitus extirpare conati sunt, Hispanis pepercisse, si isti vnà cum Eunomianis in Fide errassent, vt supponit Alcuinus? Inter tot enim Pontificia Rescripta, quæ contra hæreses in Baptismi materia ab Apostolica Sede emanarunt, nullum invenitur quo vnica immersio, qua baptizabant Hispani, non modò condemnetur, sed nec leviter arguatur; nec ipse Alcuinus, nec infensissimus aliquis huius Nationis æmulus huiusmodi contra Hispanos Apostolicæ Sedis Rescriptum hucusque allegavit; quod Hispanorum hac in re innocentiam, summamque æquitatem haùd levitèr arguit, ac manifestè evincit.

2524 Et certè hoc eodem tempore, quo Hispanos in Fide errasse contendit Alcuinus, florebat in Hispania Apostolicus Zelus S. LEANDRI, S. ISIDORI, aliorumque Virtute Illustrium Heroum, in quibus pervigil, indefessaque cura impugnandi, ac penitùs proscribendi Arianorum hæresim, cæterosque errores Ecclesiam, istaque Regna tunc temporis infestantes, adeò vehementer exarsit, vt ob hunc sanctissimum Zelum, ac spiritum promeruerint, non modò summis laudum præconijs celebrari, sed etiam in Sanctorum albo ab Apostolica Sede reponi. Si ergo Hispani vnica immersione in Fide ęrrassent, quomodo Sanctissimi illi Viri eis consensissent, aut illis opponi omisissent, quandò sola hæc indulgentia prædictos Sanctissimos Viros in materia Fidei culpabiles effecisset, cum sui muneris ergo deberent contra prædictam hæresim clamare, eamque vsque ad animæ, & sanguinis profusionem insectari. Quare cum in prædictum baptizandi Ritum, nec insurrexerint, nec sese illi opposuerint; hinc manifestè deducitur, eos vnicam in Baptismate immersionem prout ab Hispanis vsitatam, ab omni reprehensione immunem existimasse.

2525 Tandèm vnicam in Baptismate immersionem sub Trinitatis Invocatione, non modò ab omni errore liberam iudicarunt, sed licitam etiam asseruerunt S. LEANDER, & S. ISIDORUS, vterque Hispalensis Episcopus, S. BRAULIUS, Cęsaraugustanus Antistes, STEPHANUS, Emeritensis Episcopus, Sanctitate conspicuus (vt ex PAULO, Emeritensis Ecclesiæ Diacono *apud Loaysam in notis ad Concil. Tolet. IV.* patescit) & NONNITUS, Gerundensis Antistes, Vir singulari virtute præditus, de quo S. ILDEPHONSUS *de Vir. Illustr.* hæc habet: * Vir, professione Monachus, simplicitate conspicuus, actibus sanctus, non hominum diuturna deliberationę, sed Dei per homines celeri Definitione in Pontificatu adscitus.* Isti ergo, cæterique omnes Patres, & Antistites, qui Toletano Concilio IV. adfuerunt, vnicam in Baptismate immersionem sub Trinitatis Invocatione, vt Catholicam, & licitam, in pleno illo totius Hispaniæ Concilio, approbarunt. Verùm non modo prædicti Sanctissimi, eruditissimique Viri, sed & S. GREGORIVS MAGNUS respondens ex Cathedra, in materia Fidei, in Rescripto à nobis toties suprà laudato, non solum illam approbavit, sed etiam præcepit, vt Catholici à trina immersione, qua Ariani vtebantur, penitùs discederent, hicque idem Hispanorum in Baptismate Ritus posterioribus sæculis, non modò ab Vniversali Ecclesia approbari meruit, sed etiam à Viris Sanctitate, & Doctrina conspicuis, & in Litteraria Republica celeberrimis, PETRO nempè LOMBARDO, Sententiarum Magistro, B. ALBERTO MAGNO, & ANGELICO PRÆCEPTORE *in 4. Sent. Dist. 3.* & ibidem ab Eminentissimo Cardinali PETRO A TARANTASIA, quem mirabilis ipsius Virtus, eximiaque Doctrina ad Apostolicę Sedis apicem evexit, quos sequuntur Eminentissimi, ac eruditissimi Cardinales TVRRECREMATA, CAIETANVS, BARONIVS, & BELLARMINVS *locis suprà citatis*, & communis Theologorum omnium Nationum Sententia, qui vnicæ immersionis Ritum, sub Invocatione Trinitatis, non modò licitum, sed & Catholicum vnanimi consensu tradiderunt. Vndè cum prædicti Viri fuerint Sanctitate, & Doctrina cons-

conspicui, & acerrimi Fidei propugnatores, hæresumque debellatores extiterint, vt ipsa experientia demonstrat, temerarium proculdubio esset, asserere ipsos in Fide errasse, quod prædictam vnicam immersionem licitam esse tradiderint; id enim nihil aliud esset, quàm velle fulgentissimo Veritatis, Sanctitatis, & Doctrinæ Soli, quo in Ecclesiæ Cœlo enituerunt, tenebras offundere, quod nullus prudens æquo animo patietur.

2626 Quare rectiùs mihi videtur esse, asserere, hac in re deceptum fuisse Alcuinũ, quàm impiè adstruere Ecclesiam errasse, dùm vnicam in Baptismate immersionem approbavit, & observari præscripsit. Vel dicendum est (quod certiùs videtur) prædictam Alcuini Epistolam, quo ad acrem illam censuram, quam Hispanis inurit, suppostitiam esse, vel ab aliquo nostræ Nationis ęmulo, aut Hæretico, expluribus, quibus Regnum illud abundat, vitiatam; nec levem huic suspicioni ansam præbet innata illa æmulatio, qua semper Galli Hispanos insectati sunt, vt testantur assidua, cruentaque bella, quæ vtroque hoc regno ferè semper grassantur. Hinc credibile est, aliquem Apostolici Zeli, qui semper in Hispania floruit, invidum, prędictam in Hispanos censuram tulisse, eamque, vt credibilior fieret, commendabiliorque haberetur, prædicti adeò celebris viri Alcuini, Epistolæ, subdolè, fraudulenterque inseruisse: de præclara enim Alcuini Doctrina, & Sanctitate credi non potest, illam rem, adeò à veritate, Christiana pietate, & sana, solidaque prædictorum Sanctorum, & ipsius Ecclesiæ Doctrina alienam, absque vllo prorsus solido fundamento, scripsisse.

2627 Nihilominùs tamen adhuc nos vrget argumentum à Traditione desumptum: Traditio enim, vt sæpè diximus, est post Scripturam Sacram securius, tutiusque Catholicorum Dogmatum fundamentum, iuxta illud D. PAULI *ad Galat.* 1. *Siquis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis à me; Anathema sit*: prædicta enim verba sic exponit ORIGENES *in Comment. Epist. ad Tit.* * Hæreticum definit eum, qui se CHRISTO credere profitetur, & aliud de veritate Fidei Christianæ credit, quam habeat Traditio Ecclesiastica.*

2628 Tantę efficaciæ est in Ecclesiasticis controversijs argumentum à Traditione desumptum, vt eiusdem penè cum Scriptura existimetur Authoritatis; hinc S. BASILIUS *lib. de spirit. Sanct. cap.* 25. explicans illud D.Pauli *ad Thessalon.* 2. *Tenete Traditiones, quas accepistis, sive per Epistolam, sive per Sermonem*; hęc habet: * Dogmata, & Instituta, quę in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è Doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in Mysterio, id est occulto, tradita recepimus: quorum vtraque parem vim habent ad pietatem.*

2629 Consonat S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, dum *Homil.* 4. prædictum D. Pauli textum exponens, hęc scribit: *Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderint (*Apostoli*) sed multa etiam sine litteris; eadem verò fide digna sunt illa, quàm ista: itaque Traditionem quoque Ecclesiæ fidedignam putamus. Traditio est? Nihil quæras ampliùs.* Hæc ille.

2630 Cum ergo ad Fidei Dogmata probanda tanti roboris, & efficaciæ sit argumentum à Traditione desumptum, vt docent prædicti Sancti, alijque plures, quos *superiori libro, cap.* 5. lato calamo retulimus: cumque insuper, trinam in Baptismate immersionem esse Apostolicam Traditionem, fusè *hoc eodem cap.* probaverimus, hinc necessariò inferri videtur, Hispanos, dum ab Apostolica trinæ immersionis Traditione discesserunt, vnica baptizantes, in Fidei Dogmate defecisse, vel saltim suspicioni locum prebuisse; sicque ab Alcuini censura, non esse adeò liberos, vt hucusque contendebamus.

2631 Vt huic argumento satisfaciamus, præmittenda est Illustrissimi Episcopi Canariensis CANI, Doctrina *de Locis, lib.3. cap.5.* vbi duplex Traditionum genus distinguit; quarum aliæ sunt, quæ ad Fidem pertinentes; alię verò, ad Ecclesiasticam disciplinam spectãtes: illæ quidem à CHRISTO ad Apostolos emanarunt, ita vt isti eas tantummodò promulgarint, hasque invariabiles esse, nemo iure dubitabit; istæ verò, cum ab Apostolis traxerunt initium, qui pro bono Ecclesiæ regimine id tunc stabilierunt, quod magis congruere iudicarunt, ideòq; à D.Petri, Successoribus rectè possunt variari. Sapientissimi Cani verba audiamus: *In his autem Traditionum generibus (inquit) illa ca-

eadem consideranda sunt quidem, quę in superiori libro de Scripturæ etiam legibus admonuimus: sed discrimen illud maximè, quod de Scripturarum præceptis ibi positum, transferri huc ad Traditiones debet. Ex Traditionum quippè vinculo, quas à CHRISTO acceptas Apostoli Fidelibus servandas reliquere, Ecclesia Fideles eximere non potest, nec illas contraria aliqua consuetudine abolere. Si enim, exempli causa, materias, & formas Sacramentorum Confirmationis, Ordinis, Extremæ Vnctionis, à CHRISTO Apostoli, nos ab Apostolis accepimus: si ad eumdem quoque modum, Matrimonia nō consummata, per solemnem Castitatis professionem dirimi; consummata verò, per conversionem ad Fidem coniuge infideli discedente, CHRISTVS Dominus Apostolis, illi nobis edixerunt, in his, tamquam in Divinis Institutis, Ecclesia nihil habet potestatis. In quem sensum explicanda sunt duo illa *cap. Sunt quid im, & Contra Statuta* 25. *quæst.* 1. Nec huiusmodi Traditiones possunt per contrariam consuetudinem antiquari; sed tali adversę consuetudini iure obijciuntur *cap. Veritate, & cap. Si consuetudinem, & cap. Frustra*. 8. *dist.* in alijs verò, quę videlicet Apostoli constituerunt, tamquam Ecclesiæ Pastores, poterit quidem Summus Pontifex, vt in cæteris Ecclesiæ legibus dispensare: sic enim schola Theologorum loquitur, poteritque idem contrarius populi mos instituta huius generis abrogare.*

2632 Idipsū antea tradiderat S. VRBANVS Papa, vt habetur *in cap. Sunt quidā*, 25. *quæst.* 1. de quo diximus supra §. 3. huius controversię: * Vbi verò (inquit) apertè Dominus, vel eius Apostoli, vel eos sequentes Sancti Patres, sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prędictum est, vsque ad animam, & sanguinem confirmare debet.*

2633 At, si loquamur de moribus, ac statutis, quę non sunt de iure divino, vel naturali, vel Decreta Fidei, sed solum ad mores, & Ecclesiasticam pertinent disciplinam, & ad bonum Ecclesiæ regimen, Fideliumque instructionem spectant, estò ab Apostolica Institutione proveniant, dispensabilia sunt, atque iustis de causis mutabilia. Hūc vocandus ANGELICUS DOCTOR *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 3. docens, indispensabilia esse: * Quæ sunt de Iure naturali, & necessitate Sacramentorum, & Fidei; sed in alijs, quæ sunt de Institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi, & destruendi, quam tunc habuit, potest per eum, qui Primatum in Ecclesia tenet, dispensari.*

2634 Quod autem trina in Baptismate immersio non sit de his, quæ ad Fidem, vel Sacramenti Baptismatis essentiam, vel substantiam pertinent, sed de illis tantummodò, quæ ad illius Ritum, & Ecclesiasticam disciplinam spectant, probatur ex S. GREGORIO MAGNO, qui rescribens S. Leandro Hispalensi Episcopo ipsum consulenti, an illa Rituum diversitas, qua in Hispania alij trina, alij vnica immersione baptizabant, Baptismatis Fidei adversaretur? respondit, nullatenùs opponi: * Quia in vna Fide, nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa.* Cum tam ij, qui vnica, quam illi, qui trina immersione vtebantur, in Fide Trinitatis Personarum baptizarent. Vndè censuit Pontifex, nec reprehensibiles esse illos, qui vnica immersione, sub Trinitatis Invocatione, baptizabant, nec vlla ratione increpandos eos, qui sub eadem Trinitatis Fide Baptismum trina mersione peragebant; vt hęc eiusdem Pontificis verba manifestè convincunt: * Neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandos semel in aquis mergere, quia dum in tribus Personis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenùs potest, infantem in Baptismate, vel semel, vel ter mergere, quando in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in vna potest Divinitatis singularitas designari.*

2635 In celebri illa Græcos inter, & Latinos controversia: An Eucharisticus Panis debeat in fermentato, vel azymo consecrari? estò Latina Ecclesia in azymo consecrans, innitatur Traditioni ab Apostolorum tempore observatæ, & vnanimi trium Evangelistarum cōtestationi, docentium, CHRISTUM in azymo consecrasse; in Orientali tamen Ecclesia invaluit mos, non in azymo, sed in fermentato consecrandi; & nihilominùs Ecclesia in OECUMENICO FLORENTINO CONCILIO *sub Eugenio IV. sess. vlt.* attendens, ac maturè considerans, Panem consecrandum esse azymum, vel fermentatum, neutiquam ad Sacramenti essentiam, vel substantiam specta-

ctare, decrevit, vnamquamque ex prædictis Ecclesijs posse, salva Fide, in sua consecrandi consuetudine persistere; ita vt Orientalis in fermentato, Occidentalis verò in azymo validã, & licitam Consecrationẽ perficiat. Vndè sic à Patribus præfati cõcilij statutum legitur: *Hoc Sacro vniversali approbante Florentino Concilio definimus, &c. (Et infrà:) Item in azymo, sive fermentato Pane triticeo Corpus CHRISTI veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

2636 Idem definivit LEO IX. *Epist. 9. contra Michael. Constantinop. Patriarch. cap.* 5. quæ refertur *Tom.* 3. *Epistolar. Roman. Pontific.* & à Cardinali BARONIO *Tom.* 11. *anno* 1054. *cap.* 10. Idemque Baronius *in Append. eiusdem Tomi* 11. refert librum Humberti, Sylvæ Candidę Episcopi, Cardinalis, & Legati Apostolici, adversus Græcos schismaticos de azymo, & fermentato: contra quos & S. ANSELMUS *in Opusc. de eodem argumento*, & RUPERTUS, Tuitiensis Abbas, *lib.* 2. *de Divin. Offic. cap.* 22. & INNOCENTIUS III. *lib.* 4. *cap.* 4. eruditè scripserunt. Sed audiamus S. Leonem IX. *Epist.* 24. vbi, non obstante Apostolica Traditione, quæ in Latina Ecclesia viget, in azymo consecrandi, approbat Gręcorum consuetudinem Consecrationis in fermentato conficiendæ, sic scribens: * Scit enim Romana Ecclesia; quia nihil obsunt saluti credentium, diversæ pro loco, & tempore consuetudines, quando vna Fides per dilectionem operans bona, quæ potest, vni Deo commendat omnes. (Et ibidem addit:) Ecce in hac parte Romana Ecclesia, quantò discretior, & clementior vobis est; siquidem cum intra, & extra Romanam plurima Gręcorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesię, nulla earum adhuc perturbatur, vel prohibetur à Paterna Traditione (consecrandi scilicet in fermentato) sive sua consuetudine; quia potiùs suadetur, & admonetur eam observare.*

2637 At si inquirere velimus, cur Ecclesia in Panis Consecratione tam diversos Ritus permiserit? inveniemus, ideò id factum fuisse, quia Panem consecrandum esse azymum, vel fermentatum, non est de Sacramenti essentia, neque ad istius substantiam spectat, vt eleganter tradit ANGELICUS DOCTOR *in* 4. *Sent. Dist.* 11. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. dicens: * Non est de necessitate Sacramenti, quod sit azymus, vel fermentatus, quia in vtroque confici potest.*

2638 Consonat S. ANSELMUS *in Opusc. de hoc argumento*, sic scribens: * Nam & azymum, & fermentatum sacrificans, Panem sacrificat: non enim differunt azymum, & fermentatum substantialiter, vt quidam putant, sicut homo novus ante peccatum, & inveteratus fermento peccati nequaquam substantialiter differunt.*

2639 Ex dictis manifestè colligitur, in ijs, quæ non sunt de Sacramenti essentia, & substantia, nihil obesse, quod Ecclesię diversos Ritus, & consuetudines servent, & retineant. Vndè cùm immersio, sive trina sit, sive vnica, non sit de Baptismatis substantia, vel forma, aliàs Apostoli eam non omisissent, cum absque immersione, per solam aspersionem baptizasse legantur, vt diximus: hìnc cum Sacramenti Baptismi essentia componi potest, diversorum Rituum, & consuetudinum varietas, ita vt Baptismus vnica, vel trina immersione validè, ac licitè conferatur.

2640 Id eleganter probat SENTENTIARUM MAGISTER *in* 4. *Dist.* 3. vbi de immersione inquirens: quoties fieri debeat? hæc habet: * Præcisè respõdemus, vel semel, vel ter, pro vario more Ecclesiæ.* Quod confirmat D. GREGORIJ Authoritate: * Quia in vna Fide, nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa.* Qua Authoritate proposita, hęc subiungit: * Secundum hoc licet, non solum ter, sed etiam semel immergere. Ibi tamen immergere semel licet, vbi consuetudo Ecclesię talis existit. Siquis verò id facere incipiat vbi consuetudo talis non est, vel semel tantum mergendum asserat, reprehensibilem se constituit. Vnde Haymo ad illa verba: *Vnusquisque in suo sensu abundet* (*ad Rom.* 14.) In suo sensu abundabat Cyprianus cum semel mergebat in Baptismo parvulos, qui quod intelligebat, studiosè implebat bonis operibus abundando, licet in hoc nescius delinqueret: sed quia bonis operibus abundabat, posteà, correptus à Deo, abundavit altiori sensu ter illos mergendo. Ecce habemus, quia

deliquit, qui semel mersit: *Huiusmodi autem delictum, vt tradit ibidem Sententiarum Magister, non fuit in Sacramenti essentia, vel forma deficere, sed tantum in Ritu.* Sed hoc ideò; quia aliter se habebat consuetudo illius Ecclesiæ.* Vndè ita concludit: * Constat ergo, baptizandos tertiò debere immergi: & tamen si semel tantum immergantur, verum Baptisma accipiunt; & qui semel immergit tantum, non peccat, nisi consuetudo Ecclesiæ obsistat, vel hoc modo tantum debere fieri asserat.*

2541 Sententiarum Magistro subscribit B. ALBERTUS MAGNUS, dum *in 4. Sent. Dist. 3. art. 5.* resolvit, quod estò rationabilior sit trinæ, quàm vnicæ immersionis vsus, nihilominùs tamen vnica immersione baptizare, nec opponitur Fidei; nec Sacramenti essentię, & naturæ adversatur, eo quod huiusmodi Ritus ad meram consuetudinem reducatur: *Dicendum ad hoc (inquit) quod inter omnes consuetudines, magis rationabilis est consuetudo Ecclesię Romanæ, quæ ter immergit. (Et infrà:) Si tamen semel tantum immergatur, puto corrigendum esse baptizantem; sed infans nullo modo rebaptizandus est, quia plenum habet Baptismi Sacramentum.*

2642 B. Alberto Magno consonat ipsius discipulus D. THOMAS, qui non modò *in 4. Sent. Dist. 3.* sed etiam *3. part. quæst. 66. art. 8.* censet, vnicam in Baptismate immersionem licitam esse, nullique culpæ, aut reprehensioni obnoxiam, quod vt suadeat, adducit priùs S. Gregorij verba, sic scribens: * Gregorius dicit Leandro Episcopo: Reprehensibile esse nullatenùs potest, infantem in Baptismo vel tertiò, vel semel immergere: quoniam in tribus immersionibus, Personarum Trinitas; & in vna, potest Divinitatis singularitas designari.* Et deindè probat: quia Baptismi essentia, in ablutione sub Trinitatis Invocatione consistit: immersionem verò accidentalem reputat, eo quod nec ad Sacramenti essentiam, nec ad illius formam spectet: vndè sic resolvit: * Dicendum, quod, sicut priùs dictum est, ad Baptismum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate Sacramenti. Modus autem ablutionis, per accidens se habet ad Sacramentum; & ideò sicut ex prædicta Authoritate Gregorij patet, quantum est de se vtrumque licitè fieri potest, scilicet semel, & ter immergere; quia vnica immersione significatur vnitas mortis CHRISTI, & vnitas Deitatis; per trinam autem immersionem, significatur triduum sepulturæ CHRISTI, & etiam Trinitas Personarum. Sed diversis ex causis, secundum ordinationem Ecclesiæ, quandoque institutus est vnus modus, quandoque alius.*

2643 Hanc antem diversitatem Rituum Baptismatis in aliquibus Regnis trina, in alijs verò vnica immersione conferendi, ideò permisit Ecclesia, quia immersionem non esse de Sacramenti essentia, & substantia, certissimè iudicavit: & ideò primi Ecclesię Fundatores, Sanctissimi Apostoli, nunc immergendo baptizabant, vt §. *antecedenti* probavimus de Ritu baptizandi nudos; nunc Baptismum absque vlla immersione peragebant, iudicantes, nec trinam, nec vnicam immersionem esse de Sacramenti necessitate, & substantia, vt optimè quidem probat S. THOMAS *loco supra laudato 3. part. art. 7.* dicens: * Aqua sumitur in Sacramento Baptismatis ad vsum ablutionis corporalis per quam significatur interior ablutio peccatorum: ablutio autem fieri potest per aquam, non solù per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel effusionis: & ideò quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior vsus) potest tamen fieri Baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud *Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam*; vel quia est magna multitudo baptizandorum, vt patet *Actor. 2. & 4.** Vndè concludit: * Et ideò dicendum est, quod immersio non est de necessitate Baptismi.*

2644 Et ad argumentum, quo ex illo D. PAULI *ad Ephes. 4.* probari contendebatur, cum communis baptizandi Ritus sit per immersionem, proculdubio in Baptismi Fide defecturos eos, qui absque vna, vel trina immersione baptizarent, respondet Sanctus. * Quod ea, quæ sunt per accidens non variant substantiam rei: per se autem requiritur ad Baptismum corporalis ablutio per aquam: vndè & Baptismus, *lavacrum* nominatur, secundum illud *ad Ephes. 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit Baptismo; & ideò talis diversitas non tollit vnitatem Baptismi.*

Quod

2645 Quod egregiè confirmat Eminentissimus Cardinalis PETRUS DE TARANTASIA, Prædicat. Ord. postea Innocentius V. Pont. Max. dum *in 4. Sent. Dist. 3. quæst. 2. art. 1.* inquirens substantiam formæ Baptismi, resolvit immersionem non esse de essentia, nec de forma, nec de substantia Baptismi, sed de Ritu tantum, qui secundum Ecclesiarum consuetudinem variari potest. Undè *ad 1. quæst.* hęc habet: * In forma verborum Baptismi duæ particulæ continentur, vna pertinens ad Sanctificationem elementi, scilicet Invocatio Trinitatis; & altera pertinet ad determinationē intētionis, scilicet expressio actus baptizandi: prima habetur ex Institutione Divina, & est eadem apud omnes Ecclesias, & secundum omne tempus: secunda (scilicet: *Ego te baptizo*) habetur ex Traditione Ecclesiastica, nec est omninò eadem apud omnes Ecclesias, nec secundum omne tempus.*

2646 Quod probat ex Gręcorum, Latinorumque Ritu, cum enim illi baptizent, dicentes: *Baptizetur Servus CHRISTI*; Latini hanc adhibent formam: *Ego te baptizo.*

2647 Et paulò infrà: * Undè pars illa formę, quæ pertinet ad Sanctificationem elementi, scilicet Invocatio Trinitatis, de substantia est: altera verò pars, scilicet: *Ego te baptizo*, quantum ad expressionem actus, & pe. sonę, iterum de substantia est; quantum verò ad modum expressionis, qui varius est, non est de substantia, sed accidit ex Statuto Ecclesiæ.*

2648 Videamus ergo nunc quid de trina immersione censeat. Igitur *art. 2. quæst. 4. ad 1. quæstion.* resolvit immersionem, sive ea vnica sit, sive trina, neutiquam ad Sacramenti essentiam, vel substantiam spectare, sed ad solam Ecclesiæ consuetudinem pertinere. * Respondeo *ad 1. quæst.* (inquit) quod circa Sacramentū Baptismi quędam sunt de esse Sacramenti, & hæc debent esse eadem apud omnes, quia vnum est Baptisma: quædam de benè esse, quæ sunt potiùs Sacramentalia, & hæc non sunt eadem apud omnes, sed variantur pro necessitate, & consuetudine: Undè in his consuetudo servanda est. De his verò est modus intingendi, & numerus intinctionum: vndè in his consuetudo Ecclesię cuiuslibet servanda est, nisi casus specialis occurrat, vel necessitas, quæ impediat.*

2649 Et *ad aliam quæst. 3.* scilicet *eiusdem articuli*, hæc habet. * Quamvis secundum consuetudinem diversarum Ecclesiarum, vel semel tantum, vel ter sit immergendum, tamen probabilior est consuetudo, quæ ter immergit: quia significat Fidem Trinitatis, & triduum Sepulturæ. Hæc tamen significatio non est de substantia Sacramenti, quia de substantia Sacramenti est res significata, & contenta, non illa, quæ est significata, non contenta. Authoritates ergo, quæ dicunt semel tantum immergendum, intelliguntur, vbi erat consuetudo talis: Authoritates, quæ dicunt, ter immergendum, intelliguntur, vbi erat consuetudo contraria.*

2650 Nec dissentit Cardinalis TVRRECREMATA; siquidem *de Consecrat. Dist. 4. Cap. Postquam.* tria inquirit 1. An immersio sit de necessitate Baptismi? Et respondet, eam non esse de necessitate Sacramenti, propter rationem, quam ex D. THOMA suprà attulimus: quia nempè Baptismi essentia ablutionem importat, quæ non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis perfici potest: * Et patet (inquit) conclusio ex hoc, quod Apostoli hoc modo baptizasse videntur, scilicet aspergendo vel effundendo. Vnde mos ille servatur adhuc in multis Ecclesijs, & maximè in Ecclesia Gallicana, vt dicit D. Bonaventura. Et ideò quando consuetudo patitur, vel quando necessitas incumbit propter defectum aquæ, vt si sit modica; & propter periculum pueri, de cuius morte timetur; vel etiam propter imbecillitatem baptizantis, non potentis sustentare infantem; vel quia rudis, & timetur, ne ledat puerum; vel propter impotentiam Baptismi, vtputa si puer non sit totus natus, potest sine immersione celebrari.*

2651 Et quamvis in prædictis casibus alijsque similibus, Baptismus absque immersione licitè celebretur, eo quod hæc ad eius essentiam non pertineat, vt ipse Cardinalis suprà tradiderat; nihilominùs censet, communiorem Ecclesiæ consuetudinem esse, Baptismum immersione conferre: * Mos tamen communis Ecclesiæ est, Baptizare immergendo, vt ex dictis Sanctorum in præsenti parte colligitur.* Eadem est S. BONAVENTURÆ sententia; siquidem *in 4. Sent. dist. 3.* hæc tradit: * Vtroque modo baptizari potest; tamen convenientiùs, aptiùs, & securiùs est,

est baptizare immergendo; & si est satis de aqua, totum corpus debet immergi; si parum, sufficit si est tantum, quod immergi possit pars principalis, vt caput, & pectus, vel caput tantum, quia ibi sunt omnes sensus, & ibi maximè viget operatio animæ, &c.*

2652 Vsum baptizandi per immersionem, eleganter tradit idem S. Bonaventura *loco citato*, quem refert Turrecremata supra laudatus: * Sacerdos debet tenere per latera, & versa facie ad aquam debet immergere, ita quod habeat caput versus Orientem; secundò, versus Aquilonem; tertiò, versus Meridiem, & hoc, si trina mersione debet fieri. Et tunc in prima debet dicere Sacerdos, vt dicit Hugo: *Baptizo te in nomine Patris*, immergẽdo puerum, facie pueri versa ad Oriẽtem; postea parum levare, & dicere: *& Filij*; mergendo eum versus sinistram partem; & iterum puerum levare, & dicere: *& Spiritus Sancti*, mergẽdo eum versus dexteram partem, & tunc Patrinus debet eum recipere, & elevare de aqua; de qua vt 30. *quæst.* 1. *cap. Nosse. & quæst.* 4. *cap. Siquis* Hæc tamen (inquit Turrecremata) ad solemnitatem spectant.*

2653 Ad secundam autem quæstionem, in qua discutit: An immersio debeat esse trina, vel non? sic respondet: * Secundum *D. Thomam*, & *Alexandrum de Ales* congruentissimè observatur trina immersio, sive trinus numerus immersionis.* Quod ex S. AUGUSTINO, S. DIONYSIO, S. IOANNE CHRYSOSTOMO, D. HIERONYMO, alijsque confirmat.

2654 Tertio tandèm inquirit: An trina immersio sit de necessitate Baptismi? & negativè respondet cum S. GREGORIO *cap. de trina*. In cuius resolutionis confirmatione hæc habet: * Quod ipsa trina immersio non est de necessitate Sacramẽti patet, si enim ipsa immersio non est de necessitate Sacramenti, vt visum est circa *cap. præcedens*, nec numerus immersionum erit de necessitate Sacramenti.*

2655 Eadem est Eminentissimi Cardinalis CAIETANI mens; siquidem *in expositione art.* 8. *de trina immersione suprà relati*, hæc habet: * Utrumque licitè fieri potest, scilicet, & semel, & ter immergere.* Et ratio, cui innititur, est: * Quia ad Baptismum per se, requiritur ablutio, per accidens autem, modus ablutionis. (Et infrà:) Vbi scito, quod licet hodie, qui baptizantur in fontibus immergantur, & fortè ter; qui baptizantur in domibus per modum effusionis baptizantur, & propterà nullum peccatum committere videntur, qui ter non immergunt.*

2656 *Ad* 3. autem dicit: * Quod si intentio Ministri fundatur super Ritu Ecclesiæ, eadem est intentio Ministri intendentis exercere trinam immersionem, & Ecclesię instituentis illam. Constat autem quod Ecclesia instituit trinam immersionem, non ad substantiale Sacramenti, sed Cæremoniale eiusdem: quoniam non nisi ad significandum vel Trinitatem Personarum, vel triduum Sepulturæ, illam instituit. Intentio ergo Ministri ad trinam immersionem fertur, non vt ad rem necessariam Sacramento, sed vt ad Cæremoniam eiusdem. Omissio autem Cæremoniæ non tollit veritatem Baptismi, &c.*

2657 Coronidem tandèm imponat Illustrissimus CANO *loco suprà laudato*, vbi, vt diximus, duplex distinguit Traditionum, & Ecclesiasticarum consuetudinum genus: aliæ enim sunt, quæ à CHRISTO ad Apostolos emanarunt, vt Sacramentorum Institutio, & quidquid ad illorum essentiam, & formam spectat; aliæ verò, quæ ab ipsis Apostolis, vti Ecclesiæ Principibus, ad bonum ipsius regimen ortum duxerunt. De illis asserit, nec variari posse, nec mutari; de his verò, tamquàm Ecclesiasticis Legibus, quæ pro illo tempore, bono Ecclesiæ, & animarum regimini congruere videbantur, censet, posse Summum Pontificem, vt in cæteris Ecclesiæ Legibus, dispensare; posseque etiam contrarium Populi morem huius generis Instituta abrogare. Ut autem clariùs appareat, de quibus Traditionibus, & consuetudinibus loquatur, sic, ad rem nostram aptissimè, prosequitur: * Ut trina immersio, quam ex Apostolica Traditione in Baptismi Sacramento Ecclesiam habuisse, *Canon Apostolorum* 49. ostendit, per contrariam consuetudinem abolita est. Eiusdem quoque ordinis est Quadragesimæ Ieiunium, ac pœnę rursum ab Apostolis pro criminibus præfinitæ, quæ *q.* 82. *Dist. cap. Presbyter ex Concilio Gangrensi* referuntur. Ad hoc genus illud refertur, quod ex Anacleti I. Epistola Hæretici vrgere solent: Peracta Consecratione omnes communicent; qui noluerint

Eccle-

Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim Apostoli statuerunt. Quamquàm de Ministris, qui Episcopo sacrificanti in diebus solemnioribus inserviebant, Anacletus loquitur. Quarè indè colligi non potest, omnes eos, qui Missæ intererant, oportere etiam tunc Communionem Eucharistiæ sumere, in his præsertim diebus, qui solemniores non essent. Sed vt antiquo more, Apostolorumque Instituto, Communio totius etiam Populi, à principio statim nascentis Ecclesiæ exigeretur, ætate tamen Chrysostomi præceptum relaxatum esse constat, & Communionem stantium voluntati permissam, ad quam eos Diaconus alta voce invitabat, non cogebat. Hæc enim, & alia huiusmodi, tametsi ab Apostolis tradita sunt, non sunt tamen ita fixa, vt moveri non queant.*

§. IX.

ALIIS ARGVMENTIS exhibetur solutio.

2658 ARguitur secundò: Trina immersio est de Præcepto Divino, vt in nostræ Assertionis probatione diximus cum S. IOANNE CHRYSOSTOMO, & PELAGIO Papa, qui *Gaudentio Episcopo* scribens, hæc habet: *Evangelicum Præceptum ipso Domino, & Deo Salvatore nostro IESV CHRISTO tradente nos admonet, in nomine Trinitatis, trina immersione Sanctum Baptisma vnicuique tribuere.* Sicut ergo in nomine Trinitatis baptizare, est de necessitate Sacramenti, ita & ter immergere, ad eiusdem essentiam proculdubio spectabit: sicque Hispani vnica immersione baptizantes, culpabiles in materia Fidei sunt effecti, vtpotè operantes contra ea, quæ sunt de necessitate salutis.

2659 Huic argumento respondemus negantes antecedens, dari nempè Divinum Præceptum de Baptismate trina immersione perficiendo: nusquam enim invenitur, CHRISTVM Dominum præcepisse, esse de facto trina immersione baptizandum: solum enim legimus ipsum iussisse, vt Baptismus sub Trinitatis Invocatione conferretur *iuxta illud Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Id autem, quod in Sacramentorum Institutione non præcepit CHRISTVS, non est de necessitate Sacramenti; licet ex mandato Ecclesiæ possit esse de necessitate præcepti. Sed pro clariori huius solutionis illustratione, consule D. THOMAM *3. part. quæst. 63. art. 2.*

2660 Ad illud, quod de Pelagio Papa in argumento proponitur; negamus ibi contineri de trina immersione Præceptum, sed de sola Trinitatis Invocatione, ad cuius instar, & similitudinem, trina adhibebatur immersio; vt præclarè docet D. THOMAS *loco suprà laudato 3. part. art. 8. ad 2.* sic scribens: *Pelagius Papa intelligit, trinam immersionem esse de mandato CHRISTI in suo simili, in hoc scilicet, quod CHRISTVS præcepit baptizari *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: non tamen est similis ratio de forma, & de vsu materiæ, vt dictum est.*

2661 Cui solutioni haud leviter adstipulatur Doctrina FRANCISCI SYLVIJ, Sacræ Theologiæ Doctoris, eiusdemque in Duacensi Academia, quam sua eruditione magnoperè illustravit, Publici Professoris Ordinarij; qui in *3. part. quæst. 66. art. 8. circa respons. ad 2.* *Adverte (inquit) Pelagium Papam *cap. Multi. de Consecrat. Dist. 4.* per se, & directè solum voluisse docere, quod ad Baptismi substantiam requiratur expressa Invocatio Trinitatis, vt patet ex collatione illius Capituli cum *cap. Solent revera.* Sed quia illo tempore consuetum erat, tres Personas tribus immersionibus invocare, ideò Pontifex trinam immersionem trium Personarum Invocationi coniunxit, tametsi non sit vtriusque par necessitas. Vndè quod dicit, *Evangelicum Præceptum*, referri debet solum ad illud proximum, *in nomine Trinitatis*; non ad remotius, & secundarium, *trina etiam immersione.**

2662 Pro eiusdem solutionis confirmatione, videndus D. THOMAS *in sol. ad 1.* vbi docet, quod quamvis in forma Baptismi sit de necessitate Sacramenti Trinitatis expressio, iuxta illud: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* quod pertinet ad formam, huiusmodi tamen expressio ex parte materiæ, ad quam trina spectat immersio, non est de necessitate Sacramenti, sed tantum de Ritu, vel solemnitate, vel ipsius Ecclesiæ consuetudine.

2663 Quod vt clariùs intelligatur prænotandum est D. THOMAM *in dicto primo argumento* sibi obijcisse D. Augustini

stini Authoritatem *in quodam Sermone de Symbolo ad baptizatos*, vbi sic eos alloquitur: * Rectè tertiò mersi estis quia accepistis Baptismum in nomine IESU CHRISTI, qui tertia die resurrexit à mortuis. Illa enim tertiò repetita immersio typum Dominicæ exprimit Sepulturæ, per quam CHRISTO *consepulti estis in Baptismo*, sed vtrumque videtur ad necessitatem Baptismi pertinere: ergo quod trina immersio sit de necessitate Baptismi.*

2664 Cui argumento satisfacit ANGELICUS PRÆCEPTOR, hæc scribens: * Trinitas est sicut agens principale in Baptismo: similitudo autem, pertinet ad effectum secundum formam, & non secundum materiam: & ideò, significatio Trinitatis fit in Baptismo per verba formæ. Nec est de necessitate quod significetur Trinitas per vsum materiæ, sed hoc fit ad maiorem expressionem: similiter etiam mors CHRISTI figuratur sufficienter in vnica immersione: triduum autem Sepulturæ non est de necessitate salutis nostræ, quia etiam si vna die fuisset sepultus, vel mortuus, sufficeret ad perficiendam nostram Redemptionem: sed triduum illud ordinatur ad manifestandum veritatem mortis, vt supra dictum est (*quæst.* 51. *art.* 4.) Et ideò patet quod trina immersio nec ex parte Trinitatis, nec ex parte Passionis CHRISTI est de necessitate Sacramenti.*

2665 Secundò, principali argumento respondemus, quod estò concedamus, trinam in Baptismate immersionem esse de præcepto in suo simili, vt cum ANGELICO PRÆCEPTORE *supra* asseruimus; negamus tamen, eam esse in se præceptam; vt enim optimè notavit Piissimus, Eruditissimus, ac Venerabilis P. M. Fr. SERAPHINUS PORRECTA, Ord. Præd. *in Comment. huius art.* rectè vtrumque cohæret, & quod illa immersio in se ipsa in præcepto non sit, & quod in suo simili sit præcepta; sicut ab exemplo patet, stare simul hæc duo, scilicet, quod nos considerati in nobis ipsis non simus adhuc resuscitati, in Cœlestibusque regnantes, & quod nos considerati in Capite nostro CHRISTO, simus iam resuscitati, in Cœlestibusque regnantes, vt olim dixit APOSTOLUS. Porrò trinam immersionem in suo simili esse de præcepto, est, formam baptizandi *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ad cuius similitudinem trina immersio fit, esse de præcepto, iuxta ea, quæ dicit D. THOMAS *in solut. ad* 2.

2666 Arguitur tertiò; Apostoli fuerunt à CHRISTO electi, vt verbo, & scripto nobis traderent ea, quæ sunt de necessitate salutis, Evangelium enim, & ea, quæ in illo continentur verbo, & scripto nobis tradiderunt: Vndè ea, quæ ipsi præceperunt, æquê nos obligant, ac si ipse CHRISTUS per se ipsum iussisset: Cum ergo trina in Baptismate immersio sit ex Apostolorum Canone, & Traditione, in Ecclesiam inducta, vt suprà diximus: hinc fit eam æquè nos obligare, ac si fuisset ab ipso CHRISTO præcepta, sicque non potuerunt Hispani Baptismum vnica immersione perficere, quin Apostolorum Canonem everterint, & Apostolicam Traditionem violarint.

2667 Huic argumento, quoad Apostolicam Traditionem, respondemus: Traditiones in duplici esse differentia; aliæ enim sunt, quas Apostoli, vel ab ipso CHRISTO Domino immediatè acceperunt, vel ipsi, Spiritu Sancto dictante, constituerunt; aliæ verò sunt, quas ipsi, tamquam Ecclesiæ Rectores, pro bono istius regimine stabilierunt. Primæ dicuntur Divinæ, tamquam ad Ius Divinum pertinentes, & eamdem cum illo Authoritatem habent, de quibus intelligitur D. PAULUS 2. *ad Thessalon.* 2. & declaratum fuit *in Concilio Florentino Sess.* 4. Secundi generis Traditiones eâdem, ac Sacri Canones obtinent Authoritatem. Vndè cum trinæ immersionis vsus non ex Divina, sed ex Apostolica Traditione manarit, rectè potuit ab Hispanis, iustis de causis, in vnam mutari.

2668 Nec obstat 50. Apostolorum Canon relatus *in cap. Siquis Presbyter* 79. *de Consecrat. dist.* 4. quia hic Canon loquitur de illis, qui invocata tantum Domini morte sub vnica immersione baptizabant, & in eo tantum docetur esse contra ius Divinum, omissa expressa Trinitatis mentione Baptismum, tantummodò sub mortis CHRISTI Invocatione, conferre, non tamen asseritur vnicæ immersionis vsum Divino Præcepto opponi. Quæ solutio colligitur ex ratione, quam adducunt Apostoli illis verbis: *Non enim dixit Dominus: in mortem meam baptizate.* Sed: *Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Hûc

2669 Egregiè facit illud GLOSSÆ *super hunc textum*: * Aliud est (inquit) semel immergi sub illorum verborũ forma, *baptizo te in mortem Domini*, quod interdicitur; aliud, in nomine Trinitatis, hoc est *Patris, & Filij & Spiritus Sancti*, vnica mersione, quod in Ecclesia quibusdam permittitur. Quod confirmant illa eiusdem Canonis verba: *Non enim dixit Dominus: in mortem meam baptizate.* Vndè prędictus Canon potiùs spectat ad Baptismi formam, quàm trinam mersionem; hanc enim potiùs ad Baptismi Ritum, & consuetudinem, quàm ad illius formam pertinere, latè probavimus.

2670 Pro pleniori huius solutionis elucidatione, audienda est eruditi Patris AZOR Doctrina *lib. 5. Instit. Moral. cap. 15. quæst. 4.* quam, etsi ex parte adduxerimus cum Illustrissimum Episcopum CANVM laudavimus, quia tamen quidquid in argumento proponitur eleganter solvit, eam hic ex integro transcribendam censuimus: * Apostoli (inquit) aliquid tradiderunt, vel constituerunt, primò quidem vt Ministri CHRISTI Domini, & viva Spiritus Sancti instrumenta: Et quidquid hac ratione tradiderunt, constitueruntve, traditio est, & constitutio divina: Sic enim Scripturas Canonicas ediderunt, sic Baptismum parvulorum, Cultum, & venerationem Sacrarum Imaginum, vivorum pro mortuis Suffragia, Invocationes Sanctorum, perpetuam Deiparę Virginitatem, Symbolum Fidei, & alia, pleraque docuerunt; & ab his Romanus Pontifex aliquem solvere nequit, quoniam sunt Iuris Divini, cuius Author, & conditor est Deus, Apostoli verò tantum promulgatores.

2671 Secũdo (prosequitur) aliquid cõstituerunt Apostoli, vt Pastores, Presides, & Pręfecti Ecclesiarũ à CHRISTO Domino delecti, & creati, & hoc modo ediderũt Canones, quos Clemens Romanus collegit, & litteris consignatos posteritati mandavit, qui Apostolorum esse dicuntur, quorum rigorem iure potest Romanus Pontifex mitigare, & relaxare, si iusta, & debita causa intercesserit. Talia enim sunt multa Pręcepta, quæ apud Paulum commemorantur de homicida, vel ebrioso minimè ad Ordines promovendo, de bigamo non ordinando, de non eligendo neophyto. Eiusmodi etiam sunt quædam aliæ Apostolorum Traditiones, quadragenarium ante Pascha Ieiunium, inter Pascha, & Pentecostes in pręcationibus genu non flectere, eodem tempore Ieiunium non colerę, Deum versus Orientem vultu converso præcari, Continentia Sacerdotum, quorundam Festorum dierum observatio, Dominicæ diei cultus, in quarta, & sexta quoque feria Ieiunium, & præceptum ibidem de abstinendo à sanguine, & suffocato.* Hactenus Azor.

2672 Ex quibus nonnulla Græci negligunt, etiam si sint Apostolorum documentis innixa; Grecorum enim Sacerdotes, nec cęlibem vitam agunt, nec multi illorum suffocata animalia gustare recusant. Vndè, etsi fateamur trinam in Baptismate immersionem esse Apostolorum Canone præceptam, indè tamen non deducitur Hispanos non potuisse, Apostolica Sanctissimi GREGORIJ Papæ, Authoritate, trinam immersionem in vnam mutare, Latinosque, iuxta diversarum Regionum morem, Baptismum modo trina, modo vnica immersione conferre. Apostolorum enim Canones, & Statuta non sunt ita rigidè intelligenda, vt non possit eorum rigor iustis de causis temperari; sic licet Apostolicus Canon mandet omnem Sacerdotio, aut Diaconatui applicandum esse sine crimine, seu sine externo peccato mortali: rigor tamen hic apud omnem sub Cælo Ecclesiam iam pridem obsolevit; sic licet Apostolicus Canon præcipiat Episcopum coram Clero, & Populo ab Episcopis eligi, omnis tamen sub Cœlo Ecclesia iam dudum Episcopos aliter creat. Sic estò Apostolicus Canon omne Illyricum Romano, omnem Orientem Antiocheno Patriarchæ subijciat, posterior tamen Ecclesia hæc omnia mutavit: Plura sunt istius modi exempla, nam, & Constantinopolitanus Patriarchatus, Apostolicis Canonibus manifestè repugnat. Rectè ergo potuit Ecclesia trinam immersionem in vnam mutare; attamen hoc factum est eo tempore pro sola Hispania, vt ex dictis rationibus innotescit.

2673 Hùcusque, necessitate compulsi fusiori calamo proposuimus iustissima, ac æquissima momenta, quibus adducti fuerunt Hispani, vt à trinæ immersionis vsu discederent, vnica vtentes, quin in Fide, & Religione deficerent, vt iniustè hanc calumniam eis objicit Alcuinus; imò hac in re sese gesserunt, vt Zelosissimi Catholi-

ti, in quibus semper viguit ferventissimus Fidei ardor, & ardentissimus Zelus, vel levissimam erroris nebulam penitùs propulsandi, semperque enituit summa erga Supremam D. Petri Cathedram, & Apostolicam Sedem veneratio, Apostolicis Decretis, quæ à Summis Pontificibus emanant, humiliter parentes; vt patuit in vnicæ immersionis Ritu, quem Hispani vnicè tenuerunt, vt tamquam veri Catholici, & Apostolicæ Sedis obsequentissimi filij obedirent Præcepto, quo illius executionem iniunxit S. GREGORIUS MAGNUS, qui tunc temporis Ecclesiæ Clavum gloriosissimè moderabatur; in cuius observantia errare non potuerunt Hispani, imò sese verè Catholicos exhibuerunt.

2674 Verùm estò hucusque 49. vel secundum alios, 50. Apostolorum Canonem legitimum esse, fusiori calamo ostenderimus, non desunt tamen inter recensiores aliqui, qui id inficientur; siquidē Magister ALEXANDER NATALIS *Sæculo primo Hist. Ecclesiast. Dissert.* 17. summatim relato hoc Apostolorū Canone, quo trina immersio præcipitur, hęc habet: *Istum Canonem Apostolicum non esse constat.* Sed non possum non mirari id certum, & constans à prędicto Authore asseri; cum oppositum sit certum. Primò, quia prædictus Canon continetur in illis quinquaginta, quos tam Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesia communiter recepit; vt & gravissimorum Authorum, tàm Græcorum, quam Latinorum testimonijs, Summorum Pontificum LEONIS, & Sancti ZEPHERINI Authoritate, ac tandem TRULLANÆ, & LATERANENSIS SYNODI, sub Stephano Papa celebratæ *Actione* 4. & aliorum Conciliorum Decretis latè probavimus *hoc Lib.2.cap.7.*

2675 Secundò, quia hæc eadem prædicti Canonis de trina immersione Sententia, in specie meruit approbari à S. GREGORIO MAGNO *lib.1. Epist.41. ad S. Leandrum*, vt habetur *de Consecrat. Dist.4. cap. de trina*, & *lib. de sacrament. de Baptism. infant.* & à Papa GELASIO *ad Gaudentium Episcopum* scribente, vt habetur *in cap. Multi. eadem Dist.* ab ADRIANO I. *in Epitome Canonum num.*50. à VIGILIO Papa *Epist.* 1. *cap.*2. & à S. LEONE I. *Epist.4. cap.3.* quod & comprobant TEXTUS *in cap. Siquis Presbyter, de Consecrat. Distinct.* 4. & TEXTUS *in cap. eodem modo de Consecrat. Dist.*4. desumptus ex D. HIERONYMO *in Epist. ad Ephesios, lib.2. cap.* 4. & *cap. postquam. de Consecrat. Distinct.*4. ex D. AUGUSTINO *Homil.* 3. *desumptum.*

2676 Tertiò, quia non modò Summi Pontifices, sed Sacratissima etiam Concilia, prædicti Apostolorum Canonis de trina immersionē Doctrinam approbarunt, vt TOLETANUM IV. *Gothorum tempore* celebratum *Can.* 5. & CASSELANUM *in Hibernia sub Alexandro* 3. habitum *Can.*1. & RAVENNATENSE II. *in partibus Italiæ, sub Clemente V.* congregatum.

2677 Quartò, quia eamdem prædicti Canonis de trina immersione sententiam Sancti Patres vnanimi consensu commendarunt, vt inter Græcos S. CLEMENS ROMANVS, S. DIONYSIVS AREOPAGITA, S. ATHANASIVS, S. CYRILLVS & cum illis Imperator CONSTANTINVS, S. BASILIVS MAGNVS, S. GREGORIVS NYSSENVS, S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, S. IOANNES DAMASCENVS, THEOPHILACTVS, SIMEON METAPHRASTES, alijque magnæ Fidei, & Authoritatis scriptores Græci, vt NICETAS CHONIATES, THEODVLVS, Cœlesyriæ Presbyter, NICOLAVS CABASYLAS, Thessalonicensis Antistes, SEVERVS ALEXANDRINVS, HIEREMIAS, Patriarcha Constantinopolitanus, & alij, quos brevitatis causa omittimus.

2678 Nec inter Latinos Patres desunt gravissimi Authores, qui hanc prædicti Canonis de trina immersione sententiam, expressis verbis tradiderint, suaque Authoritate comprobaverint, vt S. AMBROSIVS *lib.* 2. *de Sacrament. cap.*7. S. AUGVSTINVS relatus *in cap. Postquam. de Consecrat. dist.* 4. *& Serm.* 201. *de Temp.* S. PETRVS CHRYSOLOGVS *Serm.*103. S. LEO MAGNVS *Epist.* 4. *cap.* 3. S. CÆSARIVS, Arelatensis Episcopus, *Hom.3. de Pasch.* PASCHASIVS DIACONVS, S.R.E. Cardinalis, *lib. 2. de Spirit Sanct.* S. ISIDORVS, Hispalensis Antistes, *lib. de Vir. Illustr. cap.* 26. ALCUINVS FLACCVS *de Offic. Eccles. cap.*19. HAYMO *ad cap.* 14. *Epist. ad Rom.* UVALAFRIDVS STRABO *de Reb. Ecclesiast. cap.* 26. RABBANVS MAVRVS *de Instit. Cleric.*

ric. lib. 1. cap. 28. PASCHASIVS RATHBERTVS *de Corp. & Sang. Dom. cap.* 15. SMARAGDVS Monasterij S. Michaelis ad Mossam Abbas, *in cap.* 4. *Epist. ad Ephes.* S. FVLBERTVS, Carnotensis Antistes, *Epist. ad Deodat.* RODVLPHVS ARDENS *in die S. Trinit.* S. ANSELMVS, Cantuariensis Archiepiscopus, *ad cap.* 6. *Epist. ad Rom.* IVO, Carnotensis Episcopus, *Serm. de Sacram. Neophyt.* HONORIVS, Augustodunensis, *Serm. de Cœna Dom.* HVGO DE S. VICTORE *de Sacram. Fidei, lib.* 2. *part.* 6. *cap.* 11. MAGISTER SENTENTIARVM *lib.* 4. *dist.* 3. IACOBVS à VITRIACO, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Tusculanus, *in Serm. de Oct. Epiphan.* ANGELICVS PRÆCEPTOR *in Symb. Apost. cap.* 13. & 3. *part. quæst.* 66. *art.* 8. IOANNES SCOTUS *in Report. sup.* 4. *Sent. Dist.* 3. *quæst.* 4. THOMAS UVALDENSIS *Tom.* 3. *Tit.* 5. *cap.* 1. IOANNES GERSON, Parisiensis Cancellarius, *in Summa Theologiæ, lib.* 4. *de Sacram. Baptis.*

2679 Omnes isti Authores, & vtriusque Ecclesiæ Patres hanc de trina immersione sententiam *in prædicto* 49. *Apostolorum Canone* contentam, summo consensu & vniformitate approbant, quorum verba retulimus *cap.* 12. §. 1. & 2. in ista de hoc Apostolorum Canone dissertatione.

2680 Nec obstat, si dicas, prædictos Patres, etsi prædicti Canonis sententiam approbarint, neutiquam tamen asseruisse, eam esse Apostolorum Canone traditam. Nos enim prædictos Patres, & Doctores non ideò laudavimus, vt probaremus eos de prædicto Canone loqui, sed vt ostenderemus, sententiam in eo Canone contentam, æquissime fuisse statutam: ad probandum enim, prędictum Canonem verè esse Apostolorum, non opus est tot Sanctorum, tamque gravissimorum Authorum testimonijs; sed satis, superque est, prædictum Canonem tamquam verum, ac legitimum Apostolorum fœtum, esse ab vtriusque Ecclesię, tàm Orientalis, quàm Occidentalis Patribus vniversaliter susceptum, vt *in prima* ex supra allatis rationibus manifestè probavimus.

2681 Nihilominus tamen, ad maius huius veritatis munimen, non desunt magnæ Fidei Authores, qui prędictum Canonem sub nomine Apostolorum, & tenuerunt, & prosecuti sunt. Et quoniam prædictus Canon priùs græcis caracteribus conscriptus est, videamus quid de illo censeat THEODORUS BALSAMON, Patriarcha Antiochenus, in eiusdem 50. Apostolorum Canonis expositione: *Statuit (inquit) hic Canon, per tres immersiones peragi oportere Mysterium Sacri Baptismatis, scilicet *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, semel autem baptizare propter vnitatem Deitatis, & Trinitatem Personarum, vel propter mortem CHRISTI in Cruce, & eius triduanam Resurrectionem. Dicit enim Apostolus: *In morte eius baptizati sumus.* Baptismata autem hic pro immersione accipienda sunt. Eum quidem certè, qui per vnam immersionem in mortem Domini baptizat, Canon dicit deponendum, vt qui præter Domini doctrinam faciat, & apertè impius sit.*

2682 IOANNES ZONARAS, haud vulgaris eruditionis inter Græcos Author, *in Comment. Canon. Apost.* super hunc 50. Can. hęc habet: * Hic per tria Baptismata Canon, tres immersiones intelligit in vno Mysterio, videlicet in vno Baptismate. Sic vt ad vnamquamque immersionem, baptizans addat vnum Sanctæ Trinitatis Nomen. Nam semel eum, qui baptizatur, in Sacrum lavacrum demergere, & in mortem Domini dumtaxat vnam celebrare immersionem, scelestum, & nefarium est, atque sic baptizans ordine movebitur.*

2683 MATTHÆUS BLASTARES, Author Græcus, ac Iurisconsultus eximius, qui *circa anum Domini* 1350. floruit, & Syntagma, seu Synopsim Alphabeticam rerum, quæ in Sacris Canonibus comprehenduntur scripsit, quæ græcè, & latinè prodijt *Oxonij anno* 1672. extatque manuscripta in Scorialensi Catholici Regis Bibliotheca, & in Regia Gallica, *in Nomocanone, cap.* 2. *litt. C.* de Baptismo agens quinquagesimum hunc Apostolorum Canonem citat, sic scribens: * Quinquagesimus Sanctorum Apostolorum Canon, vt tria Baptismata vnius initiationis fiant præcipit, tres videlicet immersiones in vno Baptismate. Non autem vnum Baptisma, scilicet, vt semel immergatur ille, qui baptizatur, & in vnam demersionem Domini mors celebretur, sicut Eunomianorum hæresis, insaniæ plena, supponit.*

2684 IEREMIAS, Patriarcha Constantinopolitanus, *in 2. Respons. suæ Censuræ*, loquens de Ritu baptizaudi per infusionem, aspersionem, vel immersionem: * Tribus (inquit) immersionibus, non trina infusione vtentes. Baptizabant enim veteres non manibus suis aquam baptizandis aspergentes, sed trina immersione Evangelica dicta sequentes. Ascendit enim, aiunt, ex aqua: ergo ante descenderat. Ecce immersio, non aspersio.* His tamen, quæ ad rem nostram minùs spectant, omissis, sic prosequitur: * Sed & Sapiens Ioannes Zonaras *in expositione Apostolici quinquagesimi Canonis*, qui est: Siquis Episcopus, seu Presbyter non tria Baptismata vnius initiationis peregerit. Tria, inquit, Baptismata, tres immersiones vocat Canon.*

2685 Verùm non modò inter Græcos, sed inter Latinos etiam, multos inveniemus præclarę eruditionis Authores, qui prędictum hunc *Canonem* 50. verè Apostolorum esse fatentur; vti ADRIANUS I. Pontifex, qui *in Epitome Canon. Apost. Clementis I. in Canone* 5. hæc habet: *Siquis Episcopus, vel Presbyter non per trinam immersionem baptizaverit, deponatur.* GRATIANUS etiam, qui Decretum, quo generaliter tota vtitur Ecclesia, compilavit, *cap. 79. Siquis Presbyter. de Consecrat. Dist.* 4. ex 50. Apostolorum Canone desumptis verbis efformavit.

2686 VVALAFRIDUS STRABO, Augiæ Abbas, Antiquitatis eruditione conspicuus, *lib. de Reb. Ecclesiast. cap.* 26. hęc habet: * Alij, trinam immersionem volunt, in similitudinem triduanæ Sepulturæ, vt in Canonibus Apostolorum statutum habetur, & Romanorum consuetudo observat: alij vnam, propter Divinitatis vnitatem contendunt, vt in Concilio Toletano plenisimè habetur, &c.*

2687 Nec silentio præteriri potest ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, qui *3. part. quæst. 66. art.* 8. suam de trina immersione Assertionem probat ex 50. Apostolorum Canone. *Siquis Presbyter.* cuius verba infrà adducemus.

2688 Cardinalis BELLARMINUS *de Sacram. Baptis. cap.* 26. inter varias Baptismi Cæremonias, quas enumerat: * Quarta est (inquit) trina mersiq, cuius meminit Clemens *Canone.* 49. *Apostolorum*, Dionysius *loco citato*, Tertullianus *de Corona Milit. &c.* *

2689 Cardinalis etiam LAURENTIUS BRANCATUS DE LAVRÆA *in Epitome Canonū*, verbo *Baptismi Ritus, seu Cæremoniæ*, hæc habet: * Baptismus olim trina mersione dandus erat. Concilium, quod dicitur Apostolorum, can. 50.*

2690 MELCHIOR CANO, Canariensis Antistes, Ord. Præd. *de Locis, lib. 3. cap.* 5. vt probet Traditiones, & Constitutiones, estò ab Apostolis, vti Ecclesiæ Prælatis, ad bonum istius regimen emanarint, posse variationem, dispensationemque subire, vtitur exemplo trinæ immersionis, Apostolorum Canone statutę, dicens: * In alijs verò, quæ videlicet Apostoli constituerunt tamquam Ecclesiæ Pastores, poterit quidem Summus Pontifex, vt in cæteris Ecclesiæ Legibus dispensare, poteritque item contrarius Populi mos Instituta huius generis abrogare; vt trina immersio, quam ex Apostolica Traditione in Baptismi Sacramento Ecclesiam habuisse Canon Apostolorum 49. ostendit, per contrariam consuetudinem abolita est.*

2691 Episcopus IGNATIUS FIUME, Neapolitanus, eiusdem Ordinis, *in 2. par. Schol. Verit. Orthod. tract.* 2. *linea* 20. in quo disserit de Sacramentorum Cæremonijs, quæ ex Apostolica Traditione habentur; de trina immersione agens *num.* 148. hęc scribit: * Hac trina immersione antiquitùs vtebantur, ad imprimendum mentibus Fidelium vnum Deum, in tribus distinctis personis; & habetur *in Canone* 50. Apostolorum, & *apud Tertullianum, Atanasium, &c.* *

2692 Eruditus GARSIAS DE LOAYSA *in Notis ad Can.* 5. *Concilij Toletani IV.* ad illa verba: *Trinam quidam, quidam simplam mersionem faciunt*; probat trinæ in Baptismate mersionis vsum, adeò esse antiquum, vt fuerit ab Apostolis 49. Canone statutus. * Trina mersio (inquit) cum Invocatione *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* in principio Ecclesiæ celebris, & à Patribus in vsu posita ad Fidem Sanctæ, & individuę Trinitatis, vnitatem, & distinctionem stabiliendam, & Populos docendam. Insignis est locus *Ambrosij lib. 2. de Sacrament. cap.* 7. Idem comprobat Can. Apostolorum 50. Siquis Episcopus. Athanasius, Augustinus, &c.*

2693 IOSEPHUS VICECOMES, Insignis Ambrosiani Collegij Doctor, *de Eccle-*

Ecclesiast. Observat. Tom. 1. de Antiquis Baptismi Ritibus, & Caeremonijs, lib. 4. cap. 8. quærens: An vnica, vel trina mersione fieri solitum fuerit Baptisma? vtrovis modò quondam in Ecclesia verè confectum fuisse Baptismum ex S. Gregorio, Concilio Toletano, alijsque tradit, ita scribens: * Illud præcipuè monere placet, ex Apostolorum Traditione diù in Ecclesia servatum, vt qui ad Fidei Sacramentum accederent, ter in aqua mergerentur.* Quod Basilij, Hieronymi, aliorumque Authoritate confirmat; Evangelicumque Præceptum fuisse, probat ex Papa Pelagio, cuius verbis relatis, subdit: * Quidquid autem sit de Traditione, vel Præcepto, nemini dubium esse debet, quin ab ipsis Apostolis sæpè idem traditum fuerit; nam Canon 49. Episcopos, vel Presbyteros, qui simplam mersionem vsurparint, Sacerdotali honore spoliari iubet. Siquis Episcopus, aut Presbyter, non trinam mersionem vnius Mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in mortem Domini, deponatur.*

2694 His addi possunt alij non inferioris notæ Authores; vt Cardinalis TURRECREMATA *in cap. Siquis. de Consecrat. Dist. 4.* qui prædictum Caput ex 50. Apostolorum Canone desumptum interpretatur; IODOCUS COCCIUS *Tom. 2. Thesaur. Fid. Cathol. lib. 5. de Baptism.* vbi suam de trina immersione Assertionem ex 50. Apostolorum Canone probat, ibique affert S. Clementis in prædicto Canone verba, sicut & Zonaræ, & Theodori Balsamonis *in Comment. ad dict. Can.* P. TURRIANUS *lib. 1. pro Canon. Apost. cap. 21. fol. mihi* 80. P. GREGORIUS RIBES *in Epitom. Canon. Concilior. vet. Baptismus, fol. 23.* SEVERINUS BINIUS *in Notis ad hunc Can. 49. tom. 1. Concilior. fol. 59.* BAYLIUS *in in Comment. ad Can. 50. Apost. Tom. 1. Summæ Concilior. fol. 141.* PETRUS ARCUDIUS *lib. 1. de Baptis. cap. 9.* de trina, & vnica mersione, vbi hæc habet: * Est antiquus mos trina immersio ad significandas tres Personas Divinas, & triduum Sepulturæ CHRISTI, vt patet ex quinquagesimo Canone Apostolorum.* Tandèm LAURENTIUS BEYERLINCK *in Theat. Vitæ Hum. verbo Baptismus, fol. 12.*

2695 PAMELIUS *in Notis ad librum Tertulliani de Baptis.* DARTIS *de Consecrat. Dist. 4. fol. mihi 508. colum. 2.* M. SOTO, FRANCISCUS SYLVIUS, IOANNES BAPTISTA GONET, IOANNES MARTINEZ DE PRADO, SERAPHINUS PORRECTA, SUAREZ, & VAZQUEZ *locis infrà adducendis*, alijque non pauci, quos brevitatis causa omittimus.

2696 Nec obstat, quod veteres antiquum hunc trinæ in Baptismate immersionis Ritum, sola Traditione non scripta à maioribus acceptum, nullaque scripta lege constitutum testentur, vt TERTULLIANUS *de Coron. Mil. cap. 3.* S. BASILIUS *lib. de Spirit. Sanct. cap. 27.* & S. HIERONYMUS *in Dialogo advers. Luciferian.* vt tradit M. NATALIS ALEXANDER *loco supra laudato*: non ergo subsistit 49. Apostolorum Canon, de trina immersione agens.

2697 Non, inquam, obstat, primò, quia trinam immersionem esse ex Apostolica Traditione, non tollit, eam etiam esse in 50. Apostolorum Canone scriptam; isti enim Canones primò per Traditionem, & consuetudinem innotuerunt, & postea, vt Ecclesiasticæ leges pro bono Ecclesiæ regimine statutæ, tamquam regulæ, & Canones, non quidem ab Apostolis, sed à S. Clemente conscripti sunt, vt optimè notavit eruditus P. TURRIANUS *contra Magdeburgenses lib. 1. Apologet. pro Canon. Apost. fol. 1.* vbi sibi objiciens quod prædicti Hæretici asseverant: Canones illos, qui à Clemente Romano versi dicuntur, & sub nomine Apostolorum circumferuntur, ab Apostolis non esse conscriptos; respondet: *Quis hoc negat, aut quis vmquam ex Catolicis scriptos ab Apostolis dixit? Aut esse eos Scripturam Sacram, & divinitùs inspiratam? Vt quidem essent, si ab Apostolis scriptos esse, sic probaretur, quomodo probatur, scriptum esse ab eis Novum Testamentum.* Quod iterum repetit *eod. lib. 1. cap. 21.* hæc, inter alia, scribens: *Nec enim nos Canones Apostolorum à Sanctis Apostolis scriptos esse dicimus, sed traditos sine scripto per sermonem, scriptos verò à B. Clemente eorum discipulo; vndè sic eos inscripsit: Canones Ecclesiastici Sanctorum Apostolorum per Clementem.*

2698 Hùc præclarè facit illud FRANCISCI SYLVII *loco supra laudato*: *Nec obstat, quod trina immersio sit

Aposto-

Apostolicæ Traditionis, vt constat *ex Canone 49. Apostolorum*, & ex Basilio *cap. 27. de Spirit. San.* Est enim Traditio, vt Cæremoniæ sacrę pro tempore, & loco, vbi viget, observandæ, atque adeò variabilis.*

2699 Præterea, quia quamvis prædictæ TERTVLLIANI, S. BASILIJ, ac HIERONYMI Authoritates probent, trinam immersionem esse Traditionem à maioribus acceptam; non tamen convincunt, eam nulla scripta lege esse statutam. Quod vt clariùs inotescat, audiamus, quid de trina immersione dicat S. Hieronymus *in Dial. advers. Luciferian. cap. 4.* * An nescis (inquit) etiam Ecclesiarum esse morem, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis vbi scriptum sit? *In Actibus Apostolorum.* Etiam si Scripturæ Authoritas non subesset, totius Orbis in hac parte consensus, instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesijs observantur, Authoritatem sibi scriptæ legis vsurpaverunt, velut ter caput immergitare.* Ex quibus Hieronymi verbis manifestè liquet, ipsum non asserere, aut vllo pacto negare, trinam immersionem esse aliqua scripta lege præceptam, cum potiùs oppositum ex illius verbis deprehendatur; multæ enim consuetudines vim sibi scriptę legis vsurpant, quando sunt legitimè pręscriptę, vt ex multis vtriusque Iuris textibus latè ostendimus *hoc lib. 2. cap. 8. num.* 1548. estque communis Canonistarum, Theologorumque sententia: multæ similiter consuetudines communiter receptæ, fuerunt postea leges scriptæ, earumque observantia Canonica, vel Civili Lege præcepta; quod; quia vtriusque Iurisprudentiæ Authoribus passim obvium, libenter omittimus. Vndè cum trinæ immersionis vsus, & consuetudo ab Apostolorum tempore diligenter à Fidelibus observaretur, hinc rectè deducitur prædictam consuetudinem eo tempore vim Apostolicę Legis scriptæ obtinuisse; sicque rectè asseruisse Hieronymum, multa, quæ per Traditionem in Ecclesijs observantur, Authoritatem sibi scriptæ legis vsurpavisse, *vt in lavacro ter caput mergitare.*

2700 Secunda Authoritas, quæ nobis obijciebatur est S. BASILIJ *lib. de Spirit. San. cap.* 27. sic loquentis: * Iam ter immergi hominem, vndè ex Scriptura haustum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanæ, & Angelis eius, ex qua Scriptura habemus? Nonnè ex privata, & arcana hac Traditione? Nonne ex Doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos, & otiosos submovet, servarunt?*

2701 Tertia tandem est TERTVLLIANI *de Corona Milit. cap. 3.* sic scribentis: *Deniquè vt à Baptismate ingrediar, adituri contestamur, nos renunciare Diabolo, & pompis eius, & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur.*

2702 Quoad secundam ergo Authoritatem ex D. BASILIO desumptam, diligenter annotandum occurrit, hæc eadem S. Basilij verba non parùm admirationis attulisse alteri non ignobili Authori Græco, ZONARÆ nempè, qui *in Comment, Can. Apost.* miratur, trinam immersionem fuisse à S. Basilio inter Traditiones non scriptas annumeratam: Vndè sic loquitur: *Igitur reliqua revera sine scripto sunt nobis tradita. At verò, eum, qui baptizatur, ter immergi, habemus ex quinquagessimo Canone Sanctorum Apostolorum. Miror, itaque quomodo vir Sanctus hoc etiam dixerit sine scripto traditum esse: neque enim existimandum est ignotum illi fuisse Canonem.*

2703 Nihilominùs pędictæ S. Basilij, sicut & Tertulliani Authoritati respondemus secundò, eos solum voluisse asserere, trinæ immersionis Ritum taliter fuisse traditum, vt non fuerit scriptus tamquam Scriptura aliqua Sacra, in divinis literis contenta; vti ostendunt illa Basilij verba:* Iam verò ter immergi hominem, vndè ex Scriptura haustū? * *Scriptura* enim, absolutè loquēdo à Sanctis Patribus pro Canonica cōmuniter vsurpatur. Quod in relatis Tertulliani verbis *de Corona Mil.* manifestiùs apparet: cum enim varias retulisset Traditiones, & inter illas trinæ immersionis meminisset, hæc subiunxit: *Harum, & aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, &c.* Quibus verbis manifestè indicat Tertullianus, se per *Legem Scripturarum* intellexisse, & asserere voluisse, nullam de trina immersione legem, sicut nec de cæteris, quæ ibi commemorat, in Scripturis Sacris reperiri.

2704 In hoc etiam sensu intelligit

Ba-

Basilium PETRVS ARCVDIVS *de Baptis. lib.1.cap.7. in fine*, vbi prædicta Basilij verba exponens, sic interrogat: *Cur igitur Basilius ait, hoc nos habere per Traditionem, cum hoc litteris Clementis sit consignatum *Can. 49*? Verum Basilius per agrapha (id est, *non scripta*) ea, quæ in Sacris litteris non extant, intelligit.* Et expressiùs idipsum confirmat *cap.9.* vbi simili dubitationi sic satisfacit: *Ad hæc igitur, & similia, dicendum est, quod & antea monuimus, Basilium, Hieronymum, Petrum Alexandrinum, & alios, dicere, has Traditiones esse minimè scriptas; quia re vera non sunt scriptæ in Divinis litteris, non quia non sunt scriptæ in alijs libris.*

2705 Elucidatur ampliùs prædicta solutio; quia ante S. Basilium multi magnæ venerationis, nec minoris eruditionis Patres de trina immersione scripserunt, vt inter Grecos, S.CLEMENS ROMANVS *Can.49. Apostol.* & S. DIONYSIVS AREOPAGITA *de Cœlest. Hierarch. cap.2.* qui Apostolorum tempore floruerunt: ORIGENES *lib.2. de Princip.* Imperator CONSTANTINVS *in Trivileg.Rom.Eccles.* S. ATHANASIVS *quæst.* 124. & S.CYRILLVS *Catech.2.* inter Latinos verò, TERTVLLIANVS *de Corona Milit. cap.3.* & S.CYPRIANVS, vt refert HAYMO supra laudatus: *Vndè constat (inquit Arcudius) vel Basilium per Scripturam intelligere, non quamcumque *Scripturam*, sed Sacram; vel scripta Dionysij non esse Dionysij; sed hoc posterius, hoc tantum nomine non potest consistere, cum & alij Doctores, & Sancti Patres antè Basilium, Cæremoniarum meminerint, quos omnes reijcere, haud sanè prudentis fuerint.*

2706 Respondemus tertiò: estò daremus, nullius roboris esse, quæ diximus; estò etiam fateremur, Tertullianum, Basilium, & Hieronymum dixisse trinæ immersionis Ritum nulla esse scripta lege, etiam Canonica, constitutum (quod tamen inficiamur) quid tamen indè contra nos? Derogabunt nè isti, Authoritati aliorum, qui trinam immersionem Lege Canonis Apostolorum 49. præscriptam esse fatentur? Dubium planè est, & incertum, Hieronymum, Basilium, ac Tertullianum asserere, trinam immersionem non esse Canonis Lege scriptam: oppositum verò, prædictam nempè immersionem in dicto Apostolorum Canone contineri, ab ipsoque emanare, expressè, & omni dubitatione semota censent, & affirmant triginta, & eo amplius Authores, tùm Greci, tùm Latini a nobis modò relati; & luculentèr confirmant Patres, & Authores, quos suprà adduximus ad probandum, hunc 49. Canonem in illius 50. comprehendi, quos vt authenticos sub Apostolorum nomine, tàm Orientalis, quàm Occidentalis veneratur Ecclesia, quosque multi Summi Pontifices, & Concilia pari veneratione suscipiunt.

2707 Nec tandèm contra hunc Canonem obstat, quod nulli extitisse legantur hæretici Apostolorum tempore, qui non trina, sed vnica mersione in mortem CHRISTI baptizarent. In Ecclesiasticæ enim Historiæ monumentis nulli alij huiusmodi hæretici occurrunt, quam Eunomiani; qui cum Apostolorum temporibus fuerint posteriores, vtpotè sub Constantino *post annum Domini* 335. exorti; hinc manifestè deducitur, huius Canonis Authorem non fuisse Apostolos, sed aliquem alium, Apostolis, duobus, & amplius sæculis posteriorem.

2708 Non, inquam, obstat 1. quia vt prædictus Canon stabiliretur, necesse non erat, aliquam hæresim ipsius formationem precedere; trina enim immersio, vt cum B. ALBERTO MAGNO D.THOMA, INNOCENTIO V. & alijs diximus, non est de forma, essentia, aut substantia Sacramenti, nec de necessitate salutis, nec quid ita ad Fidem pertinens, vt qui Baptismum absque trina immersione ministraret, in Fide deficeret, vt suprà latè probavimus; ea enim solum ad Ritum, Ecclesiæque disciplinam spectat, estque sancta, & laudabilis consuetudo, ita tamen ab Apostolorum tempore observata, vt siquis eam omitteret, non ideò in Mysterij, vel Sacramenti Baptismi Fide deficeret, etiam si nullam immersionem in illius administratione adhiberet; vt ostendimus ex illo *Actor.2.* & 4. vbi haud obscurè deprehenditur, Apostolos absque vlla prorsus immersione, per aspersionem, vel aquę infusionem baptizasse. Non ergo necesse erat, vt prædicti Canonis formationem alia ab Eunomiana præcederet hæresis, vt argumentum supponit; cum potuerit Canon ille pro observantia disciplinæ, & sanctæ consuetudinis, qua trina immersio in memoriam Trinitatis Personarum adhibebatur, constitui, licitêque potuerit prædictæ consuetudinis trans-

transgressoribus, depositionis pœna, in dicto Canone statuta, præscribi, vt rectè notavit Cardinalis TURRECREMATA *in cap. Siquis. de Consecrat. Dist. 4. ad 1. argument.*

2709 Respondemus 2. negando, nullos alios fuisse hæreticos præter Eunomianos, contra quos posset huiusmodi Canon constitui; cum oppositum manifestè supponat ANGELICUS DOCTOR *3. part. quæst. 66. art. 8. in corp.* hęc scribens: *Diversis ex causis, secũdum ordinationem Ecclesię, quãdoque institutus est vnus modus, quandoque alius: (trinæ, scilicet, vel vnicę immersionis) quia enim à principio nascentis Ecclesiæ quidam de Trinitate malè sentiebant CHRISTUM purum hominem esse existimantes, nec dici Filium Dei, & Deum, nisi propter meritum eius, quod præcipuè fuit in morte; ideò non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis CHRISTI, & vna immersione; quod reprobatum fuit in Primitiva Ecclesia.*

2710 Vt autem clariùs appareat, quando, & qualiter huiusmodi Hæresis fuerit improbata, sic prosequitur: *Vndè *in Canonibus Apostolorum* legitur: Siquis Presbyter, aut Episcopus non trinam immersionem vnius Mysterij fecerit, sed semel mergat in Baptismate, quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur. Non enim nobis dixit Dominus: in morte mea baptizate; sed: *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.** Ex hac ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina duo inferuntur. Primò, prędictum 49. Apostolorum Canonem à D. THOMA legitimum existimari, cum illum pro sua conclusione adducat. Secundò, prædictum Canonem conditum esse, vt exploderetur eorum Hæresis, qui non trina immersione in nomine Trinitatis, sed vnica, in cõmemoratione mortis CHRISTI, in Primitiva Ecclesia, Apostolorum nempè tempore, baptizabant.

2711 ANGELICO PRÆCEPTORI subscribit Magister SOTO *in 4. Sent. dist. 3. quæst. vnica, art. 8. concl. 2.* sic dicens: *In principio namque, orientis Ecclesiæ, quidam de Trinitate malè sentiebant, CHRISTVM purum hominem, vti Ariani, existimantes; nec dici Filium Dei nisi propter meritum, quod præcipuè habuit in morte. Qui ideò Hęretici non in nomine Trinitatis, nec trina mersione baptizabant, sed in commemoratione mortis CHRISTI mersione vna: contra quos institutus est modus baptizandi trina mersione *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vt habetur *in ead. Dist. Cap. Siquis Presbyter*; qui est inter Canones Apostolorum 49.*

2712 Idem tradit CONINCH *de Sacrament. quæst. 66. art. 8. num. 86. in solut. argum.* cui adhęret LAVRENTIVS BEYERLINCK *in Theat. Vitæ Hum.* verbo, *Baptismus*, ita scribens: *Fuerunt etiam qui in Domini morte baptizabant, & ad eum Ritum introducendum vnicam adhibebant mersionem; contra quos agit Canon Apostolorum 49. vbi ita concludit: Non enim dixit Dominus: in morte mea baptizate: Sed: *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.**

2713 Consonat SEVERINUS BINIVS *in notis ad 49. Apost. Can.* siquidem ad illa verba: *Non trina vnius Mysterij Baptismata*; hæc habet: *In hoc Canone directé damnatur error eorum, qui baptizabant in nomine CHRISTI mortui pro nobis, & ad hunc Ritum magis introducendum vtebantur vna mersione tantum. Contra hos ergo docetur invocandam esse Trinitatem; & additur, ter esse mergendum, tùm propter consuetudinem illius temporis, tùm in detestationem illius erroris. Quod autem hęc sit intentio huius Canonis, patet ex ratione, quam subdit dicens: Non enim dixit Dominus: in morte mea baptizate; Sed: *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.**

2714 His omnibus opitulatur FRANCISCVS SYLVIVS *loco supra laudato*, hęc, inter alia, scribens: *Nam, vt *ex Gregorio, lib. 1. Epist. 41.* colligitur, in Primitiva Ecclesia contra eos, qui de Trinitate malé sentientes CHRISTVM dicebant esse purum hominem, atque ita vna immersione baptizabant, in commemorationem mortis eius, statutum fuit ab Apostolis, vt in nomine Trinitatis fieret trina immersio. Postea verò Decretum fuit *in Concilio Toletano 4. Can. 5.* vt servaretur vnica mersio, partim in detestationem erroris eorum, qui rebaptizabant, vt ait hic D. Thomas, partim nè Catholici viderentur approbare Assertionem Hęreticorum, qui Divinitatem dividebant in tres naturas, vt ex Gregorio colligitur.*

2715 Subscribit IOANNES BAPTI-

TISTA GONNET, Burdigalensis Sacrę Theologiæ Professor, interque nostri sæculi Theologos haud ignobilis scriptor, qui *in 3. part. D. Thomæ, tract. de Baptis. disput. 1. art. 3. num.* 101. agens de 49. Apostolorum Canone, tradente Baptismi formam *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, hæc habet: *Quantùm verò ad Canonem 50. dico, ibi reprobari Baptisma, in morte CHRISTI collatum, propter errorem quorumdam Hæreticorum, qui existimantes CHRISTVM esse purum hominem, nec dici Filium Dei, nisi propter merita, quę pręsertim morte sua consummaverat, consequenter baptizabant in commemorationem mortis CHRISTI*

2716 Tertiò, quia dato, & non concesso, Apostolorum tempore nullos extitisse Hæreticos, qui non trina, sed vnica immersione in mortem CHRISTI baptizarent, hinc non deducitur, prædictum Canonem 49. non esse legitimum Apostolorum fœtum: estò enim statutus non fuisset contra eos, qui vnica immersione baptizabant, potuit tamen condi in eos, qui de Trinitate Personarum non benè sentientes, Baptismum trina immersione improbè peragebant; extitisse autem de facto Apostolorum tempore huiusmodi Hæresim, in cuius detestationem 48. & 49. Apostolorum Canones editi fuerint, gravissimi testantur Authores.

2717 Sic sentire videtur Eminentissimus Cardinalis BELLARMINVS *lib. 1. de Baptis. cap.* 3. siquidem de Baptismi forma disserens, variosque errores circa baptizandi formam, diabolica fraude inductos, recensens, asserit primum fuisse iam in Primitiva Ecclesia, Apostolorum tempore, subortum, contra quem censet fuisse prædictum 49. Apostolorum Canonem constitutum: *Fuerunt (inquit) & sunt non leves de hac re errores. Primus fuit quorumdam, qui ipso tempore Apostolorum baptizabant in nomine trium principio carentium, id est trium Patrum, vel in nomine trium Filiorum, aut trium Paracletorum; qui error refertur, & damnatur Can. 48. aliàs 49. Apostolorum.*

2718 SEVERINUS BINIUS *in Notis* eruditione refertis *ad Concilia Generalia*, & pręcipuè in Apostolorum Canones, 45. exponens, ad illa verba: *Hæreticorum Baptisma*, hæc habet: *Hęreticorum Baptisma non eadem forma, qua confertur ab Ecclesia, collatum, nullum est, adeòque reijciendum. Hoc modo baptizarunt illi, qui Apostolorum tempore Canone 49. & 50. in tribus Patribus, seu in nomine trium principio expertium, aut trium Filiorum, vel trium Paracletorum, vel in morte Domini baptizabant, quique vt gloriosissimæ Trinitatis confessionem destruerent, Catholicæ Baptismatis formæ aliquid vel addebant, vel subtrahebant. Ita baptizarunt Gnostici, teste Irenęo *lib. 1. cap.* 18. in nomine ignoti Patris omnium, & in veritate matris omnium, & in nomine descendentis IESV ad vnitionem, & redemptionem, & communionem virtutum. Hoc modo forma Baptismi corrupta, Paulianistæ baptizarunt: ideoque ab his baptizati, venientes ad Ecclesiam Catholicam, iterum baptizari præcipiuntur *Can. 19. Concilij Niceni.*

2719 Quod elegantèr confirmat Cardinalis BARONIUS, dum *anno Christi* 167. *num.* 2. Cerintum, Apostolorum tempore, Baptismi formam mutasse, & corrupisse, ex eo colligit, quod CHRISTI Divinitatem negaverit, atque vt docet IRENÆUS *lib. 1. cap.* 25. CHRISTUM à IESU seiunxerit. Ita intelligendum est quod *in Vita Pij* legitur in Romano Pontificali: *Hic constituit, Hęreticum venientem ex Iudæorum Hęresi suscipi, & baptizari.* Dequo vide P. SUAREZ *Tom. 3. disp. 21. sect. 3.*

2720 Magister IOANNES MARTINEZ DE PRADO, eruditione eximius, & in florentissima Complutensi Academia Primarius Theologicæ Cathedrę Moderator, *Tom. 1. de Sacram. in 3. part. quæst. 66. de Baptis. dub.* 4. §. 1. referens varios Hæreticorum errores, hunc primo loco recenset: *Quidam tempore Apostolorum in forma Baptismi non exprimebant tres Divinas Personas, sed aut tres ingenitos, aut tres Filios, vel tres Paracletos; qui error refellitur in Can. 48. aliàs 49. Apostolorum.*

2721 Magister SERAPHINUS PORRECTA, Vir singulari pietate pręditus, ac eximia Dogmatum, Conciliorum, & Patrum eruditione instructus *in Comment. ad 3. part. D. Thomæ ad eamdē. quæst. 66. art.* 8. hàc Assertionem statuit: *Diversis ex causis quandoque institutus est, secundum ordinationem Ecclesiæ, vnus modus, quandoque alius; vnius scilicet, vel

vel trinę mersionis.* Quā cōclusionē sic probat:* Quia ex causa ista, scilicet, propter detestationem malè sentientium de Trinitate, Ecclesia instituit trinam immersionem, vt patet ex Canone Apostolorum, (49. vt habetur *de Consecrat. Dist.* 4. *cap. Siquis.*) & postmodum ex hac causa, scilicet, in detestationem rebaptizantium instituit simplam immersionem, vt patet ex Concilio Toletano.*

2722 Eidem sententiæ suffragatur ALPHONSUS A CASTRO *lib.* 3. *advers. Hæres.* verbo *Baptismus*, *Hæres.* 2. sic scribens: *Quidam enim sic baptizant: In nomine ignoti Patris omniū, & veritate omniū matre, & in eo, qui descendit in IESU. Hi sunt Marcitæ, discipuli Marci cuiusdam, magicæ artis periti, qui circa tempora Apostolorum fuit, de quo mentionem faciunt Irenæus *lib.* 1. *advers. Hæref. cap.* 8. & Eusebius *lib.* 4. *Histor. Ecclesiast. cap.* 11.*

2723 Idem tradit P. SUAREZ *Tom.* 3. *in* 3. *part. quæst.* 66. *art.* 6. *disp.* 21. *sect.* 3. ibi: *Alij verò, tempore Apostolorum, baptizasse dicuntur in tribus Patribus, seu in tribus sine initio principijs, seu in nomine trium principij expertium, aut trium Filiorum, aut trium Paracletorum, vt colligitur ex Can. 48. seu 49. Apostolorum, vbi hic error damnatur, & Can. 50. damnantur, qui baptizabant in Domini morte; quem errorem sequutos fuisse Eunomianos refert Socrates *lib.* 5. *Hist. cap.* 23. *

2724 Coronidem tandem imponat P. VAZQUEZ *Tom.* 2. *in* 3. *part. ead. quæst.* 66. *art.* 8. *disp.* 145. *cap.* 1. vbi hæc scribit: *Porrò quidem in illo Canone (49.) Apostolorum prædictum errorem, quem postea Eunomius docuit, damnatum fuisse patet ex alia translatione eiusdem, in qua sic dicitur: Siquis Episcopus, vel Presbyter non tria vnius Mysterij Baptismata (hoc est, mersiones) perfecerit, sed vnum Baptismum, qui datur in mortem Domini, deponatur. Quę verba denotant modum, quo tunc aliqui, contra formam à CHRISTO præscriptam, re ipsa baptizabant.*

2725 Traditis iam hucusque falsis criminationibus, quæ S. Clementi calumniosè opponuntur, simulque ab illis vindicata veritate Canonum Apostolorum, præcipuè quo ad priores quinquaginta, maximè erga nobiliores illorum quęstiones, in quibus exponendis materiæ dignitate compulsi diutiùs immorati sumus; vt iam ad vlteriora procedamus, Apologeticamque Pontificum Defensionem, præcipuum operis nostri scopum, prosequamur, de Sancti Pontificis Zephyrini illibata Fide nunc nobis instituendus est sermo.

CAP. XIII.

ZEPHYRINI IN FIDE constantia ab impugnantium telis vidicatur.

2726 NON defuere, qui Sanctum Pontificem, & Martyrem ZEPHYRINUM contumelijs fuerint insecuti, illique iniquè imposuerint, ipsum Montanistam fuisse, quodque Montani erroribus adhæserit, & cum illo, illiusque sequacibus communicaverit. Pro cuius maiori notitia operæpretium duximus Montani errores, & originem sub brevibus referre.

§. I.

QUIS MONTANUS, QUIQUE illius, & Cataphrygum errores?

2727 CAtaphrygum Hæresis Authore Montano, vt ex S. EPIPHANIO *Hæres.* 48. & EUSEBIO *lib.* 4. *Histor. Ecclesiast. cap.* 25. colligitur, *Antonini Pij temporibus* erupit; augmentumque, & extensionē *sub Aurelio Imperatore* accepit, vt ipse Eusebius *ibidem, & in Chronic.* scribit.

2728 Montanus in Mysia Phrygiæ natus, quæ nuncupatur *Ardaban*, dominandi cupidine captus, Spiritu Sancto, & dono Prophetiæ plenus videri voluit. Duabus meretricibus Priscillæ, & Maximillæ insanię suæ afflavit spiritum, easque Prophetissas haberi voluit; quæ furiosæ, ineptæ, & novo, atque peregrino modo garrientes falsa proferebant oracula, & libros scribebant, quos propheticis adæquabat Montanus. Hic, vt plures deciperet, interdum promissorum magnitudine sectatores alliciebat, interdum coniecturis, rationibusque probabilibus nixus, apertè eorum peccata redarguebat, vt vitiorum hostis, atque corrector videretur. Catholicos

cos erroneę suæ Doctrinæ oppositos, deceptricibusque suis Profetissis resistentes, Prophetarum interfectores vocabat. Silentio verò ab Episcopis frustra falsis hisce Prophetis imposito, necesse fuit non resipiscentes Montanum, eiusque sequaces ab Ecclesia pelli. Maximillæ vero prophetię falsitatis convictę fuere: cum enim prędixisset, post suam mortem magna in Ecclesia suboritura bella, & dissidia, oppositum potiùs sequutum fuit; post eius siquidem obitum pax iucundissima Imperium recreavit, & Ecclesiam. Hęc habentur *ex Apollinario Hieropolitano*, apud EUSEBIUM *lib.5. Hist. Ecclesiast. cap. 25.*

2729 Montanus, eiusque Prophetissę pecunias vndique, & munera corrogabant; quapropter APOLLONIUS, Ecclesiasticus Scriptor, æquissimè illorum Prophetias impugnavit: Prophetarum namque cupiditas maximè est à Divinis Litteris aliena, in quibus, nè Prophetę pecunias accipiant, prohibetur. Mollem, & voluptariam vitam agebant, vt *ex eodem Authore* constat, apud EUSEBIUM *lib. 5. cap. 17.* *Dic mihi (inquit) Prophetanè comam coloribus tingit? Propheta nè stybio oculos oblinit? Propheta nè sumptuosè, & vestitu splendido ornatus incedit? Propheta nè tabulis, & tesseris ludit? Propheta nê fœnus exercet? Ista verè mihi fateantur, & dicant, vtrum liceat vsurpare, an contra? Ego certè hęc apud illos factitata, perfacilè ostendam.*

2730 Montani, ipsiusque pseudoprophetissarum, seu potiùs meretricum, moribus hucusque enarratis, iam ad illius, Cataphrygumque, sic à regione, in qua illorum Hæresis exorta est, nuncupatorum, errores recensendos, transeamus. Primò Montanum ceû Paracletum venerabantur, ex Theodoreto, & ex Tertulliano Montanista *in lib. de Pudicitia, & alibi passim* ::: Secundò nuptias secundas, ceu scortationes damnabant; ex S. EPIPHANIO *Hæres.* 48. & S. HIERONYMO *Epist. 54. quæ est ad Marcellam*, & S. AUGUSTINO *lib. de Hæresib. ad Quodvult Deum, num. 26.* Tertiò, Matrimonia solvebant, *ex Apollonio* apud EUSEBIUM *loco citato*, & ex THEODORETO *lib. 3. Hæretic. Fabular. cap. 2.* Quartò, nova ieiunia observanda statuebant, velut ad salutem necessaria, tres scilicet Quadragessimas (cum semper Ecclesia vnam tantummodò ex Apostolorum Traditione observaverit:) ex APOLLONIO, & S. HIERONIMO.

2731 Quintò negabant, Ecclesiam omnibus criminibus Indulgentiam concedere posse, teste D. HIERONYMO: *Illi (inquit) ad omne penè delictum Ecclesiæ fores obserant: nos quotidie legimus: *Malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem*: Et: *Numquid qui cadit nō resurget, dicit Dominus?* Et: *Convertimini ad me filij convertentes, & ego curabo contritiones vestras.* Rigidi autem sunt, non quò & ipsi maiora non peccent; sed hoc inter nos & illos interest, quod illi erubescunt confiteri peccata, quasi iusti; nos dum pęnitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur.*

2732 Sextò, Episcopis tertium dumtaxat locum, suis in conventibus assignabant, eodem HIERONYMO teste: *Apud nos (inquit) Apostolorum locum Episcopi tenent; apud eos, Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas; secundos, quos appellant Cenones: atque ita in tertium, id est penè vltimum locum, Episcopi devolvuntur.*

2733 Septimò, Pepuzę vico, vbi frequentiores conventus agebant, ac sua celebrabant Mysteria, nomen Ierusalem indiderant; ita testatur APOLLONIVS, & S. EPIPHANIVS *Hæres.* 48. hincque iuxta THEODORETVM dicti sunt Pepuziani

2734 Octavô, apud Pepuzianos, Montanistarum genus, mulieres ad Presbyteratum, & Episcopatum evehebantur, ita vt nullum sexus servaretur discrimen. In hunc sensum pervertebant illud APOSTOLI *ad Galat. 3. In Christo IESV non est masculus, nec fœmina.* Vocabantur autem Artotyritæ, quod in Mysterijs suis panem & caseum offerrent, teste S. EPIPHANIO *Hæres.* 49. Vlteriùs Cataphrygæ mortuos baptizabant, ex PHILASTRIO *lib. de Hæresib.*

2735 Nonò, Montanistæ asserebant, nusquam in persecutione fugiendum esse, sed loco sistendum, & Matyrium spectandum, ex TERTULLIANO *lib. de fuga in persecut. cap. vlt.* *Et ideò (inquit) Paracletus, necessarius deductor omnium veritatum, exhortator omnium tolerantiarum, quem qui receperunt, neque fugere persecutionem, neque redimere noverunt,

habentes ipsum, qui pro nobis erit, & sicut locuturus in interrogatione, ita iuvaturus in passione.*

2736 Decimò, animam corpoream esse, quædam ex Montani Prophetissis asseruit, id sibi in Cœlesti visione ostensum contestata, cui visioni Tertullianus fidem adhibuit, vt constat *ex lib. ipsius de Anima, cap. 9.* * Est hodie (inquit) soror apud nos revelationum Charismata sortita, quas in Ecclesia, inter Dominica solemnia, per extasim in spiritu patitur, conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorumdam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit. Iam verò, prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita indè materiæ visionibus subministrantur. Fortè nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solemnia, quo vsu solet nobis renuntiare, quæ viderit: Inter cætera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, & spiritus videbatur, sed non inanis, & vacuæ qualitatis; imò quæ etiam teneri repromitteret, tenera, & lucida, & aërei coloris, & forma per omnia humana. Hæc est visio; Deus testis, & Apostolus Charismatum in Ecclesia futurorum sponsor.*

2737 Undecimò, Sacramenta perhibebantur habere funesta Montanistæ, & de infantis anniculi sanguine, quem minutis punctionum vulneribus de toto eius corpore extorquebant, cum farina mixto, panem conficere, & Eucharistiam offerre. Qui puer si moreretur, apud eos habebatur pro Martyre; si superstes viveret, pro magno Sacerdote; ex S. AUGUSTINO *lib. de Hæresib. ad Quodvultdeum.* S. verò EPIPHANIUS hunc errorem potiùs Pepuzianis, Montanistarum sectatoribus, quàm Montanistis ipsis attribuere videtur; sic enim scribit: * In hac verò hęresi, aut in eius germana Quintilianorum, aut certè Priscillianorum, & Pepuzianorum hæresi, horrendum quiddam, ac detestandum fieri dicitur. Nam infantulum, per solemne quoddam festum, acubus æreis toto corpore pungentes, exceptum sanguinem sacrificijs suis adhibent.* Tandèm Montanum, & Maximillam laqueo sibi mortem consciviſse, testatur APOLLINARIS HIEROPOLITANUS *apud Eusebium, lib. 5. cap. 15.*

2738 Quibus prælibatis, pro clariori propositi intelligentia, pręnotandum est, Zepherinum ea Montani tempestate sacrum vniversi Orbis clavum moderari, prout communiter testantur Historici. Hic autem Zepherinus Pontificatum gessit *ab anno CHRISTI* 201. *vsque ad* 219. in quo iuxta aliquos Martyrium subijt, iuxtà alios verò incruentam mortem oppetijt. Ita Eminentissimus Cardinalis AGUIRRE, *in Cathedra Petri vindicata*; quamvis Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA *Tom. 3. de Fide, disp. 8. art. 5. §. 4.* existimet extremum clausisse diem *anno* 221. * Inter Romanos Pontifices (inquit) quibus affigitur hæresis, vnus est Zepherinus Martyr, qui *anno* 221. occubuit.*

2739 Prænotandum etiam est, sectam Montanistarum cum Cataphrygum secta in multis communicasse, imò secundum aliquos eamdem fuisse, ex ijsque Montanum prodijsse, vt scribit P. IACOBUS GAULTERUS *in 2. Sæcul.* Ille ipse, teste P. SALELLES *Regula* 224. multis scatuit hęresibus, & inter alia Paracletum se habere, venturaque denunciare, iactitabat; quod & impudicis illis fœminis Priscillæ, & Maximillæ tribuebat, vt videre est apud BARONIUM *anno* 171.

2740 Circa istum tamen errorem dissensio est inter Authores: aliqui enim sentiunt Montanum sese Spiritu Sancto plenum, spiritumque propheticum habere, asseruisse: alij verò, errasse in Trinitatis Mysterio, sese *Spiritum Paracletum*, aliaque id genus blasphemijs plena effutientem, existimant. Quod autem se *Paracletum* nuncupaverit, testis esto TERTULLIANUS, qui passim eum Paracletum vocat; tùm BASILIUS *in Epist. 1. Canon. ad Amphiloch.* ita scribens: * Pepuzeni ergo sunt apertè hæretici, in Sanctum enim Spiritum blasphemarunt, Montano, & Priscillæ *Paracleti* appellationem nefariè, & impudenter tribuentes :::: quãnam ergo habet rationem, verum eorum Baptisma iudicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque baptizant? Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt. Quarè etiam, si hoc Magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio.*

2741 Similiter S. EPIPHANIUS *hæres.* 48. censet Montanum in Fide Trinitatis errasse, cum sese Deum Patrem non erubue-

erubuerit dicere; sic enim, inter alia, scribit: * Sed hæc insuper Montanus adjicit: Ego sum Dominus Deus, qui in homine versor:::: Pergit Montanus infelix homuncio: Non Angelus, inquit, non Legatus aliquis; sed egomet Deus Pater accessi. (Et infrà:) Dominus noster IESVS CHRISTVS ita semetipsum declaravit, revera vt germanum esse Parentis Filium ostenderet. Montanus contra; vel Parentem se esse gloriatur.*

2742 S. etiam HIERONYMVS Montano, ipsiusque sequacibus Sabellianorum attribuit errorem, vnicam tantum Divinam Personam admittentium; *Epist.* enim 54. quæ est *ad Marcellam*, Montanistas cum Catholicis conferens, hæc scribit: * Primùm in Fidei regula discrepamus. Nos Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in sua vnumquemque persona ponimus, licet substantia copulemus: illi, Sabellij dogma sectantes, Trinitatem in vnius Personæ angustias cogunt.*

2743 Cui adstipulatur AUTHOR SUPPLEMENTI *ad lib. Tertulliani de Præscript. cap.* 52. ita scribens: * Accesserunt alij Hæretici, qui dicuntur *Secundum Phrygas.* Sed horum non vna Doctrina est. Sunt enim, qui *Cata-Proclum* dicuntur: sunt qui *secundum Æschinem* pronunciantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem, & suam: & communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse: & qua dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quam CHRISTUM in Evangelio protulisse; nec tantum plura, sed etiam meliora, atque maiora: privatam autem blasphemiam illi, qui sunt *Cata Æschinem* hanc habent, qui adijciunt etiam hoc, vt dicant CHRISTUM ipsum esse Filium, & Patrem.*

2744 Idem colligitur ex THEODORETO *lib. 3. Hæreticar. Fabular. cap.* 2. sic scribente: * Quidam illorum tres Divinitatis hypostases, sicut Sabellius, inficiati sunt, eumdem esse dicentes, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quemadmodum Noëtus Asianus.*

2745 Expressiùs tamen S. GREGORIVS MAGNVS *lib.9. Regist. Epist.* 61. quę est *ad Quirinum, & cæteros Episcopos Hiberniæ*, vbi docet, rebaptizandos esse venientes ad Ecclesiam Montanistas, quia Baptismum in sua secta non receperunt in nomine Sanctæ Trinitatis, credentes Montanum esse Spiritum Sanctum: * Hi verò Hæretici (inquit) qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani, & Cataphrygæ: quia & illi CHRISTVM Dominum non credunt, & isti Sanctum Spiritum perverso sensu, esse quemdam parvum hominem, Montanum, credunt, quorum similes multi sunt, & alij tales, cum ad Sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptismus non fuit, quod in errore positi, in Sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt. Nec potest hoc ipsum iteratum dici Baptisma, quod (sicut dictum est) in Trinitatis nomine non erat datum.*

2746 Tandêm omitti non potest S. CYRILLI IEROSOLYMITANI Authoritas *Catech.16. ad illuminan.* sic loquentis: * Montanus iste mente captus, & verè insanus, se ipsum esse Spiritum Sanctum, homo abiectissimus, & omni immunditia, fœditateque refertus, ausus est asserere.*

2747 Ex dictis tot primæ notæ Authorum testimonio roboratis, apertè liquet, Montanum, & Cataphrygas in Fide Trinitatis errasse, ac perconsequens illorum Baptisma nullum fuisse; Montanumque, ipsius discipulos, & sequaces veluti Paracletum veneratos esse.

2748 Nihilominùs non defuere Authores, qui senserint, Montanum in Fide Trinitatis non errasse; sed tantum Montanistas ipsum, Spiritum Paracletum prædicasse: licet alij senserint, ipsum non Spiritum Sanctum esse, sed Spiritu Sancto repletum, donoque prophetiæ prędıtum, tam ipsum, quàm Priscillam, & Maximillam, quas veluti Prophetissas secum ducebat. Ita testatur EVSEBIVS *lib.5. Histor. Ecclesiast. cap.3.* hæc scribens: *Cum Montanus, & Alcibiades, & Theodotus in Phrygia, iam tum prophetandi opinionem apud complures adepti fuissent (permulta enim, Divina gratia largiente miracula, operaque stupenda, ad illud vsque tempus per varias Ecclesias edita, fidem multis faciebant, illos etiam donum Prophetiæ consequutos) cumque de istis hominibus controversia orta esset, fratres rursus, qui in Gallia habitabant, privatum Iudicium, idque prudens, & rectum cum primis de eisdem, Epistolæ, quam diximus, subiunxerunt.*

2749 In hanc etiam Sententiam propen-

pen-

pondere videtur S. EPIPHANIUS *Hæres.* 48. dicens: *Cataphryges, tàm vetus, quàm Novum Testamentum asciscunt. Mortuorum resurrectionem approbant. Sed Montanum quemdam Prophetam, cum Priscilla, & Maximilla Prophetissis prædicant: quibus inhęrentes à recta via deflectunt; nam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, eadem cum Ecclesia Catholica sentiunt.*

2750 Ita etiam Montani errorem exponit PHILASTRIVS *lib. de Hæresib. cap. 2. part. 2.* vbi hæc habet: * Quosdam autem suos Prophetas, id est, Montanum nomine, & Priscillam, & Maximillam enunciant; quos neque Prophetæ, neque Christus nunciavit. Addunt etiam plenitudinem Sancti Spiritus non per Apostolos Christo dante fuisse concessam, sed per illos suos pseudoprophetas æstimant impartitam.*

2751 Tandem S. AVGVSTINVS *lib. de Hæresib. ad Quodvult Deum*, expendens, qua ratione Montanus à suis *Paracletus* dictus sit: * Cataphryges (inquit) quorum Authores fuerunt Montanus, tamquam Paracletus, & duæ Prophetissę ipsius, Prisca, & Maximilla, adventum Spiritus Sancti à Domino promissum, in se potiùs quàm in Apostolis eius, fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent; & ideò dicunt eas permisisse Apostolum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat: nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem in Montanum, & in eius Prophetissas venisse delirant.* Quibus suppositis, quæstionem istam indecisam, & vtriusque partis veritatem, Authorum pro vtraque stantium fidei relinquentes, iam ad precipuum scopum stylum convertamus.

2752 Tertullianus igitur inter quamplures alios, quos amplexatus est, errores, Montani etiam deliramenta sectatus, nec his contentus, Sanctissimi Pontificis, & Martyris Zephyrini honorem, Fideique puritatem Montanismi macula denigrare, audacter conatus est, non quòd Zephyrinus alicui ex relatis erroribus adhæserit, sed quod cum Montanistis aliquando communicaverit. Narrat enim Tertullianus, Romanum Pontificem iam recepisse Montani, Priscillæ, ac Maximillæ prophetias, quas eius Prædecessores impugnaverant: hacque cognita veritate, Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ eo vsque à suis Prædecessoribus ob Montani, & illarum fœminarum persecutiones afflictis, quod earum prophetias damnabant, pacificis suis litteris pacem dedisse; atque à Praxea Hæretico Patripasiano Sabelliano, Romam accedente, Romanum inductum Pontificem, vt pacis litteras revocaret, antiquorumque Sententiam in persequendis Montani, Priscillęque Prophetijs teneri præciperet. Hanc impingit calumniam Tertullianus Zephyrino Pontifici *initio libri in Praxean*, cuius hæc sunt verba: * Praxeas primus ex Asia intulit hoc genus perversitatis Romæ, homo aliàs inquietus. (Et infrà:) Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem iam Prophetias Montani, Prisc.r, & Maximillæ, & ex ea cognitione pacem Ecclesijs Asię, & Phrygiæ inferentem, à falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesijs eorum asseverando, & Prędecessorum eius Authoritates defendendo coegit, & litteras pacis revocari iam emissas, & à proposito recipiendorum Charismatum concessare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit, prophetiam expulit, & Hæresim intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Hæc ille. Pro cuius confirmatione, notandum duximus, vetustis in Codicibus, in margine narrationis huius facti *initio libri Tertulliani advers. Praxean*, hęc haberi: *Episcopus Romanus Montanizat.* Cum igitur hoc sit, quod præcipuè Zephyrino Pontifici objicitur, inquirimus.

§. II.

AN ALIQVIS IN HAC SPECIE facti intercesserit error, quo Zephyrini in Fide Constantia maculari possit?

2753 HVic difficultati respondemus: Zephyrinum Pontificem nullius culpæ reum extitisse, cum Communicatorias, & Pacificas litteras Ecclesijs Asiæ miris illis, quæ Montanus, illiusque asseclæ patrare dicebantur, turbatis concessit. Primò, quia nec EVSEBIVS CÆSARIENSIS, nec S. HIERONYMUS, nec THEODORETUS, aut quisquam alius Author antiquitate insignis, alicuiusve æstimationis, Zephyrinum Pontificem in errorem dilapsum, vmquam meminit.

2754 Secundò, quia Zephyrinus Ponti-

tifex Montani errores numquam probavit, numquam credidit, nec fovit vmquam; nec ipsum Montano adhæsisse, vllus vmquam alicuius notæ Author Catholicus, asseruit, præter Tertullianum, qui iam in Hæresim Montani inciderat, cum librum adversus Praxeam scriberet: imò oppositum docuit, nempè à Praxea falsa de Montano, & socijs Prophetis, eorumque Ecclesijs asseverante, Authoritatesque Prædecessorum Romanorum Pontificum defendente, Romanum Pontificem, scilicet Zephyrinum, ad litteras pacis revocandas fuisse coactum, Vndè tantum abest, vt Montani Hæreses foverit, vt eas potiùs fuerit detestatus, earumque motivo Communicatorias litteras revocaverit.

2755 Tertiò, quia Zephyrinus Pontifex tantum abfuit, vt in Montani errores propenderet, vt ipse potiùs Montanistarum, Cathaphrygarumque errores publicè damnaverit, vt testatur EVSEBIVS *lib. 6. cap.* 14. cum enim Romæ coram Zephyrino Papa, Proculus, inter Montanistas omnes, nomine celeberrimus, & Tertulliani elogio commendatissimus, cum Caio spectatissimæ virtutis, & eruditionis viro, de vano Cathaphrygum Paracleto disputasset, victusque succubuisset, eum Pontifex, & omnes Pseudoprophetię defensores, lata Excommunicationis Sētentia ab Ecclesiæ Comunione separavit; imò, & Tertullianum ipsum, vt indicat *lib. de Ieiunio cap.* 1. *Novitatem igitur (inquit) obiectant, de cuius illicito præscribant, aut Hæresim iudicandam, si humana præsumptio est; aut Pseudoprophetiam pronunciandam, si spiritualis inditio est, dum quaqua ex parte Anathema audiamus, qui aliter annuntiamus.*

2756 At Tertulliani, cęterorumque Montanistarum condemnatio clariùs, *ex ipsius Zephyrini Vita Tom.* 1. *Concil.* potest demonstrari; hic enim Pontifex damnavit Cathaphrygas, inter quos Montanistas, Marchionem, Praxaam, Sabellium, Valentinum, & alios, teste HIERONYMO *de Scriptoribus Ecclesiasticis in Cain*, & EUSEBIO *lib.* 6. *Histor. cap.* 14. & BARONIO *Tom.* 2. *anno* 215. Pontifex idem Tertullianum, Montani Prophetias tunc propugnantem Anathemate percussit; sic etiam, & Proculum Cathaphrigam.

2757 Cum igitur Zephyrinus Pontifex, eo Catholicę Fidei ardore, Christianæ Religionis Zelo, ac Apostolica Virtute sese Montanistarum erroribus opposuerit, vt immanem illam Hæresum hydram, spirituali gladio ingulaverit, penitùsque extirpaverit, nulla certè adesse potest alicuius ponderis ratio, qua aliquis adduci possit, vt in illum accusationis tela conijcere, illiusque Sanctitatem falsa Montanistæ Calumnia fœdare præsumat; maximè cum pro Fide, & Ecclesia gloriosissimè tyranorum manibus occubuerit.

2758 Nec obstat dicere cum Tertulliano *lib. contra Praxeam*, à Pontifice Zephyrino Montani, istiusque sequacium prophetias fuisse approbatas; ideòque ab ipso Pacificas, Communicatoriasque Ecclesijs Asię, Phrygięque litteras fuisse concessas; sic enim habet Tertullianus, *loco citato*: *Romanum Pontificem (Zephyrinum scilicet tunc regnantem) Montani Prophetias agnoscentem, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ, & Phrygię inferentem vidimus.*

2759 Non, inquam, obstat. Asserimus namque primò: Tertullianum hac in re Authoritatis esse dubiæ, imò, & suspectæ; tum quia apertus est hostis Ecclesiæ; tum quia cum à Zephyrino Pontifice damnatus fuerit, quia Montanista, errorumque Montani, & Cataphrygarum propugnator, calumniæ, quę Zepherino apponitur, integer testis esse non potest.

2760 Secundò dicimus antiquum esse Hæreticorum morem maioris Authoritatis, ac Fidei Viris, suos attribuere errores, vt hacce simulatione suis scriptis concilietur fides, vt apertè innotuit in Artemone, qui suum errorem Victori Pontifici falsò adscripsit; paucis namque retro annis iactaverat Victorem Papam idem omnino secum sensisse, vt constat ex his, quæ EUSEBIUS *lib.* 5. *Histor.* tradit, dū de Artemone Heresiarcha, istiusq; sequacibus loquitur: *Aiūt isti (inquit) omnes nostros maiores, & omnes Apostolos, ea, quæ ipsi iā affirmant, non modo à Domino accepisse, verū etiam alios, eadē docuisse, & verā prędicationis rationē vsque ad tempora Victoris, qui decimustertius à Petro fuit Romę Episcopus, integrè servatam illam quidem, sed à Zephyrino illius Successore penitùs corruptam fuisse, ac depravatam.* Ita de Zephyrino loquuntur, quia eorum Hęresim damnaverat, idem dicturi de Victore, idem de alijs antiquioribus Pontificibus, si eas pariter proscripsissent.

Nec

2761 Nec obstat dicere, *in Tertulliani Notis, initio libri contra Praxeam*, hâc à Rhenano *ad marginem, loco citato* appositam animadversionem: *Episcopus Romanus montanizat*, cumque, tunc temporis, Ecclesiæ Clavum teneret Zephyrinus, videtur, sensisse Rhenanus, Zephyrinum pro Montanistis stetisse, illorumque partibus adhæsisse. Non, inquam, obstat; vt enim eruditè observavit BARONIUS, Montanistę, sicut & quilibet alij hæretici, in duplici sunt tempore considerandi. Primò, cum exteriùs vitam suam ad Virtutis, Religionisque Catholicæ normã instituentes, errores suos fictis zelant Pietatis indicijs; sic in Montanistis evenit, quamdiù hypochrisis perspecta non fuit; nihil enim cõtra Catholica Dogmata initio asserebat Montanus, & bonis operibus (vt deciperet) vacabat. Pluriès autem accidit, vt hęretici homines similia facta prętexentes, Communionem à Sede Apostolica suffurati sint, vt de Eustatio Sebasteno à Liberio Papa narrat SOCRATES *lib.4. Epist.2.*

2762 Huiusmodi enim Peregrini olim, sicut & nunc, Romam venientes, imò & mittentes pro se alios, si Professionem Catholicæ Fidei emiserint, litteras Communicatorias, seu Pacificas olim dictas, eis non denegantur, vt de Episcopis, & Patriarchis Orientalibus sępissime accidisse legimus *in Annalibus*; nec possunt eis non cõcedi, dummodò non sit eorum nota malitia.

2763 Secundò, considerandi veniunt Montanistæ, cum per Praxeam detecta fuit eorum iniquitas, & perversitas, ipsorumque Dogmata Fidei contraria innotuerunt; tùmque à nemine dicetur Zephyrinum Montanistas approbasse, imò constat litteras Communicatorias, quas Montanistis in primo statu cognitis concessit, in secundo statu eas revocasse, & quod in hoc non erravit Zephyrinus Papa, nemini dubium esse potest; quia de vllo vmquam Pontifice dictum est, errasse, litteras concedendo Pontificias, vel Communicatorias, Fidei Professionem emittentibus; imò Orientales omnes eam emittere tenebantur, si Catholici haberi cuperent ex BARONIO *Tom.3. anno* 342. *Tom.5. anno* 417. Et Alexandrina Ecclesia, vt Papæ reconciliaretur, Fidei professionem emisit. Baron. *Tom.6. anno* 497. Per eam agnosci voluit Catholicus Iustinianus Imperator, idem Baron. *Tom.7. Ann.*527. Per eam Iacobitę Orientales *Tom.13.* Oderic. Raynald. *anno* 1233. Tempore Clementis VIII. Ruthenos, vt haberentur Catholici, Fidei Professionem emisisse, testis est Baron. *Tom.7. in Apendice.* Idem de Ecclesia Alexãdrina *tom. 6. in Apen.* docet: Vndè apparet, per Fidei professionem admitti omnes volẽtes cum Ecclesia Romana communicare: Qua propter, si Zephyrinus Põtifex non nisi præeunte tum Fidei Professione, tùm Catholicæ vitæ, quam Montanistæ præseferebant, examine, cum Montano, Cataphrygisque communicavit, ipsis Communicatorias, Pacificasvê litteras concedens, nulla certè adest ratio, qua veneranda illius Virtus, ac Sanctitas, crimine aliquo maculetur, id enim, quod Pontifices omnes pręstitere, quodque iam diú vsus, & consuetudo in vniversa Ecclesia obtinuit, & ad hoc temporis retinet, operatus est; solemne namque fuit in Ecclesia, quodque hodie viget, Pontifices Summos cum ijs, qui exteriùs Catholicam profitentur Fidem, estò interiùs in eorum mentibus schismatis, hæreseosvê lateat virus, & à verę Fidei castris, & militia deficiant, communicare; quin vllus vmquam sanæ mentis ausus fuerit, istam ob communicationem Pontifices in culpam advocare, & meritò quidem, cum Ecclesię Iudicium non sit de occultis, quæ soli Iudicio Dei reservantur, prout eruditè tradit ANGELICUS DOCTOR *3. part. agens de Pœnitentia.*

2764 Nec in contrarium movet, cum Communicatorias litteras Montanistis, Cataphrygisque ad Asiæ Ecclesias concessit Zephyrinus, istos iam tunc lethali hæreseos veneno fuisse afflatos, sicque culpæ immunem existere non posse, communicantem cum ipsis; quamvis enim in illis Asiæ partibus plurimi commorarentur, qui fatale hæreseos virus tegerent, interiusque aliqua Fidei Mysteria improbarent; At exteriùs honestam, Catholicorumque propriam traducebant vitam, & vt Orthodoxi ab omnibus æstimabantur. Imò hęc fuit potissima ratio, qua adductus fuit Pontifex, vt illis Communicatorias imperti retur litteras, quia nempè ipsi, & à veritate seiunctum quidquid illis opponebatur, & illos catholicè vivere, nec Hetherodoxorum sordibus obsolescere, significatum fuerat, & expositum, vt testatur THEODORETUS *lib.5. de Hæret. Fabul.* & EPIPHANIVS *Hæres.* 48. loquens de Montano, eiusque sequacibus in eorum

eorum primordijs, hæc habet: * Omnia cum Catholicis initio tenerent, & disciplinam Ecclesiasticam rigorosè servare profiterentur, in itio quidem, &c.* Tertullianus verò, non modò præclaram de illis imbiberat existimationem, sed etiam illos quasi virtutibus omnibus tunc temporis commulatos, summis laudibus commendaverat, vt refert EUSEBIUS *lib. 5. cap. 3. Histor.* * Cum Montanus, (inquit) in Phrygia iam prophetandi opinionem apud complures adeptus fuisset; per multa enim, Divina gratia largiente, miracula, & opera stupenda ad illud vsque tempus per varias Ecclesias edita fidem multis faciebant, illos etiam donum prophetiæ fuisse consequutos. Cumque de illis hominibus controversia orta esset, &c.*

2765 Id præclarè confirmat Cardinalis BELLARMINUS *de Romano Pontifice, lib. 4. cap. 8.* dicens: * Quia tamen mendacia super aliquid verum, vt plurimum, fundari solent, credibile est Zephyrinum Pontificem à Montanistis persuasum fuisse, Doctrinam Montani non esse diversam à Doctrina Romanæ Ecclesiæ; & ideò eumdem Pontificem voluisse eis pacem reddere, quam abstulerant ipsius Prædecessores, non quidem, quod approbaret errorem, quem sui maiores improbaverant, sed quod arbitraretur, falsò de illis erroribus fuisse accusatos Montanistas. Hoc autem non est errare circa Fidem, nec Montanizare, vt mentitur Rhenanus, sed errare circa personam, id quod multis alijs Sanctis Viris accidit.*

2766 Tanta est Hæreticorum calliditas, vt quo melius possint sua detestanda Dogmata spargere, Orthodoxorumque animis inserere, catholicè cum Catholicis vivere videantur, & à suis, quales sint, non ignoretur; plurimis supersedeo exemplis, quibus inveterata hæc Hæreticorum versutia posset demonstrari; id tamen non omittam, quod refert RUFFINUS *lib. 10. Histor. cap. 11.* Arium nempè, vt se esse Catholicum Constantino persuaderet, Imperatori tanto artificio suam scripsisse fidem, vt à Catholicis putaretur Catholica, & à suis tamen qualis erat agnosceretur.

2767 Simile quid cum Pelagianis Zozimo Pontifici contigit, qui eos, quod Fidem Catholicam se profiteri ementirentur, absolvit, vt testatur AVGVSTINVS: Vndè postea Leo Papa *ad Nicolaum, Aquileiensem Episcopum; Epist. 88.* ipsum monet, vt Pelagianos ad Ecclesiam redeuntes apertissimis verbis iubeat, hæresim abiurare, proptereà quod soleant plerumque Ecclesiam decipere, ita composita Confessione Fidei suæ, vt Catholici videantur, cum non sint.

2768 Cum Zephyrino Pontifici certum non esset, Montani, illiusque sequacium mores cum illis Communicatorias concessit litteras, improbos esse, & detestandos, imò in facie Ecclesię probi, & laudabiles salutabantur, compertumque haberet Pontifex Montanum à viris magnæ existimationis, & nominis commendatum, & apud eos, inter quos degebat, egregiam benè morati viri, præclaram eximiæ Sanctitatis, virtutumque omnium prototypi, Orthodoxi, demùm Prophetię dono conspicui, famam consequutum, quid tunc quidquam huic opinioni inimicum increpuerit, nec Pontifici adherat ratio, vt Communicatorias illi iustè denegaret litteras, nec Orthodoxo cuiquam adesse potest, vt Pontificem ob has litteras incusare audeat, vel præsumat. Nec dicere iuvat, cum Montanus improbus esset, & sceleratus, illius propheticum spiritum non nisi fallacem fuisse, ac fraudulentum. Non, inquam obest: Pontifici namque dubium non erat Saulem, & Caypham (*Mat. 22.*) estò improbos, prophetico tamen spiritu fuisse afflatos, cum enim Prophetię donum, inter gratias gratis datas annumeretur, potest à Deo etiam improbis concedi, vt docet D. THOMAS 2. 2. *quæst. 172. art. 4.* & expressiùs *artic. 6.* iuxta illud *Matth. 7. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonnè in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos.*

2769 Et certum est etiam, Prophetiæ donum non modo in veteri, sed & in Evangelica Lege à Deo concessum bonis, & Sanctissimis Viris, vti Apostolis, Evangelistis, alijsque innumeris, qui singulari omnibus in sæculis virtute floruere, quorumque Prophetiæ ab Apostolica Sede discussæ, & approbatæ Infallibilem sunt Authoritatem adeptæ; *vt in Dialogo cum Tryphone Hebræo* valdè appositè adnotavit IUSTINIANUS: * Apud nos hucusque (inquit) Prophetica extant dona, vndè & vos intelligere debetis, quæ olim in genere vestro (id est Iudaico) fuere

ea esse in nos translata: at quemadmodum apud vos, Sanctorum Prophetarum tempore, etiam Pseudoprophetæ erant; ita apud nos permulti sunt falsi Doctores. (Et infrà:) Est apud nos videre & fœminas, & masculos dona à Spiritu Dei habentes.*

2770 Cum igitur certum, indubitatumque sit, cuilibet Prophetiæ fidem tribui posse, dum oppositum non constet, vt rectè admonuit Eminentissimus Cardinalis de LAURÆA, dicens *Tom.3. de Fide, disp.*8.§.4. * Ideò Prophetia potest credi vera, donec non constet de contrario, vel de fictione, atque Magia prophetantis.* Zephyrino autem Pontifici, cum Montano, illiusque sequacibus Communicatorias concessit litteras minimè constaret, ipsos improbos, falsosque esse Prophetas, Assertionesvè à Catholica Veritate, Fide, & Religione deviantes edoceri, imò oppositum pro comperto haberet, vt cum Theodoreto, Tertulliano, & alijs probavimus suprà, cum exteriùs Catholicè viverent, & ceu Orthodoxi ab omnibus salutarentur, præclaramque Prophetarum famā apud benemoratos viros eriperent, attestante EPIPHANIO: *Omnia cum Catholicis initio tenerent*, nulla certè videbatur adesse ratio, nullumque reperiri momentum, quo Communicatoriæ illis denegarentur litteræ, nedùm vt tanto Pontifici, erroris notam inuramus, quod Communicatorias tribuerit litteras, eo maximè tempore, quo illos veros Catholicæ vitæ Cultores existimabat, quousque subdola illorum patuit improbitas, tunc enim iam suo Apostolico Zelo, Pastoralique vigilantia prædictas litteras revocavit.

2771 In huius confirmatione, Eminentissimus Cardinalis BRANCHATUS DE LAVRÆA *loco iam suprà laudato*, illa, qua solet eruditione, dixit: * Quid ergo impedire poterat, quin Zephyrinus litteras eis Communicatorias concederet, quas postea ex ipsiusmet Tertulliani testimonio revocavit? (Et infrà ita concludit:) Ergo tantum abest, vt Montani hæreses foveret (Zephyrinus) quin etiam eas abhorruit, vt earum motivo Communicatorias litteras revocaverit.*

2772 Hinc apertè deducitur, æquissima fuisse ratione commotum PAMELIUM *in notis ad librū Tertulliani contra Praxeam*, vt in notam illam marginalem, quæ est Rhenani *Zepherinus Montanizat*, acriter inveheretur, nulla enimverò alia ratione, nisi inveterata sua improbitate, & effrænata audacia adduci potuit Rhenanus, vt in talem erumperet amentiam, summamque Zephyrini Pontificis Authoritatem impeteret, cum nec ipse Tertulianus, quantumvis Montanista, & vt talis, à Zepherino reus factus, ausus sit Zephyrini Fidem impetere, vt noster notavit GRAVINA *de Papa Infallib. in Decretis Fidei, 2. part. 4. tom. in Respons. obiect.*8. dicens: * Sed tantum agnoscentem, non probantem eorum hæresim. Pungere voluit Tertullianus Montanizans Zephyrinum, qui Montanum de Ecclesia eiecit, qui antequam agnosceretur hæreticus formalitèr, nec Prophetię postea examinatæ Author, facillimè potuit Papa falsis informationibus decipi, quod Montanus Catholicismum simulans, non esset Author alicuius hæresis, & litteras pacis eidem dederit, quæ signa erant Communionis Catholicæ. Hic autem error fuit facti, & de persona, non de Dogmate, quod tandem Papa proscripsit.*

2773 Vt id magis roboretur, præteriri non potest quod satis appositè ad hanc rem solita sua eruditione notavit Doctissimus P. DOMINICUS A SANCTA TRINITATE *in Bibliotheca Theolog. cap.17. sess.4 §.3.* Qui loquens de his Communicatorijs, seu Pacis litteris, quas Zephyrinus Pontifex ad Asiæ, Phrygiæque Ecclesias, antequam Montanistarum errorem agnosceret, misit, quasque illorum cognita perversitate, & defectione à Fide, revocavit: * Cur autem (inquit) Pacis illas appellet Tertulianus fortasse fuit, quia Pontifex his voluit Montanistas conciliare, non, communicando cum illis, sed reducendo illos, in quo nihil peccasse satis constat, aut si peccavit, non Fidei, sed personæ error totum fuit, arbitrando eos falso fuisse accusatos, quod absque præiudicio Infallibilitatis Pontificiæ potuit contigere: hoc enim non erat approbare errorem Montanistarum, quem sui Prædecessores improbaverant, sed decipi circa personas, vt dixi, quatenus Hæretici nonnumquam, sub ambigua Confesionis ambage, se Catholicos ementiuntur, cum non sint, cuius plurima nobis historiæ suppeditant exempla.*



CAP.

CAP. XIV.

Marcellini Fides defenditur.

2774 GLoriosissimo Martyri, Sanctissimoque Pontifici Marcellino, inconstantiam in Fide superbi exprobrant Hæretici, hancque adstruunt vulgato illo, totiesque repetito facinore, quo dum mortis metu (thura Capitolio Jovi adolevisse fertur, quod tum *ex Pontificali*, tum *Concilio Sinuessano*, & quod caput est, *ex Breviario*, *Martyrologioque Romano* planum fieri iactitant) hinc inferunt: Ergo idololatra fuit Marcellinus: vndè vlteriùs duo recentiores Hæretici Vvitacherus, & Sutlivius hanc subinferunt consequentiam: Si Papa esse potest idololatra, potest & hæreticus, & qui exteriùs idola colere potest, potest & talis interno mentis actu effici. Si ergo in hoc potest errare, proculdubio non errandi Privilegio insignitus non est.

2775 Respondemus primò, negántes quidquid nobis de Marcellini thurificatione opponitur, quo totum argumentum, falsæ in tantum Pontificem accusationi innixum, penitùs corruit. Nè autem rem prima fronte certissimam absque gravissimo fundamento negare videamur, hanc solutionem sequentibus rationibus suffulciemus.

2776 In primis, quia in his, quæ tot retrò sæculis, & priscis illis temporibus contigisse perhibentur, Historicis maiori Antiquitate, Authoritatèque pollentibus fidem adhibendam esse, nemo prudens ambiget; præcipuè verò ijs Authoribus, qui vel eo ipso tempore, quo res accidit, vel sæculis illi vicinioribus floruerunt: Nullus autem est illius temporis historicus Authoritate, & Nobilitate conspicuus, qui simile qnid proferat, nec tam fœdam Marcellino inurat culpam, ipsique in Fide inconstantiam apponat: si enim eiusdem sęculi quarti, quo Marcellinus vixit, Authores evolvamus, si quinti sęculi Historicos, qui Sancti huius Pontificis sunt tempori viciniores, attentè legamus, nullum inveniemus, qui aut Marcellinum à Fide defecisse, aut in idololatriam asserat dilapsum. Et quidem si Authores Græcos adeamus, occurret nobis EVSEBIVS CÆSARIENSIS, qui cum Marcellinum ipsum videre, & alloqui potuerit, eius non notavit lapsum, sed Martyrium, vt videre licet *lib. 7. Hist. cap. 26.* en eius verba: * Marcellini temporibus persequutio, in qua ipse Martyrio occubuit, orta est.*

2777 Nec minus THEODORETVS Marcellinum depredicat, quod tam gloriosum subierit Martyrium, dum *lib. 1. Hist. cap. 3.* hæc exaravit verba: * Marcellinus, Vir persecutionis tēporibus magna gloria plenè nobilitatus.* Vbi de lapsu eius nec per vmbram quid meminit.

2778 Id itidem suaderi potest ex Historicis Gręcis Theodoreto posterioribus; si enim NICEPHORVM, apud quem semel, & iterum factum legimus de Marcellino sermonem, lectitemus, de eius lapsu numquam meminisse inveniemus; *lib.* etenim *6. cap. 24.* loquens de Caio Papa Euthychani Successore: *Hic (ait) annis quindecim sacram Potestatem tenuit, & Marcellino eam reliquit, in quem Ecclesiarum persequutio incidit.* Hæc ibi, & non amplius.

2779 Ipse Theodoretus *lib. 8. cap. 6. initio*, hæc asserit: *Eo tempore Romanæ Ecclesiæ Silvester præfuit, Melchiadis Successor, qui post Marcellinum egregiè in persequutione ipsa, certamine defunctum, Sacri muneris suscepit administrationem.* Ij autem Græci Authores Marcellini temporibus viciniores, cum tanta præditi sint Authoritate, tantamque sibi ipsis suæ historię veritate conciliaverint Fidem, sicut gloriosum Marcellini detulerunt Martyrium, profectò, & illius memorassent lapsum, si illum verum agnoscerent, & publicū. Quotquot enim Authores D. Petri pœnitentiam enarrarunt, nullatenùs illius culpam, quàm tam gloriosa eluit pœnitentia, fateri erubuerunt. Vndè si gravissimi isti Authores, Sanctissimi Pontifices morti coævi lapsum, tam publicum, vt ad illum coarguendum, expiandumque totius Orbis Episcopis in Concilio congregatis opus fuerit, cognovissent, nullo prorsus modo, tam pervulgatum scelus Cimmerijs tenebris involvissent.

2780 Nec huius argumenti robur infringes, si asseras, esse negativum, sicque nullius esse ponderis, ac momenti. Etenim,

si Authores isti, tanta Authoritate praeclari, nullam omninò de Marcellino mentionem fecissent, esset certo certius negativum; at cum ipsi dedita opera Marcellini vitam, factaque commemorent, nihilque in ipso nisi Sanctum, venerandum, ac omni commendandum laude agnoscant, praeclarumque ipsius Martyrium depredicent; cur tam immane idololatriae facinus ipsi, sine capite, & sine Authore in graviori sumus historia adscripturi?

2781 Dolebat enim, ac vehementer angebatur, & meritò quidem ingeniorum apex AVGVSTINVS, cum videret Donatistas, sua solita hostilitate, pertinacique malitia, velle calliginosam erroris nubem offundere fulgentissimo gratiae Soli, Authoritati nempè Pontificiae Marcellini, qui pro CHRISTO constanter occumbens, insignem de Christiani nominis hostibus, victoriae palmam reportavit; molestèque ferens ipse Augustinus, Pontificem istum Sanctissimū à truculentis hisce, immanibusque hostibus accusatum infandi adeò sceleris non modo convictum, sed nè levissimo quidem fundamēto reum probatum, in tam nefariam iniquitatem, *lib. vnico de Baptismo*, loquēs de Episcopo Petiliano Constantiensi Donatista, hisce verbis invehitur: * Quid iam opus est, vt Episcoporum Romanae Ecclesiae, quos incredibilibus calumnijs insectatus est, obiecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Presbyteri eius Melchiades, & Marcellus, & Silvester, traditionis Codicum Divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur. Sed numquid ideò convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos, & sacrilegos fuisse dicit; ego innocentes fuisse respondeo; quid laborem, probare defensionem meam, cum ille, nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?*

2782 Ex tanti Doctoris Authoritate optimè deducitur accusationem in Marcellinum, Melchiadem, Marcellum, & Silvestrum, versutum, contumeliosumque fuisse Petiliani, cęterorumque Donatistarum figmentum, calumniamque in tàm Sanctissimos Pontifices malitiosè, ab Hetherodoxis coniectum, nullisque publicis tabulis, aut solidis fundamentis, sed mero Donatistarum figmento, quod illorum inveterata excogitavit malitia, Sanctissimorum horum Pontificum innocentiae culpam fuisse attributam: si enim veritatis aliquid haberet, quod de Concilio iactitant Sinuesano, hoc certè convinceretur Augustinus, nec dicere auderet, haereticos, sine Authore, & sine capite, Pontificem Marcellinum in thurificatione fuisse calumniatos. Id sine dubio nobis demonstrare voluit Eminentissimus Cardinalis BRANCHATUS DE LAURÆA, qui postquam praedictum Augustini textum pro Marcellini innocentia laudavit, Concilij Sinuessani incertitudinem concludit, innuens merum fuisse malitię recentiorum Donatistarum commentum, quo meliùs possent, Marcellino, illiusque socijs conviciari: * Ergo incertum est hoc (inquit) alioquin Augustinus poterat convinci actibus illius publicis, quae de casu Marcellini circumferuntur; ideoquè concluditur, Petilianum eo mendacio calumniatum Pontifici Marcellino, quo Caecilianum, atque Mensurium Carthaginenses, quorum innocentiam defendit Augustinus.*

2783 His accedit ratio magni certè ponderis, ac momenti. Etenim Melchiades, Marcellus, & Silvester, aequè, ac Marcellinus à Petiliano, cęterisque Donatistis, Petiliani vestigia praementibus, idololatriae crimine sugillantur, vt testatur AUGUSTINUS *loco citato*, dicens: * Obiecta ab eo crimina diluamus. Marcellinus, & Presbyteri eius Melchiades, Silvester, & Marcellus traditionis Codicum Divinorum, & thurificationis, ab eo, crimine arguuntur.* Atqui estò omnes isti quatuor Sanctissimi Viri aequè sint tam gravis scęleris incusati, evidentèr constat Melchiadem, Marcellum, & Silvestrum iniquè, falsoque, & absque vllo fundamento tanti criminis reos esse factos: Sanctus ergo Marcellinus malitiosè etiam, ac calumniosè sacrilegij scelere insimulatus est.

2784 Maior constans est ex AUGUSTINO, vt probavimus suprà; minor verò, quae adstruebat in Marcellini socios insontes, & immerentes culpam fuisse ab haereticis collatam, probanda nobis occurrit.

2785 Nec nobis difficilè erit ipso in Augustino fundamentum ad illam fulciendam invenire: Nam in celebri illa, mandato Imperatoris facta, Collatione Cartagine inter Catholicos, & Donatistas Episcopos, cum sese paratos iactarent haeretici ad convincendum traditionis Melchiadem Romanum Pontificem, & prolixa admodum Acta legi petivissent, nihil in his, quo reus probaretur penitùs inventum est; vt re-

refert S. AUGUSTINUS *in Breviculo Collationis diei tertij, cap. 18. & lib. post Collationem edito, cap. 12. & 13.* Vndè Melchiadis Papę innocentia clarissimè ex Augustino demonstratur, accusationisque improbitas à Donatistis factę ipso in crimine, quod Marcellino, illiusque complici Melchiadi falsò objiciunt, innotescit.

2786 Id itidem validissimè confirmant Cardinalis BARONIUS *anno 302.* vbi sermonem de hac ipsa re instituens, falsam Marcelli, Melchiadis, & Silvestri calumniam demonstrat: * Rursum verò (inquit) cum non Marcellinum tantum thurificationis criminis Petilianus arguerit, sed & Marcellum, Melchiadem, atque Silvestrum, planè convincitur eadem facilitate, temeritate, ac dixerim, falsitate, qua cæteros, de quibus nulla vnquam fuerit suspicio, sugillasse etiam Marcellinum, in quem nihil ampliùs, quam in reliquos Petilianus intulerit, nec de eo graviús, quàm de cæteris in crimen adductis conquestus sit. Sed more suo, hos omnes simul calumnijs, liquet, exagitasse; sicut cum Cæcilianum Diaconum, atque Mensurium Episcopum Carthaginensem (vt suo loco dicemus) ijdem falsis accusationibus vexaverunt. *

2787 Percommodè hanc in rem cadet, quod eruditè, vt solet, expendit sapientissimus Cardinalis AGVIRRE *Tract. 2. Cathedræ Sancti Petri Vindicatæ, disp. 28. sect. 1. num. 8.* vbi loquens de falsa Melchiadis Papæ accusatione, quod scilicet Idólis Sacrificium obtulisset, calumniam hacce ratione convincit: * Quę accusatio si esset vera, prolata certè fuisset longè antea, vivente ipso Melchiade, qui Donatum damnaverat, & Cęcilianum absolverat; aut saltem tempore Silvestri, Successoris ipsius, vel deniquè durante toto Imperio Constantini Magni, qui *anno Christi* 337. vivere desijt; cum igitur toto eo tempore nullus accusat Melchiadem, neque quemquam ex Pontificibus prædictis, certum videtur, eam calumniam longè posteà excogitatam fuisse à Donatistis, vt antesignanum suum à dedecore vindicarent, & Cæcilianum opprimerent. *

2788 Ut autem prædictum Cardinalem, non modo à Pontifice Melchiade, sed ab alijs etiam, quos sese Marcellino, in thurificationis crimine, comites adhibuisse calumniantur Hæretici, culpam omnem dimovere intelligatur, audiamus quod *ibidem*, iam laudato Augustino, pro Marcellino scripsit: * Itaque persistit Sanctus Doctor in tuendo Marcellino, ab impostura Donatistarum, subindèque in defensione Presbyterorum, seu Clericorum, qui simul cum ipso Fidem abiurasse dicebantur. Cumque Donatistæ inter eos recenserent Marcellum, Melchiadem, & Silvestrum, Marcellini ipsius in Romano Pontificatu Successores, & Sanctorum Fastis adscriptos, de quibus, dum viverent, nemo id scelus vmquam suspicatus fuit, consequens arbitratus est Augustinus, ac meritò quidem, quemadmodum criminatio adversus tres illos erat iniusta, & omni solido fundamento destituta, sic etiam adversus Marcellinum falsam, & iniquam esse. Quippè causa quatuor illorum eadem omninò erat, iuxta ipsos Donatistas, ac proindè, vel omnes absolvi, vel condemnari omnes, debuerunt.*

2789 Vndè deducitur, cum æquê in Marcellinum, ac Melchiadem, Silvestrum, & Marcellũ illius Compresbyteros hethetodoxi insurrexerint, evidentèrque constet criminationem adversus tres illos apertam esse calumniam, vt vterque Cardinalis cum D. probat Augustino, apertissimê quoque esse falsam, & iniquam, & à sola Donatistarum malitia exortam accusationem, qua in Marcellini innocentiam, puritatemque Fidei, quę in illo semper eluxit, thurificationis impostura pervicacitèr invehuntur.

2790 Nec ad maiorem propositi Confirmationem omitti potest, quod P. CHRISTIANVS LVPVS *in notis ad Concilia, tom. 5.* de hoc Marcellini lapsu loquens, scribit: * Quem (nempè lapsum) esse calumniosum Donatistarum figmentum constantissimê docet Sanctus Augustinus *lib. de vnico Baptismo, cap. 16.* (Et infrà huius imposturæ hanc redit rationem) cum Melchiades Pontifex pro Cęciliano iudicasset, ipsum criminis expertem declarans, Donatumque condemnans, illius sequaces nullam aliam invenientes viam, qua Melchiadis Papę declinarent sententiam, Pontificem Melchiadem, Marcellum, Silvestrum, & Marcellinum in Diocletiani persequutione omnes vno thure idola fuisse veneratos, execrando dixere mendacio, indè subinferentes, Melchiadem, nec Pontificem, nec Iudicem in dicta sententia fuisse legitimum, sicque hanc nullitatis vitio labora-

borare, quod Pontificis esset intrusi: At esse non solum calumniosam, sed insuper novellam fabulam ostendit, quod nempè, nec ipse Casensis Donatus, nec quis ipsius Collega, aut defensor, de ista tunc exceptione, aut antè, aut post Iudicium, vel somniasset. A Diocletiani persequutionibus, quod illic Constantini Pater Contantius Chorus imperasset, immunis fuerat Gallia, ideòque nulli istic erant thurificati, nulli libellati, nulli traditores.*

2791 Et *in Expositione Canonis* 10. *Concilij Nicæni*, *Tom.* 1. in huius rei confirmationem dicit, figmentum fuisse Donatistarum, calumniam, quam Sancto adscripsere Melchiadi, vt illius in Donatum Iudicium effugerent, & Sententiam: * Vt Melchiadis (inquit) ac Silvestri Pontificum, de suo Donato à Casis-Nigris, Episcopo, & schismate iudicia exsufflarent, hæc pessima mendacia per Ecclesiam sparserunt nequissimi Donatistæ, imitati Novatianenses, simili fine accusantes eiusdem criminis Cornelium Papam, & è spatijs imaginarijs producentes, nescio quem alium lapsum Pontificem Macedonium, vti *apud Photium in Bibliotheca* refert Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, cuius opus commendat S. Agatho Pontifex *in litteris Dogmaticis ad Synodum VI.**

2792 Ipse tandèm Lupus *in Tertullianum*, magis idipsum confirmat, dum dicit: * In Epistola *ad Generosum* Sanctus Augustinus enumerat omnes Romanos Pontifices à Sancto Petro vsque ad tunc sedentem Athanasium, affirmat inter ipsos nullum fuisse Donatistam. (Et paulò infra:) Constanter affirmat, inter Romanos Pontifices nullum vmquam fuisse traditorem, & inter ipsos numerat Sanctum Marcellinum. Quarè certum est, eius prętensum sub Diocletiano tyrano lapsum, esse manifestam Donatistarum calumniam.* Hæc ille.

2793 Contra prædicta tamen manifestè militat gravissimum sanè, & efficax argumentum, ex Sinuessano Concilio desumptum: ipse siquidem Marcellinus prædictum congregavit Concilium, ibiquè coram omnibus Synodi Patribus, suæ thurificationis noxam, quam etiam 72. oculati testes in eodem Concilio contestabantur, spontè detexit, eamque manifestis pœnitentię inditijs detestatus est, vt patet ex prædictæ Synodi Actis, quæ BARONIUS, & alij referunt. Nemo ergo potest de tam publico, tamque notorio facto dubitare, sicque corruit quidquid in oppositum hùcusque probavimus.

2794 Huic tamèn argumento respondemus, non esse adeò certam, vt supponitur, Marcellini thurificationem, Sinuessani Concilij Actis innixam; cum de illorum fide, & certitudine non modica sit in Authores contentio, qui in duas oppositas Sententias abierunt. Prima, quam Gravissimi Authores tenent, firmissimisque suffulciunt fundamentis, absolutè negat prædictorum Actorum legalitatem, talevè vmquam extitisse Concilium: & iuxta hanc Sententiam asserimus, non constare legitimè de thurificationis delicto, quod Marcellino Pontifici ob prædictorum Actorum testimonium adscribitur; cum ea tam dubiæ Authoritatis existant, vt ex sequentibus rationibus innotescet.

2795 Primò, quia Cardinalis BARONIUS *ad annum* 303. *num.* 88. hęc de huiusmodi Concilij Actis annotavit: *Feruntur in primis Acta quædam, sed admodum depravata de Marcellini Papę lapsu, deque eius in Concilio facta condemnatione. (Et paulò infrà:) Quid autem Acta, quæ extant (inquit) qualiacumque sint de Marcellini lapsu contineant, iam videamus. Ea quidem adeò depravata habentur, vt perdificilè sit sensum ex eis germanum exquiri. Triplici sunt editione excusa; & quæ scripta legimus in Cresconiana antiqua Collectione, non emendatiora esse reperimus. Quamobrem, quę ad lapsum spectant, ex eis magis hic Sententiam, coniecturis interdùm adiuvantibus, reddere, quam verba ipsa describere instituimus.*

2795 Et postquam retulit textum, illumque expendit, sermonem iterùm ad dicta Acta convertit; & quamvis illa, pro ipsorum antiquitate, totque Authoritate Episcoporum, qui ad illam Synodum confluxerunt, omni iudicet veneratione dignissima, multa tamen occurrunt, quæ prędicta Acta incertæ Authoritatis, Fideique reddant. Et nè doctissimi huius Cardinalis, qui tanto labore, cura, ac sollicitudine veritatem historiæ explorare nititur, Dignitati, qua id enarrat, aliquid detrahamus, ipsius verba *loco citato*, adducemus. * Modo autem (inquit) de Actis recensitis agamus. Quæquidem, etsi veneranda extent antiquitate signata, veteribus

ribus testata Monumentis, ac Tabulis Ecclesiasticis consignata, plurimorumque testificationibus confirmata videantur; vt ab ijs desciscere, stultum; & tot testibus obniti, temerarium existimari possit: tamen de veritatis certa fide dubitandum, haud leviter admonere videntur, tùm, quæ à S. Augustino sunt scripta adversus ea, quæ ab adversarijs Catholicę Fidei in Romanam Ecclesiam, quam odio infensissimo sunt insectati, per calumniam obiecta sunt; tùm etiam, quæ in eijsdem actis, parùm sibi constantia notata habentur; tùm deniquê, ea, quæ à Græcis de eodem Marcellino dicuntur, quæ quidem, haud sunt talia, quæ dissimulari, aut sepulta silentio valeant prętermitti.*

2797 Et relato Augustini textu, propositoque argumento, quo Petilianus in Marcellinum, illiusque Compresbyteros Melchiadem, Marcellum, & Silvestrum ob Divinorum Codicum Traditionem, Idolorumque thurificationem insurrexerat, hæc AVGUSTINI respondentis verba adducit: * Quod ab eo crimine arguuntur, sed numquid ideò convincuntur?* Quibus verbis denotat Augustinus, estò illos Petilianus fœdissima illa thurificationis labe notare voluerit, se tamen i los tã nefandi criminis insontes agnoscere, cum ille nec tenuiter acusationem suam probaverit. Quæ verba expendens Baronius, adnotat: * Quod si vera essent, quæ à recentioribus obiecta sunt Donatistis: quomodo ista tam enormia tacuissent, ipsorum maiores pugnacissimi Donatistę? Cum enim de absoluto Cæciliano à Melchiade Papa, adversus eum quærelarum libellos obtulerunt Constantino Imperatori, nihil penitùs in Melchiadem obiecerunt, quamvis, Assertione Donatistarum, communis esset eius causa in lapsu cum Marcellino.*

2798 Dignum certè admiratione est, quod cum ille Marcellini lapsus, adeò manifestus esset, ac vniverso spectante Orbe commissus, prout in prædicta commemoratur Synodo, evidentiùsque insuper esset argumentum, quo Donatistæ Divum possent convincere Augustinum; nec illi cum in Marcellinum, & Melchiadem invehebantur, talis meminerint Concilij, nec de illo aliquam mentionem D. fecerit Augustinus, qui cum Romæ ea ipsa degeret tempestate, si verè tale, tamque pervulgatum accidisset facinus, illud penitùs exploratum haberet, vt rectê expendit Baronius *loco iam suprà laudato.* * Hæc igitur (inquit) cum ita se habeant: quomodo, quæ non in angulo, sed in medio Urbis, & coram Imperatore, & in Templo Idòlorum sunt facta, à tali præsertim, tantoque viro, vt & quod in Urbe commissum esset, sciret Orbis (nam & si Fideles facinus tacuissent, Gentiles magna sua gloria diffamassent) vnum prætererunt Augustinum, qui etiam Romæ tamdiù versatus est?*

2799 Et infrà ipse Cardinalis: *Si igitur in tanto Concilio trecentorum Episcoporum, tunc habito, Marcellini lapsus cognitus, atque probatus fuit, quonam pacto res tot, tantisque testibus patefacta, nullo (vt ait Augustinus) testificationis genere, nec à Petiliano, nec ab alijs Schismaticis est asserta? Vel quomodò tàm liberè, atque securê id ab eis nulla probatione iactari, Sanctus Augustinus affirmat, quòd ex tanto Concilio, vulgatis Actis, poterat esse perspicuum? Verum si ea clandestinê in Sinuessana crypta sunt facta, quomodo, si eius lapsus fuit omnibus adeò manifestus, non etiam eius pœnitentiam curassent Patres, publicatione Actorum, omnibus innotescere? Sed estò (vt hæc eadem sępiùs inculcemus) hoc vnum latuit Augustinum: cur, quęso, id Augustinum negantem Petilianus adversarijs litteris postea non redarguit, nec à se dicta, adeò certis firmisque testimonijs confirmavit?*

2800 Secundò respondeo, præter ea, quæ diximus, multas nobis ocurrere rationes, quę prędicti Concilij Acta dubię fidei reddunt, suppositaque esse confirment. Primò, quia nullus adest alicuius veritatis, fideivè Author, sivè prophanæ, sivè Ecclesiasticæ historię, qui Civitatis Sinuessanæ, & Cleopanensis cryptæ, in qua celebratum supponitur istud Concilium, vel leviter meminerint.

2801 Dicere autem cum Baronio, & Binio situm, ac nomen loca illa mutasse, quando hęc nullo sunt fulta tibicine, & sola est pro ratione voluntas, divinare videtur. Secundò, quia incredibile apparet, sæviente Diocletiani persecutione, quæ vna fuit ex inhumanioribus quę Ecclesiam vexarunt, quandò Christiani toto Orbe diligentissimè quærebantur, vt aut Idòlis Sacra facerent, aut sævissimis cruciatibus vitam, ac animam profunderent, trecentos Episcopos, totidemque sine dubio Fideles, illorum comites, in vnum locum convenisse, cum sub Constantino Imperatore, qui

qui tot vigilias, curas, & cogitationes adhibuit, vt OEcumenicum congregaret Concilium, non multò plures ad illud confluxerint.

2802 Præterea: Quia si tot Fideles in eadem infidelium, Idòlatrarumque Vrbe essent congregati, in summo versarentur periculo, vt ab infidelibus Fideles, Catholicique cogniti, aut idòlorum aris honores imponerent, aut immani truculentissimorum hostium furore, ac rabie cæderentur. Hæc vna est è præcipuis rationibus, quibus adducuntur Historici, vt adstruant primis tribus Ecclesię sæculis, nulla Generalia Concilia, sæviente persecutione, fuisse celebrata, quousque Ecclesia Imperatorem Constantinum sinu suo excepit, qui Christiana Religione suscepta, Ecclesiæ commodis, Fideique inhians incrementis, vna cum Silvestro Pontifice, omnem contentionem adhibuit, vt Nicææ Generale congregaretur Concilium.

2803 Quartò, quia in Actis istius Concilij, Marcellinus dicitur introductus à Diocletiano in Templum Vestæ Isidis, sacrificasse Herculi, Iovi, & Saturno. Quod verisimile non videtur, cum cuique Numini, proprio in Templo, nuncupata fuisse vota, & oblata Sacrificia, omnia antiquitatis monumenta testentur.

2804 Quintò, quia in illius Concilij Actis narratur Diocletianum Imperatorē, cum esset in bello Persarum, de Marcellini Pontificis condemnatione fuisse commonitum; quod falsissimum esse convincitur: Cum eo ipso anno Imperij, nempè sui vigesimo, sese abdicaverit Imperio Diocletianus, & antè biennium, de Persis profligatis, cum Maximiano Collega suo, Romæ triumphum egerit. Nec valet dicere, cum Baronio, & Binio, verba illa esse apendicem Actorum, & non partem; quia liberè dicitur.

2805 Sextò, quia Acta illa referunt septuaginta duos testes adductos fuisse mediam in Synodum, qui Marcellinum Sacrilegæ thurificationis convincerent, & nihilominus dixisse ipsi vniversam Synodum: *Tu eris iudex: ex te enim damnaberis, ex te iustificaberis, tamen in nostra prĕsentia.* Et post depositionem, dicitur, ore suo condemnatus: *Nemò, enim (inquiunt Patres dicti Concilij) vnquam iudicavit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum, quoniam Prima sedes non iudicabitur à quoquam.* Quę, si vera essent, quam ob causam tot prolata essent adversus Marcellinum testimonia? Quorsum necessarij testes ad convictionem rei, qui iudicari à nemine mortalium potest, & cuius standum est Iudicio? Inter se se pugnantia ergo præfata Acta videntur, quæ maxima est nota suppositionis.

2806 Septimò, quia in Actis illis habetur, multitudinem Christianorum ad Templum Idolorum perrexisse, vt de rumore, qui sparsus erat contra Marcellinum, certiores fierent, & testimonium contra ipsum ferre possent, si eum viderent Idòlis sacrificantem, ipsos verò vidisse eum, Thus falsis Numinibus adolentem. At verò in ista narratione multa sunt, quæ veritatis speciem nullam habere videntur. Primò, quod tempore persecutionis, quo Fidei Christianæ Professores delitescebant, tot Christiani catervatim prodierint in publicum. Secundò, quod ad Templum idòlorum accesserint, Sacrificij, aut thurificationis sacrilegę futuri testes, quibus impia sacrificia, & quosvis Gētilitiæ superstitionis ritus spectare nullatenus licebat, vt constat ex TERTULLIANO passim *in libro de spectaculis*, sed maximè *cap. 13.* Vbi postquam præmisit Christianos ab idòloritis abstinere ex horrore idòlolatriæ, hæc addit: *Si ergo gulam, & ventrem ab inquinamentis liberamus, quantò magis angustiora nostra, oculos, & aures ab idolotitis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis transiguntur, sed in ipso Spiritu, & anima digeruntur: quorum munditia magis ad Deum pertinet, quam intestinorum?* Et certè, si spectacula adire Christianis licitum non erat, quia ex idololatria constabat vniversa spectaculorum paratura, vt ait Terullianus; quantò magis ipsis erat illicitum Sacrificia ipsa, falsis exhibita Numinibus spectare?

2807 Octavò, quia congruum primitivæ Ecclesię moribus non videtur, vt ad testimonium ferendum contra Pontificem, admiteretur publicus adulter, quod tamen factum fuisse, in Actis præfatis legitur. Tandèm, quot cognominantur in Actis, Episcopi incogniti sunt; nec cuius loci Episcopi fuerint, indicatur, quod à perpetuo Synodorum more, & Synodalium Actorum stylo, penitùs alienum est. Ex quo non mediocritèr arguitur, quæ in dictis Actis continentur, & si non fictitia, dubia saltèm, vel Authoritatis suspectæ esse, ad rem tanti momenti comprobandam.

Un-

2808 Undè, cum thurificationis peccatum, quod Divo adscribitur Marcellino, vnicè ex Concilio Sinuessano probetur, totque exceptiones ista patiatur Synodus, vt vidimus; cumque ea, quæ in dicto referuntur Concilio, non multum veritati adhęrere videantur; cum deniquè impium hocce, ac nefandum sacrilegium, infirmo, ac imbecilli fundamento in Sanctissimum transcribere Pontificem, gravissimum quid censeri debeat, optimè deducitur, hanc in Marcellinum accusationem, si falsa non est, maximam esse admirationem adlaturam.

2809 Nihilominùs opposita Sententia, quæ prædicti Concilij Acta vera esse, & legitima; ac thurificationis scelus in ipsis relatum, verè à Marcellino Pontifice commissum fuisse propugnat, firmissimo antiquitatis, & Authoritatis fulcro munitur; siquidem Donatistæ tertio, & quarto Ecclesię sæculo, de prędicti sceleris veritate minimè dubitantes, Marcellinum Pontificem, prędictę thurificationis crimine arguebant, vt D. AUGUSTINUS *lib de vnico Baptism. cap.* 16. hiscè verbis enarrat: * Marcellinus, & Presbyteri eius Melchiades, Marcellus, & Sylvester Traditionis Codicum Divinorum, & thurificationis, ab eo, crimine arguuntur, (videlicet à Donato) &c.*

2810 Pontificale S. DAMASI Papæ, qui 4. *sæculo floruit, in S. Marcellini Vita*, eamdem hanc thurificationis noxam ipsi adscribit, dicens: * Ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, vt sacrificaret, quod & fecit.* Et quamvis prędictum Pontificale non sit S. Damasi, sed Anastasij Bibliothecarij, vt graves Authores existimant, adhuc nihilominùs istius Sententiæ antiquitas effloreścit; siquidem huiusmodi Pontificalis Author *sæcul.9.* enituit; testaturque se Pontificum Vitas, quas ibi refert, ex maioris antiquitatis, & fidei exemplaribus, quæ tunc temporis circumferebantur, hausisse; quo clarè ostenditur earum, quæ ibi narrantur, vetustas. Insupér eiusdem Marcellini Vita ex vetustissimo Codice, Iuliani Imperatoris temporibus, manuscripto deprompta, quem eruditi PP. HENSCENIUS, & PAPENBROCHIUS publici iuris fecerunt, hoc ipsum de Marcellini lapsu continet, & confirmat LVITPRANDVS, Ticinensis Diaconus, qui *sæcul.9.* etiam resplenduit, eiusdem Marcellini Pontificis Vitam, quæ ex antiquissimis Codicibus desumpta Moguntię *anno* 1602. prodijt, litterarijs monumentis sacravit, & in ea Marcellinum thuris honorem Idòlis obtulisse tradit. Tandêm NICOLAVS I. qui *eodem sæcul.9.* Ecclesiam feliciter gubernavit, *in Epist. ad Imperat. Michael.* data, idipsum asseverat. Eumdemque Marcellini lapsum alij Orthodoxi Authores vsque ad præsens sæculum MARTYROLOGIJ, & BREVIARIJ ROMANI Authoritate muniti, constanter affirmant: cumque isti Authores domestici sint, & Latini, quibus proindè ea prava erga Apostolicam Sedem affectio, quæ Græcis ob assiduum schisma obijcitur, opponi non posset, maiorem hac in re promerentur fidem, certioremque reddunt, atque credibiliorem efficiunt eiusmodi Marcellini lapsum, quàm si à Græcis tantummodô enarraretur.

2811 Quoad secundum verò, prædicti nempè Concilij Acta legitima esse, verèque tale congregatum fuisse Concilium, elegantèr probat, & luculentiùs confirmat BARONIVS, qui cum in prima suorum operum editione prædicta Acta supposititiam esse tenuisset, in secunda tamen Plantiniana *anno* 1597. *Antuerpiæ excusa, tomo* 2. *ad annum* 303. *num.* 100. & 102. re maturiùs considerata, ac diligentiùs perpensa, ob venerandam prędictorum Actorum antiquitatem, non modo ea legitima adstruit, sed etiam argumenta oppositum probantia eruditissima solutione infirmat. Vndè sic scribit: * In hac autem, quam postremò audimus, editione, re graviori lance perpensa, & sagaciori indagine disquisita, aliqua addenda esse putamus, quæ æquus Iudex, pro adversæ partis defensione, iure potuit exigere. Resideat in throno suo gravis, & veneranda, quantumlibet obsita panis, antiquitas, quæ maiestate sua ab invitis licet, extorqueat reverentiam; sed imperet iure suo, magna esse æstimatione habenda, quæque vetera monumenta, licet temporis appareant edacitate corrosa.*

2812 Et *num.* 101. * His igitur (inquit) admoniti eadem Acta accuratiùs intuentes, atque attentiùs considerantes, procul absumus, vt ea penitùs reijcienda putemus, atque longè longiùs abhorremus, vt eadem Donatistis adscribenda esse velimus. (Et infrà, varijs contra prædicta Acta propositis exceptionibus:) Hæc quidem (inquit) adversus Concilij Acta proposita, etsi fortia videantur, nequaquam tamen huiusmo-

iusmodi esse reperimus, vt ex eis eadem Acta falsa penitùs convincantur. Nam in primis, quæ superiùs in Marcellini lapsu negando sunt dicta, contrarijs Assertionibus esse labefactata monstravimus.* Hæc ille.

2813 Idem tenet Illustriss. mus D. PETRVS MARCA, Parisiensis Antistes, siquidem *lib.1. cap.11. §.4.* hoc tulit de prædictis Actis Iudicium: * Scio quidem à viris eruditis hæc Acta vocari in dubium, quasi à Donatistis conficta; sed fatendum est, antiquitatem quamdam redolere, licet quàm plurimis mendis scateant.*

2814 Attamen clariùs, prædictis Actis suffragatur SEVERINVS BINIVS, Coloniensis Doctor, *in Notis ad Sinuessanum Concilium*, vbi ad illa verba: *Acta omnia, &c.* hæc annotat: * Quanquam virorum Doctissimorum plurimi, hæc Acta spuria, & nullius ponderis esse, validis sanè argumentis probare conati sunt, adeóque aliud nihil esse sentiant, quam commentum à Donatistis callidè excogitatum, vt, scilicet, nomen Marcellini ab omnibus antiquioribus benè acceptum, & magnæ æstimationis habitum, infamaretur: nos tamen ea Acta, non modo, non commentitia, Donatistis adscribenda, sed potiùs in magna veneratione habenda esse existimavimus; tum quod pro ijsdem ipsa veneranda antiquitas maiestate sua, ab invitis etiam reverentiam extorquens, acerrimè militat: tùm quod communi omnium consensu credita in antiquis Romanæ, aliarumque Ecclesiarum Martyrologijs, ac Breviarijs recepta, hactenùs sine vlla controversia retenta fuerint.*

2815 GRATIANVS *anno* 1151. *cap. Nunc autem. 21. Dist. in Decreto Gregorij 13. iussu correcto*, prædicta Acta legitima agnoscit. In cuius rei confirmatiotionem omitti non potest, quod scribit NICOLAUS Pontifex, *in Epist. ad Michael. Imperat.* data, ex qua desumptum est *cap. Nunc autem.* vbi hæc habentur: * Tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorum, Marcellinus Episcopus Vrbis Romæ, qui postea insignis Martyr effectus est, adeò compulsus est à Paganis, vt in Templum eorum ingressus, grana thuris super prunas imponeret. Cuius rei gratia, collecto numerosorum Concilio Episcoporum, & inquisitione facta, hoc idem Pontifex se egisse confessus est.*

2816 Hanc Sententiam præclarè confirmat Sanctissimus Pontifex GREGORIVS VII. qui *anno* 1078. *in V. Romano Concilio* statuit 14. Canonem de Festivitatibus Romanorum Pontificum celebrandis, cuius meminit Magnum CHRONICON BELGICVM *fol.* 124. vbi hæc scribuntur: * Gregorius constituit, vt Festa Romanorum Pontificum, qui Martyres fuerunt, celebrentur.* Idque ipsum manifestè patet ex antiqua Historia, cuius compilationem refert CHRISTIANVS LVPVS *par.4. ad Can.19.* in illa enim, hæc enarrantur: * Gregorius constituit, vt omnium Sanctorum Martyrum, & Romanorum Pontificum Solemnitates, vbique annuatim cum pleno officio celebrarentur.* Vnus autem ex ijs Pontificibus fuit Marcellinus, cuius Vitam, & facta *ex lib. Pontificali, & Sinuessani Concilij Actis desumpta* GREGORIVS VII. & ROMANVM *sub ipso* CONCILIVM ordine 5. Breviario Romano inseruerunt, & CONCILIJ TRIDENTINI Patres hanc historiam, adeò certam iudicarunt, vt à Pio V. ad Breviarij Romani correctionem vocati, hanc Marcellini, & Sinuessani sub ipso Concilij historiam retinuerint; ipseque Pontifex in Bulla Breviario præfixa testetur, eos ab antiquis, tàm Vrbis Romæ, quàm Bibliothecæ Vaticanę Breviarijs non recessisse; quinimò & graves in eo genere Scriptores fuisse sequutos, removendo ea, quæ aliena essent, & incerta. Et quidem, vsque ad Tridentinum Concilium, prędicti Concilij Acta indubitatæ Fidei existimata sunt, imò sub ipso Tridentino Concilio, quod *anno* 1545. cœpit, & *anno* 1563. terminatum fuit, & absolutum, Sinuessani Concilij Acta exhibuit PETRVS CRABBE *anno* 1551. quod & præstiterunt *anno* 1567. LAVRENTIVS SVRIVS *in Tomis Conciliorum Coloniæ editis, anno* 1585. DOMINICVS NICOLINVS *in Venetiana editione eiusdem anni*, & *anno* 1606. SEVERINVS BINIUS, Coloniensis Doctor, qui *Tom.* 1. prędictum Sinuessanum Concilium varijs Notis eruditione refertis, illustravit, illius Acta desumens ex tribus diversis editionibus, quarum duæ ex antiquissimis Codicibus depromptæ sunt; ac tandèm COLLECTOR REGIUS *in editione Conciliorum 37. Voluminibus, Parisijs evulgata.* Hæc eadem Sinuessani Concilij Acta compendiosè refert BAYLIVS, Pa-

Parisiensis Doctor, *Tom. 2. Concilior.* & novissimè PHILIPPUS LABBÆUS *anno* 1671. *in maxima Conciliorum Collectione*, *Tom.* 1. In ijs autem Collectionibus manifestè traditur, Marcellinum Diocletiani blanditijs ad thurificandum Idòlis in Templo Isidis, fuisse permotum, & ob eius lapsum prędictam Sinuessanam Synodum congregatam.

2817 Præter relatos Authores, alij etiam gravissimi, de prędicti Concilij Actis expressam mentionem faciunt, & pręfatam historiam sua Authoritate confirmant, vt Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. Nunc autem.* 21. *Dist.* Illustrissimus Episcopus ALVARVS PELAGIUS *lib.* 1. *de Planct. Eccl. art.* 6. floruit autem prædictus Antistes *anno* 1340. vt ipse *in sui libri fine* fatetur; FACVLTAS THEOLOGICA TOLOSANA *anno* 1402. *in litteris ad Carolum VI. Galliæ Regem*, apud THEODORICVM RAYNALDVM *Tom.* 17. *ad annum* 1403. *num.* 18. IOANNES GERSON, Parisiensis Cancellarius, cum Constantiensi Concilio adfuit, vt patet *ex suo Tract. de Appellat.* quem, post Constantiensis Concilij finem, evulgavit; Cardinalis NICOLAUS CVSANUS, *tempore Basileensis Concilij*, *lib.* 2. *de Concord. Cathol. cap.* 17. ONUPHRIUS PANUINIUS *in suo Platina*, quem additis Notis recexcussit, & Summo Pontifici Pio V. dicavit, & Cardinalis HOSIUS Tridentini Concilij Præses.

2818 Omnes autem prędicti Authores, & relatæ Conciliorum editiones vnanimiter adstruunt, ac pari consensu testantur Marcellinum Idòlis immolasse, & ob istius lapsum congregatum fuisse Sinuessanum Concilium, vbi cum ipse Marcellinus, se id egisse, confessus esset, nullus ex Sanctissimis Patribus, prædicto Concilio adstãtibus, ausus est in eũ senẽtiã proferre; sed omnes vno ore dixerunt: * Tuo ore iudica causam tuam; non nostro Iudicio: noli, aiunt, audiri in nostro Iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam. (Et rursum:) Quoniam ex te, inquiunt, iustificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. (Et iterum dicunt:) *Prima Sedes non iudicabitur à quoquam.** Vt habetur *in Textu, cap. Nunc autem.* 21. *Dist.*

2819 Ad maiorem prædictorum illustrationem, egregiè facit quod *in Tridentina Synodo* contigisse narratur; in ea enim Cardinalis Hosius, prædicti Concilij Pręses, Hæreticos Pontificem ibidem iudicare volentes, publicè coram Patru m consessu reiecit, vt, allato ipsius Hosij testimonio, refert noster ABRAHAM BZOVIUS *Tom.* 2. *Annal. ad annum Christi* 1562. Sed multò ante Tridentinum refertur *in cap. Nunc autem.* alius similis eventus, hanc secundam sententiam egregiè confirmans; *in eo* enim *cap.* sic scribitur: *Cumquidam, tempore quodam, contra Sixtum Papam tentassent quædam mali rumoris (Glossa: aliàs non boni) obijcere, & in Concilio, cui & Valentinianus Augustus intererat, dictum fuisset non licere adversum Pontificem dare sententiam: surrexit idem protinùs Imperator, & in arbitrio præfati Pontificis tribuit iudicare Iudicium suum; etenim nullus Pontificum minorum, vel inferiorum vrbium subactus Iudicijs invenitur.* Hactenus Textus.

2820 Ex quibus manifestè colligitur, secundam sententiam, quę Marcellinum Idòlis thus adolevisse, & veram esse Sinuessani Concilij Historiam tuetur, præclara, ac egregia Antiquitatis, Historię, & Authoritatis commendatione fulciri. Vndè in pręcipuam nostram Assertionem sic efficaciùs vrgetur. Marcellinus Pontifex in thurificationis, & idòlolatriæ scelus prolapsus est; defecit ergo in Fide, nec habuit pręstantissimum illud in rebus Fidei non errandi Privilegium, quod D. Petro, istiusque Successoribus, Romanis Põtificibus, à CHRISTO Domino concessum esse, probavimus.

2821 Huic argumento respondemus primò: Marcellini thurificationem, estò ob Authores à nobis modò relatos, magnæ probabilitatis gradum pertingat, nec de Fide esse, neque omnimoda certitudine commendari, cum non desint graves Authores Catholici, qui oppositum haud improbabiliter sentiant, & præfatam Marcellini noxam, dubiam efficiant; siquidem præter illos, quos in prima solutione adduximus, Sinuessanum Cõcilium nullatenùs admittentes, laudari pro hac eadem sententia possunt Cardinalis PERRONIUS *contra Angliæ Regem*, *cap.* 47. & Doctissimus CHRISTIANUS LVPVS, qui *part.* 5. *ad.* 14. *Quinti Romani*, *sub Gregorio* 7. *Concilij Canonem*, hęc habet: *De Lapsu Marcellini, quem esse calumniosum Donatistarum figmentum docet S. AUGUSTINUS. (Et postea:) Hanc

non solum calumniosam, sed etiam novellam fabulam ostendit S. Augustinus.* Et Parisiēsis Antistes D. PETRVS MARCA *lib.* 1. *cap.* 11. §. 4. prædictum Marcellini lapsum in præfatis Actis contentum non omninò certum existimat, cum asserat: *Scio quidem à viris eruditis hæc Acta vocari in dubium.*

2822 P. THEOPHILVS RAYNAVDVS *Tom.* 10. *lib. de Corona Aurea Romani Pontif.* primæ sententię manifestè suffragatur *verit.* 10. hæc, inter alia, scribens: *Nam quod ad Marcellinum attinet, verior sententia est, totam narrationem de Marcellini crimine, & damnatione, esse fabulosam, vt retractata priore sua sententia censuit Bellarminus *in recognitione lib.* 4. *de Pontif. cap.* 8. adducens Sanctum Augustinum, ac Theodoretum. Subscripserunt alij *apud Baronium, anno* 302. & 303.* Doctissimus etiam D. EMMANVEL SCHELSTRATE, Antiquit. Illustr. *part.* 2. *dissert.* 1. *cap.* 6. de prædictorum Actorum veritate, ac fide, nihil audet certi statuere: *Ad huius (inquit) difficultatis indagationem distinguenda est quæstio, de suppositione Actorum Concilij ab ea, qua quęritur: An doctrina in Actis contenta veritati sit consona, & à nobis admittenda? Quoad suppositionem Actorum, cum dubitent Viri eruditi, nec aliquid eliquatum habeatur, nihil definitè assero.*

2823 Cum igitur pręfata Conciliaria Acta, iuxta eruditos hos Authores, tàm antiquos, quam recentiores, non adeò certa sint, vt omnem dubitationem excludant, asserimus pariter Marcellini Pontificis thurificationem eidem esse dubitationi obnoxiam, cum istius notitia in prędictis Actis, & Sinuessani Concilij Historia vnicè innitatur; cæteri enim Authores, qui de pręfata thurificatione loquuntur, eamque asseverant, prædictis Actis sunt posteriores, illiusque notitiam ex prædicto Concilio, tamquam ex primo origine, hauserunt.

2824 Nihilominùs tamen, ne præcipuam difficultatem effugere videamur, respondemus secundò: Marcellini thurificatione gratis concessa, nihil indè contra nostram Assertionem posse deduci; si enim inferas: Ergo Marcellinus defecit in Fide, ac per consequens privilegio non errandi in Fide fuit destitutus; quod est pręcipuus Hæreticorum scopus, & eorum, qui Romanis Pontificibus Infallibilitatem in Fide inficiantur; absolutè negamus consequentiam, quam, vt falsam esse ac perperam illatam, clariùs demonstremus, Sanctissimumque Marcellinum ab huiusmodi calumnia, quam Apostolicæ Sedis hostes ei objiciunt, penitùs vendicemus inquirimus.

§. I.

AN EX MARCELLINI THVrificatione, ipsum in Fide lapsum fuisse, rectè, vel perperam deducatur.

2825 PRO clariori præsentis difficultatis enodatione duximus prę-notandum, Fidei Confessionem, tribus modis peragi posse, *Dicto* nempè, *Scripto*, vel *Facto* assensum internum circa obiectum Fidei proferente. *Dicto*, quidem, vel *Verbo*; vt Salvator volens, vt Apostoli docerent Gentiles, quod ipsi credebant, ait, *Matth. vlt. Docete omnes gentes.* Et *Marci vlt. Prædicate Evangelium. Illi autem profecti prædicaverunt vbiquè.*

2826 Hæc etiam praxis Ecclesię ita manifestata Fidelibus fuit, cum dicerent se credere in CHRISTUM. Id Salvator ab ijs exigebat, qui gratias ab eo, ac beneficia petebant. *Matth.* 9. *v.* 28. *Creditis, quia hoc possum facere vobis? Marci* 9. *v.* 22. *Si potes credere, omnia possibilia possibilia sunt credenti.* Ille respondit: *Credo Domine.* Cęco nato illuminato, dicit CHRISTUS: *Credis in Filium Dei?* Hic ait: *Credo Domine.*

2827 Ex *Actibus* etiam *Apostolorum, cap.* 2. adduci potest exemplum in illis tribus millibus. Prædicante enim prima vice Petro, & docente, CHRISTUM esse Messiam, ac Filium Dei, at ex eius Doctrina, neminem salvari posse, nisi per Fidem in eum, ac per Baptismum, iuxta illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Tria millia tunc crediderunt, & se credere *Facto*, baptizari petierunt; quod & factum est. Indè ortum habuisse credimus Ecclesiæ praxim, neque aliter fieri liquet, vt cum adulti ad Baptismum accedunt, vel Hæretici ad reconciliationem, petitur ab eis, an credant, auditaque eorum Fidei Confessione, illicò ab Ecclesia recipiuntur.

Ex-

2828 Externam Fidei Confessionem *Scripto*, Evangelistę, & alij Apostoli, qui Canonicas Epistolas condiderunt, nos docuerunt; eam etiam coram populis, confessi sunt. Imò *in Apocalipsi*, præceptum est Ioanni, vt scriberet, quæ de Divinis Mysterijs revelata fuissent; & Iustinus Martyr, alijque quam plures, scriptis, suam Fidem coram Imperatoribus, alijsque Fidei hostibus palam confitentibus, prodiderunt; & Athanasius, ipse Fidei Magister, de Hæresi accusatus, & Romam accersitus, Confessionem Fidei scripto fecit coram Iulio I. Estque Fidei Symbolum; *Quicumque vult salvus esse*. teste BARONIO *anno 339*. Sic Orientales Episcopi, atque alij, dum de errore in Fide accusabantur apud Sanctam Sedem, vt se purgarent, Confessionem verę Fidei *scripto* mittebant ad Romanum Pontificem. De quo BARONIUS *Tom. 3. anno 342. Tom. 5. anno 417. Tom. 6. anno 497. & anno 516. & 517.* Vndè habetur, externam Confessionem Fidei posse fieri, non solum *Verbo*, sed etiam *Scripto*, verùm etiam, & *Facto*.

2829 Facta quædam, sunt ita propria Religionis Christianæ, vt eorum vsus indicent, vtentem habere Christianam Fidem, & ea ita propria esse Catholicorum, vt hi, ab Hæreticis secernantur, vt videlicet Baptismus in aqua *in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*: Crucis veneratio; Sacramentorum omnium vsus, sunt facta quædam Religionis Christianæ, sic propria, vt per ea tantum, qui in CHRISTUM crediderint, agnoscantur. Catholici etiam, nedum Sacramentis omnibus vtuntur, sed alijs Ritibus Catholicis, & Romano Pontifici taliter obtemperant, vt ab Hæreticis, & schismaticis omninò secernantur.

2830 Celebre exemplum habemus in illo Machabęorū heroe ELEAZARO *Mach. 2. cap. 6.* Quod, neque porcinas carnes, à Lege prohibitas, neque alias licitas, sub simulatione prohibitarum, edere voluisset, Antiocho Tyrãno iubente, nè *Facto* illo externo appareret, se ad Fidem, & Gentilium Ritus transmeasse. *Non enim* (inquit) *ætati nostræ dignum est fingere: vt multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum.* Et indè Paulum *1. ad Corinth. 8.* prohibet idòlothyta comedi. Quod postea *in Concilio* Apostolorum fuit confirmatum. Et quando manducabantur, erat signum protestationis falsæ fidei. Ac proindè potiùs fame perire præstavit, quam idòlothyta comedere, quando Fidei protestationis sunt signa, quod S. LUCIANUS Martyr *Verbo*, & *Facto* nos docuit, teste BARONIO *Tom. 3. anno 311.* Et quod de cibis pariter, & de alijs Hæreticorum, ac Gentilium Ritibus dicendum censemus ex TERTULLIANO *de Idololatria*.

2831 Vbi plerique Martyres ob hanc Confessionem Fidei in *factis*, mortem subierunt; vt historiæ produnt: Ex sola enim Baptismi susceptione; aliqui, alij, ex Eucharistiæ vsu; alij, ex adoratione Crucis; alij, ex Virginitatis Voto, inter quos fœminæ permultæ, ipsæque nobiles, Martyrio coronatæ sunt.

2832 Vndè Ecclesia hoc solo motivo semper externos Iudæorum Ritus prohibuit. Et PAULUS, *ad Galatas 2. In faciem Petri restitit*, qui eos, adhuc non prohibitos, permittebat. Et hac de causa *in Concilio Lateranensi V. sec. 9.* Ritus Iudaici districtè prohibentur. Hac pariter de causa omnes infidelium Ritus Christianis, sub Anathemate, prohibiti sunt; *ex Concilio Africano, cap. 27. Can. Non licet*; & *Can. Siquis 26. quæst. 6.* Et *Can. Siquis Kalendas. Can. Non observetis. Can. Quis æstimaret 26. quæst. 7.*

2833 Ex eodem motivo Hæreticorum Ritus omnes fugiendi sũt, *ex lib. 2. Cõstitutionum Apostolicarum, cap. 61.* Ex quibus liquet, haberi externam Confessionem Fidei, non solum *Verbo*, & *Scripto*, sed etiam & *Facto*. Quibus suppositis, inquiritur.

§. II.

AN FIDEI CONFESSIO SIT necessaria ad salutem.

2834 AUthores in tres video divisos sententias. Prima affirmat, persequutionis tempore, necessariam non esse externam Fidei Confessionem, cum CHRISTUS, interna sit Fide contentus. Hanc tenuere Gnostici, referente TERTVLLIANO *in Scorpiaco*. Contra hanc igitur sententiam sit prima nostra Conclusio.

AD

AD SALUTEM NON SUFFICIT FIDES INTERNA, SED NECESSARIÒ REQUIRITUR EXTERNA FIDEI CONFESSIO ORE, SCRIPTO, VEL OPERE FACTA.

2835 Eleganter hanc nostram Conclusionem probat Sacer IACOBI textus, *cap.* 2. vbi hæc habentur: *Ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Et ABRAHAM ait: *Ex operibus fides consummata est.*

2836 Sed clariùs ad rem nostram facit textus PAULI, *ad Rom.* 10. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Quem textum GLOSSA INTERLINEALIS sic exponit: *Ore*, post cordis Fidem: aliàs non valet, nam paulò antè dixerat: *Si confitearis Dominum IESVM CHRISTVM, & in corde credideris, saluus eris.*

2837 Luculentèr certè ad rem nostram loquutus fuit AUGUSTINUS, *libro de Fide, & Symbolo, cap.* 1. vbi inquit: *Quoniam scriptum est: *Iustus ex Fide viuit.* Eaque Fides à nobis officium exigit, & cordis, & linguę; ait enim Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*; oportet nos esse memores, & iustitiæ, & salutis.* Et *in fine eiusdem capitis* ait: *Quæ in Symbolo retinentur contra Hæreticorum insidias, Authoritate Catholica, & munitiore defensione sunt custodienda.* Sed expresśiùs dixit Augustinus ipse, externam Fidei Confessionem, esse ad fidem necessariam, dum *in expositione Psalm.* 115. asserit: *Non perfectè credit, qui quod credit non loquitur.*

2838 Hùc etiam facit illud REGIJ VATIS, *Psalm.* 113. *Credidi propter quod loquutus sum.* Quæ verba admirabiliter ad rem nostram expendens PAULUS dixit: *Habentes eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod loquutus sum; & nos credimus, propter quod & loquimur.*

2839 Nec minus pro nobis stat THEODORETUS *in cap.* 10. *ad Romanos*, asserens: *Vtrisquę opus est, & Fide vera, ac firma, & confessione libera, & vt coronetur Fidei certitudine, & lingua clara, insignisque reddatur. Vtrumque enim Scriptura commendari docet, asserens: cordi quidem hoc, *Omnis, qui credit in ipsum, non confundetur.* Linguæ autem, *Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.**

2840 Huius nostræ Conclusionis pręsidium est haud vulgare, Epistola, quam Insignis Vir ille HUGO DE SANCTO VICTORE relatus à BARONIO *Tom.* 12. *anno* 1136. *contra Episcopum Hispalensem*, qui Fidem internam ad salutem sufficere arbitrabatur, scripsit, docens: *Fidem vtrumque exigere, actum nempè internum, & externum, confessionemque externam esse signum, & Characterem CHRISTI, & Christiani. *Serui Dei nostri* (inquit) *signati sunt in frontibus suis.* Crux in pectore, Fides in corde; Crux in fronte, Confessio in ore. Vtrumque debetur, vtrumque exigitur; totum CHRISTUS sibi vendicat. Cor ad Fidem suam; os ad Confessionem suam.*

2841 Conclusionem nostram valdè etiam confirmat vniversæ Ecclesię praxis, *in Formulis* namque *Professionis Fidei*, quibus Ecclesia vtitur, semper cum expresśione actus credendi, iungit Fidei Confessionem, videlicet, *Credimus, & confitemur. Ex cap. Firmiter. de Summa Trinitate, & Fide Catholica.* Et etiam *ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III.* Tum *ex Professione Fidei Concilij Constantiensis, Florentini, & cæterorum omnium. Ex Constitutione* 88. *&* 89. *Sanctissimi Pij IV.*

2842 A nobis etiam stat Doctissimus TERTULLIANUS *in Scorpiaco conciriato contra Gnosticorum errorem*, dicentium; persequutionis tempore necessariam non esse externam Fidei Confessionem, quia CHRISTUS interna Fide contentus est. Quod pluribus improbat argumentis, docens: externam Confessionem ad Fidem pertinere; & infidelem esse, qui necesśitatis tempore, eam omiserit. Inquit enim: ex hac Confesśione, tamquam ex charactere, Fidem veram cognosci. Deindè generali conclusione firmat, ad Fidem pertinere externam Confessionem, eamque CHRISTI ore præceptam.

2843 Et quidem persequutionis tempore ita necessaria est externa Fidei Confesśio, vt Hæreseos nota inureretur, qui illam omitteret, cum esset de illa, siue à fideli, siue infideli Iudice interrogatus. Patet hæc veritas ex celebri illo LVGDVNENSIS EPISCOPI Decreto *in Albigensium Manichæorum condemnatione, cap.* 2. vbi hęc habentur: *Catholicam Fidem

dem non habet, qui eam non confitetur, quando interrogatur, vel Fides periclitatur.*

2844 Nec omitti potest S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, qui *Homil. 25. operis imperfecti*, appositè ad rem nostram, hæc scribit: * Si tibi tantum Deus cor creasset, sufficeret tibi Fides cordis; nunc autem os tibi creavit Deus, vt corde credas, ore confitearis.*

2845 Secunda sententia est illorum, qui tuentur, Fideles, estó ad externam Fidei Confessionem teneantur, non tamen persequutionis tempore, cum vitę periculo. Huius sententiæ fuere ab initio Ecclesiæ Valentiniani, Carpocratiani, & Gnostici, TERTVLLIANO teste, *in Scorpiaco*. Id etiam docuerunt Elxaitæ, Sampsęi, &c. ex EPIPHANIO *lib. 1. Hæres. 19. & 30.* De quibus BARONIVS *anno* 105.

2846 Eumdem illum errorem renovarunt novi Manichæi, nempè Albigenses, ex BARONIO *tom. 12. anno* 1175. Oppositum tamen semper tenet, & tenuit Ecclesia. Ad cuius intelligentiam, has duas statuimus Conclusiones.

PRIMA CONCLVSIO.

VRGENTE NECESSITATIS TEMPORE, IVRE DIVINO PRÆCEPTA EST EXTERNA FIDEI CONFESSIO.

2847 Elegantèr hanc nostram Conclusionem S. probat HIERONYMVS, qui *in expositione illius loci, ad Romanos 10. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*, ait: *Quia testimonium cordis, est oris Confessio, Fides sufficit ad iustitiam; confessio ad salutem.* Sentit ergo Hieronymus, Fidei Confessionem opportuno tempore, vrgente nempè ipsius necessitate, necessariam esse ad salutem.

2848 Eadem est CHRYSOSTOMI mens, qui *Homil.* 25. hæc scribit: *Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem palam, mendacium loquitur, sed etiam qui non liberè veritatem pronuntiat, quando oportet.*

2849 His consonat THEODORETVS, qui eumdem iam citatum D. Pauli textum, *ad Romanos* 10. edisserens: * Vtriusque enim (inquit) opus est, & Fide vera, ac firma, & Confessione libera, vt coronetur Fidei certitudo. Et lingua, clara insignisque reddatur, audactèr veritatem prædicans.*

2850 Vndè ex adductis, alijsque locis, quæ brevitatis causa omittuntur, habetur adesse Divinum Præceptum de externa Fidei Confessione, vt optimè à TERTVLLIANO *contra Gnosticos* mirificè probatur, ac convincitur.

2851 Ampliùs Divinum istud de externa Fidei Cōfessione Præceptum fulcitur Decreto cōdemnationis Albigētium, expedito ab EPISCOPO LUGDUNENSI, cuius verba, quia appositè valdè ad rem nostram, transcribimus hic, quæ invenientur etiam *apud Baronium tom. 12. anno* 1175. vbi inter alia, contra pręddictos Hæreticos nullum dari Divinum de externa Fidei Confessione Præceptum, solamque internam Fidem necessitatis tempore sufficere existimantes, hæc, quæ sequuntur, habentur: * Convincimus istos, & iudicamus Hæreticos esse, Authoritatibus Novi Testamenti contrarios. Dicimus enim, quod Fidem Catholicam non habet, qui eam non confitetur, quando interrogatur, vel Fides periclitatur. Vndè de Paulo dicit Dominus: *Vas electionis est mihi, vt portet nomen meum.* Et de Centurione: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Cum fuisset Apostolis denunciatum, *ne loquerentur in nomine CHRISTI.* Confidenter dicit Petrus: *Oportet nos obedire Deo, magis quam hominibus.* Et Paulus: *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.** Ex quibus clarè deducitur, cum Albigenses, ceu Hęretici habiti, iudicatique sint, quod nullum Divinum externæ Confessionis Fidei Pręceptum adesse iudicaverint, primam nostram Conclusionem, qua oppositum statuimus, Catholica Fide esse tenendam. Progrediamur iam ad secundam.

SECUNDA CONCLUSIO.

TAMQUAM CERTUM TENENDUM EST NON MODO DARI DIVINUM DE EXTERNA FIDEI CONFESSIONE PRÆCEPTUM, PERSEQUUTIONIS TEMPORE, VEL FIDEI NECESSITATE VRGENTE; VERUM ET ILLI PRÆCEPTO, ETIAM CUM VITÆ DISCRIMINE, SI OPORTUERIT, ESSE PARENDUM.

Ge-

2852 Genuinam huius Conclusionis probationem, nobis suppeditat LOCVS ILLE *Lucæ, cap. 9.* vbi CHRISTVS: *Qui me* (inquit) *erubuerit, & meos Sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Maiestate sua.* Vbi adnotat GLOSSA ORDINARIA: * Sicut persequutionis tempore ponenda est anima.*

2853 Percommodè etiam, huius veritatis confirmationi congruit LOCVS ILLE *Matth. 10.* vbi SALVATOR Discipulos suos alloquens: *Tradent* (inquit) *vos in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides, & Reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus, &c. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit.* (Et infrà:) *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est.* (Et infrà.) *Qui invenit animam suam, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Vndè infertur, Præceptum Confessionis Fidei, quam præcipit CHRISTVS secum necessariò afferre obligationem profundendi animam quotiès, vel bono Fidei, vel maiori Dei expedierit gloriæ, ac honori.

2854 Nec valet si dicas, hocce Præcepto, cruciatus omnes CHRISTI causa libenti, hilarique animo devorandi potiùs, quam Fidei iacturam subeundi, solos Apostolos, quibus tunc loquebatur CHRISTVS, non verò Fideles omnes adstringi. Non, inquam, valet, istum namque huiusmodi interpretationis murum validissimo solitæ eruditionis ariete retundit TERTVLLIANVS *in Scorpiaco, cap. 9.* dicens: * Quamquam, etsi omnem hanc persequutionem conditionalem in solos tunc Apostolos destinasset, vtique per illos cum toto Sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus Sancti, in nos quoque spectasset, etiam persequutionis obeundæ disciplina, vt in hæreditarios, & Apostolici seminis frutices; nam & rursus, ait: *Tradet autem frater fratrem, & Pater filium in mortem; & insurgent filij in Parentes*, & mortificabunt eos; manifestè iniquitatem istam in cæteros pronunciavit, quam in Apostolis non invenimus. Nemo enim eorum, aut fratrem, aut Patrem passus est traditorem.* Hæc ille.

2855 Et ipse Tertullianus pluribus addictis concludit: * Salvator cum de persequutione, ac morte, patienter pro eius nomine subeunda, sermonem faciebat, nunc ad Apostolos, nunc ad cæteros omnes Fideles, pro eius Confessione passuros, ipsum dirigebat, & vtrisque de cruciatibus, ac mortibus constanter perferendis Præceptum imponebat.*

2856 Hanc etiam Conclusionem, fulgentissimis eloquentiæ radijs illustrat *ibi cap.* 8. eruditè probans à Mundi primordijs ad sua vsque tempora, à Deo præscripta esse Martyria, quoties pro Dei, eiusque Confessione sive *Dicto*, sive *Facto* facienda, dolores, probra, ac cruciatus tolerare oportuerit. Incipit autem ab Abel, & per Isaiam, Ieremiam, Zachariam, Baptistam, tres pueros Hebræos, &c. incepta prosequitur, inchoata peragit.

2857 Deindè refert omnia CHRISTI mandata ad Apostolos, omnesque CHRISTI Fideles directa, de prodigenda vita, si pro Fidei Confessione expedierit.

2858 Expendens GLOSSA ORDINARIA verba illa CHRISTI *apud Lucam cap. 9. Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet*, quamvis de persecutionis tempore illa intelligat: persequutionis tempore ponenda est anima; nihilominus Doctissimus LYRA luculentiùs prædictum textum cum ANGELICO PRÆCEPTORE explicat; cum vterque asserat, hoc esse Præceptum affirmativum, sicque non obligare, ad semper, sed pro loco, ac tempore; adveniente nempè casu, in quo, ex Confessionis Fidei omissione debitus Deo subtraheretur honor.

2859 Ad hanc ipsam rem GLOSSA *ad illud Mathæi 10. Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:* *Fides (inquit) corde, & ore tenenda est, nè quis tempore persequutionis, sufficere sibi putaret Fidem cordis.* LYRA ibi, *ad illa verba: Qui confitebitur:* * Non confiteri (inquit) est peccatum mortale, quando taciturnitate tollitur honor Deo debitus, sicut in casu, quo aliquis interrogetur de Fide.*

2860 Alius casus, in quo Fideles externæ Confessionis Fidei Præcepto, adhuc

in

In vitæ discrimine obstringuntur, est: Cum quis de Fide coram Iudice, siue fideli, siue infideli, Fideles ab Infidelibus discernente, interrogatur. Hæc fuit communis Ecclesiæ praxis ab istius initio: Si enim dicti sunt *Confessores*, qui coram Iudicibus Fidem confitebantur, vt testatur CYPRIANVS *Epist.* 22. quod si pro ea Animam profundebant, *Martyres*, sin minus, *Confessores* dicebantur.

2861 Huc facit CAIJ Pontificis Doctrina *ex Baronio Tom.* 2. *anno* 286. qui ex Actis Caij Papæ refert, quod Dominus Noster IESVS CHRISTVS prescius fragilitatis humanæ duos credentium gradus constituit, Confessionis scilicet, ac Martyrij, vt qui Martyrij pondus se non posse ferre viderentur, Confessionis nomen teneant.

2862 Id itidem egregiè confirmat S. MAXIMI Doctrina *in causa Monothelitarum*, Teste ipso Baronio *Tom.* 8. *anno* 656. ab ijs namque exigens Maximus externam Confessionem Fidei duarum in CHRISTO voluntatum, cum isti renuerent, asserentes sufficere quod corde credidissent, respondet Sanctus, eos coarguens: *Tacere Sermonem, est eum tollere; nam per Prophetam dicit Spiritus Sanctus: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Et ad vniversam Salutem, non definivit in corde Deus, qui dixit: *Qui me non confitetur coram hominibus, non confitebor ego eum coram Patre meo.* Et Divinus Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem Confessio fit ad salutem.* Si igitur Deus, & Dei Prophetæ, & Apostoli, iubent confiteri Mysterium vocibus Sanctum, & salutare totius Mundi, nullo modo vtile est silentium eius vocis præcipi, quæ Mysterium hoc prædicet, ne tacentium omnium hominum salus minuatur.* Hęc ille.

2863 Clariorem tamen, imò & efficaciorem nostræ Conclusionis probationem nobis tribuit Albigensium condemnatio ab EPISCOPO LVGDVNENSI Conciliariter facta, qua vt Heterodoxi damnantur, sentientes, non teneri Fideles Fidem externè profiteri, cum à Iudice interrogantur, prout refert BARONIVS *Tom.* 12. *anno* 1176. *In secundo capitulo (inquiunt Concilij Patres) convincimus istos, & iudicamus Hæreticos Autoritatibus Novi Testamenti. Dicimus enim, quod Fidem Catholicam non habet, qui eam non confitetur, quando interrogatur, vel Fides periclitatur. Vndè Dominus de Paulo dicit: *Vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coram gentibus, &c.* Et Dominus de Cēturione: *Non inveni tantam Fidem in Israel.** Hæc ibi.

2864 Nec minoris ponderis est prudens illud TERTVLLIANI cogitatum, qui cum *in libro Scorpiaco inscripto*, totus incumbat in profligationem erroris Gnosticorum, Valentinianorum, Carpocratianorum, aliorumque sequacium, docentium, neminem teneri, persequutionis tempore, etiam si Dei honori inferatur præiudicium, vel pietati Fidelium scandalum, externo Fidem dicto, vel facto confiteri; neque mortem, vel Martyrium pro ea pati, *in cap.* 8. concludenter probat oppositum, videlicet, in veteri Lege à Deo præcepta fuisse Martyria pro tempore persequutionis, vrgente necessitatis tempore, verum Deum, vel eius veram Legem confitendi.

2865 *David (inquit) exagitatur, Elias fugatur, Ieremias lapidatur, Isaias secatur, Zacharias inter altare, & ædem trucidatur; ipse clausula Legis, & Prophetarum, nec Prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in puellę salticæ lucar. Et vtique qui Spiritu Dei agebantur, ab ipso in Martyria dirigebantur, etiam patiendo, quæ & prædicassent.* Et subdit vulgatam, sed dignam, trium puerorum Historiam renuentium adorare Statuam auream Nabuchodonosoris, confitentium vnum, verumque Deum à Iudęis adoratum, aliamque referens Danielis Historiam, & concludit dicens: *Pati oportebat omnem Dei Prædicatorem, atque cultorem, qui ad idololatriam provocatus, negasset obsequium, secundum illius quoque rationis statum, quia, & præsentibus tunc, & posteris deinceps commendari veritatem opportebat, pro qua Fidem diceret passio ipsorum defensorum eius, quia nemo voluisset occidi, nisi compos veritatis. Talia à primordio, & præcepta, & exempla debitricem Martyrij Fidem ostendunt.* Hæc ille.

2766 Ipse Tertullianus prosequitur probans, non modo in antiqua, sed & in Evangelica Lege, dari præceptum confitendi Fidem, etiam cum vitæ discrimine, quando periclitatur Fides, vel de illa quis interrogatur à Iudice; & postquam

fusiùs de hac re differit, vt id magis stabilitum relinquat, illum affert D. Pauli eventum, qui *Actor. 21. Orantibus Discipulis, ne Ierosolymam, in qua insidiæ sibi paratæ erant, accederet*, Apostolica sanè virtute, ac constantia respondet: *Quid fletis, & contristatis cor meum? At ego non modò vincula Ierosolymis pati optaverim; verùmetiam mori pro nomine Domini nostri IESV CHRISTI.* Qui dixerunt: *fiat voluntas Dei, &c.*

2867 Hoc expendens Tertullianus *loco supra laudato*, egregiè inquit: *Si iam tunc Prodicus, aut Valentinus assisteret suggerens, non in terris esse confitendum CHRISTVM apud homines, quod nec Deus humanum sanguinem sitiat, nec CHRISTVS, vicem Passionis exposcit, statim audisset à Servo Dei, quod audierat Diabolus à Domino: *Recede Satana, scandalum es mihi.**

2868 Statuta iam obligatione præcepti Confessionis Fidei, etiam cum vitæ discrimine, vrgente necessitate, sciendum nobis est quinam sint hi in specie casus, in quibus præcipuè hoc adstringimur præcepto. Et quamvis de hac re multus sit apud alios Authores sermo, mihi tamen ea solummodo quæ ANGELICVS tradit MAGISTER plenissimè satisfaciunt, qui 2. 2. *quæst.3.art. 3.* probans Confessionem Fidei esse de necessitate salutis, sub Divinę Legis pręcepto, istud tamen præceptum, non quidem negativum, sed affirmativum esse arbitratur: *Præcepta autem affirmativa (inquit Sanctus) non obligant ad semper, & si semper obligent, obligant autem pro loco, & tempore, secundum alias circunstantias debitas, secundum quas oportet Actum humanum limitari, ad hoc quod sit Actus Virtutis. Sic enim confiteri Fidem, non semper, nec in quolibet loco, est de necessitate salutis; sed in aliquo loco, & tempore scilicet, quando per omissionem huius Confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda. Puta si aliquis interrogatus de Fide taceret; & ex hoc crederetur, vel quod non haberet Fidem, & quod Fides non esset vera; vel alij per eius taciturnitatem averterentur à Fide. In huiusmodi enim casibus Confessio Fidei est de necessitate salutis.*

2869 Idem Sanctus Doctor, respondens secundo argumento, quod suadere nitebatur necessarium non esse necessitate salutis omnibus Fidelibus Fidem palàm confiteri; sed ijs tantummodò, quibus pro munere Fidem docere, vel Fideles in illa instruere incumbit: *In casu (inquit) necessitatis, vbi Fides periclitatur, quilibet tenetur Fidem coram alijs propalare, vel ad instructionem aliorum Fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendam Infidelium insultationem. Sed alijs temporibus instruere homines de Fide, non pertinet ad omnes Fideles.*

2870 Tertio argumento, quod probare conabatur, ex publica Fidei Confessione turbari, sæpèque scandalizari Infideles, quorum scandalum declinare tenemur, iuxta illud PAULI, *Corinthiorum 10. Sine offensione estote Iudæis, ac Ecclesiæ Dei*, respondet Sanctus Doctor: *Quod si turbatio Infidelium oriatur de Confessione Fidei manifesta, absque aliqua vtilitate Fidei, vel Fidelium, non est laudabile, in tali casu Fidem publicè confiteri. Sed si vtilitas aliqua speretur, vel necessitas adsit, contempta perturbatione Infidelium, debet homo publicè Fidem confiteri: Vndè *Mathæi 15.* dicitur, quod cum Discipuli dixissent Domino, quod Pharisæi, audito eius verbo, scandalizati sunt, respondet: *Sinite illos* (scilicet turbari) *cæci sunt, & duces cæcorum.**

2871 Postquam de casibus in quibus externa Fidei Confessio, etiam cum Vitæ discrimine obligat, contra Hæreticos id renuentes, egimus; agendum nobis nunc est, an aliquo in eventu Fidem negare licitum sit, ac permissum?

§. II.

QVÆRITVR AN LICEAT in aliquo casu exteriùs Fidem negare, dum ipsa interiùs retineatur.

2872 PRO maiori propositæ quæstionis intelligentia, prænoto primò: dupliciter posse aliquem, Fidem confiteri, duplicerque illam abiurare. Potest namque illam confiteri, *Dicto*, vel *Verbo*, potest etiam, & *Facto*. *Dicto* quidem, si expræssis illam manifestet verbis; *Facto* verò, si opera quædam, quibus

bus soli Fideles vtuntur, exerceat. Similiter potest quis dupliciter Fidem abiurare, *Dicto* nempè, vel *Facto*. *Dicto* quidem, si verbis, vel scriptis, vel totam Fidem neget, vt Apostatæ, vel aliquem, aut aliquos tantumodò Fidei Articulos, vt Hæretici, inficiatur.

2873 Prænoto secundò: ab initio Ecclesiæ, aliquos docuisse, persecutionis tempore licitum esse, pro tuenda vita, vel totam Fidem, vel aliquem, aut aliquos illius Articulos exteriùs negare, dummodò Fides, quæ exteriùs negatur, retineatur interiùs. Ita Elxaitæ, seu Elcesaitæ, Sampsei, & Bongomili ex S. EPIPHANIO *lib.1. Hæres. 19. & 30.* ex PRATEOLO, verbo *Elcesaitæ*. GVALTERIO *cap.3. sess.12.* BARONIO *Tom.2. anno* 105. Gnostici, vt Valentiniani, Carpocratiani. Ex TERTVLLIANO *in Scorpiaco*. At oppositum, communis semper fuit Catholicæ Ecclesiæ consensus. Vndè nos tamquam certum tuemur: *Nequaquam licitum esse, etiam ad vitam servandam, vllo vmquam tempore, CHRISTI Fidem, sive quoad omnes, sive quoad aliquos eius Articulos exteriùs negare, quamquam interiùs vera CHRISTI Fidei retineri videatur.*

2874 Egregiè, ad huius Catholicæ Veritatis probationem, facit textus PAVLI *ad Romanos* 10. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Quæ verba exponens GLOSSA INTERLINEALIS, de Fidei Confessione textũ intelligit: ad illud nãque verbum, *Confessio*, inquit: *Confessio Fidei, quæ superadditur, vt in Martyribus.* GLOSSA ORDINARIA clariùs ad rem nostram, dicit: *Peccatum fuit in Petro, ore negare, quod corde credebat.* Et S. AVGVSTINVS *lib. contra mendacium, cap. 6.* idipsum confirmans, dicit, Petrum peccasse, quia persequutionis tempore, negavit ore, quod credebat corde. Hoc autem adeò manifestum est, vt nullus sit alicuius Fidei, Authoritatisque Doctor, qui à Petro peccatum in negatione dimovere conetur, quamvis Apostolorum Princeps exteriùs tantummodò negaverit Fidem, vnaque sit Catholicorum omnium mens, & consensus, ipsum interiùs retinuisse Fidem.

2875 Luculentèr pro nobis stat AVGUSTINUS *loco suprà laudato*, contra Priscillianistas, qui *ore* dicebant, quod *corde* non credebant, & è contra, hæc scribit: * Nisi oris Confessio requiratur, cum cordis Fide, incassum esset dictum: *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Nonnè penè omnes, qui CHRISTUM coram persequutoribus negaverunt, quod de illo credebant, *corde* tenuerunt; & tamen ore ad salutem non confitendo, perierunt, nisi qui per pœnitentiam revixerunt? Quis ita evanescat, & existimet Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quando CHRISTVM negavit, nempè in illa negatione intùs veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat. Cur ergo lacrymis diluit, quod ore negaverat, si saluti sufficiebat, quod corde credebat? Cur loquens in corde suo veritatem, tam amaro fletu punivit mendacium, quod ore deprompsit; nisi quia magnam vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad iustitiam, sed ore non confessus est ad salutem?*

2876 INTERLINEALIS GLOSSA explicans illa CHRISTI verba *apud Matthæum cap.10. v.23. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ad verbum *Negabo*, ait: * Non perducam ad visionem Dei Patris, qua perfruuntur Sancti.*

2877 Præclarè eamdem Veritatem confirmat illud TERTVLLIANI *lib. de Carne CHRISTI*, qui expendens illud CHRISTI, *apud Lucam 9. Qui me erubuerit, & meos sermones.* *Salvus sum (inquit) si non confundar de Domino meo. Qui me (inquit) confusus fuerit, confundam, & ego eum.* Et *in Scorpiaco cap. 9. in fine*, dicit multa de negante Christianum. Ait enim: * Hic negat in se esse CHRISTUM, & ideò confundetur à CHRISTO*

2878 At eamdem veritatem magis comprobat *in expositione textus Divi Lucæ, cap.14. Qui pluris fecerit etiam animam suam, quam me, non est me dignus.* Inquit enim: *Qui maluerit vivere, me negando, quam mori confitendo. Proindè enim invenit ille, qui negat, lucrifaciendi vitam, sed perdet in gehennam, qui se putat negando lucrifacere. Perdet autem eam ad præsens, qui confessus occiditur, sed inventurus eam in vitam æternam. Ipsi denique Præsides, cum cohortantur negationi, serva animam tuam dicunt, & noli

animam tuam perdere.* Hæc ille.

2879 Nec alienum est ad huius Conclusionis confirmationem dictum CLERI ROMANI *in Epist. ad Sanctum Cyprianum* data, quæ est 31. inter Cypriani Epistolas: *Qui fallaces (inquit) in excusatione prestigias quærit, negavit: & qui vult videri, propositis adversus Evangelium, vel Edictis, vel Legibus satisfecisse, hoc ipso iam paruit, quod videri paruisse se voluit.*

2880 *In Veteri* etiam *Testamento* insigne nobis huius veritatis argumentum suppeditavit, celebris illa Machabæorum Martyrum fortitudo, qua mori potiùs, quam sese negatione Fidei fœdare, maluerunt. Ecclesia enim vt Martyres veneratur septem illos Machabæos fratres, illorumque Matrem, qui *Machabæorum 2. cap. 7.* mortem potiùs subire elegerunt, quam *Dicto*, vel *Facto* externo, Antiocho, ab eis Fidei negationem exigenti, parere.

2881 Præclarum etiam aliud exēplum in prudenti, ac venerabili senectute nobis præbuit ELEAZARUS, qui *cap. 6.* Ne quis Fidei, quam interiùs profitetur, exteriore negatione animam suam commaculare audeat, quemadmodum sola hæc ab illo exigebatur simulatio, mirabile istud subdidit documentum: *Non est dignum fingere, vt multi adolescentium* (arbitrati Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum) *& ipsi propter meam simulationem decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.* (Et infrà:) *Nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum Omnipotentis, nec viuus, nec defunctus effugiam.*

2882 Undè si Eleazarus, cum tantummodò ab illo exigeretur, vt suillam Hebræis vetitam comederet; imò si ipse, amicis ipsi suadentibus, vt cibis non prohibitis vesceretur, quo instantem effugeret mortem, acquiescere noluit, quia *Facto* adhuc æquivoco externam Fidem negare illicitum arbitrabatur, potiori iure Fidem *Voce*, vel *Scripto* abiurare illicitum reputaret.

2883 Idipsum Doctissimus confirmat LYRA, dum *in expositione textus ex cap. 9. S. Lucæ*: *Qui erubuerit me, & sermones meos coram hominibus, hunc filius Hominis erubescet*, asserit: * Negatio nominis CHRISTI semper est peccatum mortale.*

2884 Adeò autem certum est illicitum, gravissimúque esse peccatum CHRISTUM exteriùs negare, etiam si illius interiùs retineatur Fides, vt propositio oppositum asserens, fuerit ceu damnata.

2885 In huius veritatis confirmationem dignum lectu est, quod refert BARONIUS *Tom. 12. anno 1136.* in casu Apostasiæ Ioannis, Archiepiscopi Hispalensis, hanc Doctrinam de licita Fidei negatione, dummodò interiùs credatur, effutientis. Lectu etiam, imò & memoria, nullis intermoritura seculis dignissima sunt illa, quibus Apostolico sanè Zelo in hunc insurrexit errorem insignis ille Vir HUGO DE SANCTO VICTORE, qui, inter alia, sermonem cum prædicto Archiepiscopo conferens, hæc scribit: * Dicis, Christianum non facit lingua, sed conscientia: ego CHRISTUM diligo, sufficit mihi. Cor meum habet, possideat illum; dicant homines quidlibet, ipse Dominus novit quia invitus nego. Lingua hoc dicit, non conscientia. *Ore* quidem nego; sed *corde* confiteor.

2886 Audi, frater (prosequitur idem) Scriptura dicit: *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Quomodò ergo salutem te habere putas, si Confessionem non habes? CHRISTUM negas, & dicis te Spiritum Sanctum habere. Si dicis Anathema IESU; Spiritum CHRISTI quomodo habes? Audi rursum; *qui erubuerit me, & sermones meos, hunc filius Hominis erubescet.* Sed dicis, non erubesco, sed timeo; maius est quod me terret; novit ipse, quod pati non valeo; parcit ergo infirmitati, & condescendit devotioni; non ad vocem attendit, sed respicit ad Charitatem. Nemo carnem suam odio habuit. Timeo pro carne mea, quam odire non possum. O fallax deceptio! Ergo tu carnem amabis, & Creatorem blasphemabis? Nonnê ait: *Qui amat animam suam plusquam me, non est me dignus?* Si animam rectê plus amare non potes, carnem poteris?*

2887 Et quia sese Petri exemplo tuebatur, in illum, sic iterum invehitur: *Sed inquis, Petrus *ore* negavit; quia tamen *corde* non negavit, *respexit illum Dominus, &c.* Hoc, vt audio, magnum est. Respexit ergo Dominus Petrum negantem. Quarè? Nempè, vt faceret confitentem. Respexit compunctionem, vocavit ad Confessionem. Si ergo tu respectum

CHRI-

CHRISTI habes, vbi sunt lacrymæ? Si autem lacrymaris, cur non confiteris? Si Petrum sequeris negantem, cur non imitaris confitentem, & amarè flentem? (Et post multa concludit:) Signaculum CHRISTI esse Confessionem eius *in ore*.* Ex quo habetur, & rectè concluditur, vt Hæreticum habitum fuisse dictum Hispalensem.

2888 Refert etiam BARONIVS *Tom.* 12. *anno* 1176. condemnationem Albigensium, qui vt novi Manichæi, veterum Progenitorum Hæreses renovantes, & hanc præ alijs firmantes, vt Hæretici etiam pro hac sola damnati sunt, ex Decreto Lugdunensis Episcopi Conciliariter habito, suprà memorato. Dicitur enim *in secundo Capitulo*: * Convincimus istos, & iudicamus Hęreticos esse, Authoritatibus Novi Testamenti. Dicimus enim, quod Fidem Catholicam non habet, qui eam non confitetur, quando interrogatur, vel Fides periclitatur.* Quod multis Scripturæ locis comprobatur ibi, quæ brevitatis causa omittuntur.

2889 Ex his omnibus apertè deducitur, minimè esse dubitandum, vrgente Confessionis Fidei necessitate, præceptum de Fidei Confessione instare, nulloque in casu licitum esse Fidem *Verbo*, *Scripto*, vel *Facto* negare.

§ IV.

PRÆCIPVA DIFFICVLTAS resolvitur.

2890 HIs ergo præliminaribus quæstionibus diligenter discussis, ad præcipuæ difficultatis decisionem accedentes, duas conclusiones statuimus. SIT PRIMA: Estò aliquam veritatis speciem præseferat, quod in Sinuessana Synodo de Marcellini thurificatione refertur; hinc tamen solummodò deducitur, ipsum contra externã Fidei Confessionẽ peccasse. Hęc Conclusio certissima videtur, si semel admittatur, vera esse, quæ in dictis Conciliaribus Actis continentur; ibi enim Marcellinus peccatum suum publicè patefecit, & coram omnibus Patribus expressè confessus est; idemque sensisse videtur NICOLAVS I. testaturque ECCLESIA *6. Kal. Maij in S. Marcellini lectionibus*. Id ipsum tuentur communiter Authores, quos suprà retulimus, & alij, quos brevitatis causa omisimus, pro indubitato habentes, Marcellinum in externa Fidei Confessione peccasse. Vndè qui admittunt vt vera ea, quæ in prædictis Actis Sinuessanis continentur, de Marcellini ad Idòla thurificatione, non ambigunt, nec refugiunt, in eo externæ saltem Confessionis Fidei peccatum admittere. Vndé cum hęc Conclusio certa sit, & à nemine revocetur in dubium, ad solvendum præcipuè difficultatis nodum progrediamur.

2891 SIT SECVNDA CONCLVSIO: Etsi fateamur Marcellinũ ob thurificationis peccatum in externa Fidei Confessione defecisse, eum tamen in Fide errasse, constanter negamus. Et suadetur primò, quia solus ille errat in Fide, & Hæreseos labe commaculatur, qui vel Fidem negat, vel impugnat, vel aliquid contra illam docet, ac statuit; ideò enim Cherintum Marcionem, Ebionem, aliosque similes Hęreticos fuisse dicimus, quia aliquos Fidei Articulos inficiabantur; ideò etiam TERTVLLIANVS *lib. de præscriptionibus Hæreticor.* EPIPHANIVS *lib. de Hæresibus.* IRENÆVS, & alij, qui eorum Cathalogum conscripserunt, perversos hosce homines, qui non à tota Fide, sed ab eius parte, vel partibus dissefcrunt, hæreticos appellarunt.

2892 Sic etiam à NICÆNO CONCILIO I. Arius. A CONSTANTINOPOLITANO I. Macedonius. Ab EPHESINO I. Nestorius. A CHALCEDONENSI Euthiches eorumque sequaces, quia Articulum aliquem, vel aliquos Fidei impugnarunt, Hęretici appellati fuere. Sic in alijs Concilijs, tàm Orientalibus, quàm Occidentalibus, qui aliqua Dogmata aliquibus Fidei contraria Articulis, tenuerunt, vt Hęretici sunt habiti. Sic etiam in titulo de Hæreticis in Decretalibus. *In 6. in Clem. & in Extravaganti.*

2893 *In cap.* enim, *Quod autem.* 24. *quæst.* 3. *Hæretici sunt, qui Evangelicis Authoritatibus, Apostolicis litteris, vel Propheticis oraculis resistunt.* Et *cap. in Ecclesia* 24. *quæst.* 1. * Hęreticus est, qui correctus, vt sanè sapiat, resistit.* *Cap. Ad abolendam, de Hæreticis*: *Hæretici sunt, qui malè sentiunt de Sacramentis Ecclesiæ.* *Concilio Constantiensi Martini V. sess. vltima*, habetur: *Hæreticus est, qui de Sacramentis Ecclesiæ sentiat aliter, quam Romana Ecclesia.*

Ad

2894 Atqui Marcellinus, etsi in illo thurificationis facto peccaverit, nullum tamen Fidei Articulum negasse dicitur; nec est, Author, qui, eum alicui Articulo Fidei restitisse, aut aliquid contra id, quod sentit Ecclesia, sensisse, Dogmave Fidei oppositum docuisse, probet: ex nullo igitur capite illum fuisse Hæresis labe inquinatum, vel in Fide errasse, potest deduci.

2895 Tertiò: Quia iuxta communem Theologorum sensum, hęresis consistit in illo intellectus errore, quo quis aliquid contra Fidem, vel contra id, quod Catholica docet, & tenet Ecclesia, pro certo habet, ac credit; vt docet ANGELICVS PRÆCEPTOR 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 1. *in corpore*, vbi concludit, Hæresim, speciem esse infidelitatis, dicēs: *Et ideò Hęresis, species est infidelitatis pertinens ad eos, qui Fidem CHRISTI profitentur, sed eius Dogmata corrumpũt. (Et *in eodem articulo.*) Hæreticus est (inquit) qui falsas opiniones, vel gignit, vel sequitur.* Verũque autem ad Actum intellectus pertinere certissimum est, maximè in ANGELICI PRÆCEPTORIS Doctrina, qui *eadem* 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 2. *in corpore.* dicit: * Dissentire autem, qui est primus actus infidelitatis, est actus intellectus, sed moti à voluntate, sicut est assentire; & ideò infidelitas, sicut, & Fides, est quidem in tellectu. * Et *ad secundum*, inquit: *Vndè causa infidelitatis est in voluntate, sed infidelitas in intellectu.* Cum igitur Hæresis, vt ex Angelico probavimus Doctore, species sit infidelitatis, necessariò sequitur ipsam non nisi errorem esse intellectus.

2896 Ad hoc alludit illud PAULI 2. *ad Timoth.* 4. vbi sic describuntur Hæretici: *Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Et *Epist.* 1. *cap.* 4. *v.* 1. *Attendentes spiritibus erroris, & Doctrinis dæmoniorum.* Et 2. *ad Timoth.* 3. *Insipientia eorum manifesta erit omnibus.* Et *Apocal.* 2. reprehenduntur Nicolaitarum Doctrinam de vxorum communitate tenentes, quę semper ab Ecclesia, vt Hæretica habita est. Cum igitur Doctrina sive vera, sive falsa ad intellectum assentientem pertineat; hæresis autem sit error, seu Doctrina falsa contra Fidem, & Ecclesiam, optimè hinc deducitur Hæresim ad intellectum, vel ad aliquem illius errantis actum, pertinere.

2897 Magnum, ac præclarum est huius nostræ Assertionis fundamentum, Ecclesiæ praxis in Concilijs, quæ circa Hæreticorum, Hæresumque damnationem observat. Priùs namque edito rei credendæ Decreto, Patres se illam credere profitentur; deinde vero eos, qui oppositum crediderint, ac docuerint, damnant. Legantur Acta CONCILIJ NICÆNI I. & II. CONSTANTINOPOLITANORVM quatuor, EPHESINI, CHALCEDONENSIS, &c. CONSTANTIENSIS, FLORENTINI, ac TRIDENTINI, quibus in omnibus damnantur hi, qui credunt, & docent oppositum eius, quod statutum est, ac diffinitum. Et estò Canones sic sint concepti: *Siquis dixerit, &c.* hoc fieri intelligimus, quia Ecclesia excomunicationem non pro solo actu interno credendi, sed pro externo internum, illum manifestantè, imponit.

2898 Ad maiorem huius nostrę Doctrinæ cofirmationem videri potest CONCILIJ CONSTANTIENSIS ad Hussitas, & Uvicleffitas Hæreticos dignoscendos instructio, ibi enim dicitur: *Interrogentur an credant hoc, & hoc, vel non?* Credendi autem actum ad intellectum pertinere, quis poterit dubitare?

2899 Præclarum etiam fundamentum ex IVRE CANONICO nostra accipit Doctrina, *cap.* namque, *Hæresis*, 24. *quæst.* 3. ex Hieronymi scriptis desumpto, dicitur: *Quicumque igitur aliter Scripturam intelligit, quam sensus Spiritus Sancti flagitat, quo scripta est, licet de Ecclesia non recesserit, hęreticus appellari potest.* Et *cap. Hæreticus est. ibidem*, (Estque Augustini) habetur, quod, *qui falsas, ac novas opiniones gignit, vel sequitur, Hæreticus est;* quod ad intellectum pertinere absque dubio patet. Et *in cap. Quid autem.* Et *in cap. Qui in Ecclesia*, dicitur, quod qui pravum sapiunt, & Evangelicis, aut Propheticis Doctrinis contrarium, Hęretici sunt.

2900 Pręthereà *in Titulis de Hæreticis*, tàm *in Decretalibus*, quàm *in 6. Clement.* & *Extravagantibus*, tàm IOANNIS XXII. quàm communibus, ij pro Hæreticis habentur, qui aliquibus Fidei Dogmatibus non credunt, aut discredunt, aut temerariò sanè ausu contradicere nituntur.

2901 Ad præclariorem nostræ Doctrinæ illustrationem legatur Cardinalis TVRRECREMATA *de Ecclesia, lib.* 4. *part.*

part. 2. cap. 13. vbi definiens Hæreticum, hæc ad rem nostram valdè opposita scribit: * Hæreticus est, qui post susceptam Religionem Christianam, CHRISTI Fidem in generali profitendo, aliquam, vel aliquas in speciali opiniones contrarias Catholicæ Veritati pertinaciter tenet, vel sequitur.* Et omissa pro nunc cæterarum particularium expositione, declarans illas particulas: *Erroneam opinionem aliquam, &c.* asserit: * Hoc planè requiritur ad hoc, quod quis propriè censeatur Hæreticus, quod erroneam opinionem habeat in intellectu, ita quod malè sentiat de veritate.*

2902 Vndè AUGUSTINVS *lib. de vtilitate credendi*, vt habetur *in cap. Hæreticus 24. quæst. 3.* * Hæreticus est, qui falsas, ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur.* Et ratio huius est: quia hæresis est species infidelitatis. Infidelitas autem, vt suprà explanavimus, est in intellectu subiectivè, & ita videtur quod hæresis, quę est eius species, per necessitatem supponat errorem in intellectu.

2903 Cum igitur hæresis error sit intellectus, vt latè hucusque probavimus, sistatque in actu interno, veritatibus, quas Ecclesia Catholica Fide credendas proponit, non credente, aut contradicente, cumque insuper nemo vnquam probaverit, nec probatu facile sit, Marcellinum internam Fidei credulitatem non habuisse, nec caruisse ea, Sinuessanum Cōcilium cōfessum fuerit, nec Marcellinus ipse, etsi externam thurificationem illi aperuerit Concilio, internam tamen se amisisse credulitatem patefecerit vnquam, ac tandem cum ipsum eam thurificationem, vt licitam credidisse, aut docuisse nullo authentico testimonio possit convinci, constantèr dicendum restat, quod estò demus, Marcellinum in illo externo thurificationis actu graviter peccasse, internam tamen nullatenùs amisisse Fidem, aut in ipsa vnquam errasse.

2904 At dices: Estò actus internus, & in rebus Fidei dissensus probari non possit à priori, convinci tamen valet à posteriori per signa, verba, vel facta exteriora, quando ista Hæreticorum, Æthnicorumvè sunt propria, vt cum quis *ore*, verba hæreseos labe infecta profert, vel Gentilicum *opus* quoddam exercet; hæc namque communis est Hæreticos convincendi via, per *verba* nempè, *factave* hæreticalia: atqui Marcellinus scelus illud thurificationis publicum, Catholicæ Religioni oppositum, idòlolatrarum, Gentiumque proprium, contraxit: defecit ergo in Fide.

2905 Maior certa est, minor constat ex ijs, quæ NICOLAVS I. Pontifex Maximus scripsit *in Epistola ad Michaelem Imperatorem*, cuius pars habetur *cap. Concilium autem, 21. Dist.* * Siquidem (inquit) tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorum, Marcellinus Episcopus Vrbis Romæ, qui postea insignis Martyr factus est, adeò compulsus est à Paganis, vt in Templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret, cuius rei gratia collecto numeroso Concilio Episcoporum, & inquisitione facta, hoc idem Pontifex se egisse confessus est.* Ex ijs deducitur, Marcellinum cum noxam hanc tàm oppositam Fidei, tàmque idòlolatriæ propriam admiserit, in Fide erravisse, negari non posse.

2906 Huic argumento responderi potest. Primò: ex thurificatione externa nullatenùs posse inferri, Marcellinum in Fide errasse, aut in hęresim incidisse, vt Hæretici probare conantur, cum nihil à Fide alienum crediderit, docuerit, vel pertinaciter senserit, neque id probet argumentum. Pro cuius confirmatione hanc nobis tradidit Doctrinam Cardinalis TVRRECREMATA *in cap. Nunc autem Dist. 21.* vbi ad secundum: * Respondeo (inquit) dicendum, quod tàm ex Textu, quàm ex Chronicis colligere possumus, quod B. Marcellinus thura Idòlis exhibendo, mortis timore compulsus, non incurrit crimen hęresis. (Quod sic probat:) Iste thura offerendo Idòlis à Paganis compulsus, non habuit perversum Dogma in corde suo circa ea, quæ Fidei sunt, cum pertinacia defensionis: Ergo thura illa Idòlis exhibendo non incurrit crimen hæresis. Consequentia est bona à diffinitione ad diffinitum; hęresis autem, vt dicit Hieronymus, *ad Galatas*, & habetur *in cap. Inter hæresim, & schisma 24. quæst. 3.* habet perversum Dogma: non enim thurificavit Idòlis ex eo quod crederet aliquid ibi esse Divinum, vel quod esset licitum. Undè non elegit thurificare, quasi credens verum, quod erat falsum, sed coactus, volens mortem evitare, hęc fecit, tenens semper in corde suo veram Fidem. Undè licet peccaverit mortaliter, vt diximus

in

in Articulo præcedenti; quia sanctius est mori, quam immolare Idolis 32. *quæst.* 4. *cap. Sicut sanctius.* Et *cap. Ita ne.* Et *cap. Causa. quæst.* 5. Tamen non peccavit peccato hæresis, nec ex tali actu potuit, nec debuit censeri hæreticus, quia corde semper tenuit, & credidit bonam Fidem. Facit ad hoc, quod habetur *de Pœnitentia, dist.* 1. §. *Potest fieri.* Ubi dicit Ambrosius: Potest fieri, vt aliquis victus supplicijs, sermone neget Deum, & corde adoret, &c. Et quod habetur *dist.* 50. *cap. Presbyteros.* Presbyteros, qui coacti conditionaliter, nè occiderentur, immolaverunt, &c.* Hæc ille.

2907 Et tertio argumento, quod probare nititur, Marcellinum si idololatriæ scelus suscepit, etiam hæresis contraxisse noxam, respondet, negans consequentiam. * Licet enim idololatria sit species quædam infidelitatis, non sequitur propter hoc, quod sit hæresis, quæ est alia species infidelitatis; imò distinguitur specie ab ea. Undè in argumento committitur fallacia consequentis.*

2908 Secundò respondetur, quod etsi fateamur, & concedamus in Marcellino externæ thurificationis factum, negamus tamen indè hęresis crimen erui posse; cum facta externa, etsi hæreticalia, non convincant hæresim, sed dumtaxat suspicionem. In cuius confirmationem facit Doctrina Eminentissimi Cardenalis BRANCHATI DE LAVRÆA, sic scribentis: * Actus enim hæreticales, & maximè primarij, sunt indicia quidem, & vehementia, hęresis internæ; at non sunt evidentes probationes. Si ergo Marcellinus facto tantum negavit ex imbecillitate, vt videtur eius accusatio innuere, id tantum de eo potest affirmari, & quia per testes septuaginta duos de hoc facto fuit convictus, & quia ipsemet illud est confessus. De interna autem incredulitate poterit quidem esse vehementer suspectus, quia, vt plurimum, ita accidit. Dici tamen non potest, nec confessus, nec convictus, & propterea, nec hæreticus: eo vel maximè, quia factum illud detestatus, paulò post sub eodem Imperatore, cui morem gesserat, Martyr occubuit.*

2909 In huius confirmationem percommodè cadit Doctrina Cardinalis TURRECREMATA, qui eruditè probans, ex huiuscemodi factis inferri non posse errorem in Fide, minusque hæresim, *lib.* 4. *de Ecclesia, par.* 2. *cap.* 13. hæc habet: * Ex quo sequitur correlativè, quod factum sine errore intellectus non facit propriè hęreticum, vt puta, si aliquis fornicatur, vel mæchatur, licet agat contra veritatem, quæ dicit, non mæchandum, non tamen ex hoc est hęreticus, nisi crederet, aut opinaretur esse licitum mæchari. Et ratio huius est: quia quandocumque aliqua necessariò requiruntur ad Constitutionem alicuius, altero deficiente, impossibile est illud esse, quia ad oppositum, videlicet, quod sine illo esse posset, iam non requireretur necessariò ad constitutionem illius. Sed vt probatum est, ad hoc quod aliquis propriè dicatur hæreticus, requiritur necessariò error in intellectu. Ergo nullum factum, absolutè accipiendo, sine errore in intellectu, facit hęreticum.*

2910 His mirum in modum consonat Doctrina Cardinalis BRANCHATI *Tom.* 3. *de Hæresi, & Apostasia. disp.* 14. *art.* 3. §. 1. sentientis similibus ex factis, etsi hæreticorum proprijs, formalem hæresim non colligi, dummodo de improba intellectus credulitate non constet. * Dato (inquit) quocumque actu cuiuscumque potentię, deficiente actu intellectus, non habetur formalis hęresis, sed pręsumptiva tantùm. (Et infrà:) Dato quovis actu idololatrico, sacrificio, Imaginum, vel Eucharistiæ conculcatione, convitio, seù blasphemia contra Deum, & Sanctos; si desit assensus; vel dissensus malus, deest mala credulitas, seù hæresis. Ideò qui talia agunt, præsumuntur quidem Hæretici, & interrogantur super intentione, si crediderint esse vera ea, quæ dixerunt, vel facienda, quæ fecerunt; & si negant malam credulitatem, damnantur de dictis tantùm, aut factis hæreticalibus, non de hæresi. (Et post pauca concludit, dicens:) Requiritur ergo actus malè credendi, vt detur vera hæresis.*

2911 Nec ab hac Doctrina dissentit Eruditissimus Episcopus Pacensis JACOBUS SIMANCAS *de Catholicis Institutionibus. Tit.* 31. *de Hæreticis, num.* 8. vbi hæc habet: *Vndè relinquitur, vt nullum opus exteriùs quantumvis impium, & horrendum, hæresis esse possit, sine intellectus errore; tametsi vehementem, aut violentam præbeat suspicionem de hæresi: & hęc est constans Theologorum, & Jurisperitorum Sententia Joannis Torquemada *lib.* 3. *de Ecclesia, par.* 2. *cap.* 1. & *cap.* 13.*

Idem

2912 Idem sentit GUIDUS *de Hæresib.cap.3.* SYLVESTER *in Summa*, verbo, *Hæresis, num.* 1. *quæst.*2. IOANNES LUPUS *allegat. de Hæresi* §. 2. ALBERTINUS *in Rubrica de Hæreticis lib.3. quæst.13. num.* 8. & *lib. de agnoscēdis Catholicis Assertionibus, quæst.* 2. ALPHONSUS *lib.* 1. *adversus Hæreses, cap.*1. & D. FRANCISCUS PEÑA, Sacræ Rotę Auditor, qui *in Schol. ad Director. Inquisit. Nicolai Eymerich, lib.* 1. *Schol.* 22. hæc habet: * Quia non videtur apertè eorum voluntas in hæc consentire, cum inviti, metu suppliciorum, aut mortis, trahantur, ideò ab hæresi excusantur. Hæresis enim numquam perficitur, nisi pertinax consensus accedat, nec hæresis consistit in *dictis*, aut *factis*, sed in intellectu, & voluntate.*

2913 Cum igitur nullo ex capite possit constare, nec vnquam probatum fuerit Marcellinum in interno Fidei assensu, & credulitate defecisse, nullum adest principium, nullaque remanet via, qua ipsum in Fide errasse possit convinci; quidquid enim *Facto* egerit, in *corde* certè fidelis fuit: in corde autem hæresis perficitur crimen.

2914 Hinc IOSEPHUS SESSE, *in Decisionibus Regni Aragonum, Tom.4. Decis.44.* dixit: hæreticum non esse, qui vi, ac metu coactus, ad Ritus transit Paganorum. Et quidem illum, qui Fidem ob metum abnegat, hęreticum dici non posse, latè probavit D. ANTONIUS CABREROS *in sua delineatione de metu. lib.2. cap.30. num.79. & sequentib.* Et SOUSA *in Aphorismis Inquisitorum, lib.1. cap.17.* Et Illustrissimus Archiepiscopus Bracharensis D. RODERICUS ACUÑA *cum Abulensi in Matth. cap.5. quæst.*112. notat, quod licet Marcellinus gravissimè peccasset, Idolis thurificando, non tamen peccato infidelitatis, vt colligitur *ex textu, cap. Nunc autem, dist.* 21. In cuius confirmationem citat *Decium, Navarrum, Suarez, Bellarminum*, & alios.

2915 Cùm igitur Marcellinus nihil contra Fidem docuerit, nihilque contra ipsam crediderit, vt eius pœnitentia publico in Concilio apertissimè demonstravit; nullatenùs dici potest, ipsum hæresis labem incurrisse, licet per actum illum externum aliquo modo se, exteriori in foro, de Fide suspectum reddiderit, vt docent ACUÑA *vbi supra*, BELLARMINUS *in suis controversijs, Tom.1. lib.4. de Summo Pontifice, cap.8. versu: Decimus est Marcellinus.* SUAREZ *de Fide, disp.* 10. *sect.6.*

2916 Quartò probatur, Marcellinum in Fide non errasse, neque ex thurificationis facto hæresis labem vllatenùs incurrisse; error namque in Fide, vel hæresis esse non potest, nisi voluntatis adsit pertinacia, qua quis hæreticis Propositionibus assentire, vel Catholicis Dogmatibus velit dissentire.

2917 Id præclarè confirmat CLEMENTINA *de Summa Trinitate, & Fide Catholica.* §. *Porrò*, vbi habetur: * Quisquis deinceps, asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis non sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tamquam hęreticus sit censendus.* GLOSSA *ibi*: * Pertinacior (ait) pertinax valdè, vel imprudenter tenens, durus, irrevocabilis, indocibilis, obstinatus.*

2918 Sed clariùs AUGUSTINUS *in Epist. ad Gloriū, & Eleusiū, vt habetur in cap. Dixit Apostolus*, asserit: * Qui sententiam suam, quamvis falsam, & perversam non pertinaci animositate defendunt, præsertim, quam non audacia suæ præsumptionis pepererint, sed à seductis, atque in errorem lapsis Parentibus acceperunt, &c. nequaquam sunt inter Hæreticos computandi.*

2919 Vndè ille propriè hęreticus est censendus, qui errorem, vel erroneam opinionem, quam contra veritatem, aut invenit, aut sequitur, pertinaciter, sive obstinata mente, vel tenet, vel defendit. Idem sentit HIERONYMUS *in Epist. ad Galatas*, & habetur *in cap. Hæresis 24. quæst.3.* * Hæresis græcè ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi vnusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* Electio autem habet firmam adhæsionem, & ideò, vt dicit S. THOMAS *super secundam Epistolam ad Corinth. cap.*11. * Hæreticus dicitur, qui spernens disciplinam Fidei, quæ divinitùs traditur, pertinaciter proprium errorem sectatur.* Et ideò, secundum AVGVSTINVM, non qui falsas opiniones gignunt tantum: sed qui eas pertinaciter defendunt, Hæretici sunt censendi. Si enim aliquis malè sentiret, & non pertinaci malitia, sed ignorantia paratus tamen semper corrigi,

gi, si id quod sentit, falsum sibi ostenderetur esse, aut contra Fidem, aut determinationem Ecclesię Sanctæ Dei, non esset hæreticus. Quia vt dicit AUGUSTINUS *de Vera Religione, cap. 7.* Error tamdiù potest tolerari, donec accusetur, aut defendatur ab errante. Asserit enim: *Tandiù error cuiuslibet sustinetur, donec accusatorem inveniat, ac pravam opinionem pertinaci animositate defendat.*

2920 Idem Augustinus ad maiorem propositi confirmationem, contra Manichæos, vt habetur *in Cap. In Ecclesia 24. quæst. 3.* *Qui in Ecclesia (inquit) CHRISTI morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correcti, vt sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera Dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, Hęretici sunt.*

2921 ANGELICUS DOCTOR appositè quidem ad hanc rem, inquit, in 4. *Sententiarum. Dist. 13.* * Secundum nos, Hęreticus dicitur, qui à CHRISTI Fide, quæ Catholica dicitur, discedit, contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem.*

2922 Nec minori perspicuitate id explicat S. BONAVENTURA *in eodem loco, 4. Sententiarum*, dicens: * Hæreticus est, qui Divinæ Legis ignorantia, vel contemptu pertinax, inventor erroris, aut alieni sectator, Catholicę Veritati, mavult adversari, quam subijci.*

2923 Vndè cum iuxta laudatos Sanctos, Canonicosque Textus adductos, ac communem Theologorum sensum, ad Hęresim, errorem que in Fide, contumacia improba, obfirmataque erroris tuendi voluntas necessariò, ac indispensabiliter requiratur, certissimumque sit, contumacem non esse, qui paratus est corrigi, emendari, ac pœnitentię subijci; cumque in Marcellino, nè vestigium quidem huiusmodi apparuerit pertinaciæ, qua illud thurificationis factum, vt licitum defendere voluerit, nec talem vnquam tradiderit Doctrinam; imò ipse sua congregaverit sponte Concilium, suum vt animum Catholicum aperiret, vtque coram omni Ecclesia, in Concilio repræsentata, noxam, quam in thurificatione, mortis metu facta, contrahere potuerat, publicæ Confessionis, ac pœnitentiæ igne excoqueret; hinc firmiter tenendum est, Marcellinum, estò in facto deliquerit, in Fide tamen nullatenùs errasse, cum in illo agnosci non valeat pertinacia illa, quæ ad errorem in Fide contrahendum essentialiter requiritur.

2924 Ad maiorem totius nostrę Doctrinæ comprobationem, placet hic Marcellini Historiam, qua etiam vtitur Cardinalis TURRECREMATA, *in Cap. Nunc autem. Dist. 21.* eijsdem verbis, quibus eã refert Doctissimus GUIDUS, Ordinis Fratrum Prædicatorum, apponere; hic enim de Marcellino loquens *in Chronicon*, hæc memorat: * A Diocletiano impulsus incensum posuit, Idolis immolando; postea Synodo facta in Campania, proprio ore pœnituit, coram centum octuaginta Episcopis, & aspersus capite, cilicio indutus, pœnitentiam egit, dicens, se peccasse; sed & hoc memoriale de eo invenitur, quod cum se Episcopis iudicandum supposuisset, dicens, se paratum ad omnia obedire, quidquid sibi imponerent, responderunt: Absit vt Summus Pontifex à quoquam iudicetur. Negasti tu, negavit & Petrus Magister, & quis Apostolorum ausus fuerit eum iudicare? Sed egressus, flevit amarè. Tu ergo in te ipso collige causam tuam, in ore tuo te iudica, &c.*

2925 Præclarè respondens Doctissimus GRAVINA id confirmat *de Papæ Infallibilitate, 2. part. Tom. 4.* etiam admissa vt certa Marcellini thurificatione, nullatenùs ex illa deduci ipsum errasse in Fide: * Admisso ergo (inquit) Marcellini facto, Christi abnegator extitit *ore*, non *corde*, humano, & particulari lapsu, non publica obsignatione Doctrinæ; nec in eo facto, errori, qui fuit facti, pertinaciter hęsit, quem publicè in Concilio retulit, oreque suo se damnasse, nec docuisse factis, dicendus est.*

2926 Nec valet si dicas: Marcellinum adhuc in Doctrina errasse, eo quod exemplo nulla Doctrina efficacior sit. Iuxta GREGORIUM enim magis movent exempla, quàm verba. Vndè Marcellinus estò non verbis, idololatrico tamen facto docuisse, dicendus est. Non, inquam, id dicas: Huic enim instantiæ cumulatissimè satisfacit ipse Gravina *loco iam laudato*, hęc scribens: * Nec docuisse factis dicendus est, vt Uvitakerus objicit. Lata enim significatione, imitationis exemplum, Doctrina dicitur; & numquam docuit licitam esse idololatriam. Hoc enim fuisset in Fide errare, quod

quod numquam accidit, & nihil magis ab ijs longê alienum fuit, quàm ratio fallendi. In hoc enim semper intenti Romani Pontifices, vt omnes errantes ab errore revocarent.*

2927 Iis quæ diximus valdè consonat quod Eruditus Pater DOMINICVS A SANCTA TRINITATE respondet *lib. 3. suæ Bibliothecæ, sect. 4. cap. 17. §. 3.* * Admisso (inquit) nihilominùs prætato eius casu, cuius mentio fit *in Breviario die 26. Aprilis*, negamus indè sequi Novatorum intentum, hic enim error non fuit ex Cathedra, nec adversus Cathedram, nullam quippè hæresim docuit Marcellinus, sed negatio eius similis fuit negationi Petri, ob metum, & exteriùs tantùm facta, retenta semper in corde vera Fide, quem adhuc errorem Petro similis, non solum lacrymis, sed etiam Sanguine, Martyrium passus, expiavit: Quod debuissent laudare, & admirari Magdeburgenses Hæręticì, necnon imitari eos Episcopos Sinuessæ congregatos, quorum nullus Marcellinum damnare ausus est, sed omnes vna voce clamarunt: Tuo te ore, non nostro iudicio iudica; nam prima Sedes à nemine iudicatur. Petrum quoque propter eamdem animi infirmitatem deliquisse, & à Deo similibus lacrymis, quibus ipse profusis scelus suum palam confessus erat, veniam impetrasse.* Hæc ille.

2928 His omnibus opponitur AVGUSTINI Doctrina asserentis, illos, qui Fide in corde retenta, ore negaverunt, miserandum in modum perijsse: cumque vnus illorum fuerit Marcellinus, nulla remanet via, qua à thurificationis culpa mũdetur. Huic tamen obiectioni, ex eiusdẽ Augustini Doctrina respondemus; in ipsa, namque Authoritate, meridiana luce clarior effulget solutio. Priùs tamen quid contra eos, qui corde credunt: ore tamen negant CHRISTVM, sentiat Augustinus *lib. contra Mendacium, cap. 6.* audiamus: *Quia Apostolus dicit: *Corde creditur ad iustitiam*, & non in cassum est additum: *Ore autem confessio fit ad salutem.* Nonnè penès omnes, qui CHRISTVM coram persequutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt; & tamen ore ad salutem non confitendo, perierunt?* Nullum certè est dubium, quin si istis tãtummodò Augustini verbis attenderetur, alicuius esset roboris argumentum; atsi attentè illa, quę immediatè sequuntur, verba perpendantur, in illis omnis corruit difficultas. Subdit namque: *Perierunt, nisi qui per pœnitentiam revixerunt.* Cum igitur Marcellinus thurificationis noxam, pœnitentia adeò publica deleverit, vt hanc pœnitentiam non Catholici modò, sed & Heterodoxi etiam fateantur, cum *in Concilio Sinuessano*, quod allegant *in Martyrologio*, & *Ecclesiæ Authoritate*, quam pro thurificationis peccato citant, tùm illius pœnitentia, tùm dolor, ac lacrymæ, quibus peccati maculas abluit, expresse contineantur, hinc Marcellinus non ijs, quos perijsse asserit Augustinus, sed illis, qui per pœnitentiam revixerunt, adnumerandus est. Et nè eo latior dicendi campus sese nobis offerret, quo communior est Sanctorum Patrum consensus, quorum Authoritatibus omnes abundant libri, quibus rectè pariter, ac eruditè probatur, per pœnitentiam, quidquid per culpam fuerat amissum, vberioribus gratię, ac glorię incrementis recuperari, vt in Davide, D. Paulo, Magdalena, Augustino, alijsque innumeris innotescit, Assumptum istud pluribus possem Sanctorun Patrum, id statuentium testimonijs replere, ac illustrare, sed illa libentèr omitto, tùm nè longiùs, quàm par est, oratio provehatur, tùm ne in ijs, quę probatione non indigent, immoremur.

2929 Nihilominùs tamen, ad maiorem huius veritatis illustrationem, omitti nequeunt, quæ S. CYPRIANUS *lib. de Lapsis circa finem*, scibit: * Dat (inquit) Dominus arma rursus, quibus Iustus armetur, reparet, & corroboret vires, quibus Fides instaurata vegetetur. Repetat certamen suum Miles, iteravit Aciam, provocavit, & quidem factus ad prælium fortior per dolorem, qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentiam facti sui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & Fidei de ipso sui lapsus dolore conceperit, exauditus, & auditus à Domino, quam constristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam. Nec iam solam Dei veniam merebitur, sed Coronam.* Hæc ille.

2930 Hęc fuit vna è causis, ob quam plures, estò persequutionis initio, egregio, excellentique essent prædici animo, ita vt cum Petro dicerent: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*; posteà tamen, sic Deo, ad maiorem eorum humilitatem permittente, Fidem, tormentorum metu,

inficiati sunt. At posteà culpæ dedecus, turpitudinemque agnoscentes, Deo ipsis favente, dolore, pœnitentia, ac lacrymis, inclyto triumpho præclaraque Fidei Confessione negationis lapsum in Martyrio eluerunt; quod & in Marcellino contigisse fertur. Postquam enim sui sceleris immanitatem agnovit, acerbumque criminis dolorem, pœnitentiamque patefecit, vt *Sinuessana in Synodo*, cuius verba retulimus, enarratur, nequaquam ijs acquievit, Tyrannum adijt Imperatorem, ipsumque gravissimis verbis, quæ conceptum de sceleris immanitate dolorem indicarent, impulit, vt qui ipsi lapsus, ac culpæ fuerat occasio, esset & gloriæ: *Marcellinus (inquit BREVIARIVM ROMANUM *Lect. 6.*) Romam reversus, Imperatorem adit, graviter eum accusans, quod se ad tantam impietatem impulisset, qu mobrem illic Marcellinum vnà cum tribus alijs Christianis, Claudio, Cyrino, & Antonino capite plecti iubet.* Idem fecit Aurea Virgo priùs lapsa, vt ex MARTYROLOGIO patet *die 19. Iulij*. Idem Castus, & Æmilius ex MARTIROLOGIO *die 22. Maij*. Referente D. CYPRIANO *lib. de Lapsis*. Iacobus intercisus ex MARTYROLOGIO 27. *Novembris*, & alij quamplures lapsi, per Pœnitentiam revixerunt, gloriosque Marty io coronati fuere, vt ex BARONIO *anno 179.* constat.

2931 Quamvis ex multiplici, quam attulimus, ratione, thurificatio, quę Sancto adscribitur Marcellino, cuiusque Sinuessana meminit Synodus, falsitatis, ac Donatistarum, illorumque sequacium impostulæ convincatur, totque mendatijs, ac inconsequentijs obnoxia à nobis sit demonstrata, maior nihilominùs accrescit argumento vis, & efficacia, si attentè perpendatur, hanc ipsam thurificationem stabiliri, tùm NICOLAI I. Pontificis, quam supra retulimus, Authoritate, tùm ECCLESIÆ testimonio *in huius Sancti Lectronibus. 26. die Aprilis*, vbi *Lect. 5.* hæc habentur: *Marcellinus Romanus, in immani illa Diocletiani Imperatoris persequutione, terrore perterritus, Deorum simulacris thus adhibuit.* Idem constat ex PONTIFICALI ROMANO, quod communiter Papæ attribuitur Damaso, *in quo*, hæc leguntur: *Quo tempore fuit persequutio magna, ita vt intra triginta dies, decem & septem millia, promiscui sexus, hominum per diversas Provincias Martyrio coronarentur, de qua re, & ipse Marcellinus ad Sacrificium ductus est, vt thurificaret, quod & fecit.* Cum igitur Ecclesiæ Authoritas certior, irrefragabiliorque sit, his duobus testimonijs indubitata Marcellini redditur thurificatio, quàvis Sinuessanæ Synodi Authoritate non satis stabiliretur.

2932 Respondeo tamē primò, estò Breviarij, Martyrologijque Authoritas in cuiuslibet facti censura, ac sententia magna, gravisque sit, necesse tamen esse, vt animadvertamus, nullatenùs Ecclesiam nobis historias, factaque in illis enarrata, vt tamquam Evangelio credamus, proponere; solùm ergo Ecclesia à nobis exigit, vt hisce historijs fidem adhibeamus, ea ratione, qua fides huiuscemodi factis adhibenda sit. Appositè in rem nostram admonet Cardinalis BARONIUS *anno 302. de Imperio Diocletiani, num. 104.* dicens: *De Martyrologio, ac Breviario Romano quæ runtur, quod ista in Ecclesia recitanda contineant, idque validis sanè argumentis probare conati. Sed sciant vellem Romanam Ecclesiam, antiquitatis tenacissimam, quæ ante octingentos annos ita publicè lecta reperijt, haud adeò facilè convellenda, quamvis sibi valdè molesta putavit. Cęterum eamdem ipsam Romanam Ecclesiam, non, sicut Evangelium, quod Gelasius monuit, legere consuevisse, vel legenda proponere, quælibet Sanctorum Acta, sed potiùs ea cuncta Apostolica illa lance libranda relinquere: Omnia probate, quod bonum est tenete.*

2933 Respondeo secundò: Ecclesiam in Sanctorum factis historialibus, sicut & in ijs, quę ad illorum attinent cultum, sequi quod communiter receptum est, quodque ad probabilem opinionem gravissimorum Authorum innixam Iudicio sufficit, quin hinc deducatur, non posse nos oppositum probabiliter opinari; cum Ecclesia ea, quę in Sanctorum Actis continentur, tamquam fide certa, & infallibili actu credenda, vt *cum Baronio* diximus, non proponat. Sic *in Solemnitate Sanctorum Martyrum Iannuarij Episcopi, & Sociorum, in expositione Textus Evangelij, Matthæi 24. Sedente IESV super montem Oliveti accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt?* vtitur Ecclesia Commentario S. Hilarij *in Matth. cap. 25.* qui exponens ea verba Evangelij de falsis Prophetis, dicit;

*Ven-

* Venturi erant etiam eorum tempore, qui se CHRISTVM essent nuncupaturi. (Et infrà:) Et falsi Prophetæ erunt (vt Nicolaus, vnus ex septem Diaconibus, fuit) multosque ementita veritate pervertent.* Quod legit ECCLESIA *in* 8. *Lectione*.

2934 At Nicolaum ipsum, vnum ex septem Diaconis, ab omni hæresis labe immunem, nec falsum Prophetam extitisse, imò virum Sanctissimum, omnique laude dignissimum, celeberrimi Authores prædicant, inter quos S. IGNATIVS Martyr *in Epistola ad Trallianos*, CLEMENS ALEXANDRINUS *lib.*2. *Stromat. pag.* 301. & *lib.*3. *pag.*318. Nicolaum ab impura Nicolaitarum hæresi vindicat, EUSEBIUS *lib.*3. *Hist. Ecclesiast. cap.* 23. de Nicolaitis ita scribit: * Isti Hęretici, Nicolaum, vnum ex Diaconis, qui ab Apostolis ad curam egentium suscipiendam, vna cum Stephano deligebantur, suæ sectæ Authorem fuisse iactitabant. *THEODORETUS *lib.*3. *Hæretic. Fabular. cap.*1. vbi postquam Clementis Alexandrini Authoritatem retulit, sic concludit: *Ex quibus liquidò convincitur (Nicolaitæ) falsò sibi eius appellatione nomen arrogare, qui suprà dictam intemperantiam exercent.* Quibus addi potest S. VICTORINVS, Petabionensis Episcopus, & Martyr *in Comment. in Apocalyp.* * Nicolaitæ autem (inquit) erant illo tempore ficti homines, & pestiferi, qui sub nomine Nicolai Ministri, fecerunt sibi hæresim, &c.*

2935 Eminentissimus etiam Cardinalis BARONIVS *ad annum CHRISTI* 68. *num.*10. relatis pro vtraque parte Patribus, in hanc vltimam Sententiam propendit, sic cõcludens: * Cæterum Nicolaum Diaconum, vt virum Fide Catholica probatissimum, augustiori auctum honore, factumque ab Apostolis Episcopum Samaritanorum, Hypolitus, cuius fertur liber de septuaginta duobus Discipulis, testatur; cui consentit Dorothæus *in Synopsi*.* Quis enim inficiabitur huius Sẽtentiæ probabilitatem tot præclariorum Authorum, Sanctorũque calculis comprobatæ? Igitur quamvis Ecclesia *in Breviario*, permittat legi Acta de Marcellini lapsu, longo antiquitatis argumento probata, non tollit gravissima in oppositum momenta, quibus tractu temporis veritas potuerit lucidiùs examinari; de quibus latè diximus hucusque.

2936 Tandem omitti non potest quod de Martyrologio, quod Sancto Damaso tribuitur, nobis opponitur. Ibi enim Marcellini lapsus hisce clarissimis enarratur verbis: * Ipse Marcellinus ad Sacrificium ductus est, vt thurificaret, quod & fecit.* Verùm estò dubitari nequeat, quin hisce verbis, Marcellini lapsus comprobetur, at neque dubitari potest, quin præcipuum argumentum ex Sinuessana desumptum Synodo, valdè ex ijs, quæ sequuntur, infringatur; ibi namque asseritur trecentorum Episcoporum, ex toto terrarum Orbe, congregatum fuisse Concilium: horum autem verborum incompatibilitas ex ijs, quæ immediatè sequuntur verbis, deducitur: * Et post paucos dies pœnitentia ductus ab eodem Diocletiano pro Fide CHRISTI cum Claudio, Cytino, & Antonino capite truncatus est, & Martyrio coronatus.* Ex quibus hęc non inefficax ratio efformatur: Si Marcellinus, paucis post thurificationem diebus, Martyrio fuit coronatus, impossibile ergo videtur paucis hisce diebus generale trecentorum Episcoporum, qui inter se tam disiuncti, ac dissiti erant, congregari ab ipso potuisse Concilium, illis maximè temporibus, cum tam pauci erant Episcopi, tamque alij ab alijs remoti. Verùm estò nihil eorum quæ diximus subsisteret, satis, superque est ad rem nostram, maioremque Marcellini gloriam, Martyrologium ipsum, quod illius lapsum enarrat, pœnitentiam etiam confiteri, illa namque insigni pœnitentia, ac præclara Confessione, negationem in Martyrio delevit, singularique præstantia tam gloriosi triumphi Coronam meruit obtinere.

CAP. XV.

LIBERII PAPÆ IN FIDE Constantia defenditur.

2937 Singulari, eximiaque in Fide Constantia, qua Deus Sanctissimum insignivit Liberium sese directè opponunt Magdeburgenses, qui estò, iuxta BELLARMINI mentem, non audeant quidquam de Liberio definire, nec erroris eum arguere. *Centuria* 4. *cap.*10. *colum.*1289. iuxta GRAVINÆ sensum, *in continuatione secunda*

cundæ partis, *ad quartum Tomum controversiarum Dogmaticarum*, *obiect.* 12. *Nec Liberio parcunt, *Centuria* 4. *cap.* 5. dicentes: Romæ Liberius Episcopus, à Constantio Vrbem ingresso persuasus, Arianæ Hæresi subscripsit.* Idem refert Magister FIVME Neapolitanus, etiam ac Dominicanus, *de Romano Pontifice, tract.* 3. *lib.* 1. *Eamdem, inquit, GRAVINA, occinunt catilenā Thilmannus Heshusius, Danæus, Chamierus, Sutlivius, Sibrandus.* Tamen HEPASIVS *lib.* 1. *de Eccles. cap.* 9. audactèr affirmāt eum Ariana Hęresi infectum fuisse. Cui sententiæ videntur suffragari multi alij Scriptores Catholici, inter quos sunt, qui sequuntur.

2938 S. HILARIVS *lib. Fragmentorum*. Sirmiensem formulam, cui Liberius subscripsit, perfidiam Arianorum vocat; ob hancque subscriptionem Liberium ipsum Anathemate ferit: *Anathema (inquit) tibi à me dictum, Liberi, & socijs tuis; iterum tibi Anathema, & tertiò, prævaricator Liberi.*

2939 Eadem est HIERONYMI mens, *in Scriptorum* namque *Ecclesiasticorum Cathalogo, cap.* 97. dum de Fortunatiano, Aquilensi Episcopo, sermonem instituit, hæc scribit: *In hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ Vrbis Episcopum, pro Fide ad exilium pergentem, primùm solicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem Hæreseos compulit. (Et *in Chronico*:) Liberius (inquit) tædio victus exilij, in Hæreticam pravitatem subscribens, Romam, quasi victor, intravit.*

2940 In eamdem Sententiam propendere videtur ATHANASIUS, *Epistola* namque *ad Solitarios*, hæc habet: *Liberius deindè post exactum in exilio biennium, inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus.*

2941 ACCILIVS *lib.* 1. *de Ordinationibus Formosi*, Liberium Arianæ hæresi subscripsisse asserit: *Quis nesciat (inquit) quod Liberius, proh dolor! Arianæ hęresi subscripserit; & per eius transgressionem nefandissima scelera sunt commissa.*

2942 Iis Authoribus tres alij possunt adnumerari, quorum verba refert COCCIUS *in suo Thesauro Catholico, lib.* 7. *de Hierarchia Ecclesiæ, art.* 11. Marcellinus nempè, Petrus Damianus, & Platina. Iuxta primi mentem, hæc scribit: *Marcellinus in Chronicis, Liberium non numerat inter Romanos Pontifices, sine dubio ea de causa, quod illum Arianum fuisse, putaverit.*

2943 PETRUS DAMIANI *Epist.* 5. *cap.* 16. *Liberius, perfidiæ deceptus errore, Arianæ hæresi subscripsisse dignoscitur.*

2644 PLATINA tandèm *in Liberio*: *Liberius Pontifex, tametsi cum Arianis sentiebat, Ecclesias Dei quàm diligenter exornavit.*

2945 Hæ sunt Authoritates pręcipuæ, quibus Fidei puritas, quæ in Liberio illuxit, obnubilatur; at illius Sanctitas vitæ, Apostolicus Zelus, ac in Fide Constantia sic toti enituit Orbi, vt sola lectione historiarum, quæ temporibus illis acciderunt, satis, superque stabilita maneat, ac suffulta.

2646 Ipse HIERONYMUS egregiè Liberij in Fide Constantiā confirmat, prout refert CONTINUATOR BOLLANDI *in Acta Sanctorum Maij*, *in Tract. de Vitis Pontificum*, vbi hæc scribit: *Sanctus Hieronymus *in suo Martyrologio, ad diem* 9. *Kalen. Octobris*, Romæ (inquit) depositio Sancti Liberi Episcopi; expressè addens titulum Sancti, quod alias ei in Pontificum natalibus rarum, post hæc tamen frequentiùs. Sequuntur Uvandelbertus *in suo Martyrologio Metrico*. Et eamdem lectionem confirmant vetera, ad genuinum Bedę Martirologio additamenta, *ex manuscripto Vaticano*, & Sancti Cyriaci. Iterum verò refert nomen eiusdem Sancti Liberi *in veteri manuscripto Barberino*, *pictoque Abentini montis Kalendario, ad octavum Kalendas Maij*, vnà cum S. Benedicto Papa II.

2947 Græci *in suis Sinaxarijs* recolunt eumdem Liberium, vt Sanctum, 24. *Augusti*, cum honesto Elogio; in quo laudata eius Constantia, atque exilio, dissimulatur eius lapsus; solumque dicitur, Romanorum precibus victum Constantium, Throno suo eum restituisse, in quo residens, & vitæ reliquum laudabiliter, secundum beneplacitum Dei transigens, obdormivit in Domino. Deniquè Liberij nomen, etiam Martyrologio quidam Coptico, ad *sextum Octobris* scriptum reperitur.* Hæc ille.

2948 S. AMBROSIUS pręclarè stat pro Liberij Pontificis Sanctitate, scribens namque *anno* 370. sic *lib. de Virginibus*, sororem suam alloquitur: *Quoniam, quæ habuimus digessimus superioribus libris duobus, tempus est, soror Sancta, beatæ memorię Liberij præcepta revolvere, vt

vt quo Vir Sanctior, eo Sermo accedat gratior; namque ijs, cum in Salvatoris natali ad Apostolicum Petrum, Virginitatis Professionem, vestis quoque mutatione signaret: Bonas, inquit, filia nuptias desiderasti.*

2949 Ipse Ambrosius *loquens de Homilia*, quam Liberius Pontifex ad Populum, in die Natalis Domini habuit, quam integram refert, hæc habet: *Hęc tecum Sanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios maiora verbis, apud te minora exemplis.*

2950 Liberij sanctitatem vehementer comprobant ea, quæ SIMEON METAPHRASTES *in Vita Sancti Athanasij* eleganter apponit: * Quo tempore celeber in Sanctis, & Magnus Liberius, qui post Julium, Magni Sylvestri Successorem, Romanam Sedem est adeptus, condemnatur exilio.*

2951 Nec parùm ad rem nostram facit, quod refert ADO TREVIRENSIS *suo in Martyrol.* vbi ait: *Nono Kalendas Octobris, Romæ, depositio Sancti Liberij Papæ.*

2952 Eruditus COCCIUS *lib.7. de Hierarchia Ecclesiæ*, pro conclusione *articuli* 11. hæc scribit verba: *Liberium Papam fuisse Virum Sanctum, & Orthodoxum, non Arianum, &c.*

2953 Doctissimus CHRISTIANVS LUPUS *in notis ad V. Romanum Concilium, ad Canonem* 14. in confirmatiocem sanctitatis, quam in Liberio Sancta veneratur Ecclesia, hæc habet: *Et quidem Liberium fuisse Virum Sanctissimum, & non solum Catholicæ Fidei, sed etiam Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Romani præsertim Primatus, adversus rebelles Eusebianos constantissimum defensorem, &c.*

2954 Cardinalis BELLARMINVS *de Romano Pontifice, lib.4. cap.9.* loquens de Liberij Pontificis sanctitate, ait: *Prætereà etiam post mortem semper Sanctus est habitus, vt planum est ex verbis Ambrosij *lib.3. de Virginibus, in principio*.* Ambrosij autem verba enarrat, iam initio relata.

2955 Nec ab hac discedit Sententia S. EPIPHANIVS *Hæresi* 75. *Eustachius (inquit) ad Liberium, Beatum Romæ Episcopum, vnà cum multis Episcopis, Legatum agebat.*

2956 Consonat etiam BASILIVS, qui *Epist.74. ad Occidentis Episcopos*, hæc ait: * Quędam ei proposita sunt à Beatissimo Liberio.*

2957 SIRICIVS Pontifex, qui tertius fuit à Liberio, *in Epistola*, quam *ad Hymericum* scripsit, Liberium appellat: Venerandę memoriæ prædecessorem suum.

2958 Ex hucusque dictis clarissimè constat ingens Sanctitatis opinio, quam Pontifici Liberio, tam in vita, quàm post ipsius obitum, pręclarę illius virtutes conciliarunt, prout Sancti Patres, Gravissimi, & quidem primæ notæ Authores, ac ipsa demùm, suis in Martyrologijs, tùm Latinis, tùm Græcis, Sancta testatur Ecclesia; & quamvis in magna illius Sanctitate, ardentissimus etiam Fidei Zelus includatur, nihilominùs, quia maior Hæreticorum oppositio in Liberij Fidem invehitur, ipsique Ecclesiastici aliqui Authores non multum patrocinentur, operæprecium duximus maiori expressione hanc Liberij Fidem tueri: PRO CONCLUSIONE IGITUR CERTISSIMA, AC INDUBITATA STATVIMVS: *In Sancto Pontifice Liberio summam in Fide Constantiam, Apostolicumque defendendæ Ecclesiæ Zelum floruisse, ipsumque sui temporis Hæresibus, Arianæ verò permaximè obstitisse.* Singulare huius veritatis testimonium nobis Divus suppeditat ATHANASIVS, qui *in Apologia* 2. hęc habet: * Si quales sunt Eusebianorum sycophantiæ, scire velint, legant scripta nostræ defensionis, sumantque testes tantam Episcoporum multitudinem, & inter eos Liberium, & Hosium cum suis. Hi cum viderent ea, quæ inter nos agerentur, omnia pati maluerunt, quàm, aut veritatem, aut causam nostram prodere, idque bono, & sancto consilio fecerint. Præterea vis illa, quam tanti viri passi sunt, inditio est, quod alij toleraverint.*

2959 Ipse Sanctus *in Epistola ad solitariam vitam agentes*, ingentem Fidei Zelum, qui in Liberio exarsit, expresiùs comprobat, dicens: * Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reverentia ducti, vel quod Sedes illa Apostolica esset, vel quod Roma Metropolis esset Romanæ ditionis. (Romana autem ditio tunc omnes ferè Orbis Provincias suò sub Imperio tenebat.) Nam cum Liberium vidissent Orthodoxum, & olorem quidem Arianæ sectæ, studiosum verò in hoc, vt cunctos ab ea hæresi retraheret: isti secum impij cogitarunt: si Liberium

in

in nostram Sententiam traxerimus, omnes brevi supperabimus, &c. Trahitur Liberius ad Imperatorem, quò cum pervenisset, magna quoque, & ibi dicendi libertate vsus est. Desine, inquiens, persequi Christianos, nè tenta me per hęreticam impietatem in Ecclesiam introducere. Ad omnia potiùs sustinenda parati sumus, quam nos Christiani eo deveniamus, vt Ariani apellemur, ne quoque nos fieri perduelles. Hoc tibi suademus, nè pugnes contra eum, qui tibi hoc Imperium dedit, &c.*

2960 Sanctus DAMASUS *anno* 370. hęc *in Pōtificali* apponit verba: *Liberius, Natione Romanus, ex Patre Augusto, sedit annis sex, mensibus tribus, fuit tamporibus Constantij. Hic à Constantio deportatur in exilium, eo quod noluisset hęresi Arianæ consentire, & fuit in exilio per tres annos.*

2961 Dignissimum sanè lectu est, quod de Fidei Zelo, quo Sanctus inflāmabatur Liberius, celebris ille, apud antiquos Scriptor, SOCRATES asserit *lib.* 4. *cap.* 11. * Macedionani metu, imò potius vi, in angustias adducti, de Civitatibus suis alter ad alterum Legatos mittebat ad Liberium Episcopum Romanum. Liberius eorum litteras recipere noluit, nam eos Sectæ Arianæ fautores esse dixit, & propterea ab Ecclesia non posse recipi, vtpotè qui Fidem Concilij Nicęni abrogassent.*

2962 Ipse Socrates *lib.* 2. *cap.* 29. persecutionem, quam pro Fide passus est Liberius, istiusque in tuenda Ecclesia Constantiam probat, dicens: *Imperator Vrsatio potestatem permisit liberè contra Ecclesias omnia pro arbitratu admittendi; præcepitque, vt Fidei formula, quę in Concilio Ariminensi perlegebatur, ad Ecclesias Italiæ mitteretur, & illi qui ei subscribere nolint, expellerentur ab Ecclesijs, alijque in eorum loca sufficerentur. Principio igitur Liberius, Episcopus Romanus simul, ac se illi Fidei assentire denegaverat; ab Vrsatio in exilium eiectus est.* Ergo Liberius exilium constanter pro Fide passus est.

2963 Hanc eamdem Liberij in Fide Constantiam comprobat SOZOMENUS, hic enim *lib.* 4. *cap.* 10. Fidei Zelum, quem in Sanctissimo Liberio miratus est, egregiè commendat, dicens: *Constantius Imperator, Liberio Episcopo Romano ad se accersito, persuadere conatur, vt Sententiæ Episcoporum, quos circa se habebat assentiretur; quem ipsi refragantem, constanterque affirmantem, se numquam illud factu-rum, iussit Berœam vsque, quod est Opidum Thraciæ, relegari. Dicitur autem prę ter hanc, aliam quoque fuisse causam, cur Liberius exularit, nempè, quod cum Athanasio communicare non recusarit, sed audactèr, & liberè in eius defensionem contradixit Imperatori, &c. Imperator, cum Liberius eius imperatis hoc modo restitisset, dedit mandatum, vt in Thraciam, nisi intra biduum Sententiam mutaret, relegaretur. Cui Tiberius, mihi, inquit, ò Imperator dies ad deliberandum non est opus, iam olim enim ista, & deliberata sunt, & decreta. Itaque iam ab hinc discedendum paratus sum.

2964 Fertur item (prosequitur idem) Imperatorem ei iam cum in Thraciam adduceretur, quingentos aureos misisse; illum autem eos nullatenùs recepisse, sed dixit ei qui attulerat: Abi, & nuntia illi, qui hoc aurum misit, vt ipsum det suis assentatoribus, & histrionibus, quos continua ægestas præ insatiabili cupiditate in dies singulos graviter premit. Itaque hac de causa Liberius Ecclesiæ Romanæ Episcopatu privatus est.* Hactenùs ille.

2965 Magnus THEODORETUS, qui *anno* 450. scripsit de infracta Liberij Pontificis in Fide Constantia, mirificè loquitur *lib.* 2. *Ecclesiasticæ Historiæ*, *cap.* 15. *Liberij Episcopi (inquit) longè excellentissimi, liberam pro veritate disputationem, & sermonem planè admirabilem, quem habuit cum Constantio Imperatore, hoc in loco ponere Concilium est: nam hęc à pijs viris, qui id temporis vixerunt, sunt propterea scriptis prodita, quod ad acuendum, excitandumque rerum divinarum studiosos, plurimum momenti habere putabantur; iste Liberius Julio, Sylvestri Successore, mortuo, Romanam gubernavit Ecclesiam.*

2966 Et *cap.* 17. *Iste (inquit) strènuus veritatis propugnator, & victor illustris Liberius, Thraciam, sicut ei erat imperatum, rectè contendit.*

2967 SEVERUS SULPITIUS, magnæ Authoritatis, & antiquitatis Author, *libro* 2. *Sacræ Historiæ*, exilium, quod pro Fide Liberius subijt, confirmat, dicens: *Liberius Vrbis Romę, & Hilarius Pictavorum Episcopus, dantur exilio.*

2968 At FRECULFUS LEXOVIENSIS, qui *anno* 840. scripsit, *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. non solum de Liberij Pontificis exilio agit, sed rationem etiam, ob quam exu-

exulavit, adducit, dicens: Ideò exilio damnatum, quia & Fidem, & Divum Athanasium, qui pro Catholica patiebatur Fide, constantissimè tuebatur: *Hinc iam (inquit) Liberius Romæ Sedis Episcopus exilio damnatur, qui noluit hæreticis communicare, & in damnationem Athanasij subscribere.*

2969 Pro maiori Constantiæ, qua Fidem Liberius professus est, confirmatione, antiquissimum ducemus Authorem, qui *anno 360.* scripsit; cui eo amplior fides debetur, quò ab omni exceptione, & studio iudicatur remotior, cum enim Ethnicus extiterit, omnem alicuius affectionis suspicionem penitùs excludit, AMMIANUS igitur MARCELLINUS *lib. 15. cap. 6.* hæc scribit: *Athanasium Episcopum apud Alexandriam Synodus removit à Sacramento, quod obtinebat. Hunc per subscriptionem abijcere Sede Sacerdotali, paria sentiens cęteris, iubente Principe, Liberius monitus perseveranter renitebatur: nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimum sæpè exclamans, apertè, scilicet, recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim Constantius, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen Authoritate, qua potiores æternæ Vrbis Episcopi firmari desiderio nitebantur ardenti, quo non impetrato Liberius ęgrè Populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio, Roma potuit asportari. Et hęc quidem Romæ agebantur.*

2970 Quemadmodum in reum aliquem nullum maius veritatis alicuius adest testimonium, quam propria ipsius confessio; sic in rebus Fidei, nulla maior adduci potest probatio, quam propria confessio, iuxta illud CHRISTI: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.* Et illud PAULI *ad Romanos: Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Videamus ergo nunc, quid Liberius Pontifex fateatur; si enim Nicęnę Synodi Fidem contra Arium, istiusque sequaces constanter tuetur, impium sanè erit ipsi, Arianæ hæresis notam adscribere. Illius igitur verba, æterna memoria, pro sua in Fide Constantia, dignissima, *in Epist. 1. ad Athanas.* audiamus: *Fidem (inquit) Nicæni Concilij in eadem Epistola rectam reperimus, super qua, & Deo gratias vberrimas retulimus; pro qua non solummodo persecutiones, & passiones sustinere vobiscum, parati sumus, sed etiam, si necessè fuerit mori pro CHRISTI nomine, in quantum nostra sinit fragilitas, non respuimus. Igitur prædictum Sanctum Nicænum Concilium definit, aliam Fidem licere nulli proferre, aut conscribere, vel componere, aut sapere, vel docere aliter, nec quicquam in Fide sentire, aut proferre, quod ijs Patrum regulis possit obviare. Qui autem pręsumpserit componere aliam Fidem, aut proferre, docere, vel tradere aliud Symbolum ij, &c. Anathemate feriri.*

2971 Idem Liberius *in alia Epistola,* loquens cum Athanasio, ipsi Fidei confessionem demonstrat; & quid contra Arij, & Sabellij hæreses sentiat, aperit, ipsas damnans, & anathematizans: *Est igitur (inquit) optatissime Athanasi, nostra confessio, Verbum Dei Filium, secundum Divinam naturam ex Deo, eodemque Patre suo, genitum esse, non creatum, semper in Imperio collegam Deo, & Patri, & indesinenter Regnum obtinere in infinita sęcula Amen. Spiritum quoque Sanctum verè ex Deo naturaliter, Deum indivisibilem à Deo, secũdum Divinas Scripturas; vt sit verè Pater, verè Filius, & verè Spiritus Sanctus: Neque transferri debere vnumquodque nomen à suo significato, cui assignatum est, quo verè sit Trinitas sub vna Deitate, sub vna potestate, & vna substantia.

2972 Non enim (prosequitur) dispertitur Filius, aut Spiritus Sanctus à patria substantia, quæ implet Cœlum, & Terram. Est igitur, vt dixi, Trinitas in vna substantia, non divisa, sed per essentiam vna, Deitate vna, Potentia vna, & Regno vna, vna quoque Gloria, vna item Imagine, vna denique Spiritu. Spiritus enim non dividitur. Anathema igitur dices Sabellij, & Arij Dogmata, & suprà annotatas hęreses, ad æternam pœnam secundum Salvatoris vocem.* Hæc ille.

2973 At cum, iuxta CHRISTI dictum, ad quamlibet veritatem firmiter stabiliendam, sufficiat concors duorum, vel trium testimonium: *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* Si duobus testimonijs, circa firmitatem, Constantiamque Liberij in Fide, adductis, nondum affulserit lux, qua mentis error agnoscatur, aliud propriæ adducemus Confessionis *ex Epistola ad Imperatorem Constantium* data, in qua ipse Liberius profitetur semper, sibi in votis fuisse sequi, tuerique Fidem, quam laudabiles sui Pręcedessores, sui san-

guinis profusione signarunt. Illius verba, omni attentione dignissima, audiamus: *Sequutus (inquit) morem, ordinéque maiorum, nihil addi Episcopatui Vrbis Romę, nihil minui passus sum: & illam Fidem servans, quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex quibus plures Martyres extiterunt, illibatam custodiri semper exopto. Significant Orientales paci, & nostrę velle coniungi. Quæ est pax, clementissime Imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arij hæreticam Sentētiam noluissent damnare, de Concilio iratis animis exierunt? Horum, si fas est, sententijs quale sit, aut quid habeat commodare consensum, æquitas, & clementia vestra poterit æstimare.*

2974 Ex dictis apparet, quàm commendata, ac suffulta remaneat insignis Sanctitas, Catholica Virtus, infractusque animus quo Liberius sese Arianæ hæresi opposuit, ita vt nec crudeles minæ, nec assiduę, continuæque preces, nec ipsa demùm Constantij Ariani Imperatoris potentia, firmitatem Liberij in Fide vnquam potuerint infringere, vt Arianę Confessioni, iniustæ Athanasij condemnationi subscriberet, vt fusiùs Sanctorum maioris in Ecclesia Fidei, celebriorum antiquitatis Scriptorum Ecclesiasticæ Historiæ Authoritate probavimus, ac demùm propria Liberij Confessione, Arianæ hæresi penitùs opposita, statuimus; huius autem Cōfessionis luculētiùs nobis testis adest ipse ATHANASIUS, qui egregiè invictam Liberij Constātiam, ardentissimum Fidei Zelū, prçclarâque virtutē, qua Ecclesiam protexit, & sese Arianæ hæresi Imperatoris Constantij Authoritate, & potentia innixæ, opposuit, commendat, infractumque animum deprædicat, quo Liberius Pontifex gloriosè pro Fide improbos exilij labores, acerba incommoda, ac illustre Martyrium subijt, quo eximiam Pōtificis gloriam, præclara Sanctitatis Corona, quam MARTYROLOGIA, tùm Latina, tùm Græca, iam adducta, pleno ore cōfitentur, adauxit.

2975 Et quamvis hæc, quæ hucusque diximus, sufficiant pro enervandis Authoritatibus, quæ Liberium Arianum fuisse comminiscuntur, nihilominùs non parùm vtilitatis affert, fusiùs discutere fundamentum, quo adducti fuerint Authores aliqui, tàm Hæretici, quàm Catholici, vt Sanctitatis, ac Fidei Puritatem, quæ in Pontifice, quem omnes, ceu sanctissimum, acerrimumque Fidei defensorem venerantur, illuxit, detestanda hacce nota fœdarent, illum Arianos inter, adnumerantes.

2976 Tria sunt crimina, quæ Liberio Pontifici adscribuntur. Primum, & præcipuum, quod Arianę hęresi subscripserit. Secundum, quod iniquam Athanasij damnationem ab Orientalibus Episcopis Arianis, vt Imperatori Constanti morem gereret, factam, firmaverit, ac approbaverit, cum aliàs Athanasius acerrimus Fidei defensor contra Arianos extiterit. Tertium quod Arianis apertis Fidei, & Ecclesię hostibus, communicaverit, & cum illis in odium Fidei fuerit coöperatus. Hoc igitur supposito, videamus nunc quodnam in veritate fundamentum prædictæ habeant noxæ, quæ ab oppositis Authoribus Liberio Pontifici adscribuntur.

§. I.

LIBERIVS A PRIMO CRIMINE vindicatur.

2977 HIS igitur criminibus ex ordine respondentes, absolutè inficiamur, Pontificem Liberium vllo vmquam tempore Arianæ hæresi subscripsisse. Hanc Conclusionem, illiusque veritatem sequentibus rationibus stabiliemus; prænotantes pro maiori intelligentia, ac claritate, tres Fidei formulas Sirmiensi in Concilio fuisse factas, quarum meminit *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 25.* SOCRATES, & SOZOMENUS *lib. 4. cap. 5.* Qui tres Fidei formulas, quę Sirmienses inscribuntur *in Sirmiensi Synodo contra Photinum* editas asserunt.

2978 Nec ab hac mente dissentit Cardinalis BARONIUS *ad annum CHRISTI 357. num. 10.* Cum enim Socratis Sententiam retulisset, subdit: *Meminit item Sozomenus de tribus formulis, vna Græcè, duabus verò Latinè conscriptis.*

2979 IODOCUS COCCIUS *in suo Catholico Thesauro, lib. 7. de Hierarchia Ecclesiæ*, idem sentit de tribus formulis Fidei in Concilio Sirmiensi editis: * Tres (inquit) Fidei formulæ in Sirmiensi Conventiculo sunt editę.*

Idem

2980 Idem tenet ALEXANDER NATALIS *Differtatione 30. Ecclesiasticæ Historiæ*, *secul.4.art.2.*

2981 At quid in illis contineatur clarè explicat COCCIUS *loco supra laudato*, vbi de his tribus Fidei Formulis loquens, ait: *Prima scripta est à Marco Aretusio, ad confutandas omnes Photini blasphemias; secunda, quam recitat Sanctus Hilarius, nomine Hosij, atque Potamij. Tertia, qua secunda est emendata.* Idem sentit Pater DOMINICUS A SANCTA TRINITATE *lib.3. Bibliothecæ Theologiæ, sect.4.cap.17.*

2982 Et ipse Coccius, has Fidei Formulas clariùs explicans, ait: * In prima egregiè expressum est, atque testatum nomen *substantiæ* Filio cum Patre communis. In secunda sublatum est nomen *substantiæ*, ac similitudinis pariter abrogatum. In tertia verò asserta est omnimoda Filij cum Patre similitudo.* Cui consonat Dominicus à Sancta Trinitate *lib.3. supra citato.*

2983 Hoc igitur prænotato, probabimus nunc, omni destitutam esse fundamento calumniam, quę Sancto obijcitur Liberio, ipsum nempè aliquo tempore Arianum extitisse; si enim aliquod ad id asserendum fundamentum daretur, esset; quia iuxta Hilarium Sirmiensi subscripsit Formulæ, quam *Arianorum perfidiam* vocat ipse Hilarius; & quia, iuxta Hieronymum, exilij tædio victus, hæreticæ pravitati subscripsit; hinc enim cæteri Authores, qui illam sequuntur Sententiam, inferunt, Liberium Arianum extitisse; atqui hoc ab omni est veritate alienum: ergo & omni destituitur veritate, & fundamento Arianæ hęreseos calumnia, quæ iniustè Sancto imponitur Liberio. Maior, vtpotè præcipuum adversariorum fundamentum, certissima est relinquenda. Minorem vérò, in qua tota pręsens versatur difficultas, sequentibus rationibus suadebimus.

2984 Primò: Quia iuxta communem Authorum sensum, tres tantummodò Sirmienses Formulæ in illa Arianæ Hæreseos tempestate, & sub Liberio Pontifice factę, agnoscuntur, quarum prima, quæ contra Phocium, qui Divinitatem in CHRISTO negabat, facta fuit, Catholica extitit, sicut & tertia, iuxtà mentem Sanctorum, quos laudat IODOCVS COCCIVS, qui *loco supra citato*, de vtraque loquens, hęc scribit: *Primam, eam interpretando, Catholicam probat Hilarius. Tertiam existere consentientem pariter Catholicæ professioni, ex Sancto Epiphanio demonstratur.*

2985 Consonat DOMINICVS A SANCTA TRINITATE, *loco supra citato*: *In prima (inquit) egregiè expressum, atque testatum est nomen *substantiæ Filio, cum Patre communis*; proindèque Hilarius, eam interpretando, Catholicam probat. (Et paulò infrà, asserit:) Quod non potuerit Liberius secundę Sirmiensi Formulæ subscribere, sed primæ solum, & tertiæ, quæ etsi non haberent vocabulum *Homousios*, tamen Catholicę erant, vt eas exponit Hilarius *in lib. de Synodis*; necnon Epiphanius, *Hæresi 71.* vt Catholicas.*

2986 Idem sentit EVGENIVS LOMBARDVS *in suo Tomo, inscripto; Regale Sacerdotium lib.3.§.9.* vbi ait; * Forma igitur professionis, cui Liberius subscripsit, licet vocem *Consubstantialis* silentio premeret, fuit planè Catholica, in qua Photini Hæreses damnabantur; in qua filius, *eiusdem cum Patre substãtiæ* dicebatur; quam ipse S. Hilarius exponens, Catholicam esse fatetur. Idemque asserit Vigilius, Episcopus Tridentinus, adversus Euthichetem *lib.5.* Et Liberius *in litteris*, quas *ad Orientis Episcopos* dedit.*

2987 Ad maius huius veritatis stabilimentum Cardinalis BRANCATVS DE LAVRÆA *Tom.3. de Fide, part.1. disp.7. art.5.§.5.* loquens de tertia formula Sirmiensi, ait: * Hæc ergo formula præsumitur à Liberio subscripta. At hęc tertia, omnia Catholica includit, vno excepto, quod favere videtur in aliquod Arianis, hostibus vocis *Consubstantialis*; in ea dicitur Filius, Deus de Deo, similis Patri suo, qui ipsum genuit. (Et infra dicitur:) Vocabulum porrò *substantiæ*, quia simplicius à Patribus positum est, & à Populis ignoratur, & scandalum affert, eo quod in Scripturis non contineatur: placuit vt de medio tolleretur, & nullam post hac de Dei substantia mentionem esse faciendam; eo quod Sacræ Scripturę numquam meminere substantię Patris, & Filij. Illum tamen *Patri per omnia similem* dicimus, quemadmodum Sacræ Litteræ dicunt, & docent.

2988 At in hac (prosequitur) Formula nulla visa est Liberio, nec alijs permultis, neque nunc, hæresis contineri

& excepto Hæreticorum favore, qui in odium Nicæni Concilij, & Athanasij vocem *Consubstantialis*, tenuebant, Catholica videtur. Arius enim dicebat: Filium Dei aliquando non fuisse; & esse Patri in Deitate minorem: in hac Formula dicitur, Filium Dei esse ante omnia sæcula, & initia, & ante omne tempus, quod in intellectu cadere potest; dicitur esse Deum de Deo; dicitur esse per omnia Patri similem, vt dicunt, & docent Sacræ Litteræ: Igitur in omnibus opponitur Hæresi Arij; & sic non Hæretica.*

2989 Cum igitur ex Sancto HILARIO, & ex Sancto EPIPHANIO constet, primam, & tertiam Fidei Formulam in Concilio Sirmiensi editam, Catholicam extitisse, nihilque Fidei oppositum in illis fuisse contentum, Hieronymi verba Liberium Pontificem Arianæ Hæresi subscripsisse asserentis, Hilarijque idem in substantia dicentis, neutiquam de prima, & tertia Formula possunt intelligi, sed de secunda tantummodò, in qua, *substantiæ* nomen sublatum est, ac nomen similitudinis Filij cum Patre, pariter abrogatum, vt testatur Coccius: Vndè eam Authores communiter, vt Hæreticam, detestantur.

2990 Pontificem verò Liberium secundę huic Sirmiensi non subscripsisse Formulæ, probatur primò: Quia iuxta Sanctum Hilarium *in Fragmentis*: Perfidia Sirmiana, cui Liberius subscripsit, conscripta est à Narcisso, Theodoro, Basilio, Eudoxio, Demophilo, Cecropio, Silvano, Vrsacio, Valente, alijsque quos ad viginti duos recenset; atqui viginti duo Prælati, quos refert Hilarius secundę Sirmiensi Formulæ non suscripserunt, sed solum primæ: Ergo neque Liberius secundam Hæreticam, sed primam Catholicam manu sua signavit. Maior certa est; minor verò, quod nempè Episcopi illi, quos refert Hilarius, cum Liberio subscripsisse, secundæ Hæreticæ Formulæ non subscripsferint, suadetur: Quia vnus ex ijs, quorum meminit Hilarius, fuit Basilius Ancyranus, qui illius Formulæ, nedum Author non fuit, sed nec approbator, quam vix in lucem emissam, Anathemate confixit in Ancyrana Synodo. Nec pariter adfuit Theodorus Heracleensis, siquidem ante Liberij exilium obierat, *anno circiter* 355. Quis etiam facile credat Silvanum Tarsensem secundæ Formulæ Sirmiensis Authorem fuisse, aut ipsi subscripsisse, qui adeò alienus fuit ab Anomæorum blasphemijs, & à pura Hæresi Ariana, vt pro Catholico habitus sit, & Catholicam de Filij *Cõsubstantialitate* Doctrinam adversus Anomęos in Concilio Seleuciensi, coram Constantio Imperatore propugnaverit; teste THEODORETO *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 27.

2991 Nec etiam secundæ Formulæ Sirmiensi cudendæ contulerunt operam Eudoxius Germanicæ, Cecrops Nicomedię, Macedonius, sive Constantinopolitanus, sive Mopsuestenus, & Marcus Aretusius, qui Orientales erant, siquidem secunda Formula Sirmiensis, ab Occidentalibus edita fuit; SOZOMENO teste *lib.* 4. *cap.* 11.

2992 Si ergo Sirmiensis Formula, cui hi Episcopi vnà cum Liberio subscripserunt non fuit secunda, vtpotè, quia hæc fuit Hęretica; illi verò Episcopi, Catholici Sanctissimi, accerrimi *Cõsubstantialitatis* Filij cum Patre propugnatores, ac Arianæ Hæresi hanc *Consubstantialitatem* neganti, valdè oppositi extiterunt, nulla certe adest ratio, vt Liberium Pontificem secundæ Sirmiẽsi Formulæ subscripsisse dicamus, cum iste, ęquè ac illi, summè Catholicus, Sanctus, ac Arianę Hæresi oppositus commendetur. Vndè cum Liberius, vt Hilarius ait, eidem Sirmiẽsi Formulæ, quam prędicti Episcopi signarunt, subscripserit, si appertè convincitur, ac facti evidentia probatur istos illi Formulæ non subscripsisse, idem certè de Liberio Pontifice dicendum esse videtur.

2993 Secundò, quia illi Fidei Formulæ, quam Liberius Pontifex manu sua signavit, viginti duo alij Episcopi subscripserunt, vt supra cum HILARIO diximus: hoc autem de secũda Fidei Formula verificari non posse, cõstat; nam secundæ Sirmiẽsis Formulę editioni vix alios Antistites adfuisse comperiemus ex Ecclesiasticæ antiquitatis monumentis, præter Vrsacium, Valentem, & Germinium, quibus etiam solis, Concilium ab Anomęis Antiochiæ habitum, postquam illam in Sedem adrepsit Eudoxius, gratias egit, teste SOZOMENO *lib.* 4. *cap.* 11. Ergo, iuxta Sozomeni Sententiam, impossibile penitùs videtur Liberium Pontificem, aliosque viginti duos Episcopos, ab Hilario relatos, secundę Sirmiensi Formulæ Arianæ Fidei subscripsisse.

2994 Tertiò, quia nomen Germinij Sir-

Sirmiensis Episcopi, qui cum Ursacio, & Valente in secunda Sirmiensi Formula conscribenda collaboravit, illos inter viginti duos Espicopos, ab Hilario nominatos, non legitur, sicut nec Osij, Potamijque nomina, qui eidem secundæ Formulæ subscripserũt: Cum igitur certissimum sit Germinium, prout refert Sozomenus, Osium, & Potamium, prout narrant BARONIUS, Spondanus, Odoricus Reynaldus, alijque, secundæ Sirmiensi Fidei Formulę subscripsisse, nullumque horum, illos inter viginti duos, qui iuxta Hilarium, Sirmiensem Formulam, vnà cum Liberio, manu sua signarunt, comprehendi; hinc mediocri saltem fundamento adstruitur, nec Liberium, nec viginti duos relatos Episcopos, secundæ Sirmiensi Formulæ, vtpotè hæreticæ, benè verò primæ, vtpotè Catholicæ, subscripsisse.

2995 Quartò: Quia si Liberius Pontifex secundam Sirmiensem Formulam, in qua Filij cum Patre *Consubstantialitatem* negabant Ariani, manu sua signasset, statim exilij vinculis fuisset expeditus, nec enim Imperatori Constanti Ariano, nec cæteris Episcopis Arij sectarijs quidquam aliud erat in votis, quam Liberium illi Formulæ subscribere quod quia constanter renuit, firmiterque Filij cum Patre *Consubstantialitatem* confessus fuit, ac Divum Athanasium accerrimum *Consubstantialitatis* defensorem tuebatur, in exilium relegatus est: Vndè si Arianę hæresi subscripsisset, statim ab exilio fuisset revocatus, & in libertatem assertus: Atqui hoc non ita evenit, vt ipsius Liberij ad Orientales Episcopos data demonstrat Epistola, qua illos, vt ab Imperatore Constante reditum ab exilio, & in pristinam Apostolicæ Sedis, ad quam illum Deus evexerat Dignitatem, impetraret regressum, deprecatur: *Dignemini (inquit Liberius, prædictos alloquens Episcopos) communi consilio, ac studio laborare quatenus de exilio dimittar, & ad Sedem, quæ mihi divinitùs credita est, revertar.*

2996 Quintò: Quia Liberius Pontifex adhuc si vellet, non posset secundæ Formulę subscribere, iuxta ea, quæ rectè quidem, & eruditè adnotavit Pater DOMINICUS A SANCTA TRINITATE *lib. 3. suæ Bibliothecæ, sect. 4. cap. 17.* Hic enim de hac secunda Formula, in qua Filio Divina negabatur *substantia*, loquẽs, illius Authores eam, tantæ blasphemiæ pudore suffusos revocasse, asseverat, hancque eamdem formulam Imperatoris iussu, quod certiùs, ac veriùs videtur, explosam fuisse arbitratur: *Secunda (inquit) confestim ab eisdem, qui conscripserant, explosa, sublatis etiam omnibus eius, ne vulgarentur, exemplaribus, Edicto Cõstantij: Vndè Liberius Beroea è Thracia, ab Imperatore Sirmium accersitus, non potuit secundę Fidei Formulæ subscribere, quam ijdem qui scripserant, & ediderant, fuerant detestati; sed primæ solum, & tertiæ, quæ & si non haberent vocabulum *Omousios*, tamen Catholicę erant; & eas exponit Hilarius, vt Catholicas, *in libro de synodis*; & Epiphanius, *Hæres. 71.**

2997 Vt hoc magis stabiliatur, omittenda minimè sunt, quæ EUGENIUS LOMBARDUS, de hac secunda formula loquens, scribit *in suo Tomo, Regale Sacerdotium inscripto. lib. 3. §. 9. num. 8.* *In eodem (ait) Simiensi Concilio, secunda Formula confessionis concepta est impia omninò, & blasphemię plena. In qua Dei Filius, nec eiusdem *substãtiæ* cum Patre, nec similis esse dicitur; huius secundę Formulæ adeò Arianis puduit, vt in Concilio Ancyrę Tertiam ediderint, Catholicæ omnino simillimam, nisi quod vocem *Consubstãtialis* ommitterent. Hanc Constantius amplexus est, & secundam suppressam, expunctamque voluit proposito ijs, qui eam occultarent, supplicio. Ita scribunt Sanctus ATHANASIUS *de Synodis*, SOCRATES *lib. 2. cap. 29.* Sanctus HILARIUS *de Synodis*, Sanctus EPIPHANIUS *Heresi 73.**

2998 Ex ijs omnibus hoc argumentum conficitur: Si Ariani, verecundia suffussi, ac dolore permoti, secundam illam Formulam, vix dum factam, abrogarunt, & quia impia, effrænis, in Divinam Christi *Substantiã* erat, Imperatoris iussu suppresserunt, attestantibus id Athanasio, Hilario, & Epiphanio, neutiquam potuit Liberius Pontifex secundam Sirmiensis Synodi Formulam, iam ab ijsdem qui conscripserant explosam, manu sua signare, solum ergo potuit Primæ, & Tertiæ subscribere: Cumque istę Catholicæ sint, vt iam suprà probavimus, solum deduci potest Liberij in dicta Sirmiensi formula subscriptionem, Catholicam esse; nullaque ratione posse Liberio imponi ipsum hæresi, Arianævè perfidiæ subscripsisse.

2999 Nec dicere obstat, in Formula, cui Liberius Pontifex subscripsit *Consubstantialitatis* vocem silentio fuisse prætermissam: Hoc enim non obstat, quominus

Ca-

Catholica fuerit Formula illa, in qua Photini hæreses damnabantur; in qua Filius, eiusdem cum Patre *substantiæ* dicebatur: quamque ipse Sanctus Hilarius exponens, Catholicam esse fatetur. Idemque asserit VIGILIUS, Tridentinus Episcopus, *adversus Euthichetem, lib. 5.* & LIBERIVS *in Litteris*, quas *ad Orientis Episcopos* dedit, se ideò cum Vrsacio, & Valente cōmunicasse, dicit, quod eorum Fidem Catholicam, ac ab Ariana perfidia alienam, agnovisset.

§. II.

DEFENDITVR A SECVNDO crimine Liberius.

3000 SEcundū quod Pontifici Liberio obijcitur crimē est, quod in quādā damnationē ab Arianis, in odiū Fidei, cōtra Athanasiū prolatam, quamque Athanasius constanter pro Fide perpessus est, approbaverit. Ex quo inferunt Liberium Arianæ hæresi adiutorem, & auspicem extitisse, ac in scelerata tanti Præsulis damnatione, cui sese antea, Catholico sanè Zelo, opposuerat, gravissimasque exilij molestias subierat, vna cum Arianis conveuisse.

3001 Respondeo primò, estò verum esset, quod in argumento adducitur, ex hoc adhuc non sequi, Liberium in errorem impegisse, aliàs in Arianismum etiam incidisset Generale Concilium Ariminense, ad quod tàm innumerabiles Episcopi confluxere; Concilium namque istud, ita Arianis adfuit, vt totus penè Christianus Orbis, se Arianum esse miraretur, vt Sanctus, ait Hieronymus. In errorem etiam lapsum fuisset Concilium Ephesinum secundum: Istud namque estò Oecumenicum, & Generale, damnationi tamen Sancti Flaviani, Constantinopolitani Episcopi, cum Catholicus esset, ac acerrimus Fidei contra Arianos defensor, assentitum fuit, sicuti, & restitutioni Euthichetis Episcopi, quem vti Heresiarcham, Sanctus damnaverat Flavianus.

3002 Si autem dicas: In Ariminensi Concilio, sicut & in Ephesino, magnam Catholicis Episcopis, vt tam iniustæ, ac iniquæ sententiæ assentirentur, vim, ac violentiam fuisse incussam: vndè error ille, non tàm Sanctissimis illis Episcopis, quàm inveteratæ Arianorum malitiæ, ac Imperatoris æquè Ariani potentiæ, ac coactioni est adscribendus. Si id, inquam, dicas, idem nos pariter dicimus de Liberio, circa Athanasij damnationem; hæc enim potiùs Imperatoris coāctioni, ac violētię, & Arianorum impietati, quàm Liberij libertati est attribuenda. Liberius namque toto illo tempore, quo liber extitit, invictus, acerrimusque fuit eiusdem Sancti Athanasij defensor; quod quia strenuè præstitit, trium annorum exilium, vt diximus, passus est.

3003 Vndè, vt illa Sancti Athanasij condemnatio culpę, errorivè Liberio verti non debet; aut necessariò dicendum est, Concilium Oecumenicum in Sancti Flabiani damnatione erravisse: ac perconsequens, si ex illa Athanasij condemnatione inferunt adversarij, Pontificem Privilegio non errandi carere, pariter ex Flabiani damnatione possent inferre, neque illud non errandi Privilegium in Oecumenico Concilio reperiri: Hæc enim consequentia legitima est; & nullatenùs vt arbitror, ab adversarijs, qui Pontificis Liberij Fidem calumniantur, admittenda.

3004 Respondeo secundò: Estò Liberius Sancti Athanasij damnationem manu sua signasset, adhuc nihilominùs ab illo prorsus eliminandā esse censuram, qua à Sancto Hilario, & Hieronymo notatur, quod nempè Arianæ hęresi subscripserit, vel hęreticam approbaverit pravitatem: quia dato, quod peccaverit *Facto*, at non in Fide: indè enim non sequitur Liberium, aut hæresim docuisse, aut verè hęreticum extitisse, sed solum *actu externo*, vt de Marcellino diximus peccasse, quatenùs exilij tædio victus, cum Arianis communicavit, & latam ab ijsdem in Athanasium Sententiam ratam habuit; vt apertè id testantur, tùm quæ Liberius scripsit *in Epistola ad Athanasium*, *Epistola 1. ad Orientales Episcopos. Epistola 2. ad Vrsacium*, *Valentem*, & *Germinium*; necnon *tertia ad Vincentium Episcopum Capuæ*, tum etiamque Athanasius *in citata, ad Solitariam vitam agentes*, *Epistola*, quam refert DOMINICUS A SANCTA TRINITATE *vbi suprà*, qua relata, inquit: * En quomodo ex Athanasio, Liberius quidem cum Petro, & Marcellino in actu externo erravit, subscribendo damnationi Athanasij, & communicando cum Arianis, sed animo semper Fidem retinuit.*

3005 Idipsum multo ante Dominicum à Sancta Trinitate senserat Doctus Ma-

Magister CRAVINA, singulare etiam Prædicatorum Ordinis Ornamentum 2. *part. 4. Tom. de Papa in Decretis Fidei Infallibilitate*, loquens namque de hoc ipso Liberij Pontificis eventu, aptissimè ad rem nostram respondet, dicens: *Verùm est, quod post exactum in exilio biennium, ad eam subscriptionem inductus est in damnationem Athanasij, minis mortis, vel exilij tædio. Ex Athanasio *in Epistola ad solitariam vitam agentes*; sed coactâ subscriptione monstratur, vt omnis actus interiùs excludatur. (Et infrà:) Potuit enim accidere, vt sine hæresis piaculo interiùs Fidem retineret Catholicam, & Arianam perfidiam detestaretur, & exteriùs coactè in damnationem, non Fidei, sed Athanasij, subscriberet, & solo actu externo, refragante mente, Catholicum, & Orthodoxum damnaret.

3006 Et sic exponendus est (prosequitur) Hieronymus *loco citato*, *de Viris Illustribus in Fortunatiano*, dicendo, ad subscriptionem hæresis impulsum, non quidem formaliter, sed præsumptivè; non liberè, sed coactè. Vndè culpam, Sanctus Athanasius, potiùs in coactores, quàm in ipsum Liberium refudit. Poterant enim hæc duo benè separari, vt animo detestaretur Arianam hæresim, & metu in damnationem Athanasij subscriberet, habito etiam respectu nō ad Fidem eius, sed ad alia crimina, de quibus accusabatur: nullo ergo modo, hæreseos nota potest Liberius aspergi.* Hæc ille.

3007 Nec ab hac Sententia discedit EVGENIVS LOMBARDVS *lib.3.§.9. de Regali Sacerdotio*, asserit enim: * Etiam si concesserimus Formulam, cui Liberius subscripsit, hæreticam fuisse; quid denique contra sententiam nostram sequitur? Aliud est enim, hæresi subscribere, aliud hæresim docere: & quemadmodum Petrus cum CHRISTVM negavit, aut Marcellinus cum Idôlis thus incendit, non propterea ex Cathedra sententiam tulit, deciditque CHRISTVM negandum, Idôlis adolendum esse: ita nec Liberius. Nec nos Pontificem metu vinci posse, vt hæresi subscribat, & cum Hæreticis communicet, negamus: sed non posse hæresim à Cathedra Ecclesiam docere, & Fidelibus errorem, pro veritate credendam, imponere: Hoc nec Liberium, nec vllum Pontificem fecisse, facturumque, contendimus.*

3008 Respondeo tertiò: Etsi concedamus, Liberium Athanasij condemnationi subscripsisse, non indè deduci, ipsum hæreticam approbasse pravitatem, vel aliquid contra Catholicam Fidem fecisse. Vt autem id clariùs, evidentiùsque stabiliatur, operæpretium erit apponere hic facti narrationem, in quam Eminentissimi duo Cardinales BARONIUS, nempè, & BRANCATVS DE LAURÆA conspirant. Hic igitur, *loco supra laudato*, hæc scribit: * Certum est, Athanasium ab Arianis Episcopis, ad necem etiam sæpè quæsitum, sæpè ad ius vocatum, & damnatum in Concilio Tyri, deindè in Concilio Ierosolymitano, postea Constantinopolitano, vbi sententiam exilij Treveris subijt. At in Alexandriam regressus ab Eusebianis, Arianis, ad Julium Papam de hæresi accusatus, vocatus à Papa, Romam accedit, & adversarijs, per menses decem & octo, non comparentibus, iussus à Julio Confessionem suæ Fidei emittere, composuit Symbolum: *Quicumque vult salvus esse, &c.* Ideò eius agnita inocentia, maxima in existimatione fuit apud Julium. *Ex Baronio, Tom. 3. anno 339. & 340.*

3009 Et absolutus (prosequitur) Alexandriam revertitur, & ita in hac causa Julius, Præcessor Liberij, processit. Mortuo autem Julio, sedente Liberio, alia tempestas in Athanasium insurgit. *Ex Baronio anno 353.* Constantius Imperator, *ex Severo Hist. lib. 2.* expertus, quod Occidentales Catholici Episcopi, Sententiam non reciperent, quam Ariani, contra Athanasium tulerant, Edicto sancivit, vt qui in Athanasij damnationem non subscriberent in exilium pellerentur. Hanc autem Sententiam idem Constantius à Liberio subscribi, sicut ab alijs factum fuerat, totis viribus curabat; quod & posteà obtinuit.

3010 At (subdit idem) videndum quænam fuerit Sententia, & in qua materia? Legatur *Baronius Tom. 3. anno 350.* Cum post Julij absolutoriam Sententiam, Litteris Constantij, Imperantis in Occidente, ad Fratrem Constantium commendatus, honorificèque ab eo tractatus, pacificè Alexandria degeret, nollet tamen ijs, id est, Arianis, neque ad Imperatoris preces, novam Ecclesiam concedere; hi in eum infensissimi, novam calumniam ei opponunt, quod cum Maxencio Tyrano, Constantij accerrimo hoste, amicitiam coleret; imò Litteras, Athanasij nomine, ad Tyranum datas, confingunt,

gunt, vt tandem ab Alexandria extorrem facerent: Nec fine frustrati; Constantius enim in illum acerbissimè excandescens loco movit, & Episcoporum Arianorum Concilio deponit, & Gregorium infamem hominem suffecit.

3011 Hic est (prosequitur tandèm) Athanasij confictus reatus, hęc damnatio, hanc Imperator vt iustificaret, ab Orbe toto Ecclesiastico subscribi curabat, ad hanc precibus, & minis, Liberium allicere conabatur; renitentem imò, & impugnantem primo, ideòque missum in exilium; sed tandèm exilij, & angustiarum tædio victus, succubuit. En tota huius facti stropha, Liberium de iniustitia, inconstantia, & scandalo non excusamus, sed de hæresi accusari non volumus, nec possumus, cum in facto Fidem minimè læserit.* Hęc ibi.

3012 Ex hoc facto à duobus prædictis Cardinalibus relato, infertur, duplex fuisse Divo Athanasio obiectum delictum. Primum, apud Julium Papam, de hæresi: exterum cum illius accusatores, decem & octo mensium spatio, tribunal non adirent, & aliundè Pontifici Julio Catholica Fides, quam Sanctus Athanasius, suo profitebatur in Symbolo: *Quicumque vult salvus esse, &c.* innotesceret, tunc Julius Athanasij innocentiam, illis CHRISTI, *ad Adulteram*, verbis: *Nemo est qui te accusat, nec ego te condemnabo*, declaravit.

3013 Secundum, quod Athanasio obijcitur, crimen, cuiusque damnationi Liberius subscripsisse dicitur, non fuit in re ad Fidem expectante, sed ad mores, fidelitatem, obedientiamque, quam in civilibus omnes subditi, suis Principibus, ac Dominis sunt præstituri. Iuxta illud Pauli: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Ad Hebr.* 13. Nemini namque, quantũvis Ecclesiastico, licet perduellionis crimen: Cumque huiuscemodi criminis accusatus fuerit Athanasius, & in illa Synodo, Imperatoris iussu congregata, ab Episcopis convictus, & secundum allegata damnatus extiterit, exauthoratus est. Huic autem sententiæ Liberius Pontifex initio subscribere renuit, ideóq; exilio mulctatus est: At quod postea, exilij tædio victus, sententiam, damnationemque approbaverit, quid indè contra Liberij in Fide Constantiam potest deduci? Sententia namque illa, tamquam iniusta, ob falsam accusationem potest iudicari, imò & explodi; at non vt hæretica est habenda, cum neque accusatio, neque crimen, quod in illa damnatur, hæreseos fuerit, sed criminationis læsæ Maiestatis, communicationis scilicet cum Imperij Tyranno. Hæc autem criminatio, sive vera, sive falsa extiterit, nihil ad Fidem, vel contra Fidem continebat: Ergo quamvis Liberius damnationem illam, sive iustam, sive iniustam approbaverit, non indè ipsum aliquid contra Fidem effecisse deducitur.

3014 Nec ab hac nostra mente dissentit Cardinalis BELLARMINUS *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 9.* vbi asserit: *Quamvis hęc ita se habeant, non tamen Liberius, aut hæresim docuit, aut hęreticus fuit, sed solum peccavit actu externo, quemadmodum Sanctus Marcellinus. Quod hæreticus vero non fuerit docet Sanctus Athanasius *loco citato*, vbi dicit, Liberium invictum, & coactum vi tormentorum fecisse, quod fecit, nec esse censendam eius sententiam, quam minę, & terrores extorserant, sed eam quam protulit, dum liberos haberet affectus. Quod autem non docuerit hæresim, facile probari potest: nam, vt colligitur ex Athanasij verbis, & epistolis ipsius Liberij, duo mala Liberius commisit, vnum, quod subscripsit in damnationem Athanasij; alterum, quod cum Hæreticis communicavit; in neutro autem Fidem expressè violavit. Nam etsi hęretici persequebantur Athanasium causa Fidei, tamen non causam Fidei, sed crimina circa mores prætexebant; & Liberius consensit in damnationem Athanasij propter crimina illi obiecta, non propter Fidem.*

3015 Eidem sententiæ adstipulatur IODOCUS COCCIUS, *lib. 7. de Hierarchia Ecclesiæ, art. 11.* * Licet igitur (inquit) Liberius perseveravit in Fide, semper Catholicus, duo tamen mala commisit: vnũ, quod subscripsit in damnationẽ Athanasij; alterũ, quod cum Hæreticis cõmunicavit. In neutro autem, Fidẽ expresè violavit: nam, etsi Hæretici persequebantur Athanasium causa Fidei, non causam Fidei, sed crimina circa mores prętexebant. Et Liberius consensit in damnationem Athanasij, propter crimina illi obiecta, non propter Fidem. Pari ratione cum Hęreticis communicavit, quia Catholicos se fingebant: Nam in Epistolis suis, Liberius ait, se communicasse cum Episcopis Orientalibus, quia invenit eorum Fidem congruere cum Catholica, & alienam esse ab Ariana perfidia.*

3016 His adhęret Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA, *Tomo* namque

3. de

3. *de Fide, Disp. 7. art. 5. concl. 4.* ait: * Neque ex damnatione Athanasij convincitur, Liberium in hæresim incidisse. Probatur ex facti inspectione. Causa enim Athanasij, non erat causa Fidei, etsi ab ea ortum habuerit, sed erat causa morum, ac disciplinæ: Ergo licet Liberius malè sequutus sit hostium Athanasij Sententiam, eamque confirmaverit, eum à Communione separando, non tamen hæreticus, nec externè, nec internè, ex defectu obiecti hæresis.*

3017 Magister FIUME, Neapolitanus, *lib. 1. de Romano Pontifice, tract. 3. num. 83.* obiectioni, ex Athanasij damnatione desumptę, respondet: * Quod ex ea, non aliqua Fidei violatio oritur, quandoquidem estò Hæretici Ariani persequerentur Athanasium, causa Fidei, non hoc prætextu, sed aliorum criminum prętextu circa mores, eum persequebantur. Subscripsit Liberius damnationi Athanasij propter crimina illi affricata circa mores, non propter Fidem. Et sic nihil proficit adversarius.*

3018 Id itidem confirmat Cardinalis AGUIRRE *Tract. 2. de Cathedra Sancti Petri vendicata, Disp. 28. sect. 2.* vbi hæc scribit: * Etsi condemnatio Athanasij prolata fuerit ab Arianis, in odium Fidei Catholicæ, quam iste strenuè tuebatur, nihil tamen eiusmodi proferebat, sed solum crimina varia circa mores imputabantur Athanasio, hocque in ipsum Sententia proferebatur, cui Liberius subscripsit. Quare Sententia in eum lata nihil præseferebat, quod ad Fidem spectaret: ergo Liberius illam approbans, non ideò decernebat aliquid contrarium Fidei.*

3019 Nec ijs obstat quod S. HILARIUS *in libro Fragmentorum*, Sirmiensem Formulam, cui Liberius subscripsit, *perfidiam Arianorum* vocet; ob eamque subscriptionem, ipsum feriat Anathemate: * Anathema (inquit) tibi à me dictum Liberi, & socijs tuis. Iterum tibi Anathema, & tertiò prævaricator Liberi. * Ergo iuxta Hilarij sensum, & mentem, Liberius, non quidem Catholicus, sed Arianus extitit.

3020 Non, inquam, obstat: Respondetur etenim primò, obiectionem illis Hilarij verbis innixam, nullius esse roboris, cum à tanti viri maiestate abhorreant, imò opponantur ijs, quę Sanctus censuit, & docuit, facti siquidem veritati non congruunt. Et nę in re quidem gravissima, & ad Historiam pertinente, Authoritate aliqua destituti, loquamur, gravissimo Eminentissimi Cardinalis PERRONIJ vtar testimonio. Hic enim *lib. 1. cap. 27. contra Angliæ, ac magnæ Britaniæ Regem Henricum*, scribens, cum ipsi adversus Pontificem Liberium predicta verba, tamquam Hilarij propria obijcerentur, absolutè verba illa Hilarij esse inficiatur.

3021 At Illustrissimus Episcopus Pamiensis HENRICUS SPONDANUS prędicti Cardinalis sensum fusiùs probat *ad annum 357. num. 14.* * Ex quibus (inquit) planè intelliges non esse S. Hilarij, quæ in textu citatæ nuper Epistolæ Liberij ad Orientales leguntur in incerto, & omni ex parte mutilato libello de Synodo Ariminensi, sub nomine Hilarij edito. (*Apud Hilariū Fragmentorū, lib. 1.*) Vbi enim profitetur Liberius se recepisse Confessionem Sirmiensem à Demophilo Episcopo sibi oblatam, ista intexuit mira audacia, qui scripsit. *Hæc est perfidia Ariana, hoc ego notavi, non Apostata.* (Et paulò post:) *Anathema tibi dictū Liberi, & socijs tuis. Ac rursus inferius: item tibi Anathema, prævaricator Liberi.*

3022 Præter enim quòd ista (prosequitur) procul abhorrent, non dicam à modestia, sed etiam à maiestate Hilarij styli; quomodo quis fingere potest, ista ipsius esse? Quippè qui perfidiam illam Sirmiensem, non Demophili, vel alterius alicuius, superiùs nominatorum, sed Hosij, & Potamij fuisse affirmat *libro de Synodis* quam cum ipse Demophilus, vna cum alijs suis Semiarianis (nam, & hunc ex numero Semiarianorum fuisse idem Hilarius, Epiphanius, Sozomenus, & alij testantur) sit magnopere detestatus. Quis dicet, ipsam obtinuisse Liberium subscribendam, & non potiùs suam ipsorum Semiarianorum, quæ fuit prima, vt vidimus Sirmiensis nominata, quam, & Hilarius cognovit esse Catholicam? At hęc modò sufficient pro defensione conservatæ à Liberio Fidei Catholicæ apud Sirmium. * Hæc ille.

3023 Eisdem ferè verbis traditur à Cardinali BARONIO *eodem anno n. 50.* Quibus addi potest ex eodē Cardinali *num. 51. & 52.* * Procul igitur (inquit) absit, vt Hilarij esse dicamus, quæ adversus ea, quę in germanis Hilarij scriptis reperiun-

tur, pugnare noscuntur, provt ea, quæ nuper sunt dicta, tùm ex ipso Hilario, tùm Sozomeno apertè demonstrant. Procul etiam absit, vt quæ incerto Authore prodita sunt fragmenta, præferamus germanis scriptis certorum Authorum, & ipsius Hilarij, iam de falsò sibi obiecta calumnia reclamantis. Habet Cresconiana Collectio eamdem Liberij Epistolam, cum ijsdem adversus eum interpositis additamentis Anathematis, & execrationis, non tamen Hilarij nomine, sed incerto Authore proditi. Optassemus ista à Fabro nostro fuisse paulò accuratius considerata, antequam sententiam ferret, & affirmaret eiusmodi execrationes in Liberium esse ab Hilario eidem Epistolæ additas; nec rem tantam adeò facile iudicasset, sub incerta Fide mutilati omni ex parte voluminis, in quo (vt ipse testatur) vix perpaucæ paginæ sibi cohærent, vt benè ipse dicat, totum volumen illud instar fasciculi se habere, in quo res diversæ congestæ legantur, vt non vacet periculo, si absque delectu, & exacta rerum cognitione, cuncta, quę in eo sunt sub nomine Hilarij admittantur.* Hactenus Baronius.

3024 Ipse Spondanus ad marginem adnotat, certius, ac rationi conformius esse, Librum illum, qui Sancto attribuitur Hilario, in quo prędicta verba Pontifici Liberio iniuriosa, esse Hilarij Luciferiani, vt latè probat Cardinalis PERRONIVS: *Quem quidem (inquit) Libellum esse potiùs Hilarij Luciferiani; aut sanè hæc insipida additamenta non esse Hilarij Pictaviensis, multis probabilibus coniecturis disputat Cardinalis Perronius *responsione ad Regem Magnum Britaniæ lib. 1. cap. 27.**

3025 Eidem Sententiæ adhæret eruditus Pater DOMINICVS A SANCTA TRINITATE, iudicans non esse S. Hilarij prædicta verba, quę in Litteræ Textu Liberij ad Orientales leguntur in incerto, & omni ex parte mutilato Libello de Synodo Ariminensi, sub nomine Hilarij edito. Quod ijsdem fere verbis, & rationibus probat ac Illustrissimus Spondanus, *lib. 3. Bibliothecæ Theologiæ, sect. 4. cap. 17.*

3026 Nec omitti possunt, quæ appositè ad hanc rem scripsit Pater Magister ALEXANDER NATALIS, *Sæculo 4. part. 3. de Ecclesiastica Historia, diss. 31. art. 1.* Qui cum tueatur Pontificem Liberium secundæ Ariminensi Formulæ Hęreticę, non subscripsisse, sed solum primę Catholicæ, sibique opponat prędicta verba, quæ Sancto attribuuntur Hilario, respondet: * Verisimile esse, hæc verba, quibus Liberij ad Orientales Epistolæ series interturbatur (*hæc est perfidia Ariana, hoc ego notavi, non Apostata Liberius*) sequentia hęc verba, inquam, irreptitia esse, nec à S. Hilario adscripta; sicut nec sequentes Anathematismos in Liberium: Cum enim Liberius à suo lapsu surrexisset, pristinæque delevisset ignavię labem, Nicænam Fidem, adversus Ariminense Conciliabulum strenuè propugnando, vt Damasus Pontifex Maximus *in Epistola ad Illirici Episcopos* data testatur: Quæ Epistola extat *apud Theodoretum, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22.* Iniquus fuisse in Liberium S. Hilarius videretur, si ipsi Anathema, velut prævaricatori, & Apostatæ dixisset *in lib. Fragmentorum*, quem post Ariminense Concilium conscripsit.

3027 Hęc autem respõsio (prosequitur) eo probabilior evadit, quo Fragmentorũ liber, quamvis genuinus sit S. Hilarij fœtus, multis tamen est, & plerisque in locis violatus. Id cum multa probent, clarissimè evincunt verba, quæ priori Liberij Epistolæ ad Orientales sunt annexa. Hac Epistola, præfatus Pontifex Athanasium se à sua, & Ecclesiæ Romanæ Communione separasse, significat, seque Communionem Arianorum amplecti. Et tamen post illam Epistolam immediatè leguntur hæc veluti Hilarij verba: *Quid in his Litteris non Sanctitatis? Quid non ex metu Dei veniens est?* Quę vel addita esse oportet, vel extra suum locum posita, & ad aliam Epistolam, quæ fortè excidit, referenda. Quidni ergo, & illos Anathematismos, depravatrice manu additos suspicemur, quibus diris devovetur Liberius?*

3028 Ex ijs omnibus apertè deducitur nullius ponderis, ac efficaciæ esse Authoritatem illam Divo Athanasio adscriptam, contra inconcussam Liberij Pontificis in Fide Constantiam, à nobis hucvsque fusiùs propugnatam, sicque nullo nos labore defatigandos, vt prædicto argumento satisfaciamus; tùm ob ipsius inefficaciam, tùm ob ea, quæ Sanctus AVGVSTINVS *contra Donatistas*, præcipuè verò *contra Petilianum*, qui fraudulenter Marcellinum Pontificem calumniabatur, Litteris exaravit: * Quid laborem probare

de

fensionem meam, cum ille, nec renuitet pro bare conatus sit accusationem suam?*

3029 Nec vrget dicere, quod etsi nihil probet Authoritas adversus Liberiũ Pontificem relata, eo quod Hilarij esse non constet, Hieronymi tamen, idem ferè asserentis, Authoritatem nõ posse non magni momenti, aut roboris iudicari; si enim Hilarius *Arianorum perfidiam* vocat Sirmiensis Formulæ subscriptionem, S. HIERONYMUS *in Chronicis* dicit: * Quod Liberius in hæreticam pravitatem subscribens, Romam, quasi victor, intravit.* Respondemus namque S. Hieronymum hic, & alibi, per *hæreticam pravitatẽ*, nihil aliud intellexisse, quàm Liberium Pontificem approbasse, manuque sua signasse Fidei Formulam, quam Hæretici fraudulenter Sirmiensi in Synodo ediderunt, in illa omittentes nomen *Consubstantiale*, tàm acri animo à Catholicis contra Arianos in omnibus Concilijs, in quibus de Filij cum Patre *Consubstantialitate* actum est, propugnatam.

3030 In cuius confirmationem non parum faciunt ea, quæ eruditè tradit P. CHRISTIANUS LUPUS *Tom.* 5. *in Concil. Roman. in Notis Pontificatus Gregorij VII. ad Can.* 14. ita scribens: * Nec aliud vult S. Hieronymus *in Virorum Illustrium Cathalogo, ac in Eusebiani Chronici supplemento*, affirmans, Liberium hæreticæ pravitati subscripsisse, per *hæreticam pravitatem* intelligit dolosum istud symbolum; Et vt intelligatur, de quo loquitur symbolo, *in eadem pagina* 228. sequentia habet verba, Sirmiense enim symbolum, licet ambiguum, & dolosum, posse tamen in sensum Orthodoxum accipi: dixit nõ solum in sui lapsus purgatione Liberius, sed & multis demonstrat, in lib. de Synodis laudatus Hilarius, affirmans, palmare eius vitium esse, quod vocem *Consubstantiale*, tamquam ab Antiochena, adversus Paulum Samosatenum, Synodo, olim improbatã, taceat, & circunscribat. (Et infrà:) Aliud enim non fecit Liberius, quam quod dolosum, & ambidextrum Sirmiensis Synodi symbolũ, in recto sensu acceptaverit.*

3031 Nec ab istius mente discedit Eminentissimus Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA, *loco supra citato*, *num.*250. ibi enim Hieronymi Authoritati respondens, ait: * Sic dixisse Hieronymum, quia totũ, quod Arianis circa vocem *Consubstantialis* abolendam concedebatur, hæresis putabatur. (Et infrà:) Et hac de causa, dicit Hieronymus, Liberium eam subscripsisse. At secundum Catholicorum mentem, deletio vocis tantum *Consubstantialis*, & appositio vocis, *Ideptitatis naturæ*, & Filius, Deus de Deo, ante omnia sæcula, initia, & ante omne tempus existens, per omnia Patri similis, non est hæresis; sed scandalum quoddam, & irreverentia in Patres Nicænos: Putativę ergo potiùs, quàm certę, hæresi, si modo subscripsit, dicendum est, Liberium (culpabiliter tamen) subscripsisse.* Hæc ille.

3032 Appositè in huius rei confirmationem cadit, quod eruditissimus IODOCUS COCCIUS respondet, calumniari volentibus Pontificem Liberium, quod primam Fidei Formulam, in qua expressa non erat vox *Consubstantialis*, quę Filio, Nicęna in Synodo, contra Arium Statuta est, approbaverit: * Quamvis itaque Liberius (inquit) nomen *Divinæ Substantiæ* fuisset professus in Filio, tamen quod Nicęnam vocem illam *Consubstantialis* (vt tradit Sozomenus *lib.*4. *cap.* 14.) reticuisset, quidam calumniati sunt. At aliud est dicere Liberium reiecisse, ac damnasse in Filio nomen *Consubstantialitatis*, cum Patre; aliud vocem illam silentio suppressisse. Illud quidem, illum fecisset Hæreticum; istud autem nequaquam: nam dicere, Filium esse *eiusdem cum Patre substantiæ*, idem est, *ac Filium esse Patri Consubstantialem*. Cum autem Hæretici in alium sensum, *Substantiæ* vocem inflecterent, maioris ponderis esse, Patribus visum est, dicere, *Consubstantialem* Filium, quàm *eiusdem substantiæ*. Et si ob id, nequaquam Hæreticum esset dicere: *Filium eiusdem esse substantiæ*, sed maximè Catholicum: Quantumlibet eo quoque nomine subdolè, eo vsi fecissent Hæretici, quorum malitia nequaquam invertere potest legitimum, atque germanum sensum, qui natura, atque vsu ipso in vocibus inest: sicut nec ob eam causam, quod idem Hęretici abutuntur Divina Scriptura, & ex ipsa hæreses suas efformant, Catholici eadem vti vetantur.* Undè dicimus: Liberium Pontificem, nec à Fide Catholica aberrasse, nec in hæresim incidisse, estò in hoc deliquerit, quod in Formula, quam manu sua signavit, nomen, *Consubstantiale*, à Nicæna Synodo contra Arium, illiusque Sectatores, ad *vnitatem substantiæ Filij cum Patre* sta-

bilienđam statutum, omiserit, pro quo *eiusdem substantiæ*, in hoc cum Arianis consentiens, posuit. Undè estò inficiari, non possimus deliquisse Liberium, quod Nicænæ Synodo in hoc non subscripserit, imò Arianis complacuerit, ipsum tamen à Fide defecisse, nullatenùs est asserendum.

3033 Id præclarè docet Illustrissimus SPONDANUS *vbi suprà num.* 13. sic scribens: * Cæterum, quamvis in ijs eum deliquisse, inficiari nemo possit; tamen à Fide Catholica defecisse, aut in hæresim incidisse, nullus vmquàm probavit. Longè enim aliud est dicere, Liberium damnasse *Consustantialitatem*, aliud vocem illam silentio suppressisse: nam asseverando *Filium eiusdem esse cum Patre substantiæ*, idem est, ac si professus esset *Consubstantialitatem*.*

3034 Præclarè nostram comprobat Sententiam AVGVSTINUS, dum *Epist.* 174. agens contra Pacentium, Arianæ hæreseos labè infectum, sæpè pollicetur, se ipsius Fidei subscripturum, si nihil invenerit in ea, quod Catholicæ Veritati adversaretur, etiam si nomen *Consubstantialis*, minimè profiteretur: Ergo quod Liberius *Consustantialitatis* vocem, in prædicta prima Sirmiensi Formula omisserit, non indè inferri licet, si Augustini Doctrina tuenda est, ipsum aliquid contra Fidem, vel non Catholicum subscripsisse.

3035 Et quidem Catholicam esse subscriptionem, & prædictam Formulam, in qua, quamvis, *Consubstantiale*, nomen omittatur, at Filium *eiusdem cum Patre substantiæ* esse, exprimitur, haud leviter suaderi potest ex eo, quod illa eadem Potestate cum Aetius in Syria Hæresiarcha, & Photinus in Illirico Divinitatem à Filio Dei penitùs reiecissent, Eleusium, ac Socios eius, qui professi essent Sirmij *vnam Filij cum Patre substantiam*, in hoc habitos esse à nostris, Catholicos, testatur HILARIUS *citato lib. de Synodis*, dum ait: * Præter Eleusium, & paucos cum eo, ex maiori parte Arianos Episcopos verè Deum nescijse; idque Eleusius à Sozomeno *lib.* 4. *cap.* 14. qui inter illos recensetur, qui Liberio ob pacem Ecclesiarum persuaserit, vocem, *Consubstantialis*, prætermittere, quo in eamdem Fidem convenientes adversus Photinianos, & Aetianos, bellum gererent; quibus tamen sic Liberius ex dictis assensus est, vt quo, *substantiæ* nomini benè consultum esset, Ecclesia, inquit idem Sozomenus, interdixerit omnibus, qui Filium Patri non *substantia*, & cęteris rebus omnibus, similem asseverarent.*

3036 Vndè etiam VIGILIUS, Episcopus Tridentinus, *lib.* 5. *adversus Entichetem*, eamdem Sirmiensem Synodum, in qua omissum fuit nomen *Consubstantiale*, ita novit esse Catholicam, quod eius decretis obniti, nihil aliud esse dixit, quàm velle cum Photino damnari.

3037 Tandèm nullus hucvsquè Catholicus, Sanctum Athanasium, vt non Catholicum agnovit, imò quotquot Orthodoxi existunt, illum tamquam acerrimum Fidei contra Arianos propugnatorem, Virumque, qui sese maiori virtute, ac animi robore, *Consustantialitatem* negantibus, præcipuè verò Arianæ hæresi, illam in Filio inficianti, opposuit, venerati sunt; nihilominùs tamen hæreseos apud Julium II. ab Arianis accusatus est; acusatoribus autem decem & octo mensium spatio tribunal non adeuntibus, iussit illi Pontifex, vt, quam profitebatur Fidem, exprimeret. Tuncque Athanasius, *Symbolum Athanasij* dictum, vt cum BARONIO retulimus, composuit; quod quidem symbolum aliud non est, quàm Fidei formula Arianis penitùs opposita, & ea ipsa tempestate, qua magis Ariana vigebat perfidia, edita; in hoc autem Symbolo, estò Filij cum Patre in *substantia* vnitatem confiteatur, dicens: * *Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, neque cõfundentes personas, neque substantiam separantes, &c.** Nihilominùs tamen *Consubstantialitatis* Filij nomen expresè non posuit, imò omissit; & quamvis prædictę Fidei Formulæ subscripserit, illaque suam coram Pontifice professus fuerit Fidem, nullus tamen vmquàm Catholicus, illi hæreseos notam, quod *Consubstantialitatis* vocem omiserit, incessit, nec ipsum calumniatus est, quasi hæreticam approbaverit pravitatem: ergo ex eo quod Liberius in Sirmiensi Formula, quam contra Photinum istiusque sequaces signavit, ac approbavit, *Consubstantialitatis* Filij vocem silentio prætererit, non indè, nisi per detestandam calumniam, deduci potest, ipsum pravitati hæreticæ subscripsisse.

A

§. III.

A TERTIA IMPOSTVRA vindicatur Liberius.

3038 Tertium, quod Liberio opponitur, crimen est, ipsum Arianis apertè Catholicæ Fidei hostibus, communicasse. Ut autem faciliùs crimen istud diluamus, prę notandum est: dupliciter posse aliquem Hęreticis communicare; æquissimo nempè, aut invito, reluctantique animo; vel vt clariùs loquar, spontè, aut invitè. Primum quidem illicitum est, ac prohibitum, non verò secundum; omni namque tempore, à nascentis Ecclesię primordijs, ad hanc vsque diem, Catholici cum Infidelibus, necessitate quadam cogente permixti fuere, præcipuè verò in terris, ac ditionibus, in quibus Imperatores, & Reges nec Sacro Fonte lustrati, nec Divinis sunt initiati Mysterijs. Hoc permaximè sub CHRISTO, & Apostolis evenit; tunc namque temporis, temporale dominium apud Infideles Principes vigebat, in quorum Regnis, ac ditionibus Fideles Infidelibus permixti degebant, quin Christianæ Religionis cultoribus, cum Christiani nominis hostibus prohibita esset societas, & consuetudo; pariter ergo quotiescumque necessitas Fideles coëgit, nè ab Infidelium possent commercio discedere, licuit Catholicis terras Infidelium dominio subiectas, cum Infidelibus ipsis incolere, & ipsis communicare: In ijs namque casibus numquam Ecclesia consuetudinem Fidelium cum Infidelibus, tamquam illicitam damnavit: imò Ecclesia, non modò illam non prohibet communicationem, sed potiùs ad Regiones Sinarum, Japoniæ, cæteraque Orientalium, Occidentaliumque Indiarum Regna, in quibus Infideles dominantur; ad Asiam etiam, Africam, Persarumque Regna, ac Regiones, in Turcæ Potestatem redactas, Apostolicos Viros assiduè mittit, vt sua virtute, Doctrina, ac exemplo, non solum innumerabiles CHRISTI Fideles, qui necessitate quadam compulsi cum Infidelibus permixti sunt, ac sub illorum potentia, ac imperio gemunt, in Fide retineant; sed etiam illorum Christiano, Apostolicoque Zelo vberior Christianę Religionis, ac Fidei propagatio fiat.

3039 Et vt propriùs accedam, in Germania, Anglia, Hollandia, & Gallia innumeri Hęretici Catholicis permixti sunt, quin hisce Fidelibus Ecclesia civilem consuetudinem, Communionemque prohibeat.

3040 Quod ab Ecclesia Fidelibus interdicitur, est, ipsos Infidelibus, sive Ethnici sint, sive Hæretici, aut Schismatici, in rebus Fidei, & Religioni oppositis communicare, ac assentiri. Hoc autem ita certum est, vt supervacaneum sit diutiùs in re, apud omnes certissima, immorari.

3041 His igitur prænotatis. Pro CONCLUSIONE STATUIMUS: *Pontificem Liberium Sirmiensi in Synodo Episcopis Arianis communicasse communis est Authorum, quos hucusque laudavimus, consensus; at ipsum in hoc ab illis finibus, quos Christiana Pietas, ac Religio definit, non resilijsse.* Multiplici suadetur ratione. Primò: Quia vt hucusque probavimus, communicare cum Hæreticis, quando vrgens causæ necessitas exigit, imò cogit, semper ab Ecclesia permissum, nec vllo vmquam tempore prohibitum est: Constantius autem Imperator, à quo Liberius iniustissimè relegatus est, Arianus erat, Episcopi etiam, qui ad Sirmiensem Synodum confluxerunt, Arianæ hęreseos labe inficiebantur: cum ergo Liberius, non nisi Imperatore ipsum, vt cum Arianis communicaret vrgente, id exilij tædio victus, vt iudicat HIERONYMUS, præstiterit, vel mortis metu compulsus, vt Sanctus arbitratur ATHANASIUS, effecerit, licitè, certè, & absque vlla prorsus noxa cum Arianis Episcopis communicasse, iudicandum est.

3042 Secundò: Quia communicatio illicita, & ab Ecclesia præcipuè prohibita, est in rebus Fidei, ac Religioni Catholicę oppositis: hanc autem Liberius Sirmiensi in Synodo cum Arianis non habuit: in illa namque Synodo Ariani Episcopi, & Imperator Constantius ægrè ferentes se à Catholicis Hæreticos appellari (vt *ad annum* 357. BARONIUS, & SPONDANUS testantur) bonam suæ Fidei existimationem apud Catholicos facere, seseque tamquam veros Catholicæ Religionis Cultores commendare voluerunt: quapropter Concilium illud congregarunt, vt de Photini Hæretici, Divinitatem in Dei Filio denegantis, condemnatione, ac depositione ageretur; quod & re vera, prædicti Ariani Episcopi præstitere, ipsum damnantes,

res, qui iam aliàs à Catholicis multoties fuerat condemnatus, tùm Sardicensi in Synodo, vt refert S. EPIPHANIVS *Hæresi* 71. tùm in Mediolanensi I. vt S. HILARIVS *in Fragmentis* testatur.

3043 Cum igitur Hæresum condemnatio, Pastoralis Officij, quo Summi funguntur Pontifices, proprijssima sit, semperque in illa versati fuerint omnes Petri Successores, imò Christianus, Apostolicusque eorum Zelus in conservatione Fidei, Hæresumque extirpatione, non sine magno Fidelium plausu enituerit; nulla adest ratio, qua culpa aliqua imponatur Liberio, quod primam Sirmiensis Fidei Formulam, in qua *Idemptitas* Filij Dei *in substantia* cum Patre, contra Photinum, qui illam inficiabatur, ipsumque solum hominem, ac puram confitebatur creaturam, statuitur, approbaverit.

3044 Preterea: Quia convenire cum Hereticis in ijs, in quibus Hæretici non sunt, sed Catholicè sentiunt, numquàm est ab Ecclesia prohibitum, imò nec prohibitionis est capax: Hoc namque adest Hereticos inter, & Apostatas discrimen, quod Apostatæ omnes Fidei Articulos, quos Sancta confitetur Ecclesia, inficiantur; Hæretici verò, vnum, alterumvè Fidei denegant Articulum: Sic Hereticorum, aliqui, solum veram CHRISTI in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento præsentiam; alij Purgatorium; alij Romano Pontifici abnegant obedientiam, &c. At si singulares ij, ac privati errores, in quibus à Catholica seiunguntur Ecclesia, auferantur, Catholicè certè de cæteris Fidei sentiunt Articulis: in ijs ergo, quæ Catholicè tenent, cum illis convenire, ac cum ipsis communicare prohibitum non est, imò nec prohibitione dignum. An quia Hereticorum plures, Trinitatis, & Incarnationis confitentur Mysteria, ac CHRISTI DOMINI Passionem, mortem, Resurrectionemque tuentur, licitum nobis non erit in ijs cum illis convenire, ijsque assentiri Mysterijs? Quis tale vmquam dixit? Non nè vt Hæreticus damnaretur, qui Mysteria, quæ Heterodoxi Catholicè tenent, inficiaretur? An quia Aristoteles, qui Ethnicus extitit, & Evangelica luce destitutus, vnum Deum agnovit, fas nobis erit hunc vnius Dei Articulum denegare, contra ea, quæ in primis Symboli continentur verbis: *Credo in vnum Deum*? Ergo estò Liberius Pontifex cum Arianis communicaverit, ac cum illis in damnanda Photini blasphemia convenerit, illisque in hoc fuerit assentitus, non ideò culpa aliqua notandus est, nec huiusmodi communicatio vitio est illi vertenda, maximè cum in hanc eamdem communicationem, ac Photini damnationem, duo Catholicorum cõspiraverint Concilia, Sardicense scilicet, ac Mediolanense.

3045 Nec obstat dicere, Liberium cum Arianis convenisse in predicta Fidei Formula, in qua Filij cum Patre *Consubstantialitas*, quam Arius, istiusque sequaces denegabant, omittebatur. Nihil enim officit, estò enim *Consubstantialitatis* vox omissa fuerit, adhibita tamen in illa Formula fuit *idemptitas substantiæ*, quæ iuxta Catholicorum sensum, idem quod *Consubstantialitas*, significat, ac Arij, istiusque sequacium Hæresi directè, iuxta Catholicos omnes, opponitur: Dicere autem Filium esse idem *in substantia* cum Patre, tamquàm Catholicum à toto Christiano Orbe admittitur, sicut oppositum tamquàm Hæreticum eliminatur. Hinc non dubito haccè ratione permotos fuisse S. EPIPHANIVM, & S. HILARIVM, *locis supra laudatis*, vt prædictam Fidei Formulam, ceu Catholicam iudicarent, & in Catholico sensu exponerent.

3046 Liberius autem Pontifex ideò cum Arianis communicavit, quia prædictam Fidei Formulam, veritati Catholicę consonam iudicavit, vt ex ipsius *Epistola*, quam *ad Orientales Episcopos* scripsit, lucet. Ibi enim, inter alia, hæc habet: *Dico me pacẽ cum omnibus vobis, & cum vniversis Episcopis Orientalibus, seu per vniversas Provincias pacem, & vnanimitatem habere. Nam, vt veriùs sciatis, me vera Fide, per hanc Epistolam ea loqui, Dominus meus, & frater communis Demophilus, qui dignatus est, pro sua benevolentia, Fidem veram, & Catholicam exponere, quę Sirmiũ à pluribus Fratribus, atque Coëpiscopis nostris tractata, exposita, & suscepta est ::: Hanc enim libenti animo suscepi, in nullo contradixi, &c.* Hæc ille. Ergo Liberio culpæ verti non debet, quod Sirmiensi in Synodo cum Arianis Episcopis, in ijs, quæ Catholicè sentiebant, communicaverit.

3047 Si autem dicas, Liberium in prædicta Sirmiensi Synodo præter Fidei Formulam, Athanasij etiam damnationem ab Aria-

Aria-

Arianis, in odium Fidei editam approbasse, nihil ista contra nos vrgent; nam, vt hucvsque probavimus, prædicta Formula, & condemnatio, nihil, quod Fidei adversetur, continent: vndè, absque vllo prorsus Fidei præiudicio, potuit in hoc Liberius cum Arianis communicare, vt rectè sentit DOMINICUS A SANCTA TRINITATE, *suprà laudatus*, vbi hęc scribit: *Sicut enim Liberius communicando cum Hæreticis in ijs rebus, in quibus Hæretici non erant, aut saltem Catholicos se esse fingebant, vt vidimus, & ipsemet Liberius ait *in Epistolis suis* se communicasse cum Episcopis Orientalibus, quia invenit eorum Fidem congruere cum Catholica, & alienam esse ab Ariana perfidia: Sicut, inquam, propterea à nullo prudente Viro iudicari debet expressè Hæreticus, ita nec ob subscriptionem in damnationem Athanasij; Nam etsi Hæretici persequerentur Athanasium causa Fidei, tamen non causam Fidei, sed alia crimina circa mores prętexebant, & Liberius propter illa consensit in damnationem Athanasij, non autem propter Fidem.*

3048 Iis consonant ea, quæ Illustrissimus Episcopus IGNATIUS FIUME *lib. 1. de Romano Pontific.* scripsit, dicens: *Duo enim Liberio objiciuntur: vnum, quod cum Hæreticis communicavit; alterum, quod in damnationem Athanasij subscripsit. Ex primo, nullam in Liberio Fidei iacturam, aut violationem deprehendimus; nam cum Ariani illi fingerent se esse Catholicos, Liberius bona Fide cum illis communicavit. Ait enim ipse *in suis Epistolis*; se communicasse cum Episcopis Orientalibus, quia invenit eorum Fidem congruere cum Catholica, & ab Ariana perfidia alienam. Quin, & antequàm Sirmio discederet confessione edita, Arianos, qui Filium *Consubstantialem* Patri negabant, excommunicavit. (Ex Nicephoro, & Sozomeno, *locis citatis*.)

3049 Sed neque ex secundo (prosequitur idem) aliqua Fidei violatio oritur; quandoquidem estò Hæretici Ariani persequerentur Athanasium causa Fidei, sed prętextu aliorum criminum circa mores, eum persequebantur; subscripsit Liberius damnationi Athanasij propter crimina illi applicata circa mores, non propter Fidem.*

3050 Eò respicit id, quod rectissimè adnotavit Eminentissimus Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA, *loco iam citato*, vbi cum sibi objicisset: *Liberius cum Arianis communicavit, & hac de causa è Pontificatu decidit.* Respondet negans eum communicasse in doctrina, sed solum in alijs negotijs, & iudicijs, dicens: *Patuit enim quod se Vrsatio, & cæteris Hæreticis commendavit, vt dignarentur clementissimo Imperatori pergere, & petere, vt eum ad Ecclesiam, divinitùs sibi creditam, iuberet reverti. Communicavit etiam, in Athanasij damnationem subscribens. At constanter tenuit *Æqualitatem Filij cum Patre* in omnibus; & per omnia. (Et infrà:) Ex quibus evidenter constat, quod quamvis debilis, & pusillanimis extiterit Liberius, & Apostolico robore, vt par erat, non restiterit Hæreticis, numquam tamen hæresim, nec internè, quia nequit probari; nequè externè, quia facta id non concludunt, defendere visus est: Ergo ab hac labe immunis etiam Liberius.* Hæc ille.

3051 Hucusque Liberium Pontificem à tribus pręcipuis vindicavimus accusationibus: statuimus namque primò, eum hæresi non subscripsisse. Secundò, nec hæreticam pravitatem, in Athanasij condemnatione approbasse. Tertiò, nec aliquid contra Fidem incurrisse, eo quod Sirmiensi in Synodo cum Hæreticis in condemnatione contra Photinum communicaverit, etiamsi *Consubstantialitatis* vocem omiserit, ac Athanasij consenserit damnationi.

§. IV.

AN SINT VERA IUDICANDA, quæ de Liberio dixit Hieronymus.

3052 IN ijs omnibus, quæ hucvsque pro Liberio diximus, communem Authorum, qui Pontificem Liberium tuentur, sequuti sumus Sententiam, ac ea, quę Sanctus HILARIUS, Sanctusque HIERONYMUS de Liberio scripserunt, vera esse admittentes, Sanctissimos hosce Viros ea sanè veneratione, quàm magna illorum in Ecclesia promeretur Authoritas, sumus interpretati. At hìc non de Fidei, sed de facti rebus, historialibusque loquimur gestis, in quibus ipsos, etsi eximia prædıtos Sanctitate, à veritatis potuisse tramite deviare, suadent, tùm contentiosæ illæ controversiæ Augustinum inter, & Hieronymum, de quibus cum de Petri negatione ageremus, loquuti fuimus, Augu-

sti-

ssimo Hieronymum illa in re deceptum fuisse arbitrante: Hieronymo verò Sanctum Ambrosium in errorum scopulos impegisse, cum dixit, à Petro, non Deum, sed hominem illis fuisse negatum verbis: *Non novi hominem*, existimante; tùm Cypriani lapsus, qui estò Doctrina pariter, & Sanctitate floreret, nihilominùs tamen à Catholicæ veritatis tramite recessit, cum Hæreticos ad Fidem conversos rebaptizandos esse arbitratus est, quin error iste Sanctitatis illi gloriam, vel Martyrij abstulerit coronam.

3053 Hinc nos Sancti Hieronymi, Sanctique Hilarij Authoritates, quibus maior sententiæ Liberium in Fide defecisse existimantis, nititur Authoritas, vt par est, venerantes illos, æquissima lance trutinandas suscipimus; Authores namque omnes quotquot post Hieronymum scripserunt, non alio examine, ac fundamento, nisi illo quod ex Hieronymi, Hilarijque verbis deducitur, Liberium in Fidei Constantia defecisse, arbitrati sunt: Cumque istud scelus gravissimum sit omnium, quæ Catholico cuilibet imponi possint, vt censet DIVUS THOMAS eiusque gravitas eo maior sit, quo maior in illud incidentis fuerit dignitas: Pontificia autem sublimitas maior sit omnium, quæ in Ecclesia agnoscuntur, Summumque Pontificem, tamquam Fidei, ac Christianæ Religionis Patrem, Sacris Canonibus, Concilijsque attestantibus, veneremur, ipsique præcipuum defendendæ Fidei, Hæresis extirpandæ, ac illius potiùs execrandæ, munus incumbat, res certè summo esset dolore dignissima, Pontificem tantæ Sanctitatis, & virtutis, vt suprà probavimus, & in quo tantus Fidei, ac Christianę Religionis zelus exarsit, vti Liberium, tàm gravi, tàm enormi, tamque Pontificiæ dignitatis indignissimo crimine sine gravi, & certo fundamento incusare.

3054 Et cum omnis huius sceleris probatio, præcipuè Hilarij, Hieronymique testimonijs innitatur, Hilarijque verba nihil contra nos vrgeant, cum illius esse non constet, vt latè suprà probavimus; vnicè iam tota ratio, ac fundamentum Hæreseos crimen Liberio adscribendi, ad Hieronymi verba devolvitur. HIERONYMUS igitur, *in Chronicis*, hæc scribit: *Liberius tædio victus exilij, in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit.* Et *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Fortunatiano*: *In hoc (inquit) habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ Vrbis Episcopum ad exilium pergentem primus solicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Ex his duabus Authoritatibus Scriptores, Hieronymo posteriores, inferunt Liberium exilio defessum, vt ab illius molestijs revocaretur, ac Apostolicæ Sedi restitueretur; Constantio Imperatori Arianę hæreseos labe infecto, gessisse morem, ipsique, non sine dedecore adhæsisse; quod & ex alijs eiusdem Hieronymi verbis deducunt, *libro* namque *de Romano Pontifice*, hæc scribit: *De eodem Liberio scriptum legitur, quod consensit Constantio hæretico, communicavitque cum Hæreticis, extra tamen secundum Baptisma.*

3055 Hæc fuit Illustrissimi SPONDANI mens, *in continuatione Baronij ad annum* 357. vbi de Liberio loquens *num.* 11. dicit: *Se desiderio redeundi Romam, & Athanasij damnationi consensisse, & Fidem Sirmij conscriptam approbasse, ac pacem cum omnibus Orientalibus Episcopis iniisse.*

3056 Idem tenet P. IOANNES CABASUTIUS *in notitia Conciliorum*, dicens: *Athanasij condemnationi subscripsit infeliciter Liberius Papa, qui Sirmij tunc exulabat pro Catholica Fide, desiderio succumbens repetendæ pristinæ Sedis, & ex eadem, ęmulum suum Fœlicem secundũ Papam, eijciendi.* Hæc ille. At cum pręcipuus Historię scopus sit veritas facti, verisimilioresque enarrare eventus. PRO CONCLUSIONE STATUIMUS: *Certum non esse, quod refert Hieronymus, Pontificem, nempè, Liberium, exilij tædio victum, Hæreticæ pravitate subscripsisse.*

3057 Hoc autem ex hisce non spernendis rationibus constabit. Primò: Quia RUFFINUS, singularis Doctrinę Vir, ac Divo Hieronymo coætaneus (cum inter vtrumque magnæ, ac oppositę exortæ fuerint controversiæ, quas non vacat hic enarrare) *lib. 1. cap. 27. suæ Historiæ*, huius facinoris veritate ad trutinam revocata, ac diligenter discussa, affirmat, se non potuisse certò cognoscere, an Liberius tatem fecisset subscriptionem.

3058 Secundò: Quia Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA *Tom. 2. suprà citato, Disp. 7. art. 5. §. 5.* prædictam subscriptionem etiam revocat in dubium; arbitraturque, estò Liberius subscripserit

Sir-

Sirmiensi Formulę, non tamen esse id hæresi adscribendum, sed irreverentiæ potiùs erga Nicænos Patres, qui vt Divinitatem in CHRISTO, *æqualitatemque substantiæ Filij cum Patre* explicarent, *Consubstantialitatis* voce vsi fuerunt, quę in Formula, cui Liberius subscripsisse dicitur, omissa est: * Hoc igitur (Doctissimus, inquit Cardinalis) hęresis non est, sed scandalum quoddam, & irreverentia in Patres Nicęnos. Putativæ ergo potiùs, quàm certæ hæresi, si modò subscripsit, dicendum est Liberium (culpabiliter tamen) subscripsisse.*

3059 Tertiò: Quia Hieronymi verba, si attentè perpendantur, haud facilè cum facti veritate cohęrent, imò sibi ipsis videntur opponi: *In Chronicis* namque asserit: Liberium exilij tædio victum, Arianæ hæresi subscripsisse; hoc autem exilium alij ad duos, alij ad tres protrahunt annos; at *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*, de Fortunatiano loquens, asserit: * In hoc haberi detestabilem, quod Liberium Romanæ Vrbis Episcopum ad exilium pergentem primus sollicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Ex his duabus Athoritatibus hæc dubitandi ratio suboritur. Nihil Imperatori, cęterisque Arianis optatiùs contingere poterat, quàm Arianæ Fidei Formulam, Sirmiensi in Synodo editam, Athanasijque damnationem, in ipso Concilio promulgatam, à Liberio Pontifice approbari, quod quia Liberius constanter renuit, exilio multatus est: ergo si verum esset quod Hieronymus de Fortunatiano commemorat, ipsum nempè fuisse primum, qui Liberium, cum ad exilium pergeret, sollicitavit, ac fregit, vt Arianæ hęresi subscriberet, tota iam exilij caussa quiescebat; tunc enim quidquid Imperatori, Arianisque in optatis erat, effecisset Liberius, Arianique ipse præcipui, efficacioresque Arianorum apud Imperatorem deprecatores extitissent, nè exilio multasset illum, qui Arianæ hęresi adeò subscriptione sua patrocinabatur, eamque commendabilem valdè approbatione sua reddebat. Hoc autem ita proculdubiò evenisset, si ea, quæ Hieronymus refert, ita inter se, veritatique congruerent.

3060 Quartò: Quia ea, quæ Hieronymus *in Fortunatiano* scribit, Liberium, nempè ad exilium pergentem subscripsisse, cohærere non possunt cum ijs, quæ ipse *in Chronicis* refert, prędictum, scilicet, Liberium longioris exilij molestijs ad subscriptionem fuisse commotum; Authores enim, qui exilij tempori minus tribuunt, duos adscribunt annos, ideòque ait Hieronymus: Liberius tędio victus exilij, &c. Cuius exilij molestias non ob aliud pertulit Liberius, nisi quia Arianæ Fidei Formulæ, Athanasijque damnationi subscribere renuebat. Ex quibus sic arguitur: Si Liberius longum passus est exilium; quia subscribere noluit: non ergo subsistere potest, quod Hieronymus asseverat, Liberium cum ad exilium pergeret, subscripsisse: Si autem verum est secundum, ipsum nempè, cum ad exilium pergeret, subscripsisse: ergo nec longum passus est exilium, nè subscriberet, nec verum est id, quod Hieronymus ipse asserit *in Chronicis*, Liberium, nempe tædio victum exilij, subscripsisse; nullus namque Authorum, non Catholicorum modo, sed nec Hæreticorum quidem, duas Arianæ hæresis subscriptiones Pontifici Liberio adscribit, alteram, nempè antè, alteram verò post longum exilium: Undè difficile cuilibet erit, duas illas Authoritates, ita inter se discrepantes, ad concordiam revocare, cum vna tantummodò sit subscriptio, impossibileque sit, eamdem omninò subscriptionem duobus post exilium effici annis, cum iam ante exilium factam fuisse, adstruatur.

3061 Quintò: Quia Hieronymo non ita certum est id, quod Authores iactitant, vt interpretari non possimus, quidquid ille de hac re dixit, non è propria, sed ex aliena dixisse sententia; estò enim id illis non expresserit verbis, expressit tamen *libro de Romano Pontifice*, vbi ait: * De eodem Liberio scriptum legitur, quod consensit Constantio Hęretico, communicavitque cum Hæreticis, extra tamen secundum Baptisma.* Ex quibus verbis clarissimè innotescit, Hieronymum, si in hac Authoritate de eodem Liberio loquens, idipsum, quod in alijs dixerat locis, Arianæ nempè hęresi adhæsisse, hanc sui dicti rationem afferre, *quia* nempè, *scriptum legitur*: in quo sensu alię etiam exponendę sunt eiusdem Sancti Authoritates, vt intelligatur Hieronymum ideò id retulisse, quia sic alios apud Authores scriptum reperit: id autem quod Authores, estò eximia prædicti Sanctitate, ex aliena scribunt, vel referunt Sententia, numquam ipsis, vt proprium adscribitur,

Vndè tantam promeretur fidem hoc Divi Hieronymi dictum, quantam author, vel Authores apud quos id reperit scriptum: si ergo id Hieronymus apud Chronicum aliquem, vel Historicum, lethali Arianæ hæreseos veneno afflatum legit (qualis fuit Eusebius, quem *in Historicis* frequentèr citat, & sequitur) iam ob exceptionem, suspicionem, ac Religionis Catholicę odium, minor ipsi deberetur fides: Arianum autem, aut Fidei hostem fuisse illum, à quo id accepit Hieronymus, verosimilius, & credibilius est, cum illum in re adeo gravi, vt ea nihil possit esse gravius, non nominet.

3062 Sextò suadetur, Hieronymum, id non ex propria, sed ex aliena dixisse sentētia: Non enim verisimile est, Sanctum, Veritatis amicissimum, egregium Fidei, & veritatis cultorem, ac omnibus scientiarum instrumentis ornatum, & disciplinarum ornamentis instructum è propria dixisse sententia id, quod facti veritati valdè repugnat, prout referunt graviores, maioresque apud antiquitatem fidei Historici, illisque temporibus viciniores; vti sunt AMMIANVS MARCELLINVS, SOCRATES, SEVERVS SVLPITIVS, SOZOMENVS, & THEODORETVS, quorum nullus, cum peculiariter de hoc eodem Liberij Pontificis facto loquitur, huiuscemodi causæ meminit, quod nempè tædio victus exilij, subscripserit, & ob desiderium, quo ad Apostolicam Sedem restitui, exoptabat, illius in Fide superatam fuisse Constantiam, & ad Arianæ Hæreseos subscriptionem compulsam: imò prędicti Authores adeò ab hoc dissident sensu, vt vno ore fateantur omnes, Liberium Pontificem, non modo illud ob Fidem pertulisse exilium, sed in illo etiam subscriptioni, quam Ariani, Arianusque Imperator ab illo extorquere conabatur, infracto semper animo restitisse; Imperatorem autem, illius cognita Constantia, si illum ab exilio revocavit, vt re vera præstitit, non ea, quæ communiter dicitur, sed alia, quam supra laudati, referunt Authores, permotum fuisse ratione: quia nempè id vehementer ab Imperatore, Romanus efflagitabat populus, ægrè ferens, se tandiù privari Pastore, & Prælato, ea Sanctitate, eaque in Fide Constantia prędito, quique tot pro Fide acerbissimos subierat labores, longumque tunc sustinebat exilium: hę geminatæ contentiones, iteratæque preces, metus etiam nè Populus, tot lacessitus iniurijs, magis concitaretur, luxque tandem, qua Imperator falsam Arianorum agnovit calumniam, qui cum præclarum illum Fidei propugnatorem Hosium Hispanum de pręclara illa in Fide Constantia tormentorum vi deturbassent, falsò etiam in vulgus ediderant *Consubstantialitatem Filij cum Patre* à Liberio Pontifice fuisse denegatam, quod falsissimum esse clarissimè in Sirmio agnoverat Imperator, ostendentibus illi Occidentalibus Episcopis Populi Romani Legatis Fidem, quam Liberius ab Ariana prorsus Hęresi alienam, manu sua subscriptam profitebatur; hęc, inquam, omnia Imperatorem induxerunt, vt Populi, Clerique Romani precibus, quibus suum legitimum deposcebant Pastorem, annueret, Sanctissimumque Pontificem exilij vinculis expeditum, Apostolicę Sedi restitueret, ac in pristinam eveheret Dignitatem. Vt autem hæc quæ diximus vera esse clariùs pateat, quid prælaudati Authores dicant, audiamus.

3063 Accedat primus AMMIANVS, MARCELLINVS qui *lib.* 15. hæc scribit: *Athanasium Episcopum apud Alexandriam Synodus removit à Sacramento, quod obtinebat. Hunc per *subscriptionem* abijcere Sede Sacerdotali paria sentiens cæteris, iubente Principe, Liberius monitus perseveranter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimum sæpè exclamans, apertè, scilicet, recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim Constantius Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen Authoritate, qua potiores æternæ Vrbis Episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægrè Populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio, potuit asportari, & hæc quidem Romæ, &c.*

3064 Ex hac Authoritate duo tantummodò nobis innotescunt; innotescit namque primò, præclara illa Virtus, infractaque Constantia, qua Liberius, Imperatoris, Arianorumque Episcoporum, qui iniustè Sanctum condemnaverant Athanasium, importunis restitit precibus. Innotescit etiam secundò, necessariam fuisse noctis cautionem, vt tantus Pontifex Roma educeretur, ac in exilium asportaretur, nè amor, quo illum Clerus, Populusque Romanus, ob pręclaram illius Sanctitatem, ac invincibilem in tuenda

da Fide Constantiam prosequebatur, aliquam seditionem conflaret.

3065 At expressiùs rem istam enarrat SOCRATES referens non solum exilium, sed rationem etiam, qua adductus fuit Imperator, vt Liberium Apostolicæ Sedi restitueret; rationemque illam, non subscriptionem, sed aliam, subscriptioni oppositam fuisse, his commemorat verbis *lib. 2. cap. 29.* *Constantius Vrsacio præcepit, vt qui non subscriberent Formulę Fidei, quæ in Ariminensi Concilio perlegebatur, ab Ecclesijs expellerentur. Principio igitur Liberius Episcopus Romanus, simul ac se illi Fidei assentire denegaverat, ab Vrsacio in exilium eiectus est. (Et infrà:) Liberius autem non multo post, ab exilio revocatus, Sedem Episcopatus propterea recuperavit, quod Populus Romanus, seditione conflata, Felicem Ecclesia illa eiecerat, Imperatorq; ipse invito animo illis consenserat.* Nec clariùs, nec ad rem nostram aptiùs eloqui potuit. Si enim Imperator Liberium, vt Athanasij damnationi subscriberet, vrgebat: & quia id constanter renuit, ipsum exilio dedit; postea verò Imperator ipse illum invito animo Apostolicæ Sedi restituit, quia enixè efflagitabat Romanus Populus, Pastoris sui absentia æquissimè commotus: Ergo Liberius non ideò, quia morem gessit Imperatori, ipsique annuit, sed quia Romanus Populus efflagitabat, Apostolicæ Sedi restitutus est; nam si Arianæ Fidei Formulæ, Sanctique Athanasij damnationi subscripsisset, nullatenus invito Imperatoris animo esset restitutus, cum nihil magis in votis esset Imperatori, quam quod Liberius Pontifex prædictàm in Athanasium Sententiam confirmaret.

3066 Nec ab hac dissentit Sententia Magnus ille THEODORETUS, *lib.* namque 2. *cap.* 16. sic scribit: *Liberius à Constantio accersitus, vt contra Athanasium subscriberet: Ego, inquit Liberius, æquum sentio, vt primùm generalis proponatur Episcoporum subscriptio, qua Fides in Concilio Nicæno exposita confirmetur. Deindè vt Fratribus nostris ab exilio revocatis, & ad suas ipsorum Sedes restitutis, si isti, qui nunc tumultum cient, Fidei Apostolicæ assentire comperiantur, tunc omnes contendamus Alexandriam, vbi reus, vbi accusatores, & causæ eorum patronus sunt atque litigantium causa diligenter cognita, Sententiam de ea pariter feramus. Cui Constantius tandem ait: Si consilium Liberius non mutet, exulet velim, vsque Beroeam Thraciæ.*

3067 Ipse Theodoretus *cap.* 17. loquens de Pontificis Liberij restitutione, ac de causa, quę Imperatorem, vt illum restitueret, impulit, ait: *Præstantes illę fœminæ, Virorum audito consilio, splendidè, vt solent, & magnificè accedunt ad Imperatorem, vt eas ex vestitus splendore nobiles, illustresque esse arbitratus, tum reverentia erga ipsas, tum clementia vtendum existimaret, quæ cum hoc modo ornatæ ad eum adventassent, orant, vt Vrbis Pastore orbatę, & luporum expositæ insidijs, misereatur. Quibus respondet Imperator, illis opus non esse alio Pastore pręter eum, qui Liberio successerat: Fuerat namque creatus post Liberium, vnus ex illis Diaconis, Felix appellatus.*

3068 Et quamvis Cardinalis BRANCATUS DE LAVRÆA *loco supra citato*, fusiùs hæc referat verba, eademque *ex Theodoreto* adducat NICOLAVS SANDERVS *de Romanæ Ecclesiæ Primatu*.

3069 Longiori tamen calamo totam hanc narrat Historiam ALBERTVS PIGHIVS *de Hierarchia Ecclesiastica*, *lib.* 4. *cap.* 7. vbi de hac re loquens, hæc scribit: *Ex Theodoreto, illo Cyrinensi Episcopo, Gręco Authore, & eorumdem ferè temporum Scriptore, qui *lib. 2. Historiæ suæ Ecclesiasticæ*, persequutionis, quæ ab Arianis toto Orbe Orthodoxis excitata est, mentionem faciens: Lubet (inquit Theodoretus) narrationi intexere liberrimas voces laudatissimi Liberij, & admirabilem Sermonem habitum cum Imperatore Constantio, quos illius temporis amantissimi Dei perscripsere, qui acuere, atque excitare studium amatorum divinorum rerum facilè possunt. Subijciens deindè, illum eius cum Constantio Sermonem, qui eidem conatus est persuadere, vt subscriberet in damnationem Athanasij, Orthodoxę Fidei propugnatoris; cum vincere eum non posset, invictum damnat exilio, relegari præcipiens Beroeam Thracię.

3070 Athleta, quidem (inquit) veritatis, Victorię compos in Thraciam (vt imperatum fuerat) venit. Post annos autem duos, cum Romæ esset Constantius, Magistratuum, & Primariorum Civium coniuges obsecrant maritos, vt supplicent Constantio pro Pastore, quo restituatur Ecclesiæ suę: Seque nisi impetrassent, de-

 ser-

fertis ipsis, ad magnum illum Pastorem ituras minantur. Qui responderunt se formidare iracundiam Imperatoris, sibique non magnam esse spem veniæ, quod viri essent: Vos autem, inquiunt, si supplicetis; illi non lædet, & horum alterum consequemini, vt aut admittat deprecationem vestram, aut certè nullo malo affectas dimittat. Hac via demonstrata, accedunt (inquit) laudabiles Matronæ ad Imperatorem, præciosissimis vestibus ornatæ, quo magis Imperator nobiles ratus, precibus, voluntatique ipsarum gereret morem.

3071 Erat autem (prosequitur) deprecatio talis: Misereri vellet tantæ Civitatis, spoliatæ Pastore suo, & expositę luporum insidijs. Sed Imperator respondit, non illam Pastore alio egere, quæ prudentem, bonumque haberet. Fuerat equidem creatus post Liberium, vnus ex Diaconis illius, Vir fidelis, Felix nomine, qui incorruptam quidem servabat Nicęæ expositam Fidem, sed violatoribus eius coniungi non verebatur. Nemo tamen omnium Civium Romanorum in ædem orationis ingressus est, cum ipse intus foret; quod ipsum & Matronæ, tum Regi significarunt. Itaque flecti se passus, iussit optimum quidem Liberium de exilio revocari: Sed amborum esse communem Ecclesiæ administrationem. His lectis Litteris in Circo, exclamavit multitudo, egregiam esse Imperatoris Sententiam, qui spectatoribus in duas partes divisis, & à colore cognominatis, his vnum, itemque alteris vnum præficeret. Ita dicterijs incessentes Imperatoris Litteras, exclamant vna voce: nam voces, inquit, ipsas ponere visum est; *Vnus Deus, Vnus Christus, Vnus Episcopus.* Post has amantissimas CHRISTI plebis voces, revertitur admirabilis Liberius, cui cedens Felix, in aliam vrbem se contulit.* Hactenus Theodoretus.

3072 Ex hac historiæ narratione evidentissimè deducitur, Imperatorem adductum fuisse, vt Liberium ab exilio revocaret, & in pristinam restitueret Dignitatem, non quod Liberius in Athanasij damnationem subscripserit, nec quod tædio victus exilij, Arianæ Hæresi adhæserit, vt verba illa, quæ Hieronymi esse, supponitur, commemorant, sed vnicè, quod id ab illo vehementer exposceret, enixèque deprecaretur Romanus Populus, ęgrè ferens absentiam, exiliumque, quod suus legitimus Pastor, non sine magna animarum illius Populi iactura, ac gravi salutis detrimento; immeritò, innocenterque patiebatur. Ideòque Populi voces, à Deo, qui illi Populo consulebat excitatæ, motæ, & adiutæ, efficacissimę fuerunt, ad obduratum Imperatoris cor emolliendū; iuxta illud: *Cor Regis in manu Domini.* Et: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Et hæc fuit ratio ob quam Imperator, estò invito, reluctantique animo, quod æquissimum erat, decrevit.

3073 Iis consonat præclarus ille, magnæque apud antiquitatem fidei Historiographus, SEVERUS SULPITIUS, qui *libro 2. suæ Historiæ*, Liberij restitutionem brevissimis memorat verbis, eamque non subscriptioni, sed potiùs metui, qui Imperatorem invaserat, ne Populus Romanus, seditione commoveretur, si illius non annueret petitioni, attribuit: *Liberius Vrbis Romæ, & Hilarius Pictavorum Episcopus, dantur exilio, sed Liberius paulo post, Vrbi redditur, ob seditiones Romanas.*

3074 Scriptores autem isti, quos prò nostra laudavimus sententia, gravissimi sunt, historiæque Pontificis Liberij viciniores; si enim iste anno 352. floruit, Ecclesiaque rexit quindecim annis, sicque naturæ satisfecit anno 367. Socrates vixit anno 440. Theodoretus anno 425. & Severus Sulpitius tunc etiam temporis communi spiritu fruebatur. Ex ijs igitur, quæ isti narrant Authores, sententia illorum, qui Liberium ad Apostolicam Sedem ob subscriptionem restitutum arbitrantur, evidentissimè corruit, nullus namque istorum, quos laudavimus suprà, (estò ex professo de hac loquantur Historia, eamque adeò præsentem habuerit, vt Liberium Pontificem, aut saltem alios, qui lacrymabili huic adfuere tragediæ, agnoscere, & alloqui potuerit,) Liberium Apostolicæ Sedi, quod in Athanasij damnationem subscripserit, aut quod Imperatoris voluntati obsecundaverit, asserit restitutum; imò omnes vnanimiter referunt, Imperatorem, invito sanè animo, Catholicorum petitione, qui Pontificem Liberium ob istius virtutem, Sanctitatem, præclaramque in Fide Constantiam, ardentissimo amore prosequebantur, devinctum, imò, & coactum fuisse, vt annueret pijssimis precibus, męstissimisque vocibus, quibus Populus æquissimè commo-

motus, Pastorem, ac Patrem efflagitabat suum, qui Dei vice illos regebat, illosque Cœlesti, Fidei, Catholicæque Doctrinæ pabulo recreabat, eximiæque virtutis, ac Sanctitatis exemplo ad illius pręmenda vestigia adhortabatur. De ijs pijs, Sanctisque Populi vocibus iure optimo dici potuit: *Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis.* Vndè nihilmirum, quod valuerint tantùm erga Imperatorem, quantumvis Pontifici Liberio iratum; in hoc enim Dei causam agebant;& *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Vndè rectè posset Imperatori Constantio coäptari id, quod SALVATOR dixit Saulo, cum illum è superbiæ equo prostravit: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*; non enim Saulus minori contentione CHRISTVM, quam CHRISTI Vicarium Liberium, Constantius persequebatur.

3075 Estò ex ijs quæ hucusque diximus evidenter satis appareat, rationem, quâ adductus fuit Imperator vt Liberium ab exilio reduceret, non fuisse subscriptionem, sed pijssima Romani Populi vota; clariùs tamen huiusce restitutionis causa dignoscitur ex ijs, quæ refert SOZOMENVS; hic namque clarissimè exprimit principium, vndè Pontifici Liberio falsa hæc, & iniuriosa suborta fuerit calumnia, qua ipsi imponitur, tædio victum exilij, Arianæ hæreseos Formulæ subscripsisse. Sic igitur scribit Author iste *lib.* 4. *cap.* 7. *Constantius iam solus Imperio Romano potitus, Episcopis Occidentis primò persuadere conatus est, vt rebus contra Athanasium, ab Episcopis Orientis iudicatis, suffragarentur. Nam si Athanasius communi omnium Sententia è medio removeretur, sic cogitabat se res ad Religionem pertinentes facilè ex sententia confecturum.*

3076 Et *cap.* 10. de hac eadem re loquens, sic prosequitur: *Liberius Episcopus Romanus, ad Constantium Imperatorem accersitus, postulavit ab eo, vt Fides in Concilio Nicęno tradita subscriptionibus omnium vbique Episcoporum confirmaretur; & illi, qui propter eius defensionem in exilio ętatem degerent, domum revocarentur. Imperator verò cum dedisset mandatum, vt Liberius in Thraciam relegaretur, vt primum Romam ingressus est, & ingens ibi Populi multitudo pro Liberio clamorem edidit, cumque denuò habere postulavit, consilio cum Episcopis, qui secum erant, inito, decrevit eum revocare, & Populo petenti reddere, si modò Episcopos, quos secum haberet, consentire in animum induceret.*

3077 Ex his verbis apertè dignoscitur, quantum iste superioribus consonet Authoribus, adstruens, Liberium vnicè ab exilio revocatum, quod annuere voluerit Imperator iteratis contentionibus, clamoribusque Catholici Populi Romani, qui doloris magnitudine penè confectus, legitimi sui Pastoris, ac Pontificis absentiam profusis lacrymarum imbribus lamentabatur: Cumque Imperator Sirmium Roma profectus fuisset, visum fuit, non modo Romanis, sed Occidentalibus etiã Episcopis, sui muneris esse, novum Oratorẽ ad Imperatorem mitterę, vt agnosceret is, non solum Romam, sed totum etiam Occidentem vno ore clamare, *Sanctus*, *Sanctus*, idest, Apostolicæ Sedi restitui Sanctum, Sanctum, Sanctissimumque Pontificem Liberium, qui pro Fide longum illud patiebatur exilium: Cumque iustissimę essent istæ preces, non potuit non assentiri illis Imperator, restitutionemque concedere.

3078 Sufficientissimum fundamentum ad id adstruendum nobis subministrat ipse SOZOMENVS *cap.* 14. vbi hisce verbis prędictã prosequitur Historiam: *Haud longo tempore post, Imperator Roma Sirmium reversus, rogatu Legatorum, quos Episcopi Occidentis ad ipsum miserant, Liberium Beroea revocavit; atque præsentibus Legatis Episcoporum Orientis, & quibusdam Sacerdotibus, qui erant fortè in exercitu, in vnum coactis, compellere tentavit eum fateri, Filium Patri non esse *Consubstantialem* (hic adnota hoc evenisse post exilium, cum Liberij adversus Arianam hæresim, Constantiam infringere fuit aggressus; an verò id obtinuerit, videamus. Sic prosequitur ipse Author:) Vicissim autem Confessionis Fidei Formulam a Liberio adduxerunt, quæ illis, quæ Filium Patri non *substantia*, & cæteris rebus omnibus similem, assevérarent, interdixit Ecclesia. Nam cum Eudoxius, & cæteri cum eo, Antiochiæ, hæresis Aëtianæ fautores Epistolam Osij nacti fuissent, rumorem dissiparunt, Liberium quoque verbum *Consubstantiale* reiecisse, asseruisseque Filium Patri dissimilem esse. Vbi verò hę res Legatis Episcoporum Occidentis hoc pacto successere, Imperator dat Liberium Potestatem Romam revertendi.

3079 Atque Episcopi (prosequitur) Sirmij congregati, scribunt litteras Felici, tùm Romanæ Ecclesiæ Antistiti, & Clero eiusdem Ecclesiæ, vti Liberium accipiant, & ambo pariter Sedem Apostolicam administrent, communique consensu, & concordia, Sacerdotio illo fungantur, atque tum casum acervum, qui in electione Felicis obtigisset, tum exilium Liberij oblivione deleant: nam Populus Romanus Liberium, tum quod in alijs rebus Vir excellens, & spectatus erat, tum quod Imperatori, animo adeò excelso, & constanti in Fide defendenda, contradixerat, tam eximiè charum habuit, vt seditionem planè maximam eius exilij causa conflaret, resque ad cædem prorumperet. Haud ita diù post moritur Felix, solusque deinceps Liberius Ecclesię illi præest; quod quidem non sine Divina Providētia factum est, ne Sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata (quę est planè nota dissidij, & à Sacrosanctis Ecclesię Legibus aliena) vlla infamiæ macula aspergeretur.* Hęc ille.

3080 Ex ijs duo inferuntur. Primum est, Imperatorem postquam Sirmij, ad pias Populi Romani preces, Pontificis Liberij restitutionem decreverat, omnes nervos contendisse, omnemque contentionem adhibuisse, vt Liberium, Orientalium Episcoporum Ministerio, ac opera, ad subscriptionem contra Filij *Consubstantialitatem* adduceret, imò & cogeret: compellere tentavit, eum fateri Filium Patri non esse *Consubstantialem*. At Apostolica Liberij Constantia tantum ab hac hęresi abfuit, adeò ab hoc abhoruit errore, vt potiùs suum Catholicum, invictumque animum, per Occidentalium Episcoporum Legatos patefecerit Imperatori, celebri illo Decreto sua manu signato, quo exponebat interdicendum esse Ecclesia illis, qui *Consubstantialitatem* Filij inficiarentur, hancque esse Fidem, quam ipse semper tenuerat, quamque eadem semper profitebatur Constantia, vt ex prædictis verbis deducitur: * Vicissim autem Confessionis Fidei Formulam à Liberio adduxerunt, quod illis, qui Filium Patri non *substantia*, & similem cęteris rebus omnibus asseverarent, interdixit Ecclesia.*

3081 Secundum, quod ex suprà adductis deducitur, est, nullatenùs subsistere posse primam illam, quæ *Hieronymi ad Fortunatianū* esse dicitur, Authoritatem, in qua refertur Liberium ad exilium pergentem à Fortunatiano, vt Arianæ hæresi subscriberet, fuisse compulsum. Nam si adhuc post exilium, quando Liberius sese ab Imperatore multis cumulatum beneficijs agnoscebat, seseque illi devinctum ob propitium illud decretum, de illius in Apostolicam Sedem restitutione profitebatur, omnis Imperatoris potentia, ipsiusque Occidentalium Episcoporum Ministerio violentia, invictam Liberij in Fide Cōstantiam nec diruere potuit, vt decretum, quod in Arianos, Filij *Consubstantialitatem* negantes, à Liberio statutum, suprà retulimus, sufficienter demonstrat: quomodo credi potest infractam hancce Liberij Constantiam, cum ad exilium pergeret, à Fortunatiano fuisse devictam?

3082 Hinc vt certissimum tuemur, Liberium Pontificem, non modo ab initio sui Pontificatus, acerrimum Fidei propugnatorem extitisse, vt communis est Authorum Sententia, quos referunt Cardinalis BELLARMINUS *de Romano Pontifice, lib. 4. cap. 6.* IODOCUS COCCIUS *in Thesauro Catholico lib. 7. de Hierarchia Ecclesiæ, art. 11.* sed etiam post reditum ab exilio, ad extremam vsque vitæ periodum, eumdem Liberiū fuisse verè Orthodoxum, ac pium; ita attestantibus gravissimis illius temporis Scriptoribus, AMBROSIO *lib. 3. de Virginibus*, EPIPHANIO *Hæresi 75.* BASILIO *Epist. 74. ad Occidentis Episcopos*; nec in ijs modo temporibus, sed neque in medio etiam tempore, in ipso nempè reditu ab exilio aliquid contra Fidem egisse, aut docuisse Liberium, vt testantur SULPITIUS *lib. 2. Sacræ Historiæ*, SOCRATES *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ*, SOZOMENUS *lib. 2. cap. 16. & 17.* NICEPHORUS *lib. 9. cap. 36. & sequentibus*, qui vniformiter asserunt, Liberium semper eumdem fuisse, nec vmquam de Fidei Constantia remisisse, vt hucusque latè probavimus adeò apertis prędictorum Scriptorum Authoritatibus, vt, meo arbitratu, omnis in oppositum dubitatio tollatur.

§. V.

EXAMINATUR AMPLIUS S. Hieronymi Authoritas in Chronico, quæ Liberio opponitur.

3083 NEC obstat dicere, maioris apud omnes momenti, ac roboris futuram vnius Hieronymi, quam omnium, quos suprà laudavimus, Authori-

tarem. Non, inquam, obstat; estò enim dubitari nequeat quin summæ apud Ecclesiam venerationis, & Authoritatis sit, quod Hieronymi esse certò dignoscitur, at quod in prædictis Authoritatibus refertur, legitimum esse Hieronymi textum non constat, imò id falsô illi adscribi suadetur, non solum, quia vt hucvsque probavimus, & veritati historiæ opponitur, & ipse, se non è propria, sed ex aliena locutum fuisse sententia, satis innuit illis verbis: *Scriptum legitur*; sed etiam, quia & gravissimi Authores textum illum, qui Hieronymi dicitur, hac in re corruptum esse testantur, & sequentibus etiam suadetur rationibus.

3084 Primò: Quia vetus fuit Hęreticorum artificium, adscribere Sanctis Patribus, Scriptoribusque maioris in Ecclesia Authoritatis, quæ illi non modo non scripserunt, sed nec cogitarunt quidem, vel si scripserunt, non eodem, qui ab ipsis refertur, animo, vt errores suos Sanctorum Libris insertos, magis commendarent, maioremque eis conciliarent Fidem. Quod cum iam de Clementis agentes historia, maximèque memorabilibus factis ostenderimus, non est cur nobis moras injiciat maiores.

3085 Secundò: Quia notatu digna sunt, quę apposité ad hanc rem dixit magnus ille Fidei Zelator, Ecclesiæque Defensor, Doctissimus ALBERTUS PIGHIVS. Hic enim, cum *anno* 1558. scriberet, loquens de hoc ipso Liberij facto, ac de calumnia, quam ipsi Authores aliqui, prędicto Hieronymi testimonio innixi, imponunt, quod nempè Arianæ Fidei Formulæ subscripserit, ait *lib.* 4. *de Ecclesiastica Hierarchia*, *cap.* 8. * Liberio etiam mendacissimè impingunt quidam crimen Hæresis, cuius extant pro Orthodoxa Fide gloriosa certamina, extant persequutiones, & exilia, quæ ob rectę Fidei defensionem ab Hæreticis Imperatoribus pertulit: Et quamvis credant nonnulli ex tribus verbis, quæ adscribuntur Hieronymo, ipsum victum exilij tædio, Hæreticorum se polluisse communione, falsum esse hoc ipsum, & subdititium ab aliquo, nescio quo, seu dolo, seu ignorantia infractum (quod *in Chronicis illis* in quibus gesta, non oratione continua explicantur, sed singulis verbis, è regione sui cuiusque anni adnotantur, est facillimum; nec ita orationis series coarguit falsarium) eorundem temporum indubitatę Fidei demonstrant Historiæ: Quæ non solum actorum, gestorumque substantiam, sed & ipsa verba vtrinque dicta, & excepta à pręsentibus, & audientibus, certa Fide ad nos protulerunt.* Hæc ille. Hi autem quos citat Authores sunt Theodoretus, & alij, quos adduximus supra: Vndè clarissimè patet, quid gravissimus iste Author de prædictis verbis, quę falsò tribuuntur Hieronymo, censeat.

3086 Tertiò: Pro maiori huius veritatis confirmatione videri possunt, quę adnotavit Eruditissimus Episcopus AUGUSTINUS BARBOSA, *in Collectan. in Decret. dist.* 19. *cap. Athanasius* 9. hic namque de hac eadem Liberij Historia, sic *num.* 8. scribit: * Certum est vsque ad tempus exilij, ad quod missus est ab Imperatore Constantio, accerrimum fuisse Christianę Fidei Propugnatorem. Certissimum etiam est à reditu ab exilio, vsque ad vltimam vitæ periodum, constantissimè in Fidei Professione perseverasse; illud tantum in controversia est, vtrum tædio exilij aliquando victus fuerit, & hæresis particeps, quod nonnulli asserunt ex verbis Sancti Hieronymi *in Chronico*, sed negant alij, vt ex elegantissimis Theodoreti verbis comprobat Pighius *lib.* 4. *cap.* 8. Socrates, Sozomenus, & Nicephorus *locis citatis* à Cardinali Bellarmino, cum quibus advertendum est, quod etsi concedatur id, quod ex verbis Hieronymi colligunt prædicti, quod tamen in aliquibus emendatis Chronicis non reperitur, non tamen indè concluditur, quod tædio exilij victus, & metu Tyranni coactus, polluerit se Hæreticorum communione.* Hæc ille.

3087 Nemini admirationem pariat, quod asseramus, suppolititia esse prædicta verba, Pontifici Liberio adeò contumeliosa; credi namque non potest virum ea Sanctitate, & Doctrina præditum, ac de Apostolicæ Sedis honore adeò sollicitum, vt fuit Hieronymus, verba adeò contumeliosa, laudatissimo Fidei Zelo, quo Liberius cum viveret vehementer exarsit, protulisse. Nè autē sine fundamento id asserere videamur, cū *in ore duorū, vel triū stet omne verbum*, duo memorabilia facta proferimus, in quibus inveterata Hæreticorum malitia, Hieronymi vsa fuit Authoritate, velut erroribus suis Authoritatem conciliaret, velut præclara tanti viri opera deturparet.

Pri-

3088 Primum sit *Tom.* 8. operum D. Hieronymi *in omnes Pauli Epistolas*, insertus est Commentarius, quem à tanti Doctoris ingenio alienum esse, plusquam certum ostendit D. AUGUSTINUS, dùm illum Hæresiarchę Pelagio, tamquàm proprium adscribit *lib.* 3. *de Peccatorum meritis, & remissionibus, cap.* 1. *&* 12. *& lib. de Peccato Originali cap.* 21. *& lib. de Gestis Palæstinis cap.* 10. Augustino consonant MARIUS MERCATOR *in Commentario cap.* 2. *& in Præfatione Subnotationum*, AVTHOR PRÆDESTINATI *Hæresi* 88.

3089 At dices: S. AUGUSTINUS *lib.* 3. *de peccatorum meritis, & remissionibus*, duas contra originalis peccati Fidem ponit obiectiones *ex Pelagij Commentario in cap.* 5. *Epistolæ ad Romanos* desumptas: atqui hæ Obiectiones in Commentario, qui Divi Hieronymi operibus insertus est, nullatenùs reperiuntur: Ergo Commentarius ille *in Epistolam ad Romanos*, non Pelagio, sed Hieronymo adscribendus est. Respondeo Commentarium *in Epistolam ad Romanos*, qui hodie inter Hieronymi opera invenitur, à temerarijs Pelagij erroribus Cassiodori opera abstersum fuisse, & emundatum, vt videri potest apud CASSIODORUM, *Divinarum Lectionum, cap.* 8. cuius verbis, non solum id quod diximus, stabilitur, sed ex illis insuper infertur falsissimê, prædictum Commentarium Pontifici Gelasio adscribi, amarissimèque deflet Gravissimus iste Author perniciosissimam fraudem illorum, qui vt aliquam erroribus suis ęstimationem concilient, & honorem, Sanctorum Patrum libris abutuntur, sanctissima, præclarissimaque illorum opera erroribus suis per summam iniquitatem commaculantes.

3090 Ait igitur Cassiodorus, *loco supra laudato*: * Octavus Codex Canonicus Epistolas continet Apostolorum, sed in Epistolis tredecim Sancti Pauli, adnotationes conscriptas in eo, initio meæ scriptionis inveni, quę in cunctorum manibus, ita celebres habeantur, vt eas à Gelasio Papa Urbis Romæ, doctissimi Viri studio, dicerent esse conscriptas: quod solent facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis Authoritate defendere; sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt, subtilissimas quidem esse, ac brevissimas dictione, sed Pelagiani erroris venena illic esse seminata; & vt procul à vobis fieret error hæreticus, primam Epistolam ad Romanos, qua potui curiositate, purgavi; reliquas in Chartaceo Codice conscriptas, vobis emendandas reliqui: quod facilè subiacebit, quandò præcedenti exemplo audacior redditur sequentis imitatio. *Vbi clarissimè magna nobis innotescit diligentia, ac cura, quam Cassiodorus adhibuit, vt prædictum in Epistolam Commentarium à Pelagianis erroribus, ibi insertis, vendicaret, alios omittens, vt ad illius protothypon, alij ab alijs erroribus Comentarium illum emendarent; & nihilominùs adhuc post laboriosissimum illud Cassiodori studium, vel ipsius incuria, vel inveterata Hæreticorum fraude, quę post Cassiodori emendationem, prędictum inquinavit Commentarium *in cap.* 7. *v.* 9. dicti Commentarij, hæc, quæ Pelagianum manifestê præseferunt errorem, leguntur verba: * Si cum lex non esset, peccatum mortuum est, insaniunt, qui de Adam per traducem ad nos, asserunt, venire peccatum.*

3091 Undè nihilmirum, quod Divus AUGUSTINUS non admittat, vt genuinum Hieronymi fœtum, prędictos in omnes Pauli Epistolas Commentarios, qui Hieronymi operibus *Tom.* 8. inseruntur: Indignum namque esset, attribuere Hieronymo, istiusque commendare Authoritate, quod est proprium Pelagij, Pelagianisque erroribus refertum agnoscitur, tam antiquam post Cassiodori emendationem, vt cum illo evidenter satis probavimus.

3092 Secundum, quod hac in re adducere possumus exemplum, desumitur *ex Epistola ad Demetriadem Virginem*, quæ *Tom.* 8. operum Divi Hieronymi continetur: Hanc enim suppositiciam esse, & iam à tanti Viri operibus, à Venerabilis Bedæ temporibus, insertam, ipse BEDA, *Præfatione in Cantica*, testatur: Divus verò AUGUSTINUS tàm longè abest, vt illam Hieronymi esse arbitretur, vt eam potiùs Hæresiarchæ Pelagio attribuat *Epist.* 143. *ad Iulianam Demetriadis Matrem*; & *lib. de Gratia* CHRISTI. Augustino consonat OROSIUS *in Commonitorio.*

3093 Ex his duobus tàm claris, evidentibusque exemplis manifestè dignoscitur, quantam curam, sollicitudinemque adhibuerit in omni tempore inveterata Hæreticorum malitia, vt legitimam Sanctorum

rum Doctrinam, scriptaque foedaret, venerandis illorum operibus, execrabiles, & detestandos aliquos inserens errores, vti in Pelagio, istiusque sequacibus demonstravimus, qui sese Hieronymi Authoritate, tamquàm clypeo tegentes, vel vt potiùs dicam, illa abutentes, prædictum *in Pauli Epistolas Commentarium*, Epistolamque *ad Demetriadem Virginem* Hieronymi nomine evulgarunt. Si ergo non sine magno fundamento adstrui potest, supposititios esse Commentarios integros, sicut & Epistolas, etsi Hieronymi nomine in lucem prodeant, nihil mirum, quod asseramus, nec Hieronymi esse prædicta verba, totiès *ex Chron.* & *ex lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ac si Hieronymi essent, allegata, quibus Sanctitatis opinio, ac virtutum splendor, qui in Liberio effulsit, sine ratione, & fundamento obtenebratur. Quarè, optimo iure crediderim, prædicta verba, illis Divi Hieronymi operibus, malitiosé fuisse inserta, ab aliquo Pontificiæ Dignitatis hoste, adversarioque Sanctitati, ac Fidei Zelo, quem in Liberio vniversus Christianus Orbis venerabatur, vt cum ALBERTO PIGHIO, & Illustrissimo BARBOSA, à nobis est demonstratum.

3094 Quartò: quia, vt Liberij Pontificis Sanctitatem tuentes, quidquid in ipsum adduci potest, diluamus, constanter asserimus: numquam convinci posse Liberium in hæreticam subscripsisse pravitatem, estò non constaret prædicta Hieronymi verba supposititia esse, illique fallissimè adscripta, vt constare, suprà demonstratum est: & estò non ex aliena, sed ex propria loquutum fuisse Sententia, probaretur, ac tandem, estò illa verba: *Tędio victus exilij in hæreticam pravitatem subscripsit,* genuinum, ac legitimum esse Divi Hieronymi textum demonstraretur. Quia Hieronymi dictum, tametsi magnæ, ac gravissimæ Authoritatis, insufficiens est, vt Arianæ Hæreseos nota, ac dedecus Pontifici, Sanctitate eximio adscribatur, maximè cum Hieronymus ipse, id re vera accidisse, nullatenus probet: Cum ergo Pontificem Liberium ante exilium, in exilio, & post exilium, summè Catholicum extitisse, à nobis manifestè demonstratum sit, velle Hieronymi Authoritate, estò hæc legitima esset, tanti Pontificis Fidem, Sanctitatemque oppugnare, est nos cogere, vt dicamus, hac in re deceptum fuisse Hieronymum. Nec temeritas est, aut venerationis defectus, intelligere Hieronymum in rebus facti decipi, & errare potuisse, cum hucusque nesciamus, nec constiterit, ipsum in his, quę scripsit, privilegio non errandi, Canonicis Scriptoribus dumtaxat concesso, fuisse insignitum.

3095 Quintò: quia sufficiens in huius confirmationem testimonium, Hieronymus ipse *in Dialogo adversus Luciferianos* nobis suppeditat, dùm de miserabili Patrum Ariminensi Synodi lapsu loquens, illorumque vicem condolens, hæc scribit: *Tunc Vsiæ nomen abolitum est: tunc Nicęnæ Fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus Orbis, & se esse Arianum miratus est.* In illis autem verbis, quibus totum Orbem Ariana Hæresi infectum appellat, deceptum fuisse Hieronymum, evidenter demonstrat Sanctus ATHANASIUS, illi Sanctitate, & Doctrina minimè inferior; probat namque Fidem, quam ipse adversus Arianam hæresim profitebatur, à toto Orbe, paucis exceptis, qui Arium sequabantur, teneri, eamdemque ab omnibus vbique terrarum Ecclesijs amplecti. Vt autem id, quod diximus, clariùs innotescat, adducemus ipsius Athanasij verba, *in Epistola Synodica ad Iovianum Imperatorem* data, quam descripsit THEODORETUS *lib. 4. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 3.* *Scias igitur (inquit) Religiosissime Auguste, hanc esse Fidem, quæ à sæculo prædicata est: & quam confessi sunt Patres Nicææ congregati; in quam deniquè consentiunt omnes vbique terrarum Ecclesiæ, quæ sunt in Hispania, in Britannia, & in Gallijs; quæ sunt per vniversam Italiam, & Campaniam; quę sunt in Dalmatia, Dacia, Mœsia, Macedonia, & vniversa Achaia; Item quæ sunt per vniversum Ægyptum, & Lybiam; quæ sunt in Ponto, & Cappadocia, & vicinis Regionibus; Omnes deniquè per Orientem Ecclesiæ, paucis exceptis, qui Arij opinionem sectantur. Horum enim omnium, quos commemoravimus, Sententiam experimento ipso cognovimus, & litteras scriptas habemus. Ac licet pauci quidem huic Fidei contradicant, scimus tamen, Religiosissime Auguste, eos Orbi terrarum præiudicare non posse.*

3096 Vtrùm verò Athanasij Authoritas Authoritati Hieronymi directè opponatur, an non, iudicare poterit prudens, qui vtriusque Sancti verba conferat, ego enim id vnum discrimen invenio, quod

Hieronymus totum Orbem Arianum esse dicit, at non probat: Athanasius verò hoc eodem tempore, & probat, & evidentia facti demonstrat, totum Orbem, omnesque eius Ecclesias, Catholicas esse, non Arianas, paucis exceptis, quæ Arianam hæresim sequebantur.

3097 Sextò: Quia ad hanc D. Athanasij Sententiam confirmandam, memoratu digna est Synodica Epistola, quam Damasus Papa, vnà cum Occidentalibus Episcopis Illyrici dedit, quam descripsit THEODORETUS *lib. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, cap. 22.* in qua de Nicæna Fide, hæc, inter alia, habentur: *Undè advertit sinceritas vestra, hanc solam Fidem, quæ apud Nicæam, Apostolorum Authoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam: Ac nobiscum Orientales, qui se Catholicos recognoscunt, Occidentalesque gloriari.*

3098 Septimò: Quia hanc eamdē Sententiam egregiè illustrat insignis ille Vir LUCIFERUS CALARITANUS, qui eo ardore, ac Zelo, Concilij Nicæni Fidem propugnavit, vt suum sic inscripserit Librum *Quod moriendum sit pro Filio Dei.* In hoc igitur libro, cum Imperatore Constantio loquens, Catholicę Ecclesiæ Vniversalitatem illi suadet, ac evidenter demonstrat, sic scribens: *Si tandèm oculos, serpentis morsibus confossos, cordis tui aperias, invenies, quod hanc habet, hanc defendit Ecclesia Fidem, quam sibi traditam cognoscit per Beatos Apostolos. Omnes momento si posses peragrare gentes, invenisses, stolidissime Imperator, vbique Christianos, sicut nos credere, in hac defensione perstantes, pro Filio Dei, & nos mori cupere. At tua novella prædicatio, & recens religio (Ariana, nempè, quam profitebatur Constantius) sub prætextu Fidei blasphemia in perniciem salutis tuę per te prolata, non solum adhuc limitem Romanorum peragrare non valuit, & vtiquę te satis agente, sed & vti radices figere tētaverat, aruit; recedentibus scilicet omnibus Fidei Formulis à te, atque paucis tuis, quos lolium esse super frumentum seminatos, Dominus prædixerit, tecum manentibus.* Hæc ille.

3099 Hinc, si *in ore duorum, vel trium stat omne verbum*, vt *in Evangelio* dicitur, necessè est, vt pro his tribus testibus, omni exceptione maioribus, & Sanctitate, ac Fidei Zelo pręclarissimis, veritatem stare intelligamus, quibus apertè convincitur calamitosa illa Arij tempestate, totum Orbem Catholicum esse, Nicænique Concilij Fidem amplecti; non verò Arianum, vt innuit, imò expressè prædicta Hieronymi testatur Authoritas. Hinc vllo sine scrupulo asserere possumus, Hieronymum hoc in facto fuisse deceptum, vt tres prædicti Sanctissimi Authores probant, & convincunt: Ergo quamvis *in Chronicis*, & *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Liberium Pontificem Arianum fuisse affirmet Hieronymus, non ideò talem extitisse, est asserendum: sicut nec sequitur totum Orbem Arianum fuisse; estò id Hieronymus *in Dialogo adversus Luciferianos* affirmet: Vndè cumulatè satisfactum est Authoritati, qua oppositi Authores, tàm Hæretici, quàm alij non Heterodoxi, in Pontificis Liberij Fidem vtuntur.

3100 At quia prædicta Hieronymi Authoritas, pręcipuum est oppositæ opinionis fundamentum, ad præclaram Pontificiæ Authoritatis existimationem fœdandam, Privilegiumque non errandi Pontificibus concessum obscurandum, hocque in Liberio conservari non potuisse prædicti arbitrantur Authores, quia illum Arianę hęresi subscripsisse, ac adhæsisse expressè affirmare videtur Hieronymus, illis sæpiùs iā adductis verbis: *Tędio victus exilij, in hæreticam pravitatem subscripsit,* non erit à proposita re digredi, idipsum diligentiùs discutere, & attentiùs expendere: Undè ad vberiorem nostræ Assertionis probationem.

3101 Octavo dicimus: Ex prędictis verbis nec deduci, nec probari posse Pontificem Liberium Arianum vmquam fuisse, aut Arianæ hæresi subscripsisse. Quia vel Hieronymus hæc in re profertur, vt accusator, vel vt testis? Non vt accusator, quia hoc Generali Concilio privativè reservatum est, ac concessum; ad hoc enim vnum attinet de hęreseos crimine, in quod inciderint Pontifices, quodvè illis imponitur, iudicare, criminisque delationem admittere, vt rectè adnotavit Cardinalis IACOBATIUS *lib. 4. de Papa*, vbi *cum Cardinali Ægidio* hæc scribit: *Dicit etiam Ægidius, quod quando accusatur Papa de hæresi, debet fieri in Concilio Generali; quia nullus mortalium potest se ad hoc intromittere, nisi Ecclesia vniversalis, quæ ad hoc expediendum debet vocari, C. de Auth. præstan. l. vlt. & Regula*

quod

quod omnes, de Reg. Iur. in 6. Quæ vniversalis Ecclesia representatur in Concilio Generali tantummodò.* Cum igitur nullum hucusque extiterit Concilium, in quo Liberius Hæreseos fuerit convinctus, imò nec incusatus, neque vllo vmquam tempore, Liberij in hæresim lapsus probatus fuerit, nedum iudicatus, quemadmodum nullus ex oppositis Authoribus, nec Hieronymus ipse, in prędictis, alijsvè verbis, demonstrat, ab omni prorsus abhorret ratione, oppositos Authores velle ex vnius, vel alteriùs verbi à Hieronymo scripti latebra, calumniæ in Liberium ansam quærere, & ex tam tenui filo, conviciorum telam latam exordiri, suam denique malitiam tanti viri parma protegere, asserentes, ipsum Hæreseos Liberio temerè adscriptæ accusatorem, vel calumniatorem extitisse.

3102 Si verò Hieronymi dictum, vt testis producitur, minus subsistit, multas namque in iure patitur exceptiones. Primò, quia illius dictum est testis singularis; singularis autem testis depositio, in iure efficax non est. Secundò, quia est de delicto in genere, & non in specie, cum illi deficiant, loci, & temporis circunstantiæ, quæ à iure necessariò requiruntur. Hæc autem, quia vulgarissima sunt iuris principia, textus in sui confirmationem non desiderant, idcòque illos facimus missos; at omitti non potest, estò Liberius persona publica non esset, sed privata, vnius depositionem non sufficere, vt in ipsum Hæreseos culpa conferatur, sic vt rectissimè adnotavit GUIDUS FULCODIUS *in consultationibus ad Hæreticæ pravitatis Inquisitores, quæst. 15. cap. 18.* *Adeò (inquiens) non crederem tutum, ad vocem duorum testium, hominem bonæ opinionis damnare.*

3103 Huic consonat Doctissimus Sacræ Rotę Auditor PEÑA, *in Cōmet. in director. Inquisitor. 3. p. q. 71.* *Respōdemus, (inquit) quod, quamvis videantur sufficere duo testes de iuris rigore: tamen de iuris æquitate non videntur in hoc crimine duos sufficere; tùm propter criminis immanitatem; in criminibus enim probationes debent esse luce clariores. *Cod. de Probationibus, l. Sciant.* Hæresis autem inter maiora crimina numeratur.* Hanc sequuntur Sententiam multi gravissimi Authores, quos citat, & sequitur laudatus Illustrissimus Dominus Peña *in præfato Cōmentario in Directorium Inquisitorum* à NICOLAO EYMERICO, Fidei etiam rerum Inquisitore, editum. Cum igitur hæreseos crimen omnium gravissimum sit, vt docet S. THOMAS *2. 2. quæst. 11. de Hæres. 3.* Divinoque Iure statutum sit, duos, vt minimum futuros esse contestes, vt aliquis alicuius convincatur culpæ, iuxta illud EVANGELIJ: *in ore duorum vel trium*, hinc rectè deducitur, estò Liberius, non publica, sed privata esset persona, vt Arianæ Hæreseos reus fiat, horrendumque hocce, ac nefandum illi adscribatur scelus, nullatenus vnius testis depositionem sufficere, quamvis iste magnæ sit fidei, & Autoritatis; præcipuè cum nec oculatus, nec iuratus istè sit testis, nec dè loco, ac tempore, nec de delicto in specie, sed in genere; ac tandem non è propria, sed ex aliena scientia testetur, vt apertè indicant verba illa: *scriptum legitur.*

3104 Certum namque est, huiusce-modi testimonium adeò confusum, vt neque à quo scriptum legitur, exprimat, apud nullum Orbis Tribunal sufficere, vt non modo gravioris, vti est Heresis, nè levioris quidem sceleris convincatur aliquis, licet non publica, sed privata persona sit: Ergo multominus sufficiet, vt Pontificem Liberium Arianæ Hæresis reum faciamus, Hieronymi dictum, cum illas, quas modò diximus, exceptiones patiatur.

3105 Et, si vnius dictum, estò Hieronymi esset, adhuc nihilominùs non sufficeret, vt in privatam personam Hæreseos crimen conferetur; multominùs vnius Hieronymi Authoritas sufficiet, vt tantum scelus Liberio Pontifici imponatur, cum persona publica esset, & ad maiorē, supremāque totius Orbis Dignitatem evecta.

3106 Hanc comprobat veritatem TEXTVS DECRETI *c. Præsul 2. q. 4.* vbi Sanctissimus Pontifex SYLVESTER *in Concilio Romano*, statuit numerum testium qui necessarij sunt ad Prælatos, cæterosque Ecclesiastica Dignitate insignitos alicuius sceleris convincendos: *Præsul (inquit Concilium) non damnetur, nisi septuaginta duobus testibus; Presbyter autem Cardinalis nisi quadraginta quatuor testibus non deponatur; Diaconus Cardinalis Vrbis Romę, nisi in viginti octo testibus non condemnabitur; Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, Ostiarius nisi cum septem testibus, &c.* In cuius

expositione ANGELICUS PRÆCEPTOR 2. 2. *quæst. 70. art. 2. ad 3.* dicit: hunc textum de Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Romanę Ecclesiæ Clericis præcipuè esse intelligendum; quod tripliti ratione, in rem nostram aptissima, probat: * Primò quidem (inquit Sanctus) quia in ea tales institui debent, quorum Sanctitati plus credatur, quam multis testibus. Secundò quia homines, qui habent de alijs iudicare, sæpè propter iustitiam multos adversarios habent: Vndè nō est passim credendum testibus contra eos, nisi magna multitudo conveniat. Tertiò, quia ex condemnatione alicuius eorum, derogaretur, in opinione hominum, Dignitati illius Ecclesiæ, & Authoritati, quod est periculosius, quàm in ea tolerare aliquem peccatorem, nisi sit valdè publicum, & manifestum, de quo grave scandalum orietur.*

3107 Cùm igitur Generale Concilium, cui Sanctissimus ille Pontifex præfuit, tanta prudentia, ratione, ac fundamento, vt cum ANGELICO adnotavimus PRÆCEPTORE, ad aliquem Prælatum alicuius sceleris convincendum, septuaginta & duos testes necessariò adhibendos esse decreverit: cumque Pontifex Leo IV. *cap. Nullam 32. quæst. 4. ad Britaniæ Episcopum* scribens, statuerit ad quemcumque Prælatum alicuius sceleris damnandum, septuaginta duos testes, aut duodecim Episcopos esse proferendos; res certè nova inaudita, ac admiranda est, vt vnius testis, quantumvis Sancti, depositione, tot exceptionibus obnoxia, non modò vnus Prælatus, aut Episcopus, sed omnium totius Orbis Episcoporum Supremus, ac Maximus, tot, tantarumque Virtutum commendatione conspicuus, vti fuisse Liberium probavimus, delicti omnium, quæ de aliquo Prælato excogitari possunt gravioris, & enormioris damnetur; maximè verò si antiquissima consuetudo, qua Ecclesia à suis primordijs in Prælatorum condemnatione vsa est, consideretur, vt rectissimè adnotavit Præclarus ille Iurisprudentię in Salmanticensi Universitate Professor, D. EMMANUEL GONZALEZ *in 2. lib. Decretal. cap. licet. de testibus*, *vbi num. 7.* hæc scribit: * Vndè iam à primis Ecclesiæ Sęculis observatum fuit, vt ad condemnandum Episcopum prędictus testium numerus septuaginta duorum adhiberetur, vt varijs exemplis probat J. Gothophredus *L. 20. C. Theodos. quorum appellat.* Quod statutum fuit ex triplici ratione (quæ sunt eædem quas retulimus ex Divo Thoma) Et post alios exponunt Glossa *in dicto cap. Præsul*; Melchior Cano *de locis, lib. 6. cap. 8. verb. ad quartum.**

3108 Nec obstat dicere Glossam *in dicto capite. Præsul*, admittere, duos sufficere testes, si agatur de probatione criminis contra Summum Pontificem; quam interpretationem Glossæ, meritò vt erroneam reprehendunt JULIUS CLARUS *lib. 5. Sent. §. fin. quæst. 67. num. 6.* PHILIPPUS DECIUS *in cap. At si Clerici, num. 5. de Iudicijs.* FARINATIUS *de testibus, quæst. 63. num. 237.*

3109 Non, inquam, obstat, nam notatu dignissimum est, quod dicit MASCARDUS *de probationibus, cōclus. 461. num. 9. & 10.* vbi adducit censuram, qua huius Glossa impietas reprobata est, dicens: * Meritò hanc Glossam propter eius impiam doctrinam, à Sanctissimo Inquisitionis Vrbis Tribunali, improbatam, detestatam, & execratam fuisse, vt mirandum est (vt verbis vtar adnotationis ad hunc textum) de Authore huius Glossæ, qui putavit Pontificem Maximum, minori numero testium posse condemnari, quàm Diaconum Cardinalem, ac Ostiarium, cum tamen ipse Pontifex à generali saltem Præsulis nomine minimè esset excludendus.*

3110 Si ab Ecclesiæ initio, maximè verò primis illis Sæculis, in quibus Concilij Romani, septuaginta duos testes ad Prælatorum condemnationem requirentis observantia vigebat, huiusmodi mos inolevit; & quia Glossa temerè dicere ausa est ad cuiuslibet Pontificis condemnationem ratione delicti, minorem testium numerum desiderari, duosque sufficere, graviores Authores prædictam opinionem erroneam esse arbitrantur, ac in Supremo Fidei, & Orbis Tribunali hæc eadem Glossę opinio tamquam impia, detestabilis, & execrabilis damnata est, quam sibi demerebitur Censuram ille, qui vt Arianæ hæreseos crimen Liberio Pontifici imponat, illumque huius sceleris damnet, non quidem septuaginta duorum testium, nec duorum, vt Glossa, contestium, & omni exceptione maiorum, sed vnius Hieronymi vtitur Authoritate, adulterata quidem, & exceptionibus mille, vt probavimus, referta, & quę in nullo iudicio ad alicuius

adhuc

adhuc levioris criminis reum, privatam personam constituendam, sufficeret, velle autem hanc vnam, ad præclaram Sanctitatis famam, quam insigni sua Virtute, ardentissimoque Fidei Zelo sibi apud omnes conciliarat Liberius, vt suprà probavimus, obscurandam sufficere, indignum certè est, imò prorsus alienum ab Authoribus, qui se Catholicos esse profitentur.

3111 Et vt Authorem, estò severioris notæ, & iudicij hominem omni prorsus scrupulo solvamus, diligentiùs nobis discutiendum est, an prædictæ Authoritates, quamvis illas vt Hieronymi genuinas, & ab omni exceptione ex illis, quas suprà retulimus, alienas, admittamus, vero possint fundamento fulciri? Et respondemus, has Hieronymi Authoritates à facti veritate procul abesse: nam quamvis in prima Authoritate, in qua de Fortunatiano conqueritur, quod Liberium ad exilium pergentem sollicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit; & in secunda Chronici in qua confirmat, Liberium tædio victum exilij in hæreticam pravitatem subscripsisse; quamvis, inquam, in his Authoritatibus hæresim, cui Liberius subscripsit, non exprimat, exprimit tamē *in libro, de Romano Pontifice*, vbi de Liberio loquens, hæc scribit: * Scriptum legitur, quod consensit Constantio hæretico.* Nam cum Constantius præcipuus esset Arianæ hæresis fautor, & adiutor, hinc Hieronymus Pontificem Liberium Arianæ hæreseos insimulat; cumque Imperator Constantius id à Liberio obtinere niteretur, vt & damnationem in Athanasium ab Arianis Episcopis, diversis in Concilijs, & demùm Sirmiensi in Synodo factam signasset, & Fidei Formulæ Sirmij ab ipsis Arianis composita subscriberet; hinc rursus in veterem viam vertimus proram.

§. VI.

QVÆRITVR: AN EX HIS Hieronymi verbis convincatur, Liberium Pontificem Arianæ hæresi subscripsisse, adhæsisse, vel eam probasse?

3112 CUi difficultati respondemus, cum veritate historiæ non cohærere ea, quæ à Hieronymo dicta feruntur. Primò: quia historiam illam latè, & ex professo ennarrant maioris apud antiquitatem fidei, & opinionis Authores, illisque sæculis viciniores, vti SOCRATES, THEODORETVS, SEVERVS SULPITIVS, & SOZOMENVS, omnesque vno fatentur ore, Liberium ob præclaram in Fide Constantiam exilio datum, hancque in ipso, & ante, & post exilium semper viguisse, omnes similiter vnanimes asserunt, rationem, qua adductus fuit Imperator, vt Liberium ab exilio revocaret, iterumque Apostolicę Sedi restitueret, longè aliam ab Ariana hæresi extitisse; quin illorum aliquis de huiuscemodi in hæreticam pravitatem subscriptione, aut in Athanasium damnatione meminerit. Si autem Liberius re vera, vel hæresi, vel damnationi subscripsisset, nullatenùs id facinus silentio præterijssent, cum & per omnium ora huiusce rei sparsa esset, ac disseminata fama, & illi in reliqua sua historia egregij Fidei, & veritatis cultores existant.

3113 Secundò, quia ex tribus Fidei Formulis, quas Sirmij compositas referunt Authores, solam secundam hæreticam fuisse constat, cum in illa *Filij cum Patre Consubstantialitas*, & *Similitudo* negatur; huic autem non modò non subscripsisse Liberium, verùm nec subscribere potuisse probavimus, ac mediocriter convicimus; nondum enim eam ediderant Ariani, cum omnes illam adeò in Dei Filio impiam videntes abominati sunt; vixque ad Constantij Imperatoris aures delata est, cum statim Imperator, estò Arianus, iussit, vt supprimeretur, imisque ceris eraderetur, imò gravissimis interdixit pœnis, nè aliquod illius prototypon appareret. Hoc autem Imperatoris Edictum, ab ipsismet Authoribus, Arianisque Episcopis, qui Formulæ illi subscripserant executioni mandatum est. Hìnc clarissimè apparet Pontificem Liberium huic secundæ Formulæ, quæ in rerum natura non extabat, subscribere non potuisse.

3114 Undè solum nunc superest discutiendum, an primę Sirmiensi Fidei Formulæ, contra Photinum composita*, item & tertię, quę à Sirmiensibus Patribus Ancyræ contra Aëtianos Hęreticos, vna cum Photino *Divinitatem Filij* negantes, edita est, Liberius Pontifex subscripserit? Verùm estò admittamus Liberium vtrique Formulæ subscripsisse, ac vtramque signasse, non indè deducitur ipsum Arianę subscripsisse Hęresi, quia vtramque illam Formulam, tam Sanctus HILA-

RIVS,

RIUS, quam Sanctus EPIPHANIUS, vt Catholicam, & Arianę Fidei oppositam suscipiunt; in Ecclesia namque numquam vt hæreticum damnatum legimus probantem, vel subscribentem propositionibus, aut Fidei Formulis, quas celebriores in Ecclesia Authores, Sanctique, Virtute, ac Ecclesię Zelo conspicui, vt Catholicas suscipiunt, & venerantur.

3115 Nec vrget præcipuum adversariorum argumentum, quo ob omissam *Consubstantialitatis* vocem, Liberij illibatam Fidem ladefactare conantur, probantes in prędictis Formulis, estò illarum Authores *Divinitatem Filij* contra Hæreticos Photinianos, & Macedonianos, istiusque in *substãtia identitatẽ cũ Patre* confiteantur, nihilominus tamen omissum ab illis fuisse *Consubstantialitatis* nomen, diversis in Concilijs, à Catholicis, præcipuè verò ab Athanasio contra Arianos, tam acriter propugnatum: hinc deducentes quod si Liberius prędictæ Formulæ subscripsit, Arianam hæresim probavit. Non, inquam, hæc obstant, nec sufficiunt, vt Liberius Pontifex Arianę hæreseos incusetur, aut ipsi adhæsisse dicatur, quod sequentibus hisce rationibus stabilitur.

3116 Primò: quia dubitari non potest, statuente Fide, nobis necessarium esse necessitate medij ad salutem, CHRISTI Divinitatem explicitè credere, vt constat ex varijs Scripturę Sacræ testimonijs, *Marci 16. Qui non crediderit, condemnabitur.* Et ex APOSTOLO 1. *Corinth.* 3. Ubi probat Fidem CHRISTI esse fundamentum salutis: *Vt sapiens* (inquit) *Architectus fundamentum posuit.* (Et subdit:) *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est CHRISTUS IESUS.*

3117 IOANNES etiam *cap.* 14. probat ęquè necessarium esse ad salutem, credere in CHRISTUM, ac credere in Deum: *Creditis in Deum, & in me credite.* Et *cap.* 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESUM CHRISTUM.* Quem locum non solum de cognitione beata, verum etiam de cognitione Fidei intelligi docet S. CYRILLUS *lib.* 11. *in Ioannem, cap.* 16.

3118 Id confirmat PETRUS dum *Actorum* 10. loquens de CHRISTO, Cornelio inquit: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere per nomen eius.* Et *Actorum* 26. inquit PAULUS: *Vt accipiant remissionem peccatorum per Fidem, quæ est in me.* Et *ad Galatas* 2. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per Fidem IESU CHRISTI. Ad Romanos* 3. *Iustitia Dei per Fidem IESU CHRISTI in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.*

3119 Ex quibus locis communiter probant Theologi, Fidem explicitã CHRISTI, eiusque Divinitatis, necessariã esse necessitate medij ad salutem; atqui nihilominùs Apostoli, Fidem CHRISTI, eiusque Evangelium prædicantes, multa quidem de CHRISTI Humanitate & disseruerunt, & explicarunt, de illius verò Divina natura pauca dixerunt, explicitam Divinitatis in CHRISTO notitiam Populis adhuc rudibus, atque huiuscemodi notitiæ incapacibus tunc aperire, & prædicare ommittentes, vt egregiè IOANNES adnotavit CHRISOSTOMUS: Ergo optimè potuit certis de causis Sirmiensis Fidei Formula, quæ *identitatem naturæ Filij cum Patre*, fatebatur, *Consubstantialis* vocem absque vllo Fidei præiudicio omittere, estò huiusmodi vocem necessariã Nicęna Synodus agnoverit, cum in re non differant *identitas in natura Filij cum Patre*, ac illius cum isto *Consubstantialitas.* Maior certa est. Minor verò, quæ probatione indigere videtur, his Sancti IOANNIS CHRISOSTOMI *Hom.* 1. *in acta Apostolorum*, suadetur verbis: *Illud (inquit) potissimum, ac mirandum in Apostolis, quomodò sese ad infirmorum, & rudium animos demiserint, atque hoc ipsum eis Spiritus Sanctus suggessit, in hoc illos præparans, vt in dispensando verbo Dei versarentur. Vndè factum est, vt cum tam multa de CHRISTO disseruerint, pauca dixerunt de eius Divina natura, plurima verò de eius natura humana, de morte, de Resurrectione, & Ascensu.*

3120 Secundò: Quia vel *Consubstantialitatis* vox, ad explicandam Filij Divinitatem necessaria fuit, necessitate medij, & salutis, vel solum necessitate præcepti? Si primum: ergo miserè perijssent, & æternæ fœlicitatis gloria privati essent, quotquot antè Nicænam Synodum Divini Filij Fidem *Consubstantialitatis* voce, quæ ad maiorem prædicti Mysterij intelligentiam in illo Concilio addita est, non expressissent; Nemo enim sine medijs, quæ

quæ necessaria sunt necessitatē salutis æternam fœlicitatem potest obtinere, vt concors est Theologorum consensus; ideò enim sine Baptismo nemo potest Finem consequi sempiternum, quia hoc Sacramentum necessarium est necessitate salutis, iuxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire Regnum Dei.*

3121 Si verò dicatur secundum, *Consubstantialitatis* nempè vocem, necessariam non esse necessitate medij, & salutis, sed solum necessitate præcepti; hinc infertur, potuisse iustis ex causis in Sirmiensi Fidei Formula omitti, ea enim, quę necessitate præcepti, non negativi, sed affirmativi necessaria sunt, etsi obligent semper, at non pro semper, ita vt non possint aliquando omitti. Hæc est expressa ANGELICI DOCTORIS Doctrina 2. 2. *quæst.* 3. *de Fide*, *art.* 2. *in* cuius *corpore* qui, ad rem nostram appositè, docet: * Respondeo dicendum, quod ea, quæ sunt necessaria ad salutem, cadunt sub præceptis divinę legis. Confessio autem Fidei, cum sit quoddam affirmativum, non potest cadere, nisi sub præcepto affirmativo. Vndè eodem modo est de necessarijs ad salutem, quo modo potest cadere sub præcepto affirmativo Divinę Legis. Præcepta autem affirmativa, vt suprà dictum est, non obligant ad semper, etsi semper obligent: obligant autem pro loco, & tempore, secundum alias circumstantias debitas; secundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc, quod sit actus virtutis. Sic ergo confiteri Fidem non semper, nec in quolibet loco est de necessitate salutis.* Ergo confiteri Fidem Filij Dei, per expressionem vocis *Consubstantialitatis*, etsi esset de necessitate Divini Præcepti, non obligaret semper, & in omni loco, ita vt non posset aliquando omitti: Ergo estò *Consubstantialitatis* vocem, in maiori rigore, de necessitate Præcepti Divini Confessionis Fidei necessariam consideremus, optimè potuerunt Sirmienses Patres, iustissimis, gravissimisque adducti rationibus, illam tunc, absque Fidei iactura, omittere. Vndè meritò potuit Liberius Pontifex prædictę, Fidei Formulæ inculpabiliter subscribere, quamvis in illa *Consubstantialitatis* vocem omiserint, silentioque suppresserint.

3122 Tertiò: Quia non magis pertinet ad Fidem *Consubstantialitatis* vox, quam veritates in Scriptura Sacra contentæ: has enim esse de Fide, ita certum est, vt nemini liceat, id in dubium revocare; at estò *Consubstantialitatis* voce Nicæni Concilij Patres Mysterium Divinitatis Filij explicuerint, non tamen statuerunt de Fide, sine prędicta *Consubstantialitatis* voce, alijs tamen æquivalentibus, dictum Mysterium explicari non posse; atqui multæ continentur in Scriptura Sacra veritates, quas Fide explicita credere necessarium non est: pari ergo ratione Sirmiensis Synodi Patres Divinitatem CHRISTI, istiusque *cum Patre in natura*, & *Substantia identitatem*, absque explicita *Consubstantialitatis* voce, credere potuerunt. Maior certa est. Minorem probat ANGELICUS DOCTOR 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 5. *in Corpore*, per hæc verba: *Dicendum est ergo, quod Fidei obiectum per se est id, per quod homo beatus efficitur, vt suprà dictum est. Per accidens autem, aut secundariò se habent ad obiectum virtutis omnia, quæ in Sacra Scriptura divinitus tradita, continentur: Sicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit Filius Isai, & alia huiusmodi. Quantùm ergo ad prima credibilia, qui sunt Articuli Fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut & tenetur habere Fidem. Quantum autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicitè credere, sed solum implicitè, vel in præparatione animi, in quantùm paratus est credere quicquid divina in Scriptura continetur: sed tunc solum huiusmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in Doctrina Fidei contineri.* Hæc Sanctus.

3123 Ex cuius Doctrina deducitur, non omnes veritates, estò sint de Fide, & in Scriptura Sacra contineantur, necessariò esse explicita notitia credendas: ergò quamvis Divinitatem Filij, istiusque *cum Patre in substantia identitatem* Fide divina credere teneamur, potuit nihilominùs iustis è causis *Consubstantialitatis* vox, sine vlla Fidei de prædicto Mysterio iactura, in Sirmiensi Formula omitti; sufficiebat namque tunc *Consubstantialitatem* implicitè credere in *substantiæ* Identitate; quamvis hac explicita *Consubstantialitatis* voce non exprimeretur.

3124 Quartò: Quia prima, & tertia Sirmiensis Fidei Formula (casu quo eis subscripserit Liberius) identitatem *substan-*

stantiæ Filij cum Patre continent, quamvis hæc identitas explicito *Consubstantialitatis* nomine non exprimitur; hoc autem non sufficere, vt Liberius Pontifex Arianæ hæreseos incusetur, mihi certissimum est; etenim non magis necessaria est *Consubstantialitatis* vox, ad Fidem Divinitatis Filij, quàm sub Evangelica Lege explicita CHRISTI Fides necessaria sit ad salutem; atqui non obstante sine Fide explicita CHRISTI, sed sola implicita Cornelius iustificatus fuit iuxta S. AUGUSTINUM *de Prædestinatione Sanctorum. lib. 1. cap. 7. & 84. quæst. in Levit.* & *lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 8.* Quem sequuntur Sanctus GREGORIUS *hom. 9. & 19. in Ezechielem.* Venerabilis BEDA, ANGELICUS DOCTOR 2. 2. *quæst. 10. art. 4. ad 3. & 3. p. quæst. 69. art. 4. ad 2.* MAGISTER SENTENTIARVM *in 3. dist. 25. cap. 4.* aliique plures: Ergo salva Fide, *Consubstantialitatis* vox, in prædicta Sirmiensi Formula, silentio præteriri potuit, cum non implicitè contineretur, in Fide identitatis Substantiæ Filij, quæ in prædicta Formula expressa fuit.

3125 Quintò: Quia non minus est de Fide Mysterium Resurrectionis CHRISTI, quàm potuit esse Mysterium *Identitatis Filij*, *Consubstantialitatis* nomine explicatę: atqui nihilominus in locis Scripturæ Sacræ, quibus probatur, CHRISTI Fidem necessariā esse necessitate salutis, Articulus Resurrectionis CHRISTI omittitur, nullòque modo exprimitur: benè ergo potuit Liberius Pontifex, quin in Fide Divinitatis Filij deficeret, Primæ, Tertiæque Sirmiensi Formulæ, quæ *Identitatem Substantiæ Filij cum Patre*, absque *Consubstantialitatis* expressione confitetur, subscribere.

3126 Maior certa est; minor verò probatur: Quia tàm IOANNES *in suo Evangelio*, quàm PETRUS, & PAULUS *in Apostolorum Actis*, CHRISTI Fidem prædicantes, Articulum Resurrectionis CHRISTI non expresserunt; vt videri potest *Ioannis 3. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* (Ibidem:) *Qui credit in me non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est.*

3127 *Ioannis 6. Hoc est præceptum Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Et *Ioan. 14. Creditis in Deum, & in me credite.* Et 17. *Hæc est autem vita æterna: vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM.*

3128 Et *Actorum 4. Non est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* (Ibidem:) *Non est in aliquo alio salus.* Et *cap. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius.*

3129 Et quamvis Sanctus PETRUS *Actorum 2. & 10.* CHRISTI Resurrectionem annuntiet, nihilominùs cum necessitatem Fidei CHRISTI ad obtinendam salutem prædicat, simpliciter, & absolutè loquitur de CHRISTI Fide, nihil addens de Articulo Resurrectionis, vt videre licet *Act. 26. Vt accipiant remissionem peccatorum per Fidem, quæ est in me.* Eodem planè modo PAULUS *ad Rom. 3.* prædicat, dicens: *Iustitia Dei per Fidem IESV CHRISTI in omnes, & super omnes, qui credūt in eū. Ad Galat. 2. Non iustificatur homo ex operibus Legis, nisi per Fidem IESV CHRISTI.* Et *ad Galat. 5. Nam in CHRISTO IESV neque Circumcisio aliqui valet, neque præputium, sed Fides, quæ per charitatem operatur.* Ergo Petrus, & Paulus iis saltem in locis, Fidei CHRISTI necessitatem prædicantes, Resurrectionis Articulum non expresserunt.

3130 Si ergo Sanctissimi isti Apostoli, iustis, sanctissimisque permoti rationibus, Articulum illum exprimere omiserunt, optimè potuit Liberius Pontifex Sanctissimorum Apostolorum Fidei, & Ecclesię columnarum vestigijs inhærens, primæ, & tertię Sirmiensi Formulæ, quæ *Identitatem Substantiæ Filij cum Patre*, sine explicito *Consubstantialitatis* nomine confitetur, subscribere, quin Fidei, de Filij Divinitate, aliquod inferret detrimentum, aut quin ab illa transversum vnguem discederet; vt plurimum enim *Consubstantialitatis* expressio, solummodo à Nicæni Concilij temporibus necessaria erat, necessitate præcepti affirmativi. Pręcepta autem affirmativa, vt cum ANGELICO probavimus PRÆCEPTORE, quem communis sequitur Theologorum consensus, non obligant semper, & pro semper, neque in omni loco, ac tempore, ita vt illorum adimpletio, iusta suadente ratione, omitti non possit: Iustissimæ autem, ac gravissimæ rationes, vt prædicta *Consubstantialitatis* vox omitteretur, tàm Pontifici Liberio, quàm

Sir-

Sirmiensi Synodo adfuerunt: sine illa namque, Ariani, & Catholici, detestandam Photini, Aëtianorumque hæresim vnanimes condemnabant (aliàs non convenissent) prędictaque Formula Arianę hæresi apertissimè opponebatur; cum enim illa Formula *Idemtitatē substātiæ Filij cum Patre* confiteretur, consequenter Filium esse creaturam, minoremque Patre (quæ Arij, istiusque sequaciū hæresis erat) inficiabatur.

3131 Sextò: Quia quamvis prędictam *Consubstantialitatis* expressionem non modò necessitate pręcepti, sed necessitate etiam medij, & salutis necessariam esse admitteremus, non hinc sequitur, à Pontifice Liberio Sirmiensi in Formula (cui quo ei subscripserit) licitè omitti non potuisse; non enim magis necessaria est necessitate medij ad salutem *Consubstantialitatis* expressio, quam explicita Mysterij Trinitatis notitia; atqui, vt ex Apostolorum Actis clarè liquet, S. PETRUS, S. PAULUS, alijque Apostoli Fidem ad salutem necessariam prædicantes, explicitam Mysterij Trinitatis omiserunt notitiam: Liberius ergo Pontifex Sirmiensi in Formula, *Consubstantialitatis* expressionem omittere potuit, maximè verò cum iam illa Formula *Idemtitatem substātiæ Filij cum Patre* expressè confiteatur.

3132 Maior certa. Ad minoris probationem annotandum duximus, quod Sanctus PETRUS, Sanctus PAULUS, alijque Apostoli in Concionibus Sacris ad Populos habitis, dum illos Fidem ad salutem necessariam erudiebant, Baptismi necessitatem prędicarunt, vt constat *ex Actis Apostolorum, cap. 2. 4. 10. & 26.* At Trinitatis Mysterium ab ipsis prędicatum fuisse, aut explicatum non legitur: Si ergo Apostoli explicitam notitiam Mysterij tam necessarij necessitate medij ad salutem, vt Catholicorum nullus ignorat, licitè tunc omittere potuerunt, cur Pontifici Liberio negaturi sumus, potuisse ab ipso, in Mysterio idemtitatis Filij cum Patre, *Consubstantialitatis* vocem silentio præteriri? Vt plurimum enim *Consubstantialitatis* vox poterat esse necessaria necessitate pręcepti: pręceptum autem illud optimè poterat Pontifex, iusta suadente ratione, dispensare, quin aut ab officio deficeret suo, aut debitæ Confessioni idemtitatis Filij in substantia cum Patre opponeretur, aut deniquè aliquatenùs ab illa discederet.

3133 Hanc præclarè etiam illustrat Sententiam illud PAULI, *Actorum 17.* cum enim Apostolus Athenis in Areopago CHRISTI Fidem prædicaret, illiúsque aperiret notitiam, & Athenienses ad pœnitentiam hortaretur, antequam extrema illa, & horrenda adveniret dies, qua omnes exactissimum CHRISTI maximè iudicium, & examen subituri sumus, cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt, aliàs demùm ad salutem necessarias patefaceret veritates, vt ex illis innotescit verbis: *Vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est Orbem terræ in æquitate, in viro, in quo statuit Fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis*, nihil de CHRISTI Divinitate dixit, nihil expresè de eius Passione annuntiavit: Si ergo Paulus CHRISTI Fidem ad salutem necessariam prædicans, explicitam Divinitatis, Passionis, & mortis CHRISTI notitiam omittit, cum media summè ad salutem necessaria sint, quia id tunc temporis, ita expedire iudicavit; cur crimine aliquo arguendus Liberius est, cum iustas ob causas, Sirmiensi in Formula, *Consubstantialitatis* vocem omisit, cum huiusce modi vox nec necessitate salutis necessaria sit, nec ad Confessionem Fidei de Divinitate Filij, istiusque idemtitate, & æqualitate in substantia cum Patre, necessitate præcepti, indispensabiliter requiratur.

3134 Ut magis ea, quę diximus, elucescant, silentio nequit præteriri id, quod Divo accidit BASILIO, Spiritus Sancti cum Patre æqualitatem, ac Divinitatem accerrimè tuebatur, at *Consubstantialitatis* vocem, contra illam inficiantes non exprimebat, vt rectè adnotavit Pater BAEZA *de Christo figurato, lib. 4. cap. 1. § 31.* dicens: * Sanè Divus Basilius dissimulabat dicere Spiritus Sancti *Consubstantialitatem* cum Patre, vt sic in pace alia prędicans, ad hanc etiam *Consubstantialitatis* vocem postea auditores traheret.* Hęc ille. Ob hanc dissimulationem Arianæ hæresis notatur; at D. GREGORIUS NAZIANZENUS iniuriam, contumeliamque tanto Viro immeritò irrogatam agnoscens, ipsum ab illa vindicat, ipsum tuetur, illiusque Zelum, Doctrinam, dissimulationemque deprędicans, hæc scribit: * Quas eorum insidias, vt eluderet Basilius, alijs quidem vocibus Scriptura petitis, testimonijsque minimè dubijs, eamdem

vim habentibus, necessarijsque argumentis adversarios ita comprimebat, vt nullo modo repugnare, atque in contrarium niti possent: sed, quę maxima disputationis, & ingenij virtus est, proprijs vocibus constringerentur, quemadmodum ijs liber, quem hoc argumento edidit, perspicuè ostenderet, in quo calamum quasi ex Spiritus pixidè movet: sed tamen propriam, & apertam vocem interim vsurpare differebat, tùm ab ipso Spiritu, tùm ab alijs sinceris ipsius pugnatoribus gratiam petens, ac rogans, ne hoc suo consilio offenderentur, nec committerent, vt dum vnam voculam, mordicus retinere conaretur, propter inexplicabilem cupiditatem, omnia perderent.* Hæc ille.

3135 Et quamvis propositum nostrum sufficienter, Sancti Gregorij Nazianzeni Authoritate explicuimus, nihilominùs tamen, vt clariùs appareat, nec Basilium, quod in Spiritu Sancto *Consubstantialitatis* vocem omiserit, nec Liberium, quod in Filio *Consubstantialitatis* nomen silentio prætererit, culpa, aut nota aliqua dignum existere, legantur, quę solita eruditione scripsit BARONIUS *ad annum 371. n. 66.* *Illud (inquit) in primis exēplum de eo, quod *3. tom.* fusiùs est pertractatum, in medium adducere operæpretiū ducimus; firmatum, stabilitumque superiùs Sententia Sanctorum Patrum, Hilarij, Augustini, & aliorum: Nimirum, haud quaquam Confessionem illam Fidei dicendam fuisse hæreticam, in qua Divinitas Filij Dei cum Patre æqualis, alijs vocibus, quibus Ariana hęresis condemnaretur, haberetur expressa, etiam si in Nicęno Concilio Decretum nomen *Consubstantialis* esset silentio prætermissum, quod pluribus est demonstratum, cum egimus de Liberio, deque Concilio Ariminensi.

3136 Atque adeò (prosequitur ipse) si quis pro concione, *Filij Dei æquā cum Patre Divinitatem* alijs plerisque vocibus audientium animis insinuasset, errorenque Arij pariter convulsisset, haud iure in crimen adduci potuisset, quod *substātialis* vocabulum, ex causa aliqua, tunc temporis, prætermittendum existimasset. Quod si absque veræ pietatis offensa silentio licuit præterire, vocem contentiosam, alioquin à Sanctis Patribus in Nicæno Concilio, Divino consilio decretam, cui crimini dandum Basilio fuit, vocem vnam, non tamen à Synodo aliqua definitam, pro ratione temporis, silentio ab ipso prętermissam, cum alijs illi æquè pollentibus pro Assertione Divinitatis Spiritus Sancti; tunc iusta de causa vsus fuerit? His non tàm ad defensionem Basilij, quam ad elucidationem eorum, quæ de Basilio S. Gregorius pluribus narrat in hunc modum præmissis: cum per salebras incedendum sit. &c.* Hæc apud Baronium habentur latè, *loco citato.*

§. VII.

QVÆRITVR: AN ÆQVITATIS iure, vel iniustitia polleat condemnatio Athanasij, quæ à Liberio facta perhibetur.

3137 CUM iam latè probaverimus, Liberium Pontificem calumnia, & Arianæ hæreseos nota, ac infamia, quæ in ipsum insontem texitur, omninò immunem extitisse, estò Formulis, quas Sirmienses Patres in Photinum, Aëtianosque ediderunt, subscripsisset; adhuc nihilominùs videtur, non posse illum omninò ab Arianæ hæreseos calumnia vindicari, quod Arianis adhæserit, vnà cum illis approbans damnationis sententiam, quę ab Arianis ipsis lata fuit, in Divum Athanasium, acerrimum Fidei defensorem, quique, pro Fide sævam illam Arianorum persequutionem constantissimè patiebatur.

3138 Vt autem Sanctissimum Liberium contra Gigantem istum nostrę defensionis scuto satis tectum servemus, & quasi Homerica nube velatum constituamus, ac omnis expertem erroris tueamur, supponimus, quod iam latè statuimus, narratione Historiæ, quam referunt Eminentissimi, ac Doctissimi Cardinales BARONIVS, BELLARMINVS, BRANCATVS DE LAVRÆA, alijque plures, prædictam nempè damnationem in Athanasium latam, non fuisse in causa Fidei, sed ob temporalia motiva, culpasque, quibus in ijs, quæ ad mores spectabant, accusatus, convictusque fuit, quamvis dubium non sit huiuscemodi culpas falsò fuisse illi impactas, vt de illius Virtute, & Sanctitate potest excogitari. Hoc igitur prænotato, discutiendum nunc venit: an Liberius Athanasij innocentiam agnoscens, licitè potuerit, ac iustè, sententiam in prædicto Concilio, contra Athanasium latam, approbare, nec nè.

Di-

3139 Dicimus ergo, ac PRO CONCLVSIONE statuimus, quod, casu quo Liberius illi damnationi subscripsisset, nè latum quidem vnguem ab æquitatis, rectique Iudicij semita discessisset; quod sequentibus rationibus demonstrabimus. Primò; quia communis est gravissimorum Authorum, ac Sanctorum Patrum consensus, cuilibet Iudici fas esse, ferre sententiam in reum, qui secundum allegata, & probata delicti convincitur, estò illum Iudex secundum scientiam privatam innocentem esse agnoscat: Ergo iustè potuit approbare Liberius damnationis Sententiam, quam diversis in Concilijs, ac tandem Sirmiensi in Synodo, Episcopi ibi congregati in Athanasium pronuntiarant: Illi namque tamquam legitimi Iudices ordinarij, Athanasium culpę depositione, ac Sententia dignæ reum agnoverant.

3140 Antecedens, in quo stat difficultatis pondus, multipliciter probatur: in primis S. AUGUSTINI *Psal. 3.* hæc scribentis Authoritate: *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum Leges, & Iura pronuntiat.* Quæ verba exponens ANGELICUS DOCTOR 2.2. *quæst. 67. ar. 2. in sed contra*, hæc scribit: *Sed hoc est iudicare ea, quæ in iudicio proponuntur, & probantur: Ergo Iudex debet secundum huiusmodi iudicare, & non secundum proprium arbitrium.*

3141 Hanc eamdem Sententiam sequutus est Magnus ille Iurisconsultus Ecclesiasticus, S. AMBROSIUS, quem pro hac laudat Sententia Sanctus RAYMUNDUS *lib. 1. suæ summæ, titulo de Iur. Iuran. §. 3.* vbi asserit: *Dicit enim expresse Ambrosius, quod Iudex non debet iudicare secundum suam privatam conscientiam, quam apportavit de domo, sed secundum iura, & allegata, & probata coram ipso, dum sedebat pro Tribunali.*

3142 In cuius confirmationem expressus est TEXTUS *in cap. Iudicet. 3. quæst. 7.* desumptus *ex S. Ambrosio in Psal. Beati immaculati, Ser. 20. ad vers. Miserationes tuæ Domine.* Idem censet S. EVARISTUS Papa *Epist. 2. omnibus Episcopis*, vt habetur *in cap. Nullum 30. quæst. 5.* In idem optimè collimat ELEVTHERIVS Papa *Epist. ad Galliæ Provincias 3.* ex qua desumptum est *cap. Iudicantem 30. quæst. 5.*

3143 Optimè hanc probat Sententiā ANGELICVS DOCTOR, *loco citato, in corpore*: *Respondeo dicendū (ait) quod sicut dictū est, iudicare pertinet ad Iudicē secūdū quod fungitur publica potestate; & ideò informari debet in iudicando, non secundum id, quod ipse novit, tamquam privata persona, sed secundum id, quod sibi innotescit tamquàm personæ publicæ. Hoc autem innotescit sibi, & in communi, & in particulari: In communi quidem, per Leges publicas, vel Divinas, vel Humanas; contra quas nullas probationes admittere debet: In particulari autem negotio aliquo, per instrumenta, & testes, & alia huiusmodi legitima documenta, quæ debet sequi in iudicando, magis quàm id quod ipse novit tamquàm privata persona. Ex quo tamen ad hoc adiuvari potest, vt districtiùs discutiat probationes inductas, vt possit earum defectum investigare. Quod si eas non possit de Iure repellere, debet, sicut dictum est, eas in iudicando sequi.*

3144 Et in responsione *ad primum argumentum*, quod probat multoties accidere, Testes in iudicio contra veritatem pronuntiare, sicut cum aliquid per falsos Testes probatur, respondet Sanctus, quod *Iudicare debent Iudices veritatem secundum ea, quę fuerunt sibi proposita.* Et *in eadem 2.2. quæst. 64. art. 6.* obijcit sibi Sanctus *in tertio argumento*, quod si Iudex deberet sequi sententiam secundum allegata, hinc sequeretur Iudicem constrictum teneri ad capite plectandum eum, quem scit innocentem, per falsos testes convictum. Huic autem argumento respondet, dicens: *Quod Iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentiùs examinare testes, vt inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere iudicandum; si autem hoc non potest, non peccat, secundum allegata sententiam ferens.*

3145 Nec iuvat dicere, durum valdè videri, debere Iudicem publicè vt reum, ac culpę, & pœnæ obnoxium damnare eum, quem innocentem esse certissimè agnoscit: Non, inquam, id obstat; respondet namque Sanctus *ibidem*, id non esse Iudici culpæ vertendum: *Quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem.*

3146 Consonat huic Sententiæ celebris ille, vtriusque Iuris peritissimus, S. RAY-

RAYMVNDVS DE PENAFORT, qui huic eidem propositæ difficultati; an nempè licitè possit Iudex damnare eum, quem secundum scientiam privatam, à culpa immunem agnoscit, & secundum allegata nocens probatur? Ita *loco citato*, respondet: *Ad hoc dicendum, salvo meliori Iudicio, quod Iudex, si perpendet, quod testes velint deponere contra istum, & periurare, debet niti ex officio suo, etiam si accusatus taceat, ad repellendum illos, &c. (Et infrà;) Si autem nullo modo potest eos repellere, & probant secundum formam Iuris sufficienter, hic dicũt ferè omnes Authores Iuris Canonici, quod potest determinare secundum allegata & probata, nõ obstante privata conscientia: nam secundum conscientiam, quam habet vt Iudex debet iudicare: Quod videtur Dominus dicere *in Genesi* 18. de Sodomitis loquens: *Descendam* (inquit) *& videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, aut non?* Et ita *vt dicit Glossa*: Tamquam Iudex, non tamquam Deus. omnia noverat.* Hæc ille. Quibus nihil clarius, nec ad rem nostram aptius.

3147 Eamdem Sententiam sequitur S. ANTONINVS, qui eam Canonici Iuris cognitionem adeptus fuit, vt toto Orbe Sapientissimus fuerit decantatus. Hic enim, illa proposita difficultate, an nempè Iudex innocentem, qui in iudicio nocens, seu malus convincitur, debeat, & possit absque peccato damnare? Duas adducit sententias, aliam GVILLELMI, & NICOLAI DE LYRA arbitrantium non posse Iudicem licitè damnare illum, quem secundum scientiam privatam innocentem agnoscit, estò secundum scientiam publicam, reum esse constet; aliam etiam proponit sententiam gravissimorum Authorum, tuentium Iudicem in iudicando, magis debere sequi legitima documenta per instrumenta, testes, & huiusmodi, quam id, quod vt privata persona novit; & pro hac laudat ANGELICUM DOCTOREM, S. AMBROSIUM, & S. RAYMVNDVM, iisque adhærens, asserit hanc esse communiorem Doctorum Sententiam: *Hæc opinio (inquit) communiùs tenetur.*

3148 Hanc etiam tenent, & probant Sententiam Cardinalis CAIETANVS *in Commentario in D. Thomam, loco supra laudato* 2.2. Cardinalis TVRRECREMATA, celeberrimus Pontificij Iuris peritus, *in Decret. 3. quæst. 7. cap. Iudicet.* vbi hæc scribit: *Respondeo dicendum, quod Iudex regulariter debet iudicare, vel iudicando sequi iura, & leges, & legitima documenta per instrumenta, & alia huiusmodi, quam conscientiam suam. Hæc conclusio patet *ex præsenti cap. & ff. de Officio Præs. illicitas*, §. *Veritas*. Et 2. *quæst.* 1. *cap. Deus Omnipotens.* Et infrà: 11. *quæst.* 3. *cap. Illa, & cap. Summopere, & cap. Nunc vna, & 6. quæst.* 2. *cap. Si tantum, & cap. Placuit.** Quam conclusionem latè probat, argumentaque in oppositum adducta diluit pro hac eadem conclusione laudans Cardinalem PETRUM A TARANTASIA *in 4. Sententiarum, dist.* 37. quem postea ex præclaro Prędic. Ord. pręclara sua merita, insignisque Doctrina ad Pontificatus apicem evexerunt, & INNOCENTIVS V. appellatus est.

3149 GLOSSA *in cap. 1. de Offic. Ordinar. & in cap. Pastoralis*, §. *Quia verò, de Offic. delegat.* vbi CARDINALIS, GLOSSA *in l. 2. ff. de ferijs.* GLOSSA ALBERTINI ET BARTVLI *in* §. *Veritas.* CYNVS, BARTOLVS, & alij *in l. 1. C. Vt quæ sunt ad duo.* IOANNES ANDREAS *in Spec. Tit. de Disputat. & allegat.* §. *Satis, num.* 13. GLOSSA, quæ textum *ibi* ad hoc inducit *in cap. 1. De re iudic. in 6.* IASSON. *in* §. *Si minus, num. 15. de acti.* FELINVS *in dict.* §. *Quia verò, num.* 23. Ex quibus, & his, qui ab eis citantur, constat, hanc sententiam magis communem esse, vt scribunt, eam sequuti BARB. *in dict.* §. *Quia verò, num.* 36. IMMOLA *ibi, col. penult.* Idem *in cap. 1. num.* 14. Idem asserit PRÆPOSITVS *in dict. cap. Iudicet. col. penult.* Hoc ipsum fatentur FELINVS *in dict.* §. *Quia verò.* & ALCIATVS *in dict. cap. num.* 83. dum ex ea regulam in hac quæstione constituunt. Adde CUIACIUM *lib. 12. Observat. cap.* 19. & ex Theologis, præter supra laudatos, IOANNES MAIOR *in 3. Sent. dist.* 53. *quæst.* 4. SILVESTER, verbo *Iudex* 2. *quæst.* 5. imò CAIETANVS, & SILVESTER, post D. ANTONINVM expressè testantur hanc Sententiam à Theologis frequentiori calculo probatam esse. Idem asserit eam sequutus DOMINICVS SOTO *lib. 5. de Iust. & Iur. quæst.* 4. *art.* 2.

3150 Tandèm non est prętermittendus

dus pro eadem sententia alter Salmanticensis Academiæ meritissimus Professor, in vtroque Iure singulari eruditione præstantissimus, Illustrissimus Episcopus COVARRUVIAS *lib.1. variar. cap.1.num. 6.* qui probatis varijs rationibus, hanc sententiam tenens, ita concludit: *His igitur rationibus, ipse opinor veriorem esse opinionem illam, qua adsertum est, Iudicem debere ex allegatis, & probatis in iudicio, quæ sibi vt Iudici nota sunt, non ex his, quæ privatim ex particulari scientia perceperit, sententiam dicere. (Et infrà *num.7.*) Ex hac sanè opinione, quam hactenùs defendimus, liquidò constant plura, & primum, Iudicem posse, ac teneri secundum allegata, & probata, contra privatam scientiam sententiam dicere: etiam si quod privatim scit, ita certò sciat, vt nulla ei possit dubitatio contingere: nec vlla ratione possit in contrarium eius animus adduci.

3151 Secūdum, etiam (prosequitur) in criminalibus Iudicē non posse, sententiā ferre ex particulari scientia; imò vel absolvere, vel condemnare tenetur ex his, quæ ipsi, vt Iudici, per publica documenta constant. Nulla etenim ratio congrua est, nec verè dari poterit, vt inter civiles, & criminales causas hac in re distinguatur, sicut has duas illationes asserunt D.Thomas 2. 2. *quæst.64.art.6.* Caietanus *dict.art.2.* Sylvester *dict.quæst.5.* Cardinalis à Turrecremata *in dict. cap. Iudicet.* Ioannes Maior *dict.quæst.4.* Cardinalis *in dict. §. Quia verò, num.36. & 48.* quidquid in contrarium distinguere alij conentur.* Hæc ille.

3152 Hosce Sanctissimos, celeberrimosque in vtraque Iurisprudentia, ac in meliori Theologia præclarissimos Viros, innumeri alij vtriusque facultatis sequuntur Authores, quos, nè longiùs orationem ducamus, silentio patimur præteriri.

3153 Ex hac tàm celebri, tòtque Doctissimorum Authorum, Sanctorumque Patrum suffragijs suffulta sententia, rectè deducitur, licere Iudici damnationis sententiam proferre in illum, qui secundum allegata, & probata reus convincitur, quāvis Iudex, secundum privatam scientiam, illum omnis culpæ insontem agnoscat: Ergo cum Liberio propositum fuit Athanasium varijs in Conciliis Provincialibus, vel Nationalibus non solum culpæ obnoxium, secundum allegata, & probata, existere, sed etiam in iudicio ordinario, in prima, & secunda instantia, à suis legitimis Ordinarijs Iudicibus damnatum fuisse, optimè potuit Liberius, vt Supremus Iudex, sententiam in Athanasium latam approbare: imò quamvis illum denuò, secundum allegata, & probata damnaret, illius sententia nullam merebatur censuram, estò secundum privatam scientiam, omnis expertem criminis agnosceret, vt omnes Sancti, laudatique suprà tuentur Authores. Velle ergo culpam Liberio impingere, quod sententiam, quæ in Athanasium legitimè secundum allegata, & probata, non in materia Fidei, sed morum, lata fuerat, approbaverit, rationi dissonum est; alienum namque à Catholicorum sensu esse debet, Sanctissimo Pontifici, vitio, ac culpæ vertere actionem, quam Sacratiores Patres, celebrioresque Ecclesiæ Doctores iustam, & omni culpa immunem agnoscunt. At quod maiori nos dolore afficere debet, est, non deesse Authores adhuc ex Catholicis, qui ob tàm innoxium facinus, Arianæ hæreseos labe Sanctissimi Pontificis in Fide puritatem audeant denigrare.

3154 Quàm verò aliena sit hæc censura à iustitiæ rectitudine, à Zelo, ac Sanctitate, quibus floruit Liberius, attentè perpendet, qui ea, quæ pro Liberio hucvsque diximus, legerit, in illis namque non modò alicuius culpæ reum, sed summè innocentem, omnisque sceleris, quod illi depravata malitia adscribit, expertem, ac liberum reperiet.

3155 Vt autem in re tanti ponderis, ac momenti omnem aditum difficultati obstruamus, non iuvat dicere, iudicandum minimè esse illud, quod Hieronymus tribus in locis affirmat, quòdque Authores Hieronymo posteriores, Hieronymum sequuti asseruerunt, omni prorsus fundamento destitui; non, inquam, id dicere iuvat; maior siquidem ratio, quæ Hieronymum, Authoresque illi posteriores, qui ipsum sequuti sunt, ad id asserendum potuit adducere, non alio nititur fundamento, quam falso rumore, quem Hæretici Eudoxiani sparserunt, vt certum asserentes, Liberium ab eo tempore, quo Arianorum malitia insignem illum Osium, tormentorum vi fregit, ac ad Arianæ hæreseos subscriptionem compulit, ipsi hæreti subscripsisse, vt tanti Pontificis Authoritate, hæresis, quæ Filij *Consubstantialitatem* inficiabatur, magis remotioribus in illis

parti-

partibus commendaretur, maioremque sibi conciliaret Fidem. Cum ergo Haeretici, vt certissimum in illis Orientalibus partibus iactarent, tàm Osium, quam Liberium, Arianæ Hęresi subscripsisse, idque non verbis modo, sed & scriptis disseminarent, falsus istè rumor, quo Ariani praeclaram Liberij famam obtenebrarũt, Catholicos aliquos Authores decepit, illosq; impulit, vt ea, quæ de Liberio in Oriente increbuerant, suis proderent scriptis. Vt autem, hæc quæ diximus, non levi niti fundamento videantur, legatur SOZOMENVS *cap.* 14. *suæ Historiæ*, vbi hæc scribit: *Cum Eudoxius, & cæteri cum eo Antiochiæ Hæresis Arianæ fautores, Epistolam Osij nacti fuissent, rumorem dissiparunt, Liberium quoque verbum *Consubstantiale* reiecisse, asseruisseque Filium Patri dissimilem esse.*

3156 Vt autem id, quod de falso illo diximus rumore, quo decepti sunt Scriptores illi, ampliùs stabiliatur, annotanda veniunt, quæ ardentissimo Ecclesiastico Zelo, scripsit NICOLAUS SANDERUS *in Tomo de Monarchia Ecclesiæ, lib.*7. *Iam audivimus, & quis rumor de Liberio fuerit falsò dissipatus, nempè, quod verbum *Consubstantiale* reiecisset; & quis eum dissiparet, nimirum impiús Eudoxius, & Arianæ Hęreseos Authores.* At videamus nunc, quid præstiterit Liberius, vt hanc à se infamiam, quam disseminaverant Hęretici, depelleret, seseque ab imposita calumnia vendicaret. Iam id nobis patefacit ipse Author, edidit namque Liberius Fidei Formulã Arianæ Hæresi penitùs oppositã: *Etenim (inquit Sanderus) Formulam edidit, qua illis interdixit Ecclesiã, *qui Filium Patri substantia, & omnibus rebus similem*, non asseverarent.* Quid autem ad hoc Decretum, quod publicari iussit Liberius, subsequutum fuerit, ab ipso accipite Sandero: *Vtique vt Romanę Vrbi redderetur, satis nè perspicuè res tota declarata est? Nunc autem qui sermonibus per impium Eudoxium, & Aëtianos Hæreticos dissipatis ideò crediderunt, quod veritatem integram non audivissent, hi scriptum reliquerunt, quod Liberius Hæresi subscripsisset.* Hinc igitur subortum fuit, quod & id Hieronymus scripserit, & quod multi illius Authoritate decepti sint, vt sentit idem Author, qui sic prosequitur: *Ex his fuit D. Hieronymus, qui sic habet *in Cathalogo ad Fortunatianum*, & *in Chronico*; verùm quod Hieronymus in ea causa deceptus fuerit, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, & Sulpicij Severi testimonia abundè probant.*

3157 Ex ijs igitur, quæ nobilissimi isti Authores, celebrioresque in illorum temporum Historia Scriptores enarrant, clarissimè deducitur S. Hieronymum, in Historiæ veritate deceptum fuisse, dum Liberio Pontifici adscribit Arianæ Hæresi adhęsisse, nulloque alio, ad id asserendum adductum fuisse fundamento, quam falso illo rumore, quem in Pontificem Liberium Ariani Hæretici disseminarunt; qui insuper rumor non alio innitebatur fundamento, quàm versuta Hæreticorum calliditate, qui suos errores, Pontificis adeò Sancti, ac accerrimi Fidei defensoris Authoritate, vti fuit Liberius, commendare voluerunt, cuius invincibilis Constantia, admirabilis Virtus, ac ardentissimus Zelus, æterna memoria dignus prędicabitur, quin ambigam, Deum ob infractam illius Constantiam, eximiamque Sanctitatem, æternę gloriæ illum commulasse corona.

3158 Idem tenet Pater THEOPHILVS RAYNAUDVS *in Hoplotecha, contra ictum calumniæ*, vbi ita defendit Liberium, vt nec ipsum, vt privatam personam labe Hæresis, infectum esse tueatur. Illustrissimus etiam D. BARTHOLOMÆVS DE CARRANZA, Archiepiscopus Toletanus, *in Summa Conciliorum*, vbi Liberium defendens, ipsum Arianæ Hęresi non adhæsisse rectissimè probat.

3159 Tandem, ad maiorem Sanctitatis, & Apostolici Zeli, quo Liberius exarsit illustrationem, memoratu dignissima sunt, quæ Liberius ipse, *pro Filij Consubstantialitate cum Patre*, quam Ariani pertinaciter inficiabantur, operatus est, postquam Apostolicæ Sedi est restitutus, vt fusè refert Cardinalis BARONIVS *Tom.*3. *anno* 357. *num.* 20. *& sequentibus*, hæc, inter alia, scribens: *Hæc autem, vt de his dubitantibus demonstremus, operępretium visum est, cunctas Liberij res gestas, quæ post obitum Felicis sunt subsequutæ, & quæ prætereà de eodem sint Patrum testimonia, hìc reddere. Quod enim in primis, post Felicis obitum, ipse receperit ad Ecclesiasticam Communionem Clericos, qui erant ex parte Felicis, conservatis illis, Ordinibus, & Dignitate, quod,

quodque eodem Felice defuncto, nulla fuerit cura, eius Communionis Clericis, alium, in locum Felicis, subrogandi Pontificem Maximum, planè argumento esse videtur, iam Liberium, abiecta procul Arianorum communicatione, se in omnibus benè Catholicum exhibuisse: aliàs nequaquam passi essent Clerici Communionis Catholicæ, & inter alios Damasus, Liberij se communicatione fœdari.

3160 At id quidem non intra domesticos parietes, sed in publicis Episcoporum Conventibus, rebus egregiè gestis, idem Liberius prædicavit; siquidem in naufragio illo immenso Concilij Ariminensis: In quo (inquit S. Hieronymus *advers. Luciferian.*) Usiæ nomen abolitum est, & Nicænæ Fidei damnatio conclamata, quandò & totus Orbis ingemuit, & Arianum se esse miratus est: Tunc Liberij Romani Pontificis virtus enituit, & eius Legati Vincentij, Episcopi Capuani.*

3161 Præclarum nobis huius testimonium suppeditat, immediatus Liberij in Sede Pontificia Successor, S. DAMASUS *in Epistola ad Episcopos Illirici* directa, quam refert THEODORETUS *lib.* 2. *cap.* 22. in ea enim, hæc scripta leguntur: * Numerus Episcoporum, qui erant Arimini in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet: præsertim cum Formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integré gesserat, neque alijs, &c.* At hæc, quæ dicit de Romano Pontifice, minimè consentiente blasphemiæ Ariminensi, de Liberio intelligenda esse, SOZOMENUS *lib.* 4. *cap.* 18. atque NICEPHORUS *lib.* 9. *cap.* 41. testantur, cùm tradunt ea de causa, Liberium primum omnium, fuisse ab Ecclesia exturbatum. Hæc quidem satis litteris tunc contestati sunt, Episcopi Catholicæ Communionis, *ad Constantium* scribentes; affirmantes nempè, magna ex his concitanda fore dissidia ob eam causam, in Romana præsertim Ecclesia, ipso scilicet Pontifice Romano contradicente. Recitat eas litteras, in quibus hæc insunt, SOZOMENUS *lib.* 4. *cap.* 17. Quæ quidem omnia, apertè demonstrant, ipsum Liberium, magna animi fiducia, ac strenua fortitudine, Arianorum procaciæ, perditissimis illis temporibus, restitisse.

3162 Nō est leve Orthodoxæ Liberij Fidei argumentum, quod SIRICIUS Papa *Epist.* 1. *ad Hymer.* ait, post cessatum Cōcilium Ariminense, missa esse à Liberio quem Prædecessorem suum venerandæ memoriæ nominat, Decreta Generalia, quomodo recipiendi essent hi, qui ab Ariana hæresi ad Ecclesiam Catholicam redire vellent; quod quidem, ipsi statuere minimè licuisset, nisi in Catholica Ecclesia, Catholicus præsideret Episcopus.

3163 Extat etiam eiusdem Liberij Fidei Professio *ad Athanasium* scripta, cui in signum Catholicæ Communionis, vt ipse quoque subscriberet rogat; quam datam fuisse postquam hæc acciderunt in Concilio Sirmiensi, facilè quisque sibi persuadere potest, dum ea Liberio, pro reconciliationis fœdere, esse scripta videatur, cum antea, intercedente inter ambos arcto cōmunicationis vinculo, superfluum visum esset Fidem suam Athanasio velle testatam, vel Athanasij Liberio fieri manifestam, quæ iam publicis monumentis antè Romæ fuerat consignata. De hac Liberij ad Athanasium scripta Fidei Professione, consule BARONIUM *loco suprà laudato*, eamque tradidimus *num.* 2971.

3164 Tandem nihil planè oportuniùs ad testificandam, certioremque toto Orbe reddendam Liberij Fidem, accidere potuit, quam cum Valentiniani, & Valentis Imperatorum temporibus, ex Oriēte Romam Legatio mitteretur illorum Episcoporum, quibus cum ipse Liberius Sirmij communicasset, qui postea propriam confectati sunt de Spiritu Sancto hæresim Macedonij, hos, inquam, Legatos Eustachium, Sebastenum Episcopum, Sylvanum Tharsensem, & Theophilum Castabolorum, Romam ad Liberium venientes ipse recipere noluit, nisi præmissa Fidei Professione Catholica, ex Nicæno Concilio scripta. Quod quidem S. EPIPHANIUS *Hæres.* 75. S. BASILIUS *Epist.* 74. SOCRATES *lib.* 4. *cap.* 11. & alij testantur. Qua insuper fama claruerit Liberius in Ecclesia Catholica, apud præstantissimos quosque Viros S. AMBROSIUM, & alios, satis superque testatum reliquimus in principio huius Apologeticæ defensionis à *num.* 2646. & *sequent.* quibus non superest pro nunc aliquid addendum, nec his, quæ hactenùs pro Fidei defensione Liberij tradidimus.

CAP.

CAP. XVI.

FELICIS PAPÆ II. IN FIDE Constantia vindicatur.

3165 Contra Felicis Papæ II. Constantiam arguunt Hæretici Centuriatores. *Centuria* 4. *cap.* 10. *colum.* 1286. Hesucius, & alij: quod Liberio ob Catholicam Fidem in exilium pulso, Felix ab Arianis sufficitur, & Arianorum Communione fœdatur, *anno circiter* 307. iuxta Hermandi Chronicon.

3166 Idem tenet SOZOMENUS *lib.* 6. *cap.* 10. RUFFINUS *lib.* 10. *Historiæ*, *cap.* 10. & THEODORETUS *lib.* 2. *Historiæ*, *cap.* 17. qui insuper addit, Catholicos, illum, vti Ariana hæresi fœdatum agnoscentes, ausos non fuisse cum illo communicare, ac in Ecclesiam, in quam ingrediebatur, ingredi: * Nemo (inquit) ex Romæ habitatoribus, in Ecclesiam, dum intus ille erat, ingredi voluit.*

3167 Et, quod magis est, HIERONYMUS illum Catholicum non agnoscit, cum Arianum extitisse clarissimè affirmet: * Felix (inquit) Episcopus Arianus in locum Liberij substituitur.* Ex his Authoritatibus inferunt Hæretici, Felicem à Fide defecisse, atque adeò certum, & indefectibile non esse in Summis Pontificibus, non errandi Privilegium.

3168 Huic argumento respondemus primò, parvi momenti, ac roboris esse Centuriatorum Hæreticorum, aliorumvè similium testimonium, ad probandum Felicem Arianum extitisse; hi namque sunt testes suspectæ Fidei, agnitæ exceptionis, & suspicionis, vtpotè aperti, Fidei, ac Authoritatis Pontificiæ hostes, nihilominùs ab re non erit, horum Hæreticorum testimonijs testimonia aliorum, Protestantium nempè, opponere, quę Felicem hunc ab omni faciunt hæresi immunem. Sic pangunt ex Lutheranis Centuriatores *loco suprà citato*, *colum.* 1286. vbi dicunt, quod Felix, * Congressus est fortiter cum Hęreticis, vt ne Constantio quidem ipse pepercerit, sed Hæreticum, ac secundò baptizatum ab Eusebio Nicomediensi, declarat, in Synodo quadraginta Episcoporum Vrsacium, & Valentem Constantio consentientes.* Apud GRAVINAM *de Papæ Infallibilitate*, *part.* 2. *Tom.* 4.

3169 His addi potest aliud ex Calvinistis testimonium, Junij nempè, qui sic scribit: * Felix II. numquam fuit Arianus mente, sed pacis studio longè prolabens, quàm bona Fide poterat, Arianos, & ad ministerium Sacrum, & ad Communionem admisit, teste ibidem Sozomeno, ex quo fortasè factum, vt licet ab Arianis dissidens mente, Arianus autem respectu partium, quibus consultum volebat, à Hieronymo diceretur, non verè, & realitèr, sed in specie.* Quibus verbis apertè confitetur, Felicem non *vere*, & *realiter*, sed *specie tenùs* Arianum extitisse. Cum enim sæpè cum Arianis communicaret, viam præstruxit, ac fundamenta iecit, vt Arianus iudicaretur, quamvis talis re vera non esset. Censet etiam prędictus Calvinista, hanc Divi Hieronymi, in supradictis verbis mentem esse, & sententiam.

3170 Respondetur secundò: Cum materia hæc magni ponderis sit, ac pernecessaria, nobisque Catholici Authores, & quidem celeberrimi, suppetant, omissis Hæreticis, quos suprà retulimus, aliter nos prædictæ obiectioni ex Hieronymi desumptæ verbis esse satisfacturos, asserentes certissimum esse, si verbum illud *Arianus* Hieronymi certè esset, illique falsò nō adscriberetur, maioris roboris, ac efficaciæ futurum esse argumentum; at cum antiquissimus sit Hæreticorum mos, Sanctorum Authoritates depravare, iisque aliquid quod Fidei, Religioni, Authoritativè Pontificiæ advertetur, ingerere, vt latè diximus suprà, cum de Clemente, & Liberio loqueremur, vetustum istud Hæreticorum artificium ansam nobis, occasionemque præbet, vt suspicemur, & vt certissimè credamus, prædictum Hieronymi textum viciatum esse, illicque *Arianus* verbum, insertum, quia in Sophronio, qui hunc Librum, adhuc vivente Hieronymo, in Græcam transtulit linguam, prædictum verbum *Arianus* non habetur; multaque sunt exemplaria Græca manuscripta quæ vt adnotat MARIUS VICTORINUS, verbum illud *Arianus* non habent.

3171 Et quod pluris faciendum est FRECULPHUS LEXIOVENSIS *Tomo* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. & ADO VIENNENSIS *in Chronic. ætate* 6. Totum hunc Hie-

Hieronymi locum ad verbum referentes, vocem illam *Arianus* non habent. Accipe Freculphi verba: *Acacius in tantum sub Constantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum, Romæ Felicem Episcopum constitueret.* Ado *loco citato*: *Acacius (inquit) Cęsareæ Episcopus in tantum sub Constantio claruit, vt Felicem, Romæ pro Liberio Episcopum consecraret.*

3172 Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA censet idem, quod *loco supra citato* diximus, ijsque duobus vltimis Authoribus in Hieronymi expositione assentitur: *Videtur (inquit) verisimile; quia Ruffinus, Theodoretus, & alij, vt supra citati, contemporanei Felicis, eum liberant à labe Arianismi, quod certè non dixissent, si Hieronymus contrarium scripsisset: facilè enim alterutri de mendacio convinci poterant.*

3173 Eruditus Pater DOMINICUS A SANCTA TRINITATE *lib. 3. Bibliothecæ, sect. 4. §. 4.* huic Hieronymi textui aliam adhibet solutionem: *Dici enim potest (inquit) Hieronymum eo sensu Felicē Arianū vocasse, quo supra Socrates dixit, eū esse Arianæ Sectæ addictum; nimirum, quod illis Arianis, à quibus in eam Sedem evectus erat, communicaret, vt ex eorum voluntate, damnationi Athanasij subscripsisset.*

3174 Idipsum iam antea dixerat Cardinalis BARONIUS *ad annum 355. num. 54.* Hunc enim Hieronymi textum explicans, sic incipit: *Quod autem in aliquibus Codicibus, errore additum Felici reperiatur nomen *Arianum*; exploditur illa lectio, & redarguitur ex antiquioribus codicibus ex Gręco Sophronij textu, quod alij quoque quam plures observarunt, secundum quam germanam lectionem, ab Arianis substitutum Felicem, non autem ipsum Arianum fuisse, habet *in Chronico*.*

3175 Nec ab hac dissentit Sententia Cardinalis BELLARMINUS *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 9.* dicens: *Nam vox illa *Arianum*, addita ad nomen Felicis videtur irrepsisse aliundè, siquidem Codices antiqui manuscripti illam non habent, vt notat Marius Victorinus in hunc locum.*

3176 His etiam egregiè consonat Cardinalis AGUIRRE *loco supra citato, sect. 3. num. 31.* asserit enim: *Neque obstat Authoritas obiecta à Sancto Hieronymo; nam vox *Arianum*, addita ad nomen Felicis, videtur irrepsisse ex alicuius alterius fraude, aut iniuria. (Et infrà:) Vox illa fuit addita, veluti cento assutus germano operi Sancti Hieronymi.*

3177 Verùm estò ex ijs, quę diximus, ac probavimus satis appareat, Felicem, non Arianum, sed Sanctum, ac Martyrem extitisse, nova nihilominùs suboritur difficultas; videtur namque à Pontificum seriē expungendus, vt scripsit ANDREAS VICTORELLUS *in notis ad Pontificale Patris Magistri Ciaconij in Vita Felicis II.* *Expungunt (inquit) à Romanorum Pontificum numero Sanctum Felicem II. Panuinius *adnotatione in eius vitam à Platina scriptam*, & Ciaconius hic.* Verba autem Ciaconij hæc sunt: *Nos in Cathalogo Martyrum veneramur: inter Pontifices autem haud adnumerandum duximus.* Ad quę verba hæc adnotat Victorellus: *Sed perperam certè.* Verū hæc censura immeritò opposita videtur; non enim Panvinius, & Ciaconius solum, sed maioris etiam Authoritatis Viri, Felicem à Pontificum Cathalogo excludunt.

3178 Videatur Sanctus ATHANASIUS *Epistola ad Solitarios*, vbi Felicem Pontificia in Sede, non vt Pontificem, sed vt monstrum potiùs, & Antipapam demiratur, de illius in Apostolicam Sedem intrusione, sic loquitur: *Hoc ministro vtens (Epitecto scilicet Cōstātius) incredibile facinus designavit, & quod verè referat Imaginem Antichristi, vt qui in locum Ecclesię Palatium suum succedere voluit, & pro Cōventu Populi, & Iure Comitiorum tres Eunuchos pręsentes esse iusserit; tresque item, hoc est, Exploratores (non enim eos Episcopos dixeris) vt ipsi Felicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus: Cæterum Populi omnes, cognita Hæreticorum pravitate, non permisisse eos Ecclesiam intrare, proculque ab ijs recesserunt.*

3179 Nec solus Sanctus Athanasius, sed Sanctus etiam OPTATUS MILEVITANUS Pontificum seriem texens, Felicem II. ab illa excludit, *libro* enim 2. *contra Parmenianum*: *Cathedra (inquit) vna est, quæ est prima de dotibus: Sedit prior Petrus, cui successit Linus; Lino successit Clemens; Clementi, Anacletus; Anacleto, Evaristus; Evaristo, Sixtus; Sixto, Thelesphorus; Thelesphoro, Higinus; Higino, Anicetus; Aniceto, Pius; Pio, Soter; Soteri,

teri, Eleutherius; Eleutherio, Victor; Victori, Zepherinus; Zepherino, Calixtus; Calixto, Vrbanus; Vrbano, Pontianus; Pontiano, Anterus; Antero, Fabianus; Fabiano, Cornelius; Cornelio, Lucius; Lucio, Stephanus; Stephano, Sixtus; Sixto, Dionysius; Dionysio, Felix; Felici, Eutichianus; Eutichiano, Caius, Caio, Marcellinus; Marcellino, Marcellus; Marcello, Eusebius; Eusebio, Melchiades; Melchiadi, Sylvester; Sylvestro, Marcus; Marco, Iulius; Iulio, Liberius (hic adnumerandus erat Felix, & sic prosequitur Milevitanus) Liberio, Damasus; Damaso, Siricius; hodie qui noster est Socius, cum quo nobis totus Orbis, & commixtio Formatarum, vt vna Communione societatis concordat. Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare.*

3180 Vbi clarè apparet Felicem II. non fuisse Pontificem; cum enim post Liberium, ante Damasum adnumerãdus esset, nullam de illo facit mentionem Milevitanus, & perindè ac si Pontifex non esset, illum in relata omnium Pontificum seriẽ non adnumerat.

3181 Id itidem censet AUGUSTINUS *Epistola* namque 165. omnium Pontificum Cathalogum texens, immediatumque ordinem, quo vnus alteri successit apponens, ab illo ordine, ab illaque seriẽ Felicem excludit; cum enim Felix post Liberium esset adnumerandus, nec illum adscribit, nec illius meminit Augustinus: *Petro (inquit) successit Linus; Lino, Clemens; Clementi, Anacletus; &c. (Et infra:) Melchiadi, Sylvester; Sylvestro, Marcus; Marco, Iulius; Iulio, Liberius; Liberio, Damasus; Damaso, Siricius; Siricio, Anastasius; in hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur.* Hæc Sanctus.

3182 Ex tam Insignium Sanctorum, graviumque Scriptorum Authoritate, mediocriter insertur, Felicem, estò inter Sanctos, & Martyres adnumeretur, at inter Pontifices nullatenùs esse recensendum. Huic autem argumento, respondetur primò, quod cum negativum sit, non multum ex se ponderis, & efficaciæ habere, multasque ab Authoribus afferri rationes, ob quas Liberium inter, & Damasum omittatur Felix; nempẽ vel quia sui Pontificatus tẽpus brevissimum fuit, vel quia vitiosus fuerat illius in Apostolicam Sedem ingressus; vel tandem, quia cum Scriptores illi rem istam obiter pertractent, multa omittunt, quę illi, qui de his fusiùs egerunt, clarissimè exprimunt.

3183 Hęc fuit BARONII mens *ad annum* 357. *num.* 67. vbi sic scribit: *Ob brevitatem igitur temporis Sedis eius, quod & habetur inclusum Pontificatu Liberij, vel ex eo quod ingressus Felicis fuerat vitiosus; indè factum reor, vt cum Optatus Milevitanus, tùm etiam Sãctus Augustinus, cum recensent seriem Romanorum Pontificum, post Liberium Damasum, omisso Felice, successisse tradant: obiter enim cum illa tractent, atque cursim expediant, eam Sedis vnius Pontificis, nempẽ Liberij, factam iterationem, & Sedem Felicis temporis distinctionem, consultò pręter misisse visi sunt.* Hęc ille.

3184 Aliam prædictę omissionis rationem affert Cardinalis BRANCATVS DE LAVRÆA, asserit enim, *vbi supra*: *Quod cum post Liberium, nõ fuerit facta nova electio Felicis, sed Damasi; quia fortẽ Romanus Clerus electionẽ olim nulliter ab Arianis factam, postea ipsemet ratam habuit, & Felicem vt verum Papam adoravit: id enim sufficere potuit; quod indè potest comprobari, quia Damasus Felicis parti adhæsit. Igitur aliquando fuit verus Papa, &c.*

3185 His valdẽ consonat solutio, qua istam dirimit difficultatem Cardinalis AGVIRRE, asserens: *Optatum, & Augustinum non recensere Felicem inter Pontifices Romanos, ex multiplici capite, quamvis verẽ talis fuerit tandem aliquando. In primis enim Felix, initio intrusus fuit ab Arianis, toto illo biennio, quo Liberius, eo vsque legitimus Papa, apud Beroeam pro Fide exulavit: Deindẽ verò à tempore, quo Clerus, Populusque Romanus, audita Liberij prævaricatione, Felicem elegit, verus Pontifex esse cæpit. Cum statim ferẽ ab Arianis Roma pulsus fuerit, nec satis constet quantum postea vixerit, & vbinam, & quomodo tandem mortem subierit (nimirum de ijs omnibus variæ, & Scriptorum veterum dissidentes opiniones sunt legendæ apud Baronium *anno* 357. *num.* 7. *& tribus sequentibus*) visum fuit his duobus Sanctis Doctoribus, ob ea omnia, illum non recensere inter Romanos Pontifices, ex quibus solos indubitatos nominare voluerunt.* Hæc ille.

3186 Verùm hac solutione, qua difficultatem istam relati Authores, gravitate Doctrina, & Authoritate insignes enodant,

omissa,

omissa, respondemus secundò, quod estò prædicti Sancti in Pontificum serie Felicem Papam omittant, alij tamen illis Authoritate, Sanctitate, & Doctrina minimè inferiores, eumdem Felicem Summorum Pontificum Cathalogo adscribunt, vti S.DAMASUS, qui immediatus fuit Felicis Successor, Venerabilis BEDA, S. GREGORIUS MAGNUS, S. ANTONINUS, Archiepiscopus Florentinus, THEODORETUS, VSUARDUS, PLATINA, NICEPHORVS CALLISTVS, SOZOMENVS, Cardinalis BARONIVS, alijque plures, quorum verba posteà adducemus, qui omnes Felicem in Pontificum seriè adnumerant. Nec solum à prædictis Sanctis, Gravissimisque Authoribus, sed ab ECCLESIA etiam *in Martyrologijs, in Pontificum Sanctorum, & Martyrum numero*, vt probabimus, relatus est. Vndè penitùs corruit argumentum negativum, prædicta Milevitani, & Augustini Authoritate innixum, in Iure namque plus Fidei adhibetur testi è certa scientia aliquid asseveranti, quam mille, qui de ipsa re agentes, illud non expresserunt. Cum igitur non vnicus modò, sed tot sint Sancti, qui Felicis Pontificatum contestes affirment, ac confiteantur; ijsque vniversus Ecclesiæ vsus, Authoritasque accedat, maioris sine dubio roboris, ac momenti pro Felicis Pontificatu argumentum, vniversalis iste Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ consensus erit, quam Authoritas illorum, qui illum in Pontificum seriè non adnumerarunt.

3187 Etenim prçter Authores, quos suprà laudavimus, Felicis etiam Papæ II. meminerunt GENEBRARDVS *in Chronico*, GORDONIVS, GAVLTERIVS, PETRVS OBMERVS, IACOBVS GRETSERVS *in Cardinalis Bellarmini defensione*, SEVERINVS BINIVS *Tom. 2. Conciliorum, ad eiusdem Sancti Felicis Vitam*: à quo etiam litteræ Sancti Athanasij, & Episcoporum Ægyptiorum, & huius ad illos referuntur, quarum initium hoc est: * Domino Beatissimo, & honorabili Sancto Patri Felici, Sanctæ Sedis Apostolicæ Vrbis Romæ Papæ, Athanasius, & vniversi Ægyptiorum, Thebaydorum, & Libyorum Episcopi, in Sancta Alexandrina Synodo, gratia Dei, congregati.* Tot igitur Authoritatibus Felicis Pontificatus sufficienter fulcitur.

3188 Nihilominùs tamen adhuc nova dubitandi ratio consurgit; estò enim, Sanctum Felicem verè Pontificem fuisse admittamus, prout Sancti, maiorisque Ecclesiastica in Historia Authoritatis Scriptores, Martyrologiaque ab Ecclesia approbata testantur; hinc tamen solum probatur illum fuisse Pontificem de facto, non tamen de Iure. Quapropter in sequentibus, id suscipimus resolvendum.

§. I.

AN, QVANDO, QVOMODO, ET, quo Iure legitimus Pontifex fuerit Felix?

3189 PRo clariori huius dubij intelligentia, tria in Pontifice Felice sunt distinguenda tempora. Primum est, sui in Pontificatum ingressus; quod duobus annis, quibus Liberius Pontifex pro Fide exulavit, comprehéditur. Secundum, cum Romæ percrebuit rumor, Liberium defecisse à Fide, exilijque tædio victum, Sirmiensi Fidei Formulæ, ab Arianis evulgatæ, subscripsisse. Tertium, quod à Pontificis Liberij obitu fluxit.

3190 His prænotatis, nullum illucescit tempus, nullusque apparet locus, in quo Felix legitimus Pontifex esse potuerit: quod duplici suadetur ratione. Primò: Quia ille legitimus Pontifex censendus est, qui cum solis Catholicis communicat, suosque sensus cum illis confert: Hæretici namque, & Infideles ab Ecclesiæ Communione ipso iure arcentur, vt *in Iure Canonico* certissimum est. Sic etenim à Sacris Canonibus, Sanctissimisque Concilijs statutum est: idque communis Ecclesiæ vsus, & consuetudo retinuit, vt Hæreticos, Schismaticos, cæterosque Infideles à suo gremio, & communicatione semper excluderet, ideòque Ecclesia *Catholica* dicitur; quia Catholicorum tantummodo legitima congregatio est.

3191 At Pontifex Felix statim, ac in Apostolicam Sedem, Arianorum vi, & potentia intrusus fuit, liberè cum ipsis communicavit; estque communis Authorum consensus, præcipuè verò HIERONYMI, *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Felicem Arianorum violentia in Pontificiam Sedem fuisse intrusum, loquens namque Hieronymus de Acacio præcipuo Aria-

nerum auspice, hæc scribit: *Hic tantùm sub Constantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum, Romę Felicem Episcopum constituerit.*

3192 Quod quidem factum execratur S. ATHANASIUS *Epistola ad Solitarios*, dicens: *Incredibile Facinus (Constãtius) designavit, &c.* *vt supra num.* 3178.

3193 Assentitur RVFFINVS; *lib.* namque 1. *cap.* 22. clarissimè affirmat Felicem, ab Arianis, in Pontificatum fuisse Intrusum: * In Liberij locum (inquit) Felix Diaconus eius, ab Hæreticis subrogatur.*

3194 Felicem autem in Pontificatu liberè cum Arianis communicasse, ipse testatur Ruffinus *loco supra citato*, de eodem namque Felice loquens, sic scribit: *Non tàm sectę diversitate, quàm Communionis, & Ordinationis conniventia maculatur.*

3195 Idem testatur THEODORETVS *lib.* 2. *cap.* 17. vbi hæc habet: *Successum est Liberio à Fideli quodam illius Diacono, nomine Felice; qui tametsi Fidem in Nicæno Concilio expositam ipse servavit integram; tamen cum illis, qui eamdem labefactare studebant, liberè communicavit; ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus, in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.*

3196 Consonat SOZOMENVS *lib.* 4. *cap.* 10. ibi enim de Felice, eiusque Pontificatu loquens, hæc, inter alia, scribit: * Atque ob id solum in crimen vocatum fuisse, quod non modo Arianos Ministros Ecclesiæ ordinaret, verùm etiam quod eorum communione vteretur.* Hæc ille.

3197 His etiã valdè adhæret SOZOMENVS *lib.* namque 4. *cap.* 14. *Romanus (inquit) Clerus Liberio in exilium misso, iuraverat, se nullum creaturum Pontificem, donec Liberius ipse restitueretur, quosdam tamen ex illis periuros effectos, intrusisse Felicem.*

3198 Nec ab hac dissentit sententia NICEPHORVS CALLISTVS *lib.* 9. *cap.* 35. vbi, inter alia, hæc de Felice, scribit: *Vnum tamen illud vitio ei vertebatur, quod priùsquam Episcopus creatus esset, cum diversæ opinionis studiosis communicare sustinuerit.*

3199 Ex quibus Authoritatibus apertè convincitur Felicem Arianorum vi in Pontificatum fuisse intrusum, Apostolicamque in Sedem evectum Constantij Imperatoris potentia, qui cum Liberium Pontificem ab Apostolici culminis dignitate iniuriosè deturbasset, ad ipsam, Felicem, vivente Liberio, promovit, sicque Felix legitimus Pontifex esse non potuit; vel si Pontifex de facto fuit, non tamen de iure fuisse videtur.

3200 Secundo: Quia Schismatici iure à Pontificatu legitimo excluduntur, quod adeò certum est, vt Catholicos inter sapientes, probatione non egeat: Felicem autem vivente Liberio Schismaticum extitisse constat ex Ecclesiasticis Authoribus maioris fidei, & opinionis: Id enim vt certissimum asseverat Cardinalis BARONIVS *ad annum* 357. *num.* 67. vbi ait: *Illud planè debet esse omnibus exploratum, totum illud biennium, quo sedit, cum Liberius Beroeæ exularet, nequaquã in numerum annorum computandum: Siquidem tunc intrusus, atque Schismaticus erat, nec non Arianorum communione pollutus.* Hæc ille.

3201 Idem iudicat eruditus ALPHONSVS CIACONIUS *in Pontificali*, de Felice enim loquens, hæc scribit: *Schisma secundum in Romana Ecclesia, inter Liberium Papam, & Felicem Antipapam.* Referensque illius in Pontificatum promotionem asserit, Arianorum violentia in illam sedem fuisse intrusum: *Qui Pseudo-Pontifex (inquit) creatus, Cõcilium Episcoporum cõgregavit. (Et infrà:) Nec Ecclesia eius Pontificatum probat, quia Pseudo-Pontifex.*

3202 In hanc eamdem Sententiam conspirat vniversus, & frequens gravissimorum Authorum Senatus, quos nunc, quia postea ipsos sumus laudaturi, brevitatis causa omittimus.

3203 Sed iam mihi audire videor tritum illud Iurisconsultorum Axioma: *distingue tempora, & concordabis iura*. Iuxta quod proloquium, si consideramus Felicem in sui Pontificatus initio, quandò in illum, Hęreticorum, Imperatorisque Ariani violentia intrusus fuit, totumque illud respiciamus tempus, quo Liberius Pontifex pro Fide exulans in ipsa constans, firmusque permansit, dubitari non potest, quin toto isto tempore Felicis, Pontificatus legitimus non fuerit: imò iuxta communem Authorum sensum, id in dubium nequit revocari. Ideoque BARONIVS de Felice, istiusque primò in

Pon-

Pontificiam Sedem ingressu loquens, ait, *ad annum 357. num. 63.* * Quamobrem cum ingressus Felicis, absque controversia, à maioribus fuerit existimatus iniquus.*

3204 At si attendatur tempus illud, in quo ad Romanum Clerum perlatum est, Liberium prævaricatum fuisse, eo quod Sententiam in Sanctum Athanasium, qui pro Fide patiebatur, latam, manu sua signaverit, Fideique Formulę, quam Ariani Hęretici Sirmiensi in Synondo ediderant, subscripserit; tunc Clerus Romanus sese à Liberij communicatione retraxit, & cum Felice, qui Fidei vexillum Romę pro Catholica Religione extulerat, communicavit; ex tunc cœpit legitimus Pontifex esse, ac ab illo tempore, inter Pontifices adnumerandus esse videtur.

3205 Ita censent gravissimi Authores, atque ita in concordiam adducunt, & quod Felix initio sui Pontificatus Schismaticus fuerit, & à Liberij pręvaricatione legitimus Pontifex extiterit.

3206 Ita tenet Cardinalis BARONIUS *Tom. 3. ad annum 357. num. 67.* vbi, inter alia, hęc scribit: * Quamobrem illud certum est, haud ante numerari debuisse tempus Sedis Felicis, quàm cum Liberius, Arianorum communicatione implicitus, à Catholica Communione videri poterat excidisse, nemine cum illo communicante, nisi qui pariter cum Arianis coniuncti essent, quibus ipse communione, licet non Hæresi, adhæsisset; à tempore igitur, quo sedit Felix, cum Pontifex declaratus est, ab hoc, scilicet, anno, quantum sederit; haud quidem omninò probare possumus, quod Marcellinus tradit, pervenisse vsque ad Consulatum Valentiniani, atque Valentis, ab hinc annos octo; sed potiùs ipsum Felicem sedisse annum tantum, ac tres menses, totidemque dies, vt habetur scriptum *in libro de Romanis Pontificibus*, quod & verius existimamus.* Hæc ille.

3207 Idem censet Cardinalis BELLARMINUS, qui legitimum Felicis Papæ Pontificatum à notitia lapsus Liberij computat *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 9. col. 732.* asserit namque: * Post biennium, deindè successit lapsus Liberij, de quo suprà diximus: Tùm verò Romanus Clerus abrogata Liberio Pontificia Dignitate, ad Felicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat, & ex eo tempore cępit Felix verus Pontifex esse. Tametsi enim Liberius Hæreticus non erat, tamen habebatur, propter pacem cum Arianis factam, vt Hęreticus, & ex ea præsumptione meritò potuit ei Pontificatus abrogari, nõ enim homines tenentur, aut possunt corda scrutari, sed quem exteriùs operibus Hæreticum esse vident, simpliciter vt Hæreticum iudicant, aut Hæreticum damnant.*

3208 His adhæret etiam Cardinalis AGVIRRE *Tract. 2. de Cathedra Sancti Petri vindicata, sect. 3. num. 33.* ibi enim Felici Papæ tempus legitimi Pontificatus à Liberij lapsu computandum esse arbitratur: *Liberius autem Pontifex (inquit) qui eo vsque invictus permanserat, & constantissimè Athanasium defenderat, Communionemque Arianis negaverat, tandèm tędio diuturni exilij, & laboribus fractus, succubuit, citra defectionem tamen à Fide, vt iam supra ostensum est, & Baronius pręterea comprobat *ad annum 357.* (Et infrà:) Verùm cum exteriùs videretur Fidem abiurasse, propter Sententiam in Athanasium latam, Confessionem sine *Omousij* vocabulo subscriptã, & Cõmunionem cum Arianis habitã, rediẽs Romã, reiectus fuit à Clero, veluti qui simul cum Fide Catholica Pontificiam Dignitatem amisisset. Quarè licet Clerici olim iurassent, se nullum alium Pontificem admissuros Liberio vivente, censuerunt se iam liberos esse à religione iuramenti, & ad Felicem, quem antea respuerant, se contulerunt: qui exindè verus Pontifex fuit, saltem communi Romanorum Iudicio, & suo.*

3209 Et infrà *num. 35.* facta digressione, iterum dicit, & confirmat, non ex aliena, sed ex propria Sententia, Felicem à Liberij lapsu legitimum fuisse Pontificem: *Itaque Felix, à quo paulisper diverteramus, post lapsum Liberij, diffamati de Hæresi Ariana, verus Pontifex à Catholicis haberi cępit, & in ea apud omnes illos æstimatione fuit, non solum quoad vixit, sed etiam post mortem sęculis sequentibus, vsque hodie, addito præterea Sanctitatis titulo.* Hæc ille.

(***) (***) (***)

(***) (***)

(***)

§. II.

§. II.

NVM FELIX FVERIT LEGITImus Pontifex tempore, quo exulabat Liberius pro Catholica Fide.

3210 EX prædictis trium Cardinalium sentētijs colligitur, Liberium ab eo tempore, quo suæ prævaricationis notitia ad Romanum Clerum delata est, Pontificia fuisse Dignitate privatum, Felicemque Romani Cleri, vel approbatione, vel electione, legitimum Pontificem constitutum, sicque ab eo tempore legitimum illius Pontificatum esse computandum, estò anteà, duos nempè illos annos, quibus Liberius pro Fide exulavit, legitimus Pontifex non esset.

3211 Verùm quod id in iure subsistere queat, non levem pariter difficultatem, quod sequentibus monstrabitur rationibus. Primò: Quia eo ipso tempore Felix legitimus Pontifex esse non potuit; quin priùs Liberius, qui legitimus Pontifex proculdubio erat, fuisset exauctoratus, & Pontificia Dignitate depositus; aliàs enim sequeretur eodem tempore duos esse legitimos Pontifices, duòque Suprema Ecclesiæ Capita, quod est intolerabile absurdum, cum expresse illi Fidei Articulo opponatur, quo credimus *vnam Sanctam Ecclesiam*, ob Fidei, & Capitis, illam gubernantis, vnitatem.

3212 Quòd autem Liberius Pontifex ob notitiam, qua ad Romanum Populum perlatum est, ipsum prævaricatum fuisse, ac in Arianam hæresim prolapsum, non potuerit Pontificia Dignitate abdicari, aut ab illa deponi, apertè constat, cum falsus fuerit ille rumor, comentitiaque fuerit calumnia, quam ipsi temerè imposuere Aëtiani Hæretici, qui statim, atque eis innotuit celebrem illum Virum Osium, qui constantissimè pro Fide contra Arianos pugnaverat, tormentorum, & mortis metu tandem secundæ Arianæ Fidei Formulæ subscripsisse, Liberium etiam tædio victum exilij, Fidei Formulæ, in qua Ariani *Consubstantialitatem Filij Dei* inficiebantur, subscripsisse, falsissimè divulgarunt; cuius calumniæ falsitatem satis, superque ostendimus suprà, cum probavimus Liberium solum approbasse, ac firmasse primam Sirmiensis Synodi Formulam, contra Photinum, & tertiam contra Aëtianos, quas Catholicas fuisse S. Epiphanius, S. Hilarius, Authoresque alij illos sequuti, communitèr arbitrantur.

3213 Nec Liberio obstat condemnatio, cui ipse cum Arianis in Athanasium subscripsit; hæc enim, vt fusè probavimus, nec fuit in materia Fidei, nec, vt cum sex Sanctissimis Viris statuimus, culpæ obnoxia in rigore Iuris, dignoscitur: ergo multo minus in materia Fidei poterit Liberio ob falsum illum rumorem imponi, ipsum prævaricatum fuisse, aut Arianæ hæresi adhæsisse.

3214 Secundò: Quia estò prædictus rumor, qui falsò percrebuerat, verus esset, Liberium nempè Pontificem re verà prævaricatum fuisse, & in Arianam hæresim prolapsum, adhuc nihilominùs, vt à legitimi Pontificis honore, quo verè, ac legitimè insignitus erat, decideret non sufficiebat, quod rumor ille Arianum esse pervulgasset; vt enim aliquis honore, quo legitimè gaudet, ritè, & secundum Leges ratione delicti expolietur, necesse est, vt de corpore delicti plenè constet, atque ante legitimū, cōpetentemque Iudicem accusetur, in Ius, & Iudicium vocetur, audiatur, & defendatur; ac tandem delictum confessus, vel convictus officij vel privatione, vel depositione damnetur: nullum autem, ex ijs primis cuiuslibet, sive Cæsarei, sive Pontificij Iuris elementalibus principijs, in quovis reo indispensabilibus, in Liberij à Pontificatu depositione, quæ supponitur, servatum fuisse, constat.

3215. Unicum namque delictum, quod in Pontificibus depositionis causa esse potest, est sola hæresis, vt latè probat Cardinalis IACOBACIUS *de Concilijs, lib. 9.* vbi asserit, quod Romanus Pontifex, extra casum hæresis, non habet Iudicem superiorem in terris; ad quod adducit TEXTUM *in cap. Grave*, & quod ibi notat ABBAS *in vltima nota de Præbendis.* Concludensque ait: * Ex quibus concluditur, quod Papa pro crimine quocũque, etiam notorio, scandalizante Ecclesiam, & de quo est incorrigibilis, modò nō sit crimen hæresis, non potest deponi.* Et postquam plures pro hac conclusione laudavit Authores, aliosque idem sentientes citat, dicēs: *Videlicet Hugonem de Sancto Victore, B. Albertum Magnum, Alexandrum de Ales, S. Bonaventuram, Petrum à Tarantasia, posteà Innocentium V. *in 4. Sent.* Vlticum

cum *in Summa*, Richardum de Media-Villa *in 4. Sent.* Petrum Paludanum, Patriarcham Ierosolymitanum, Herveum, & Alexandrum de Elpidio *in Tract. de Ecclesiæ potestate*. Item, Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, Guidonem, Archidiaconum. Qui omnes volunt Papam verum, & indubitatum, extra casum hæresis strictissimè sumptæ, nullum in terris Iudicem habere superiorem, sed tantum Deum in Cœlis, cuius vices ipse gerit in terris. Et, si benè advertatur, ista est communis omnium scribentium opinio,* vt voluerunt præcitati Doctores.

3216 Nihilominùs ad maiorem huius veritatis confirmationem attentione dignum est, quod dicit Sanctus BONIFACIUS Papa, & Martyr, *in cap. Si Papa, dist.* 40. *Huius, scilicet Romani Pontificis, culpas redarguere præsumit nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à Fide devius.*

3217 Appositè etiam ad hanc rem faciunt verba, Pontificis ADRIANI *in Concilio Romano*, cuius oratio lecta fuit *in VIII. Synodo Generali*, inquit enim: *Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò, quemquã iudicasse nõ legimus; licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem, Anathema dictum sit; sciendum tamen est, quia super hæresi fuerat accusatus, propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus eorum liberè respuendi.*

3218 Idem tenet INNOCENTIUS III. *Sermone* namque *de Romani Pontificis Coronatione, qui incipit: Quis putas fidelis est servus*, ita inquit: *In tantum mihi Fides est necessaria, vt cum de cæteris peccatis Deum Iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in Fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari; nam *qui non credit, iam iudicatus est.**

3219 Consonat Sanctus EUSEBIUS Pontifex *in cap.* namque *Oves 2. quæst.* 7. hæc asserit: *Oves, quæ suo Pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à Fide exorbitaverit, nec vllatenus accusare possunt; quia facta Pastoris gladio ferienda non sunt, quamquam reprehendenda rectè videantur.*

3220 Valdè etiam hanc illustrat Sententiam GENERALE CHALCEDONENSE CONCILIUM *contra Dioscorum*; in hac enim Synodo Sancti Patres gravissimè notarunt Dioscori temerarium facinus, quo ausus fuit in secunda Synodo Censionis Sacræ fulmina in Leonem Papam vibrare. De qua Excommunicatione videatur *cap. Tantum, dist.* 21.

3221 Ad maius huius veritatis fulcimen, notatu dignum putamus, quod ROMANA in SYNODO accidit. Adfuit in ea Theodoricus Rex, cumque Patribus ibi congregatis iuberet, vt de quærimonijs, vel vt potiùs dicam, de postulationibus contra Pontificem Symmachum delatis iudicarent, concorditer Synodus ipsa respondit: Apostolicæ Sedis Antistitem minorum non subiacere iudicio: de quo *in §. Hinc etiam, dist.* 17. In cuius expositione dicit GLOSSA CARDINALIS DE HUGO super verbo *subiacere*: *Nisi in crimine hæresis. *dist. 40. cap. Si Papa.**

3222 Hæc eadem Sententia Synodaliter fuit definita in CONCILIO ROMANO ducentorum decem & novem Episcoporum, Præsidente Sanctissimo Papa Symmacho, regnante Theodorico: Ibi enim hæc habentur: *Non est necesse, super ijs nova condere, sed vetera recitare, atque firmare; Est enim à multis ex nostris Antecessoribus Synodaliter decretum, atque firmatum, vt oves, quæ Pastori suo commissæ fuerunt, eum nec reprehendere, nisi à rectâ Fide exorbitaverit, præsumant.*

3223 Tandem hanc eamdem Sententiam sua solita eruditione illustrat Eminentissimus Cardinalis TURRECREMATA *de Ecclesia, lib. 2. cap.* 93. vbi, postquam plures, gravissimosque huius Sententiæ laudavit Authores, subdit: *Qui omnes apertissimè tradunt, & attestantur, Romanum Pontificem, verum, & indubitatum, extra casum hęresis strictè sumptæ, nullum in terris Iudicem habere superiorem, sed tantum Deum in Cœlis, cuius vices gerit in terris. Sunt præterea huius conclusionis omnes pręcipui Doctores Iuris Canonici, vt Hostiensis, Ioannes Andreas, Guido Archidiaconus, Innocentius, Alvarus Pelagius *in lib. de Statu, & Planctu Ecclesiæ*. Quia Sententia tãtis, & tam irrefragabilibus testimonijs firmata manifestè cõvincitur adversariorũ præsumptuosa assertio, qua cõtra rationes manifestas, contra Sanctorum Patrum Traditiones, contra Sanctorum Conciliorum, & Apostolicæ Sedis Definitiones, nec

necnon contra clarissimorum Doctorum, ac præcipuorum in tota Dei Ecclesia Sententias, dogmatizare non sunt veriti, Romanum Pontificem verum, & indubitatum, extra casum hęresis, pro quocumque peccato mortali, de quo incorrigibilis apparet, hominum subiacere iudicio.*

3224 Ex ijs certissimis, irrefragabilibusque testimonijs Sanctorum Patrum, ac Sacrorum Canonum attestationibus, convincitur, Papam legitimum tantummodo de hęresis crimine accusari in iudicio posse; atqui de delicti corpore legitimè nihil cōstitit, nec Arianę hæreseos crimen, quod Liberio imponitur, probatum est vnquam: Liberius ergo ob prędictam imposturam nequit Pontificatu exauctorari. Maior certissima est ex his, quæ diximus; minor verò probatur: quia prædictum crimen Liberio impositum vnicè innititur subscriptione, & approbatione secundę Sirmiensis Fidei Formulæ, in qua *Filius cum Patre Consubstantialitas* negabatur. (Hæc enim tantùm, tres inter Sirmienses Formulas hæretica fuit) Nullus autem est alicuius nominis, fideivè Author, qui huic Formulæ subscripsisse Liberium probet, nec in prędicta Formula talis Liberij approbatio, vel subscriptio reperitur, imò impossibile fuit Liberium huic subscribere; vix enim in lucem prodijt, cum ab ipsis Arianis Episcopis, qui illam ediderant, Imperatoris iussu, quod in Dei Filium impia, silentio suppressa, imò & tenebris obruta, nondum apparuit, vt cum gravissimis Authoribus fusiùs suprà probavimus. Vndè cum de corpore delicti, Ariana nempè hæresi, non constet, necesse est, vt Liberium huiusce modi hæresis immunem, & ab omni impostura liberum fateamur, sicque legitimum semper extitisse Pontificem, nec ab amplissimo Apostolicæ Dignitatis gradu vnquam fuisse deiectum.

3225 Tertiò: Quia principium est in omni iure, tàm naturali, quàm Divino certissimum, neminem absentem, & inauditum posse ratione delicti iudicari, damnari, & ab officio legitimè obtento deponi. Constat *ex cap. Nos* 1. *cap. Iudex* 2. *quæst.* 1. *cap. Non oportet* 5. *cap. Absentes* 11. *cap. Absens* 13. 3. *quæst.* 9.

3226 Hæc fuit S. GREGORIJ mens *lib.* 7. *Indict.* 2. *Epist.* 43. ADRIANI I. *in capitulis Ingelramno datis*, *cap.* 1. Id etiam statuit SYNODUS TRECENSIS *sub Ioanne VIII. cap.* 7. & SYNODUS LATERANENSIS I. *cap.* 8. Atque ita tenent multi Authores, quos allegant VALENZUELA VELAZQUEZ *consil.* 6. *per totum.* ANTONIUS AUGUSTINUS, Taraconensis Archiepiscopus, *in Notis ad cap.* 5. *Collect. Canonū*, ADRIANUS PAREXA *de Instrumentorum editione*, *Tom.* 2. *titulo* 7. *resol.* 2. Et fusè P. THEOPHILUS RAYNAUDUS *Tom.* 14. *Tract. de Damnatione auditi*, BARONIUS *anno* 54. *num. vlt.* & *anno* 207. *num.* 3. verùm ijs, alijsque allegationibus omissis, Authoritate, & ratione stabilitur hæc Assertio.

3227 DICIMUS ENIM: sententiam certissimam esse, omnique consentaneam iuri, neminem inauditum, & non citatum posse condemnari. De Iure Divino patet *Gen.* 3. vbi Deus antequam Protoparentem nostrum capitali destinaret iudicio: illum in ius vocavit, illiusque defensionem audivit: quem locum expendens LUCIFERUS CARALITANUS *contra Constantium Imperatorem*, *lib.* 1. *pro Sancti Athanasij defensione*: * Quomodo (inquit) arbitraris divinitùs permissum puniri inauditos, quando videas Adam, & Evam Principes nostri generis auditos, sententia perculsos Dei.* (Et infrà:) Eidem Imperatori Caini casum proponens, illumque expendens: * Dedisti (inquit) præcepta, damnandum esse inauditum absentem, negandamque esse audientiam, purgare se posse de crimine obiecto proclamanti. Abel interficitur iustus, & interrogatus Cain, sumit sententiam: & tu Domini inauditum vis puniri Sacerdotem?*

3228 Plerisque alijs Sacræ Scripturæ locis, communis hæc æquè, ac certa probari poterat sententia; omitti tamen non potest id quod *cap. Deus Omnipotens.* 2. *quæst.* 1. adnotatur, noluisse nempè Dominum Sodomorum peccata punire, quin prius descenderet, & videret. Huic Geneseos Historię consonat illud IOANNIS *cap.* 7. vbi hæc, notatu dignissima verba, scribuntur: ***Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid faciat?***

3229 Nec pro hac veritate desunt Sanctissimi Patres, Doctoresque celeberrimi; id namque tenet AVGVSTINVS *lib.* 1. *de Civitate Dei*, vbi: * Vos appello leges (inquit) Iudicesque Romani nempè post patrata facinora, neque quemquam scelestum indemnatum voluistis occidi?*

Eidem

3230 Eidem adhæret sententiæ SYMMACHVS Pontifex, *ad Theodosium Imperatorem* scribens: * Quæso igitur (inquit) ne in contumeliam iudicij vestri, & iuri, & innocentiæ fraus paretur; quando enim absentibus, atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Quis vmquam sententiam numinis vestri inauditus excepit?*

3231 Idem tenet LACTANTIUS *lib.5. Institut.cap.1.* vbi hæc habet: *Sacrilegis, & proditoribus, & veneficis potestas defendendi sui datur, nec damnari quemquam, incognita causa, licet.*

3232 Apposité ad hanc rem aiebat TERTVLLIANVS *in Apolog. cap. 1.* * Inauditam si damnant causam, præter invidiam, iniquitatis suspicionem merebuntur alicuius conscientię nolentes audire, quod audientes damnare non possunt.* Cui consonat HIERONYMUS *Epist. ad Iulianum*: *Inter absentes (inquit) incerta cognitio est.* Ideòque optimo iure Sanctus GREGORIUS, relatus *in cap. 1. de cauf. poss. & propr.* scribens *ad Felicem in Sicilia*, quem nobilissimum Virum fuisse testantur illius temporis Historici: * Nec nos (inquit) contra inauditam partem aliquid possumus definire.*

3233 Ex ijs Textibus, & Authoritatibus nostræ Assertionis certitudo stabilitur; optimèque probatur: alienum esse ab omni ratione, & Iure, Iudicem aliquem, quantumvis supremum, sententiam ferre contra absentem non auditum, nec citatum. Citatio namque species defensionis est; quæ quidem defensio cuilibet reo iure naturæ competit, non modò in criminalibus, vt est certissimum, sed etiam in civilibus, vt rectissimè, ad hunc Sancti Gregorij textũ adnotavit, D. EMMANVEL GONZALEZ *in dict. cap. 1. Lit. A.* * Quia nõ solum (inquit) in criminalibus, sed etiã in civilibus causis defensio à iure naturali provenit. Ergo si contra absentem, non citatum in criminali causa procedi non potest, nec etiam in civili.* Verùm in criminalibus causis, sententiam, parte non citata, nullo modo proferri posse, communis est Iurisconsultorum consensus; ita tenent BALDVS, JASON *l. in prima §. Si quis. ff. quod quisque Iur.* GABRIEL *tit. de citat. conclus. 1. titul. 29.* quos communiter, tum Cæsarei, tùm Põtificij Juris Doctores sequuntur.

3234 Cum igitur principium adeò certum sit, tot Authoribus probatum, iure Divino, Civili, & Canonico statutum, tót præclarissimis Authoribus, celebrioribusque in vtraque Jurisprudentia Sanctis stabilitum, neminem posse ratione delicti damnari, quin priùs ante legitimum, competentemque Iudicem fuerit accusatus, auditus, & defensus; cum omnia ista Iure Divino, & naturali, in infœliciori totius Orbis reo postulentur: hinc omni prorsus iuri, Naturali, & Divino, Civili, & Canonico opponitur admittere, Liberium, cum legitimus Pontifex esset, ob hæresis delictum Pontificatu fuisse depositum, aut privatum; cum ante legitimum Tribunal, nec accusatus, nec citatus, nec auditus, nec defensus fuerit, nec ab aliquo competenti Iudice Pontificatus privatione, aut depositione fuerit damnatus.

§. III.

AN CREATIONEM FELICIS praecesserit legitima causæ cognitio, damnatio, & depositio ob suspicionem, vel assertum hæresis crimen, Liberij.

3235 PRo maiori huius difficultatis intelligentia, supponendum duximus, quod vt celebres Authores Theologi, imó ex Canonistis aliqui tuentur, Pontifex legitimus superiorem Iudicem, qui de illius delicto ferre possit sententiam, non agnoscit. Ita tenent innumeri illi, qui Pontificem esse supra Concilium defendunt: quia cum Iudex natura sua debeat esse superior; Pontifex autem toti Ecclesiæ, omnibusque Fidelibus, tàm divisivè, quàm collectivè sumptis, iure Divino præsit (vt *lib. de Potestate Papæ supra Concilium*, probabimus) nullus certè mortalium poterit Pontificis legitimus, competensque Iudex constitui.

3236 Nec desunt, qui arbitrentur, adhuc in casu hæresis legitimum Pontificem non posse damnari; Privilegium namque non errandi efficacissima CHRISTI Oratione innixum: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat Fides tua*; non solum Petrum, sed etiam Petri in Cathedra Successores, omnes Pontifices, à Fide indefectibiles (ac perconsequens iniudicabiles in Fidei causa) constituit, vt latè probavimus *toto Libro 1.*

3237 Nec obstat quod Papa, tamquam privata persona possit errare; hoc enim non est ad rem, quia vt privata persona non est Papa, de quo procedit quæstio. Itaque Papa, vt Papa, est persona publica, est totius Ecclesiæ Caput, & Doctor, Pater Fidei, docens ex Cathedra, &c. Atque adeò, si hoc modo non potest à Fide deficere, nec vt Papa potest.

3238 Verùm ijs sententijs, quæ pro nunc nobis necessariæ non sunt, omissis, estò admitteretur Doctrina, quam *in secundo argumento* adducimus, indicante Pontificem incidere posse in hæresim, & in isto tantummodò eventu posse ab homine accusari, iudicari, & deponi. Pro CONCLVSIONE statuimus: de suspicione hęresis Liberij non fuisse secundum morem Ecclesiæ, eiusque Canonica statuta competenter, legitimêque iudicatum. Est enim principium *apud Canonistas* certissimum, neminem mortalium posse esse legitimum Pontificiæ accusationis Iudicem, ob supremam illius Dignitatem, qui possit cognoscere de hęresi, casu quo in eam inciderit, præter Ecclesiam in Generali Concilio repræsentatam. Optimè ad hanc rem Cardinalis IACOBACIVS *de Concilijs*, *lib.*8. vbi sic scribit: * Dicit etiam Ægidius, quòd quando accusatur Papa de hęresi, debet fieri in Concilio Generali; quia nullus mortalium potest se ad hoc intromittere, nisi Ecclesia Vniversalis, quia ad hoc expediendum debet vocari. *C. de Authoritate Præstan. l. vltima, & Reg. quod omnes. in 6.* Quæ Vniversalis Ecclesia repræsentatur in Cõcilio Generali tantumodò. (Et infrà:) Cũ autẽ nõ accusatur de hęresi, remanet verus Papa, & verus CHRISTI Vicarius, cum sua plenissima Potestate, quia nullum crimen eum privat, nisi sola hæresis.*

3239 Quod autem ad cognoscendum de Arianæ Hæreseos crimine, quod Pontifici Liberio adscribebatur, ab eo tempore, quo suæ prævaricationis notitia ad Romanum Clerum perlata est, ad vsque illud tempus, quo Felix vt legitimus Pontifex susceptus fuit, congregatum non fuerit Concilium, certissimum est; vt enim istud congregaretur, primò, necessaria erat Pontificis Liberij Authoritas, cum legitimus Pontifex esset, quo vsque Ecclesię in Concilio innotesceret, ipsum in Arianam Hæresim fuisse prolapsum; sicque Liberius ratione huius delicti ab Apostolicæ Dignitatis gradu decideret. Ita censet IACOBACIVS *lib.* 7. vbi sic de Pontifice scribit: * Ad quem expectat Congregatio Concilij, quando sumus in vno indubitato Papa? Tunc clarum est, quod sine eo non potest Congregari Concilium: aliàs esset Conciliabulum, & Acephalum, & Conventiculum, non Concilium, vt 17. *dist.* per totam maximè *in cap. Nullus.** Hæc ille.

3240 Secundò requiritur, quod Hæresis sit publica, & manifesta; tunc autem talis habetur, quando potest in Iudicio convinci. Ita censent insignes, ac Doctissimi illi Canonistæ IOANNES ANDREAS, & ARCHIDIACONUS *cap. in Fidei, de Hæreticis in 6.* qui dicunt, Papam esse manifestè Hæreticum quoties id probari potest in Iudicio. Quot autem testes necessarij sint, vt in Iudicio Pontifex Hæreseos convincatur, optimè advertit Pater PAVLVS FABULOTUS *de Potestate Papæ supra Concilium* (cuius Tractatus insertus est Tractatui inscripto: *Apparatus ad Concilia Generalia*) vbi gravissimus iste Author hæc scribit: * Notandum quintò, plures testes requiri adversus Summum Pontificem, quàm adversus alios, nam *si in cap. Præsul. caus.* 2. *quæst.* 4. in causa Episcoporum septuaginta duo, in causa Cardinalium Presbyterorum quadraginta quatuor, in causa Cardinalium Diaconorum viginti septem, in causa Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, Ostiarij septem vt minimũm testes requiruntur, iure Augustinus Triumphus *lib. de Potestate Ecclesiæ, quæst.* 5. *art.* 5. Alphonsus à Castro *lib.* 2. *de Iusta Hæreticorum punitione*, *cap.* 23. Alvarus Pelagius *lib.* 2. *de Planctu Ecclesiæ*, *cap.*10. alijque Canonistæ *in cap. Præsul. citato*, colligunt plures testes in Pontificis, quàm in aliorum causa requiri.*

3241 Cum igitur non constet, Generale congregatum fuisse Concilium, vt de Pontificis Liberij Hæresi cognosceretur, nec insuper constet huiuscemodi delicti fuisse accusatum, nec septuaginta duos, productos fuisse testes, nec duos, imò nec vnicum, qui illum legitimè accusaverit, cum nullus Author adhuc illorum, qui Liberium exauctoratum fuisse arbitrantur, tale Concilium, nec legitimum, nec Acephalum, nec iuridicam accusationẽ assignet, nec in Concilio aliquo de tali causa actum,

aut,

aut Liberium auditum, defensum, Hereseos accusatum, damnatumque affirmet; durum certè videtur, & à Catholica Pietate prorsus alienum, Pontificem Liberium Arianę Hæresis publicè notari, legitimo deficiente actore, teste, ac iudice, alijsque, tàm à Iure Divino, quàm humano requisitis, vt tamquam de Hæresis labe reus convinceretur, ac depositionis pœna damnaretur.

3242 Illud nobis certissimum est, si Marcellinus ob thurificationem quam Idòlis sub Diocletiano Imperatore, mortis metu impulsus, exhibuit, Idololatriæ accusatus fuit, septuaginta duos testes, qui nefandi illius sceleris ipsum convincerent, diligentissimè fuisse conquisitos, congregatumque ab eo Generale Conciliũ in quo nõ modo convictus, sed coram omni etiam Sinuessana Synodo noxam ipse suam confessus est, quo ab illis Patribus apertè innuitur, solum Generale Concilium esse, ad quod de Iure pertineat cognoscere de Hęresis, vel Idololatriæ crimine in Pontificibus. Et quamvis Marcellinus suam confessus fuit culpam, & illius sceleris convictus, ausum nihilominùs Concilium illud non est in Pontificem legitimum sententiam proferre, imò potiùs omnes vno ore dixerunt: *Quoniam prima Sedes non iudicabitur à quoquam: noli ergo audiri in Iudicio nostro, sed collige causam tuam in sinu tuo: tuo ore tuam causam iudica, non nostro Iudicio.*

3243 Valdè etiam memorabile fuit, quod de Pontifice Symmacho proditur, Theodorici Regis opera congregatum fuisse Concilium, vt in illo de crimine, quod prædicto adscribebatur Pontifici, Iudicium, & sententia proferretur; at Concilij Patres aliud ius dicere ausi non sunt, quàm illum à calumnijs falsò impositis vindicare, iudicantes soli Deo reservatum esse cognoscere de his, qui Dei vice, in supremo Ecclesiæ culmine, funguntur in terris, vt rectissimè adnotavit Archiepiscopus Toletanus, DON BARTHOLOMÆUS CARRANZA *controverf. 4. de Authoritate Concilij Generalis, apud Iacobacium*: *Congregati in Concilio Episcopi, vna voce dixerunt: Symmachus Papa Sedis Apostolicę Præsul, ab huiusmodi oppositionibus, quibus est impetitus, quantum ad homines respicit, sit immunis, & liber, cuius causam totam Dei Iudicio reservamus; quia in confesso est, non licere homini, adversus Romanum Pontificem dicere sententiam. Hæc in Synodali diffinitione eiusdem Concilij, cui subscribunt vniversi Episcopi præsentes.*

3244 Ex ijs, alijsque plurimis, quas afferre possemus, historijs, apertè constat, quotiescumque de Pontificibus culpæ aliquæ graves in materia Fidei, quæ Ecclesię scandalo esse potuerint, pervulgatæ sunt, omnes illas ad Generalia Concilia esse delatas, in ipsisque cognitas, vt sic Ecclesię in Generali Concilio congregatæ, clariùs innotesceret Fidei puritas, & innocentia, quæ in Pontificibus, qui Ecclesię Clavum tenuerunt, semper illuxit, calumnięque falsitas, quam depravata Hęreticorum malitia temerè illis adscribit. Huius autem pravitatis exempla, quia cuivis Conciliorum historias legenti obvia, libenter omittimus. Undè si certa esset calumnia, quæ Liberio imponebatur, ipsum nempè Ariana hæresi infectum fuisse, sine dubio Catholicus Populus Generalis Concilij convocationem instantèr postulasset, vt in illo de Liberij causa ageretur, & vel ipsius damnaretur crimen, vel tanti Pontificis innocentia ab omni scelere agnosceretur immunis.

3245 Nec obstat dicere, Liberium Arianæ hęresi adhæsisse, ipsique subscripsisse, publicum fuisse, & notorium, tàm in Oriente, quàm in Occidente, sicque Clerum Romanum, Catholicosque cæteros, legitimè potuisse sese à Liberij communicatione abducere, & Felici, quem Catholicum esse certissimè sciebant, communicare; Felix namque statim, ac ad Romanum Clerum Liberij prævaricatio delata est, vt sese Catholicũ ostenderet, Fidei vexillum erexit, vndè tàm à Clero, quàm à Romano Populo, Pontifex est acclamatus.

3246 Verùm hanc obiectionem minimè subsistere, certo certius est; licet enim, aliqui Authores in facto notorio (vt voluit CALDERINUS *in repert. cap. Vest. de cohab. Cler. & Muli. in octava char.* referens Innocentiũ, & Hostiensem *in cap. tua, eo titulo*) licet non constet Iudici, vt Iudici, de notorio: si alias factum est notorium, eius sententiam irrevocabiliter tenere, & absque citatione, aliavè probatione super notorio posse procedi. Pro quo TEXTUS videtur clarus *in cap. Bona. 1. de electione*. Et ibi ABBAS *in 3. & 5. notabili*. Notorium enim non indiget probatione, sed sufficit allegare, & probare illud. Vt CLEMENTINA *Appellanti, in Glos. de Appel-*

 la-

lationibus, *cap.* 2. Ibi IOANNES ANDREAS, *vt lite non contes.* BALDVS *lib.* 1. *cap. Qui. & adversus quos. l. Si vero. §. Qui pro rei qualitate. ff. Qui satisda. cogan. l. Emptorem. ff. de action. empt.* LAPUS *allegat.* 1.

3247 His tamen non obstantibus, prędictaque horum Doctorum Sententia minimè refragante, certum est, Iudicem, estò Supremum, vti Imperatorem, vel Pontificem, in gravioribus delictis sententiam in absentem, Iuris ordine non servato, ferre non posse, præcipuè verò contra omninò non citatum, vel contra citatum ad locum notoriè non tutum. Ita censet ANGELVS *in l. si Accusatoribus, C. de accus.* & idem Angelus *in l. Princeps legib. ff. de ll.* & dicit à veritate deviare, quod dicit Baldus *in l. ne causas. C. de appellat.* quinimò ipsemet BALDVS dicit contrarium, *C. de ll. Et Legistæ communiter in l. Si quis arbitratur, ff. de verborum oblig at.* Canonistæ etiā *in cap. 1. de caus. Possession. & prop.* & TEXTVS, & GLOSSA *in l. is qui Reipublicæ causa abest.*

3248 Et generaliter, citationem in notorio omitti non debere, certissimum est; nam præterquam quod Iuris est naturalis, & defensionis species, quę nullo humano Iure tolli potest, illam in notorijs etiam delictis interesse debere, ipsa naturalis ratio suadet; quia nullum est maleficium adeò notorium, vt habere non possit excusationes, sive occultas circunstantias, ipsum excusantes, secundum IOANEM ANDREAM, & ANTONIVM *in cap. de Dilat.* & GLOSSAM *in cap. Bonæ 1. de Elect. & in cap. cū Dilectis. de Purgatione Canonica.* Et MILIS multum notabiliter in verbo, *Notoriū an excusset.* & *in ca. Porrò. de Divort.* & *in cap. 1. de Caus. Poss. &* *prop.* & *in cap. Ad nostram.* Et GLOSSA *in l. finali.* Ibi BALDVS *C. de ll.* & TEXTVS *in Clem. Pastoralis. de re iudic.* Vbi annullatur processus ex defectu citationis, quantocumque processus esset, tamquam super notorio. Quinimò plus probat ille textus, quod quantumcumque Imperator interlocutus fuisset, esse notoria, super quibus procedebat, nihilominùs annullatus fuit Processus. Nihil enim est tam indubitatum, & notorium, quin recipiat quandam solicitam dubitationem, vt *in Authentica. de Tabellionibus, circa medium Constitutionis.*

3249 Hanc præclarè illustrat Sententiam modus ille, quem in Iudicijs tenendum esse, Supremus totius Orbis Iudex docuit, DEVS, qui vt ad Sodomorum peccata punienda procederet, estò adeò sibi publica essent, ac notoria, vt nulla ei possent tergiversatione celari, nihilominùs citationem noluit prętermittere: *Descendam* (inquit) *& videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Vt *in cap. Deus Omnipotens 2. quæst. 1.* & *in cap. Qualiter, & quando de accusationibus. Genes.* 18. Et *Genes.* etiam 3. Noluit Deus in Adamum animadvertere, quin prius illum audiret: *Adam vbi es?* Vbi adnotat NICOLAVS, hoc dicit; * non quia Deus indigeat tali investigatione, sed vt doceantur per hoc Iudices non sententiare donec diligenter veritatem inquisierint.*

3250 Appositè ad hanc Sententiam facit instantia GLOSSÆ MAGNÆ *in Extr. Rem non novam.* Quæ estò sentiat in notorijs non esse Iuris ordinem vsquequaque servandum, censet tamen Iuris ordinem in citando, & sententiando omitti non posse. Eadem insuper Glossa latè *in illa Extravagāti* disputat, an Pontifex possit contra aliquem sine citatione procedere? Et sub tituli disputatione, negativè respondet; ad quam stabiliendam sententiam, illud *Genes.* 4. adducit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: quod rectè expendit ARCHIDIACONVS 2. *quæst.* 1. *cap. Quæ Lotharius*, vbi vult semper in notorijs citationem requiri, quando contra certam proceditur personam, sicque à Curia servari, dicit.

3251 Idem sentit CALDERINUS *in dicto cap. Vestra in 9. Char.* vbi ait: quod quando proceditur contra certam personam etiam in notorijs requiritur citatio. Et BARTOLVS *in l. Ictus fustiū, ff. de his qui vt. infā.* & *in dict. c. Vestra.* IMMOLA *in Clement. Pastoralis in principio in 5. notabili*: qui vult Iudicem, vt possit procedere super notorio, debere ante omnia per sententiam interloquutoriam declarare, illud esse notorium. Vbi autem certum non est, quod in facto notorio defensio absenti non competat, semper debet fieri citatio, vt dicunt ABBAS, & FELINVS, *in* 10. *columna, in cap. cum olim. de re iudic.* & idem Abbas *in consil.* 68. *quod incipit: Quamquam.*

3252 Vndè si iuxta eruditissimos hosce

hosce in vtroque Iure Authores, nullus Iudex quantumvis Supremus, sive Imperator, sive Pontifex sit, super notorio, Iuris ordine non servato, in citando saltem, & sententiando, contra nullum reum, estó totius Orbis infœlicissimum, procedere potest; multo vtique minus Romanus Clerus, cum Iudex competens non esset, nullaque ei Iurisdictio in Pontificem Liberium coactiva competeret, eo quod legitimus Pontifex esset, contra ipsum Liberium ratione delicti Hæresis, Iuris ordine non servato, saltem in citando, & sententiando procedere potuit, vt ipsum Pontificatu privaret, hoc enim neque ipsum Generale Concilium posset, estô illud solum hoc in casu Iudex legitimus sit, cum neque istud Sententiam possit ferre in notorio inaudito, indefensoque reo, ac cæteris omnibus naturali, Divinoque Iure requisitis non exactissimè servatis.

3253 Ad maiorem huius confirmationem, animadversione digna sunt, quę tradit ABBAS *in Consil. 68. in fine*, & *in Concil. 33. in primo volumine super cap. Consuluit.* Multoties nempè, multa dici notoria, quæ re vera notoria non sunt, imò & falsa, pręcipuè verò cum de reo absente dicuntur, cuius famam, vel distantia, vel malitia depravare contingit; ideòque, *loco supra laudato*, hęc scribit Abbas: * Multa dicuntur notoria, quę in veritate non sunt notoria.* Iuxta quod dicit ANTONIVS *in cap. Vestra, col. 48.* Quod quando procedit Iudex, tamquam super notorio aliter non servato iuris ordine, si illud in rei veritate non est notorium, processus est nullus. Hinc sequitur, quod quando factum, super quo dicitur resultare notorium, est dubium, semper debere super illo recipi testes, *ff. qui satisda. cogan. l. si verò. §. Qui pro rei.* INNOCENTIVS, & HOSTIENSIS *in dict. cap. Tua. de cohab. Cler. & Mulier.* CALDERINVS *in repe. cap. Vestra.* Et DOMIN. *in cap. Manifesta, in fine 2. quæst. 1.* Et *in cap. Si peccaverit. §. fin. & cap. Deus Omnipotens. §. Si quando. ead. 2. quæst. 1.*

3254 Imò etiam, si parte absente, procedatur tamquam super notorio, debet probari factum notorium, vt voluit ANTONIVS *in dict. cap. Vestra, in vers. vbi autem proceditur in absentem*; & probat TEXTVS *in l. hæc autem, §. 1. ff. ex quib. caus. maior.* Si enim non constat Iudici, vt Iudici, de notorio, vel si ipse ignorat notorium, processus erit nullus, non facta priùs probatione super notorio, vt tradit PETR. & CYN. BALD. & ANGEL. *in l. ea quidem. C. de Accusat. &* ANGEL. *in l. si vacanti. C. de Bon. vacant.*

3255 Tandèm Cardinalis IACOBACIVS *de Concilijs, lib. 7. de Schismate.* estò admittat, qualitatem notorij necessariò probandam non esse, Iuris ordine servato, dictum tamen, & factum super quod cadit notorium, legalem, iuridicamque probationem, ad effectum damnãdi, necessariò requirere fatetur; asserit enim: * Et plus voluit notabiliter Milis *in verbo Notorium*, idest, ipsa qualitas notorij, quod licet ipsa qualitas notorij possit probari parte absente (vt voluit dictus Antonius *cap. Vestra, in 2. column.* etiam ipsa non citata, secundum eumdem Antonium *ibi col. 46. vers. Numquid in notorijs*: quia talis probatio est modici pręiudicij, quia fit ad finem, vt Iudex possit tamquam in notorio procedere, ordine non servato) tamen probatio ipsius facti, quod notorium dicitur, non potest, ad finem condemnandi, diffinitivè fieri, non vocata parte, quia vt ipse Milis dicit, hoc nullo Iure cavetur, nec aliquis Doctor hoc dicit: & si qui dicerent, malè dicerent: quia diabolicum esset dicere, quod vbi necessaria est probatio, illa possit fieri parte non vocata, etiam ad pœnam capitalem: quia hoc esset tollere defensionem, quæ non potest per legem humanam auferri, *per dictam Clement. Pastoralis. de re iudicat.* (Et post pauca prosequitur:) Semper enim vbi potest competere defensio, etiam in notorijs, necessaria est citatio, vt *in cap. Cum sit Romana in fine, de Appellat.* & ibi Abbas *in penult. notab.* & idem Abbas *in cap. 1. & in 2. col. de caus. possess. & propr. & in cap. Bonæ. elect. 1. in 4. col. de elect. & in cap. Cũ olim in 6. & seq. col. de re iudicat.* Et *in cap. Causam quæ. in 1. col. ad finem. de Rescrip. & in Consil. 68. Incipit, Quamquam in 2. vol. & in dict. cap. Vestra, prope finem, de cohab. Cler. & Mulier.* Et probatio, quod factum sit notorium, requiritur: vt latè dicit Card. *in dict. cap. Vestra. in 2. quæsito.* Gloss. & Doctores *in cap. Bonæ. elect. 1. de electione.**

3256 Ex ijs, quæ tam gravium, ac in vtraque Iurisprudentia Illustrium Doctorum Authoritate innixi statuimus, apertè dedu-

deducitur, quandò de aliquo facto, quantumvis notorio, non certo, sed dubio, & contra absentem agitur, iuris ordine servato, indispensabiliter esse procedendum, Inevitabilemque ad minus esse citationem, ac necessariam omninò probationem facti notorij, super quo fundatur condemnatio, vel dignitatis privatio, maximè quando ad condemnandi proceditur effectum:

3257 Atqui in Pontificis Liberij causa, quamtumvis notorium esset, ipsum fuisse prævaricatum in Fide, ac in Arianam hæresim prolapsum, attamen istud factum non modò fuit dubium, sed vt veriùs existimamus, ac latè suprà probavimus, mera fuit Arianorum calumnia, & impostura, falsum illum rumorem in Oriente subdolè vulgantium, indèque ad Occidentem vsque, Romanumque Clerum percrebuit. Aliundè verò, quamvis prædicta notitia certa esset, ac notoria, cum vnicum tamen esset motivum, quo innitebantur vt illum à suprema, & Sacratiori totius Orbis Dignitate deturbarent, prædicta notorietas indispensabilem citationem requirebat quæ ipsi naturæ iure competebat, vt audiretur, ac defenderetur, antequam in illum ob impium hæreseos crimen Sententia proferretur, qua summo illo, & Sacratiori honore exueretur; hæreseos etenim crimen cum gravissimum sit, estò notorium maximè videatur, necessariò ad sui damnationem in reo adhuc totius mundi abiectissimo, infœlicissimoque requirit, vt de illius delicti notorietate ante Iudicem certissimè competentem iuridicè constet. Clerus autem Romanus talis certè non erat; etenim quamvis iste tunc, sicut & modo Sacrum Cardinalium Collegium, eligendi Pontifices ius haberet, non tamen de illorum causis cognoscendi, iudicandi, ipsosque in hæreseos casu deponendi; istud namque ius numquam penes illum Clerum viguit, sed Ecclesię soli in Generali Concilio congregatę semper reservatum est.

3258 Cum igitur nullum Generale Concilium, vt de prædicta causa, & hæresi Liberio imposita ageretur, congregatum fuerit; tam cum nullus sit Conciliorum Collector, aut Scriptor aliquis alicuius Fidei, & opinionis, qui huiuscemodi meminerit Concilij, illud numquam extitisse evidentissimè suadetur; nullaque pręterea prędictæ causæ cognitio, nullusvè legitimus Iudex, qui de illa iudicare posset, aufuerit, nulla certè ratione ob Arianę hæreseos crimen, quantumvìs notorium, Pontificis Liberij innititur depositio, cum omnia requisita ad delicti notorij ante legitimum Iudicem probationem deficiant: Nullius ergo roboris est obiectio, quæ à notorietate desumebatur.

3259 Vndè cum Pontificis Liberij ob notorietatem delecti depositio nullo fundamento innitatur, evidenter indè colligitur, Liberium adhuc illo tempore intermedio, quo ad Romanum Clerum falsam illius prævaricationem fama pervexit, legitimum extitisse Pontificem; sicque eo ipso tempore, nullatenus Felicem legitimum Pontificem esse potuisse. Cum enim Ecclesia tunc suo non esset viduata Pastore, qui Felicem legitimum tunc temporis Pontificem esse dixerit, necesse est vt in illud non ferēdum incidat absurdum, Ecclesiā nempè Dei, à duobus legitimis Sūmis Pontificibus eodem tempore gubernari, quod omni opponitur Iuri, Divino, & humano; Civili, & Canonico; & ipsi vniversalis Ecclesiæ consuetudini, & observantiæ, quæ vnicum semper Pontificem agnovit, nec duos vmquam in supremum Apostolicę Sedis apicem fastigiari passa est. Quod quidem tunc Romanus Populus publicè confessus fuit. Cum enim Imperator Constantius Sirmiensis Concilij Decreto vellet, vt Felix vnà cum Liberio Ecclesię Clavum teneret, vniversus Populus Romanus, pro Liberio exorans, vt advertit THEODORETUS, vna voce, Deo inspirante, clamavit: *Vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus; * quo perstrepente clamore, & Felix à Pontificatu excluditur, & solus Liberius, vti legitimus Pontifex, suscipitur.

3260 Nec ijs obstat, quod cum Prælatus est criminosus notorius, vt Simoniacus, possint subditi ab eius obedientia recedere. *Cap. Nulli 19. dist. & 16. quæst. vltima, sanc. 24. dist. Nullus. 32. dist. Nullus 81. dist. cap. Si qui 1. & in Papa est textus cap. Anastasius, dist. 19.*

3261 Quod plurimis potest exemplis fulciri; Cardinales enim à Ioanne XXII. non quia Hęreticus, sed quia lubricus, & Venator, & incorrigibilis erat, recesserunt, ipsumque Othone Imperatore mediante deposuerunt, eique Leonem subrogarunt.

3262 Idipsum Pontifici Symmacho evenisse reperitur; ab illo enim omnes Clerici, id est, Cardinales propter crimina ei obiecta,

cta, recesserunt, vt *in* §. *Hinc etiam* 17.*dist.*

3263 Et quod à Prælato Hæretico,& criminoso recedendum sit, permulta confirmant iura 1.*quæst.*1.*Siquis.*24.*quæst.*1. *omnis*, & *cap.Quæ dignior*,24.*quæst.* 2. *Sane de electione.Cap.quia diligētia, C.de hæreti. Cap. excommunicamus.* §. *credentes*, & 24. *quæst.*3. *Cleric.*& *quæst.*1.*cap.* 1. *Non oportet.*& *cap.non liceat.* Optimo igitur iure potuit Romanus Clerus,sese à Pontificis Liberij obedientia subtrahere, cum publicum esset, ac notorium,ipsum Arianis communicare, tristique Arianæ hęreseos nota infamari; sicque meritò potuit idem Clerus,ad novam Felicis in Pontificem electionem progredi, & ex tunc illum, vt legitimum venerati Pontificem, istiùsque Pontificatus,ab illa promotione, in legitimorum Pontificum nomenclatura censeri.

3264 Sed quàm levis sit hæc obiectio, apertè constabit ex sequentibus rationibus; Iure, alijsque textibus ad rem magis express[illegible], quam illi, qui in proposita obiectione inducuntur, innixis. Et in primis,à Prælato criminoso,ante sententiam in eum latam,recedendum non esse comprobant TEXTUS *in cap. Nonnè*, & ibi GLOSSA *in Summa.*8. *quæst.*3. 15. *quæst.vltima.Sciscitantibus.*6.*quæst.*2.*Si tantum.* Et *cap. Placuit*,& maximè ratione scandali vitandi. Vndè & Dominus noster IESUS CHRISTUS, Judæ corpus suum tradidit, *de Consecratione dist.* 2. *cap. Non probibeat.* Et *cap. sequenti*,nè generaretur scandalum contra Judam.

3265 Nec obstant textus in contrarium adducti; estò enim videantur probare, licitè posse inferiores,in casibus in ipsis textibus expressis, à criminoso Prælato recedere, si aliquid, non certè de Pontifice, sed de Prælatis ipso inferioribus, probant; ab istis enim, quando sunt criminosi,in omnibus criminibus, ipso Iure suspensionem quoad se, & quoad alios inducentibus, receditur; vt dicitur *in cap. Vestra.de cohabit.Cler.*& *Mulier.*& *cap.* 1. *de Schismate.* & *in cap.Cum non liceat. de præscript.* & *Do.* 2. *quæst.*7. *Sacerdotes*: Hoc autem nullo modo accidit in Papa; quia ex nullo crimine, est suspensus à Pontificatu, nisi in casu hæresis, vt *in dist.cap. si Papa. sæpiùs allegato* 40. *dist.*

3266 Quapropter à Papa non est recedendum, nec ei obedientia substrahenda, nisi in casu quo incidisset notoriè in hæresim iam damnatam, vt in terminis *cap.*1. *de Sum. Trinit.* & *Fide Catholica*, & *in similibus*, & monitus,non resipisceret, servatis tamen servandis de iure.

3267 Id egregiè confirmat quod eruditus IOANNES DE FANO annotavit *in* §. *Item Symmachus* 2.*quæst.*7. Cardinales nempè, qui à Pontificis Vrbani VI. obedientia, ante sententiam, discesserunt, Schismaticos fuisse. Idem censet DOMI. *in dict. cap. Anastasius*, de Cardinalibus, qui à Gregorij XII. obedientia discesserunt, quod scilicet, Cardinales, qui ante sententiam recesserunt, fuerunt Schismatici. Idem etiam tenet IOANNES ANANIA *in Rubrica de Schismate*, iudicans illos, tamquam Schismaticos esse puniendos, pro quo allegat Textum 17. *Dist.*§ *Hinc etiam.*

3268 Consonat DOMI. *in d.* §. *Hinc etiam* 17. *distinct.* prædictum namque textum adducens, dicit: Quod Cardinales, qui recesserunt à Civitate Lucana, antequam Gregorius XII. fuisset depositus à Concilio Pisano (quod fuit *anno* 1048.) fuerunt Schismatici, quia non licet recedere ab obedientia ante tempus, etiam si Papa dicatur hæreticus. Si ergo, iuxta Authores istos, Pontificij Juris peritissimos, licitum non est à Pontificis, non modò certi, sed adhuc dubij, estò hæreseos crimine accusetur, obedientia recedere, antequā legitimus Iudex, quale in casu tantum dubij vnicè est Generale Conciliū, sententiā pronunciet & quia Cardinales oppositū præstitere, prædicti Authores Schismaticos illos fuisse arbitrantur; nulla certè via poterit, aliqua se ratione tueri Romanus Clerus, Cardinales nempè, cum à Liberio, qui legitimus Pontifex erat, ob falsum Arianæ hæreseos, ipsi impudenter ab Hæreticis adscriptæ, rumorem recesserint, quin legitima accusatio, causæ ante competentem Iudicem cognitio, sententia ipsum depositione dignum damnans, aut saltim in prædictam hæresis labem prolapsum declaratio, præcessisset.

3269 Ad ampliorem huius rei confirmationem, notandum venit, quod Doctus dicit ÆGIDIUS, animadvertens in nullo alio casu, quam hæresis, posse ab aliquo mortalium contra Pontificem sententiam proferri. 9. *quæst.* 5. *cap. Nemo*, & 40. *dist. cap. Si Papa.* Idque exemplificat ipse

ipse ibi, de hæresi: * Dicat enim (inquit) Papa quidquid vult, quod non placeat, non tamen poterit accusari, nec damnari de aliquo, nisi inciderit in hæresim, vt *in dict. cap. Si Papa. 40. dist.* * Cum igitur principium certum sit, Pontificem non nisi in casu hæresis accusari posse, & damnari, vt Schismaticum reputat, à Pontificis Obedientia ante latam sententiam discedere: Vndè iuxta ipsum *in* §. *Hinc etiã.* 17. *dist.* Cardinales ante sententiam à Pontificis obedientia discedentes, Schismatici sunt. Et ratio est; quia si inferiores ante sententiam latam, sese à Pontificis Obedientia possent extrahere, magnis, gravibusque incommodis, absurdisque patesceret aditus: cuilibet enim liberum esset, assiduas hæreses legitimis Pontificibus adscribere, vt sese ab illorum debita Obedientia subtraheret, prout expendit Ægidius *in cap. Athanasius*, reddens rationem, ob quam Pontifici legitimo, estò hæreseos nota affecto, dummodò Concilium, quod illius Iudex competens est, ac legitimus (in eo dumtaxat casu) declaratoriam nondùm protulerit sententiam, debita exhibenda est obedientia: * Propter inconveniens (inquit) quod sequeretur, quia aliàs semper esset in posse subditorum, contra Prælatum confingere hæresim, & dicere eum incidisse in hæresim damnatam, quod esset scandalum, de quo est textus *in* §. *Hinc etiam*, *dist.* 17.*

3270 Prçclarè hanc illustrat Sententiam Cardinalis IACOBACIUS, dùm *de Concilijs lib.* 7. hæc scribit: * Vndè patet, quod à Papæ obedientia nullo modo recedendum, & maximè vbi est vnus indubitatus Papa, vt in proposito (& subdit rationem:) Quia ante sententiam non est ab eo recedendum, etiam si esset Hæreticus occultè; vt est Textus *in dict.* §. *Hinc etiam*, vbi Clerici, qui recesserunt ante sententiam, ab Obedientia Symmachi Papæ, restituuntur ex misericordia ad Officia Ecclesiastica. Et hoc idem probatur per Gloss. *in Summa* 24. *quæst.* 1. *& in cap. Acacius eadem causa, & quæstione. &* 11. *quæst.* 3. *cap. Cui. de electi. cap. Nihil.* * Ex quibus deducitur Presbyterorum Cardinalium, qui ante sententiam a Pontificis Symmachi Obedientia recesserunt, illegitimam, schismaticamque fuisse inobedientiam.

3271 Nec ab hac re abest quod dicit TEXTVS *in cap. Inter Hæresim*, 24. *quæst.* 3. dum asserit, in principio schisma ab hæresi diversum esse posse; cæterum nullum esse schisma, nisi sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Appositè in hanc eamdem rem inquit S. CYPRIANUS *Epist. ad Rogatianum*: * Hæc sunt initia Hæreticorum, & ortus, atque conatus Schismaticorum malè cogitantium, vt sibi placeant, Præpositum superbo tumore contemnant: sic de Ecclesia receditur; sic Altare prophanum foris collocatur; sic contra pacem Christi, & ordinationem, atque vnitatem rebellatur.*

3272 Illos autem, qui à legitimo Pontifice recedunt, prçter casus in Iure expressos, quos iam retulimus, post declaratoriam nempè Concilij Sententiam, vt Schismaticos haberi, quia sese ab vniversali Ecclesiæ Capite segregant, vt aliud sibi Caput constituant, illud, vt verum agnoscentes, expresè comprobant TEXTUS *in cap. Non vos.* 23. *quæst.* 5. *&* 24. *quæst.* 1. *Hæc est fides. & cap. Quoniam vetus.* 12. *dist. precep.* Indè etiam cum decem Tribus suo relicto Rege à Tribu Iuda, & Beniamin scissæ sunt, alium sibi Regem constituentes, Dominus dedit illas in perditionem 3. *Reg.* Et TEXTVS *in cap. Denique.* 7. *quæst.* 1. Quod etiam confirmat illud maximè memorabile factum Corè, Dathan, & Abiron cum complicibus, quos quia Moysi Duci Israël, & Aaron Sacerdoti Summo obedire noluerunt, tamquam Schismaticos, terra vivos deglutivit. *Num.* 16. & *in cap. Licet, de elect.* & *cap. Non afferamus* 24. *quæst.* 1.

3273 Ex his, quæ tot textibus, Virorumque in Jurisprudentia Insignium Authoritate suffulti, diximus, convincitur quam consentaneum iuri sit id, quod probavimus, Schismaticum nempè esse, legimo Pontifici, estò hæresi infamato, obedientiam denegare, vel ab illa ante latam sententiam recedere; maximè verò, si id fiat, vt alius in Apostolicam Sedem præficiatur, vt notavit, & quidem rectè, Cardinalis IACOBACIUS *lib.* 7. *de Concilijs. Tit. de Schismate*, vbi de Cardinalibus, qui à legitimi Pontificis Obedientia recesserunt, loquens, ait: * Et si agerent ad creandum Antipapam, tunc essent strictissimè Schismatici, cum admixta hæresi; quia ex quo niterentur sibi constituere aliud Caput in Ecclesia, peccarent in illum Articulum Fidei: *Et vnam Sanctam Cat-*

tho-

tholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quia illam scindere quærerent.*

3274 Cum igitur Cardinalium Collegium, Clerus nempè Romanus, à Pontificis Liberij Obedientia recesserit, quandò illum legitimum esse Pontificem dubitari non poterat, exilij siquidem molestias pro Fide tunc constanter patiebatur; & quamvis vltimis sui exilij diebus, falsò illi impositum fuerit Arianæ hæresi adhæsisse, vt latè probavimus, huius tamen falsæ calumniæ, in nullo Generali Concilio, quod vnicè legitimus est huius delicti Iudex, accusatus, nec convictus, nec damnatus fuit, neque illud ipse vmquam confessus est: hinc ab illius Obedientia, ante sententiam latam recedere, vt alius ipso vivente Pontifex crearetur, difficile est, vt id extra culpam ponatur, eamque elabatur censuram, quam huic facto, suprà laudati opponunt Authores, quamque promeriti fuere Cardinales, qui sese à Pontificis Vrbani VI. Gregorij XII. & Symmachi Obedientia substraxerunt: vnde si prædicta inobedientia ante sententiam latam, iniusta est; iusta ergo, & debita erat Obedientia; sicque, & Pontifici Liberio Obedientia debebatur impendi, & vt legitimus Pontifex hoc ipso tempore agnosci: numquam enim extitit sententia legitima, nec declaratio à Deo, vel ab homine, quę Liberium Pontificatu posset abdicare, aut ab ipso deponere; sicque ob has omnes, quas adduximus rationes, Felix in Pontificem legitimum, vivente Liberio creari non potuit.

§. IV.

AN FELICIS PONTIFICATUS legitimus, computandus sit à morte Liberij.

3275 Censent alij Gravissimi Authores, estò Felix vivente Liberio legitimus Pontifex esse nequiverit, ob illas, quas suprà retulimus, rationes, aliàsque plurimas, quas brevitatis gratia omisimus, negari tamen non posse ipsum post Liberij mortem legitimum Pontificem extitisse. Ita tenet Eminentissimus Cardinalis BRANCATVS DE LAVRÆA suprà laudatus *Disp.* 8. *art.* 5. §. 6. *num.* 1. vbi de Felice loquens, hæc scribit: * Certum tamen esse debet, quod & verus Papa fuit, parvo tempore, per annum vnum, & menses tres, vt dicit Pontificale Damasi: & quod esse non potuerit verus Papa nisi mortuo Liberio, & tandem quod hic est ille Felix, qui primò à Constantio honoratus, & in Sede Petri intrusus, posteà mortuo Liberio verus Pontifex, Constantium ipsum, ob Fidei defensionem excommunicavit, quam ob causam ab eo in Tusciam relegatus, Cærę, iussu ipsius, occissus est. De quo, *die 29. Iulij in Martyrologio, & in Tom. 1. Conciliorum, & in Notis Vitæ eius.**

3276 Et *num.* 264. hanc statuit conclusionem: * Dico tertio: Felix II. etsi malè ingressus in Pontificatum, vivente Liberio, eo tamen mortuo, benè prosequutus est.*

3277 Eamdem sententiam prosequitur *num.* 268. vbi secundam conclusionis partem probans, inquit: * Probatur secunda pars, de valido, & legitimo eius Pontificatu post Liberium.* Et *num.* 271. idipsum confirmat, dicens: * Quod licet Felix tempore electionis fuerit Arianus, nihil Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ Privilegio, ac Infallibilitati præiudicare; tunc enim non erat Felix verus Pontifex, & sic nihil ad rem. quia cum mortuo Liberio erat verus Pontifex, strenuè pro Fide Nicęna decertavit, & pro ea Constantium damnavit, & pro ea tandem Martyrio occubuit.* Vndè clarè deducitur, Felicem post Liberij mortem, iuxta prædicti Cardinalis mentem, legitimum Pontificem fuisse; estô talis, vivente Liberio, non fuerit.

3278 Attamen tanti Eruditissimi Cardinalis Doctrinam venerantes, Felicis Pontificatum post Liberij mortem, non levem pati difficultatem putamus. Primò: quia Scriptores, & quidem Gravissimi, Liberium Pontificem Pontifici Felici superstitem fuisse arbitrantur. Ita censet Cardinalis BARONIVS *ad annum* 357. *num.* 69. vbi hæc habet: * Felice defuncto, nullus in locum eius subrogatus est, quod Liberius abrupta penitùs, quæ recipiendæ Sedis causa intercesserat, cum Arianis communicatione, ab omnibus legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, vt erat anteà, cognitus, & acceptus est.*

3279 Et *num.* 70. id confirmans, Liberium longiores, quam Felicem, protraxisse annos, evidenter demonstrat, his verbis: * Hęc autem, vt de ijs dubitantibus demonstremus, operæpretium visum est, cunctis Liberij res gestas, quæ post obi-

obitum Felicis sunt subsequutæ, & quæ præterea de eodem sint Patrum testimonia, hic reddere. Quod enim in primis, post Felicis obitum, ipse receperit ad Ecclesiasticam Communionem Clericos, qui erant ex parte Felicis, conservatis illis, Ordinibus, & Dignitate; quodque eodem Felice defuncto, nulla fuerit cura eius Communionis Clericis, alium, in locum Felicis, subrogandi Pontificem maximum, planè argumento esse videtur, iam Liberium abiecta procul Arianorum communicatione, se in omnibus benê Catholicum exhibuisse, aliàs nequaquam passi essent Clerici Communionis Catholicæ, & inter alios Damasus, Liberij se Communione fœdari.* Hactenùs ille.

3280 Sanctus ANTONINUS *in 2. suæ Historiæ part. Tit. 9. cap. 2.* postquam dixit Pontificem Felicem, Censionis sacrę fulmina in Imperatorem Constantium, Arianę hæreseos labe infectum, evibrasse, subdit: * Quam ob causam indignatus Constantius, congregato Conciliabulo plurimum ex fœce Ariana revocari fecit Liberium ab exilio, & Felicem eijci à Pontificali Cathedra, qui eiectus paulò post, iussu eius, Martyrio coronatus est. Reversus ergo Liberius, & tædio affectus exilij, in quo per triennium fuerat, postea septem annis tenuit Cathedram Petri.*

3281 Eruditus SEVERINUS BINIUS *in Notis ad Concilia Generalia, & ad Vitas Pontificum, in Sancti Felicis Papæ Vita, ex lib. Pontific. Damasi Papæ* summam, & singularem Dei in Ecclesiæ suæ regimine Providentiam expendit, quæ specialiter in Felicis facto eluxit; cum enim illum Imperator Constantius, ad Apostolicę Sedis apicem evexisset, vt Suprema illa Dignitate Liberium, præclarum Fidei contra Arianos propugnatorem deturbaret, Altissima Dei Providentia Felicem in Pontificatu, ea Constantia, & Fortitudine ornavit, vt sese Felix Arianæ Hęresi opposuerit, eumdemque Imperatorem Constantium, qui illum in tanta Dignitate constituerat, tamquam Hereticum damnaverit, ipsumque Anathemate, adhuc cum vitę discrimine, percusserit; quod & ita accidit, prout, de Felice II. loquens, prędictus Author commemorat: *Sicque ad pugnam roborat (Deus Felicem) vt exagitans omnes Arianos, eorumque Principem Constantium Anathemate feriens, pro mercede, Corona Martyrij insignitus fuerit. Felice defuncto, nullus in loco eius subrogatus est: Nam Liberius abrupta penitùs, quæ recipiendæ Sedis causa intercesserat, Arianorum Communione, ab omnibus legitimus Romanę Ecclesiæ Pontifex, vt fuerat ante, cognitus, & acceptus est.*

3282 ANDREAS VICTORELLUS *in notis ad Papæ Liberij Vitam, apud Alphonsum Ciaconium in Vitis Pontificum, in vltima editione Romana, anno* 1677. hæc scribit: * Orthodoxus Liberius, post exilium piè vivit, & post Felicis Martyrium, ad Supremum Pontificatum, quem infelix lapsus illi ademerat, Cleri Romani electione iterum vocatus, priorem maculam vitæ innocentia delere studuit, & sancto fine quievit.*

3283 Et *in notis ad Vitam S. Felicis*, Liberium, adhuc post ipsius mortem, Ecclesiæ Clavum tenuisse docet his verbis: *Tunc Felix verus Pontifex, ab Arianorum Communione ita discessit, vt Synodo coacta Constantium Augustum, Ursaciumque, & Valentem Antistites, cum quibus pacis fœdus Liberius inierat, heresi infectos, magna constantia declaraverit; exilio mulctatus Felix, paulò post pro Fide Catholica Martyrio occubuit. Resipuit Liberius, mutatusque in virum alterum, dignum Suprema Ecclesiæ Sede, denuó creatus est Pontifex.* Vndè clarè constat, à prędictis Authoribus, Liberij in legitimum suum Pontificatum restitutionem, post Felicis obitum, admitti.

3284 Eamdem veritatem egregiè confirmat antiquus ille, & præclarus Scriptor SOZOMENUS, quem sequitur, eius verba referens, NICOLAUS SANDERUS *in Monarchia Ecclesiæ, lib. 7. num.* 130. vbi Liberij restitutionem, quam Imperator Constantius iteratis concessit precibus, quibus eam Romanus Populus legitimi sui Patris, & Pontificis Liberij absentia perturbatus, eamque amarissimè deflens, vehementer orabat, commemorans, hęc ait: * Nam Populus Romanus Liberium, tùm quod in alijs rebus vir excellens, & expectatus erat; tùm quod Imperatori, animo adeo excelso, & constanti in Fide defendenda, contradixerat, tam eximiè charum habuit, vt seditionem planè maximam, eius exilij causa conflaret. Resque ad cædem prorumperet. Haud ita post moritur Felix, solusque deinceps Liberius Ecclesię illi præest. Quod quidem

non

non sine Divina Providentia factum est, ne Sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata, vlla infamiæ macula aspergeretur.*

3285 ODORICUS RAYNALDUS *in Annalibus Ecclesiasticis, part. 1. ad annum* 357. *in Liberij Pontificatu, num.* 69. & 70. Liberium Felici superstitem fuisse arbitratur; asserit namque, Liberium post Felicis mortem iterum fuisse in Apostolicam Sedem, Clero, Populoque Romano conclamante, restitutum: *Morto Felice (inquit) non fu sustituito altri in luogo suo; pero che Liberio, ritiratosi affatto dalla communione degli heretici fu da tutti riconosciuto, accettato per legittimo Pontifice, com'era prima.*

3286 Nec ab hac discedit Sententia Illustrissimus Apamiensis Episcopus, SPONDANUS *in Ecclesiasticis Annalibus ad annum* 357. vbi hæc habet: *Felice autem defuncto, nullus in locum eius subrogatus est, quod Liberius abrupta penitùs, quę recipiendæ Sedis causâ intercesserat cum Arianis communicatione, ab omnibus legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, vt erat antea, cognitus, & acceptatus fuerit.*

3287 Doctor D. GVNDISALVUS DE ILLESCAS, *in sua Historia Pontificali, cap.* 5. de Felice loquens, hæc Hispanicè scribit: *Murió Felix, quedando en el Pontificado Liberio, y no fuè elegido despues de su muerte.*

3288 Idem censet Pater IOANNES GABRIEL BISCIOLA, Mutinensis, *in suo Epitome Annaliū Ecclesiasticorū ad annum* 358. postquam enim Felicis mortem retulit, sic de Liberio loquitur: *Liberius mortuo Felice abrupta omni communicatione, quam inierat cum Hæreticis, vt Sedem suam recuperaret, & vexillo Catholicæ Fidei erecto, ab omnibus, vt legitimus Ecclesiæ Romanæ Pontifex, & agnitus, & receptus, Ecclesiam discissam collegit, & sarsit, & Catholicam Fidem magnificè predicavit; quod planè deinceps suo loco fiet.*

3289 Doctor SEBASTIANUS NICOLINI, Setabensis Ecclesiæ Canonicus *in Tomo inscripto: Cabeza visible, Catholica, y Vicaria infalible de Christo en la Apostolica Cathedra.* Pontificū vitas, factaque breviter cōmemorans, hęc de Liberio *pag.* 73. scribit: *Arrepentido Liberio despues de la muerte de Felix, fuè buelto à admitir, y prosiguiò santissimamente lo restante de su vida en el Pontificado.*

3290 Prædictis Authoribus duos magnę in historia Fidei, & opinionis testes placuit apponere, quorum primus erit NICEPHORUS, qui *lib.* 9. *cap.* 37. referens ea, quæ Sirmiensi in Synodo peracta fuere, vt Liberius Imperatoris Constantij indulgentia, post longum exilium, iterum in Apostolicam Sedem, instantibus Episcoporum Occidentis Legatis, restitueretur, hęc asserit: *Occidentales Legati, rebus ita gestis, assumpto secum Liberio, Romam reverterunt, Litteras ab Episcopis Sirmij cōgregatis, ad Felicem Romanæ tum Ecclesiæ Pręsulem, & ad Populum, Clerumque Ecclesiæ eiusdem afferentes, quibus, vt Pastorem suum libenter susciperent, admonebantur. Ambobus porrò & Felici, & Liberio permissum est communiter sacra curare, & munus Apostolicum administrare. (Et *infrà*:) Sed paulò post Felix mortuus est, & solus Liberius Episcopatum administravit; quod sic Deus rectè providit Ecclesiæ; ita vt decebat, rebus consulens, ne Primaria Apostolorum Sedes fœdam illam, & incommodam, à duobus gubernata Ducibus, contraheret notam.*

3291 Nec silentio potest præteriri alius maioris Fidei, & Authoritatis testis, Eminentissimus nempè Cardinalis AGUIRRE, *in Cathedra Petri vindicata, tract.* 2. *disp.* 28. *sect.* 3. *num.* 34. vbi clariús pro longiori Liberij, quam Felicis vita loqui non potuit, asserit enim: *Felice è vivis sublato, Liberius, iuxta Confessionem Fidei, quam ediderat antequam Sirmio discederet, recessit palam à communicatione cum Arianis, eaque propter à Catholicis, quorum offensionem incurrerat, receptus fuit in verum Pontificem, eodem anno 357.*

3292 Ex duodecim prælaudatis testibus, cum maximę sint Authoritatis, omnesque vno fateantur ore, Liberium post Felicis II. mortem, Divi Petri Cathedram, vt legitimum moderatum fuisse Pontificem, difficillimum creditu, ac penitùs incompatibile videtur, Felicem, estò non vivente Liberio, isto tamen è vivis sublato, legitimum extitisse Pontificem.

3293 Secundò eadem incompatibilitas, præter supra adductas Authoritates, ratione etiam suadetur: Liberio namque Pontifici, Authores communiter, quindecim Pontificatus annos assignant: creatus etenim fuit *anno* 352. supremum verò

vitæ diem confecit *anno 367*. Felicem tamen *anno 357*. è vita decessisse plures testantur Authores: cum ergo Liberius Pontifex decem annis Felici fuerit superstes, Felicem, post Pontificis Liberij mortem, legitimum fuisse Pontificem, componi non potest.

3294 Et quidem Liberio quindecim Pontificatus assignari annos, facilè suadetur; id enim gravissimi testantur Authores; & primò quidem, Bullarium Magnum CHERVBINI, communiter in Ecclesia receptum, *ad annum Domini 352*. Liberij creationem ponit, dicens: * Liberius Romanus, &c. Creatus octavo Idus Maij *anno 352*. sedit annos quindecim, menses quatuor, dies decem & septem.*

3295 Secundò: ALPHONSUS CIACONIUS, *loco citato*, loquens de Liberio *ad anum 352*. * Sanctus (inquit) Liberius, Augusti filius, Romanus, sedit in Cathedra Pontificia annos quindecim, menses quatuor, dies decem & septem, creatus octavo Idus Maij, *anno Domini 352*.*

3296 Tertiò: SEVERINUS BINIUS *in notis ad Concilia Generalia, in Vita Liberij, ex Pontificali Romano Sancto Damaso adscripto*, deprompta, vbi Pontificatui Liberij, sex tantummodò assignantur anni,. * Liberius, Natione Romanus, sedit annis sex, mensibus tribus, diebus quatuor.* Ad hæc verba, hæc adnotat: * Liberium annis quindecim, mensibus quatuor, & vno die, Pontificatum obtinuisse, certò colligitur ex temporibus, quibus cœpit, ac desijt. *Anno 352. octavo Idus Maij* sedem Pontificiam adeptus, vt ex præcedentibus patet; tenuit eam deinceps, *vsque ad nonum diem Septembris, anni 367*.* Idque rectissimè probat, & concludit, dicens: * Constatque *ex l. 12. de Pœnis, C. Theodos*. illius Præfecturam sub Consulatu Lupicini, atque Jovini contigisse, *anno nimirum Christi 367*. certum est *illo anno* Liberium Pontificatu, ac vita defunctum esse, atque Damasum illi successisse.* Quibus ita firmiter constitutis, verum esse patet, quod de temporibus Liberij supra diximus.

3297 Quartò: P. AUGUSTINUS OLDONINUS *in Notis ad Pontificale Alphonsi Ciaconij ad annum 352. in Vita Sancti Liberij*: * Vixit (inquit) ex Anastasio, in Pontificatu annos decem, mēses septem, dies tres. *Ex Cardinali Baronio, Ciaconio, & alijs*, quos sequor, annos quindecim, menses quatuor, diem vnum, vel meliùs decem, & septem.*

3298 Quintò: ANDREAS VICTORELLUS *in Notis ad Ciaconium in Vitis Pontificum*, explicans verba illa: * Sedit in Cathedra Pontificia annos quindecim.* Hęc *ex Baronio* subdit: * At Anastasius annos decem, menses septem, dies tres; Genebrardus annos duodecim, menses tres, dies quatuor; Panvinius *in Chronico* annos sexdecim, menses quinque, dies etiam sexdecim.*

3299 Sextò: P. ODORICUS RAYNALDUS *in suis Ecclesiasticis Annalibus* de Pontifice Liberio loquens *ad annum 367. num. 2. quindecim* etiam *annos* Pontificatus annumerat, vt ex ijs suis Italicis verbis innotescit: * Adunque havendo Liberio ricevuto il Pontificato, come si dice à gli otto di Maggio gli anni dil Signore 352. ed essendo passato di questa vita à nove di Setembre di questo anno, é forza dire che egli il tenesse quindeci anni, quatro mesi, & vn giorno.*

3300 Septimò: Cardinalis BARONIUS, qui magnam adhibuit diligentiam, vt annos Ecclesiasticos exploraret, illosque deprehenderet, valdè propendet in Sententiam asserentem, Liberium *quindecim annos* in Pontificatu vixisse, ipsumque sextumdecimū sui Pontificatus annum quatuor mensibus inchoasse, vt rectè probat *in Tomo 4. suorum Annalium ad annum CHRISTI 367*. & Liberij Pontificis sextumdecimum, vbi hæc habet: * De Liberio Papa quot annis sederit, planè diversæ reperiuntur sententię, quas, sive in Codices menda illapsa, sive Scriptorum incuria, induxerunt. Nam in Libro de Romanis Pontificibus, annis sex tantum, mensibus sex, & diebus quatuor sedisse legitur; totidemque apud Nicephori Chronicon numerantur vsque ad Felicem. In Cresconiano autem Indice, decem anni, menses septem, & dies tres eiusdem Pontificatui tribuuntur. Cæterum apud Hieronymi Chronicon, ab ingressu Liberij vsque ad Damasi successionem, anni intercedunt decem, & octo. At verò, habita exactiori ratione, ingressus Liberij vsque ad præsentis anni quintum Idus Septembris, dicere opus est: cum sedisse annos quindecim, menses quatuor, & diem vnum; nam eius ingressus contigit

octa

octavo Idus Maij, vt dictum est, anno Domini trecentesimo quinquagessimo secundo.*

3301 Octavò: Doctor D. GUNDISALVO DE ILLESCAS, non solum quindecim, sed decem, & octo fermè annos Liberij Pontificatui assignat *in lib. 2. Pontificalis Historiæ, cap. 4.* vbi sic Hispanicè loquitur: * Por la cuenta, que yo llevo, deviò de faltar de esta vida nuestro Pontifice Liberio, el año de nuestrá salud de 60. poco mas sobre trecientos. Aunque otros muchos dizen, que en el de 70. y por no andar vacilando en esto, seguirè à estos postreros, y avremos de confessar, que Liberio fue Papa poco menos de diez y ocho años.*

3302 Nonò: Canonicus NICOLINVS *loco supra laudato*, §. 37. hanc etiam sequitur sententiam, ait enim: *Despues de passados quinze años, quatro meses, y vn dia, que avia sido electo, segun el Bullario Magno, Baronio, Tempeste, Chacon, Belarmino, Corolian, Carrillo, *Theatrum Vitæ Humanæ, verbo Pontifex.* Aunque algunos no le señalan de Pontificado mas que seis años, tres meses, y quatro dias, como Platina, y Carranza; otros dizen doze años, tres meses, y dos dias, como Genebrardo, y *Theatrum Vitæ Humanæ, verbo Episcopus.* Muchos le dan tambien treze años, quatro meses, y diez y siete dias, como Panvinio, Felini, Marsilla. Tanta es la variedad en darle los dias fixos de su govierno à Liberio, à ocasion de su ausencia, y de lo que sucediò con Felix su competidor; pues llegò alguno à darle cerca de diez y ocho años de Pontificado, como Illescas. Muriò à 9. de Setiembre del año 367. y fuè contado entre los Santos, &c.*

3303 Decimò: P. M. ALEXANDER NATALIS *in sua selecta Ecclesiasticæ Historiæ, sæcul. 4. part. 1. cap. 2.* agens de Pontificibus, qui quarto hoc sæculo Ecclesiam Dei rexerunt, variaque hoc in sæculo celebrata Concilia referens, Liberio quindecim annos Pontificatus adscribit: * Liberio (inquit) Pontifice, Concilia Sirmiense, Ariminense, Seleuciense, & alia, tùm Ecclesiæ, tùm Arianæ factionis celebrata sunt, de quibus suo loco. Ecclesiam rexit Liberius annis quindecim, & mensibus quatuor.*

3304 Vndecimò: P. IOANNES GABRIEL BISCIOLA *ad annum CHRISTI 367.* huic adhæret sententiæ; Liberij namque mortem *anno decimo sexto sui Pontificatus* commemorat: * Liberius (inquit) Papa moritur octavo Idus Septembris, cum sedisset annos quindecim, menses quatuor, & diem vnum. De cuius tamen tempore Pontificatus, admodum variant Authores, sed cum eius ingressus contigerit *octavo Idus Maij, anno 352.* (ita sentiendum est *ex Ammiano, lib. 27.*) colligitur hoc anno eum obijsse; cum Schisma Damasi, & Vrsini ponat sub Viventio Præfecto Vrbis, quem ijs Consulibus gessisse Magistratum, ex *Ammiano*, & pluribus constat rescriptis. Remansit posteris, Liberij preclara, & honorifica memoria.*

3305 Tandèm, pro quindecim Pontificatus Liberij annis, apertissimè stat Eminentissimus Cardinalis AGUIRRE, *locò* namque *supra citato, disp. 28. sect. 3. num. 30.* Liberium ab anno 352. ad annum vsque 367. Pontificem fuisse fatetur: *Postquam Liberius (inquit) ritè electus fuit Pontifex die octavo Maij, anno 352. coacto Romæ Concilio, negavit Arianis Communionem, per Legatos expetitam: Deindè annis proximè sequentibus 353. & 354. missis legationibus pro Sancto Athanasio ad Constantium Imperatorem, dirè vexatus est ab eo, & anno 355. in exilium missus ad Beroeam Thraciæ, vbi biennio exulavit, retenta veteri Constantia. (Et postquam varia sui Pontificatus facta commemoravit *num. 34.* concludit, dicens:) Tandèm inter pietatis opera, & constantem Catholicæ Fidei Professionem, humana posuit anno 367. Et Sanctitatis opinionem meruit apud posteros, qualem supra descripsimus.* Cum igitur prædictus Cardinalis Liberij Pontificatum ab anno 352. ad annum vsque 367. in quo obijsse dicit, recenseat: clarissimè demonstrat, Liberij Pontificatum quindecim annos, quos diximus, perdurasse.

3306 Cum igitur duodecim istis gravissimis Ecclesiasticis Authoribus, probaverimus, Liberiū quindecim annos perstitisse Pontificem, sufficienter probata manebit prima nostra propositio.

3307 Vndè solum probandum nunc superest, Felicem Pontificem vitam suam vltra annum 367. in quo quintusdecimus annus Pontificatus Liberij completus est, non produxisse, vt post Liberij mortem, legitimus esset Pontifex, provt Cardinalis BRAN-

FRANCATUS arbitrabatur. Vt enim probavimus, Pontifex Felix *ab anno* 357. *vsque ad* 58. ex huius sęculi laboribus, ad cœlestem triumphum evocatus, excessit. Nè autem sine capite, & sine Authore id afferamus, quid Scriptores primæ notæ, ac maioris Authoritatis dicant, audiamus.

3308 Sed, pro maiori claritate, prænotandum est, Liberij Pontificis ab exilio, in suum Pontificatum, restitutionem contigisse, postquam ipse primæ Sirmiensis Fidei Formulę, contra Photinum subscripsit; hæc autem Formula, vt cum HILARIO, & EPIPHANIO probavimus, Catholica fuit; estò in illa, *Consubstantialitatis* nomen non exprimeretur, vt notavit P. CABASVCIVS *in Notitia Conciliorũ Sanctæ Ecclesiæ, cap.* 34. vbi hæc scribit: *Adversus Photinum novam Sirmienses ediderunt Formulam Fidei, qua Filium Dei CHRISTUM, Patri, secundũ Substantiam profitebantur esse similem, sed eius silebant cum Patre *Consubstantialitatem.* Huic professioni quæ nihil hæreticum exprimebat, simulque Athanasij condemnationi subscripsit infœliciter Liberius Papa qui Sirmij tunc exulabat pro Catholica Fide, desiderio succumbens repetendæ pristinæ Sedis. Quod & obtinuit.* Hãc Sirmiensis Fidei Formulam affert BARONIUS *anno* 357.

3309 Idem sentit eruditus BINIUS *in Notis ad Concilia Generalia, tom.* 2. *ad annum* 354. de Sirmiensi namque Synodo primaque Fidei Formula, loquens *col.* 2. *littera E, ad marginem*, inquit: *Primam Formulam Fidei ediderunt Catholicam. (Et de hac loquens in corpore, dicit:) Huic primæ Formulæ vigintiseptem Anathematismos, contra Photinum, & Arianos, inserverunt, in hac Filium cum Patre, *eiusdem Substantiæ* esse, confessi fuerũt, vt Catholici viderentur (Episcopi Ariani) hanc Catholicæ veritati consentientem, ideoque ab Hilario explicatam fuisse, ipse Hilarius apertè testatur, quæ si nomine *Consubstantialitatis* non caruisset, nullo modo culpari potuisset. Liberius Romanus Pontifex Athanasio, Hilario, & Hieronymo testantibus, per vim, & minas solicitatus, huic primę Fidei Formulæ subscripsit, Athanasium condemnavit, & cum Arianis communicavit.* Hanc autem Sirmiensem Synodum, in qua Liberius Athanasij condemnationi subscripsit, adducit BINIUS *anno Christi* 357.

3310 Hoc igitur supposito, Concilium nempè Sirmiense, Liberij subscriptionem, condemnationemque Athanasij, flexisse Imperatorem, vt Liberium ab exilio revocaret, Apostolicæque Sedi restitueret, prout multi arbitrantur Authores, probabimus Felicem nullatenus Liberio superstitem esse potuisse, quia Felix paulò post Liberij restitutionem, ex hac vita ad Sanctorum domicilium discessit: cum autem Liberius ab exilio fuerit restitutus *anno* 357. *vel* 358. vt gravissimi tenent Authores, hinc optimè deducitur Felicis mortem hoc ipso tempore contigisse; vndè cum Liberius supremum vitæ suæ, diem confecerit *anno* 367, nullatenus Felix post istius mortem Pontifex esse potuit.

3311 Quod autem Felix, paulò postquam Liberius ab exilio in Apostolicam Sedem fuit restitutus, obierit, probatur in primis ex S. ANTONINO *loco nuper citato*, vbi de Imperatore Constantio, qui Liberiũ in exiliũ eiecit, loquens, hęc scribit: *Revocari fecit Liberium ab exilio, & Felicem eiecit à Pontificali Cathedra, qui eiectus, paulò post, iussu eius, martyrio coronatus est.*

3312 Consonat SOZOMENUS, *loco nuper laudato*, vbi postquam Liberij restitutionem Imperatore Constantio, Sirmieniensique Synodo annuentibus, factam retulit, hęc subdit: *Haud ita diu post, moritur Felix, solus deinde Liberius Ecclesiæ illi præest.*

3313 Huic adhæret NICEPHORVS CALLISTVS *in sua Historia* verbis supra relatis, vbi hæc habet: *Occidentales, Legati, rebus ita gestis, assumpto secum Liberio, Romam revertetunt. (Et infrà:) Sed paulò post Felix mortuus est, & solus Liberius Episcopatum administravit.*

3314 Nec ab hac discedit Sententia Cardinalis BELLARMINVS *de Romano Pontifice, lib.* 4. *cap.* 9. ibi enim de Felice loquens, hæc ait: *Coacto Concilio declaravit Imperatorem Constantium, & Episcopos Vrsacium, & Valentem verè esse Hęreticos, & propterea redeunte Liberio in Urbem, Felix cum suis, ab Arianis eiectus est, & non diu post mortuus, sive capite cœsus, sive confectus ærumnis fuerit, pro Catholica Fide mortuum esse; his argumentis probatur.*

3315 Eamdem sequitur Sententiam D. BARTHOLOMÆVS CARRAN-

ZA,

ZA, Archiepiscopus Toletanus, *in Historia Conciliorum* de hoc eodem casu loquens, hęc scribit: * Revocato Liberio, Constantius fecit Concilium cum Hæreticis, & eiecit Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus. Qui Felix depositus, habitavit in Prædiolo suo, Via Portuensi, vbi & requievit in pace.*

3316 Pater BISCIOLA *in suis Ecclesiasticis Annalibus ad annum* 358. postquam retulit Liberium ab Imperatore Constantio, Sirmiensis Concilij commendatitijs Epistolis in Apostolicam Sedem restitutum, hęc scribit: * De Felicis exitu planè diversa scripta reperiuntur. Haud ita diù post mortuum, ait Sozom. *Lib. de Romanis Pontificibus, in Liberio*; depositum ab Episcopatu habitasse ait, in Prædio suo Via Portuensi, atque ibi in pace quievisse, quarto Kalendas Augusti. Rursum *in Felice*; ipsum ob damnationem Constantij Cęrę in Latio, obtruncatione capitis Martyrio coronatum esse.*

3317 Valdè hanc illustrat Sententiam Cardinalis AGVIRRE *loco supra citato, Disp.* 28. *sect.* 3. *num.* 33. vbi de Papa Felice loquens: * Non modò (inquit) recessit à Communione cum Arianis, sed etiam coacta Romę Synodo declaravit Constantium Imperatorem, & Episcopos Vrsacium, & Valentem verè Hæreticos esse. Hìnc verò indignati Ariani, post ingressum Liberij in Vrbem, Felicem cum suis Roma expulerunt: qui paulò post, diem extremum clausit. (Et *paulò infrà*:) Hęc est sententia frequens apud Historicos recepta.*

3318 ANDREAS VICTORELLVS, *loco paulò ante citato*: * Tum (inquit) Felix verus Pontifex, ab Arianorũ communicatione ita discessit, vt Synodo coacta Constantium Augustum, Vrsacium, & Valentem Antistites, hæresi infectos, magna Constantia declararit. Exilio mulctatus Felix, paulò post pro Fide Catholica Martyr occubuit.*

3319 Ex his, quæ octo isti Nobilissimi Authores asserunt, clare colligitur, Felicis obitum, paulò post Liberium, ab exilio in Apostolicam Sedem restitutum, contigisse: Cum autem hæc restitutio facta fuerit ex Imperatoris Constantij præscripto, & Sirmiensis Concilij, *anno* 357. celebrati, Decreto, vt in prænotatione nostra cum Cardinali BARONIO, & SEVERINO BINIO probavimus: hinc Felix, post Liberij mortem, legitimus Pontifex esse non potuit; vt enim cum duodecim primæ notę Authoribus probavimus, Liberius, post quindecim sui Pontificatus annos, *anno* nempè 367. è vita migravit.

3320 Ad maiorem eorum, quę diximus, confirmationem, haud parum facit, quod aliqui sentiunt Authores, legitimo nempè Felicis Pontificatui adnumerandos non esse duos illos anos, quos Liberius Pontifex, in exilio, & Fide constans permansit, solùmque illius Pontificatum computandum esse ab eo tempore, quo illius lapsus, & cũ n Arianis communicatio percrebuit; ab illo namque tempore Romanus Clerus Felicem, vt legitimum Pontificem recognovit; *vt suprà* ex Cardinali BARONIO, BELLARMINO, AGVIRRE, alijsque, qui istos sequuti, Felicis Pontificatum à Liberij lapsu supputant, tradidimus; cum autem Liberij lapsus Sirmiensi in Synodo contigerit, cum tunc Athanasij damnationi, Sirmiensisque Fidei Formulæ subscripserit, in qua subscriptione illius lapsus consistit, vt prædicti Authores arbitrantur; quæquidem omnia, iuxtà omnium sententiam *anno* 357. contigerunt; hìnc ab hoc solummodò anno legitimus Felicis Pontificatus potest recenseri: atqui ijdem isti Authores, qui hoc arbitrantur, legitimo Felicis Pontificatui vnum tantummodò annum, & menses aliquot assigant; vt BVLLARIVM MAGNVM de Felice loquens, ait: * Annum vnum, menses tres, dies duos sedisse.* Archiepiscopus Toletanus CARRANZA *in Summa Conciliorum*, PONTIFICALE Sancti Damasi Papæ: * Sedit annum vnum, menses tres, dies tres.* Ad quæ verba hæc annotat BINIVS: * Annum vnum, menses tres, nimirum à lapsu Liberij ad reditum suum.* SPONDANVS *Tomo* 1. *Annalium ad annum* 357. *num.* 20. ILLESCAS *Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. ODORICVS RAYNALDVS, *ad annũ CHRISTI* 357. asserunt, Felicis Pontificatum à Liberij lapsu, qui hoc eodem anno 57. accidit, tantummodò esse computandum, tùncque vt Pontificem esse susceptum, & in Pontificatu vixisse annum vnum, menses tres, dies tres, iuxta PONTIFICALE ROMANVM, & Cardinalem BARONIVM *ad annum* 357.

3321 Cum igitur celebres isti Authores, in Pontifice Felice annum tantum-

tummodò vnum, & menses tres legitimi Pontificatus admittant; qui iuxta ipsos à Liberij lapsu, qui Sirmij *anno* 357. contigerat, incœpit: Felix vtique *anno* 358. plus, minusvè, Pontificatu perfunctus est diemque obijt suum. Non ergo cohærere potest, Felicem, post Liberij mortem, legitimum fuisse Pontificem, cum Liberij mors *anno* 367. iam elapso, & 68. per aliquot menses inchoato, contigerit, vt fusè suprà probavimus.

3322 Hæc omnia, quæ diximus, clarius *ex Concilijs*, quæ *ab anno* 358. *ad annum vsque* 366. celebrata fuerunt, apparebunt; constat namque *anno* 358. celebratum fuisse CONCILIVM ANCYRANUM SEMIARIANORUM; *anno* 359. CONCILIUM ARIMINENSE OECVMENICUM, & GENERALE; *hoc eodem anno* Conciliabulum Ariminense, & Seleuciense, in quo Acaciani à Semiarianis damnati sunt; *illo eodem anno* Conciliabulum Constantinopolitanum: *anno* 360. Conciliabulum Antiochenum, in quo Meletius Antiochenus Episcopus ab Arianis depositus est: *anno* 362. CONCILIUM ALEXANDRINUM de lapsis recipiendis, quod ab Apostolica Sede fuit approbatum. *Anno* 363. CONCILIUM ALEXANDRINUM II. quod Catholicum extitit; & *eodem anno*, CONCILIUM ANTIOCHENUM II. *Anno* 364. CONCILIUM LAMPSACENUM Semiarianorum contra Arianos. *Anno* 365. SICILIÆ VNUM CONCILIUM; *eodem anno* aliud ILLYRICI, & aliud TYANENSE Catholicorum. *Anno* 366. in Caria Conciliabulum Arianorum, & eorumdem aliud Syngedimi in Mysia. Omnia ista Concilia, & Conciliabula, quæ ab *anno* 359. *vsque ad annum* 366. habita fuerunt, sub aliquo Pontifice celebrata sunt; atqui nullus est Author, qui hæc Concilia sub Felicis Pontificatu celebrata asserat; imò BARONIUS, BINIUS, SPONDANUS, ODORICUS, & communiter omnes Annalium Scriptores, ea omnia sub Pontificatu Liberij congregata dicunt: signum ergo evidens est, Felicem hoc tempore, vel Pontificem non fuisse, vel vitæ suæ periodum clausisse; sicque Liberio qui in Pontificatu 367. *annum* complevit, & 68. per menses quatuor inchoavit, superstes esse non potuit.

3323 Tandèm, vt vltimam materiæ huic manũ imponamus, postremamque adhibeamus probationem, magnum nobis fundamentum prebet, quod Liberio Damasus immediatè successerit, vt testantur BVLLARIUM MAGNUM, OPTATVS MILEVITANVS, & S. AVGVSTINVS, vt diximus; Cardinalis BARONIVS, PONTIFICALE S. DAMASO adscriptum, BINIVS, ODORICVS, & maioris nominis Authores, ita vt Liberium inter, & Damasum sex tantummodo interfluxerint dies, vt rectissimè adnotavit eruditus SEVERINVS BINIVS *in Notis ad Pontificale Romanum, in vita Sancti Damasi, in primo enim verbo; Damasus*: * Quinta (inquit) Septembris die, anno Christi nati 3 7. post interregnum sex dierum, Damasus, natione Hispanus, teste Ambrosio, iudicio Dei subrogatus fuit.*

3324 At Illustrissimus Episcopus HENRICUS SPONDANUS *ad annum Christi* 367. de Sancto Damaso loquens, non solum hoc idem censet, sed communem esse Doctorum Sententiam, asserit: * Post obitum Liberij sedem vacasse dies sex & in eius locũ Damasum Hispanum, Antonij Filium, fuisse legitimè subrogatum, die decimaquinta Septembris, consentiunt omnes.*

3325 Impossibile ergo videtur Felicem post Liberij mortem legitimum Pontificem esse potuisse. Primò, quia cum Liberius *anno Christi nati* 367. obierit, nullus est Author, qui Felicem post hunc annum inter Pontifices legitimos, imò & non legitimos numeret, nec re vera numerari potest, cum novem, aut decem annis Liberio, vt à nobis probatum est, præobierit.

3326 Secundò; quia cum Sanctus Damasus immediatè post Liberium in Pontificem legitimè fuerit electus, vt cum AVGVSTINO, OPTATO MILEVITANO, alijsque gravissimis Autoribus probavimus, si post Liberium, Felicem, vti legitimum Pontificem, admitteremus, in illud laberemur inconveniens, vt duos legitimos Pontifices, admitteremus duoque Suprema Capita Ecclesiã simul gubernarent; cũ autẽ hoc sit impossibile, vt de se patet; aliundè verò post Liberij mortẽ S. Damasus ab omnibus vt legitimus Pontifex admittatur; hinc nullatenus Felix, post Liberij obitum, legitimus Põtifex esse potuit; vndè crediderim difficillimum esse, Felicem, post Liberij mortem legitimum Pontificem fuisse, esto illo vivente, talis non fuerit.

§. V.

§. V.

DE CERTO, ET INDVBITATO Felicis II. Pontificatu, Sanctitatis Cultu, ac Martyrio.

3327 PRolatis iam nobilioribus de legitimo Felicis Pontificatu, Scriptorum Sententijs, necnon vtriusque partis difficultate in mediũ producta, vel eũ vivente Liberio, & exilij tempore, Romanæ Sedi Pastorẽ præficiendi, vel eius Pontificatum post Liberij obitum prorogandi, vt præcipuo questionis scopo lux adhibeatur.

PRO CONCLVSIONE statuimus: Felicem legitimum Pontificem extitisse, estò, quot annis legitimum Pontificatum tenuerit, certum non sit. Primam huius nostræ resolutionis partem, duabus statuimus rationibus, quarum prima Ecclesiæ nititur traditione: Quanti autem roboris sit argumentum ab Ecclesiastica Traditione desumptum, optimè docet TERTVLLIANVS *lib. de Corona Militis*, vbi hęc scribit: *Antiquas observationes Ecclesię, si nulla Scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit.*

3328 Huic Sententiæ S. suffragatur BASILIVS *lib. de Spiritu Sancto, cap.* 27. loquens namque de quibusdam Ecclesię traditionibus in illa generaliter acceptis, in ea est opinione, vt existimet, eum, qui ab vniversali illa observantia discederet, ab ijs etiam, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, discessurum, imò & ijs esse refragaturum: *Nec in ijs (inquit) quisquam contradicit, qui sanè, vel tenuiter expertus est; nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tamquam non multum habentes momenti, conemur reijcere, & ea damnabimus, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam Fidei prædicationem, ad nudum nomen contrahemus.*

3329 Consonat S. AVGVSTINVS *Epistola* enim 118. *cap.*1. pro aliquorum Fidei Dogmatum probatione, vniversalem totius Christiani Orbis consuetudinem adducit: *Illa (inquit) quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæquidem toto Orbe terrarum observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima Authoritas commendata, atque statuta retineri, &c.*

3330 Idem Sanctus contra Donatistas, Catholicum illud Dogma de non rebaptizandis Hæreticis, ex Vniversali Ecclesiæ Consuetudine probat, vt videri potest *lib.*2.*cap.*7. vbi hęc habet: *Quam Consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Concilijs posterorum, & tamen, quia custodiuntur per Vniversam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Idem dicit *lib.* 1. *contra eosdem Donatistas, cap.*23.

3331 Idem S. AVGVSTINVS ita stat pro Traditionibus, vt *lib.*4. *contra Donatistas, cap.*24. Vniversalem Ecclesiæ Consuetudinem tamquàm certissimam, & securissimam regulam præscribat: *Quod Vniversa (inquit) tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

3332 Nec ab hac Sẽtentia dissentit idem AVGVSTINVS *lib.* 1. *contra Cresconium, cap.* 33. ita enim in ea est opinione, vt iudicet securius medium ad infallibilem veritatem tenendam, esse communem Ecclesię Consuetudinem sequi: *Quamvis huius rei (inquit) in Scripturis Canonicis non profertur exemplum, earumdem tamen Scripturarum in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniversæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat Authoritas.*

3333 Idipsum confirmat S. BERNARDUS *Epist.* 147. dicens: *Nullo modo placebit contra Ecclesiæ Ritum, præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Ego quod ab Ecclesia accepi, securus trado.*

3334 S. ATHANASIVS ad probandam Fidem, quæ Nicæni Concilij Decretis debetur, vtitur argumento desumpto ex eo, quod huiusmodi Decreta à tota sint Ecclesia communiter recepta; scribens namque vna cum Ægypti Episcopis *ad Iovinianum Imperatorem*, teste THEODORETO *lib.*4. *Ecclesiasticæ Historiæ, cap.*3. asserit: *Huic omnes vbique Ecclesiæ assensæ sunt, vt Hispaniæ, Britannię, Italiæ, Galliæ, &c. cunctæ Græcię, & omnes Ecclesiæ Africę, Sardiniæ, Cypri, &c. Orientis denique Ecclesiæ, exceptis paucis, quæ sectę fuerunt Arianę. Ab opposito

Mmmmm au-

autem, scilicet, quod hæresis in aliquibus mundi angulis delitescat, magis ratio prædicta firmatur.*

3335 Hanc Sententiam valdè confirmat HIERONYMVS, ex eo enim aliquas probat Traditiones, quod ab Ecclesia generatim admittantur; hic autem generalis Ecclesiæ consensus, istius filijs instar legis infallibilis est. Vndè Hieronymus *adversus Luciferianos cap.* 4. de Baptizatorum Confirmatione loquens, hæc scribit: * Exigis vbi scriptum sit? In Actibus Apostolorum; etiam si Scripturæ Authoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus, instar præcepti vim obtineret. Nam & multa, quę per Traditionem in Ecclesijs observantur, Authoritatem sibi scriptæ legis vsurpaverunt.*

3336 Ex ijs, quę tot Sanctorum, illustriumque Ecclesiæ Patrum Authoritate suffulti, diximus, apertè deducitur, quanti roboris, ac momenti sit argumentum, quod ad aliquam Ecclesiasticam veritatem statuendam, ex vniversali Ecclesiæ Observantia, Consuetudine, & acceptatione eruitur, (vt habetur ex INNOCENTIO III. *in cap. Per Venerabilem in princ. vers. Quod autem, qui filij sunt legit. ex Decretal. col.* 1541.) tanti enim ponderis est, vt à Christiana pietate, & recta legis, rationisque norma alienum iudicet AVGVSTINVS in dubium revocare id, quod ab Ecclesia vniversaliter fuerit acceptum. Eleganter Augustinus *Epist.* 138. *ad Ianuarium*: * Si quid horum (inquit) per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimę insaniæ est.*

3337 Atqui Felix II. ab vniversali Ecclesia, Sanctos inter Pontifices, & Martyres, vniversali Cultu receptus est, vt testantur Historiæ, clamant Sancti, Martyrologia commemorant, & vniversalis Ecclesiæ Consuetudo, & Observantia plusquam 1300. *annis* continuata firmavit: ergo, iuxta Augustini mentem, legitimus Felicis Pontificatus in dubium nequit revocari; numquam enim consuevit Ecclesia Sanctos inter Pontifices illos, qui legitimi non fuerunt, recensere. Maior Sanctorum Patrum, quos nuper laudavimus, innititur Doctrina. Minor verò, ad quam tota abinitio devolvitur difficultas, varijs Authoritatibus suadetur.

3338 S. DAMASUS, qui *anno* 300. floruit, & sub Papa Felice vixit, de huius Pontificatu loquens, hæc habet *in Pontificali*: * Felix Natione Romanus, ex Patre Athanasio, sedit annum vnum, menses tres, dies tres. Hic declaravit Constantium, Filium Constantini, Hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi, iuxta Nicomediam in Aquilone villa.*

3339 Magnus THEODORETVS, qui *anno* 450. scripsit, *lib.* 2. *suæ Historiæ, cap.* 17. Felicem, non modo vti legitimum Pontificem, sed Fidei etiam, Nicæna in Synodo contra Arianos expositæ, observantissimum agnoscit: * Successum est (inquit) Liberio à Fideli quodam illius Diacono, nomine Felice, qui fidem in Concilio Nicæno expositam, ipse servavit integram.*

3340 His adhæret BEDA, qui *anno* 700. floruit, etenim *in Martyrologio*, 4. *Kalendas Augusti*: * Romæ (inquit) Sancti Felicis Pontificis. Hic declaravit Constantium, filium Constantini, esse Hæreticum, cum secundò rebaptizaretur ab Eusebio, Nicomediensi Episcopo.*

3341 At USUARDUS, qui *anno* 780. scripsit, non modo Felicis Pontificatum expressiùs probat, sed, eum etiam pro Fide glorioso occubuisse Martyrio, affirmat; asserit enim *in Martyrologio*: * Romæ, via Aurelia, natalis Sancti Felicis Papæ, qui à Constantio Augusto, ob Catholicæ Fidei defensionem, à Sede sua deiectus, &c.*

3342 Consonat Martyrologium ADONIS TREVERENSIS, qui *anno* 1080. floruit: * Romæ (inquit) via Aurelia, Beati Felicis Pontificis sub Constantio, filio Constantini. Idem Constantius Augustus, Concilium Hæreticorum, ac Valentis, & Vrsacij Arianorum approbans; quia & ipse Arianus erat, eiecit Sanctum Felicem, Vrbis Episcopum, de Sede Episcopatus sui, & facta est persecutio magna in Clero, ita vt Presbyteri, & Clerici plures necarentur, & Martyrio coronarentur. Depositus Sanctus, & Beatissimus Papa Felix, habitavit in Prædiolo suo, quod est Via Portuensi.*

3343 Idem sentit NICEPHORVS CALLISTVS, qui *anno* 1300. scribens, *lib.* 9. *cap.* 35. * Felix (inquit) Romanæ Ecclesiæ Diaconus, administrationem Liberij sortitus est, qui Nicęnam quidem Fidei Professionem retinebat, & in Religione, reprehensione carebat.*

PLA-

3344 PLATINA, magnæ Authoritatis scriptor, qui *anno* 1460. floruit, de Felicis II. Pontificatu loquens: *Felicem (inquit) profectò Catholicum fuisse constat, & Arianos semper damnasse, qui postremò, cum nulla in re Orthodoxæ Fidei deesset, ab adversarijs captus, vna cum multis secum benè sentientibus, interficitur.*

3345 ALBERTVS PIGHIVS, qui *anno* 1558. scripsit, egregiè stat pro Fidei Constantia, qua Felix II. Pontificis Gloriam, Martyrij Laureolæ adauxit; illorum etenim, qui Felicis exemplo, Fidei puritatem, quæ Romanis in Pontificibus eluxit, obnubilare, ac fœdare nituntur, argumento satisfaciens, gratiasque Deo persolvens, quod Felicem in Fide constantem, & ab omni hęreseos macula immunem servaverit: *CHRISTO (inquit) gratiæ, nec ijs ille ipse hæreseos à quoquam infamatus sit, quamquam varient de illo Historiæ, quod quidem (quemadmodum ex Theodoreto audisti) tamen, si integram fidem, sicut Nicææ exposita fuerat, inconcussè illum conservasse affirmant, communicasse tamen asserunt hæreticis; alij negant hoc ipsum, imò tam constantem Orthodoxæ Fidei assertorem prædicant, vt aliquando, post redditum Liberij, & postquam Romæ cessaret, affirment, illum etiam Martyrio Coronatum ab Hęreticis. Vides itaque impugnator Privilegij Apostolicæ Cathedræ, quales nobis Hæreticos proferas Romanos Pontifices?*

3346 Legitimo etiam Felicis Pontificatui, præclarę illius in Fide Constantiæ, gloriosoque Martyrio haud leviter suffragatur BELLARMINVS], *libro* namque 4. *de Romano Pontifice*, *cap.9.* asserit: *Felicem numquam Arianum fuisse, tametsi cum Arianis aliquando communicasset, eo videlicet tempore, quo verus Papa non erat; postea vero quam verus Papa esse cœpit, non modo Arianum non fuisse, sed etiam Arianos publicè detestatum, &c.*

3347 Et *infrà*: *Porrò Felix (inquit) iam verus Papa, animadvertens periculum Ecclesiæ, & Fidei, Deo sine dubio inspirante, qui Ecclesiam suam non deserit, non solum recessit à Communione Arianorum, sed etiam, coacto Concilio, declaravit Imperatorem Constantium, & Episcopos Ursacium, & Valentem verè esse Hæreticos.*

3348 Idipsum confirmat BARONIUS *anno* 357. *num.* 65. singularem Dei in speciali Ecclesiæ regimine Providentiam admiratus; simulatque enim Romæ, estò falsò, percrebuit Liberium tædio victum exilij, quod pro Fide constanter duobus, tribusvè annis passus fuerat, cum Arianis Hæreticis communicasse, Deus ita Felicē permovit, vt quāvis ille in Apostolicam Sedem ab Arianis fuerit intrusus, ab istorum tamen communicatione sese penitùs substraxerit, pro Catholica Fide steterit, Arianam hæresim damnaverit, infractoque animo, pro Fide animam profuderit: *Quod autem (inquit) ad vniversam rerum gestarum inter Liberium, atque Felicem seriem spectat; intuere mecum, atque admirare pariter, Lector, summam Dei Providentiam, qua semper moderatus est ipsam Romanam Ecclesiam; nam labefactato ex Arianorum communicatione, & si non hęresis participatione, Liberio, Felicem antea eorundem communicatione coniunctum, excitat ex adverso, statimque erigit adversus eos ipsos Arianos, quorum sanè ope fuerat Romanam Cathedram consequutus, & magno præsidio contra adversarios confirmat, sicque ad pugnam roborat, vt exagitans Arianos omnes, eorumque Principem Constantium feriens Anathemate, fuerit pro mercede insignitus Corona Martyrij.*

3349 Cardinalis BRANCATUS DE LAVRÆA *Tomo* 3. *de Fide*, *Disp.* 3. *art.*5. §.6. *num.* 253. loquens de Felice: *Hic est ille Felix (inquit) qui primò à Constantio honoratus est, & in Sede Petri intrusus, postea mortuo Liberio, verus Pontifex, Constantium ipsum ob Fidei defensionem excommunicavit, quam ob causam ab eo in Thusciam relegatus Cerræ, &c.*

3350 Cardinalis AGVIRRE *de Cathedra Sancti Petri vendicata*, *tract.*1. *Disp.* 28. *num.* 30. *in fin.* sermonem instituens de Pontifice Felice: *Quapropter (inquit) certum apparet, Felicem, quamvis peccaverit in Communione cum Arianis habita, non propterea exuisse Catholicam Fidem, nec ex animi sententia Arianum fuisse. (Et *num.*33. de eodem Felice loquens, hæc scribit:) Ipse verò considerans gravissimum Ecclesiæ sibi commissæ, Fideique periculum, non modò recessit à Communione cum Arianis, sed etiam, coacta Romæ Synodo, declaravit Constan-

tium Imperatorem, & Episcopos Vrsacium, & Valentem, quibus cum Communionem haberet, Hæreticos esse.*

3351 Pater DOMINICVS A SANCTA TRINITATE *lib. 3. Bibliothecæ Theologicæ, sect. 4. cap. 16. §. 4.* *Cæterum (inquit) ex eo tempore, quo Romanus Clerus, abrogata Liberio Pontificia Dignitate, propter pacem cum Arianis initam, ad Felicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat, atque adeò cœpit verus Pontifex esse, non solum hæreticus non fuit, sed Hæreticos Arianos, eorumque Principem, Constantium, Anathemate feriens, Martyrij Palmam consequutus est.*

3352 In eamdem propendent sententiam de Felicis Pontificatu Episcopus SPONDANVS *ad annum 357. num. 16. & 17.* Episcopus IGNATIVS FIVME, Dominicanus, *de Romanô Pontifice, lib. 1.* Magister DOMINICVS GRAVINA, Dominicanus etiam, *de Infallibilitate Papæ in Decretis Fidei, Tom. 4. part. 2.* IODOCVS COCCIVS *in Thesauro Catholico, Tomo 1.* Magister GONET, Dominicanus, *in Clypeo Theologiæ, Tomo 4.* EVGENIVS LOMBARDVS *de Regali Sacerdotio.* JOANNES ORATIVS SCOGLIVS *in Summa Ecclesiasticæ Historiæ, & Chronologiæ ab Orbe condito ad annum 357. lib. 4.* SEBASTIANVS NICOLINI, Canonicus Setabensis, *in Historia Romanorum Pontificum, de Capite visibili Catholico, & infallibili Vicario CHRISTI, §. 38.* D. GVNDISALVVS DE ILLESCAS *in Historia Pontificali, Tom. 1. cap. 5. de Vita, & Pontificatu Felicis Summi Pontificis.* Pater GABRIEL BISCIOLA, Societatis IESV, *in Epitome Annalium Baronij in anno 357.* Pater ODORICVS RAYNALDVS *in Epitome etiam Baronij, eodem anno,* qui omnes cum pluribus alijs contestantur Fidei Puritatem, Constantiamque, qua Felix Pontifex, pro illa, contra Arianos Hæreticos stetit, Catholicumque animum, quo semper viguit, toto illo tempore, quo vt legitimus Pontifex à Catholico Romano Populo reputatus est, ac admissus.

3353 Vt in materia adeò gravi solidiùs stabiliatur veritas, vtque severioris notæ, iudicijque lectorem omni solvamus scrupulo, quamvis ea, quę hûcusque diximus satis, superque essent, ad Constantiam, qua Pontifex Felix II. gloriosum pro Fide Martyrium subijt, clarissimè demonstrandam; nihilominùs tamen, quia non deest recentior aliquis, qui illam revocet in dubium, vt Pater Daniel Papebrochius *in Conatu Chronico Historico ad Cathalogum Pontificum Romanorum, Dissertatione 10.* operæpretiū duximus ijs, quę diximus, hos alios apponere Authores, hęcque annectere Martyrologia, quibus expresśè, ac egregiè, gloriosum commendatur Martyrium Felicis II. qui sub Constantio Imperatore, & Pontificis Liberij exilio floruit, ac paulò post Liberij ab exilio in Apostolicam Sedem restitutionem *anno 357.* infaustam hancce infœlicemque vitam, pretiosa, fœlicique Martyrij Corona, commutavit.

3354 Accedat prior S. DAMASVS, Felici coævus, qui *in Pontificali ad annum 370.* hæc scribit: * Felix, Natione Romanus, declaravit Constantium Filium Constantini Hæreticum, & pro hoc declaratu, ab eodem Constantio Martyrio coronatur.*

3355 S. GREGORIVS MAGNVS *in Antiphonario, & Sacramentario,* ponit integrum Officium Ecclesiasticum, legendum ad Missam in die Sancti Felicis Pontificis, & Martyris *4. Kalendas Augusti.*

3356 Venerabilis BEDA *in Martyrologio 4. Kalendas Augusti:* *Romæ (inquit) Sancti Felicis Pontificis. Hic declaravit Constantium, filium Constantini, esse Hæreticum; & iuxta præceptum eiusdem Constantij Augusti, capite truncatur.*

3357 Pro singulari Sancti Felicis Papæ in Fide Constantia, glorioso Martyrio, eximiaque ipsius Sanctitate, omitti non potest Sancti ANTONINI, Archiepiscopi Florentini, Authoritas, qui *2. sui Chron. part.* de Felice, ac Liberio Pontificibus loquens, hæc habet: * Liberius Natione Romanus, qui Ecclesiæ præfuit annis decem, mensibus sex, diebus quatuor. Fuit autem hic missus in exilium à Constantio Imperatore, eo quod noluit assentire Arianis, & favere illi hæresi.

3358 Qui congregato (prosequitur) Clero, de eorum Conciliô venerandum Virum Felicem Presbyterum, vel renunttians, Pontificem eum cum alijs elegit, vel ipsum Felicem suum Vicarium Generalem in-

instituit. Cum autem esset in exilio positus, Felix Zelo Fidei succensus congregato Concilio quadraginta Episcoporum, Vrsacium, & Valentem Presbyteros, qui Constantio in hæresi Ariana favebant, condemnavit, & ipsum Constantium Imperatorem, vt Hæreticum rebaptizatum, excommunicavit. Quam ob caussam Constantius indignatus, congregato Conciliabulo plurium ex fœce Ariana, revocari fecit Liberium ab exilio, & Felicem eijci à Pontificali Cathedra. Qui eiectus, paulò post, iussu eius, Martyrio coronatus est.*

3359 VSUARDUS *in suo Martyrologio* *Via Aurelia, natalis S. Felicis Papæ, qui à Cõstantio Augusto, ob Catholicæ Fidei defensionem à Sede sua deiectus, & gladio necatus, gloriosè occubuit.*

3360 VVANDELBERTVS, Diaconus *in Martyrologio*, 4. *Kalendas Augusti*:

*Felix, Simplicius, Faustinus, & alma Beatrix,
Tiecassique Lupus, quartam communiter aurant.*

Id est, illustrant.

3361 ADO TREVERENSIS *in Martyrologio*: *Romę, Via Aurelia, B. Felicis Pontificis sub Constantio filio Constantini. Idem Constantius Hæreticorum consilio eiecit Sanctum Felicem, Vrbis Romæ Episcopum, de Sede sua. (Et paulò infrà:) Depositus Sanctus, ac Beatissimus Papa Felix, habitavit in Prædiolo suo, quod est in Via Hostiensi, & agentibus postmodum Hæreticis, exindè levatus, ductus est ad Civitatem, & capite truncato, Martyrio coronatur.*

3362 JOANNES MICROLOGVS, *de Ecclesiasticis Observationibus*, *cap.* 43. de Martyribus Romanis Pontificibus, asserit: *Sanctus Gregorius Papa I. in Graduali libro, de his Martyribus, sicut de Confessoribus, Pontificalia instituit Officia, vt de Sancto Marcelo Antiphona, *Statuit*, & de Sãcto Felice Antiphona, *Sacerdotes*, & hoc vtique satis constat, propter excellentiam Dignitatis Apostolicæ.*

3363 NICOLAUS MANIACUTIUS *in Carminibus de Romanis Pontificibus*, hæc cecinit:

*Exule Liberio, Felix in Sede locatur:
Martyriumque subijt, cum Liberius revocatur.*

3364 Huic sententiæ valdè consonat Cardinalis BELLARMINUS *lib.* namque 4. *de Romano Pontifice*, *cap.* 9. *Et propterea (inquit) redente Liberio in Vrbem, Felix cum suis, ab Arianis eiectus est, & non diù post mortuus, sive capite cæsus, sivè confectus ærumnis fuerit: Hoc ita se habere, id est, Felicem post lapsum Liberij, eorum Pontificem fuisse, & pro Catholica Fide mortuum esse. (Et infrà:) Secundò: omnia Martyrologia antiqua tàm excusa, vt Bedæ, Adonis, Vsuardi, quam etiam manuscripta, 4. Kalendas Augusti, ponunt memoriam Sancti Felicis II. Papæ, & Martyris, qui Constantium Hæreticum declaravit.*

3365 Idipsum confirmat PLATINA *in sua Historia Pontificali*, de Felice namque II. loquens: *Felicem (inquit) profectò Catholicum fuisse constat, & Arianos semper damnasse, qui postremò cum nulla in re Orthodoxæ Fidei deesset, ab adversarijs captus, vnà cum multis, secum benè sentientibus, interficitur.*

3366 Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA *loco supra citato, num.* 264. *in fin.* de Felice II. sermonem instituens, hæc adiungit: *Et similiter ingressus in Pontificatum Martyrio vitam finivit, neque vmquam hæresis labe infectus est. (Et *num.* 268.) In Pontificali etiam notatur Papa, & Martyr, sic & à Beda, & ab Vsuardo, Adone, Nicephoro, &c. (Et *num.* 269.) Ijdem, qui eum malè ingressum dicunt, fatentur hæresi maculatum non fuisse; imò, & pro Fidei Nicænæ Confessione occisum.*

3367 Hanc etiam præclarè illustrat Sententiam Authoritas Illust. D. D. BARTHOLOMÆI DE CARRANZA, è Sacro Prædicatorum Ordine, Archiepiscopi Toletani *in Summa Conciliorum*, loquens etenim de Felicis Papæ in Fide Constantia, hęc, inter alia, scribit: *Revocato Liberio, Constantius fecit Concilium cum Hæreticis, & eiecit Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus; qui Felix depositus, habitavit in Prædio suo Via Portuensi, & requievit in pace.*

3368 At expræssiùs eiusdem Felicis in Fide Constantiam probat illa gloriosa Martyrij Corona, quam promeruit. *Felix (inquit) II. Papa, Natione Romanus, sedit annum vnum, menses tres. Hic declaravit Constantium, filium Constantini, hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi, & pro hac declaratione, ab eodem Constantio Martyrio coronatur, & capite truncatur.*

In

3369 In *tom. 2. Generalium Conciliorum Regiæ editionis*, hæc, ex libro DAMASI, habentur: *Felix, Natione Romanus, declaravit Constantium, filium Constantini, hæreticum.*

3370 His additur Felicis Papę II. memoriam, illiusque cultum ab Vniversali Ecclesia, non quidem immemorabili, aut centenaria consuetudine, sed plusquam mille annorum Traditione, fuisse celebratum. Et, si ad concludentem probationem duo contestes sufficiunt iuxta Evangelicum dictum: *In ore duorum, vel triū testiū stet omne verbum*, nequé deficiunt isti, & quidem omni exceptione maiores, pro hac nostra stabilienda Sententia.

3371 Primus sit Eminentissimus Cardinalis BELLARMINUS, qui *lib. 4. de Romano Pontific. cap. 9.* de Pontifice Felice II. loquens, hæc scribit: *Adde, quod Sanctus Gregorius I. tàm in Antiphonario, quàm in Sacramentario, ponit integrum Officium Ecclesiasticum, legendum ad Missam, in Die Sancti Felicis Pontificis, & Martyris, quarto Kalendas Augusti; esse autem eum Felicem Romanum Pontificem, & proindè eum, de quo loquimur, testatur Micrologus, Ecclesiasticarum observationum *cap. 43.* Cum igitur Ecclesia Catholica, à mille iam annis, hunc Felicem colat, vt Papam, & Martyrem, non debet is excludi à numero Pontificum, etiamsi nullam aliam rationem proferre possemus. (Et paulò infrà idem Cardinalis, idipsum confirmans, ita concludit:) Igitur ante mille annos hic Felix, in numero Pontificum habitus est, nec enim Schismatici numerum faciunt.*

3372 Secundus testis, omni exceptione maior, est Eminentissimus Cardinalis AGVIRRE *de Cathedra Divi Petri vendicata, disp. 28. sect. 3. num. 35.* vbi de hoc eodem Felice II. loquens, sic scribit: *Itaque Ecclesia Catholica, saltem à mille nonaginta annis, qui fluxerunt vsquemodò à Pontificatu Sancti Gregorij Magni, celebrat illum veluti Papam, & Martyrem.*

3373 Si ergo iuxta gravissimos, clarissimosque Ecclesiæ Patres, quos hucusque laudavimus, illa est Ecclesiastica Traditio, quæ in Cultus, Religionisque rebus, Vniversali Ecclesiæ Cõsuetudine, Observantia, ac Approbatione recipitur, cum ex tot Sanctis, tot præclarissimis in Historia Scriptoribus, totque Martyrologijs diversorum Regnorum, ac Nationum, Felicis in Fide Constantiam, ipsiusque Pontificatum, ac Martyrium, necnon perpetuum illius cultum, quo semper Ecclesia, per mille, & ampliùs annos, illum, vt Pontificem, Sanctum, ac Martyrem venerata est, probaverimus; certissimè, imò & demonstrativè deducitur, Felicem legitimum fuisse Pontificem. Qui verò perpetua hac in Ecclesia existente Traditione, id in dubium revocaverit, illam certè cavere poterit censuram, quam in hanc rem Divus AVGVSTINVS, *Epistola iam laudata*, dedit: *Si quid horum per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimę insanię est.*

3374 Secunda pro Felicis Pontificatu ratio, principio, in omnibus Mundi Tribunalibus, tàm Secularibus, quàm Ecclesiasticis, vniversaliter recepto, innititur; in omnibus enim illis rationes, quę pro vtraque proponebantur parte, Iudicis Sententia terminantur: allegant partes quidquid illis, vel placuerit, vel patrocinari potest in Iure Civili; si tamen Iudex semel Sententiā, pro vna ex illis protulerit, rationes, quę, pro opposita adducebantur parte in iudicio ordinario, prorsus cessant; & quamvis parti oppositę, contra quam lata est Sententia, Ius ad Supremum Iudicem appellandi competat, si tamen iste ad definitivam processerit Sententiam, rationes partis adversæ protinùs desinunt, ac finiuntur.

3375 Idem in Ecclesiasticis Tribunalibus contingit; in ijs enim, quælibet causa iudicij ordinarij, quæ ad Sanctę Sedis Tribunal adducitur, si ab isto vltima definitiva Sententia, tàm in Civilibus, quàm in Criminalibus proferatur, penitùs finitur, nec rationes partis adversæ, contra quam lata fuit Sententia, ampliùs audiuntur, aut admittuntur. Idem in Dogmatibus accidit, in hæresum, hæreticorumque damnatione, vbi enim Pontifex in Concilio, vel extra Concilium, vltimam protulerit Sententiam, aut Definitionem, rationes in oppositum nullatenùs admittuntur.

3376 Celebrioribus similiter controversijs, quæ Catholica in Ecclesia exagitatæ sunt, Supremi Iudicis, qualis est Summus Pontifex, sive in Concilio, sive extra illud, in rebus maximè Fidei, Cultus, & Religionis, vltima adveniente resolutione, finis impositus est; cuius quidem rei, ni tam trita apud omnes esset, ac vulgaris, nevè longiùs protraheretur oratio, plura adduci possent exempla.

Ni-

3377 Nihilominùs tamen, silentio nequit præteriri, celebris illa controversia de Hæreticis rebaptizandis, quæ totum Orientem, Occidentemque commovit; S. namque Cyprianus, multique alij Orientales Episcopi, baptizatos ab Hæreticis, rebaptizandos esse arbitrabantur; ijs autem Sanctus Pontifex STEPHANVS sese viriliter opposuit, & post Concilia multa, in quibus difficultas illa discussa est, Pontificis Definitione terminata controversia, omnes rationes oppositæ corruerunt.

3378 Celebris quoque fuit controversia de die, quo Pascha esset vniformiter à toto Christiano Orbe celebrandum, cumque in diversas, & adversas partes celebriorum Doctrina, & Sanctitate virorum sententię, ac studia traherentur, variaque celebrata fuerint Concilia, in quibus difficultas illa gravissimis hinc, & indè propositis rationibus discuteretur, accedente tandêm Apostolicæ Sedis Definitione, omnes cessavere rationes, incassumque abiere.

3379 Idem in Sanctorum Cultu, Venerationeque accidit; in illorum namque Canonizationibus, rigorosissimi de Vita, & Miraculis instruuntur Processus, qui toto Iuris rigore servato, ad Sacram Rituum Congregationem, tamquam ad Apostolicos Iudices Delegatos, deferuntur, vbi tûm causa, tûm duo illi Articuli, an constet de Vitę Sanctitate, & Miraculis, rigidissimè discutiuntur, & examinantur; sacra iubente Congregatione, vt in omnibus instantijs Fidei Promotor audiatur, qui ex Officio eas opponit instantias, vt multoties causæ intermittantur, multisque annis procrastinentur, quousque plenissimè eis satisfiat, & de veritate innotescat: neque ante quam id fiat, Sacra Rituum Congregatio de Sanctitate Vitę vel de Servi Dei Miraculis constare decernit; at quoties, omnibus adhibitis diligentijs, Sacra Rituum Congregatio de Vitæ Sanctitate, & de Servi Dei Miraculis constare agnoscit, delata causa, ad Sanctissimum, cui reservatur vltimum Iudicium, tunc Summus Pontifex, vti Supremus in rebus Cultus, & Religionis Iudex ad vltimam Sētentiam, & Definitionem pro Dei Servo progreditur, omnesque Promotoris Fidei rationes, & oppositiones cessant; publicaque Veneratio, & Cultus in tota Ecclesia exhibetur, tamquam Sancto, illi pro quo Canonizationis Decretum Pontifex expediri mandavit.

3380 Et ratio omnium, quæ hucusque diximus, ea videtur esse, quia Pontifex Summus, totius Ecclesiæ Iudex Supremus est, cui pro suo munere competit, vltimam in gravioribus Ecclesiæ causis, vti sunt illæ, quæ ad Fidem, Cultum, & Religionem spectant, proferre Sententiam, & resolutionem. Præclaram huius veritatis probationem nobis suppeditat S. FELIX Pontifex I. qui cuidam Episcopo, quarundam Dogmaticarum difficultatum resolutionem exposcenti, respondet *Epist.* 3. egregiè suo perfunctum fuisse Officio, cum Apostolicam Sedem, Pontificemque in ipsa Præfectum, Supremum in Fidei, & Religionis controversijs Iudicem existere ex Apostolica Traditione constaret: *Suscipientes (inquit) fraternitatis tuæ Epistolas, quibus me requisijsti super Fidei documentis, quæ ab alijs habebantur aliter, quam rectè Fidei continent Sacramenta, prout Dominus dedit, pro fraternitatis amore respondere non reluctabimus. Semper enim dubia, & maiora negotia terminum ab hac Sancta Sede, à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueverunt. Et ideò tu rectè fecisti, quod huius Sanctæ Sedis consultis, te, cæterosque firmari, & instrui voluisti.*

3381 His consonat præclarum illud documentum, quod Fausto Magistro, qui Constantinopoli Legati Officio perfungebatur, GELASIUS PONTIFEX dedit: *Si quantum ad Religionem pertinet (inquiens) non nisi Apostolicæ Sedi, iuxta Canones, debetur summa Iudicij totius; si quantum ad sæculi Potestatem illa à Pontificibus, & pręcipuè à Beati Petri Successore debet cognoscere, quæ divina sunt, non ipsa eadem iudicare: Nec sibi hoc quisque potentissimus sæculi (qui tamen Christianus est) vendicare pręsumit, nisi Religionem forsitàn persequens.*

3383 Idipsum mirificè confirmat S. GREGORIUS Pontifex, dum *lib.* 4. *Registri, Epist.* 52. Galliæ Episcopis loquens, hæc valdé notanda verba protulit: *Si quam verò contentionem de Fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortassè dubietas, & pro sua magnitudine, Iudicio Sedis Apostolicæ indigeant, examinata diligentiùs veritate, relatione sua ad nostrā studeat perducere notitiam, quatenùs à

no-

nobis valeat, congrua sine dubio sententia terminari.*

3383 Romani verò Pontificis Iudicium, & resolutionem debere esse illud vltimum, in quo graviores Fidei, & Religionis causę terminentur, duobus innititur principijs. Primò: quia Pontifex Supremus est totius Ecclesię Iudex, ad quem de iure pertinet vltima resolutio graviorum Ecclesię causarum, vt ex perpetua Ecclesiæ Traditione ab Apostolorum temporibus deducta innotescit, prout rectissimê tres suprà citati Pontifices probant.

3384 Secundò: Quia Supremum Pontificis Iudicium, cum in rebus Fidei, & morum instruit Ecclesiam, securum est, certum, & infallibile, iuxta illam CHRISTI promissionem Apostolorum Principi factam: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat Fides tua*, prout plurimis Sanctorum expositionibus, Concilijs, & Patribus latê probavimus *lib.1.*

3385 Hinc fit, totam Ecclesiam in Concilijs Generalibus repręsentatam, omnesque Sanctos Patres, qui Concilijs adfuerunt, ita omni tempore Apostolicæ Sedis resolutionem, & Sententiam esse veneratos, vt numquam in Fidei, & Religionis rebus quidquam ausi fuerint decernere, quin priûs Romanos Pontifices, qui illis temporibus Ecclesię Clavum tenebant, consulerent, vt illorum Oraculo, instructione, & Doctrina resolutionem, definitionemque Catholicam tutam redderent, ac securam, Apostolicæ Doctrinę semper subscribentes, qua à Romanis Pontificibus instruebantur. In cuius confirmationem omitti non potest quod scripsit Pôtifex AGATHO *in Epistola ad Imperatorem Constantinum*, quæ *in VI. Synodo* summo plausu lecta fuit, ac suscepta, in qua, inter alia, hęc de Apostolica Sede dicuntur: * Cuius Authoritatem, vtpotè Apostolorum Principis, semper omnis Catholica CHRISTI Ecclesia, & vniversales Synodi, fideliter amplectêtes, incunctis sequutæ sunt: omnesque Venerabiles Patres, Apostolicam eius Doctrinam amplexi, per quam, & probatissimê CHRISTI luminaria claruerunt, & Sancti quidem Doctores Orthodoxi, venerati, atque sequuti sunt; Hęreticis autem falsis criminationibus, atque derogationum odijs insequuti.*

3386 Nec minùs in rem nostram facit, quod in GENERALI CHALCEDONENSI SYNODO evenit, in qua proditur, statim ac lectum fuit Decretum, quod Pontifex Leo circa Fidei controversias, quę tunc exagitabantur, ediderat, vix posse explicari verbis conclamationem, qua ab omnibus illis Sanctissimis Patribus, Leonis suscepta est resolutio, illius Doctrinæ omnibus libentissimè assentientibus. Quid igitur, ex dicti Concilij Actis habeatur, audiamus; ibi enim, inter alia, hęc leguntur: * Vndè Reverendissimi Episcopi clamaverunt, vt Leo sic credimus; qui contradicunt, Anathema sunt. Leo rectè exposuit. (Et infrà:) Vniversi Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Iustæ persuasioni acquiescimus vniversi: hoc omnes credimus, hoc sequimur, hoc tenemus, quod Patris omnium nostrum Leonis confessio habet.*

3387 Idipsum demonstrat VIII. SYNODUS GENERALIS, cuius Doctissimi Patres, Sanctissimique Prelati, lecto Adriani Pôtificis Decreto circa Fidei Dogmata, quę tunc disceptabantur, singulari quidem vniformitate, illius Doctrinam venerati sunt, ac sequuti: asserunt enim: *Quoniam sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes omnia eius Constituta, speramus, vt in vna Communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas.*

3388 Quod insupêr confirmatur ex ijs, quæ LUGDUNENSIS GENERALIS CONCILIJ Patres, Sanctæ Romanæ Sedis Doctrinam venerantes, dixerunt, vt habetur *in cap. Fideli, de Summa Trinitate, & Fide Catholica, in 6.* *Hoc firmiter tenet, & prædicat, & profitetur, & docet Sancta Romana Ecclesia, omnium Fidelium Mater, & Magistra. Vndè *in cap. Omnis, dist. 22.* S. Ambrosius, hoc nobis dat documentum: dum se in omnibus sequi Magistram Sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.*

3389 Ex ijs evidenter deducitur Summum Pontificem, Supremum controversiarum Ecclesiasticarum Iudicem existere, è cuius Supremo Magisterio Fideles in Fidei, & Religionis Dogmatibus debent haurire disciplinam, cum illius Doctrina securior, infallibiliòrque sit regula, quam Ecclesia, Concilia, & Patres invenerunt, ad patefaciendam veritatem, in gravioribus controversijs, quæ in Ecclesia omni tempore

pore

pore subortæ sunt, cuius Apostolicę resolutioni, ceu securiori, certiorique Cynosuræ, Ecclesia omnis semper summa veneratione obsequuta est, vt in toto isto opere latissimè Sanctorum Patrum, præclarissimorum Doctorum, Sacratiorumque Conciliorum Authoritate probatum reliquimus.

3390 Cum igitur sub Pontifice Gregorio XIII. Felicis Papę Sanctitas, Cultus, & Pontificatus revocarentur in dubium, ac inter multos dubitaretur: an Felicis nomen, à Sanctorum, legitimorumque Pontificum Cathalogo, necnon & à Martyrologijs, quæ hucusque citavimus, esset expungendum, vt solidiùs exploraretur veritas, iussit Pontifex Summus, vt pro vtraque parte de hoc argumento scriberetur; quod cum maioris doctrinæ, nominis, & opinionis viri pręstitissent, illaque controversia, ac pro vtraque parte rationes, in Sacra Rituum Congregatione discussę fuissent, cum iam ad controversiæ decisionem Sacra Congregatio progrederetur, pridiè eius diei, quo eiusdem Sancti Felicis Festum Ecclesia celebrare consueverat, Cœlum ipsum, pro Felicis Sanctitate stetit; ipso Felice quasi redivivo suam causam agente, cum iam valdè stylo contradicentium esset oppressus; novo namque miraculo, eius intercessione patrato, illius Sanctitatem patefacere voluit Deus, scriptura quadam authentica, quæ, dum fortè in Sepulchro Sancti, quidam, non sine Divina Providentia, suffoderent, marmoreis litteris exarata reperta est, qua Felix verus Pontifex, Sanctus, & Martyr, commendabatur. Quod non sine singulari Dei Providentia, vt dixi, factum est, vt dum Felicis Sanctitas, & Pontificatus fortissimis rationibus quateretur, & penè iam, ob innumeras contrarias assertiones, causa cadere videretur, hæc opportuna attestatio, & Scriptura, rationibus, quæ Sancto auxiliabantur, robur, & vires adaugeret, vt tãto miraculo clarissimè omniũ oculis proposito, Gregorius XIII. definitivã Sententiam, & propitium ederet Decretum, quo iussit, vt Traditio, quæ mille, & amplius annis in Ecclesia semper servata fuerat, Sanctorum Martyrum Fastis, & legitimorum Pontificum Cathalogo adscribendi Felicem II. perpetuò teneretur, Cultusque, quem sibi invicta sua Constantia in defendenda Fide, conciliaverat, observaretur.

3391 Huius tàm admirabilis prodigij meminere ferè omnes celebres Scriptores, qui de Pontificatu Felicis II. loquuntur; sed quia vnus ex ijs, qui tunc temporis in Sacra Rituum Congregatione reperti fuerunt, quemque oppositæ rationes non leviter commoverent, fuit Cardinalis BARONIUS, qui se à veritate victum gloriatur, verba, quibus ex professo hoc prodigium commemorat, hic apponenda esse censuimus: *Accidit (inquit) vt temporibus Pontificatus Gregorij XIII. dum de emendatione Romani Martyrologij, à Viris eruditis ad hoc delectis, frequẽs haberetur conventus, & de Felice non levis controversia incidisset, expungendus ne esset ob vitiosum ingressum eius, vel absque Martyris titulo relinquendus; deque his diù, multumque altercatum esset: Et ego in eam Sententiam pedibus irem, vt Felicis nomen expungendum esset, eoque argumento volumen haud breve scripsissem, cui faverent, stipularenturque complures viri eruditi, in Vrbe tunc existentes.

3392 Accidit planè (prosequitur) veluti Divino Miraculo, vt cum in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani, in foro, ad Templum Pacis, posita, quidam malè consulti, sed non sine Divina Providentia, clam Altare vnum, à dextris positum, suffoderent, vt thesaurum invenirent, quem acceperant, nescio quo revelante ibi esse repositum, in marmoream arcam inciderent, in cuius altero latere, tabulæ lapideę interstitio ab altero distincto, repositę invenirentur reliquiæ Sanctorum Martyrum Marci, atque Marcelliani, & Tranquillini; in altero verò atq; latere, Corpus Sancti Felicis, de quo agimus, vnà cum lapideo latereulo ibidem intùs posito, hisce litteris exarato:

CORPUS S. FELICIS PAPÆ, ET MARTYRIS, QUI DAMNAVIT CONSTANTIUM.

3393 Quod accidit pridiè eius diei, quo eiusdem Sancti Felicis in Ecclesia natalis dies agi consuevit 4. Kalendas Augusti *anno Domini* 1582. cum de eius meritis disceptatio magna esset, iamque penè ob innumeras contrarias assertiones causa cadere videretur. Quando opportunè ipsemet Felix visus est, admiratione omnium, redivivus comparuisse, per se suam ipse causam acturus, cum iam valdè stylo contradicentium esset oppressus.*

3394 Hoc ipsum miraculum commemorat Cardinalis BELLARMINUS *cap. 9. toties iam citato*, loquens de Felice, &

Nnnnn con-

concludit: *Quod non immeritò divinitùs contigisse creditum est.*

3395 Idipsum enarrat Cardinalis BRANCATUS DE LAURÆA *de Fide, disp.* 8. *num.* 268.

3395 Meminerunt etiam Illustrissimus Episcopus HENRICUS SPONDANUS *ad annum* 357. *num.* 18. & BINIUS *in Notis ad Concilia Generalia, in vita Sancti Felicis Papæ, tom.* 2. qui postquam hoc ipsum miraculum, verbaque inscriptionis retulit, notat viso illo prodigio, quotquot oppositum sentiebant rectissimè á propria discessisse Sententia: *Quam inventionem (inquit) cum omnes non immeritò divinitùs contigisse crederent, suam, quam conceperant, Sententiam retractarunt meritò, eamque in maiorem Martyris gloriam commutarunt.*

3397 Cardinalis AGUIRRE *disp.* 28. *iam citata* postquam illud enarravit prodigium, subdit *num.* 37. *Quod sanè omnibus admiratione fuit, creditumque est, Felicem ipsum se exhibuisse redivivum eo die, vt causam propriam ageret, quæ iam penè deplorata erat.*

3398 Et Cardinalis BARONIVS *loco iam citato, num.* 64. hanc materiam concludens asserit: se, non obstantibus rationibus, quæ oppositum convincebant, quibusque volumen haud breve scripserat, viso illo miraculo, accedenteque (quod maioris ponderis apud ipsum erat) ipsa de ea re Romani Pontificis pro Felice Sententia, stylum Christiana modestia repressisse, atque illis omnibus rationibus omissis intellectum in obsequium Fidei, vt monebat Paulus, captivasse, provt hæc illius verba demonstrant: *Tantę rei non nihil tunc ipse cum alijs admiratione perculsus, adinventisque posteà, recitatis superius Liberij Litteris, de inita ad tempus communicatione cum Arianis; accedenteque ad hæc omnia (quod maioris ponderis apud me erat) ipsa de ea re Sententia Romani Pontificis, stylum modestia Christiana repressi, quem Zelo veritatis acuceram, vincique à Felice, felicissimè accidisse putavi, cedereque Illustrissimo, ac Reverendissimo Don Iulio Antonio Sanctorio, Sanctę Romanæ Ecclesiæ amplissimo Cardinali, simulque dissertissimo Viro, qui egregiè pro Felice susceperat patrocinium, me cum ipso Triumphum magna gloria agere existimavi, ipsa veritate in vtroque vincente.*

3399 Cum igitur tot Conciliorum, Patrum, & Sanctorum Authoritatibus ostensum fuerit, in omnibus Ecclesiasticis controversijs, partem illam, in quam Apostolicæ Sedis Decisio propendet, superiorem esse, reliquisque rationibus oppositis præstare, vt in hoc ipso, de quo agimus casu, ostensum est, in quo, cum de Felicis Papę Sanctitate, & an inter legitimos, Sanctosque Pontifices adnumerandus esset, dubitaretur; Cardinalis Baronius, està eminentissima Doctrina prędictus, plurimisque, ac gravissimis rationum momentis, oppositum suadentibus, suffultus, accedente Pontificis, pro Felicis Sanctitate, illiusque Cultu Decisione, ipse, & quotquot illi adhęrebant, sese fœlicissime victos gloriantur, intellectum Pontificis Definitioni subijcientes, maioremque Sancti gloriam, illiusque fœlicissimum Cultum, ac venerationem debito honore concelebrantes.

3400 Horũ & nos vestigijs inhærentes, non obstantibus rationibus, quas contra Felicis Pontificatum adduximus, quibusque illum à Pontificum seriè expungendum suadere videbatur; accedente tamen Ecclesiæ Traditione, quam mille, & amplius annis in Ecclesia vigere apertè ostendimus, accedente etiam Pontificis Decisione, quam modò retulimus, qua Gregorius XIII. in hac eadem celebri controversia, pro Felicis Sanctitate, cultu, & Pontificatu Sententiam protulit, idem quod Baronius sentire nobis visum est, addentes insuper, oppositum defendi non posse, quin solidiori argumento, quo in Dogmaticis controversijs semper vsa est Ecclesia, Ecclesiasticę nempè Traditioni, Pontificisque Definitioni gravissimum præiudicium inferatur.

3401 Nec tandem vrgent rationes in oppositum superiùs adductæ. Cum enim Ecclesiæ Traditione Pontificis Felicis II. Sanctitas Cultus, ac Pontificatus indubitanter stabiliantur, quotquot in oppositum adduci poterant rationes, ac argumenta, fallibilia, defectibiliaque sunt; ratio namque humana à veritatis tramite potest deviare, Ecclesia verò vniversalis in rebus Religionis, & Cultus, tot sęculorum decursu firmatis errare neutiquam potest: ac demum vbi clara est Traditio, omnis humana ratio cessat, iuxta illud D. IOANNIS CHRYSOTOMI *Homil.* 4. *in* 2. *ad Thessal.* *Est Traditio? nihil quæras amplius.*

§. VI.

§. VI.

PRÆCIPVA IN OPPOSITVM argumenta soluuntur.

3402 ARguitur 1. Esto Felix securè à nobis, in Sanctorum Martyrum, legitimorumque Pôtificũ albo referatur; explicatu difficile apparet, quonam tempore fuerit Pontificalibus infulis insignitus. Cum enim ostenderimus, eum nec viuente Liberio, nec post istius mortem fuisse ad Apostolicæ Sedis Dignitatem euectum, nullum videtur superesse tempus, quo Summi Pontificis munere fungi potuerit; nam cum ante Liberium obierit, si viuente Liberio Pontifex non fuit, nullo vnquam tempore esse potuit.

3403 Huic argumento respondemus 1. duo hic valdè diuersa proponi; primum, an Felix fuerit Pontifex? Secundum, quonam tempore eam fuerit Dignitatem sortitus? Quoad primum asserimus: legitimum Felicis II. Pontificatum nullatenùs posse in dubium reuocari, cum Ecclesia à mille, & ampliùs annis, eum inter legitimos Papas perpetua Traditione fuerit venerata; cumque olim aliquod hac de re dubium existeret, Ecclesia insigni illo miraculo permota, legitimum S. Felicis II. Pontificatum certissimum iudicauit, vt supra tot Authoritatibus ostendimus, vt omni dubitationi aditus præcludatur.

3404 Quoad 2. verò, quonam nempè tempore Felix Pontificatum gesserit? Nobis certò constare non potest, an viuente Liberio, an verò post istius mortem, munus istud obtinuerit, cum ab illius obitu, ad hęc vsque tempora, plusquam 1300. anni fluxerint: obijt enim *iuxta BARONIVM anno* 357. quo tempore, ob persequutionem Imperatoris Constantij, Arianorumque ipsi dominantium, non potuerunt Apostolicæ Sedis Registra tanta securitate seruari, vt hac de re nos omninò certos efficiant: multa enim alia, memoratu dignissima, quę illis temporibus acciderunt, quorumque notitia ingentem nobis vtilitatem pareret, silentio obuoluta sunt. Vndè de pluribus nunc dubitamus, quæ apud antiquos indubitata habebantur. Quarè esto ob prædictorum notitiæ defectum non possimus, certum designare tempus, quo præfatus Pontifex Apostolicum Thronum tenuerit, ob certitudinem tamen, qua illum inter legitimos Papas, & Martyres vniuersalis Ecclesia tot sæculis semper venerata est, debemus omne deponere dubium; impium enim esset asserere, Ecclesiam Spiritu Sancto edoctam, hac in re errasse, Sancti Pontificis Cultum tribuendo ei, qui Pontifex non fuisset. Deindè, quia incertitudo, quam temporis vetustas, & notitiæ defectus nobis parturit, nullatenùs potuit in Ecclesia inueniri, imò debemus certissimè credere, quod cum Apostolica Sedes Felicem II. immediatè post ipsius obitum, Sanctorum, & legitimorum Pontificum Cathalogo adscripserit, ideò id præstitit; quia de istius Pontificatu ei omnino certè constabat, eo tempore, quo iste certus erat, ac toti Christiano Orbi conspicuus, ita vt de illo nullatenùs dubitari posset.

3405 Respondemus 2. Ex incertitudine, vel dubio circa tempus, quo Felix Pontificatum gessit, nullatenus deduci, incertum esse, cum ad Apostolicam Sedem fuisse promotum, vt ex sequentibus rationibus apparebit. Primò: quia nihil inter Catholicos certius, quàm CHRISTUM DOMINUM mortuum fuisse, cum id Fides doceat, & vniuersus Sanctorum Patrum consensus stabiliat. At quonam ætatis suæ tempore obierit, à grauissimis Authoribus dubitatur: siquidem TERTVLLIANUS, CLEMENS ALEXANDRINVS, & LACTANTIUS docent, mortuum fuisse *anno Tiberij* 15. *ætatis suæ* 30. Et IULIVS AFRICANVS, Origeni coęuus, *anno Tiberij* 15. *ætatis suæ circiter* 30. teste HIERONYMO *in cap.* 9. *Daniel.* At ORIGENES *Tract.* 35. *in Matth.* & *lib.* 4. *de Princip. cap.* 1. censet, CHRISTVM Baptizatum fuisse *anno ætatis suæ* 30. è vita verò discessisse 31. *incepto*, idemque censet EVSEBIUS CÆSARIENSIS *in Chronic.* & similiter PHILASTRIUS, Episcopus Brixiensis, *lib. de Hæresib. art.* 58.

3406 S. EPIPHANIVS *Hæres.* 51. *num.* 28. CHRISTI Vitam *ad annos vsque* 32. & *dies* 74. protendit. S. MAXIMVS Martyr *part.* 1. *Computi Ecclesiast. cap.* 34. scribit, CHRISTVM vixisse *annos* 33. *dies* 89. S. JOANNES CHRYSOSTOMVS *Homil.* 54. *in cap.* 9. JOAN. tra-

tradit, cum quadragesimum ferè ætatis annum attigisse; ad illa enim verba: *Quinquaginta annos nondum habes*; legit: *Quadraginta*; sicque prosequitur: * Vt intelligi detur, propè iam CHRISTUM annorum quadraginta fuisse.* S. IRENÆUS *lib. 2. contra Hæres. cap. 39.* & præcipuè *cap. 40.* ad illa verba: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* scribit, CHRISTUM vltrà quadraginta annos vixisse: vndè hæc habet: * Hoc dicitur ei, quia iam quadraginta annos excessit, quinquaginta autem nondum attigit; non tamen multum à quinquagesimo abstitit.*

3407 Ex quibus manifestè infertur, quod estò CHRISTI mors certa sit, imò & certissima; cum hac tamen certitudine rectè cohæret incertitudo, & dubium circa tempus, quo ipsa evenerit. Similiter ergo potest esse omninò certus Felicis II. Pontificatus, certò nunc, estò non sciamus tempus, quo præfatus Pontifex Ecclesiæ Clavum moderatus sit.

3408 Secundò: Evangelium fore in vniverso Orbe prædicandum, veritas est adeò certa, ac Catholica, vt Oraculum ipsius CHRISTI ore promulgatum. *Matth. 24. Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in vniverso mundo, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* At quo tempore implenda esset hæc Evangelij in toto Orbe prædicatio, ingens est Sanctorum Patrum dissidium: multi enim iudicarunt, eam CHRISTI prædicationem fuisse viventibus Apostolis impletam. Sic censuerunt S. IGNATIUS MARTYR *Epist. 9.* EUSEBIUS CÆSARIENSIS, *lib. 2. Hist. Eccles. cap. 3.* S. HILARIUS *Can. 25. in Matth.* S. HIERONYMUS *in cap. 11. Isaiæ*, sic scribens: * Tradunt Ecclesiasticæ Historiæ, quod Apostoli, in toto Orbe dispersi, Evangelium prædicarint.* Idem tenet S. JOANNES CHRYSOSTOMUS *Homil. 76. in Matth.* VICTOR ANTIOCHENUS *in cap. 13. Marc.* THEODORETUS *de Curat. Græcar. affect. lib. 9.* Ven. BEDA *in cap. 13. Marc.* STRABUS *in cap. 24. Matth.* THEOPHYLACTUS *ibi*, & *Marc. 13.* EUTHYMIVS *in Matth. cap. 24.* & *Marc. 13.* METELLUS TERGESEENSIS *in Oda in SS. Martyres Marium, & Martham Persas*, ZACHARIAS, Chrysopolitanus Episcopus, *in Harmon. Evangel. cap. 145.* Eamdem sententiam plerique recentiores sequuntur, vt TOSTATVS *in Matth. cap. 24.* LYRANVS *ibidem*, & *in Psalm. 18.* HADRIANVS FINVS *lib. 2. flagel. adv. Iud. cap. 12.* PINTVS *in 2. Daniel.* LEO CASTRVS *in Apologet. pag. 261.* GENEBRARDVS *lib. 2. Chronolog. pag. 227. & lib. 3. pag. 371.* GAGNÆIVS, & JANSENIVS *in cap. 24. Matth.*

3409 At Apostolorum tempore non fuisse Evangelium in toto Orbe prædicatum, egregij Doctores tradidere. Sic censuit ORIGENES *tract. 28. in Matth.* agens de statu futurarum rerum in fine sæculi. RVFFINVS *Histor. Eccles. lib. 1. cap. 5.* docet, Apostolorum tempore non fuisse Evangelium in vlteriori India prædicatum. Huic sententiæ adhæret S. AVGVSTINVS, siquidem *Epist. 80. ad Hesych.* hæc scribit: * Quod enim putat venerabilitas tua, iam hoc (quod nempè Evangelium, Apostolorum tempore, in toto Orbe fuerit prædicatum) per ipsos Apostolos factum; non ita esse certis documentis probavi (scilicet, *Epist. præcedenti 78. ad eumdem Hesyc.*) Sunt enim apud nos, hoc est in Africa, barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum esse prædicatum Evangelium, ex ijs, qui ducuntur indè captivi, & Romanorum servitijs iam miscentur, quotidiè nobis addiscere in promptu est.*

3410 S. JOANNES CHRYSOSTOMVS *in Matth. Homil. 48.* AVTHOR OPERIS *de Vocat. Gent.* sive is sit S. AMBROSIVS, sive S. PROSPER AQVITANICVS *lib. 2. cap. 6.* S. PROSPER *in Respons. ad 4. Capitul. Gallor.* S. BERNARDVS *lib. 3. de Considerat.* SOCRATES *lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 5.* NICEPHORVS *lib. 8. Histor. Eccles. cap. 35.*

3411 Ex recentioribus, hanc amplectuntur Sententiam VIGHERIVS *Instit. Theolog. cap. 21. §. 2.* Cardinalis CAIETANVS *in cap. 24. Matth.* & *ad Rom. 10.* TITELMANVS, MALDONATVS, BARRADAS *in Matth. 24.* Ante hos SOTVS *in 4. Sent. Dist. 46. quæst. 1. art. 1.* SONNIVS *in lib. 2. Demonstrat. Christ. Relig. tract. 8. cap. 3.* CANTAPETRENSIS *lib. 3. Hypothyp. cap. 2.* JOANNES ARBOREVS *lib. 2. Theosoph cap. 2.*, TREJVS, GHILLANDVS, TOLETVS, PERERIVS, JUSTINIANUS, TORNIELLVS,

LUS, ESTIVS *ad Rom.* 10. ADAMVS *in Colos.* 1. HONCALA *in Genes.* 22. SANDERVS *lib.* 8. *de Visib. Eccles. Monarch. cap.* 14. GREGORIVS DE VALENTIA *Tom.* 4. *Disp.* 11. *quæst.* 2. Cardinalis BELLARMINVS *lib.* 3. *de Rom. Pontif. cap.* 4. RIBERA *in cap.* 4. *Mich. num.* 23. JOSEPHVS ACOSTA *lib.* 1. *de Noviss. Tempor. cap.* 16. 17. & 18. LESSIVS *Disp. de Antichris. demonstrat.* 8. SVAREZ *Tom.* 2. *in* 3. *Par. Disp.* 56. *sect.* 1. FRIDERICVS LVMNIVS *lib.* 1. *de Extrem. Iudicio, cap.* 11. LORINVS *in Psal.* 18. *vers.* 4.

3412 Ex quibus colligitur, quod si certitudo de Evangelio, in toto Orbe prædicando, non impedit quin dubitetur, an viventibus Apostolis, an potius post ipsorum mortem impleta fuerit hæc CHRISTI prædictio, & Evangelij prædicatio; pariter certitudo de Felicis II. Pontificatu non obstabit, quo minus ambigatur, quonam tempore prædictus Felix Apostolicum Thronum conscenderit; an nempè vivente Liberio, an post istius mortem? An tempore exilij Liberij, an post exilium, quod Liberius pro Fide constanter pertulit?

3413 Tertiò: Nihil certius Mundi creatione, istiusque initio. *Genes.* 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram.* At tempus quo ipse duraturus sit, omninò incertum est. Hebræi certissima Traditione tuentur, totam Mundi durationem sex millium tantum annorum intervallo concludi, absolutoque sexto millenario, Mundum, finem accepturum. Sic tradunt RABBI IACOB, filius Salomonis *in Collectan.* de CHRISTO, & THALMVD *Tract. Sanhedrin, cap. Helec,* Interprete GENEBRARDO, eiusdēq; traditionis, vt celebris, & apud Hebræos pervulgatæ, meminere HIERONYMVS A S. FIDE *lib.* 1. *ad vers. Iudæos, cap.* 2. GALATINVS *lib.* 4. *Arcanor. cap.* 10. FINVS *lib.* 5. *Flagel. contra Iud.* & MATTHÆVS BEROALDVS *lib.* 2. *Chron. cap.* 3. pro eadem traditione citat PVGIONEM FIDEI, nostri MARTINI RAYMVNDI, & alios.

3414 Quidquid tamen sit de huiuscemodi Traditionis certitudine, cuius fides penès ipsius Authores sit, hanc sententiam, quæ statuit, Mundum sex millium annorum spatio duraturum, multos ex Sanctis Patribus docuisse, non ambigo. Eam tenent ex Græcis, Author nomine S. JUSTINI MARTYRIS *quæst.* 71. *ad Orthodox.* S. IRENÆVS, qui *lib.* 5. *advers. Hæres. cap.* 25. hæc habet: * Quotquot enim diebus hic factus est Mundus, tot & millenis annis consummatur. (Et infrà:) Si enim dies Domini quasi mille anni; in sex autem diebus consummata sunt, quæ facta sunt: manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.*

3415 In eamdem sententiam conspirant PHOTIVS *in Biblioth. num.* 202. agens de S. Hypoliti Martyris interpretatione Danielis, ANDREAS, Cæsariensis Episcopus, *in Apoc. cap.* 54. enarrans verba illa *cap.* 17. *Reges septem sunt, quinque ceciderunt, &c.* S. ANASTASIVS SINAITA *lib.* 7. *in Exaëmeron initio.*

3416 Ex Latinis LACTANTIVS FIRMIANVS *lib.* 7. *cap.* 14. S. HILARIVS *Can.* 17. *in Matth.* ad illa verba: *Post dies sex transfiguratus est*; ita scribens: * Nam post dies sex, gloriæ Dominicæ habitus ostenditur, sex millium scilicet annorum temporibus evolutis, Regni Cœlestis honor præfiguratur.* Idem tenet S. GAVDENTIVS, Episcopus Brixiensis, *Serm.* 10. S. HIERONYMVS *in exposit. Psalm.* 89. *ad Cyprian.* quæ est *Epistola* 139. exponens versiculum: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesterna, quæ præterijt*; ait: * Ego arbitror, ex hoc loco, & ex Epistola, quæ nomine Petri inscribitur, mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet, quia Mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus tantum annorum credatur subsistere.* His subscribunt JVLIVS HILARION *libell. de Durat. Mundi*, S. ISIDORVS HISPALENSIS *Comment. in Genes. cap.* 6. CASSIODORVS *lib.* 1. *Variar. Epist.* 10.

3317 Nihilominùs tamen alij Sancti Patres oppositum tenuerunt; vt S. AVGVSTINVS *in Psal.* 89. & S. IVLIANVS, Toletanus Antistes, *lib.* 3. *contra Iudæos*, quos sic redarguit: * Opinio illa vestra vanissima, qua & sextam adhuc sæculi ętatem expectatis, & sæculum istud in sex millibus tantum annis stare confingitis, quos iam & ipsos translactos esse probabitis, si studiosiùs attendatis. Repetendum est igitur, quod audistis; ab initio enim Mundi vsque ad CHRISTVM, computatos diximus *annos* 5325. quibus si addantur anni ab Incarnatione Domini 686. vsque in pręsentem diem, id est,

quan-

quando Serenissimus Hervigius, Princeps Imperij sui videtur habere annum 7. computati sub vno 6011. anni efficiuntur.* Hæc ille. Si autem addantur anni, qui à tempore S. Iuliani vsque ad præsentem *annum* 1691. quo fœliciter regnat Pijssimus Rex Carolus Secundus, fluxerunt, ab Orbe cōdito, vsque nunc, numerabuntur *anni* 7016.

3418 Eidem Sententiæ adstipulatur ARETAS, Cæsariensis Episcopus, *cap.* 63. *in Apocalyp.* ex commentarijs Andreæ, Cæsariensis etiam Episcopi, verba exscribens; S. & V. BEDA *de Ration. Tempor. cap.* 66. etsi S. AVGVSTINVS eam de Mundi sex millium annorum duratione Sententiam, non prorsus existimavit improbabilem *lib.* 20. *de Civit. Dei, cap.* 7.

3419 Recentiores verò in varias trahuntur sententias, quas non est huius loci examinare; sed solum asserimus, quod estò certissimum sit Mundi initium, illius tamen duratio, sicut & interitus, incerta omninò est, vt ex gravissimis Authoribus, Sanctissimisque Patribus probavimus.

3420 Pariter, nihil fine vitæ hominis, Mundique interitu certius, vt patet ex multis Scripturæ locis id attestantibus, & Sanctis Prophetis, qui CHRISTI ad particulare, vniversaleque Iudicium Adventum prædixerunt; nihil tamen incertius, quam dies finis Hominis, iuxta illud: *Qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Nihil etiam incertius die, & tempore, quo CHRISTUS Mundum in fine ipsius iudicaturus est, iuxta illud ipsius Christi *apud Marc.* 18. *De die autē illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.*

3421 Ex dictis apertè evincitur, quod cum Mundi creatio certa sit, & illius durationis tempus incertum, cumque similiter Mundi interitus, mortaliumque finis, & vniversale eorum Iudicium certissimum sit, dies tamen & tempus, quo hæc evenièt valdè incertum, vt Sacratissima Divinæ Scripturæ Authoritate, & luculentissimis Sanctorum Patrum testimonijs probavimus; nihil mirum, quod asseramus, ac firmiter propugnemus, Felicis II. Pontificatum certissimum esse, & indubitabilem, estò circunstantia temporis, quo Ecclesiam gubernavit, modo incerta sit ob varietatem opinionum, quas suprà retulimus.

3422 Respondemus 3. Estò Felicis II. Pontificatus post Liberij mortem admitti non posit, non deesse gravissimos Authores, qui censeant Felicem, vivente Liberio, legitimè potuisse ad Apostolicum Thronū evehi; non ex eo quod, Liberium inexilio prævaricatum fuisse, percrebuerit, vt censent Cardinales BARONIVS, BELLARMINVS, & AGVIRRE; sed ob aliam rationē, quā sic proponimus. Certum est enim, posse Papam se Pontificatu abdicare, & à Pontificis munere abire: est expressus TEXTVS *in cap. Quoniam.* 1. *de Renuntiat. in* 6. vbi cum sub Papa CÆLESTINO V. dubitatum esset: An posset Pontifex Pontificatui renunciare? Cumque controversia ista diligentèr fuisset discussa, ac rationes pro vtraque parte auditæ: * Deliberatione habita cum suis fratribus (inquit BONIFACIUS VIII. de Cœlestino) Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus (de quorū numero tunc eramus) de nostro, & ipsorum omnium concordi consilio, & assensu, Authoritate Apostolica statuit, & decrevit, Romanum Pontificem posse liberè resignare. Nos igitur, ne Statutum huiusmodi per temporis cursum oblivioni dari, aut dubitationem eamdem in recidivam disceptationem vlteriùs deduci contingat, ipsum inter Constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam de Fratrum nostrorum consilio duximus redigendum.* Et quamvis non adeò esset in lure expressum, posse Papam Pontificatui cedere, ipsoque vivente, posse aliū ad eam Dignitatem eligi, sicut re vera factum conspicimus in Cælestino V. quo adhuc vivente, Bonifacius VIII. præmissa illius renuntiatione, electus est, & ad Summi Pontificis munus assumptus.

3423 Estò, inquam, hæc non ita se haberent, adhuc tamen pro prædictę veritatis confirmatione, adducere possemus maximè memorabile facinus S. CLEMENTIS, qui cum à D. PETRO Pontifex fuisset renunciatus; nihilominùs tamen, vt inconvenientibus in posterum eventutis occurreret, mortuo Petro Pontificatui ad ipsum spectanti renuntiavit, ac libens, & lubens permisit vt S. Linus Pontifex crearetur. Sic tradit GLOSSA *in cap. Si Petrus.* 8. *quæst.* 1. quam sequitur Cardinalis IACOBACIUS *de Concil. lib.* 10. *quæst. de Superiorit. Papæ ad Concil.* 11. *argum.* vbi inter alia dicit, Clementem à Spiritu Sancto instigatum Papatui renunciasse, & Linum factum

fuisse

fuisse Papam. Id ipsum docet Cardinalis TVRRECREMATA *lib. 2. de Eccles. cap. 51.* vbi hæc scribit: *B. Clemens intelligens, hoc posteris futurum fore perniciosum exemplo, quod aliquis Successorem eligeret, renunciasse dicitur Papatui, & electus fuit Linus, vt habetur *in Glossa, cap. Si Petrus.**

3424 Eamdem Sententiam sequuntur Cardinales BARONIVS, & THVSCVS, SVAREZ, AZORIVS, CASTELLINVS *de Electione*, ALPHONSVS CIACONIVS, & SEVERINVS BINIVS, quos suprà laudavimus *fol.* 328. §.4.*num.*473. Vndè infertur, tàm de iure, quam de facto, communiter à tota Ecclesia recepto, posse Pontificem Papatui renuntiare, ipsoque vivente, alium creari.

3425 Quę cum ita sint, difficultas tota resolvitur in eo: An, scilicet, Liberius Pontificatui renuntiarit, vt ipso vivente Felix eligeretur, sicque, vivente Liberio, legitimus Pontifex fuerit? Et quamvis quæstio hæc, sub his terminis, haud facilè apud Authores inveniatur, eo quod sit de re adeò antiqua, & à nostris temporibus remotissima, non tamen desunt gravissimi Scriptores, qui hęc ita evenisse, sua Authoritate confirment.

3426 Agmen ducat eruditissimus, omnique fide dignissimus, ANASTASIUS, Apostolicus Bibliothecarius, suprà laudatus, qui *in Cathalogo de Vitis Pontif. in Vita Liberij*, de hoc facto loquens, hæc scribit: *Et congregati Sacerdotes, & cum consilio eorum Liberius, ordinaverunt in loco eius, Felicem Venerabilem Virum, Presbyterum, & Episcopum.* Sic enim legendum arbitramur; non verò: *Ordinàverūt Felicem Presbyterum Episcopum, Venerabilem Virum.* Vt alia lectio habet. Non enim antequam ordinaretur Felix, Presbyter erat; sed tantummodò Diaconus: Vndè successivè eum Ordinari oportuit, primò Presbyterum, & posteà Episcopum, vt etiam nunc fit in Ordinatione Pontificum, incipiendo à gradu, qui primus electo deficit.

3427 Pro maiori huius veritatis munimine, evolvi possunt, ac lustrari varia exemplaria; præcipuè verò illi Codices, è quibus desumpta est editio Regia ANASTASIJ, in quibus omnibus sic habetur: *Et congregātes se Sacerdotes cum consilio Liberij.* Et CODEX REGIVS *ad talem dictæ editionis*, sic legit: *Cōgregatis itaque Sacerdotibus, cum consilio eius.* (Scilicet Liberij.) DVPLEX CODEX FREHERIANVS *ibidem in fine*, ita legit: *Congregans Sacerdotes cum consilio eius, vel eorum, Liberius.*

3428 Ad pleniorem prędictorum notitiam operæpretium duximus, annotare; quod cum Liberius, quia Catholicam Fidem firmiter propugnabat, & condemnationi in S. Athanasium iniquè latæ viriliter reluctabatur, exularet, videretque, non sine lacrymis, ac ingenti cordis dolore, plurima damna, quibus ob Arianam Hæresim, Constantij Imperatoris auxilio invalescentem, exposita erat Ecclesia Apostolica, ac Pastorali sollicitudine, qua tot malis occurrere, ac animabus opitulari vehementer optabat, Damasum Romam misit, probèque agnoscens, exilij sui relaxationem nullatenùs impetrari à Constantio posse, nisi ipsi morem gerens Athanasij damnationi subscriberet, propositum mutans, in quo vsque ad mortem persistere decreverat, vt Clero, populoque Romano ipsius reditum ardentissimè desideranti, in tanto pœnarum conflictu consuleret, ac provideret, eidem Damaso facultatem concessit, vt Congregato Romano Clero, ac spontanea ipsius Liberij renuntiatione præmissa, Felix, illius Diaconus, ipsi sufficeretur, vel potiùs libero Romani Cleri consensu Pontifex crearetur.

3429 Haud obscurè id innuit Eruditus P. DANIEL PAPEBROCHIVS *in suo Conatu Chronico Historico*, vbi de Felicis Pontificatu agens, hæc habet: *Censeo, Liberium ipsummet videntem seriò ab Imperatore, & Arianis agi, neque vllam sibi relinqui spem reditus, quamdiù persisteret in proposito, in quo persistere, vsque ad mortem elegerat, mandasse Damaso, vt rediret, Congregatisque Sacerdotibus prospiceret Ecclesiæ, luporum furori expositæ per absentiam suam; idque vel designando expressè Vicarium Felicem, vel liberam Clero electionem personę remittendo. Clerus verò considerans præsentis confusionis miserabilem statum, nihil invenerit expedientius, quàm, dissimulata Felicis Communione cum Arianis, eundem ipsum assumere, quem illi ordinaverant, quia publicè constabat ipsum esse Nicænæ Fidei, etiam in illa Communione, tenacem. (Et *infrà*:) Tale autem consilium duplici mo-

modo proficisci à Liberio potuit, scilicet vel ita, vt vltrò abdicante illo, alius Pontifex eligeretur, vel more maiorum in persequutionibus frequentissimo, iubente, vt pro se ordinaretur Episcopus Vicarius cum iure Successionis, si mori ipsum in exilio contingeret.*

3430 Idipsum iam anteà tradiderat S. ANTONINUS 2. *par. Hist. cap.* 2. his verbis: *Creatus est Sacerdos Summus Liberius, Natione Romanus, qui Ecclesiæ præfuit annis decem, mensibus sex, diebus quatuor. Fuit autem hic missus in exilium à Constantio Imperatore, eo quod noluit assentiri Arianis, & favere illi hæresi; qui congregato Clero, de eorum consilio, venerandum Virum Felicem Presbyterum, vel renuntians, Pontificem eum cum alijs elegit, vel ipsum Felicē suum Generalē Vicariū instituit.* Iure videlicet successionis.

3431 Secundò arguitur ex moderno Authore, asserente. Felicem Sanctum Papam, & Martyrem, cuius Festum celebrat Ecclesia 4. *Kal. Augusti*, 29. *Iulij*, vt *in multis Martyrologijs* habetur, non fuisse Felicem Papam II. de quo loquimur in hac controversia, sed Felicem I. qui sub Aureliano Imperatore Martyrio coronatus est. Vndè Martyrologia, quæ ipsum Felicem II. sic significant, sub Imperio Constantii [illegible], in hoc emendatione indigere videntur.

3432 Huic argumento respondemus I. maiorem Fidem adhibendam esse Martyrologijs, quibus communiter Ecclesia vtitur, & ab ipsa approbata sunt, gravissimisque Authoribus antiquitate, dignitateque celeberrimis idem sentientibus, quàm præfati argumenti Authori, & ijs, qui ipsi hac in re subscribunt. Et quidem Felicem cuius Festum Ecclesia celebrat 4. *Kal. Augusti*, esse Felicem II. testatur ROMANUM MARTYROLOGIVM 29. *Iulij*, & Cardinalis BARONIVS *in Notis ad illa verba*: *Romæ, via Aurelia, S. Felicis II. Papæ, & Martyris*; vbi sese refert ad ea, quæ in Annalibus scripsit.

3433 Cardinalis BELLARMINVS *lib.* 4. *de Rom. Pontif. cap.* 9. hæc, inter alia, pro eiusdem veritatis confirmatione, scripsit: *Omnia Martyrologia antiqua, tàm excusa, vt Bedæ, Adonis, Vsuardi, quàm etiam manuscripta 4. *Kal. Augusti* ponunt memoriam S. Felicis II. Papæ, & Martyris.*

3434 S. GREGORIVS MAGNVS *in Antiphonario, & Sacramentario*, ponit integrum Officium Ecclesiasticum, legendum ad Missam, in die S. Felicis Pontificis, & Martyris, 4. *Kal. Augusti*; eodemque die istius Pontificis Martyrium, ac gloriosum triumphum refert Ven. BEDÆ Martyrologium. Et certè hunc non posse esse Felicem I. manifestè convincitur; hic enim Sanguinem, animamque pro Fide effudit, 3. *Kal. Iunij, anno Domini* 275. vt BULLARIVM MAGNVM, & MARTYROLOGIVM ROMANUM manifestè testantur; Felicis verò II obitum omnes referunt *ad* 4. *Kal. Augusti*, *anno* 357. vt suprà probavimus: Non ergo hic est Felix I. sed II.

3435 Hinc præclarè BELLARMINVS de hoc Felice II. agens *loco* modò *laudato*: * Cum igitur (inquit) Ecclesia Catholica, à mille iam annis, hunc Felicem colat vt Papam, & Martyrem, non debet is excludi à numero Pontificum, etiam si nullam aliam rationem proferre possimus.*

3436 Eminentissimus etiam Cardinalis AGVIRRE *loco sup. laudato*, vbi de Felice II. agens *disp.* 28. hæc scribit: * Itaque Ecclesia Catholica saltem à mille nonaginta annis, qui fluxerunt vsque modò à Pontificatu S. Gregorij, celebrat illum veluti Papam, & Martyrem.* Ex horum ergo tàm Illustrium Authorum, Martyrologiorumque testimonijs vniformiter testantium, S. Felicem II. ab Ecclesia à mille & ampliùs annis, vt Sanctum Papam, & Martyrem coli, & celebrari, manifestè convincitur, argumentum, quo prædictus Recentior præfato Sanctissimo Pontifici Vniversalem Ecclesiæ Cultum denegare contendit, asserens, hanc venerationem non Felici II. sed Felici I. ab Ecclesia exhiberi, parvi ponderis esse, vt ex sequentibus clariùs apparebit.

3437 Tota enim ratio dubitandi an Felix II. esset inter legitimos Pontifices recensendus, erat; quia fuit Schismaticus, & ab Arianis in Apostolicam Sedem, vivente Liberio, intrusus; quæ quidem difficultas, & controversia exagitata fuit sub Papa Gregorio XIII. vt latè probavimus cum Cardinali BARONIO, qui fuit vnus ex his, qui illi controversiæ adfuerunt, & prædictum Felicem II. à Sanctorum Pontificum Cathalogo eradendum esse censuerunt; cæterum horum rationibus minimè obstantibus, ac ijs, quę Felicis II. Pontificatui

patrocinabantur, prævalentibus, Apostolica Sedes, & Gregorius XIII. qui tunc temporis Ecclesiam fœliciter moderabatur, declaravit, vt Felix II. tamquam Sanctus, Papa, & Martyr deinceps ab omnibus coleretur, quemadmodum cum Ecclesia per decem & ampliùs sæcula, successivè fuerat venerata. Atqui de Sanctitate, & Pontificatu Felicis I. qui *anno* 275. Martyrij palmam reportavit, cuiusque Festum 3. *Kal. Iunij* Ecclesia celebrat, numquam, nec leviter dubitatum est, nec in eo militat ea ambigendi ratio, an legitimus Pontifex fuerit, cum nec Schismaticus extiterit, nec Liberij tempore vixerit; inter vtrumque enim 100. annorum spatium intercessit: Ergo Decisio, qua Gregorius XIII. vivente Baronio, declaravit, Felicem esse tamquam Papam, & Martyrem venerandum, non fuit de Felice I. sed de Felice II. sicque corruit argumentum, & S. Felicis II. Papæ, & Martyris Cultus fortiùs stabilitur.

3438 Tertiò argui potest ex eodem Authore, qui *dissert.* 31. *sæc.* 4. agens de Anastasio Bibliothecario *in vita Liberij*: *Tanta certè (inquit) & proximè sequens dictorum pugna efficit, vt mihi persuadere non possim ab eodem Authore scriptam esse Liberij, Felicisque vitam. Præterea ille, sive Anastasius, sive alius quispiam scribit; Felicem declarasse Constantium Imperatorem Hæreticum, quia rebaptizatus fuerat ab Eusebio Nicomediensi, & eam ob causam ipsum fuisse, eiusdem Constantij mandato, capite truncatum. Qua in narratione falsitatem animadvertere est multiplicem: neque enim veterum vllus, Constantium à Felice fuisse damnatum testatur.* Cumque condemnatio, qua Felix Constantium Hæreticum declaravit; permoverit Constantium, vt Felicem capite truncari præciperet, deficiente hac Constantij à Felice condemnatione, deficiet quoque præfati Pontificis Martyrium; sicque certum non est, Felicem II. esse tamquam Papam, & Martyrem venerandum.

3439 Huic argumento respondemus, quod estò probè agnoscamus, prædictum modernum Authorem esse Virum Historica supellectili instructum, ac non vulgari eruditione Ecclesiastica insignem; nulla tamen nobis occurit ratio, qua ille possit falsitatis arguere Virum adeò celebrem, tantaque Authoritate præditum, vti ANASTASIVM Bibliothecarium ab Authoribus in Ecclesiastica Historia præclarioribus magna commendatiane laudatum. Illud autem, quod asserit: *Neque enim veterum vllus, Constantium à Felice fuisse damnatum, testatur;* nullatenùs probare possumus, cum Authores celeberrimi, tùm antiqui, tùm moderni, oppositum manifestè tradiderint.

3440 In primis Liber Pontificalis, S. DAMASO Papæ adscriptus *in Vita Felicis Papæ II.* hæc habent: *Felix, Natione Romanus, ex Patre Anastasio, sedit annum vnum, menses tres. Hic declaravit Constantium, filium Constantini, Hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi, iuxta Nicomediam in Aquilone Villa. Et pro hoc declaratu ab eodem Constantio, Constantini Augusti filio, Martyrio coronatur, & capite truncatur.*

3441 Venerabilis BEDA *in Martyrologio*, 4. *Kalend. Augusti*: *Romæ (inquit) S. Felicis Pontificis. Hic declaravit Constantium, filium Constantini, esse Hæreticum; cum secundò rebaptizaretur ab Eusebio Nicomediensi Episcopo.*

3442 Hic obiter annotanda est prædictorum Authorum antiquitas: etenim si præfatus Pontificalis Liber S. Damaso, immediato S. Liberij Papæ Successori, attribuatur, vt vulgo sub illius nomine circumfertur, illius vetustas mille, & trecentos annos transcendit; si autem, vt aliqui volunt, ANASTASIO Bibliothecario, qui *anno* 858. enituit, adscribatur, optimè dignoscitur, quantam sibi sua Antiquitate fidem, & opinionem conciliet, sicut & Venerabilis BEDA, qui *anno* 700. floruit.

3443 His additur, mirificèque consonat S. ANTONINUS *part.* 2. *Histor. Tit.* 9. *cap.* 2. vbi de Liberio agens, hæc scribit: *Cum autem esset in exilio positus, Felix Zelo Fidei succensus, congregato Concilio quadraginta Episcoporum, Vrsacium, & Valentem Presbyteros, qui Constantio in hæresi Ariana favebant, condemnavit: & ipsum Constantium Imperatorem, vt Hæreticum rebaptizatum, excommunicavit. Quam ob causam Constantius indignatus, congregato Conciliabulo plurium ex fœce Arianorum, revocari fecit Liberium ab exilio, & Felicem eijci à Pontificali Cathedra; qui eiectus, paulò post, iussu eius, Martyrio coronatus est.*

3444 Subscribit BARONIUS *ad an-*

annum 357.*num.*65. vbi loquens de Diuina erga Romanam Ecclesiam Prouidentia, hæc, inter alia, profert: * Felicem, anteà eorumdem communicatione coniunctum, excitat ex aduerso, statimque erigit aduersus eos ipsos Arianos, quorum sanè ope fuerat Romanam Cathedram consequutus, & magno præsidio contra aduersarios confirmat, sicque ad pugnam roborat, vt exagitans Arianos omnes, eorumque Principem Constantium, feriens Anathemate, fuerit pro mercede insignitus Corona Martyrij.*

3445 Suffragatur BELLARMINUS *lib.*4. *de Rom.Pontif.cap.* 9. his verbis: * Omnia Martyrologia antiqua, tàm excusa, vt Bedæ, Adonis, Usuardi; quàm etiam manuscripta 4. *Kal. Augusti* ponunt memoriam S. Felicis II. Papæ, & Martyris, qui Constantium Hæreticum declarauit.*

3446 Idem tradit Eminentissimus Cardinalis BRANCATUS DE LAVRÆA *vbi suprà*, *Disp.* 8. *artic.* 5. §. 6. *num.*1. vbi de Felice II. agens: * Hic est (inquit) ille Felix, qui primò à Constantio honoratus, & in Sede Petri intrusus, posteà verus Pontifex, Constantium ipsum ob Fidei defensionem excommunicauit, quam ob causam ab eo in Thusciam relegatus, Ceræ iussu ipsius, occisus est; de quo, *die* 29. *Iulij in Martyrologio*, & *in Tom.* 1. *Concilior.* & *in Notis Vitæ eius.**

3447 Et *num.* 271. idipsum confirmat, dicens: * Cum erat verus Pontifex, strenuè pro Fide Nicæna decertauit, & pro ea Constantium damnauit, & pro ea tandèm martyrio occubuit.*

3448 Hanc eamdem sententiam, solità eruditione illustrat Eminentissimus Cardinalis AGUIRRE, *de Cath. S. Petri vindic.disp.*28.*sec.*3. vbi de Papa Felice II. sermonē instituens: * Non modo (inquit) recessit à Communione cum Arianis, sed etiam coactà Romę Synodo, declarauit Constantium Imperatorem, & Episcopos Ursacium, & Valentem verè Hæreticos esse. Hinc verò indignati Ariani, post ingressum Liberij in vrbem, Felicem, cum suis, Roma expulerunt, qui paulò post, diem extremum clausit. (Et *infra*:) Hęc est sententia frequens apud Historicos recepta.*

3449 Idipsum docet Illustrissimus Toletanus Antistes D. BARTOLOMÆUS CARRANZA *in Summa Concilior.* sic de Felice II. loquens: * Felix II. Papa, Natione Romanus, sedit annū vnum menses tres. Hic declarauit Constantium, filium Constantini, Hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi; & pro hac declaratione ab eodem Constantio, Martyrio coronatur, & capite truncatur.*

3450 SEVERINUS BINIUS *in Notis ad Concil.General. in Vita Liberij*, tradit de Felice: * Quod etsi exulante Liberio schismaticus, & Arianorum communione pollutus, vt compaginem illam abrumperet, Constantium, Valentem, Ursacium, omnesque Arianos tamquam Hæreticos excommunicauit; iustoque Dei Iudicio verus Pontifex esse cœpit.* Et *in Vita Felicis*, repetit eamdem damnationem, dicens: * Ab eo tempore, quo Felix Constantium, Ursacium, Valentem, aliosque Arianos excommunicauit, vexillum Fidei ipse erexit.*

3451 P. BISCIOLA *in Annal. Ecclesiast. ad annum.* 358. asserit de Felice, ipsum ob damnationem Constantij, Ceræ in Latio, obtruncatione capitis, Martyrio Coronatum esse.

3452 ANDREAS VICTORELLUS *in Notis ad Alphonsum Ciaconium*: * Tùm (inquit) Felix, verus Pontifex, ab Arianorum Communione ita discessit, vt, Synodo coacta, Constantium Augustum, Ursacium, & Valentem Antistites, Hæresi infectos, magna Constantia declararit. Exilio mulctatus Felix, paulò post pro Fide Catholica Martyr occubuit.*

3453 Tandèm DOMINICUS A SANCTA TRINITATE *lib.* 3. *Biblioth. Theolog. sect.* 4. *cap.* 16. §. 4. hæc scribit: * Cæterum ex eo tempore, quo Romanus Clerus, abrogata Liberio Pontificia Dignitate, propter pacem cum Arianis initam, ad Felicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat, atque adeò cœpit verus Pontifex esse; non solum Hæreticus non fuit, sed Hæreticos Arianos, eorumque Principem Constantium Anathemate feriens, Martyrij Palmam consequutus est.*

3454 Ex prædictis tàm grauium, tamque antiquitate, dignitate, & doctrina illustrium Authorū testimonijs, infertur primò, quantum prædictarum Authoritatum pondere roboretur, ac mirificè commendetur quod ANASTASIUS, Apostolicus Biblio-

bliothecarius, scripsit de condemnatione, quam Pontifex Felix tulit, Anathemate feriens Imperatorem Constantium, illiusque sequaces Vrsacium, & Valentem, ob Arianam Hæresim, quam Catholicę veritati obstinato animo præferebant. Vndè manifestè deducitur, quàm immeritò pręd ictus Neotericus falsitatis inculet, Virum adeò insignem, ac Latina, Grętaque eruditione conspicuum, qui ob sua præclara merita Sacrę Romanæ Ecclesię Bibliothecarius *labente* CHRISTI *sæculo 9.* sub Summis Pontificibus Nicolao I. Adriano II. & Joanne VIII. constitutus fuit.

3455 Infertur II. quàm immeritò prædictus Author asseruerit, Cultum, quē Ecclesia, Martyrologiaque 4. *Kal. August.* Papæ Felici attribuūt, non Felici I. sed Felici II. deferri; quia vt modo ex duodecim Authoribus Dignitate, ac eruditione fidedignissimis probavimus, Cultus, ac veneratio, quam Papę Felici, de quo loquimur, Ecclesia tribuit, ei defertur ob gloriosum Martyrium, quod pro Catholica Fide pertulit, quia nimirum Arianę hæresi sese viriliter opposuit, Vrsaciumque, & Valentem, Arianos Episcopos, ac ipsum Imperatorem Constantium, præcipuum illorum auspicem, pręfatæque hæreseos promotorem, Anathemate perculit; qui prædicta damnatione lacessitus, ac vehementer iratus, Sanctissimum Pontificem neci tradi iussit.

3456 Quod autem Imperator Constantius, nec fuerit, nec potuerit esse, qui Papam Felicem I. morte mulctavit, neque Felix iste, qui in Imperatorem, istiusque sequaces Censionis Sacrę fulmina intorsit, ipsa temporum supputatio apertè ostendit: siquidem Felix I. glorioso Martyrio occubuit *anno* 275. damnationis autem Sententia lata fuit in Constantium *anno* 357. vel 353. sicque Felicis I. obitus, Constantij damnationem centum circiter annis præcessit. Cultus ergo, & veneratio, quam defert Ecclesia Felici Papæ, qui Constantium Hæreticum condemnavit, non Felici I. sed Felici II. tribuitur; sicque tota argumenti vis soluta, collabescit.

EXplicit Tomus Primus, in quo Romanorū Pontificū Infallibilitatem, invictamque in Fide Constantiam ab æmulorū imposturis vindicare curavimus, anno à felicitate humana 1691. Aprilis die 6. quo pia Fidelium devotione in Hispaniarum Regnis colitur memoria Septem Dolorum Deiparæ Virginis MARIÆ; eius clientelæ à vitæ limine adscriptus. Patrocinium his lucubrationibus meis promereri desidero; illiusque eximijs cumulatus beneficijs, grates debitas rependere opto: Qua propter, * totis viribus laudemus, veneremur, diligamus, ac vereamur, præstantissimam Dei Matrem; cumque hoc ipsum egerimus, recognoscamus, nos nihil egisse condignum, nec beneficijs eius posse condignā, idoneamque rependere vocem cū S. Augustino (vel Sophronio) dicentes: Quid nos tantilli, quid actione pusilli in eius laudibus referemus? cum etiam si omnium nostrum ora verterentur in linguas, eam tamen laudare nullus sufficeret?* *Dionys. Carthus. de Laud. Virg. art. 3.*

Incumbit omnibus communem, ac benignissimam gratiarum largitricem, Sanctissimam Virginem, meritis laudum preconijs, velut concordi mortalium voto, extollere; arctius tamē hoc munus obstringit Dominicanæ Familiæ Filios; quod eleganter expressit Illustrissimus Archiepiscopus Florentinus, eiusdē Sacri Ordinis Tesera insignitus S. ANTONINVS, his verbis: *Quanta ab eis veneratione colenda est, quanta Virgo Excellentissima, Genitrix Christi dignissima, Mater nostra benignissima, charitatis laude prosequenda est, cui à Maiestate committitur (dicente Christo ad S. Dominicum: *Ordinem tuum Matri meæ commisisti*) sub cuius radijs protegimur, cuius manu benedicimur, cuius gratię rore perfundimur, cuius interventu dilatamur, consolamur, & salvamur?* *3. Part. Histor. Tit. 23. cap. 3. ante §. 1.*

Cum igitur Filij Tui Passioni, ô Pijssima Mater, consecratus, & lacrymis tuis, velut preciosis gemmis, signatus illuxerit dies, quo supremam huic operi manum impono, per ipsas exoro lacrymas, quibus iuxta Crucem, non roseas tunc genas, sed pallida vultus lilia irrorasti, per merita Sanctissimæ Passionis, vt mihi indignissimo, cæterisque, qui hæc qualiacumque scripta mea legerint, reatuum depreceris veniam, obtineas vindicem

præ-

præteritorum criminum dolorem, à pravis mundi affectionibus libertatem, vt aureo Tuæ protectionis filo, labyrintheis huius vitæ ambagibus, & humanarum rerum superata caligine, Te Duce, cuius facie exultant Angelorum Chori, & totum lætatur Empyræum, candidissimum veritatis lumen, in Cœlesti Regno, iugiter aspicere possimus.

Advolat ergo in sinum Tuum volumẽ istud, pedibus Tuis provolutus Author prosternitur: *Tu denique (cum S. Ephren loquor) meus Portus, ò Virgo Inviolata, & præsens auxiliatrix. Sub tutela, & protectione Tua totus sum.*

Orat. de Dei Matris Laudibus.

Non humanæ gloriæ ambitu trahitur, nobiliorẽ gloriam quærit, Tuam scilicet, & cũ Magno Tuæ Protectionis Cultore, B. Alberto scilicet: *Opus in laudẽ, & gloriã, & honorem gloriosissimæ, & solius verè honoratę super omnem puram creaturam Virginis Matris Dei assumentes: & de ipsius auxilij specialissima collatione confidentes, confidenter suscepimus: in eius misericordia, tamquam in firmissima spei nostræ anchora, collocati, ab ipsa expectantes finem consummationis in præmium laboris, quæ est motrix voluntatis, causa operationis, & inspectrix intentionis.*

In Prol. Marial sup. Evang. missus est.

Gratias pariter immensas agimus, atque easdem iugiter repetendas pro muneris nostri debitò obstringimur, ipsi nimirum Deo Patri, omnium bonorum Authori, ac Filio humani generis Redemptori, simùlque donorum omnium Largitori Spiritui Sancto; necnon & Sanctissimæ Virgini Dei Genitrici MARIÆ: *Quod enim nostris viribus non valemus, meritis Beatæ, & perpetuę Virginis, cui Deo Authore famulamur, indubitanter obtinere posse confidimus.* Ipsi namque, sicut hæc omnia nostra accepta ferimus, ita pariter offerimus, vt ipsa eadem, qualiacumque sint, dilecto Filio suo porrigat, vt impertita Benedictione sanctificet, illamque pro munere gratiam pòscat, vt ipse sit nobis portio in terra viventium.

Ivo Carnoten. Epist. 147.

Tua enim (Salvator omnium) sunt hæc opera, videlicet, vt linguas infantium facias disertas, & sagittæ parvulorum fiant plagæ Hæreticorum, & infirmentur contra eos linguæ eorum. Quæ autem in hoc opere rectè sunt scripta, Opera tua sunt, Largitor Optime; quę verò malè, & inconcinnè elaborata, vt cętera mea mala, mala mea sunt: illa Tibi, bonorum omnium Largitori tribuenda; hæc, mihi miserrimo per Te ignoscenda: corã Te, Domine IESV, est firmitas, & infirmitas mea, scientia, & ignorantia mea; illas tamquam Tua dona custodi; has meas veras miserias sana. Age Domine, & fac vt linguam, & manum, quas specialiter pro decore Domus tuæ Tibi consecravi, aptare digneris; mea semper Tibi de Te, pro Te loquatur lingua; numquam laxetur manus; vt vsque ad extremum vitæ halitum pugnet pro Te, & confundat insurgentes in Te. Et contra Romanam Ecclesiam, cuius Dogmata, quæ cum meæ Religionis lacte, & pabulo hausi paratus sum pro aris, & focis, vsque ad sanguinis profusionem tueri, eoque, si oportuerit, obsignare.* Redeant (queso amantissime Domine) ad Te filij Desertores, vt satientur ab vberibus Consolationis Tuæ; non enim in ipsis potest esse verbum veritatis in prędicatione regulę falsitatis.*

Nazian. Hymn. ad Christum.

August. lib. 15. contra Faust. cap. 3.

Siquid verò vtilitatis (quod vnum studio nobis fuit) pio Lectori attulimus, vni Deo O. M. id omne est referendum, gratięque assiduæ agendæ, à quo, tamquam perenni fonte omne bonum Cœlitùs manat. Cui nos, nostraque omnia, eiusque in terris Sponsæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Censuræ, singulari animi propensione, subijcimus; Quidquid abiecerit, abijcimus; solum id probamus, quod à Romana Ecclesia, illiusque Censoribus Approbationem meruerit.

Non nobis Domine, non nobis:
sed Nomini tuo da gloriam.
Psalm. 113.

IN-

INDEX I.

CAPITVM HVIVS VOLVMINIS.

LIB. I.

DE ROMANI PONTIFICIS Infallibilitate in rebus Fidei definiendis extra Concilium.

LIB.

LIB. II. APOLOGETICVS.

ASSERITVR ROMANORVM Pontificum in Fide illibata Constantia, & ab Hæreticorum, & sequatium imposturis vindicatur.

sint

§.7.



INDEX
ALIQVARVM QVÆSTIONVM, quæ incidenter in toto hoc Volumine tractantur.

Littera L. Librum, N. verò Numerum marginalem; & P. Paginam designat.

IN-



INDEX SECVNDVS.

AVTHORVM, QVI HOC IN VOLVMIne continentur, ordine Alphabetico dispositus, vbi per numeros, Paginæ indicantur.

A

Arias

B

C

Cle-

Con-

D

Du-

E

F

G

Gre-

Iaco-

I

Ioan-

L

Ttttt Leo

M

N

O

P

Pas-

Pro-

Q

R

S

T

Te-

V

Vi-

X

Z



IN-



INDEX III.

RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM, quę hoc in Volumine continentur.

In quo littera P. paginam; N. verò, numerum marginalem designat.

A

Xxxxx Aga-

An

Sym-

Illius

C4

Casi-

illi

Apo

Con-

D

Mul-

tate

F

Scrip-

Hoit-

Ferè

Ffffff

Ioannes

Ius

No-

M

S. Mar-

Ipsi

In

N

t ha-

P 12.

Per-

Pha-

Pontificis Rom. Authoritas.

Pontificis Rom. Potestas.

Pontificatus.

Potestas.

In

t ha-

O

P 122

Per-

Pha-

Kkkkkk *Pæ-*

Q

R

Sancti.

Ali-

In

Tra-

V

Zeno,

IN-

INDEX IV.

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, qui in hoc Volumine adducuntur.

In quo Littera P. Paginam, C. verò Columnam designat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Oooooo

Cap.

EX NOVO TESTAMENTO.

Pppppp Cap.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 1. col. 2. lin. 4. Magister, Marcus. p. 17. c. 2. l. 36. nisi, nisi. p. 24. c. 2. l. 52. quo vis, quovis. p. 42. c. 1. l. 3. necesserit, intercesserit. p. 44. c. 1. l. 15. falso, falsò. p. 64. c. 1. l. 10. * Si ex hominibus Concilium hoc opus dissolvetur: Si verò ex Deo est, non poteretis dissolvere eis, nè fortè Deo repugnare videamini. *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur: Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud nè fortè & Deo repugnare inveniamini.* p. 134. c. 1. l. 56. subnovendi, submovendi. p. 144. c. 1. l. 22. Infallibilem, infallibile. p. 157. c. 2. l. 10. quam, quem. p. 169. c. 1. l. 17. sieque, sicque. p. 170. c. 2. l. 47. ille, illa. p. 173. c. 2. l. 20. verè, vera. p. 186. c. 1. l. 3. [inquit] Pontifex, [inquit Pontifex] p. 212. c. 2. l. 52. onere, genere. p. 220. c. 1. l. 40. dicent, dicens. p. 222. c. 2. l. 3. Fide, Fideles. p. 223. c. 1. l. 41. Privilegij, Privilegijs. p. 225. c. 1. l. 12. errante, errandi. l. 35. maluerit, maluerint. p. 257. c. 1. l. 56. Infallibilem, Infallibilitatem. p. 271. c. 2. l. 24. effecere, efficere. p. 316. c. 2. l. 46. potest, post. p. 348. c. 2. l. 55. alterium, alterius. p. 358. c. 2. l. 14. Francus, Franciscus. p. 447. c. 2. l. 2. iuthenticos, authenticos. p. 460. c. 2. l. 18. alloquens sic ait: *Sane Ioannem. Ioannem Papam alloquens, sic ait: *Sane notandum. p. 467. c. 1. l. 54. *Dist.* 32. *Dist.* 31. p. 477. c. 2. l. 20. Sacrprum, Sacrorum. p. 478. c. 1. l. 41. anno. 218. anno. 1218. p. 480. c. 1. l. 11. *Epist* 92. *Epist.* 90. p. 481. c. 2. l. 39. *Siquis, Seriatim.* p. 482. c. 1. l. 2. 161. 1061. l. 3. 31. 81. p. 483. c. 1. l. 30. 188. 1088. p. 496. c. 1. l. 39. (dicit) Sermo Divinus. (dicit Sermo Divinus). p. 505. c. 1. l. 90. suo, Christi. p. 507. c. 2. l. 29. vniunt, vivunt. l. 52. exorabiles, execrabiles. p. 509. c. 2. l. 41. incontinentia, incontinentiæ. p. 510. c. 2. l. 40. Gregorius VII. Gregorius Magnus. p. 514. c. 1. l. 34. fuerint, fuerit. p. 520. c. 2. l. 42. Victore VII. Victore II. p. 522. c. 1. l. 1. Nunciam, Nunc iam. c. 2. l. 31. *Prima annotatio, Prima autem.* p. 528. c. 2. l. 49. noverant, voverant. p. 529. c. 1. l. 49. Concilio, consilio. p. 532. c. 1. l. 29. & l. 46. Concilium, consilium. l. 56. Et IUSTINIANUS. *Et Iustinian.* c. 2. l. 23. *Qui castitatem, Ante triennium.* l. 33. Constitutionem, Constitutionem edidit. p. 533. c. 1. l. 16. improbavit, non improbavit. l. 45. illicitum, licitum. p. 538. c. 1. l. 37. S. Antonius, S. Antoninus. p. 540. c. 1. l. 3. prædicam, prædictam. l. 36. potuissent, potuisse. p. 542. c. 1. l. 9. Matrimoniè licito, Matrimonio licitè. p. 561. c. 2. l. 56. prædicare, præclarè *tit. lib.* p. 563. c. 1. l. 21. *in cap.* in 6. p. 564. c. 1. l. 17. 37. *Dist.* 32. *Dist.* p. 565. c. 1. l. 6. *Sentent.* Sententia. p. 572. c. 1. l. 15. Ecclesia, Ecclesiæ. l. 17. Paschalis, Paschales. p. 573. c. 2. l. 15. celerari, celebrari. l. 50. multis, nullis. p. 578. c. 1. l. 6. Maurum, Marcum. p. 584. c. 1. l. 41. n. 121. n. 1021. p. 591. c. 1. l. 15. *Apollicis,* à pollicis. p. 614. c. 1. l. 42. violentiam, violentam. p. 615. c. 2. l. 40. afferebat, afferebant. p. 619. c. 1. l. 37. illarum, illorum. p. 636. c. 2. l. 4. veritas, caritas. p. 638. c. 2. l. 45. *scaturitas,* saturitas. ibi *filiorum* filiarum. p. 644. c. 2. l. 30. lace, luc. p. 668. c. 1. l. 23. Mysteriorum, Ministrorum. p. 689. c. 2. l. 8. inveniamus, iouuimus. p. 703. c. 2. l. 16. apponatur, opponatur. p. 734. c. 2. l. 46. confiexerunt, confixerunt. p. 737. c. 2. l. 25. suppositiciam, supposititia. p. 751. c. 1. l. 2. opposita, appositè. p. 770. c. 2. l. 46. Athanasio, Hieronymo. p. 777. c. 2. l. 54. prędicti, prædicti. p. 782. c. 2. l. 8. Occidentalium, Orientalium. p. 783. c. 1. l. 51. infractam, infarctam. p. 793. c. 1. l. 58. posuit, posui. p. 844. l. 17. omoium, omnium.

In Indice etiam Authorum, ver. S. Bernardinus Senensis, vbi legitur: *Ord. Pręd.* lege: Ord. S. Francisci.



Digitized by Google